


INVENTA LEVETUR
FRANCISCUS PRÆPOSITUS CANN
REGG: IN POLLING Anno 1744
QUONIAM SUSCEPISTI ME
EXALTABO TE

2 Path. 84

Med

Ther gen

~~Hercules~~

26

HERCVLIS SAXONIÆ PATAVINI,

IN PATRIO GYMNASIO MEDICINAE Practicæ quondam Professoris celeberrimi,

OPERA PRACTICA.

Quibus hac nouissima editione præter alia accesserunt

EIVSDEM AVCTORIS TRACTATVS

DE MORBIS MVLIERVM,



DE PVLSIBVS, AC VRINIS.

Omnia quàm antè cura emendatiore.

R



PATAVII, CIϽ IϽC XXXIX.

APVD FRANCISCVM BOLZETTAM Bibliopolam Patauinum. SVPERIORVM PERMISSV.

Amplissimo, & Excellentiss. Viro D.D.

BENEDICTO SILVATICO,

PATRICIO PATAVINO,

D. MARCI EQVITI,

Et in Patria VNIVERSITATE Praxeos Professori Primario.



ERCVLIS SAXONIAE victura sæculis monumenta in Amplissimo Nomine tuo publicam olim lucem aspexêre, nunc recusa denuò doctorum oculos subitura ab eodem nomine sibi commendationem parauerunt. Quod enim aliud illustrius optare, frontiq; præfigere poterant, quam cuius fama strenuè orbem peruagata, cum plurima prædicauit minor tamen vero est? Hac vitæ breuitate, quæ vix in lucem editos letho applicat, & natalibus funera coniungit, nulla pænè dies est qua salutem ægris mortalibus dando angustas æui moras non extendas, & contra fatorum imperium depositos iam, ac conclamatos ab extrema meta reuoces; quodq; maius est id alios doces quod pænè solus præstare potes.


Itaq; vt olim Epidaurum, sic ad te hodiè ex vniuerso Orbe concurritur nemoq; iam Æsculapio aut Ioui, sed tibi incubat, vt saluti non per somnum reddatur. Exteri quoq; Reges, ac Prinipes ad te preces flexerunt quoties obsequij indociles morbi puluinaria scandentes sceptris, ac purpuræ non pepercerant: spemq; Regni ac populorum vota tuæ fidei commendarunt quæ vsq; in inuidiam felix fuit. Ne hîc interim ignobilia capita tangam, quorum censum quotidiè libitinâ auertis.

Quæ non inde Europæ Academia te amplissimis præmijs euocauit, decusq; hoc magnum Imperio Veneto Vrbiq; nostræ non inuidit? At postquam Reip. Augustissimæ, ac patriæ priuata commoda antehabuisti, Germani, Belgæ, Angli, Sarmatæ, ignotæ quoq; gentes Occeano, iugisq; Alpium seclusæ hoc in Italia Oraculum quęsiuêre, frequentantq; quotidie mirabili concursu non secus, ac olim ad popularem tuum Liuium visendum ab extremo Orbe conuentum est. Adeo siue hanc artem seruandi homines doceas, siue exerceas in vtroq; summus es, vbiq; admirandus, nusquam tui dissimilis. Nec vlli magis rei hanc Patauini Gymnasij florentissimam externę iuuentutis frequentiam quam nominis tui celebritati debemus, sicuti innumeri mortales tibi spiritum debent ac lucem. Sic te Diua potens salus respiciat, quæ nos ope tua semper respexit, in quo patriæ huius ac celeberrimi Gymnasij spes sitùs, & collocatas videmus. Vale, vt nos quoq; valeamus. Patauij à die V. Sept. M.DC.XXXIIX.

Amplissimo, & Excellentissimo Nomini tuo.

Addictissimus Cliens
Franciscus Bolzetta.

INDEX CAPITVM.
SEV MATERIERVM,
Quæ in hisce Prælectionibus Practicis continentur.



SECTIONIS PRIMÆ,
In qua agitur de Affectibus Sensuum Internorum, & Externorum, ac Partium Respirationi dicatarum.

SECTIONIS SECVNDÆ.

De Cordis, & Infimi Ventris Affectionibus.

De

SECTIONIS TERTIÆ,

Quæ complectitur Affectus Muliebres.

FINIS.

HERCVLIS SAXONIÆ

Professoris Patauini, ac Medici præclarißimi

PRÆLECTIONVM PRACTICARVM PARS PRIMA

QVÆ CONTINET AFECTVVM, QVI IN SENSVVM EXTERNORVM & internorum, ac respirationis instrumenta incidunt, explicationem.

PRAEFATIO, IN QVA MORTEM MASSARIAE DEPLORAT, suumque munus cum Herculis onere, & Caput humanum cum cælo comparat.



ERCVLI Poetæ olim fabulati sunt, cùm sub onere quod humeris susceperat, cuique amplius ferendo nō erat, gemeret, tremeretq; subsidio venisse Atlantem, inque suas deuoluisse ceruices vastā illam corporum cœlestium machinam. Ego, cui non minus, atque olim Herculi, cœli moles hoc semestri hyemali incumbere videtur, vix ac ne vix quidem inuenio fulcimentum, quòd, qui pro eo, quo plurimùm excellebat, animi robore, maximam hujus oneris partem integro octennio sustinuit, ante paucos dies subitâ (proh dolor) & inopinata morte ad æternam patriam migrauit: Massarias, inquā, Antagonista meus, vir eloquio grauis, genio, ingenio illustris, arte Medica docenda dexter, in facienda felix: etiam labascere cœpi, ac metuere, ne, quod premit, onus, opprimat. Cœlum portauit Hercules, siderum motus, aliaq; mysteria cœlestia indagando, & mortalibus patefaciendo; Ego capitis, partis principis, morborū explicationē suscipiendo, argumentum sanè difficile, quodque ingenij mei vires, quas exiguas esse ingenue fateor, longè excedere, & superare videtur.

A B C D

Vt autem cœlum ex septem compactum est orbibus apta cohæsione contiguis, inuicem sese complectentibus: ita in circulari capitis ambitu septem inuicem se circumuoluentia inuenire licet. Primum est, Dura mater. 2. Pia mater. 3. Os Caluariæ 4. Membrana ossi obducta 5. Panniculus carnosus. 6. Cutis. 7. Epidermis.

E

Septenario planetarum numero 7. neruorum ex cerebro oriētium paria respondent: Vtque cœlestia hæc inferiora lumine collustrant; ita humor crystalloides lucentes, & recipit, & dispergit radios: Vt corpus illud cœleste sedes est mentis æternæ, omniumque angelorum, & beatorum; ita cerebrum est domicilium in quo (veluti in arce, editiori loco exstructa Rex) residet, præsidetq; toti corpori diuinior animæ nostræ pars rationalis: Denique vt corporum cœlestium influxu, ac vi quadam occulta, ac salutari inferiora hæc oriuntur, gubernantur, sustentantur; ita spiritu per neruos, ceu vehicula huic vsui destinata, in omne corpus diffuso partes vegetiores redduntur, & aptæ obeundis, quibus natura ipsas præesse voluit, muneris functionibus.

F

Cap. I. De capitis quocunque dolore.

IN affectuum capitis explicatione cùm Rhasen veluti ducem sequamur, primùm obuium se præbet Capitis dolor, de cuius natura, differentiis signis, curatione, &c. acturis, operę pretium erit, Doloris essentiam aliquanto exactius examinare.

De Doloris genere.

ACriter de genere doloris inter se decertant Medici, an, s. ille morbis sit accensendus; an verò symptomatibus; Morbum esse Dolorem Petrus de Abbano & ratione probare nititur, & auctoritate. Ratio sicse habet: Dolor est passio permanens, ergo morbus: Huic concinit Galeni auctoritas, passim dolorem in morborum catalogum referentis. Quidam, vt expediret se istiusmodi tricis, talem commentus est distinctionem. Dolor cōsiderari potest dupliciter; formaliter, siue caussaliter, id est, quatenus à caussa aliqua dependet, & effectiuè: posteriori modo non est morbus effectu, enim huius est. priori modo est morbus; à morbo enim proficiscitur: Sed videtur iste principium petere, dumq; Charybdim euitare vult, in Scyllam incidit: æquè enim dubium, variisq; instantijs obnoxium est, quod asserit ille, Dolorem morbum veluti caussam agnoscere. Dolor enim cùm sit semper quippiam in fieri hincq; in sola generatione ejus consistat essentia, non potest à morbo tanquam à caussa oriri, hic enim genitum quid, & absque etiam caussa persistit: vnde passim dicebat Gal. cessante doloris caussa dolorem simul euanescere: ita dum continuum dissoluitur, dolor exoritur; soluto verò iam continuo, remittit. Quòd verò ipsis etiam morbis dolorem interdum assistere videamus, id fit propter humorem, vel acrem, vel multum, qui vel crodēdo, vel distendendo partes, nouum subinde dolorem producit.

Dolor verū morbus sit an symptoma.

Vt ergo respōderi possit Petro de Abbano, cui Conciliatoris nomen tributum est, notandum, du-

plici modo permanentē rem quāmpiam dici posse. Primò quà est essentia persistens per remotionem etiam caussæ efficientis;hac ratione morbus est passio permanens,quia est res,quę ablata caussa persistit. Secundo,quod consistit,sed quia caussam habet fouentem,&continuè producentem,quā ablata ampliùs non apparet : Ità dolor potest esse permanens,& diuturnus ratione caussæ fouentis,& excitantis;quà tamen ablata,abolętur simul ipse, ergo dolor non est morbus.

Definitio. Definitur à nonnullis, quod sit passio:Genus autem hoc cum remotius sit rectiùs sensisse asserimus Galenum dicendo : Dolorem esse operationē tactoriam prauam:& alibi,esse tristem sensum,siue tristitiam in sensu : Per sensum autem intelligit Gal.non ipsam potentiam sensificam ; sed ab hac prodeuntem actum,siue operationem.

Hic Argenterius,& qui eum sequuntur,insurgunt contra Galenum , negantque dolorem esse operationem. Primo.Distinguit Gal.dolorem à signis quæ ab operationibus depromuntur, ergo dolor non est operatio. 2. Negant esse prauam : Tunc enim praua sensorij dicitur operatio,cùm errare illud contingit in proprij obiecti apprehensione,v.g.si quæ simpla,paruaque sunt,dupla,maioraque visui repræsentantur,sed tactus percipiēdo dolorem non aberrat,sed illum,vt reuera est percipit:Ergo illa operatio non potest dici praua.

Respondeo ad primum . Duplex est operatio sensoriorū; vna primaria,principalis,propria,qua scilicet objecta sua percipiunt,& illa perceptione perficiuntur,& reficiuntur, altera est,qua percipiunt objecta quidem,& ipsa,sed quando insuper illis iniucunditatem adhærentem; propterea quod naturę modum,limitesve excedant,nec,qualiter oportebat,disposita sint Excellens enim sensibile corrumpit sensorium:Galenus ergo cùm de signis agat loco citato,ab actionibus desumptis, seu depromptis,non potuit ibi mentionem facere doloris,cùm per actiones intelligeret proprias principales,&c.

Secundum,quod adferunt,argumentum similiter locum habet in actione primaria.

De subiecto Doloris.

QVæritur; an dolor solius tactus organo imprimatur,& inhæreat tanquam proprio subiecto,an verò & reliquorum sensuū instrumētis?Galenus multis in locis omnibus sensibus dolorem attribuit; ita visum dolere videmus,si nimio feriatur radiorum solarium fulgore; aures obtundi nimio fragore, ac sonitu:sed solū tactū esse organū dolores percipiendi,& Gal.testimonio & veritate ipsa comprobatur.Quòd verò Gal. à reliquis etiam sensibus percipi affirmat,id nulla alia ratione facit, quam quatenus ille dolor à proprio ipsorum obiecto excitatur:Ita dolorem , quia visibili splendido nimis excitatur in oculis, visui attribuit ; qui tamen oculo non perciperetur,nisi tactoria illi inesset facultas.

Cùm autem dupliciter accipiatur tactus vocabulum (primo pro sensu externo) secundo pro sensu externo cum interno, idest è communi copulato , subiectum tactus non vnicum esse videtur:si priori modo tactum consideremus subiectum erit pars corporis viuentis neruosa , aut saltem neruea membrana vestita;si posteriori,cerebrum ipsum . Sufficiat hæc dixisse de genere & subiecto.

De proxima,& immediata caussa Doloris.

ACcedamus nunc ad caussam proximam,& immediatam:quæ varia à varijs statuitur.

Primo.Auerr.5.Collig.31. solam intemperiē doloris effectricem caussam agnoscit.Sed refutatur primo,quod absque vlla intemperie dolores excitentur à caussa contundente, incidente, &c. 2.Intemperies, qua talis,quid genitum est, seu permanens,& morbus,Dolor autem cùm in generatione eius constituta sit natura,& essentia,à caussa dependet similiter in fieri exsistente. 3. Ergo omnis intemperies dolorem produceret: at nec intemperies ęqualis,nec inæqualis paulatim agens,nec humida dolorem producit.

2. Auic.duas proponit caussas 2. p. doct. 2.c. 19 & alibi:Intemperiem scil.& vnitatis solutionem.Vbi imitari videtur Galenum idem docentem art.med.82.acut.1.lib.de inæq.intemp.c.3. 11.meth.ca.7.3.loc.aff.1.Sed sententia hæc non admittitur ob rationes supra adductas . Præterea,vnius rei vnica est caussa proxima; Quando verò dolor excitatur à qualitatibus primis, siue solis, siue mistis,is certe intemperiei non est ascribendus;sed solutioni vnitatis,quam caussant illæ fundendo,contrahendo,&c.

3.Nec multum,imo nihil differt ab Auic.Vallesij sententia lib.5.controu.c.5.Illud tamen miror, cur vir ille eximius caussam primo & rectè posuerit immediatam,continui solutionem , & postea addiderit, quandoque intemperiem cum ipsa vnitatis solutione caussam habere.

4. Professor Patauinus violentiam tangibilis obiecti, secutus scil.Plat.in Timęo Gal.de diff. sympt. tanquam propriam proximamq; Doloris caussam astruere est ausus.

Sed quæritur: An violentiam illam absolutè, & in abstracto intelligat , an verò in concreto , idest, quà in actu posita alterationem in tactus organo producit.Priori modo acceptam non esse caussam doloris nemo inficias ibit facile; Posteriori modo intellecta & si caussa sit doloris, est saltem remota soluendo enim vnitatem ipsius partis dolentis dolorem ingenerat, vt ita dolor proximè solutionem insequatur,non violentiam

Sed oppugnat assertionem hanc Auer.ita concludens.Dolor est ab obiecto:Solutio non est obiectum ergo. Respondetur:Solutio est obiectū tactus commune;quia motus, &c.

2. Auicen.Membrum dolens non est diuisū: Ergo.Solutio est duplex : Vna,quæ fit à caussis manifeste incidentibus, vt ferro,gladio, & contundentibus; Altera,quę fit à caussis internis,quę etsi soluant,quod continuum erat;tamen illa solutio non est sensibus obuia.Quā alteram potissimùm in doloris generatione locum habere dicebat.

Tandem ad contrarietatem , quam Galenica præ se ferre videntur scripta.In lib.enim.de fract.

fract. ex.34.2.comq.luc.cap.7.4.simpl.c.2.de inæqual.intéper.6.docet vnicbm esse doloris caussam, solutionem scilicet vnitatis 12.verò meth.c.7.duas proponit causas solutionem scilicet & in temperiem. Respondeo: Doloris nomine primo intelligenda venit quæcunq; molestia, etiã si nullius sit momenti, & exigua hinc de differentijs sympt.pruritus inter dolores numeratur; primo, de sympt.cas.6 de inæqual.intemp.6.fames, sitis; secunda Insignis molestia, & tristitia priori significatione acceptus dolor oritur absque continui solutione, & morbis etiam attribuitur; ita in febre totius corporis percipitur languor, & modestia ab intemperie corpus molestante; posteriore nequaquam.

Obiectio Verùm obijciet aliquis Solutio continuitatis est caussa doloris, ergo, non est morbus neque enim dolor à morbo proficiscitur, cùm sit quippiã in fieri. Sed Respondoe. Per solutionem continuitatis quandoque intelligere Galenum solutã vnitatem; quandoque energiam quandam, siue operationem agentis in partem corporis, eiusq; continuitatem soluentis. *Solutio.*

Definitio doloris.

Dolor est sensus tristis, siue tristitia insensu, vel operatio praua tactoria à continuitatis solutione.

Mediatę caussæ.

Mediatæ doloris caussę sunt obiecta violenter agentia, & distrahentia sensorium à suo naturali statu.

Quæstio I.

An dolor oriatur tantum, quando recedit pars à naturali suo statu; an vero etiam, quando ad eundem reuertitur? Galenus sibi ipsi videtur contrarius: Nam 1.de caus.symp.6. ait, Vbi corpus ad naturalem habitum redit, idque affatim, voluptas oboritur. Plato in Timæo. Quãdo & recessus, & reditus paulatim fit, neque dolor, neque delectatio sequitur; Sed 12. method. cap.7.iterum Platonem secutus in Philebo scribit, dolorem etiam fieri in reditu confertim facto ad naturalem statum: Exemplo declarat eorum qui per niues refrigerati repente calefiunt.

Francisc. Valleriol.3.Enarr. Medic. enarrat.2. multa facit hac de re verba; tandem tamen conciliationem horum locorum paucis complectitur In reditu ad naturalem statum confertim facto, aut qualitas pręter naturam resistit qualitati naturali, quę introduci debeat, aut non resistit: Si resistit, dolor exoritur; sed non ex reditu, quatenus est reditus; sed ex illa pugnantia, quam humorum excipit commotio, hinc solutio continuitatis: Qui impensè friget, si subito incalescat, frigus fugiens calidum per antiperistasin concentratur, bellumque indicit calori, & reluctatur: Vnde dolor; Si nulla aduersetur qualitati introducendę qualitas, delectatio sequitur.

Quæstio alia.

An humida intemperies dolorem excitare possit? Gal.1.de sympt.caus.6.2.de comp. loc.cap.1.negat per se posse; Libello de inæqual. intemp.c.5.contrarium asserit. Respondeo Gal. hic loqui de dolore generatim accepto pro quacunque molestia: Aut dicendum potius, humidam in temperiem per se, & solam nunquam efficere dolorem; posse tamen cum materia 1. de natur.hum.t.26.Ibi expresse; Quatuor qualitates doloris sunt effectrices caulæ; humida absque materiæ multitudine nunquam 1.de sympt.caus.6.Humida absque qualitatibus actiuis dolorem non facit. Hactenus de dolore in genere.

De dolore capitis in particulari.

Dolor capitis est tristis sensatio capitis, & partium eius ex continuitatis solutione. Nomine partium intelligimus cutem, musculos, pericranium, diploma, duplicaturam ossis, & meningas, venas, arterias, neruos. Excipimus dolores sensuum, de quibus separata erit tractatio. Capitis igitur nomine intelligenda veniunt, vel vna vel omnes, vel pleræque istarum partium: anteriores, posteriores: internæ, externæ: dextræ, sinistræ, vnde variæ differentiæ.

Caussæ.

Caussę in duplici sunt differentia: Externæ & Internæ. Externę aut sunt Mediatæ, aut Immediatę; Immediatę aut immateriales, aut cum materia. Immateriales, nimius calor capiti occurens ex igne, insolatu, laconico vel medicamento calido, acrique: frigus ex niue, glacie, Boreali flatu, frigido medicamento apposito; siccitas ex igne, inedia, vigilijs, nimio motu, inanitione, Venere, medicamentis exsiccantibus. Materiales; vapor ex largiore vini potu, potissimùm in ijs, qui inebriantur ex vino generoso, odor aromatum, siue ex suffitu, vel alia ratione fiat, odor assæ fœtidæ, myrrhæ, castorei, croci, moschi, ambræ: Item omnia fœtida, ex cloacis, odor venenorum, vt cinnabaris, &c. deinde omnia, quæ pungunt, erodunt, incidunt, grauant, contundũt, distendunt; suntque omnes istæ caussæ externæ immediatę: Mediatæ vero sunt illæ, quæ possunt huiusmodi qualitates primas producere, aut fouere, ipsosq; vapores, aut prauos odores generare.

Internarum aliæ sunt essentiales, aliæ per cõsensum. Essentiales vel Mediatæ sunt, vel Immediatę. Immediatæ; caliditas, frigidas, siccitas; sunt vapores, flatus, estque vnaquęque materia; bilis, pituita, melancholia, sanguis, & ichor, siue tumores comitentur, siue huiusmodi materiæ nõ faciant tumorem; Et huiusmodi materię habẽt pro caussis mediatis, aut intemperies capitis vitiosas tum naturales, tum ascititias, aut conformationem prauam, aut morbos in mala compositione, vt tumores, obstructiones, aut in solutione continui, vt ossium caries.

Cephaleæ caussæ.

Sed quia datur capitis dolor antiquus, & contumax, diuturnus, qui subinde reuertitur so-

A 2 mel

mel sedatus, qui propterea proprium nomen est A sortitus, & dicitur à Gale. 2. de comp. loc. cap. 2. Cephalæa, Arabibus Passio Galeata, seu Galea dicta, hinc caussę indagandæ huius doloris, quæ nõ videntur cum enumeratis eædem.

Sunt autem, vel Mediatę, vel Immediatæ: Immediatæ materia pituitosa, melancholica, mista ex vtraque, abscessus iam factus, inflammatio cõfirmata, lapis, vel vermis in cerebro: Istæ sũt caussæ immediatæ dolorum contumacium: Et quia de materia, vel pituitosa, vel melancholica, & de inflammatione indurata nemo dubitat, reliquũ B est, vt ostendam dolores fieri ex abscessu cerebri, ex lapide, & vermibus.

Fieri ex Abscessibus primũm docuit abundè Fernel. in tract. de Lue Vene. c. 5. Consimilem vidi ego in quadam muliere iuuene, quę post lotiones capitis laborantis tinea, sublata tinea, comprehensa doloribus mortua est.

Vermes etiam esse in caussa doloris capitis dixit Auicen. 1. 3. tr. 2. cap. 3. Sed non scribit se hoc vidisse; sed ex relatione Rhasis primo continent. 10. qui & ipse hoc se expertum profitetur. Trin- C cauel. lib. 9. cap. 11. scribit se in Nobili quodam Veneto antiquo capitis dolore laborante, naribus eiectum vermem cum pedibus muco, & cruore obsitum vidisse; quo reiecto omnem subito euanuisse dolorem. Holl. de morb. inter. in schol. ad c. 34. scribit consimiliter se vidisse mulierem eijcientem vermem ex naribus. Sic Anton. Beniuẽ. de admirandis. c. 100. Idem Holler. cap. 1. de intern. scribit factum esse vermem, vbi assignat caussam doloris.

De lapide in capite scribit Holler. in schol. ad D cap. 45. Nam profecto si in capite continetur ipsa materia viscida, & crassa, quæ etiam ad Renes & Vesicam decumbit, si calor viget in ea parte, quæ est ratio, cur non possit materia exsiccata in lapidem conuerti?

Erat sermo de caussis doloris antiqui, quem Cephaleam dicunt. Proposui immediatas, idcircò nunc succedunt mediatæ: Sunt autem hę, vel ab ipso statim ortu contractæ, vel a scititiæ: Dicemus primo, de naturalibus, deinde verò de aduentitijs E vel ascititijs.

Inter naturales est intemperies calidior, & humidior, vt quę (vt docet Gale. art. Med. cap. 19.) est in caussa, vt facillime caput ipsum repleatur, & dolorem ex multitudine experiatur. Intemperies etiam calida, & sicca doloribus est obnoxia, propter sensum exquisitum, nimiamque sensibilitatem. nam in calida & sicca intemperie sensus sunt adeò exquisiti, vt ex leuissima caussa etiam & minimâ doleant, ex Gal. lib. art. Med. c. 8 Magnitudo etiam, & paruitas capitis vitiosa etiã caussa est, cur sępius incidat, & sæpe reuertatur do F lor: Nam vt dicebat Hippocr. 4. de morb. magnũ caput facilè impletur; At ex Galen. 2. art. Med. cap. 11. paruum non facilè expurgatur. Magnam etiam partem habet ad dolores inferendos antiquos vitiosa capitis figura, potissimùm acuta, Hippocr. 1. in 6. Epid. text. 3. Caput acutum habentes sunt in eadem parte dolentes; Sunt tamẽ hac in parte ea obseruanda omnia, quorũ meminit Gal. in præfato com. vt scilicet acuties sit valde deformis, vt habeat ceruicem improportionatam, oblongam scilicet, & angustam; thoracem paruum, & angustum, compressum; palatum valdè concauum; dentes superiores inferioribus nõ bene coaptatos: in hac enim vitiosa figura sæpius repetunt dolores. Caput etiam sine suturis omniũ maximè doloribus est obnoxiũ. Caussa est, quod fuliginosa, & vaporosa excrementa non expurgentur. Robert. Constant. in aduersar. ad Celsum. Caput, ait, sine suturis ad morbos procliuius esse, quam cum suturis; Contrarium asserit Celsus lib. 8. cap. 1. Sed possunt auctores inter se conciliari, vt fecit Fallop. in comment. lib. Gal. de ossibus, & Columb. lib. 1. anat. cap. 5. Conciliatio est: Caput sine suturis firmius esse ratione externarum caussarum, quarum facilè iniurijs resistit; Ratione internarum esse debilius. Hæ sunt mediatæ naturales.

Aduentitiæ mediatæ sunt intemperies consimiliter calida & humida, calida & sicca; morbi instrumentales, tumores varij, & obstructiones, & compressiones partium cerebri, vel partium capitis, est quoque morbus ex soluta vnitate, qui omnium maximè locum habet in Cephalæa producenda, præcipue cranij; corruptio ossis quandoq; est externa, nonnunquam interna interdum in media ossis parte illa dipolomate dicta. Hactenus de caussis essentialibus (præter quas sunt per consensum) & non tantum locum habent in Cephalæa, sed etiam in Hemicraqia, imò Gal. *Hemicraniæ caus.* 2. comp. loc. 3. magna ex parte scribit fieri Hemicraniam per consensum; aliquando tamen per essentiam, expurgante se cerebro per venas & arterias. Sed in hac parte pulcherrimum occurrit quæsitum: Cur scilicet dolor, qui fit caussis es- *Quæsitũ* sentialibus magis in vna, quam in altera parte oriatur? Quando enim afficitur caput per sympathiam, idest, per consensum, non est difficile caussam nouisse: quandoquidem prout pars, à qua fit consensus, fuerit dextra, vel sinistra, dolor etiam magis hanc, vel illam occupabit capitis partem; sed vbi essentialis materia in capite reperitur, quæ est ratio, cur vnica semper pars patiatur, non quandoque vna, quandoque alia? Si contingat vnam ex istis partem factam esse imbecilliorem caussa est in promptu, sed nulla præcessit imbecillitatis caussa. Puto, plerunque hoc fieri expurgante seipsum cerebro per consueta e- *Solutio.* munctoria per vnam tantùm capitis partem, per aliam minimè, ità vt illa pars, quæ excrementa educit, ab hemicrania fit immunis; altera vero dolorem sentiat: Ita mulierem vidi, quæ continua dextri lateris hemicrania diu, & acerbissimè affligebatur, tandem defunctę cranio detecto, inuentum fuit cerebrum in sinistro latere corruptum, ichore, & sanie refertum; qua tamen in parte nullum ipsa deprehenderat doloris sensum.

Caussa-

Caussa per consensum dictorum affectum.

A Sed ad rẽ redeuntes caussæ per consensum sũt aut humores, aut vapores, aut flatus, & isti aut benigni, aut maligni, & venenati; Humores autem sunt vniuscuiusq; speciei. Mittuntur autem humores, siue vapores, ex ore ventriculi, ex fundo, membranis omnibus, ex mesaraicis venis, ex intestinis, liene, iecore, vtero, renibus, & vesica, vel his omnibus; quandoq; ab ipsa cute non amplius ex purgante humorem, qui ante eo detrudi consueuerat, siue fuerit in cute vlcus, siue scabies aut lepra, aut alius effectus cutaneus, seu externus. Mittunt autem hæ partes humores, vapores ve in caput vel retentis consuetis euacuationibus vel supra modum auctis ob morbum aliquem, intemperiem: Instrumentarium, & communem.

Ex iam dictis colligitur fieri dolores mistos ex essentiali caussa, & secũdaria, siue per consensũ.

Obiectio.

Reliquum est vt dubiũ quoddam soluamus, quod posset vos torquere. Dictum est, dolores fieri ex variis morbis, ex intemperie, tumoribus, & ex carie, ex Lumbricis, & Calculo: At vero hi omnes sunt morbi, & tamen ab initio diximus doloris caussam nunquam esse morbum.

Responsio.

Quod pertinet ad intemperiem, cum scribit Galenus, intemperiem esse caussam doloris semper nos docet esse intemperiem inæqualem: Et propterea ait libr. de ineq. temp. Inęqualis intemperies semper fit, semper augetur, itaque dolor non oritur ab intemperie, vt iam facta, sed ex ea, quæ adhuc fit, & augetur; Quatenus autem fit, non est morbus.

Quod pertinet ad Tumores, in tumoribus potest dupliciter considerari materia: vel vt iam quiescit, vel vt iam adhuc mouetur, siue moueatur motu locali, siue motu alterationis. Dolor non fit ex Tumoribus, quatenus habent materiã quiescentem, sed quatenus habent illam cũ motu ex Galeno & Hipp Galenus 2 acut. 1. dum proponit caussam doloris in pleuritide, dicit caussas doloris esse duas: aut redundantiam, propter quã oportet vniuersum corpus euacuare, quasi dicat, ne fiat noua confluxio: Alia caussa est generatio spiritus flatuosi in flammatione, qui spiritus partem extendit. Hipp. etiam 2. aph. 47. dum scribit in generatione puris dolores fieri, facto autẽ pure eos quiescere, quid aliud docuit, quam dolores fieri ex motu materiæ, non ex materia replente, quatenus repleuit, sed ex eadem, quatenus mouetur. Idem dico de soluta vnitate ex Gale. 1. de sympt. caus. 6. qui dicit ex soluta vnitate dolores nõ fieri, nisi ex accidẽti, quatenus cõfluit humor.

Sed de Lapide, & Vermibus est pulchra cõsideratio. Gale. lib. de diff. morb. 8. inter morbos reponit Vermes, & Lapidem. Itaq; si dolor fit ex Vermibus, & Lapide. Ergo dolor erit ex morbo.

Ego tamen inueni solutionem quam considerate: Lapis iste, & aliud quid vis tale potest actionem impedire aut cum motu, & transmutatione, aut per simplicem emanationem: Est distinctio Logica: Omnia accidentia ita se habent; Hac stante distinctione, dico: Si lapis, vel aliud tale actionem vitietcum motu, & transmutatione, vere morbus dici non potest, sed Caussa: quia id, quod est in motu, quatenus tale, non habet essentiam, sed generationem: Propterea etiam caussa, à qua producitur, non habet essentiam, sed motum. Itaque si v.g. calculus extendit vasa vrinaria, aut erodit, lędit actionem, sed cum motu, vocatur tunc caussa: si obstruat meatum vrinariũ, huiusmodi impedimentum non fit per motum, vel ransmutationem, sed per simplicem emanationem: quia cum primum calculus impedit vias vrinę, statim etiam vrina supprimitur. In hoc sensu Gale. docet quidem esse morbum, non quatenus dolorem infert.

Differentiæ.

Ex dictis patent differentię doloris. A forma: Alius est intensior, alius remissior. A subiecto; Alius est externus, alius internus: Internus, qui affligit partes vel omnes, vel plerasque obsidet, vel alterutram tantum idest vel dextram, vel sinistram, qui speciale nomen sortitus hæmicrania vocatur.

A caussis; Nam alius à caussis, quæ facile remoueri possunt, ortum trahit, estque curata facilis, alius chronicus vel diuturnus, qui Cephalęa dicitur; isque vicissim aut omnino non admittit curationem, quando scilicet producitur ab ipso statim ortu contractus, aut difficulter. Deinde alius est essentialis, alius per consensum, alius partim essentialis, partim per sympathiam. Tertio calidum hunc nuncupamus; illum frigidum; siccum hunc, humidum istum, respectu scilicet caussarum effectricium: Sic alius est acris, erodens, mordens, punctorius, à bile. s. sanguine feruidiore, pituita salsa, vapore acri, bilioso, qualitate maligna &c, alius grauans, distendens a vapore flatu lento, à copia humorum vel omnium, vel alicuius tantum, alius pulsatilis à spiritu, & sanguine tenuiore arteriarum, vel quantitate, vel qualitate naturæ limites excedente.

Signa.

Versabor hodie (Auditores) in proponendis signis diagnosticis, distinctiuis, ac prognosticis dolorum capitis, quæ accipiam partim ex Gal 2. de cõp. l. 1. 2. 3. partim 3. loc. aff. 9. partim 1. ad Glau. 15. Auicen. quæ Gal. sparsim tradiderat, omnia in vnum collegit prima 3. tr. 2. c. 7. Et quia vt Gale. docet 2 de comp. loc. c. 1. Locorum distinctio est valde difficilis, à signis loci affecti distinctiuis exordiemur: deinde ad signa caussarum transibimus, mox loquemur de prognosticis. Et quia Locus affectus vel est internus vel externus externum locum affectum esse cognoscemus, si capilli agitati doleant, si cutis pressa digitis dolorem excitet situ mor in hac appareat: Quanquam si pericranium doleat, quod non est inter partes internas dolor non est vsq; adeo superficialis; fortiore tamen compressione facile deprehenditur, & dolor pericranei ad oculum pertingit ratione coniunctiuæ, quæ à pericranio producitur.

Si dolor fuerit internus, erit magis profundus & vt Gal. ait, pertinget ad oculorum radices. Proprie scribit Gal. ad radices, quasi dicat ad rhagoidem tunicam, ad corneam, ad araneam, ad neruũ

opticum, quæ omnia ex internis partibus producuntur, ad differentiam coniunctiuæ, quæ à pericranio producitur. Verùm quia dolorum internorum alii sunt per consensum, alii essentiales: & in illis, qui sunt per consensum, secundum Galenum non adhibeantur remedia capiti, idcirco nostrum erit distinguere essentiales dolores à secūdariis, seu iis, qui sunt per consensum.

Signa doloris per cōsensum. Qui igitur per consensum fiunt, habent interualla non solummodo horarum, sed dierum, & mensium, in quibus non modo caput dolore vacat, sed etiam ab omni alia labe: sublato enim dolore, nihil superest mali. Accedit quod in doloribus per consensum, semper adsunt signa, & partis & caussæ consentientis.

Nam si fuerit ventriculus, aderit nausea, sitis, inappetentia, singultus, vitiata concoctio, frequēs eructatio, vomitio: quanquam vomitus, vt Auicenna; loc. cit. ostendit, fieri etiam possit à dolore caput essentialiter afficiente; membranis enim cerebri affectis, os ventriculi facilè in consensum trahitur; vnde & vomitus, & alia id genus symptomata succedunt.

Distinguetis hæc symptomata fieri primario ex ventriculo ab illis, quæ fiunt ex capite, quia vbi affectio primaria est in ventriculo, nausea, & vomitio, & alia iam dicta præcedent ipsam cæphalalgiam: vbi affectio est essentialis in capite, dolor capitis præcedit vomitum, nauseam, & cetera ad ventriculum spectantia: Si dolor per cōsensum fiat à cruditate ventriculi, exacerbatur post cibum: Si ex affluxu bilis in ventriculum, post inediam exacerbatur, & recrudescit.

Quando consensus fit ex Iecore, dextra potissimum pars infestatur. Si ex Liene, sinistra. Si ex Renibus, dolet occiput.

Si ex vtero, Hipp. 1. in 6. Epid. 2. scribit, dolere sinciput, nihilominus tamen experientia comprobauit, in mulieribus ex vtero laborantibus varios esse capitis locos dolentes, prout affectio vteri fuerit vel anterior vel posterior.

Si fiat dolor ex vniuerso corpore, vt in febribus contingit, augetur, & diminuitur dolor pro incremento, & decremento febris. Quod si fiat ex suppressis excretionibus, aut antiquis morbis cutaneis absque caussa sublatis, id ex relatione facilè potestis comparare. Hæc de caussis per consensū.

per essentiam. Quod si dolor est essentialis, aut est continuus aut saltem dum intermittit, ex leui quacunque caussa reuertitur, neque hoc tantum symptoma caput affligit, sed alia plurima: Nam aliquando tinnitus aurium, aut surditas adest, aut vitium in olfactu, vel in visualis ve sensuum organis, aut aliis deinque in actionibus ad motum, vel ad principes facultates spectantibus concurrit.

Oportet etiam distinguere singulares locos, quamuis hęc distinctio non multum iuuet curationem; Nam si neruus afficiatur, dolor aderit conuulsorius, vel stupor, vel torpor, aut sublata actio ipsius partis, quæ sensum ex illo neruo suscipit, & motum; Si dolor in membranis, est punctorius, & extensiuus, si in carne, grauatiuus; si in venis & arteriis, videtur quasi cingulum totum caput circundans, & fluctuat hic dolor, mouturque velut vnda, modo accedens, modo recedens. Hæc de loco.

Quod ad caussas spectat, si fuerint extrinsecæ, ex ægri relatione innotescere possunt: Illos interrogabitis vtrum ex insolatu, & ex aere frigido an ex ebrietate, ex odore allij, an alijs odoribus, aut caussis in dolorem inciderint, præterquam quod si Calor fuerit doloris caussa, cutem etiam calidam relinquit, cum rubore, maxime circa oculos, frigus pariter frigiditatem relinquit.

A vapore. Vapores autem, siue odores, siue grati, siue abominabiles & fætidi, extēsionem potius quandam pariunt, & ideo dolor extensiuus absque grauitate, signum est doloris facti vel ex vapore, vel ex flatu, pręcipue autem si dolor sit mobilis, facile accedat, & recedat, &c.

Sanguine. Si materia fuerit corpulentia, omnis quidē grauitatis sensum infert; hæc tamē magis, illa minus pro copia, & qualitate. Nam sanguinea materia grauitatem facit, & dolorem grauatiuum cū rubore, calore, extensione venarū, cum propensione ad somnum: Somnia autem plena sunt spectris, ac imaginibus, & quæ versantur circa sanguinē. quę excernuntur è naribus cruenta sunt, & his omnibus consentit temperamentum, vitæ ratio, suppressę sanguinis euacuationes, quæ hanc ipsam caussam ostendunt.

Bile. Si bilis doloris caus. existit erit mordicatiuus cū calore acri, colore citrino vigiliis, deliriis, propensione ad iram, cū pruritu narium, inappetentia, oris amaritudine, accedente, ēt ætate iuuenili vitę ratione tēperamento bilioso, anni tempore.

Pituita. Dolorē à pituitā ostendit insignis grauitas capitis, color pallidus, somni profundi, purgatio per nares copiosa partim aquæ, partim muci crassioris, frequēs sputio, sensuum omnium hebetudo, segnities, quibus ad proportionem respondebit ætas, temperamentū, vitæ ratio, anni tempus. &c.

Melancholia. Deniq; melācholiam cognoscimus ex dolore grauatiuo cū colore faciei liuido, plumbeo, sine somno, cū tinnitu, auriū imaginationibus melancholicis, fitq; hic dolor plerunq; aut post sublatū sine caussa cancrū, aut leprā, aut scabiem fędam, vel lichenes, vel hæmorrhoides suppressas, aliaue vlcera, & cauteria istum humorem expurgātia.

Absoluā tractatū de signis inceptū, ad indicationes deinde me conuertā, deniq; ad curationē.

Ex caussis autē immediatis duæ adhuc supersūt, quatū signa sunt inquirēda, Vermis & Lapis.

Vermibus. Vermium quidem signa accuratè proponuntur ab Anton. Beniuen. de adm. c. 100. Sunt autē vertigo, delirium, vigiliæ, pruritus nasi, quandoq; conuulsio, atque extremorum refrigeratio.

Lapide. Lapidis signa valde obscura sunt. sic tamen poterunt cōprehendi; Si dolor sit fixus, non acutus sine febre, cum capitis grauitate, cum sopore, imò verò cum detentione principum facultatū, quæ earum æmulatur, seu coma soporiferum.

Mediatas caussas quādoq; fuerint sensibus cōspicuę, non est opus signis distinguere: Talis aūt est capitis magnitudo, paruitas, vitiosa figura. Defectum futurarū poteritis cognoscere ex defectu sordium, ex capillis paucis, breuibus, tenuibus, raris, & mollibus. Dicebat. n. Gal. 9. de vs. par. c. 1. futuras

suturas ideo fuisse constructas, vt crasso, & fuligi nosò excremento viam præberent; Vbi autem desunt suturæ, non expurgatur hoc excrementum, quod alioqui est pili materia, &c.

Signa intemperaturarũ cerebri siue sint naturales, siue præter naturam, nunc non proponemus, quia partim colliguntur ex iis, quæ de materia aut calida aut frigida dicta sũt, partim vobis et comparari poterunt ab Excellentissimis Theoricis ordinariis, qui hoc anno legunt artẽ Medicã.

Neq; hoc in loco proponemus signa Tumorũ: Nam suo loco erit sermo de phrenitide, de Comate, & Lethargo, tunc autem proponentur signa tumorum.

Caries ossis. Quod pertinet ad Cariẽ ossis, ea primo cognoscitur, si præcesserit contusio perperam curata, in qua scil. cutis non fuerit incisa, sed sanies in loco contuso fuerit relicta: Item si præcesserit, & adsit Lues Venerea antiqua, si in parte aliqua dolor, adsit cum tumore molli, cum colore partis liuido, si sub digitis inæqualitas, vel asperitas appareat, certius erit corruptionis ossis argumentum.

Prognostica.

VEnio ad prognostica, quæ aut significant futurũ dolorem, aut longitudinem, & breuitatem, aut mortem, seu insigne periculum, aut salutem; & facilem exitum: Ex significantibus futurum dolorem primum quidem est temporis constitutio. Dicebat Hip. 3. aph. 13. In æstate admodũ feruida, autũno aũt pluuioso, hyeme dolores capitis exspectandos. Idẽ. 4. aph. 7. de vrinis subiugalib. inquit; Quibus vrinæ, quales iumẽtorũ &c.

Quod ad Longitudinem & Breuitatẽ spectat, certum est omnes dolores, qui ex humoribus frigidis nascuntur, ex inflammationibus induratis, ex abscessibus, ex lapide, ex carie ossis, naturalibus capitis affectionibus, ex confirmatis; deniq; partium intemperantiis sanatu difficiles, ac contumaces esse; Cęteros autem breuiores, &c.

Quod pertinet ad periculum, tametsi Gal. 2. de comp. per. loc. c. 1. scripserit ex dolore capitis neminem vnquam interiisse, hæc tamẽ sententia sano modo est intelligenda, de doloribus scil. simplicibus, nulli prauo symptomati, nulli periculoso morbo commistis: Nã vbi dolor ex aliqua graui affectione cerebri, & praua ortum duxerit, praua alia symptomata, vel mortem quoq; minatur. Propterea Gal. 3. progn. 13. illos scribit auris dolores periculosos esse, qui ex cerebro, & neruo auditorio ortum ducunt; Isti enim interficiunt. Et propterea memini, me aliquando vidisse Reuerẽdum P. Grucigerorum, cui post vehementem capitis dolorem momento temporis ambo oculi ex orbita exiere, qui paulo post interfectus est. Aliũ quoque vidi puerum, cui post contusionem ex lapide factam, neque curatam, dolor successit 6. mẽsium cum febre continua, qui tandem illum exstinxit. Casus fuit rarissimus in cœnobio S. Iustinę monachi cuiusdam, qui annos plus, quam 12. dolore intolerabili vexatus tandem in paralysin, & coma incidens, pariter exstinctus est. Idcirco dicebat Hipp. 6. aph. 15. eos, qui sani sunt, si repente

Hist. dolorũ capitis lethalium.

A in capitis dolorem incidant, & muti fiant, ante septimam interire, nisi febris superueniat. Itaque cum ij omnes sint dolores perniciosi, contra salutares sunt illi, qui crisin futuram significant, atq; ideo tanquam vtiles & salutares nullis auxiliis sunt tractandi: Alioquin si curentur, futura ipsa crisis impeditur, &c.

Quæstionis explicatio.

QVòd si quæratis: Quanam ratione dolor hic criticus à symptomatico distinguatur? Modum distinguendi potestis colligere ex Galeno 1. ad Glauc. 15. primum quidem, si dolor debeat esse Criticus, oportet, vt fiat ĩ morbo sua natura calido, magno, & velocis motus: Crises enim non fiũt in morbis frigidis, neq; paruis, aut tardi motus. Secundo oportet, vt hic morbus habeat signa benignitatis, & salutis: Malignus enim morbus, & qui ad perniciem tendit, non potest habere dolorem capitis Criticum. Tertia conditio, vt fiat cũ signis concoctionis. Quarta, & vltima vt vel appareat, vel exacerbetur in die critico. Sic dicebat Hipp. 3. illo progn. 31. dolorem capitis prima die apparentem in quarta augeri, in septima solui: Quod si appareat in tertia die, in septima augetur, in nona fit solutio: si appareat in quinta die, erit signum crisis futuræ in quarta.

Alia Quæstio.

VTrum autẽ Crisis sit futura per fluxũ sanguinis narium, an per vomitum, abundè docuit Hip. 3. progn. 32. 33. & Gal. 1. ad Glauc. 15.

Signum quoque crisis bonæ est excretio aliqua facta ex capitis partibus cũ iuuamento. Propterea scribit Hipp. 6. aph. 10. Caput dolenti aut circum dolenti, si sanies, &c.

Indicationes.

TRanseo modo ad Indicationes: Quæ partim sumuntur ab ipso dolore, partim a caussis A Dolore quidem. Nam cum tristis sit sensatio, requirit auxilia, quæ tristitiam auferant: Nõ potest auferri tristitia permanente obiecto tristi, ac sensorio sentiendi facultate prędito. Idcirco necessariũ est vti medicamẽtis sensum stupefacientibus. Et hæc sunt propria doloris, vt est tristis sensatio: A caussa vero multiplex desumitur indicatio: Vna quidem à caussa proxima, quæ est solutio continuitatis, & hæc requirit medicamenta anodnya, quę cum sint humida, & ẽplastica, crassioris substantię, implent poros, & meatus, adæquãt omnes humores, vt propterea motum illum violentum, qui solutio continui dicitur, impediant. A caussis verò remotis variæ sumuntur indicationes. Nam si materia fuerit vaporosa, vel flatulẽta, hanc prout est iam in capite, oportet digerere, si fluat, illã oportet reprimere, & reuellere: Si generetur in capite, oportet occurrere caussis generantibus, euacuando scilicet mineram flatus, & vaporis, & corrigendo intẽperiem, à qua flatus generatur. Quòd si fuerit humor, & peccet multitudine, est euacuandus: si mordacitate, & acrimonia, contemperãdus, si motu pariter repellendus, & reuellendus. Morbi autem, à quibus huiusmodi caussæ generantur & augentur, similiter habent proprias suas indicationes, de quibus suo loco.

Curatio doloris capitis à caussis externis. A

PAucis perstringam dolorem capitis à caussis externis excitatum, plura dicturus de curatione eiusdē in caussis internis versante. Et quia ex caussis externis tres sunt præcipuæ. Calor, frigiditas, & ebrietas, de his tantum tria verba faciā. Quia verò cum dicimus, curandam esse caussam externam, intelligimus intemperiem in externis capitis partibus inductam absq; vlla materia, idcirco solis alterantibus curatur.

B Calor, seu calida intemperies quidem aut perfusione olei rosacei misti cum aceto, aut lotione capitis ex aqua frigida, præcipue æstiuo tempore, aut succo portulacæ, vel polygoni, vel rosarum, mistis cum aq. rosac. & pro penetratione cum aliqua portione succi aut limonum, aut citrangulorum, vel aceti. Pars tamen capitis posterior minus est refrigeranda duplicem ob caussam à Galeno allatam, 2. de compos. per loc. c. 1. quia scil. hæc pars tanquam durior minùs patitur exustionem à caussa calida, quàm faciat anterior: Secundo quia cum sit principium neruorum spinalis medullæ, ea nimium refrigerata, stuporis, & paralysis imminet periculum. C

Quod si dolor fiat à Refrigeratione, curabitur oleo rutaceo, lilior. albor. chamomel. aut fomentis factis ex decocto saluiæ, maioranę, flœchados rutę, chamom. aut emplastro adhibito ex farina fœnugræci, seminum lini, excepta prædictis oleis aut decoctis.

Si fuerit sicca intemperies, humectantia conuenient, oleum viol. mucilago semin. malu. vel althea oleo commista, lac ipsum, ius castrati. D

Quod si fuerit dolor ex ebrietate, curatio à Vomitu auspicanda est: Si vomitus non succedat, Purgatione vtendum, aut Clystere acri: reuellendi etiam sunt vapores non tantum frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, verum etiam in maxima corporis plenitudine secta vena.

Repellendi sunt vapores ab initio oleis, & succis frigidis, de quibus supra.

Post initium roborandus ventriculus, reprimēdi vapores à ventriculo ad caput ascendentes, & discutiendi, qui capite continentur. E

Ad roborandum ventriculū faciet potio ex absynthio, coma absynthij infusa in aqua, vt saccharo rosac. cum speciebus triumsantal. Post cibum conueniunt fructus adstrictorij, vt pyra, citonia, mespila, & in ipsomet cibo brassica, & lens: Sit tamen cibus tenuis, abstineant a vino: Dent corpus quieti, & somno: & post hæc si dolor adhuc permanserit, discussorijs vtantur, leui capitis frictione, pectione, lotione ex decocto hederæ, chamomeli sisimbrio, aliorumq; id genus.

Curatio doloris capitis à caussis internis. F

SEd iam veniamus ad caussas internas. Quæ cum sint & per essentiam, & per consensum, expediemus primo illas, quæ sunt per consensū: In his tractandis opus est reuulsione, deriuatione euacuatione, ac medicamētis corrigentibus vitia partis mittentis, atq; etiā ipsius capitis suscipientis.

Ad reuulsionem, vt antea dixi, faciunt Clysteres, qui si fuerint acres, in doloribus per consensum à Vētriculo, & Iecore factis summopere prosunt. Scribit enim Gal. 2. de comp. per loc. c. 1. acres Clysteres non modo ab intestinis, sed & a mensēterio, & sima iecoris parte trahere. Ceteræ etiam reuulsiones, siue sint frictiones, siue balnea aquę calidæ pedibus adhibita, aut cucurbitulæ, aut scarificationes, vt Gal. lib. de scarificatione, moderatos, dolores sanasse: Hæc omnia prosunt. Non postulat hic locus curationem omnium affectuum, qui male habent suas partes affectas.

Hoc tantum moneo in doloribus, qui sunt per consensum à ventriculo crassis humoribus referto cōuenire inediam, & frequentes quasdam euacuationes, quæ fiant per pilulas stomachicas vocatas, siue sint mastichinę, siue alephanginę vocatæ, siue de hiera cum agarico, quarum pilul. dr. j. exhiberi possunt hora vna ante cœnam.

Vbi autem dolor, qui fit ex Ventriculo, ortum ducat ex humoribus biliosis, inedia non conuenit Propterea iure Gale. in Archigenem inuehitur, qui in discriminatim in doloribus capitis per cōsensum à ventriculo inediam imperabat. In his tamen casibus ego felicissime vti soleo cassia admista cum pulpa thamarind. hora j. post cœnam, & præbeo semi vnciam cassiæ, & drachmam vnam. vel duas pulp. thamarin. Est materia auxilij, qua ego felicissimè in his casibus vtor.

Interim reprimendi sunt Vapores, aut refrigerantibus iam propositis, si materia sit calida, aut mistis cū calido aliquo medicamēto, vt hedera, & sisimbrio, aut chamemelo, præcipue verò in corporibus mollioribus, vt puerorum, mulierum, eunuchorum, quorum corpora nunquam impense sunt refrigeranda.

Si autem materia per essentiam peccauerit, primum considerare oportet. Vtrum fuerit sanguis, an alia materia à sanguine diuersa.

Nam si fuerit sanguis, ante omnia secanda est vena, neque in plethoricis semel tantum, sed bis ex vtroque cubito. Quantitas vero respondeat ætati, temperamento & cæteris conditionibus. Et si plethora ex suppressis mensibus, aut hęmorrhoidibus ortum duxerit, aperiantur hæmorrhoides, secentur venæ inferiores admoueātur imbecilliribus cucurbitulæ scarificatæ: Et factis euacuationibus, ac reuulsionibus sanguis etiā ex aliqua capitis parte euacuetur, aut apertis venis narium setis equinis, aut scalpello, non tamen hirudinibus. Mitti etiam potest sanguis secta frontis vena, præcipuè si posterior doleat pars: sic scribit Hippocrat. 5. aphorism. 68. Dolente parte capitis posteriore, in fronte secta vena, &c.

Si anterior pars doleat, nihil melius cucurbita magna scarificata occipiti adhibita.

Dolentibus secundum dextram, vel sinistram partem cōferunt hirudines appositę gratia reuulsionis venis temporum partis oppositæ: Sed aliquando etiam vtiliter adhibentur parti dolenti.

Cùm dolor fit ex sanguine in arterijs contento nihil melius est sectione arteriarum; Quando tamen repletæ sint arteriæ externæ: Nam si fuerint internę, sectio nihil prodest, vt Gal. ait. 3. de loc. aff. cap. 8.

aff.ca.8.Ceterum hæc operatio cùm duobus modi fiat,auctore Gal. 13.meth.vlt.aut quia ipsa arteria secetur tota per transuersũ,quando scil.fuerit maior, aut quando frustulum ipsius arteriæ integrum abscindatur: Vtraque operatio potest iouare;sed nostris temporibus non administratur.Idcirco ad alia confugiemus auxilia, de quibus suis locis, &c. A

Quod si materia fuerit pituitosa absque sanguinis mistione nulla sanguinis missio conuenit neque Rhases huius meminit, neque Gal. Sed quia potest quidem cum materia frigida ratione doloris attrahi etiam sanguis:propterea si corpus vobis videatur plethoricorum, etiamsi plethora sit spuria,aut secetis venam,aut cucurbitulam adhibeatis: In principio quidem partibus infernis, perseuerante dolore etiam scapulis, & occipiti: Materiam verò pituitosam purgabitis,quãdo dolor vrgeat,pilulis cochijs à Rase descriptis. Dosis erit à drachm.j. ad drach.ij habita ratione roboris virium, & annexorum,&c. B

Neque vos perturbet quorundam opinio Recentiorum,qui præparantia.& lenientia purgantibus anteponunt. Nam tametsi in febribus,& in dolore non admodum intenso, Ego quoque hoc consulã;nihilominus in materia hac frigida quã supponimus esse sine febre, & dolor vrgeat,non est opus præparatione. Et sanè si Gale.2.de comp. loc.cap.1.in materia biliosa vtitur statim pilulis purgantibus ex aloë,& scammonio, cùm tamen biliosus humor lenientibus cedat multo facilius quàm frigidus,licebit etiam in frigida materia statim ab initio vti pilulis purgantibus. C

Si tamen dolor det inducias vtamini hoc leniente: D

Recipe *Mell.ros.sol.vnc.iij.*
Mann.elect.vnc.ij.
Aq.beton.q.s.M.& f.pot.

Si voluerint bolum.

Recipe *Elect.lenit.vnc.i.*
Mann.elect.drach.iij.
Spec.hier.drach.ij.
M.& sine facc.& bol.

Deinde sic præparabitis humores.

Recipe *Oxymel.simp.*
Syrup.de beton.an.drach. vi.
Decoct.beton.
Stæchad.
Maioran.vnc.iij. M.p.syr.

Deinde purgabitis pilulis cochijs, vt dictum est, si biliosus succus dolorem inferat absq; febre,atq; admodum vrgeat, statim poterit his pilulis purgari. E

Recipe *pilul.aur.drach.i.*
de trib.cum rhabarb.drach.sem.
Cum aqu.endiu f.pilulæ V deaureat. F

Si dolor nõ vrgeat,satius erit vti primum Leniente, ac Præparantibus,mox Purgatione

Leniens in bolo sit tale:

Recipe *Flor.cass.nou.extr.drach.x.*
pulp.thamarin.drach.iij.
M.& cum facc.f.boli.

In potione

Recipe *syr.ros.sol.vnc iij.*
Decoct.Endiu.
Cichor.
cum drach.ij.pulp.thamar.q.s.
M.& fiat pot.

Prior accipiatur secunda hora ante cibum,& secunda quator horis.

Præparatio sic fiet:

Recipe *Syrup.viol.simpl.*
de cichor.simp. an drach.vij.

(Et si materia fluat ex iecore,poteritis etiam imponere syrup. de granat. semi vnc. aut de ribes aut de agresta.)

Decoct.endiu.cichor.
sonch.vnc.ij.
M.pro syrup.

Purgatio fiet, vt dixi,per pilulas iam propositas. In materia melacholica quando ipsa quoq; vrgeat,statim ab initio præbebitis

pil.cochiar.cum elleb.drach.i.
pil.de fum.terr.drach. sem.

Vbi det inducias,Leniatur aluus hunc in modum.

Recipe *Syr.de polypo.vnc.vi.*
Decoct. cord q.s.
M.& f.pot.

Si voluerint bolum.

Recipe *Elec.lenit.drach.x.*
spec.hier drach.ij.
M.& cum zucc.f.bol.

Præparentur humores hoc syrupo.

Recipe *Syrup.de pom.simp.*
de fumo ter.simp.
de succ.borrag.an.vnc.sem.
Decoct.fumar.
borrag.
bugloss.
meliss.
Cortic.citr.vnc.iij.
M.pro syrup.

Purgatio fiet per pilul.iam propositas.

Facta vniuersali corporis purgatione Caput quoque sigillatim est expurgãdum:Et quia Euacuatio potest fieri aut medicamentis,aut auxilijs chirurgicis;Quod pertinet ad medicamenta,dicebat Gal. 5.(8.)simp.5.quod etiã repetit.13.meth. cap.8.& 9.omne quod est impletũ, euacuatur aut frigidis,vt quæ repellunt humorem ad alias partes,aut calidis,quæ eundem discutiunt,aut siccis, quæ ipsum absumunt;& hæc in capite locum habent,& propterea tametsi materia per essentiam peccet in capite,cùm tamen possit subministrari a partibus infernis,idcirco frigidis vtendũ,vt repellatur ad inferiores partes. Hęc vero frigida & repellentia nõ sunt administranda,vbi caput valde fuerit repletum,neq;vbi fauces, aut thoracis parte fuerint debiles; Nam præceps descenderet materia in hæc loca,& anginam, aut pleuritidẽ, vel alium similem affectum excitaret;Ideo præmittẽda est proposita vniuersi corporis purgatio, & euacuatio,deinde vero seruatis legibus propositis, Reprimentia adhibeantur; quæ cũ possint esse aut succi,aut decocta,aquę, vel olea, monet Auicen-

Auicenna prima 3.tr.2.c.10.ne in dolore capitis A cum destillatione olea capiti admoueantur: nam destillationem augent.

Illud etiam animaduertendũ, nõ debere hæc medicamenta repellentia sincere administrari, neq; actu frigida, quia etiamsi foueatur materia à partibus infernis, abundat tamẽ etiam in capitẽ. Itaq; tepida sunt administranda, & quibusdam discussorijs admista, E.g. si vtamini decocto, poteritis accipere chamomelum, plantaginẽ, rosas, si succis, accipietis aut succum rosarum mistum cum succo aut hederæ, aut pulegij: si aquis, B

Recipe aqu. plantag aneth. chamomeli.

Post reprimentia conueniunt ea, quæ tanquã calida vim habẽt digerendi: Hæc verò sunt in duplici differentia: Quædam sunt calida, & humida: Quædam calida, & sicca, acria, & tenium partium, quæ in profundas partes corporis penetrãt, & propterea μετασυγκριτικά, idest, ex alto trahẽtia vocantur: Primum genus medicamentorum in omni materia siue calida siue frigida, nemine dissentiente administrantur, dummodo materia sit fluxa, non autem amplius confluat. C

Præceptum est commune dicebat Galen. 2. ad Glauc. 2 & 2. de comp. loc. 1.2. & 13. meth. c. 8. & 9. materiàm etiam calidam inflammationis, vbi iam est fluxa, calidis, & digerentibus esse tractãdam: Propter hãc caussam Gal. in materia etiam calida vtitur discussoriis: decocto chamomel. sisymbr. pulegii, vt potestis legere & primo ad Glauc. 15. & secundo de comp. loc. 1.1. & 3. cap.

Sed de medicamentis acribus alia videtur ratio; Nam Gal. in illo secundo de comp. loc. c. 1.2. & 3. verba faciens de medicamentis istis meta- D syncriticis ex alto trahentibus, inquit, fuisse antiquorum institutum indifferenter illis vti, se tamẽ non admittere eorum vsum in intemperie calida neq; materia calida: & propterea concors sibi ipsi 6. de tuen. val. c. 9. & 13. meth. c. vlt. scribit in capite calido medicamentum ex thapsia, & fimo columbino minimè conuenire.

Cęterum tametsi Galenus tam aperte profiteatur hæc medicamenta in calido capite & calida materia non conuenire; attamen seruatis quibusdam conditionibus, puto hæc tuto administrari E posse, quod etiam comprobaui experientia.

Prima regula est, vt humor sit calidus, sed in capite exsistat potiùs per affluxum, quàm genitus ibi propter intemperiem capitis calidam.

Secunda regula est, vt humor iam fluxus non sit ampliùs in fluxione.

Tertia, vt sit in partibus capitis profundis intra cranium.

Quarta, vt iam in capite sit confirmatus, neq; aliis cesserit remediis.

His seruatis, puto Galenum quoq; facilè admis- F sursum acria hæc remedia capiti adhibita. Siquidem ipse Galenus in phrenitide, vbi iam est fluxa materia, vtitur illis ipsis calidis, & acribus remediis, quibus etiam vtitur in Lethargo 13. meth. 21 Nam ait hos lethargicos & phreniticos, in eandẽ venire curationem per acria. Idem Gal. vt dixi, inquit in omni inflammatione, vbi materia iam est fluxa, & 2. ad Glauc. 2. & 13. meth. cap. 8. & 9. vtitur calidis auxiliis materiam ibi contentam dissipantibus; ideo libro artis med. cap. 85. (95.) scribit Galenus hæc medicamenta acria, & quæ ex alto materiam educunt, non tantùm conuenire, quando materia sit frigida, sed quando fuerit in locis profundis extra vasa, ita vt alia ratione cõmodè non possit purgari. Hoc voluit Gal. etiã materiam inflammationis, quę iam est extra venas, posse calidis, & acribus medicamentis purgari: Et propterea ipse quoque c. 13. & 14. 5. meth. vtitur hoc medicamento ex Thapsia, & sinapi, & fimo columbino in capite calido cum destillatione salsa, acri & calida. Cęterùm qui vul plura, legat librum nostrum primum de Phœnigm. Itaq; hæc medicamenta acria, his seruatis legibus, possunt administrari aut post aures, qui locus omniũ est conuenientissimus, aut abrasis capillis in syncipite, aut in quacunq; parte magis dolente hæc remedia multum prosunt.

Quod si caput laboret intemperie calida, saltẽ deriuationis gratia adhibebitis hæc medicamenta ceruici, & scapulis; Hoc modo sustuli Ego dolores antiquissimos.

Dantur quoq; Purgantia caput per os & nares, & per os sunt Gargarismata, Masticatoria, Illitiones palati, & calida medicamenta in ore detenta.

Gargarismata componuntur pro frigidis humoribus hunc in modum.

Recipe decoct. puleg.
Stœchad.
Maioran.
Saluiæ
Rorismar. vnc. viij.
Oxymel. scil. vnc. ij. M.

In materia calidiore

Recipe decoc. hord. Malu.
Passul. Caric. vnc. viij.
Cum syr. acet. simp. vnc. ij. f. garg.

Masticatoria fiunt aut ex simplici materiã, vt est Charta, Mastix, Cera flaua, aut ex calidioribus, vt

Recipe Staphidis agriæ gr. v.
Cubeb. drach. sem.
Cera flau. drach. i.
Mastic drach. ij.
Zuccar. par. M.

Sed quia masticatoria plerunq; administrari non possunt propter vitia dentium, vel propter affectus faucium & thoracis, in his casibus loco masticatorij vtamini illitionibus palati, aut medicamentis acribus ore detentis

Illinitio palati.

Recipe Theria. aut. Mithrid. drach. i.
Oxymel. scill. parum.

Deinde illinatur penna hoc medicamento & ore aperto tangantur partes superiores palati capite inclinato.

Sic optime purgatur caput, neq; periculum fluxionis thoraci imminet.

In ore detinentur medicamenta, quæ idẽ faciunt, aut radix pyrethri, aut acori, aut galangæ, aut zedoarię. Possunt & fieri pulueres, & ligari in syndone rara, & confici globuli, qui in ore detenti caput expurgant.

Recipe

Recipe Sinap.
Piper.
Pyreth.
Galang.
Acori an drach.i.
Pulver. M.& f. Globuli.

Et si masticoria ad purgandam pituitam sint inuenta, attamen pro bile crassiore expurganda leuiora quædam masticatoria componuntur ex cera, rhabarbaro puluerizato, passulis contusis, & caricis.

B Cęterùm vterq; humor per nares commodè purgari potest: & purgatio fit aut succis, vel aquis vel pulueribus, vel radicibus, & herbis, vel formulis quibusdam in modum suppositorij.

Succi purgantes per nares in materia calida erunt succus maluæ, succus betę, in qua etiam caussa conuenit aqua hordei mista cum melle, vel saccaro, lac ipsum, cui admisceantur gr. v. aut vi. diagridij.

In pituitoso humore conuenit succus cucumeris syluestris, maioranæ beton. puleg. Ex his possunt etiam fieri decoctiones in nares attrahendę. C

Valent quoque radices, præcipuè verò radix cyclaminis recens incisa, & naribus imposita.

Tabacus etiam, siue herba regina ad purgandum caput summopere valet, siue folia, siue succus admoueantur.

Ex pulueribus præcipui sunt puluis nigellæ, piperis, pyrethri, sinap: elleb. nigri. Et si quispiam voluerit fortius medicamentum, hos infundat puluueres in aq. vitæ, siccatos deinde, & pulueriz. in nares infundat. Isti pulueres oxymelite excepti, aut cera subacti in forma pessarij naribus indantur: Purgant enim hæc omnia egregiè caput. D

Tria tamen circa hæc remedia sunt obseruanda: Primum, ne oculi insigniter laborent. Alterũ ne vlcus, aut tumor nares, siue alias nasi partes occupet. Tertium, vt post vsum calidorum aliqua temperata in nares trahantur, siue sit lac, siue aqua hordei, aut quid simile &c. Hæc igitur conueniunt siue pituita, aut melãcholia, aut biliosus succus caput impleat. Nam vbi sanguis abundat, caput validis nasariis non est concutiendum: Periculum enim apoplexiæ imminet. Sed quia scio E aliquos cupere descriptionem nostræ aquæ ad purgandum caput per nares confectæ, idcirco huius descriptionem subiiciam.

Recipe rad. ciclam. P. i.
Tabac.
Elleb. nig.
Nigell. an. M. s.
Pulp. Colocynth. vnc. sem.
Sinap.
Piper.
Pyrethan. drach. ij.

Bulliant in l. q. aq. vsq; ad consumpt. mediet. & fi. expressio.

Attrahitur drach. i. vel drach. ii. huius aquæ imposita aut in aliquo infundibulo stanneo, vel æneo, aut in vola manus. Et hactenus de purgantibus caput, quę pertinent ad fontem pharmaceuticum.

Sunt modo & Chirurgica in doloribus antiA quis vt Cephalęa, & Hemicrania, minimè prætermittenda. Et primum Cauteria: De his diu dubitatum est: An conueniant capiti affixa, nec ne: Quidã enim à Medicis præsidijs prorsus reijciũt, qui dicunt hæc neque in caussa calida, neq; in frigida, nec in occipite, nec in sincipite conuenire. *Cauteria*

Non in calida dicunt; quia calidior exustione reddetur: Non in frigida quia frigida materia tãquam grauis petit deorsum, tanquam crassa, & viscida tenues futuras non permeabit.

Non in occipite: quia est principium spinalis medullæ; Tracti vero humores in hanc partẽ paralysin faciunt: Addunt rationem, de qua dixi in superior. lib. ex Galeno 2. comp. loc. 1. quod scil. occiput sit pars, quæ vstionem non patitur.

Non in sincipite: quia ex Hipp. inquiunt lib. de vulnerib. capitis c. 1. omnia vulnera, quę vsq; ad os pertingunt, lethalia sunt. Hęc vero cauteria eo redduntur periculosiora, quo fiunt super suturis, qua in parte pericranium per suspensoria potest suam communicare affectionem internis membranis.

His tamen non obstantibus, Consulo, in doloribus antiquis cauteria omnino esse infigenda vel occipiti, vel sincipiti. Et sane magnus Hipp. quarto de morbi. non vnicum in his casibus infixit cauterium, sed octo, duo in occipite, duo in sincipite, duo circa tempora, & duo circa angulos oculorum: Neq; vllus est ex Græcis, qui hæc remedia non proponat, neq; ex Arabibus.

Ad rationes; Trahitur materia ad spinalẽ medullam, falsa consequentia; Cauterium est extra os, & trahit humorem ad se ipsum; Medulla est intra os. Igitur potius deriuabit à medulla, quã attrahat ad medullam.

Ad Gal. locum nihil dico: quia in superioribus hoc ostendi (responsum est)

Ad obiectiones de sincipite dico, Hipp. sentẽtiam fuisse, vulnera capitis non modo ad os vsq; sed etiam magis superficialia periculosa esse nõ ex propria natura, sed ex imperitia tractantis. Neque valet, posse communicari affectionem membranis: Nam si pericranium inflammaretur, posset sanè aliquid internis communicari membranis, sed prudens Medicus non permittet locum inflammari.

Et ideo cũ subiungunt, non conuenire in materia calida; Dico vim Cauterij esse vsq; adeo breuem, vt internos humores nõ possit vlterius calefacere. Eo minus calafaciet, si quispiam circũ stãtes partes refrigerantibus inuinat linteis impositis aceto, oleo rosac. succo lactucæ, aut solatri imbutis, quod ipsum ad maiorem cautelam fieri poterit triduo, & quatriduo post ipsam vstionem.

F Quod etiam dicunt, frigidos humores tãquã crassos, & graues non posse purgari, ridiculum est Non enim sunt isti humores in corpore exanimi sed in corpore viuente, cuius facultates, & calor ĩnatus perpetuò agit in materiam, & illã etiamsi crassam attenuat, & in vapores digerit, vt cũ viæ pateant, crassis etiam humoribus, sed attenuatis, transitus sit facilis. Conueniunt igitur Cauteria.

Neq; minus conueniunt Cucurbitulæ scarificatæ aut occipiti, aut sincipiti appositæ: Laudantur *Cucurbitula.*

tur tamen magis in sincipite, eo quod sanguis ex A iens in hac parte nullum inferat hac in parte refrigerationis periculum.

Sectio Arteriorum

Præter hæc est Arteriotomia, siue arteriarum sectio. Non loquor in præsentia de illa arteriarũ sectione, de qua in superioribus memini lectionibus, quæ est integra excisio per transuersum, aut abscissio partis arteriæ, de qua meminit Gal. 13. meth. cap. vltim. & Paul. lib 7. c. 5. qui acceperũt ab Hip. 2. de morb; Sed per arteriotomiam intelligo apertionem per phlebotomum factam in arteria capitis, quæ magis pulset, quàm ceteræ. Hãc B operationem non esse periculosam aut difficilem propria experientia testatur Paræus lib. 15. suæ Chirurg. c. 14. 15. qui etiam scribit se felicissimè hac sectione aniquos curasse dolores, præcipue hemicranios: Mittitur enim sanguis ex arteria partis dolentis.

Sectio arteriæ.

Quòd si operatio ministris nõ sit facilis in antiquis doloribus licebit illam vrere arteriam, quę cæteris & tumidior, & magis pulsans apparuerit:

Deniq; si quis abhorreat à ferro, & ab igne, excogitata sunt remedia valde adstrictoria his ar C terijs ad mota, quæ fluxionẽ cohibent. Paratur sic.

Recipe Terræ sigillæ vnc. vi.
Succ. moror. immatur.
Succi rosar. an. vnc. i.
Album. ou. n. ij.
Acet. q. s. M.

Aliud fortissimum.

Recipe Sang. Dracon.
Bol. Armen. an. vnc sem.
Terr. sigill. dracb. ij.
Succi bypocist. vnc. sem. D
Album. ou. n. ij. M.

Fortissimum quoq; erit medicamentum hoc:

Recipe Gyps. vnc ij.
Tragaganth.
Gum. Arab. an. vnc. sem.
Rasur. chart pergamen. dracb. ij.
Succi aut mor. immat. aut agrest. vn. ij
Albumlou. n. ij. M.

Hæc omnia, & alia huiusmodi arteriis apponũtur, per quas fit fluxio, & hac ratione dolor minuitur. E

Ex proxime dictis etiamsi colligatur ratio curandi dolores ex flatibus, & vaporibus, nihilominus placet subiungere familiaria quędam remedia, quę sigillatim ad flatus discutiendos fuerunt inuenta Sunt autẽ suffumigia, aut suffimenta quędã odorata ex cypero, carioph. styrace, ligno aloes

Nonnulli summa non felicitate vtuntur suffumigio ex gummi Indico, quod Caragnam vocãt:

Alij etiam habent in vsu suffumigium ex allio, ex gummi pariter Indico, quod vocant Copal F & Alibe.

Absq; suffumigo pilæ odoratæ ex Laudano, ambra, & mosco, styrace, & ligno aloes idem pręstare possunt.

Vitanda sunt omnia odorata, quæ caput replẽt, vt myrrha, & crocus.

Extrinsecus quoq; vtiliter vniuerso capiti admouentur sacculi repleti chamomelo, pulegio, milio, & sale, calefactis in sartagine.

Possunt in eundem vsum fomenta fieri ex decoctione chamomeli, pulegij, anisi, fœnic. cymini.

De Vermibus.

QVod si Vermes adsint, expurgari poterunt coctionibus in nares attractis, quæ recipiãt dictamnum album, scordium, chalamenthum, ab synth. matin. & commissuræ coronali poterũt quoq; Cerata, vel Linimenta imponi ex aloe, myrrha, & croco mistis cum felle taurino, & aceto acerrimo.

Hactenus de auxiliis ad expurgandam materiam, sequitur tractatio de remedijs superantibus morbos, & primum intemperiem frigidam, & calidam, siue cum, siue sine obstructionibus.

Curatio intemperie frigidæ.

IN intemperie, & materia frigida conueniunt magnæ antidoti Theriaca, & Mithridat: à drach. sem. vsq; ad drach. 1 quatuor horis ante cibũ, conserua anthos, siue florum rorismar. betonicæ, aut sola, aut Theriacę, & Mitridato permista hoc ipsum pręstare potest. Ligni, salsæ, ac corticis decoctum si capitalibus herbis præparetur, efficacissimum est auxilium. Erunt a herbæ Capitales: Maiorana, stœchas, betonica, pulegium, sisymbrium, vel calamentum. Non placet a. illorum consilium, qui vinum huic decoctioni ad miscent: Nã vinum tot calidis medicamentis admistum erit humorum, qui in toto corpore continentur, ad caput vehiculum.

Extrinsecus conueniunt pariter olea, fomenta lotiones, stillicidia exsiccantia & calefacientia; & vbi obstructio adest, sint quoq; attenuantia, & digerentia: Ideo inter Olea probatur valde laurinum, rutaceum, illudq; medicamentum, quod Paul. lib. 3. c. 5. tanquam efficacissimum proponit à muliere tamen acceptum, cuius meminit etiam Auic. prima 3. tr. 2. cap. 10. & Holler. 1. capit. de morb. internis. Medicamentum est radix cucum. syluestris in tabellas incisa, & cocta in oleo, & aq. Si quis accipiat oleũ rutac. aut laurin. fortius erit medicamentum; post decoctionem oleo caput inungatur: Ex ipsa vero radice contusa fit Emplastrum, quod capiti imponitur. Puto idem pręstiturum oleũ, quòd Patauii familiare est, resolutiuũ vocatum: Recipit a. radices Bryoniæ: & propterea si loco radicis cucumeris syluest. fiat emplast. ex radice bryon. easdem habet vires attenuandi humores crassos, consequenter liberandi caput ab obstructione. Et sane oportet Med. cum esse diligentem in superandis obstructionibus: Et ideo si in his casibus frequentes etiam fiant Capitis lotiones, etiam si patiens lotionibus non sit assuetus, ex lotione iuuabitur, præcipue si alteretur lixiuium bacchare, agarico, colocynthide, maiorana, stœchade, calamentho.

Si fiant etiam Pectinationes frequentes, & frictiones aut pannis asperis, aut sacculis imbutis pulueribus abstersoriis, vt pulu. lupinor. amygd. amarar. elleb. nigri, sinapis.

Stillicidia quoq; in his casibus sint ex aquis sulphur. aluminos. nitros. & salsis.

Cura-

Curatio intemperiei calidæ.

A

QVòd si intemperies sit calida, intrinsecus probantur aquæ naturales refrigerantes, acidæ, ac ferratæ, serum caprinum, conserua violarum, rosarum, nymphe.

Extrinsecus verò probantur Lotiones alteratæ rosis, foliis vitis, salicis, lactucæ, & aliis huiusmodi refrigerantibus.

Et si obstructio adsit, eligenda sunt absteriora frigida, vt esset puluis ex Lapide pumice, ex testis, cochleis. Sullicidia pariter sint ex aquis refrigerantibus.

B

Curatio Cariei.

SEd si adsit ossis corruptio, quid agendum? Si corruptio sit externa, facta cutis incisione, aut vstione, siue per ignem, siue per causticum super parte affecta, non erit difficile os ipsum raspatorio instrumento vsq; ad locum sanum ab omni carie expurgare.

C

Sed si sanies fuerit in diplomate, seu meditullio ossis, aut in parte interna. Aretę. lib. 1. diuturn. curand. c. 2. periculosam profert esse operationẽ, quæ fit per cauterium vsque ad locum affectum: quod & nos ipsi confitemur.

Sed quid agendum? Si corruptio quàm primum non emendetur, semper vlterius serpit; Itaque satius est anceps experiri remedium, quam certæ morti ægrotantem relinquere. Itaque vbi vitium sit in diplomate, cauterium debet peruenire eo vsque, idest, ad diploma; Si in parte fuerit interna, facienda est integra totius cranii terebratio. Hanc proposuit Hipp. 2. de morb. Hac ipsa vtuntur familiariter Chirurgi hoc tempore in vulneribus capitis cum suspicione sanguinis, aut puris supra membranam.

D

Victus ratio in dictis affectibus.

HIs accedat victus ratio, ita vt in caussa frigida aer sit calidus: corpus exerceatur; cibus sit tenuis, & attenuans: fugiantq; Venerem; aluus lubrica seruetur, & vinum quidem bibant sed tenue: fugiantque allium, cepas, porrum, petrosel. omnia vaporosa.

E

In caussa calida aer sit frigidus, dent corpus quieti, & somno, nec vtantur tenui admodum victu, accipiant autẽ fructus adstrictorios, citonia, mespila, pyra, &c. Hæc sũt remedia aduersus caussas & affectiones, quæ dolorem excitant: pauca dicã de auxiliis, quæ diriduntur aduersus dolorem.

Curatio doloris per se vt est symptoma.

F

DOlor itaq; vbi fuerit ingens, curatur & anodinis, & narcoticis. Anodina sunt oleum ex vitell. ouorum, ol. ros. vitell. ouor. permistum, fritaliacæ ouis cum oleo ros. confecta, Omenta animalium, & pulmones calentes extracti, & capiti appositi.

Hoc quoque Linimentum erit anodinum.

Recipe Mucilag. sem. malu.
alth. an. vnc. ij.
Vitell. ouor. n. iij.
Ol. rosf. compl.
Pingued. gallin. *an. vnc. j.*
anatis. *M.*

Fomenta quin etiã ex decoct. malu. alth. chamæm. aneth. melilot. fœnugr. per spongias adhibita habent vim anodynam.

His non conferentibus sunt deniceps Narcotica Extrinseca, & Intrinseca. Extrinsecus administrentur succus lactucæ, nymphe, hyoscyami, papauer. albi, mandrag. quibus non conferentibus additur opium, siue ipsis succis, siue ol. viol. oenuph. vnguento popul. Sint autem opij gra. iij. in singula olei, aut vnguenti vncia.

Tandem his non conferentibus, quãdo dolor est ex caussa calida, & vigiliæ vires deiiciunt, cũ periculũ phrenitidis immineat, intrinsecus quoque opiata conueniunt, aut

drach. sem. Sher. recent. aut *Philon. Rom.* aut *Requi Nic ol.* aut *Pilul. de Cynoglos.*

Sed in horum vsu cautos oportet esse Medicos: quia sensus, & mentem obtundunt: atque ideo stuporis, Paralysis, Comatis, atque Apoplexię suspicionem inferunt.

Idcirco post horum vsum & extrinsecùs, & intrinsecùs aliqua subiiciantur calida, quæ prauam opii qualitatem possunt corrigere.

Cap. II. De vertigine & scotomia.

RHasen secuti post tractatum de dolore capitis, de vertigine verba faciam: Est autem duplex Vertigo: Vna quidẽ simpliciter dicta vertigo; altera vero tenebricosa vocatur. Primã Græci dicunt *δῖνος*, secundam *σκοτόδινος*; vt est apud Gal. 4. acut. 42. Arabes Scotomiam vocant, quo nomine tenebricosam explicant.

Est vertigo simpliciter accepta vitium imaginationis depravatæ simul cum auditu, & visu depravato ob spirituum animalium motum.

Tenebricosa autem vertigo, seu Scotomia est pariter imaginatio deprauata cum sensu visus abolito; aliquando etiam cum motu abolito ex spirituum animalium, & motione, & impedimẽto transitus ad propria loca.

Vtraq; vertigo habet imaginationem deprauatam: Non autem adest deperditio sensus, visus, vt quidam arbitrantur; Nam fit vertigo in tenebris, quando obiecta exteriora non videntur: Putant præterea vertiginosi proprium caput circumagi: At vero caput proprium non est obiectum propri visus; Accedit, quod in tenebricosa vertigine imaginatio illa circumrotationis rerũ persistit, & tamen visus non adest. Propterea iure ex Galeno colligimus 4. aphor. 17. vertiginẽ esse vitium imaginationis.

Simplex vertigo dicitur habere prauum auditum, & visum: quia adest sibilus, & tinnitus aurium, & ante oculos videtur quasi nebula, vel tela quædam imponi.

Caussa

Caussa coniuncta.

DIximus autem caussam huius vertiginis simpliciter acceptæ esse motum spirituum: Per motum intelligimus primo quidem circularem; aliquando etiam non circularem.

Datur quædam vertigo non tenebricosa, impropriè tamen dicta, in qua oculi offuscantur, aures exsibilant, & patientes motum quendam in cerebro sentiunt, quem Titubationem vocant: Hic affectus est species vertiginis impropria, quæ præcedit veram vertiginem, de qua Aet. in prin. cap. 7. lib. tetrab. 2. Auicen. 1. 3. tr. 5. vocauit hunc affectum Almo, seu Palpitationem, vt exposuit Gentil. in com. super illud caput. Et propterea Rhases 1. contin. ca. 3. sub nomine vertiginis hunc ipsum comprehendit affectum, quem Auic. describit loc. cit.

Nomine spiritus intelligo primò, & per se spiritus animales; Isti enim sunt præcipuum facultatis & principis & motiuæ, & sensitiuæ instrumentū.

Caussa autem Scotomiæ, in qua, vt dixi, tenebræ circa oculos apparent, & aliquando patientes in terram cadunt, semper tamen imaginantur res circumuolui vel proprium caput, caussa, inquam, est motus circularis spirituum animalium, quatenus scilicet faciunt imaginationem deprauatam. Sed caussa, propter quam tollitur visus, & motus, proponetur infra.

Caussæ immeditatè efficientes vertiginem.

NVnc autem ad caussas descendentes, illas distribuemus in 3. classes, In prima erit sermo de caussis inordinati motus spirituum animalium; In 2. de caussis motuum circularium; In 3. loquemur de caussis aboliti sensus, visus, & motus.

Caussæ igitur, propter quas spiritus animales inordinatè mouentur, sunt vel Externæ, vel Internæ; Et Externæ quidem proponuntur à Galeno 3. de loc. aff. c. 8. Ab Auic. 1. 3. tr. 5. ca. 1. Sunt autem sol, balneum calidum, frictio, & concussio omnis capitis: Propterea casus ex alto, percussio, contusio, motus omnis corporis inordinatus, & immoderatus, vt cursus, plurima equitatio, nauigatio, saltus, & chorea, præcipuè verò motus in circulum, nimia venus, inspectio eorum corporum, quæ in circulum celeriter mouentur, vt rotæ, aquarum vortices, &c. potus vini generosi, vsusq; acrium, & eorum omnium, quæ caput replent, interquæ petroselinum, & hydroselinum vocatum primas habent partes.

Sunt quoque Internæ causæ immediatæ, & præcipuè imaginatio in illis, qui facilè vertiginē incurrunt; Imaginationes sunt multæ, quæ in circulum spiritus mouent, & vertiginem excitant.

Idipsum faciunt vapores, flatus frigidi, spiritus vitalis repentè in caput confluens.

De spiritu vitali exemplum habetis apud Gale. 3. de loc. aff. ca. 8. qui spiritum calidum per arterias carotides ad caput ascendentem vertiginis causam esse affirmat.

De vapore calido in febribus à toto corpore eleuato idem docent Hippocr. & Gal. 4. acut. 42.

De flatuosa materia nemo est, qui dubitat; Imò omnes Medicinæ scriptores vsque adeo hac in re conueniunt, flatum esse caussam huius motus inordinati, vt quidam putauerint solum flatum esse vertiginis caussam.

Caussæ mediatę.

CAussæ mediatæ sunt materiales. De materia, vt nunc dicebam, constans fere omniū est opinio, illam esse frigidam. Hinc Hipp. 3. aph. 17. in constitutione Australi: & 23. in Hyeme, &c. & 31. in senibus vertigines fieri docet: Quæ omnia succum frigidum abundare denotant, atque ideo ex cruditatibus, ex cibus crassi succi, leguminibus, præcipue caseo, placentis, piscibus, aliisque id genus frigidis & humidis, vertigo excitari solet: Hanc caussam nos quoque admittimus; sed sola non est.

Plerunque caussa materialis est Bilis: Propterea dicebat Hipp. & Galen. 4. aph. 7. Inappetentiā, morsum oris ventriculi, & vertiginem tenebricosam indicare, euacuandum esse per superiora: quia vt Galen. docet, bilis, quæ petit os ventriculi, est caussa horum symptomatum, & facilè per vomitum educitur. Idem Galen. vt ante dictum, ex calido spiritu per arterias ascendente vertigines fieri dicit. At calidus spiritus non fit absque sanguine, & bile. Et propterea 4. illo acut. 42. vbi mentio fit vertiginis in febribus factæ, in quibus propter caliditatem natura tentat humores digere, sed cum hoc pręstare nequeat, mittit in caput, Idcirco Aretæus 1. de caus. diuturn. c. 3. scribit, vertiginem esse præsagium futuræ epilepsię. Et propterea in hac fieri vomitiones bilis, & atræ bilis. Et idem Aret. 1 diuturn. curandor. cap. 3. scribit, vertiginem fieri post suppressum sanguinem hęmorrhoidalem, & narium, aut mensium. Id enim colligitur ex Hipp. lib. de morb. virg. qui virginibus inquit fieri vertigines ex vtero.

Rhases autem noster non modo in hoc 9. ad Almansor. sed etiam 1. continent. c. 3. quem sequitur Auicenna & alii, materiam vaporis, qui facit vertiginem, volunt esse bilem, sanguinem, melancholiam, & pituitam.

Efficiens caussa istius vaporis semper est calor Neque enim frigus potest vaporem aut flatum ex aliqua materia gignere. Hinc Galen. 42. 4. acutor. Vertiginem, ait, esse medium quid inter praua, & bona signa: Nam non est omnino prauum, quia quando adest corporis refrigeratio, tum nihil vaporis gignitur, In vertigine tantus est calor, qui potest vaporem ex materia eleuare.

Et quia materia, ex qua vapor, aut flatus generatur, potest esse & in cerebro, & extra cerebrū quando in cerebro fuerit pituitosa & frigida materia, tunc dicitur fieri vertigo ex inæquali intemperie, quia materia habet temperiem frigidam, caput calidum, ex quibus generatur hic vapor, vel flatus. Idcirco Gale. 3. de loc. aff. 8. scribit fieri vertiginem ex inæquali intemperie.

Arabes,

Arabes,qui aliquando subtiliores sunt,quam cõuenit,fieri volunt ex in æquali intemperie absq; materia:sed hoc est figmentum eorum. A

His sic explicatis,si materia sit per consensum, potest esse in ventriculo,iecore,liene,vtero,in venis totius corporis; quandoq; etiam in parte aliqua determinata,& ignobili. Nam ex illo ipso vapore venenato,ex quo fit Epilepsia, potest fieri vertigo: At epilepsia fit aliquando ex digito pedis Ergo & vertigo ex eodem loco fieri potest.

Explicabo, Auditores,caussam motus circularis spirituum animalium:soluam problemata ad vertiginem spectantia; proponam caussam aboliti visus,& motus; transibo deinceps ad signa. B

Caussam circularis motus non possumus assequi,nisi intelligamus motum circularem in capite duplicem esse;Vnum naturalem,alterum præter naturam, Naturalis motus ille est, qui incipit in arterijs carotidibus,deinde tendit ad plexũ retiformem,seu priores cerebri ventriculos,a prioribus in medios,à medijs ad postremos,à postremis deinde spiritus impartiuntur neruis Motus præter naturam contra se habet. C

Problematis explicatio.

PRoblema primum erat,propter quam caussam vertiginosi putent proprium caput circumagi,aut circumrotari? Caussa nulla est alia, quam agitatio facta in membranis venarum,& arteriarũ,& in membranis cerebri,Nã hic motus violentus mouet ẽt partes cõtinentes:Imò in motu naturali spirituum partes continentes non agitantur,aut concutiuntur,sed in hoc motu violento partes ipsæ continentes concutiuntur.Illis agitatus putant ægri caput proprium circumrotari. D

Problematis alterius dilucidatio:

QVæritur secundo , Propter quam caussam putent vertiginosi obiecta exteriora circumrotari? Ratio est manifesta.Nam cùm spiritus animales habeant in se species omnium sensibilium,quę imaginationi offeruntur,idcirco sicuti mouentur istæ imagines obiectorum externorum ita existimant patientes moueri obiecta externa, Nam, vt dicit Auicen.idem est, siue moueatur id,quod videtur,siue id,quo videmus.Id quo videmus , est species visibilis reseruata in spiritu,ergo vbi hæc species mouetur, ibi externa obiecta quoque moueri videntur . E

Caussæ sublati visus,& motus.

VEnio ad caussas sublati visus & motus.Caussam maior Medicorum pars existimat esse solam ventriculorum cerebri obstructionem. Sed,vt summatim agamus, omnis angustia ventriculorum cerebri prohibet transitum spiritus, & ita in caussa est sublati motus & visus. Omnis ergo angustia est in caussa obstructionis, vel impedimenti,siue sit obstructio,siue subsidentia, siue compressio,siue densitas . F

Notatio.

OBstructio , quidem fit non ex humoribus crassis; Nam vertigo est affectus cito accedens,& cito recedens , propterea caussam habet obstruentem vaporem potiùs crassum,aut spiritum copiosum,quàm humores .

Compressio fit ex Tumoribus circa menbranas & cerebrum, fit etiam ex contusione,& cõsequenter fractura cranei.

Subsidentia fit aut ex veneno , aut morsu propter acrimoniam humoris vellicantis ventriculos cerebri.

Densitas fit ex nimia refrigeratione,Quæcũq; ex his caussis angustiam faciat,prohibet transitum spiritus ad neruos.

Sed præter has causis est quoque alia , de qua nemo scriptorum meminit,& ferè est frequentior alijs. Dictum est, spiritus animales à ventriculis cerebri ad neruos moueri recta linea ; Vbi motus circularis horum spirituum est nimis violentus, idem spiritus non potest & recta linea,& circulariter moueri ; Hoc patet exemplo aquæ , quæ continetur in vase vitreo perforato, Exagitemus aquam in circulum velociter, etiamsi vas sit perforatum, nihilominus aqua non exibit ex foramine per concitatum motum circularem;Sic fit in spiritibus vbi admodum velociter mouentur.Vt tandem finiam,hic motus circularis est in caussa abolitionis motus visus,& sensus.

Signa .

SIgna vertiginis sunt varia pro varietate differentiarum,caussarum,& locorum affectorũ.

Differentiarum quidem:Nam illa, quã Auic. vocat Palpitationem,nos Titubationem, fit cum pandiculatione totius corporis , oscitatione frequenti,cum motu etiam frequenti palpebrarũ , manuum contrectatione,cum rubore faciei; cũ tinnitu aurium offuscatione oculorum,& in hac patientes non opinantur obiecta circumrotari ; sed vix pedibus stare possunt , propterea manus mouent,vt sustentacula apprehendat.

Vertigo simplex facilè cognoscitur ex imaginatione circularis motus,vel proprij capitis , vel rerum externarum , vel cum deprauato visu , & auditu.

Tenebricosa vertigo in hoc differt à cęteris: quia præter imaginationem motus circularis amittunt visum, & cadunt in terram . Distinguitur autem ab Epilepticis:quia in his nec spuma, nec conuulsio adest,& functiones principes manent illęsæ.

Quod pertinet ad distinctionem caussarum , non sunt quærenda signa causarum externarũ: Quia partim sunt exposita in tract. de dolore capitis,partim habentur ex relatione ægri.

At si causa intrinseca fuerit spiritus calidus, facilè cognoscitur ex tẽperamento,totius corporis calido,ex tumore,& pulsatione arteriarũ circa iugulum,qui etiam aliquando, vt docet Auicenna,dolorem infert.Præterea hęc vertigo facilè accedit,& recedit:Est cum rubore,& calore faciei,

ciei, & oculorum, cum vigilijs, delirio, plerunque sequitur febres, aut iram vehementem, aut vsũ calidorum, & iuuatur à frigidis, nocumentum percipit à calidis.

Si flatus fuerit frigidus, crassus, qui vertiginẽ faciat, præcedit sibilus aurium, omnia sunt perturbata: Somniant autem se volare, adest capitis dolor extensiuus, facies pallida. Et si flatus generetur in capite, aderit capitis grauitas, sopor, stupor sensuum, torpor in motu:

Si ex ventriculo sit flatibus referto, adsunt rugitus, singultus, extensiones, inflationes, sputa frequentia.

Si vero fiat ex morsu oris ventriculi, adest nausea, inappetentia, sitis, amaritudo oris.

Si fiat ex veneno, vel venenata aura, hæc mouetur momento temporis, nullo apparente manifesto indicio alicuius magni morbi, vel in capite, vel subiectis locis. Solet autem præcipuè eleuari ex vterò, siue propter suppressos menses, vel propter retentum semen.

Prognosis.

HViusmodi affectus quamuis ex se non videatur lethalis; nihilominus quandoq; sequitur lethales affectus, nempe conuulsiones, capitis inflammationes, solet etiam desinere, in graues affectus: quandoque in Maniam, & Melancholiam. Aret. 1. de caus. chronicor. c. 3. Aliquando desinit in Epilepsiam, & Apoplexiam, vt docet Galen. 3. aph. 17 Igitur hic affectus mala minatur: Itaq; cùm hic affectus periodicus sit, vno modo tractandus est in accessione, altero modo extra accessionem.

Curatio vertiginis in accessione.

INtra accessionem primo reuellimus ligaturis, frictione, cucurbitulis, vesicatorijs, suppositoriis &c. per clysteres acres. Dubium est de sectione venæ, vtrum conueniat in accessione? Vnus Gentilis ex tot Medicinæ scriptoribus, quos ego vidi, mentionem facit venæ sectionis in accessione. Et sane quanquam hic vnus sit, mihi videtur seruatis quibusdam conditionibus habere rationem adeo efficacem, vt non modo vtiliter, sed necessariò vena secanda sit.

Supponamus vertiginem ex sanguine multo, & vaporoso fieri, confertim ascendente per arterias ad cerebrum: Si quàm primùm hic sanguis non reuellatur, & euacuetur, nonne imminet periculum apoplexiæ, ex Gale. lib. de cur. rat. per S: M. c. 5. Si igitur minatur Apoplexiam, & ex sectione venæ potest tolli periculum, sectio erit vtilis, & necessaria.

Dubium. Sed dices: Tempore accessionis vires sunt suffocatæ, ergo non permittunt, vt hoc tempore fiat venæ sectio.

Solutio. Respondeo in suffocatione virium non prohiberi venę sectionem: Idcirco Celsus & Aetius secant venam in ipsamet accessione apoplexiæ, in qua tamen maior est virium suffocatio, quàm in vertigine.

Accedit testimonium Hipp. 4. acut. 23. Et Galen. in comment. in quo inquit per venarum interceptiones quasdam intelligi suffocationes ex sanguine; in quibus tamen subiungit in tex. 24. secandam esse venam in cubito.

Ideo potest etiam in vertigine sanguinea secari vena tempore accessionis:

Licet etiam vti Reprimentibus externis, & vomitoriis ex sententia Aretæi in accessione, quã do fiat ex ventriculo.

Expediam paucis, quæ de vertigine dicenda sunt & statim phrenitidis tractationẽ aggrediar.

Erat sermo de vertigine, cuius curationem in ipso accessionis tempore institueramus; Et si vertigo ex calidis humoribus fiat, aut spiritu vaporoso per arterias ascendente, statim hæc potio conuenit.

Recipe Vin. granat. aut citon. vnc. ij.
Aq. plantag. vnc. iiij.
M. f. potio.

Reprimit hęc potio vapores ascendentes, & inordinatum spirituũ motum. Conueniunt quoque cętera reprimentia capiti adhibenda.

Curatio extra accessionem.

EXtra accessionem vnicuique materię ita prospiciendum est, vt diximus in tractatu de dolore capitis. Itaque si vertigo ex sanguine feruido, & spirituoso oriatur, secanda est vena. Neq' vnica tantum, sed multiplex. Ideo tempore interualli licet in primis inferiores secare venas, pręcipuè verò in subpressis mensibus & hæmorrhoidibus: Secandæ deinde sunt superiores, dextra vel sinistra, prout impetus sanguinis, vel ex iecore, vel ex liene ortum duxerit: Secandę etiã sunt venæ post aures, dum tamẽ fluxio per exteriores fiat; non autem per interiores: quanquam existimo, missionem sanguinis in fluxione etiam interna multum prodesse.

Quod pertinet ad purgantia, sunt talia in quacunque materia, qualia descripsimus supra.

Hoc tamen moneo, In vertigine facta per cõsensum à ventriculo cruditatibus pleno præter incidentia conuenire pilulas de hierà, alephanginas, sicuti quando humor fuerit calidus, & ad ventriculi os impetum faciat, conuenit vomitus, ex Hippoc. 4. adhor. 17. In his casibus iuuat vsus huius electuarij, quo patientes vtantur hor. j. ante prand.

Recipe Mirob. citrin. vnc. ij.
Passul. lib. i.
Rosar.) *an. M. i.*
Violar.)

Bull. in s. q. *Aq. Endiu.* deinde f express.

Recipe Prun. Damasc. lib. i.

Bull. in prędicto decocto, & extractis nucleis pulpa transmissa per setaceum.

Iterum bulliat in prædicto decocto.

Addat Pulp. thamarin. vnc. ij.
Flor. cass. vnc. i. & sem.
Speciar. trias antal. vnc. sem.

Mi-

Mastiches:
Spicæ an.drach.ij.
Rhabarb.elect.puluerizꝫ drach. iij.
Saccar.q.s.f.Elect.

In vertigene ex humoribus,& vaporibus calidis hoc electuarium multum iuuabit. Dosis à drach.vj.vsque ad drach.x.

Cæterùm conuenit quoque vsus cuiusdã pulueris in vertigine ex flatibus, & humoribus frigidis in ventriculo,qui potest accipi summo mane ad drach.j.hor.4.ante cibum aut in vino, aut in iure:Potest ferculis etiam admisceri. Puluis est talis

Recipe	*Cardamom.*	*Anis.*
	Ameos	*Cymin.*
	Hyssop.	*Beton.*
	Puleg.	*Calament.*
	Piper.	*Maioran.an.drac.i.*
		M.f. puluis.

In vertigine per essentiam facta conueniunt ea omnia caput purgantia & sensibiliter,& insẽsibiliter,de quibus supra; exceptis tamen sternutatoriis validis, quæ propter nimiam agitationẽ vertiginem excitant. Existimarunt nonnulli vermem sericinum exsiccatum,& puluerizatum,& inspersum suturæ coronali iuuare vertiginosos. Carolum V.hoc puluere vsum esse frequentissime aiunt.

Victus ratio.

AD victus rationem quod attinet,cum ea talis esse debeat,vt pro varietate caussarum vario modo instituatur, non est opus singula repetere. Sufficiat intellexisse in omni vertigine ea esse vitanda,quæ caput replent,vt allium, cępe,porrum,vinum generosum,anisum,& cætera id genus.

DE PHRENITIDE. *Cap. III.*

HIC affectus Græcis φρενῖτις: Latinis Alienatio mentis;ab Arabibus nunc Carabitus,nunc Sirsen calidum,modò Phrenesis, vel Phrenitis dicitur.

Definitio. Nihil autem aliud est,quàm desipientia continua potissimùm cum febre continua ex inflammatione cerebri.

Desipientiam intelligo vitium facultatis ratiocinatricis,& discursus deprauati in quo distinguitur Phrenitis ab amentia seu stoliditate, & Morosi,vt docuit Galen.lib.de diff sympt.cap.3. Nam in amentia discursus tollitur; in Morosi diminuitur; in Phrenitide deprauatur.

Continuam dixi ad differentiam pseudodelirii,quod fit ex consensu febrium,siue sint ex venis communibus,siue ex determinatis locis patientibus Galen.2.loc. aff. 4. Ex consensu quoq; pulmonum,iecoris,& oris, ventriculi deliria fieri posse,quæ tamen continua non sunt,ex 2.de caus symp.c.7.colligitur.

Potissimum dixi,vt significarem non modò discursum, sed & imaginationem,& memoriam lędi.De memoria docet Gal. 5.loc.aff.4.qui scribit phreniticis irrationabilem succedere memoriæ defectum,vt illi qui matulam popoſcerat, & illius oblitus fuit.

De imaginatione id ipsum colligitur ex Gale. de diff.sympt.c.3.& 4.de loc aff.2.

Sed lęduntur & aliæ functiones sensitiuę sensus communis potissimùm,vt propterea adsint vigiliæ immoderatæ,vt colligitur.1.in.1.prorhet.(Epid.)6.aliquando autem vbi Phrenitis est spuria,adest etiam Coma, & de hoc in Phrenitide meminit Hipp.& Gal.3.in 3.Epidem com.45.

Cum febre continua, ad differentiam & melancholiæ,quę est sine febre, & pseudodelirii, quod in tertianis intermittentibus circa vigorem plerunque contingit.

Ex inflammatione cerebri, ad differentiam delirii continui cum febre, quod fit ex inflammatione diaphragmatis.Docet enim Gal.5. de loc. aff.4. tantam esse similitudinem delirii facti ex septo transuerso cum eo, quod fit ex cerebro, vt antiquiores ob hanc caussam diaphragma φρένας vocauerint. Hęc est rudis delineatio definitionis Phrenitidis,quæ exactiùs est proponenda.

Differentiæ.

CVm dicimus Phrenitim esse Desipientiam, & delirium,hæc habet quatuor differentias aliquando est cum furore, aliquando cum risu, nonnunquam cum studio non rarò cum melancholia.Has differentias partim colligere potestis 6.aph.53. partim verò toto fere prorhet. lib. Et quia desipientia cum furore,& risu omnibus est conspicua,explicanda est differentia cum studio, quæ est obscura:In hac ægri aptè admodum videntur de rebus difficilibus disputare de philosophicis,si Philosophi; de propriis artibus ad propositum loquuntur, si artifices: Desipere tamen dicuntur, quatenus de his disputant non seruata conditione temporis,loci,modi,& personarũ, apud quas loquuntur.

Deliriũ melancholicum etsi existimetur sine febre consistere,quod etiam nos certissimum affirmamus;nihilominus aliquando inphrenitide fit,vtpote quæ spuria tum temporis existat,multumq; humoris melancholici tum admistum habeat. Huius exemplum habetis apud Hippoc.3 in 3.Epid.ægroto penult.in casu vxoris Dealcis, quæ laborauit Phrenitide melancholica.

Hinc Holler.in hac parte non est reprobãdus, qui aliquando melancholicos constituit cum febre continua,ad hasmelancholias respiciens,quæ Phrenitidem sequuntur.

Obseruandum illud quoque hoc in loco,non quocunque tempore Phrenitim esse discursum deprauatum;sed quandoque abolitum, quando scilicet facta sit æqualis intemperies in vniuersa cerebri substantia,omnesque illius partes humore sint æqualiter imbutæ: Tunc fit Phrenitis illa* à Gal.Hectica vocata, 1. in 1.prorh.32.Inqua ęgri ampliùs non delirant;sed quieti,atque immobiles iacent potiùs exstincta rationatrice facultate,quam deprauata.

Sed quia dixus in Phrenitide lædi etiam memoriam cùm tamen certum sit preniticos, iam sanitati restitutos, recordari eorum, quæ illis contigere, & ipso quoq; morbi tempore vsum memoriæ retinent: Idcirco sciendum phreniticos non amittere memoriam eorum, quæ illis contigere ante aduentum morbi: horum enim optimè recordantur; sed eorum tamen memoriam habere non possunt, quæ dum actu sunt phrenitici, sensibus eorum occurrunt: & ratio est quia dum sunt phrenitici, spiritus animales habent semper agitatos, & motos, idcirco species sensibilium, receptas in sensibus, non possunt isti spiritus ita retinere, vt memoriæ offerantur, Quod absq; quiete fieri non potest, vt potestis colligere ex Arist. lib. de memor. & reminesc. 2. & ex Gal. lib. de mot. musc. ca. 6.

Instantia. Quod si quis dicat: Quomodo ergo recordantur eorum, quæ illis contigerunt tempore morbi?

Solutio. Dicendum, quòd hoc tempore phreniticis multa offerantur obiecta non recepta sensibus externis, sed spiritibus impressa propter fuligntsos vapores multos, cerebrū ipsum replentes. Isti vapores varia fingunt spectar, varias imagines, quę valde imprimuntur in animis phreniticorum; harū imaginum recordantur post morbum; non recordantur obiectorum, quæ recipiuntur in sensibus externis propter caussam iam dictam.

Phrenitidem non discursus tantùm, sed etiam imaginationis vitium esse docuit Gal. 2. de caus. sympt. 7. cùm scribit, Phrenitim vitium esse rectricis facultatis: Rectricem autem facultatem ipsęmet Gal. lib. de diff. sympt. 3. in tres distinxerat differentias: Imaginationem, Discursum, & Memoriam.

Obiectiones.

Ceterùm hæc sententia aliquam habet difficultatem. Nam Gal. de diff. sympt. 3. & 4. de loc. aff. c. 2. triplicem facit delirij differentiam: Vnam, in qua sola imaginatio læditur, seruato discursu, cuius exemplum proponitur a Galeno sub Theophili nomine, qui imaginabatur tibicines ad esse in angulo conclauis, iubebatque illos expelli: Exemplum est, inquit Gal. deprauatæ imaginationis; seruati tamen discursus. Quandoque serua tur imaginatio, deprauatur discursus. Exemplum proponit Galen. cuiusdam qui singula quædam vasa proprijs nominibus appellabat; illa tamen tanquam amens sine discursu proiiciebat ex fenestra. Aliquando verò, & imaginatio, & discursus tollitur. Hæc, vt dicebam, pariunt difficultatem.

Solutiones.

Qvod pertinet ad primum, dari delirium cū læsa imaginatione, seruato discursu, hoc dico non fieri in verà Phrenitide; sed in delirio cōmuniter accepto: Delirium autē esse quid leuius desipientia phreniticorum, colligitur ex Galen. 7. aph. 9. & ex eod. 2. de caus. sympt. 7. qui propterea inquit fieri delirium, & per consensum à toto corpore, & ex intēperie cerebri cū materia absq; inflammatione; aliquando verò ex inflammatione, & tunc est vera phrenitis. Itaque potest quispiam delirare absque discursu læso, sola imaginatione læsa; non tamen erit phreniticus? Hinc Gal. 3. in 3. Epid. 45. Phrenitidem nulla ratione dicit ab insania differre, nisi febre quia hęc fit sine, illa cum febre, at insania semper est vitium discursus ergo & phrenitis: At hoc ex vobis ipsis colligere potestis legendo c. 2. 4. loc aff.

Imaginatio duplex. Ad secundum obiectum, dari scil. Phrenitidē seruata imaginatione; læso tamen discursu. Dico, imaginationem esse duplicem vnam sensitiuam alteram deliberatiuam, quam Auerr. cogitatiuam vocat quæ distinctio est Arist. 3. de an. t. 57. In omnib. phreniticis deprauatur imaginatio deliberatiua; non necessario sensitiua, Sensitiua imaginatio est quædam perceptio speciei sensibilis receptæ in sensu communi, & oblatæ imaginationi separatæ à materia. Deliberatiua est illa, quæ in specie iam recepta format cōceptum amicitiæ, aut inimicitiæ, boni aut mali, fugiendi, aut prosequēdi. Potest itaq; fieri, vt phrenitici non decipiantur circa speciem obiecti receptam (Medicum cognoscant, vt Medicum) Socratem, vt Socratem; Sed formant deinde conceptum omnino deprauatū: Nam Medicum putant inimicum, & consequenter fugiendum, ergo in his deliberatiua semper est læsa.

Audistis quomodo in Phrenitide actiones, & functiones principales lædantur, videamus modo, quomodo & sensitiuæ lædantur.

Et primo quod pertinet ad sensum communē in quo ex Gal. sententia fit somnus, & vigilia, hic in Phrenitide summopere deprauatur: deprauatur autem, quia succedunt vigiliæ intensæ: Istæ autem sunt duorum generum: Al quando vocātur ταραχώδεις, seu vigiliæ turbulentię, sic vocat illas Gal. 1. in 1. proth. 6. eo quòd sint cum perpetuo quodam delirio, & cum rixa; aliquando verò dicuntur ὑπνώδεις, i. somnolentæ, ex quibus constituitur illa species phrenitidis, quā Hipp. & Gal. lib. de Comat. c. 2. & st. vocant Coma vigil; Arabes dicunt Subet harareftq; species Phrenitidis, vt optimè Galen. 1. in 1. Prorh. 1. animaduertit, in qua adest quidem delirium, sed non vsque adeo manifestum. Isti enim magna ex parte oculis cōniuent, etiamsi non dormiant, & cum primùm vocantur, statim in delirium incidunt. Est, vt dixi species phrenitidis, quæ media est inter exquisitā phrenitidē, & exquisitum lethargum: Idcirco Galen. 1. in 1. Prorhet. 2. hunc affectum medium Τυφωμανίαν, vocat: Sed quia Typhomaniæ nomine complectitur etiam Coma somniferum, quod magis pertinet ad lethargum, de hoc dicemus loco.

Coma vigil est differentia quædā Phrenit. Nunc autem illud accipiendum, Coma vigil differentiam esse phrenitidis: quinimo, vt omnia habeatis, quę pertinent ad hanc partem, Coma hoc vigil duas habet differentias: Vnum dicitur Coma vigil pigrum, seu Cataphora, de quo memini Gal. imo ipse Hipp. 3. in 3. Epid. 45. Aliud est non pigrum, & de vtroque meminit Gal. lib. de Comate ca. 3. vocaturq; alio nomine cum eodem Hippocr. Cataphora vigil pigra, & Cataphora vigil non pigra. *Coma vigil duplex.*

Deprauantur quoque alii sensus, & præcipue Visus: Nam phreniticis phantasmata apparent-

parent,quemadmodum suffusis,putantque se videre pulices,pilos,floccos, quos assiduè carpunt, vel carpere tentant,vt docuit Galen. 1. prognost. 23. Hæc igitur actionum læsio fit cum febre cõtinua.

Et quamuis Rhases intelligat per febrem continuam continentem,seu conclusam;attamen notate, ne decipiamini, plerunque febres phreniticorum habere accessiones. Ratio desumitur ex Galen.2 de differen.febr.cap.vlt,9. meth. cap. 5. Omnes febres,inquit Galen. quæ ortum ducunt ex locis determinatis patientibus, habent circuitus, & accessiones Phrenitis ortum ducit ex determinato loco patiente,nempe cerebro ergo debet habere accessiones. Hinc Galen.1 aphor.12. febres phreniticorum,inquit, habere accessiones de 3.in.3.

Rhases defenditur. Illud quidem pro tuendo Rhase nostro dicere possumus,phrenitim iam factam,continuam,continentemque febrem habere: Nam ideo fiunt accessiones,quod nouum fiat inflammationis incrementum,vbi nullum fit amplius inflammationis incrementum,febris potest esse continens. Hæc continens febris,& illa,quæ quidem continua est sed cum accessionibus, & exacerbationibus fit, ortum ducit ex inflammatione cerebri.

Caussa immediata.

PEr inflammationem intelligimus intemperiem cum tumore,qui potest varius esse,sanguineus,biliosus, siue bilis sit pallida,siue flaua, potest esse atrabilarius, vel ex bile vsta, vel melancholia vsta;potest esse melancholicus,& pituitosus,vt propter hanc caussam oriantur tot Phrenitidis differentiæ à nobis propositæ; aliæ cum risu,quæ sunt ex sanguine aliæ cum rixa,quę sunt ex bile potissimùm vsta;aliæ cum studio, quæ fiunt ex melancholia;aliæ cum comate vigili, quæ fiunt ex bile pituita commista, vt Gal. 1. in 1. proth.1. docet.

Quanquam illud non sit prætereundum,quod Galenus eodem loco scribit,fieri aliquando affectum somniculosum cum vigiliis ex sanguine copioso cerebrum grauante; sed bili permisto. Dico, non esse prætermittendum,quia multum differt curatio huius ab aliis supradictis ex bile cum pituita.

Locus affectus.

NOmine Cerebri Auicē.hac in parte secutus Aetium,& Paulū,putat intelligi membranas potissimum, ex consequenti verò etiā Cerebrum;imò Ægineta lib.6.cap.2.vt putat Cerebrū inflammari non posse,sed affici tantùm calida intēperie per consensum à membranis inflāmatis. F

Sed huius sententiæ video non fuisse Gal.qui in primo prorhet.1.& 18.apertè docet Phrenitidem esse cerebri inflammationem:docet quidem 4.de pręsag.ex puls. 8. cerebri inflammationem communicari membranis,& vice versa; nunquā tamen asserit in Phrenitide cerebrum non inflāmari: quod si 2.in 1.Epid.19.scribit,in Phrenitide partes cerebri calefieri,non propterea affirmat eas calefieri absque tumore: & sanè ipse quoq; Auicen.1.3.tr.4.c.1 docet,cerebrum posse inflāmari; id quod facillimè fieri posse non tantùm propter piciniam membranarum,quantùm propter riuulos,& lacunam sanguinis, quæ in dura membrana continetur, Gale. 9. de vs. part.c.9 apertè ostendit sanguis igitur in lacuna contentus primariò potest cerebrum inflammare; tametsi non inficior, illud quandoque inflammari post inflammatam membranam, præcipue tenuem, quæ cerebro est propinquior.

Caussa Mediata.

NOn conteram tempus in recensendis caussis mediatis: quandoquidem illę omnes caussæ,quas diximus dolorem capitis inferre,possunt quoq; Phrenitidem excitare.

Signa.

AD signa igitur transeo. Distribuam tractationem de signis in quinque partes. In 1. agetur de signis incipientis Phrenitidis.In 2. de signis factæ.In 3.ponentur signa distinctiua caussarum,& locorum. In 4.versabimur in signis distinctiuis Phrenitidis ab affectibus similibus. In 5.de prognosticis erit sermo.

Prima Signorum Pars.

AD primam partem quod attinet, in qua estote attenti: quia laudabilius est pręseruare patientes à Phrenitide,quàm curare. Signa incipientis Phrenitidis ad tria potissimum capita rediguntur: Quædam pertinent ad actiones læsas. Alia ad excrementa: Tertia ad qualitates mutatas.

Signa ab actionibus læsis desumpta ad 6. rediguntur capita.Primum continet signa desumpta ab actionibus principibus. II. quę desumuntur à sensu communi. III. à sensibus externis. IIII.ex motu animali. V.à facultate irascibili, seu vitali.VI.& vltimum continet signa deprompta à facultate naturali.

In primo fonte tria sunt signa præcipua Primum,obliuio circa principium accessionis: dico circa principium, quia cū obliuio est continua, est signum phrenitidis factæ,non incipiētis.II,desumitur à discursu deprauato,à delirio,s.quod circa incrementa,& vigores tantum apparet,ad differentiam Phrenitidis factæ, in qua delirium est perpetuum.III.est multiplicitas imaginationum, quæ patientibus occurrunt,& præcipuè sunt imagines rerum, quæ sunt in motu, ita ego audiui plurimos dicentes,arbores moueri,& similia differunt autem a Phreniticis eo, quod cognoscant imagines illas esse falsas.

Quòd ad secundum fontem, sensum scilicet communem,attinet,tria quoque hauriuntur signa: 1.Vigiliæ,quæ magna ex parte sunt continuę. 1.Si quis est somnus,ille admodum perturbatus,& inquietus est,vt propterea post modicū tempus surgant,clament,eo quòd,vt Hippocr. 1.

in 1.prorhet.5.ait,& interpretatur Galen ibidem A somnia ipsis sint conspicua,idest,videantur vsq; adeo vera,quæ ipsis offeruntur in somnijs,vt statim expergefiant,perinde atque si ab obiecto extrinseco in eos irruente excitarentur. 3. Signum est, si ægri, nuper à somno excitati,familiares nõ cognoscant.

Ex tertio fonte signorum tot desumun tur signa,quot sensu externi: idcirco aut surditas,aut tinnitus aurium futuræ Phrenitidis est signũm: Idipsum ostendunt lacrymæ circa oculos, splendores, vitiosæ & deprauatæ visiones geminæ,aut B trigeminę,vel etiam phantasmata ante oculos obuersantia,quasi pulices,flocci,pili,&c.Lingua nigra,& arida est inconstans,quasi balbutiens,tremula,amarus sapor, vel alius similiter fœtidus apparet.Circa nares similiter praui odores versãtur. Caput vniuersum,& præcipuè occiput,insigni & continuo dolore versatur.

Ad quartum fontem referuntur omnes motus animales importunè facti,deprauati,iusto fortiores,aut imbecilliores.In his notauit Hipp.ampl i ficationem supercilij motum oculi frequentem, C & velocem,multam locutionem.frequenté screatum, sæpe cooperiri,aut proijcere tegumenta,sæpe decubitum mutare, modò in pedes,modò in caput modò in latus dextrum,modò in sinistrũ, crura habere in modò diducta,modò contracta, manus frequenter contrectare,quasi aliquid carpere velint, quinimo ante oculos manus ponere,quasi muscam,aut quid tale exturbent. Hæc omnia sunt signa futuræ Phrenitidis.

In quinto fonte,tria sunt signa:primum est facilitas ad iram,& præcipuè in muliere, aut viro D honesto,& modesto. Sic scribit Hipp. 2.prog.6. (proth.9.)Ex composito,modestoque hõmine ferox responsio malum: Febris acuta secundum est signum,pulsus frequentes,& celeres, magnà ex parte duri,& conuulsiui, quando membranæ ipsæ sunt inflammatæ.4.de caussis puls.14.Nam vbi cerebrum potiùs est inflammatum, quàm membranæ,pulsus molliores sunt,ex Galen.4.de præsag.ex pul.8.& 9.

In sexto fonte sunt primùm Vrinæ, quæ si ex crassis,& turbatis fiant tenues,& pellucidę,futuram portendunt Phrenitidem:Propterea dicebat E Hippocr.4.aphor.70.Quibus vrinæ in febribus perturbatæ sunt,quales iumentorum,ijs dolores capitis,&c,& ibidem aphor.72.Subiungit:Quibus vrinæ pellucidæ,& albę sunt,malæ, maximè verò vbi in phreniticis apparent.

Eædem vrinę ratione suspensi habent aliquã vim prædicendi Phrenitidem,vt colligitur ex eod Hipp.1 proth.5.31.& v.proth.1 licet non sit certum signum.

Quod dixi de Vrinis,dico de Excremẽtis alui. F Alui excrementa admodũ biliosa,si deinde alba euadant,sunt certa Phrenitidis signa,dummodo alia accedat,de quibus diximus. Hinc Hipp. 1.prorhet.2.rubram ventris colluuiem in phreniticis malam esse scribit,de qua idem auctor in tex.23.scribit eandem albam esse malam:vtrum que autem est verum:nam si debet fieri Phrenitis,oportet iecur multam generare bilem,quæ ex rubra ventris colluuie cognoscitur: sed si eadem caput petat,excrementa alui redduntur alba, & sine colore.

Ad hunc fontem pertinent Vomitus quoque æruginosi, quos Phrenitidem futuram indicare docuit Hipp. 1.prorhet 10.

Ad qualitates mutatas pertinet Color Faciei, qui aliquando valde rubicundus est,quandoque verò nimium pallet,& ad citrinum tendit:

Denique quoad excrementa ex naribus stillæ sanguinis erumpunt, quę ipsæ futuram quoque præsagiunt Phrenitidem:

Secunda pars Signorum.

FActam Phrenitidem non aliunde petere oportet,quam ex fontibus propositis;sed diuersa quadam ratione. Nam si sermo fiat de facultatibus rectricibus, Obliuio in Phrenitide facta est perpetua, vt propterea neque recordentur mingere,neque deijcere, neque offam, quam in ore habent,deglutire,neque linguam extractam intromittere.

Quoad discursum delirium non est circa vigores tantùm, sed tot febris tempore;& propterea, vt dicebat Gal.5.de loc.aff.4.non inuadit subitò sed paulatim fit,& ad incrementum tendit.

Imaginatio vsque adeo læditur, vt falsas illas imagines,quas vapor putridus imprimit, putent omnino verissimas,& quod magis est familiares medicos,& cibos concipiant tanquam hostes, & venenum.

Pariter quod ad sensum communem attinet, præter vigilias & turbatos somnos illud accedit, quòd somnus delirium auget.

Quoad sensus externos,circa oculos lacrymę apparent acres,& erodentes,quia propter inflammationem humor ipse acrimoniam contrahit, coniunctiua tunica,quæ adnata dicitur, inflammatur,& totus oculus fuscum contrahit colorẽ, quasi,vt dicebat Hippo.1.prorhet 17.concretum habeat puluerem,& propterea nitor amittitur oculorum,& visus hebetatur,& tamen ante oculos phantasmata apparent.

Quod spectat ad sensum tactus iam non ampliùs de dolore capitis,aut alterius partis conqueruntur;sed neque de linguæ ariditate, aut siccitate.

Motus animales sunt deprauati vt iam intellixistis.

Sed his omnibus accedit Respiratio magna,& rara,vt docuit Hipp.1.progn.24. & confirmauit Galenus eodem loco,& 2.de diffic.respir. cap.2: Est magna respiratio,quia vsus est auctus,& instrumenta non dolent: est rara propter obliuionem respirandi.

De facultate vitali,& naturali plura non sunt dicenda,quàm antea diximus.

Cica qualitates mutatas vnum notat Hippo. 1.proth.17.& 19.Vocem scilicet clangosam,quę fit exsiccata larynge propter inflammationem cerebri.

Hæc

Hæc omnia signa possunt colligi partim ex Hippocrate 1. prorhet. 2. 4. 5. 6 10. 13. 16. 17. 19 31. & 2. prorhet. 1. 5. 6. & ex Galeno 5. de loc. aff. sect. 4. vt prætercam 1. prognos. de quo facta est mentio. A

Signa Phrenitidis hecticæ habetis apud Gale. 1. in 1. prorhet 35.

Tertia pars signorum.

VErsabimur in proponendis signis distinctiuis caussarum & locorum, deinde verò in alijs. B

Itaq; si Phrenitis fiat ex sincero sanguine, delirium est cum risu, & iucunditate, imaginationes & spectra, quæ versantur circa oculos, sunt obiectorum rubeorum, facies, & oculi insigni rubore sufusi sunt, venæ tument, arteriæ insigniter pulsant, & febris est continua continens.

Quod si fuerit Phrenitis ex sanguine bilioso, est cum ira, cum vigilijs perpetuis, facie squalida, citrina, oculis exsiccatis, concauis, pulsus sunt duriores, & febris exacerbatur de tertio in tertium. C

Si Phrenitis fuerit melancholica, mistum est delirium ex iucunditate & mœstitia; modo ridet modò plorant, & cùm delirant, cum studio delirare videntur: nam singuli artifices, eleganter de suis artibus, & ad propositum discurrunt; sed paulo post, vt docebat Gal. 1. in 1. prorhet. 27. turpia loquuntur, & obscœna serijs permiscent.

Quod si pituitosa sit Phrenitis, facile cognosci tur, quia est connexa cũ Comate vigili: Habent enim magna ex parte oculos clausos, etiam si nõ dormiant. Et quia hoc Coma est duplex: pigrum, & non pigrum: in pigro, si vocentur phrenitici, vix oculos aperiunt, & cum semel aperuerint, nihil respondentes eos iterum paulò post claudunt; in non pigro vocati oculos attollunt, irascuntur, dira loquuntur, & paulò post iterum quasi dormituri oculos claudunt. D

Sed quia diximus ex Hippo. & Gal. 1. proth. 1. hoc coma vigil fieri etiam ex sanguine bilioso, distinguetis hoc, quod fit ex pituita bili permista, ab eo, quod fit ex sanguine, hoc modo, quod in pituitoso, facies est pallida, oculi non rubent, sed pituita affluunt: nares similiter humidiores sunt, & pituitam expurgant. E

Venio ad distinctiua loci. Hæc diligenter notate: quia plerunque Phrenitis incipit ab inflammatione cerebri; quandoque ab inflammatione membranarum. Prima autem difficilè cognoscitur, & fallit Medicos: Si igitur Phrenitis fiat affectis primò membranis dolor insignis præcedit.

Si ex cerebro incipit, nullus præcedit, aut subsequitur dolor: non præcedit, quia cerebrum est doloris expers: non subsequitur, quia tametsi inflammatio communicetur membranis, antea facta est in cerebro: & propterea ex delirio præexistente dolorem non sentiunt. F

Propterea inflammatis primò membranis, nõ statim memoria amittitur, & delirium est valde inæquale, imaginationes sunt plures, & magis cõspicuæ, ac vigiliæ magis intensæ, quam vbi inflammatio primùm cerebrum occupat: Ratio est: Nã vbi membranæ primò inflammantur, cerebrum primò contra his intemperiem calidam, & siccam & fuliginosos vapores, quam substantia: At ex intemperie calida, & sicca intensæ fiunt vigiliæ; Ex multis vaporibus multæ fiunt imaginationes, & imagines: Et quia inæqualiter communicantur istis vapores, modò plures modò pauciores, hinc etiam inæquale delirium.

At vbi Cerebrum primariò repletur, vigiliæ nõ sunt vsque adeo intensæ propter præsentiam materiæ: imagines non sunt multæ, quia vapores eleuati ex materia in cerebro existente potiùs petunt membranas, quàm cerebrum, præterquam quod à multitudine materiæ eorum motus impeditur: est quoque delirium æquale, quia materia æqualiter ipsum cerebrum occupat.

Accedit, quod in Phrenitide à membranis incipiente, pulsus sunt duri, vibrati, conuulsiui.

In ea, quæ incipit à cerebro, pulsus sunt molles ex Gal. 4. de præsag. ex puls. ca. 8. & 9.

Adhæc affectis membranis, oculi redduntur concaui: nam inflammatis membranis cerebri; contrahuntur etiam membranæ oculorum, quibus contractis, oculus minor redditur.

Inflammata autem substantia oculi fiunt prominentiores, duri, tumidi: nam ad repletionem substantiæ cerebri, sequitur etiam repletio in humoribus oculorum: Hippocr. 1. progn. 10. inter praua signa ex oculis desumpta, & concauos, & tumidos refert.

Deniq; vbi membranæ afficiuntur, affectus est sibi similis, neque multùm variant symptomata.

In inflammatione cerebri frequentes fiunt permutationes, vt propterea aliquando magis lædatur visus, quandoque magis auditus, quàm alter; nonnunquam vnius partis motus, vt oculi; aliquando alterius, vt linguæ & mandibulæ. Mutantur quoque symptomata facultatum princip ũ, vt quandoque sequatur insignis obliuio, imaginatio autem sit sana, quandoque vero memoria iterum recuperetur, & imaginatio deperdatur. Hæc inquit Galen. 1. in 1. prorhet. 27. fieri permutata materia ab vno loco in alium locum cerebri: ex quo loco multi desumunt auctoritatem ad probandum, facultates principes esse loco distinctas. Sic igitur distinguetis Locos inter se.

Quarta pars signorum.

DIstinguetis etiam Phrenitidem ab effectibus similibus non difficili negotio.

Ab Insania quidem, sola febre: Nam insani eodem modo delirant, quo phrenitici, sed absque febre.

A pseudo delirio distinguitur Phrenitis ex cõtinuitate delirij.

Distinguitur etiam à Delirio ex Septo Transuerso; quia in Phrenitide spiratio est magna, & rara, in Delirio ex Septo Transuerso est celer, & frequens. Præterea cum delirium fit ex septo trãsuerso, adest dolor, circa eam partem, & hypochõdrii tensio, vt scribunt Hipp. & Gal. 1. progn. 28. & repetit Gal. 5. loc. aff. 4.

Quinta pars signorum, quæ continet Prognostica.

PRognostica sunt salutis, aut mortis; longitudinis, aut breuitatis; permutationis, aut resolutionis.

Et perniciosam quidem Phrenitidem explicauit Hippoc. 2. prorh. 37. 38. 39. contxt. cùm scribit Nigra euomentes, inappentes, quorum oculus est clausus, & ferox: vertiginosos, decolores, imbecilles, refrigeratos minimè esse medendos, &c. Cæterum nō tantùm nigra euomentes, sed etiam æruginem, perniciosè habere ex 1. in 1. prorhet. 30. 3. in. 3 Epid. 75. ostenditur, exemplo cuiusdam Phrenitici qui obiit quarta die cum vomitu virurento: Vno verbo, Omnia ea signa praua, quæ ex facie, & oculis, ex decubitu, ex manuum gesticulatione, ex dentium stridore proposuit Hippo. inclusiue à 10. prognostico ad 25. vsque lib. 1: Omnia inquit sunt prognostica certa futuri mali euentus in phreniticis, sicuti contra omnia opposita bonum pollicentur exitum.

N.B. Tria signa salutaria in Phrenitide. Tria obseruari signa salutaria: Primum, oculi aciem nunquam fuisse ablatam, Secundum, illos semper bene habuisse ad omnia oblata, siue essent cibi, siue medicamenta, Tertium vires vitales firmas exstitisse. Habui deploratissimum Phreniticum, qui fuit à me sanatus Venetijs.

Signa longitudinis, aut breuitatis capiuntur ab ipsamet forma Phrenitidis; Nam quæ est legitima ex sanguine bilioso, aut sanguine puro, plerūque non pertransit septimam. Spuria potest attingere 14. docente Gal. 3. de dieb. decret. ca. vlt. quinimo si fuerit melancholica potest pertingere 20 vt patet in casu vxoris Dealcis 3. in 3. Epidem 83 (86.)

Permutatur verò Phrenitis interdum in Lethargum, quod facile cognosceus, quando delirium deficerit, & pro vigilia sopor succedit.

Permutatur ad Abicessum, quod cognosceris, si aut in septima, aut 14. febris augeatur superueniente rigore, aut horrore, deinde si inæqualis color totam occupet faciem, vt modo impense sit rubra, modo pallida, atque eodem tempore alia omnia symptomata exacerbentur.

Quod si tendat ad Resolutionem, paulatim omnia mitescunt symptomata.

Therapia Phrenitidinis, & primùm quidem in principio.

VT Phrenitidis curatio rectè procedat, in quatuor illam distribuam partes, prout 4. sunt inflammationum tempora: Initium, seu Principium, Augmentum, Status, & Declinatio.

Et quia per Principium Galen. lib. de temporibus morb. cap. 3. intelligit totum illud tempus, in quo humor confluit, per Augmentum, in quo fluxus humor putrescit, per statum tempus, in quo humor in pus conuertitur, aut digeritur, per declinationem tempus, vel euacuationis puris, vel digestionis: Nos principij nomine hoc tempore duo intelligimus, Primò totum illud tempus, in quo fit fluxio, Secundò illud tantùm tempus in quo incipit fluxio. Quantum necessaria sit illa distinctio, colligeris ex curatione. Hæc secūda acceptio Principij colligitur ex Galeno de inæq. intemp. c. 3. ita vt ex illo loco possimus colligere, Principium distingui in quatuor alia tempora, quorum primum est illud, quo materia confluens replet vasa partis maiora, arterias, & venas; Secundum tempus Principij quod potest vocari incrementum, est illud, in quo replentur vasa non solum maiora, sed etiam minora vsq; ad minima. Tertium Principij tempus, quod potest dici status, est, in quo materia transfunditur extra vasa, replet omnia spatia inania, & imbuit membranas carnem, ligamenta. Quarta declinatio vocabitur, cùm hæc materia euacuari, aut digeri incipit.

Principij nomine duo intelliguntur.

His sic constitutis nomine Principij intelligo primam principij partem, in qua arteriæ maiores, & venæ replentur. Hoc tempore necessaria est fortius Euacuatio, Reuulsio, Repercussio, Intercceptio.

Venæ sectio. Euacuatio primùm fit sanguinis missione per sectam venam, dummodo vires constent, omniū consensu: Sed de Tempore est aliqua difficultas, & ambiguitas, dum Aet. ex vna parte, & alij cum eo post quartum diem minimè consulunt sectionem venæ: Aretæ. 1. curan. acut. c. 2. cum videret Phrenitidem aliquando quarto die incipientem concedit secari venam vsque ad sextum, sed si in 6. aut 7. inquit, delirium inchoet, est delirium criticum, venaq; non est secanda.

Aretæi opinio reijcitur. Falsa tamen hæc est sentia: Incipit aliquando phrenitis post septimam ex transmutatione vnius inflammationis in aliam. Ego vidi Venetijs in nobili muliere pleuritidem in septima die in Phrenitidem permutatam, quæ etiam obiit Phrenitica. Hinc Diocles apud Cœlium Aurelian, vires ipsas respiciens firmas, etiam octauo venam secat, & sanè si Hippoc. Anaxioni venam secuit octauo die in pleuritide, cur non poterit secari in Phrenitide constantibus viribus? Itaque dummodo vires constent, etiam si Phrenitis incipiat, post septimam licet venam secare.

Locus venæ sect. De loco magna est ambiguitas, primò propter ægri inobedientiam: nam delirantes brachia non porrigunt, imò contrahunt; vnde Alex. Trall. & Paul. Aeg. quos Recentiores sequuntur, in tali casu secant venam in fronte: quod tamen in Principio mali mihi nequaquam probatur, In Principio opus est reuulsione, vna à frontis euacuat ex loco affecto; præterquam quod non inuenio quomodo ille phreniticus, qui brachium chirurgo nō porrigit, lubens, ac volens venam frontis aperiri sinat.

Si dicant, ligandus est: potest etiam ligari ad secandam venam in cubito,

Quòd si hoc fieri non possit satiùs est præcipuè in obesis, & mollioribus corporibus, cucurbitulas adhibere scarificatas extremis tantum partibus, & distantibus à capite,

Sed

Suppress. mens. & hæmorrhoid. Sed oritur dubitatio vtrũ suppressis mensibus A & hæmorrhoidibus superiores, an inferiores venæ secandæ sint, Recentiores censent superiores tanquam capiti proximas, quod minimè probatur, duas ob caussas: Primo, quia Gal. lib. de cur per sangu. miss. c. 19. in omni mensium suppressione inferiores venas secandas esse consulit: Secundo, quia cùm in præsentia sermo sit de principio; de reuulsionis scil. tempore, dicebat Galenus ibidem pro reuulsione humorem longè à parte affecta esse retrahendum; Itaq; si superiores secentur, sanguis, qui fluere debebat ad vterum, retra- B hetur ad venam cauam ex qua fit totus sanguinis motus in caput: Satiùs igitur erit primùm venas inferiores aperire, & si delirium augeatur, mox etiam superiores, vtpote, quæ & reuellere, & deriuare possunt.

Si autem quærimus: Vtrum secanda sit Cephalica, an Media, au Interior, videndum est vtrum iam caput aliqua ex parte si repletum, nec ne vbi enim repletum fuerit, Cephalica est secanda, Galeno auctore 4. de loc aff. 10; Si non sit replerum, C aperiri potest media, aut basilica; In assuetis ad euacuationes hæmorrhoidum, tantundem valet hæmorrhoidum apertio, quantum venæ sectio, 4. Tuen. Val. 4.

Quòd si in sanguinis abundantia, atq; impetu in caput post sectam venam, aut cucurbitulæ affigantur, aut hæmorrhoides euacuentur, absq; etiam consuetudine præcedente, æger iuuabitur.

Quanti-tas san-guinis. De quantitate etsi Galenus 1. aph. 23. voluit D in maximus inflammationibus, ac doloribus, & febribus ardentissimus, quæ tria inueniuntur in Phrenitide, mittendum sanguinem vsq; ad deliquium animi nihilominus conueniunt omnes Medici id minimè agendum. vires enim facilè concidunt, & propter vigilias, & propter immodicos motus, & quòd plerunque cibum renuant,

Itaq; in sanguinea mittatur sanguis vsq; ad lib j. vel ad vnc. xvj. si corpus sit plethoricum.

In aliis spuriis mittatur ab. vnc. vj. vsq; ad x. E plus minus, pro varietate patientis. Hæc de sanguinis missione.

Pharmacia. Quod a Medicamenta; Conueniunt Recentiores nonnulli cum Auicenna statim ab initio purgatione vtendum, eo quod materia turgeat, & acutus sit morbus: In acutis autem morbis eadem die medicari 4. aph. 10. præcipit Hipp.

Sed tamen mihi minùs placet hoc consilium: Primo, quia medicamentum electiuè purgans, si F exhibeatur in magna copia, vires deiicit, & corpus reddit calidius, si in mediocri, ita vt non moueat, transit in naturam humoris in corpore existentis, vt docuit Gal. 3. simp. 24.
Ideo ego hac medendi ratione vti consueui, quę optimè successit. Vtor leniente, sed alternis diebus repetito, vsq; quo fluxionis signa appareant, in die intermedio vtor clystere; & si opus fuerit, iterum sanguinem mitto, vel per sectam venam, vel per cucurbitulas, aut hirudines.

Leniens, autem quo vtor est

Syr. rosʃ. sol. ad vnc iiij. cum
seri Capr. lib. iij.
Aut *Cassiæ drach. x. cum*
Pulp thamarin drach. iij.
deinde superbibant seri lib j. vel ij.

Clyster, qui imponitur, non debet esse acris, sed mollis ex iure, aut decocto hordei, & viol. sac. caro, oleo viol. & vbi aluus sit durior, possunt adhiberi

Cassiæ extr. drach. vi.

Sic quotieie procedo, vsq; quo fluxionis notæ apparent. Nec quis obiiciat, perturbari concoctionem: dum enim humor influit, concoqui non potest, sed tantùm inflammationem auget, & propterea hoc ipso tempore ego alus non vtor syrupis, sed solo sero, dummodo illud haberi queat: quòd si non habeatur caprinum, accipio vaccinũ destillatum; in defectu vtriusq; vtor syrupis refrigerantibus, qui humorem biliosum in caput confluentem prohibeant & intercipiant.

Recipe syr. de nymph.
de papauer.
Violati simp. an. vnc esem,
Aquar. violar.
Nymph.
Plantag. an. vnc. i.
Vel si magna sit sitis *an. vnc. iij.*
M. pro syrup.

Placet etiam syrupus de granatis, rhob. de ribes. Eodem tempore Reprimentia administrantur, quæ simul somnum concilient, in quo maximè sperandum; ideo in hunc vsum veniunt decocta, quæ fiunt ex viol. nymph foliis, viiis hyoscyami, mandragoræ: hæc decocta rasis capillis capiti admouentur, aut per modum lotionis & perfusionis, quod summopere laudat Rhases noster, aut per modum fomenti spongiis, aut pannis.

Potest etiam fieri Linimentum, quod linteis eo imbutis capiti admouetur. Erit autem tale.

Recipe Mucilag. psyll.
semin. cycon. an. vnc. i
Ol. viol.
rosat. compl. an. vnc. i & sem.
succ. Lactuc. vnc. i.
Succ. citr. aut limon. vnc. i. M.

Hæc in principio, etiamsi admoueantur actu frigida æstiuo tempore, nihil obsunt, præcipuè si Phrenitis sit exquisita; Sed vbi iam aliquid humoris influxit, vel Phrenitis est spuria, nunquam actu frigida sunt hæc adhibenda. nam vt dicebat Aet. membranæ iam inflammatæ frigus non sustinent; propterea ex sententia Aretæi, & eiusdem Aetii conuenit misceri in Phrenitide spuria, & in materia fluxa, serpillum, sisimbrium, & vt voluit Rondeletius etiam chamæmel; aneth; melitot. Rhases vtebatur hoc tempore oleo ros. cum lacte Et hactenus de curatione Phrenitidis circa initia.

Diæta in principio.

DIstincta ratio curandi Phrenitidem multas soluit contradictiones, quæ passim apud Scriptores versantur, non modò circa instrumenta Chirurgica & pharmaceutica, verùm etiam circa Diætetica: has omnes in vnum collectas videre est apud Gentilem in comment. quos habet in Auic. super hoc capite de Phrenitidis curatione: Nos vero longas illas prætermittentes quæstiones sola distinctione curationis Phrenitidis per sua tēpora omnes soluemus ambiguitates: & primo, B cùm circa viuendi rationem quęratur, vtrum aer debeat eligi frigidus, vel calidus, vtrum potus debeat esse frigidus, vel ne: Resolutio est, Circa Phrenitidis initium aerem frigidum esse eligendum, & etiam potum: in augmento & statu vtrūque potius ad caliditatem vergentem: in principio autem tenuis sit victus, sola ptisana, aut panatella cum emulsi. semin. melon: Amygdalatum prorsus prohibeo, quanquam tussis adsit, eo quòd caput repleat. Potus sit aqua ordei, aut destillata ex cichorio, aut endiuia, cum vino granator: C Et hactenus de Phrenitide circa initia.

Curatio in augmento.

VBi jam vsque adeo facta sit fluxio, vt spatia quoque inania sint repleta, opus est euacuatione materiæ iam in capite collectæ: non tamen prætermittenda sunt reuellentia, neque moderatè reprimentia.

Sang. missio. Pro euacuatione materiæ in capite existentis conuenit sectio venæ frontis, aut si materia ad nares inclinet, aperiendæ sunt venæ narium aut D scalpello, aut setis equinis, non sanguisugis, vt alibi docui, periculum enim est, ne sanguisuga ascendat, hęmorrhagiamque excitet, quæ nullo modo supprimi possit. Conueniunt quoq; hirudines venis temporum, & post aures applicitæ. Aet. vtitur magna cucurbitula scarificata, qua libr. i. sanguinis detrahit.

Reprimentia debent esse digerentibus mista: idcirco oleum rosac. chamomel. misceatur: aut fomentis prepos. ex viol. rosis, hyoscyamo addatur E chamomelum, puleg. sisimbrium.

Reuulsione frequentes esse debent per frictiones, ligaturas, balnea aquę calentis, & tandem per Vesicantia, quæ etsi non careant difficultate, mihi tamen probantur, & rationem potestis legere in meo 1. libr. de phœnig. Neque hoc tempore omittenda est illa euacuandi ratio, de qua antea dixi, per clysteres, & medicamenta lenientia benigniora. Etenim quanquam materia fluxa sit, tamen, quando iam incipit putrescere, & incipit augmentum vniuersale, in quo propter putredi- F nem & ebulitionem semper noua fit materiæ accessio, noua semper debet esse reuulsio hanc enim ratione poteritis prohibere conuersionem inflammationis in abscessum, quod alioquin perniciosissimum est.

Hoc ipso tempore prohibenda est larga frigidę potio. Dicebat enim Galen. 9. meth c. 5. frigidæ potionem suspectam esse, cùm aliquod præcipuum membrum inflammatione laborat: nam ex frigida inflammatio induratur & in scirrhum transit. Itaq; etiam si in cœna, & prandio non debeat prohiberi vnum vel alterum cyathum frigidæ, larga tamen potio est prohibenda.

Curatio in statu.

ACcedente statu localib. medicamentis agēdum est, quæ potiùs digerant, quàm reprimant: Dico (potiùs digerant, quàm reprimant) quia relaxantia, & digerentia, vt pote quæ præbent fluxui occasionem, sola nunquam sunt admouenda. Antiquiores Greci, & Arabes nulla nouerunt alia medicamenta, quàm olea, aut emplastra, vel fomenta, & cerata, de quibus memini in tractatu de dolore capitis, sed Latini Recentiores vt Gilbertus Anglicus, quem sequuntur Nicol. Florent. Gentilis, Matth. de Grad. &c. inuenerunt alium digerendi modum per omenta animaliū, aut pulmones, aut per ipsa animalia exentesata, siue sint canes, siue pulli colūbini. Accipiunt enim hæc animalia secundum spinam, seu dorsum secta, & sic calida capiti apponunt, & vt habeant aliquam vim somni conciliandi, & nouam prohibendi fluxionem, inspergunt vnc. j. aut vnc. ℔ & sem. pulueris hyoscyami.

Pariter pulmones calentes capiti imponunt, sicuti & omenta, addentes ad repercussionem, aut op. rosat. vel calefacientes hos pulmones in decoc rōs. viol. chamæm: puleg. atq; aliorum id genus. Hanc operationem vnus Q. Seren. Sammonius ex antiquis Medicis nouit; neq; enim apud vllū Græcorum, aut Arabum huius remedii factam esse mentionem inuenietis. Q. Seren. sic scribit.

Conueniet calidis pecudum pulmonibus apte
Tempora languentis medica redimire corona.

Debent autē huiusmodi pulmones, siue omēta, aut exenterata animalia iugiter Syncipiti adminstrari, ita vt hæc pars nę momentum quidē sit absq; hoc præsidio.

Hoc temoore Alex. Trall. Vinum concedit, nec absq; caussa, dum fuerit oligophoron, tenue: nam vires confirmat, & digestionē humoris adiuuat.

Symptomatum quorundam cuartio.

CAEterùm quibusdam symptomatis occurendum, quæ plerunq; ipsum patientem iugulant. Primùm est vrinæ suppressio obliuiscuntur enim vrinam reddere, cui prospiciendum est frequenti cōpressione circa pubem facta manu calida, aut oleo de capparibus, aut chamæmelino inuncta: Conuenit etiam spongiam calentem decocto pulegii, ononidis, & parietariæ imbutam huic loco apponere. *vrinæ suppressio.*

Nota) Ad reddendam vrinam oleum de scorpionibus est præstantissimum.

Occurendum est somno etiam, quem conciliare oportet: Conciliatur autem intrinsecus exhibita post cœnam *Vigilia*

Syr. de papau. vnc. i. vel. vnc. i. & sem.
Cum Aq. viol. & nymph. vnc. iij. vel. iiij.

Idem præstat emulsio extracta ex semin. papaueris alb. ad vnc. sem. aut drach. vi.

Et

Et cùm vigilię, ac furor sit ingens, ad opiata A est deueniendū. Dentur itaq; aut drach.sem.Requiei Nicol.aut scrup.j. Philon. Rom. vel pilul. de Cynoglos.ß. Tentanda tamen prius sunt extrinseca. Potest fieri linimentum ex croco, opio, vino odorato, & aquâ viol. quo nares inungantur, & linteo eo imbuto, frons, & vtraq; tempora cingēda sunt, & cùm somnus iam profundus accessisse videatur, lauanda erit pars vino odorato, in quo castorium ebullierit ad corrigendum opij vitiū.

Gentilis inter cetera somnifera Ranas proposuit, quandoq; viuas temporibus appositas, aliquā B do autem sectas; quo cōsilio ductus, prorsus ignoro: forte, quia putauit Ranas habere facultatem Torpedinis, quod scil. vt viua torpedo somnum conciliat, ita & ranæ, quod sint animalia frigida. Hæc agenda cum phrenitis ad resolutioné tendit.

De suppuratione.

SEd si ad suppurationem tendat, quamuis huiusmodi permutatio magna ex parte intersiciat, vt ego ipse obseruaui, attamen aliquando facto abscessu, & disrupto, natura inuenit viam pur C gandi saniem per aures, oculos, nares. Sic scribit Hipp. 6. aph: 10 Caput dolenti & circumdolenti si sanies, aut aq. aut &c. Ego quoq; vidi Venetiis iuuenem incarceratum Phreniticum, cui suborto abscessu purgata est sanies per loca iam proposita & conualuit. Itaque cùm eo tempore, quo Phrenitis deberet mitescere, incipit exasperari, vigor accedit delirium, & febris augetur, suspicandum est de suppuratione: propterea adiuuanda est suppuratio hoc Emplastro. D

Recipe radic. alth coctar. & per cribr. transmiss. vnc. ij.
Mucilag. sem. maluæ.
radic. alt an. vnc. 1. & sem.
Farin. sem. lin. vnc. vi.
Ol. camomelini
de sem. lini an. vnc. ij.
Decoct. malu.
alth.
semin. lin. q. s.
M. f. Emplast. E

Calidum capiti imponatur, & semper ibi detineatur. Vt vero ci rumpatur abscessus, vtendum sternutamentis, & illis quidem validis ex pipere, pyrethro, nigellæ, helleb. nigri puluere. & in nares sufflatis, & cùm ad sternutationem mouentur, vt facilius rumpatur abscessus, claudendæ sunt nares, nam impedito sternutamento, maior fiet motus in abscessu.

Disrupto abscessu, permittendum est opus naturę. Ipsa enim vias inuenit ad purgationem.

Et post disruptos abscessus solet relinquere F melancholicas fatuitates, & alia, de quib. suo loco

Quando Phrenitici fuerint furiosi, iubete eos ligari, & cauete ne accedatis, quia aliquando interficiunt Medicos: Et Venetiis noui quendam Phreniticum, qui duos sacerdotes interfecit; Accedit, quod ex huiusmodi ligamētis fit diuersio materiæ à capite, & eo tempore, quo Phrenitici habent ligaturas, ferè nunquam delirant; & habui

N. B. Phrenitici prius ligandi sunt ob periculum.

Venetijs Iuuenem ferocissimum qui dum erat ligatus, non delirabat, & me, cùm eum visitassem, rogauit, vt liberari iuberem, & solui vinculis: qui me decepit: Putabam enim, cùm me nomine vocaret, iam sanum rediturum sed solutus subito Phreniticus iterum factus est; & rursus ligatus comedit crumenam cum numis, quæ erat sub puluinari, atq; totum puluinar: idcirco cauti accedatis ad tales delirantes, & faciatis, vt Phrenitici prius ligentur, antequam eos visitetis.

DE LETARGO
Cap. IV.

POst phrenitidem sequitur Lethargus, qui est affectus ipsi oppositus: Latinis dicitur Veternus, Auicennæ Sirsen Frigidum: tametsi Rhases in hoc 9. ad Almans. huius mentionem non fecerit, placet tamen hoc in loco huius naturam, caussas, signa, ac curationem proponere. Est itaque Lethargus symptoma potissimum facultatis memoratricis, sed subinde operationum omnium animalium diminutarum cum febre continua ex pituita putrescente cerebrum replente. *Definitio.*

Dicitur symptoma potissimum facultatis memoratricis: quandoquidem nulla est facultas, quę in Lethargo magis læditur; atq; ideo λήθαργος Græcis dicitur, quod inertem, seu otiosam significat obliuionem.

Differt autem à læsa memoria propterea, quòd aliæ omnes animales actiones imminuantur, & Idcirco Gal. lib. de diff. symp. c. 3. Lethargum inquit esse vitium imaginationis imminutæ: Et 4. de præsag. ex puls. c. 8. dicebat in Letargo præter alias actiones læsas, esse potissimum sensum cōmunem: propter quod Lethargus est affectus somniculosus. Propterea Gal. 4. de pręsag. 8. Intemperiem inquit frigidam & humidam comatosum facere affectū, cui si putredo accesserit, lethargus fit.

Læditur etiam discursus simul cum memoria, vt colligitur ex 3. de loc. aff. c. 5.

Caussa immediata seu coniuncta.

DE caussa Lethargi magnam inuenio dubitationem, cum ex vna parte Paulus, Aet. Alex, & plurimi Recentiorum nullam aliam putant lethargi caussam præter intemperiem frigidam, humidam cum materia pituitosa, sed putrescente. Hoc colligunt ex Gal. 3. aph. 30. 1. in prorhet. 1. 4. de caus. puls. c. 13. 13. meth. 2 1. 4. de præsag. ex puls. 8. quibus in locis nihil aliud velle videtur Galen. quàm Lethargum sine tumore, & inflammatione consistere, & ex intemperie cum materia proficisci.

Ex alia tamen parte, Auic. inquit Lethargum apostema esse frigidum qui habet pro se rationes auctoritatem, experientiam.

Rationes: 1. Nam si Letgargus est perinde acutus morbus, atq; Phrenitis, vt colligitur ex Hip. 1 acut. 1. 8. 2. de morb. vbi scribit, Lethargū 7. die finem suum habere, qui potest fieri, vt morbus ex intemperie & materia frigida sit vsq; adeo acutus si inflammatio non adsit? 2. Adde quod Lethargus magna ex parte per parotides iudicatur. At

parotides, vt docuit Galen. 3. comp. loc. 1. (8.) sunt A de genere inflammationum, ergo non possunt iudicare, & soluere intemperiem frigidam cum materia frigida 3. Adde quod Phrenitis permutatur in Lethargum, consumptis tantùm partibus tumoris calidioribus, vt colligitur ex 6. in 6. Epid. 8 & 3. in 3. Epid. 45. sed sic est, quòd Phrenitis est tumor ergo & Lethargus 4. Accedit, quòd hic affectus plerunq; sanguinis missione curatur, & reprimentibus medicamentis, quæ non conueniunt in materia frigida: Curari autem ita docuit Galen. 13. meth. 21. 5. Deniq. hic affectus non contingit senioribus, sed ætate consistentibus, auctore eodem Hip. & Gal 3. aph 30. ergo non potest fieri ex simplici pituita, sed sanguine pituita permisto, ac propterea ex inflammatione, sed spuria. B

Auctoritates: Confirmantur hęc omnia Hip. & Gal. testimonio. Galen. quidem lib. de caus. morb. cap. 5. Veternum inquit, fieri ex densitate cerebri; at densitas, vt ipsemet docet, fit vel obstructione, vel vasorum suffocatione: Quocunq; modo. caussa lethargi in solam intemperiem cum materia absque morbo instrumentali, & inflammatorio referri non potest. C

Idem 7. aph. 76 Lethargum explicatissimis verbis inquit esse abscessum factum in puppi. i. posteriori parte cerebri: nonnulli transtulerunt vocem abscessus in apostema: vtcunque res se habeat, tumor per hæc verba explicatur.

Et propterea Hip. 3. de morb. & in Coacis prænotion. Lethargum, inquit, desinere ad suppurationem, præcipuè ad suppurationem pulmonum.

Experimenta: Hoc ipsum confirmatur duplici experimento: Alterum proponitur à Dodoneo in D obseruat Med. c. 7. qui scribit, mulieri Letargicæ post mortem sublato cranio abscessum esse inuentum in anteriori cerebri parte. Alterum experimentum vidi ipse in mea vxore, quæ incidit in lethargum deploratissimum; dum erat iam propinqua morti, superueniente tussi, incæpit ad screndire, & postea pus exiit ex ore, & alijs partibus: & antea laborauerat febre hectica: & erat tanquam pellis & ossa, & nunc est sana.

Vxor Auctoris Lethargica

Itaque ex his colligimus, Lethargum non tantũ fieri ex intemperie cum materia frigida & humidam, quantùm ex inflammatione, sed spuria ex sanguine scil. crasso admodum, & pituitoso. E

Non inficior tamen, posse aliquando reperiri formam lethargi spuriam. Nam sicuti docuit Galen. de caus. sympt. 7. dari deliria per consensum, & per essentiam, ita potest aliquando dari Lethargus, spurius tamen per consensum, in quo nullus aderit tumor cuius meminit Galen. 17. de Vsu part. 2. cum scribit, Lethargum fieri, aut per consensum, aut per essentiam: & de eodem Lethargo meminit Aetius ex sententia Pussidouij, F cum inquit, Lethargum fieri aut per essentiam, aut per consensum à septo transuerso, vel ab alijs viscerib. quinimo sicuti constituit Galen. in 2. de caus. symp. 7. deliria ex intemperie calida cũ materia calida, cerebrũ replente absq; inflammatione, ita quoque licet constituere lethargum spuriũ ex intẽperie cum materia absque inflammatione.

Lethargus duplex.

Cum autem verus & legitimus Letargus fiat ex inflammatione cerebri spuria, per Cerebrum ipsammet intelligimus substantiam, subinde autẽ membranas. Replentur autem & spatia inania, & ipsamet substantia, ita vt pro magnitudine tumoris aliquando ipsi etiam cerebri ventriculi, cõprimantur, sicuti minore existente tumore non cõprimuntur, vt etiam in phrenitide, contingit, & potissimùm hectica phrenitide, in qua tametsi cerebrum sit tumore affectum, non tamen ventriculi comprimuntur, vt caros vel apoplexia sequatur. Et hoc dictũ sit, vt resoluatur obiectio quorũdam, qui pręsente tumore in cerebro statim concludunt debere fieri ventriculorum compressionem, quod quidem, vt dixi, falsum est.

His sic declaratis, ne superficialiter tantùm Lethargi naturam intelligatis, & vt simul naturam habeatis somni, comatis, & cari, de quibus affectionibus singulatim tractant Græci; idcirco hoc in loco decreui horum naturam aperire, vt deinde sciatis, qualis sit hic somnus profundus, qui cũ Lethargo connectitur, & hoc etiam facio, vt fugiamus longitudinem, cùm vnica sit lethargi, & harum affectionum curatio.

DE SOMNO IN GENERE
Cap. V.

Somnus igitur vniuersaliter nihil aliud est, auctore Galen. 1. de caus. symp. 8. quam requies sensuum, seu, vt dicebat Arist. lib. de som. & vigil cap. 1. est vinculum sensuum: Nõ est tamen vsq; adeo requies & vinculum, quin in somno naturali aliquid, etiamsi debiliter sentiant.

quid sit Somnus

Fit autem hæc sensuum o iositas spiritibus animalibus calore, & sanguine ad suum principium reductis, ex sententia Gal. v. aph. 1. vt propterea Hipp. 4 in 6. Ep. 6. 14. iure scripserit, Dormientes intus calidiores, extra frigidiores esse, & propterea statim etiam vnusquisque intelligat nomine spiritus intelligi & animalem, & vitalem, & naturalem, si quis est: nam dubitat Gal. 2. meth. c. 5. Vnus ergo est somnus in genere.

De speciebus seu differentijs somni, & primùm de Naturali.

Iam ad species venio, quæ diuersificantur ex diuersitate caussarum. Nam spiritus retrahuntur vel ob caussam naturalem, vel non naturalem vel præter naturalem.

Caussa naturalis est triplex: Prima, Regeneratio spiritus animalis, qui aliqua ex parte in vigilia & motu cõsumptus est: Hac ratione Auerr. 2. collect. spiritus in somno ad centrum reductos militibus comparabat confractis, qui ad Ducem, vel ad signa reducuntur, vt refectis, ad pugnam fortiores redeant. Secunda caussa est concoctio: Nam in somno calor retractus fortiorem facit concoctionem, celerioremq;. Tertia caussa est humectatio instrumentorum sensuum: Nam cũ in vigilia, & actione exsiccentur, retractis spiritibus, & calore humectantur. Hac ratione fit somnus verè naturalis.

De

De Somno non Naturali. A

NOn naturalis somnus, qui tamen non est ad huc præter naturam, fit aut ex caussis nimium siccantibus, & spiritus digerentibus, aut ex nimium humectantibus: illæ cogunt spiritus retrahi, vt reficiantur; hæ verò prohibent, ne iam refecti possint ad sensoria confluere.

Caussæ nimium exsiccantes sunt aer æstiuus, balneum calidus, nimius motus, vigiliæ diuturnæ, nimia Venus, inedia, euacuationes modum excedentes, ira, mœror, curæ: Nimium humectantes, aer ipse humidus constitutio humida, cibus copiosus, potus vini me, acioris, otium, excrementorum retentio, vsus humectantium, vt balnei, amygdalarum, &c. id genus: Hæ omnes caussæ possunt quidem somnum facere longiorem, & profundiorem, sed qui neq; ad lethargum, neq; ad alium præter naturam affectū pertinet: Quādoquidem isti si vocentur, aut concutiantur, statim excitantur, & excitati integrè valent. B

De somno præter naturam. C

HActenus de somno naturali, & non naturali, nunc autem de sōno præter naturam dicendum est. Κῶμα & καταφορά vocatur hic affectus Græcis, Latinis sopor, Arabibus subeth, vel subecia. Distinguitur autem à Gal. 2. in 1. prorhet. 25. in tres differentias, quarum primam simpliciter somnum appellat, secundā propriè dicit κῶμα tertiā vocat κάρον. Distinguuntur hæ differentiæ inter se forma, & caussis: Forma: Nam Somnus absolute acceptus aut modum excedit naturæ in sola prolixitate, vt notauit Gal. 2. aph. 3. aut excedit in longitudine, & profunditate ita tamen, vt vocati & agitati excitentur tandem, & consueta sensuum officia exerceant. Hoc colligitur ex 2. in 1. prorh. 29. D

Coma autem dicitur, cùm somnus non modò est longus, & profundus, verùm etiam vsque adeo est profundus, vt ægri vocati, excitati, & concussi, puncti, & vellicati vix respondeant, & cum primùm oculos aperiunt, vel aliquid loquuntur, iterum in somnum relabuntur. E

Caros autem dicitur, quando ægri etiam vellicati, & puncti nullo modo excitantur, aut loquuntur, aut oculos aperiunt.

His tribus somni differentiis propositis, videndum est, qualisnam lethargo conueniat, quod fiet, si caussæ singulorum explicentur.

Caussæ somni Præter naturam, & singularum eius specierum.

SOmnus igitur in prima significatione habet pro caussa aut solam humiditatem excellentem, quę prohibet transitum spirituum ad instrumenta sensuum, vt docuit Gal. 2. aph. 3. 4. acut. 4. vbi hunc somnum vocat Cataphoram 1. in 3. Epid. 7. vbi eundem vocat Coma, aliquādo fit ex humiditate frigiditati connexa, vt 2. in 1. prorhet 29. Sed frigiditas non est signis, nec momenti magni: nā intensa frigiditas facit Coma, & Carū. F

Hæc humiditas aliquando est primaria in Cerebro, nonnunquam trāsmittitur ab infernis partibus, vt à ventriculo dulci pituita repleto, quam inferre somnum docuit Galenus lib. de multitud. cap. 11. & præcipuè cùm circa os ventriculi abūdauerit, Gal. teste lib de caus. sympt. cap. 7. Mittitur quoque vapor humidus ab intestinis, pituita repletis potissimum quando vermes adsunt; idcirco pueri aliquando in somnos longos ex hac caussa incidunt: denique ascendit ex vtero, & toto corpore, præcipuè circa accessionum febrilium initia. Galen. 2. aph. 1. Et hactenus de somno præter naturam, qui tamen nihil commune habet cum Lethargo: etenim neq; continus est, neque vsque adeo ægre excitabilis patiens in hoc somno, sicuti in lethargò.

DE COMATE
Cap. VI.

ITaque transeo ad Coma: Hoc coma ex Gal. 1. in 1. prorh. 1. & lib. de com. c. 2. & 3. duplex est Vnum Vigil, alterum Somnolentum: Vigil. Greci vocanit κῶμα ἀγρυπνῶδες, Arabes Sahara, Subecia Sommolentnm verò κῶμα ὑπνῶδες, Arabes Subetsara: Aetius has comatis differentias explicauit sub nomine Catoches, quod etiam fecit Paul. in principio illius capitis, sed Catoche est alius affectus.

Cuma seu Cataphora vigile est, in qua patientes oculis conniuet, vt videantur somnum capere, cùm tamen non dormiant; sed vocati oculos aperiant, ac statim delirent, & paulò post iterum, quasi dormituri iacent immobiles, & quieti.

Caussa comatis vigilis.

CAussa huius affectus est intemperies inęqualis, aut ipsiusmet Cerebri, vel humoris in cerebro contenti, quod colligitur ex Gal. 3. de loc. aff. c. 5. Est intemperies inęqualis cerebri calida, & frigida simul, quando scil. adsit febris ardens, inflammatio cerebri vsque adeo vehemens, vt calidum natiuum absumat, tunc adest calor extraneus, cuius ratione coguntur vigilare: Adest defectu spirituum animalium, & caloris natiui, cuius ratione coguntur vigilare: adest defectus spirituum animalium, & caloris natiui, cuius ratione proni videntur in somnum, nec tamen dormiunt huius caussæ meminit Gal. 3. in 1. Epid. 7. in casu Hermocratis.

Fit quoque hæc passio ex caussa venefica potissimùm calida, de qua meminit Gal. 4. de loc. aff. 2

Eadem passio fit ex intemperie inęquali materiæ existentis in cerebro, & hoc dupliciter, aut quando simul adest materia sicca, & humida, vt est sanguis; & bilis, aut cùm adest frigida, & calida, vt pituita, & sanguis, seu bilis: vtroque modo fit coma vigil, auctore Gal. 1. in. 1. pror. 1. & neq; hoc coma habet aliquid affinitatis cum Lethargo.

De Comate Somnelemto.

REmanet Coma somnolentum, quod quidem esse Lethargi proprium docuit Gal. 2. aph. 3 & lib. de Comate, c. 2. & 2. in 1. prorh. 29.

Caus-

Caussæ.

SEd videndum est, quęnā huius Comatis caussæ sint, vt videamus, nunquid cum caussis Lethargi conueniant. Gal. 1. de caus. symp. 8. 2. de loc. aff. vlt. 3. loc. aff. c. 5. 4. loc. aff c. 2. nullam aliā visus est nosse comatis somniferi caussam, quā insignem refrigerationem vel humectationem cerebri, siue hæc refrigeratio & humectatio sit in intemperies sine materia, siue cum materia, sed si ita se res habet, hoc coma non poterit esse idem cum Lethargo, quem affectum ostendimus ex omnium sententia esse cum intemperie calida, si verum est, vt est verissimum, materiam Lethargi esse putrescentem, & omnis putredo caliditatem habeat annexam. Accedit ostendisse nos in Lethargo inflammationem adesse, quamuis spuriam. Quod si adest inflammatio, non potest consistere frigida intemperies: reliquum igitur est, vt detur Coma soporiferum ex inflammatione factum: & sanè si Gal. ipse Coma vigil. & soporiferum mediam constituit affectionem inter Phrenitidem, & Lethargum, eo quòd sit particeps vtriusque, qui fieri potest Phrenitidem, & Lethargū esse inflammationes, Comata autem, inter hos affectus media, esse sine inflammatione? Hoc maximè colligitur ex Hip. & Gal. qui 3. in 3. Epid. 45 62. 64. vbi loquuntur de huiusmodi comate, semper de eo loquuntur tanquam de affectu inflammatorio, & propterea Aet. qui vocauit hunc affectum (vt dixi κατοχὴν) illum inquit esse Lethargo periculosiorem, at si est periculosior Lethargo, non potest esse affectus ex sola intemperie frigida & humida, aut materia consimili sine inflammatione, aut tumore, quæ longas constituunt affectiones.

Obiectio. Sed dicetis: Qui fieri potest, vt Coma inflammationem sequatur? Nam si Coma est profundus somnus, & somnus profundus, teste Galen. 3 loc. aff. 5. & loc. cit. semper fit ex intemp. frigida, quomodo fiet hic affectus ex inflammatione.

Solutio. Facilis tamen est responsio: Somni caussa, vt intellexistis, quamuis specie sit multiplex, genere tamen est tantùm duplex, videlicet spiritus non tendentes ad sensoria, vel quia sunt consumpti (resoluti,) & hęc est vna caussa, vel quia impediti, & hæc est secunda. Impedimentum specie est multiplex; nam siue intense refrigeratum sit cerebrum, siue impense humectatum, vel insigniter obstructum, aut compressum, siue compressio fiat ex tumore siue ex cranio contuso, aut squama ossis, aut alia simili caussa, semper somnus sequetur, hoc confirmo Gal. auctoritate (hæc intelliguntur de somno præter naturam.)

Quòd somnus fiat ex obstructione, & densitate cerebri, colligiti ex libr. de morb. caus. c. 3. dum scribit, Veternum fieri ex densitate, siue densitas sequatur plenitudinem suffocantem, siue obstructionem. Idem Gal. 1. de art. t. 22. v 2. secutus Hippocratis sententiam, qui dicebat, ex luxatione mandibularum, affectis musculis temporalibus, Soporem sequi dixit Soporem fieri ex inflammato cerebro propter communicationem inflammationis factæ in musculis temporalibus: Idē Gal. 4. de loc. aff. 2. ex compressione cerebri facta inter terebrandum, aut ex squama ossis altum dicit sequi Soporem.

Obiectio. Neque est quod quis dicat, posse quidem sequi Soporem ex compressione cerebri, quando nimirum cerebrum comprimit ventriculos, atque fieri Caros, non Coma, ex cerebri autem compressione sola, absque ventriculorum compressione Somnum fieri non posse.

Solutio. Obiectio enim nullius est momenti: quandoquidem dummodo spiritus animalis aliquo modo prohibeatur, ne transeat ad instrumenta sensuum, necessariò somnus sequitur, sed potest impediri non solum obstructis ventriculis, aut compressis, sed etiam ipsa cerebri substātia; imò (quod magis est) arterijs etiam carotidibus impeditis, ergo nihil refert siue impedimentum sit in vna, siue in alia parte. Antecedens probo. Spiritus, vt transeat ad instrumenta sensuum, necessariò primùm præparantur in plexu coroide, ad quem mittuntur spiritus vitales, si spiritus vitales non mittantur ad hunc plexum, aut missi non mittantur postea ad ventriculos, nonne frustrabuntur sensoria propria proprijs spiritibus? Hoc est certissimum: nam propterea Gal. 16. de vs. part. ca. 12. inquit, musculis temporalibus affectis soporem fieri, eo quòd propter connexum, quem habent cum arterijs soporiferis, arteriæ ipsæ comprimuntur, & ideo scribit Hipp. de aer. aq. & loc. Scythas incisis his venis post aures, quæ sunt arteriæ, soporosos fieri, hoc ipsum dico de cerebro, antequam enim sensoria spiritus recipiant, necesse est transeant à ventriculis ad cerebri substantiam, quæ si fuerit compressa ex inflammatione, transitum non admittit, hinc fit sopor etiam in affectu inflammatorio.

DE CARO
Cap. VII.

TErtia vitiosi Somni species Grecis Κάρος nuncupata, ea est, in qua ægri somno vique adeo profundi sepulti sunt, vt neque clamores, neque punctiones, aut vellicationes sentiant, idcirco hic affectus Gal. 5. aph. 5. totius corporis insensibilitas, & immobilitas dicitur, & propterea idem Gal. vt ostenderet in Caro imaginationem prorsus tolli, de sympt. diff. 3. inquit, Carum esse paralysin imaginationis, & idem 2. de artic. 22. inquit in Caro non modo tollitur sensus, & motus, sed & imaginatio, & discursus, & memoria: itaque vno verbo 4. de loc aff. 2. inquit, Carum esse vitium omnium facultatum animalium sola spiratione relicta integra.

Illud

Illud tamen est notandum, in Caro aliquam A esse diuersitatem secundum magis, & minus, vt vnus exquisitus, alter spurius propterea dici possit. Exquisitus quidem descriptus est nuperrime.

Carus duplex,

Spurius, in quo aliqua ex propositis conditio de est: sic scribit Fernel. lib. 5. pathol. cap. 2. aliquã do in Caro memoriam seruari: sic etiam quidam reperiuntur Caro affecti, qui punctiones sentiunt & propterea membra retrahunt puncta, quo argumento coniicimus sensum tactus in ea parte seruari: & ego (Auditores) noui virginem nobi- B lem, quæ singulis diebus incidit in Carum, & in eo permanet duas horas; sentit tamen ligaturas, frictiones, cucurbitulas, & tamen moueri non potest.

Caussæ.

CAussę ipsius Cari partim sunt diuersæ à caussis Comatis, & Lethargi, partim eædem, sed fortiores: Diuersæ sunt; nam in omni Caro ob- C structio, aut desitas, aut subsidentia ventriculorum cerebri adest; priorum quidem, ac medii, nõ autem postremi, vt docuit Galen. 4. loc aff. 2. Hæc obstructio aliquando fit ex materia crassa, & pituitosa, quę per nares excerni consueuit, in ventriculis retenta, Gal. lib. de instr. odor, circ. fin. teste (Et hic liber nõ est finitus,) Aliquando autem huiusmodi obstructio fit à vaporibus ascendentibus aut à ventriculo aut ab intestinis, vel ab vtero, sicut in ea virgine, de qua antea dixi, aut à toto corpore, potissimum circa accessuũ initia, vt pro- D pterea illę caussæ, quæ faciunt Coma, si intendantur, faciant & Carum; Intenduntur autem vel ratione copię, vel ratione qualitatis: ratione copię cum vsq: adeo abundant, vt ipsos obstruant ventriculos: ratione qualitatis, quando frigiditas Intensior est, quàm frigiditas Comatis; ideo, quæ Carum facit, pituita erit vitrea, acida, sicut quæ Coma facit, dulcis erit.

Distinguitur etiam Caros à Comate ex caussis comprimentibus, siue sit terebratio cranei impor- E tuna, siue ossis depressio ex contusione, siue squama ossis ex vulnere: istæ omnes compressiones sunt vsq, adeo validę vt ventirculos comprimãt! hinc loco Comatis Caros sequitur.

Subsidentia quoque facta ex caussa dolorifica, aut veneno, fortior est in Caro, quàm in Comate: ideirco dicebat aliquando Hip. 7. aph. 58. eos, quibus concussum est cerebrum, mutos fieri, eo quòd, vt Gale. in com. explicat, spiritus animales propter concussionis vehementiam contrahun- F tur, quibus contractis partes subsident, his igitur existentibus caussis ipsius Cari, quæ partim conueniunt, partim discrepant à caussis Comatis, nulla ex istis habet affinitatem cum Lethargo: ideirco si aliquando Caros cum Lethargo connectitur, oportet, vt fiat ex inflammatione: & sanè Gal. & Hip. 2. de artic. 22. & 21. docent, Carum fieri inflammato cerebro per consensum musculorum temporalium, & neruorum inflammatorum: itaque Caros ex inflamatione potest aliquã do cum Lethargo connecti.

Neq; est quod quis dicat, Gal. 13. meth. 21. ad differentiam Lethargi: Nam (vt intellexistis) Cari non est vnica caussa, sed multiplex, & cùm magna ex parte Caros sit vel sine febre, vel fiat tantùm circa febrilium accessionum initia, iure Gal ad hoc respiciens dixit, Carum fieri ex materia non putrescente, quatenus scil. plerunq; ortum ducit ex humoribus, aut vaporibus frigidis, & humidis tantùm, & si non sint putridi, non tamen sequitur, quin possit etiam fieri ex inflammatione, & ideo cum Lethargo coniungi.

obiectio. *Solutio.*

Nec obijciat aliquis; In Lethargo patientes sensum, & motum quendam retinere. In Caro autem nequaquam: Etenim, vt Carus auctus trã sit Apoplexiam, ita lethargus consummatus ex Comatoso affectu suscipit Carum, hoc dico quia ego propria experientia vidi Lethargicos, qui in principio habebant sensum & motum, in processu verò temporis illos amisere: Videatis Galenum 5. de loc. aff. 1. qui scribit in Caro respirationem lędi, & tamen 4 loc. aff. 2. explicatissimis docuerat verbis, Carum in hoc tantum differre ab Apoplexia, quòd in Caro spiratio integra seruetur Hæc contradictio aliter conciliari non potest, nisi dicamus loqui Galenum 5. loc. aff. de Caro spurio transeunte in apoplexiam, vt pari ratione liceat quoque nobis dicere, Carum connecti aliquando cum lethargo.

alio obiectio. *Solutio.*

Cap. VIII. Differentiæ lethargi, & caussæ mediatæ.

HIs declaratis iam parent cuiq; differentiæ, & caussæ Lethargi mediatę. Differentiæ quidem nam Lethargus vel est proprius, vel improprius: Improprius est, qui à materia pituitosa putrescente, sed absq; inflammatione, oritur: Proprius verò, qui fit ab inflammatione spuria, qui trifariam diuidi potest. nam vel fit à sanguine pituitoso, mixto cum aliqua bilis portione, prævalente tamen pituita, & hic dicitur Coma somniferum; aut fit ex inflammatione pituitosa, syncera, sed inæqualiter cerebrum occupante, & est Lethargus propriè acceptus, cui annectitur Coma; aut deniq; fit ex materia ęqualiter totum corpus cerebri occupante, ita vt dici possit Lethargus hecticus, sicut datur etiam Phrenitis hectica 1. in 1. prorhel. 33. & huic Lethargo iungitur Caros, nõ Coma.

Mediatæ caussæ facilè colliguntur ex dictis, nã illæ omnes, propter quas sanguis pituitosus in cerebro coacernatur siue sint excretionum suppressiones, siue intermissio exercitij, siue vsus eorum, quæ augent pituitam, & replent caput, vt cœpæ, de quibus satis,

Signa dictorum affectuum.

SIgna alia sunt Lethargi Incipientis,alia facti. Incipientis Lethargi signa sunt, febris lenta, propensio in somnum,somnus sine somnijs, vel quæ non possunt referri à patientibus,facies pallida,plumbea;mucus,& pituita ex naribus,& ore sponte defluunt;obliuio circa exacerbationes febrium contingit:Capitis dolor grauis,& extensiuus;aurium sonitus;oculorum hebetudo,tremor; vrinæ crassæ,ac crudæ.

Factum Lethargum ostendunt signa ab Hip. proposita in prænot.Coac. his verbis: Lethargici sunt tremuli,somniculosi,tumidi,decolores,oculis omnino sunt conniuentibus; palpebras habẽt tumidas, facies circa vigorem febris rubicũda apparet, venæ inflammantur;ore manent aperto;si quis cibum porrigat obliuiscuntur illum deglutire. Cumq; Lethargus iam consummatus sit vel proprius vel improprius;Improprij quidem signa erunt febris lenta, continua, pallor faciei, oculi tumidi, somnus profundus, à quo dum excitantur,non delirant;pulsus parui,celeres,non admodum frequentes, neque inæquales inæqualitate systematica, siue collectiua, vrinę crudæ,crassæ lingua albicans,sine siti;mucus ex naribus,& saliua ex ore continuò diffluunt.Proprius,qui fit ex inflammatione,cùm triplex sit,habet quoq; signa varia distinctiua secundum varias species.Nã in Comate Soporifero,quæ est prima species Lethargi spuria,quamuis in somnum sunt propensi,faciliùs tamen excitantur,excitati statim delirant, vocem habent tremulam,linguam balbutientẽ, & cum dormiunt,si excitentur, irascuntur, linguam habent siccam,albicantem, genę sunt rubæ lacrymæ ex oculis erumpunt eorumq; venæ tumidiores,& rubicundiores sunt,

In exquisito autem Lethargo somnus est profundior, vt vix etiam vellicati & puncti respondeant,& si respondeant,pauca loquuntur,neq;ad rem,& si quis cibum porrigat,os non claudunt, offam non deglutiunt,cadit caput ad pedes, & si, pariter quis aut matulam porrigat,aut quid tale obliuiscuntur,& matulæ,& emittendæ vrinæ,atque omnium excrementorum,

In Lethargo Hectico non amplius excitari possunt,quamuis validissimis etiam vtamur ad eos excitandos medicamentis,respiratio fit difficilis cum stertore aliquo,mandibulę ita constringuntur,vt non nisi violenter aperiri possint,& si sunt apertæ,occludi non possunt.

Signa distinctiua Ex his notis facilè distinguitur Lethargus per essentiam factus ab illo,qui est per consensum, præcipue à diaphragmate;Nam in illo dolor circa præcordia præcessit,respiratio crebra,& celeris & hypochondrii distensio.

Differt & à Comate & à Caro factis absq; inflammatione, & absque putredine, quia in his febris non adest,

Differt ab iisdem affectibus,qui sequuntur febres partium infernarum, quia sopor in illis nõ est cõtinuus;sed tantùm circa accessionum initia.

Vtrũ aũt Carus sit factus ex contusione cranii, A aut terebratione importuna,& squama ossis,cõprimente, poteritis consequi ex contusione, aut fractura ossis vel capitis,& relatione astantium; ex quibus etiam poteritis intelligere,vtrum patientes ex assumpto opio,aut mandragora vel hyosciamo in hunc inciderit affectum.

Distinguitur Lethargus à læsa memoria,quia in illa cęteræ principes facultates,sensus& motus seruantur.

Differt quoque ab Apoplexia, respiratione, & febre:Nam deprauata est spiratio,& nulla est febris in Apoplexia. B

A Syncone etiam,& vteri pręfocatione distinguitur quia in his affectibus, & respiratio, & pulsus tolluntur.

Prognostica.

EST Lethargus,ex inflammatione factus valde periculosus affectus,vtpote qui,sicuti scribebat Hip.in Coacis & 3.de morb.desinat in suppurationem pectoris,& vix septimam transeat: C periculosior autem est,si Phrenitidem sequatur: Sic scribit Hip.6.in 6. Ep. 8. Phrenitim vertis in Lethargum malum.ratio est clara:nam vires ex phrenitide iam debiles alium non sustinebunt acutum morbum: periculosus etiam est, in quo tremor adest,7.aph.76.eo quòd tanta sit inflammationis magnitudo,vt iam ad neruos pertingat eo periculosior etiam est Lethargus, quo minor fit sensus,quo diutius somno iaceant sepulti, inexcitabiles.Hipp. 5.aphor. 5.Si ebrius repente obmutescat,conuulsus moritur, nisi febre superueniente vox restituatur: malum quoque signum D est in Lethargicis deiectio liquida,fœtida,potissimùm sine sensu excreta,ex 3.de morbis.

Idcirco prudentes oportet esse Medicos,& valde accuratos in huius affectus curatione.

Curatio.

CVratio autem distinguitur in duas partes: nam in prima curabimus Lethargum ab inflammatione,consequenter Coma,& Carum,vbi ex his prodeunt caussis:in secunda erit sermo de E Lethargo improprio ex sola pituita absque inflammatione facto, quæ curatio erit quoque cõmunis Comati,& Caro sine inflammatione.

Prima adhuc diuiditur in duas partes, prout duplex est Lethargus,Incipiens,& Factus.

In Incipiente,si vires constent,secanda est vena,ex Aetii,Paul.Alex.Auic.& Galen. sententia. *Vena sectio.* 13.met.11,quod si Mesue, atque alii cum eo, venæ sectionem pretermittunt, ad improprium respexerunt Lethargum,qui sine inflammatione F fuerit.

De loco,& tempore nihil dico:Regulas habuistis intract,de Phrenitide,ad illas confugiatis.

Quantitas debet esse pauca,non excedatis in corporibus plenioribus vnc.viij.in minùs plenis iiij.& si vires non constent,hirudinibus, cucurbitulis res est transigenda;in his tamen parca quoque sit sanguinis eductio. Scribit Gordon.se vidisse Lethargicum quendam extinctum ex copios

piosó sanguine per hæmorrhoides educto: Hoc A ipso tempore, cùm adhuc mente constant patientes, licet illis pharmacum dare electiuè purgans, coctione non exspectata. Alexand. idcirco, cuius sententiam accepit Auic. Rhas. 1. continent, Aretæus, & alii, præbent diagrid. cum castor. Mihi magis probatur vsus trochisc. alhandal. siue ex colocynthide. V. g.

Recipe troch. alband. gran. vij.
Castor. scrup. ij. M. & cum oxymel scyll.
f. pil. 3. quas accipiant summo mane.

Quidam ex recétioribus probant pill. cochias, B quæ mihi non omnino improbātur, tametsi Arabes putauerūt in lethargo Aloes vsum esse suspectum, eo, quod sit soporarium medicamentum, & propterea hiera quoq; in his casibus est suspecta: eodé tempore frictiones adhibeantur, ligaturæ, suppositoria acria, clysteres acres, & si feces fuerint induratæ, præmittatur clyster mollis; eductis autem fecibus imponatur hic acris.

℞. pulp. colocynt. in petia ligata drach. i. sem.
Puleg. Cala ment.
Orig. Thym. an. M. i. C
Vtriusq; Centaur. an. M. sem.
Sem. Cartham vnc. sem.
f. decoct. s. a.
Recipe huius decoct. lib. i:
Hier. Pachii drach. ij.
Eiaphœnic. vnc. sem.
Mell. ros.
Ol. camomel. an. vnc. iij:

Hæc forma clysteris debebit esse in vsu saltē alternis diebus, toto tempore permanentiç lethargi: aliis autem diebus, & horis, si non semper, sal- D tem frequentissimè debent Lethargici detinere hanc suppositorii formam.

Recipe Trochis. Alband. scrap. i.
Diagrid. gran. viij. Sal. gem. gran. xij.
Hier. Diacolocynt. drach. ij.
Mell. q. s.

M. & f. Supposit. longitudinis digiti minimi cum filo.

Et si flatus valde vrgeant, addendum est Cyminum: nihil enim magis lędit lethargicos, quam flatus. E

Interim vtendum quoque reprimentibus ex Gal. 13. method. 21. Auic probauit ol. rosac. cū acet. in qua re etiamsi improbetur à nonnullis, quòd in materia frigida non conueniat hoc reprimens frigidū; sequitur tamen Gal. 2. de comp. per ldo. ca. 1. qui in lethargo vtitur in principio acet. cum oleo rosaceo, sequitur etiam rationem: nunc enim est sermo de Lethargo incipiente, in quo materia non est fluxa.

Hoc tempore victus debet esse tenuissimus per biduum, aut triduum, cuiusmodi sunt aut sola F mulsa, aut ptisana cum mulsa.

In Lethargo iam Facto præter reuulsoria iam dicta, & vesicantia extremis partibus, cruribus scil. & brachiis affixa, singulatim à capite euacuandū est. Primùm quidem secta frontis vena, aut apertis narium venis, vel illis, quæ sunt post aures aut fixa magna cucurbitula occipiti.

Quę si non possint, digerentibus quoque vtendum, præcipue siccioribus, vt fomentis, seu sacculis, repleus pipere, castorio, ruta, pulegio, maiorana, stœchade: nam vnctuosa, & humida somnū faciunt: adhibeantur autem & syncipiti, & occipiti, sicuti reprimentia soli syncipiti sunt admouenda.

Purgetur etiam caput, errhinis seu sternutamentis validis, dummodo sopor sit valde profundus; mitioribus, autem, si minus profundus fuerit idcirco castoreum cæteris omnibus anteponitur, aut puluerizatum, & insufflatum, aut mistum cū succo maioranæ, aut betæ: & quia masticatoriis, aut gargarismatibus vti non licet (neque enim ægri obtemperant cum non habent sensum) in his casibus cōueniunt illitiones palati ex Theriaca, ex dia sinapi misto cum pulu. colocynth. aut agarici, quæ à proprietate pituitam educunt.

Et quia valde proni sunt in somnum, Quæritur: Verum omni ingenio sint excitandi? Nam Cœl. Aurel. 2. acut. 4. & Thatri-s apud Cels. lib. 3 cap. 20. improbant hos frequentes Lethargicorū clamores, punctiones, vellicationes, quæ virtutem fatigent: ex altera parte antiquiores Latini Gentil. Gordon. Valesc. Matth. de gradib. volunt excitari Lethargicos adductis in cōnclaue porcellis, fortiter clamantibus, & malleis percutientibus vasa ænea, & campanas, quę omnia tamen operosa mihi videntur, ac ridicula. itaque sicuti excitādos omnino censeo, quòd somnus inflammationē augeat, 2. aph. 1. ita elegantioribus potius, vtendum esse auxiliis puto.

Probatur mihi Linimentū factum ex pilis humanis ipsius ægri crematis, & pulerizatis, ruta, & aceto, quo illinatur frons & tempora. Ex suffumigiis quanquam multa probentur, vt galbanum, assa fœtida, & alia id genus, placet mihi, vt accipiatur acetum, in quo ebullierit Castorium, ruta, pulegium; deinde hoc aceto aspergantur laminę ardentes, vt ægri fumum naribus excipiant interim ricandi sunt artus squilla aceto commista, ac verberandæ huiusmodi partes vrticis, & repetendæ sæpius frictiones, & percussiones: mutandum est cubile, & conclaue: agitatio enim corporis iuuat: iuuat quoque, vt sentit Trallianus, illos in balneum immergere, excepto capite. Et hæc de curatione Lethargi, siue Soporis cum inflammatione dicta sufficiant.

Curatio Lethargi improprij sine inflammatione.

QVod ad Lethargum sine inflammatione attinit, nulla est diuersitas in curatione, nisi in missione sanguinis, & in reprimentibus, neq: enim in hoc casu conuenit sanguinis missio, neq; reprimentia illa frigida. In cæteris ita agendum, vt diximus in Lethargo cum inflammatione.

DE LAESIONE MEMORIAE
Cap. IX.

MEmoria, quam Plato in Theæteto matrem vocauit Musarum; alij dicunt Iouis amasium,

siam, imaginationis conceptaculum, scientiæ thesaurum, & lumen, & cuiusque ingenii ornamentum, nõ modò in Phrenitide, Lethargo, Comate, & Caro, de quibus iá egimus, Apoplexia, Epilepsia Fatuitate, & Amentia, de quibus infra, vitiari consueuit; sed etiam ipsa per se sola, vt propterea nostræ sint partes de Memoriæ læsione, aut Memoria læsa nũc verba facere, tametsi partem hãc prætermiserit Rhases: quia verò non possumus intelligere, quid nomine læsę Memoriæ hic intelligamus, quid ve sit hęc læsa Memoria, quæ ipsius differentiæ, & caussæ, nisi primùm sciamus, quid intelligamus per Memoriam naturaliter se habẽtem; idcirco ante omnia de hac differendum.

De Memoria Naturali.

MEmorię nomine in præsentia Reminiscentiam quoq; complector, & quod ad memoriam pertinet, tripliciter accipitur: pro potentia, pro Habitu, pro Actu.

Definitio Memorię Natural. Memoria accepta pro potentia nihil aliud est, quàm facultas animę potissimùm sentientis, subinde intelligentis, apta ad recipiendas, ac conseruandas species sensiles, & insensibiles, cum cõditionibus indiuiduantibus per se: intelligibiles per accidens, cùm factum fuerit tempus, ex moderata temperie, ac conformatione posterioris cerebri partis.

Dicitur *potentia animi sentientis*, quia cùm sit etiam in brutis, cane, elephante, equo, &c. non potest dici animæ intelligẽtis, nisi per accidens, quatenus scil species etiam intelligibiles mediantibus istis phantasmatibus, quæ pertinent ad Memoriam sensitiuam, ipsæ quoque reseruantur.

Dixi *aptam ad conseruandas &c.* Per *sensibiles* intelligimus imagines omnium obiectorum externorum, quę prius offeruntur sensibus externis recipiuntur in sensu communi, & deindę communicantur imaginationi.

Per *insensibiles* intelligimus illas imagines, quę aut extrahuntur ex sensibilibus, vt volunt Auerr. Auic. Albert. & alij cum his, aut necessariò concomitantur, vt Græci omnes proponũnt, vt Arist. ipsa sensibilia. Hoc dico propter Tyrones, quia Arabes ponebant ęstimatiuam, quæ extraheret species intelligibiles ex sensibilibus; Græci verò necessariò intelligibiles species comitari sensibiles; Sed quicquid sit, nihil ad nos.

Diximus, conseruare Memoriam has species *cum conditionibus indiuidualibus*, ad differentiam intellectus. Nam hic nunquam versatur circa huiusmodi imagines cum conditionibus indiuiduã tibus loci, personæ, situs, habitus, & temporis.

Diximus etiam, *cùm factum fuerit tempus*, vt distingueremus Potentiã Memoratricem ab Imaginatrice. Cùm enim Imaginatio suscipit species obiectorum à sensu communi, versatur circa illas cum conditionibus indiuidualibus, absente etiã obiecta, & diu potest in illis versari, & quamdiu versatur, non dicitur Memoria, sed Imaginatio: vbi autem semel Imaginatio intermiserit huiusmodi operationem, illa facultas, quæ habet reassumendi vim, vel retinendi illas imagines, quę ãtea fuerant in imaginatione, dicitur Memoria propterea iure Arist. de memor. c. 1. dicit Memoriã esse facti, & præteriti, non rei præsentis.

Diximus etiam hanc facultatem *per accidens conseruare species intelligibiles*, quia non potest illas conseruare absque conditionibus indiuidualibus, quæ pertinent ad sensum communem, atque imaginationem.

Denique diximus, fieri hanc Facultatem mediante *temperie, & moderata conformatione* Nam & nimia caliditas, & nimia frigiditas, humiditas & siccitas, Memoriæ sunt contrariæ. Calida, quia non permittit species sensibiles imprimi in ipso cerebro: sunt enim in continuo motu propter calorem spirituum. Frigiditas, quia species in spiritibus frigidioribus, ac cerebro frigidiore non imprimuntur, sicuti nec in ficciore. In humidiore autem possunt quidem imprimi, sed statim euanescunt non minùs, ac impressiones figurarum in aqua, aut alio corpore fluido.

Denique dictum est *in posteriore cerebri parte*: quandoquidem hæc pars tanquam ceteris durior meliùs potest species retinere. Accedit, quòd sicuti anterior est propter receptionem specierum in continuo motu; posterior est condita illis tantum conseruandis: propterea hic locus quietus Memoriæ consecratus est. Hinc fit, vt qui amplo sunt occipite, valeant Memoria, Hinc etiã fit, vt percussi in ea parte amittant Memorã, & medicamenta ibi applicita ipsam iuuent: eadem ratione fit, vt nonnulli simul, & Memoria, & Ingenio valeant.

Hanc sententiam de principium facultatũ distinctione per sedes, & loca non modo habuere Arabes, Auerr. 2 coll. 2. & Auic. 6. natural: & inter Latinos Albert, 2. de anima: inter Græcos Aet. 2. tetrab. c. 2. verùm etiam colligitur ex Gale. 1. in 1. proth. 27. 4. de loc aff. 2. neque tamen pugnat hæc sententia cum illa, quam habet lib. art. medic. vt modo subiungam. Hæc de Memoria, vt est facultas & potentia.

Memoria, vt Habitus (nomine habitus potestis etiam accipere dispositionem) nihil aliud est, quàm impressio imaginis sensatæ, & non sensatæ, cum conditionibus indiuidualibus, cum factũ fuerit tempus ex cerebri moderata temperie, & conformatione.

Nihil differt hæc definitio à prima, nisi quòd in illa accipimus aptitudinem & potentiam ad recipiendas species, & conseruandas; in hac explicamus actum primum, impressionem speciei in anima, mediante temperie, & conformatione cerebri moderata.

Denique memoria accepta pro Actu secundo, pro operatione, nihil aliud est, quàm conuersio animæ ad imagines reseruatas, cùm factum fuerit tempus: siue quod idem est reassumptio obiectorum sine sensu, quæ antea fuerant in sensu: Est definitio Platonis in Philebo.

Cũ dicimus, esse *conuersionem animæ ad imagines*, non credatis per imagines nos intelligere animam actu memorantem contemplari tantũ speciem sensibilem iam receptam, & in imagine conseruatam: (nam sic Memoria esset non obiecti ex-

cti externi, sed imaginis tantum.) Itaque vt recte docet Philosophus lib. de memor. ca. 1. Actus Memorandi est copula quædam imaginis in anima exsistentis cum obiecto externo: nam concipimus illam imaginem non vt res absoluta; sed in relatione ad illud, cuius est imago: & propterea vno, & eodem tempore Actus Memorandi versatur circa imaginem interioré, & circa obiectum externum, cuius est imago. Hinc dicit Arist. loc. cit. eos, qui versantur circa imagines, non vt sunt repræsentatiuæ alterius; sed vt quoddam absolutum, cestasin pati, vt contigit Antipheronti, Isti enim non conferunt imaginem ad id, cuius est imago, & putant illam esse realem, & arbitrantur, id quod non est: & propterea delirant.

Deniq; diximus (*cum factum fuerit tempus*,) quia etiam in actu Memorandi oportet, vt ille, qui memoratur, cognoscat, se versari circa imaginé, quę antea fuerit in imaginatione; sed exciderit, ita, vt inter illú actu imaginatione; sed exciderit, ita, vt inter illum actum imaginationis, & hunc secundum cadat tempus medium, in quo nulla facta sit actio. Propterea vt dicebam iure Plato dixit, Memoriam esse reassumptioné obiectorú.

De Reminiscentia.

EX his patet: quid sit Reminiscentia: Nam in nihilo differt hęc à memoria, nisi quia memoria reassumit has species cum facilitate; Reminiscentia verò reassumit easdé cú difficultate, & syllogismo. Neque enim quispiam potest reminisci, qui nó vtatur demonstratione vel à priori, vel à posteriori: Et quia nemo potest vti demonstratione, qui non habeat principium demóstrandi, hinc fit, vt Reminiscentia seruetur aliquod principium, ex quo paulatim educitur ad inuentionem illius, quod iam exciderat Propterea Aristo. lib. de memoria, & reminiscentia cap. 2 inquit, Reminiscentiam neque esse de nouo addiscere, neque de nouo inuenire: Ratio est: quia qui de nouo addiscit, aut de nouo inuenit, quærit principia, & conclusiones; In Reminiscentia, quęruntur tantum conclusiones, & principia adsunt. Hæc de Memoria naturali.

Conclusiones IV.

EX proxime dictis quatuor elicio cóclusiones. Prima est: Reminiscentiá ratione, & reipsa à discursu non distingui; sed tantum modo. Non ratione: quia ambo procedunt à noto ad ignotú per necessariam consequentiam: Non re, aut subiecto: quia ambo fiunt in media cerebri parte.

Distinguuntur modo: quia discursu quęrit conclusiones ignotas de nouo; Reminiscétia quærit illas quæ antea fuerunt notæ, sed exciderunt.

Secunda conclusio pendet ex dicta prima: Reminiscentiam scilicet cerebri temperiem requirere calidam & substantiam mollem: nam subtilitas argumentandi, quæ est necessaria in Reminiscentia, cum duritie aut frigiditate perficinó potest.

Tertia conclusio. Actum memorandi neque ratione, neque reipsa distingui ab imaginatione; sed modo tantum. Non ratione: quia ambo versantur circa idem obiectú sensibile & insensibile: quov pro suo arbitratu componit, & diuidit: considerat conditiones indiuiduales, & propterea fiunt etiam in eodem subiecto. Hinc Gale. 2 de motu musc. 6. facultatem memoratricem eandem imaginatrice docuit esse.

Distinguuntur modo: quia imaginatio proprie accepta petit sua obiecta sensibilia ab externis sensibus, & a communi sensu. Imaginatio accepta pro actu memorandi recipit obiecta reseruata in memoria.

Idcirco sequitur ex his quarta conclusio Actú Memorandi requirere robur caloris innanti, & substantiam cerebri anteriorem neque admodú duram, neq; admodum mollum: (Et sic soluemus obiectionem locorum Galen,) Requiritur robur caloris, quia calidum innatum est pręcipuum instrumentum principum facultatum 3. de loc. aff. 7. Requiritur moderata substantia partis anterioris, quia sicuti posterior cerebri pars, in qua residet facultas memoratrix, idest, conseruatrix imaginum, est minus apta ad retinendas, & suscipiendas imagines propter mollitiem aut duritiem, ita & pars anterior, vbi debet fieri Actus Memorandi. Et extrahuntur imagines ex parte posteriore, quasi ex arca. Istæ imagines non facile recipiuntur in duriore substantia, aut retinentur, in molliore.

Ex quibus dictis poteritis colligere, cur Memoria tribuatur parti posteriori, & cur parti anteriori? Nam facultas, vt habitus Memorandi pertinet ad cerebri partem posteriorem; Actus Memorandi pertinet ad anteriorem, Hinc sequitur posse aliquos valere & ingenio, & Memoria, quod pars posterior quanquam durior, sed intra limites sanitatis possit imagines retinere; anterior tanquá moderata possit illas suscipere, atque circa illas versari. Quod si contingat hanc partem anteriorem ex nimio calore sicciorem, ac duriorem reddi, sunt quidem isti ingeniosi, & possunt habere potentiam, & Habitum Memoriæ; sed non facile habent Actum Memorandi propter caussam propositam.

De memoria vitiata. Cap. V.

SEd iam venio ad Memoriam p. n. se habété, Memoriæ vitiatę nomine Intelligo Memoriam, & Reminiscentiam. Læditur vtraque aut abolita, aut imminuta Operatione Memorandi, & Reminiscendi. Abolitam intelligo Memoriá, cum quispiam nullius rei recordatur, neq; etiam proprij nominis, Quod in peste factum esse docuit Gal. 2. de symp. causs. 7. ex sententia Thucid. 2. historiarum.

Imminuitur dupliciter. aut quia quorundam tantum fiat obliuio; aut quia omnium quidem fit obliuio, sed non integra. Omnium ægre recordantur ægri; Cum quispiam quorundam tantú obliuiscitur, eorum obliuiscitur potissimum, quæ minus sunt sensata. Idcirco scribunt, Franciscum Barbarum in extremo senio Gręcarum literarú prorsus fuisse oblitum: Georg. Trapezunt. omniú literarum factum esse unmemorem. Anton. Be-

niu.cap.47 de admir. Senensem inquit se vidisse, qui post morbum, omnium, etiam proprii nominis erat oblitus: Christoph. à Vega 3. de art. med. c. 10. scribit etiam de quodam, qui ex morbo literarum omnium plane oblitus erat.

Caussæ.

CAussę Memoriæ, ac Reminiscentię siue abolutæ, siue diminutæ, aliæ sunt ex accidenti, aliæ per se.

Ex accidenti, sunt illæ omnes, quæ aut prohibent obiecta sensibilia recipi in sensu communi & imaginatione: hac ratione in omni soporis differentia, siue sit Lethargus, Coma, Carus, siue apoplexia, Epilepsia, lęditur Memoria, nō susceptis obiectis sensibilibus; aut quādo suscepta obiecta sunt in nimio motu, agitatis spiritibus, vel propter delirium, aut phrenitim, aut ebrietatem, vel aliam similem caussam.

Caussę per se sunt duplices. Alię enim pertinent ad facultatem, & partem recipientem, & conseruantem imagines sensibilium, quam diximus esse posticam cerebri partem: aut sunt caussæ, quæ pertinent ad partem, & facultatem, in qua fit Actus Memorandi: priores caussæ, si de immediatis sit sermo, pertinent omnes ad substātiæ mediocritatem, & puritatem; minimè verò ad intemperiem.

Ratio est: quia Facultas Memoratrix prout cōseruat, nihil agit, sed est quasi locus, quasi cera, in qua sigilli imago imprimitur, & propterea sicut ad impressionem imaginis sigilli in cera non cōcurrit mediate, aut immediate temperies, vel intemperies, sed necesse est, vt cera illa neque sit nimium fluida, neque nimiū dura, neque nimis pauca, neque impura: ita quoque substantia cerebri, prout est, receptaculum imaginum, neque nimis mollis, neque nimis dura esse debet. Arist. de memor. cap. 1. neque nimis parua, quòd contingit in angusto capite, præcipuè cum defectu occipitii: neque coinquinata, alienove humore imbuta hinc Plat. in Theæteto, cui consentit Auer. in com. vlt. lib. de mem pituitam, & melancholiam inquit esse defectus Memoriæ caussam. propter eandem caussam Gal. 2. de caussis sympt. 7. eos quibus in pestilentia, facti sunt abscessus in Cerebro, factos dicit esse immemores, transmissa humorum colluuie in hunc locum: idcirco non modo pituita, & melancholia, sed vnusquisque humor, qui cerebrum inficere potest, Memoriam vitiabit. Hinc scribit Beniuen. loc. cit. Senēsem illum, qui perdiderat Memoriam, superueniente alui fluore bilioso, pituitoso, sanguineo, pristinam recuperasse Memoriam.

De Caussis Mediatis.

MEdiatæ caussæ huius mollitiei nimię sunt ætas puerilis, quæ tametsi propter rerum nouitatem, & admirationem in quibusdam Memoria valeat; propter nimiam tamen mollitiem hac in parte plerunque deficit: augent autem mollitiem intemperies humida, siue fiat ex constitutione, & regione humida, siue ex pluuijs caput madefacientibus, præcipuè verò circa occiput aut inunctionibus humidis, otio, vsu olerum humectantium, potu aquæ, &c. sicuti durities augetur ex intemperie sicca, quæ sequitur ætatem senilem, in qua tametsi adsit Memoria quorundā, quę in iuuentute contigerant, deficit tamen circa obiecta, quæ de nouo assumuntur, quia non possunt imprimi.

Caussæ denique, propter quas, Actus Memorādi imminuitur, aut tollitur, pertinent ad intempęriem frigidam, quæ destruit robur calidi innati, & spirituum animalium cerebri. Hipp. de sacr. mor. scribit, Memoriam lædi ex intemperie frigida, & humida. Gale. 3. de loc. aff. 5. inquit, lędi sęper ex frigida quandoque ex humida, quandoq; ex sicca, frigidæ connexis; & ratio est, quia calidū hoc innatum potest lædi, aut propter spirituum euacuationem, inanitionemque, vt propter vsum Veneris immodicū, post vigilias, & nimia studia. Scribit Gal. 3 de loc. aff. 5. quendam ex nimiis studiis factum esse obliuiosum omnium: Addit Gal. nimium exercitium obliuionem parere, quod cōtigit cuidam vinitori: Aliquando calor hic suffocatur, & ideo omnis nimia repletio, siue cibi, siue potus, euacuationum suppressio, otium, nimius somnus, calorem cerebri exstinguūt, memoriāq; hebetant. Quandoque refrigeratur hic calor ex opii, mandragoræ, hyoscyami, papaueris frequenti vsu, & lactucæ: Ex nimio timore refert: Cœl. Aurel. 1. tard. pass. c. 5. Artemidorum Grammatj cum viso ex improuiso in arena crocodilo statim ex timore omnium literarum factum esse immemorem. Denique ex caussa venefica, ex assumpto veneno, confertim solet obliuio sequi, quod inquiunt factum in Bamba Gothorum Rege, qui hausto veneno obliuiosus statim factus est. Postremò ex caussis externis, percussione circa occipitium, multi facti sunt immemores. Plin. lib. 7. cap. 24. Fernel. lib. 5. cap. 2.

Signa.

NOn diu laborabo in referendis signis caussarum Læsionis Memoriæ: etenim ex dictis superiùs in tractatu de Dolore Capitis, atq; aliis affectionibus hęc signa facilè colligi possunt. Itaq; si lędatur Memoria ob defectum caloris innati, simul cum lesione Memoriæ, & Imaginatio, & Discursus, vel pereunt, vel minuuntur: sensuum stupor, & motus animalis torpor succedit: & si frigiditati connexa sit siccitas, adsunt vigiliæ, fatuitas, amentia, carentia excrementorum, ætas senilis pręcesserunt caussę siccantes, & euacuationes insignes.

Quòd si adsit humiditas, somni sunt profūdi, &, vt scribit Auicen. meliùs recordantur eorum, quæ de nouo offerentur, quàm eorum, quæ iam diu præcessere; contra quam in intemperie eueniat sicca, in qua, quo memorabilia sunt antiquiora, eo facilius reducuntur in Actum Memorandi, recentiora minùs recordantur.

Ex his signis, quæ demonstrant intemperiem, vel siccam, vel humidam, potestis etiam colligere mollitiem, & duritiem cerebri,

Quòd

Quòd si adsit excrementi copia, siue sit pituita, siue melancholia, siue sanguis, aut pus, horum signa petenda sunt ex superioribus tractatibus.

Prognosis.

MEmoriam iam in senibus collapsa amplius restitui non potest; cùm verò repente amittitur potest quidem restitui, sed magnum aliquod minatur malum. Aetio, cui subscribit Auic. minatur, Apoplexiam, Epilepsiam, Paralysin, aut quid tale.

Ratio Curandi.

INtentiones curandi variæ sunt pro caussarum varietate. Nam in defectu caloris cum intemperie frigida, & sicca agendum est humectantibus internis, & externis. Internis, frequenti vsu lacticiniorum, præcipuè butyri: commendantur cerebella animalium, sed præcipuè turturis, & perdicis, oua sorbilia, vinum moderatum somnus longus.

Extrinsecus balnea conueniunt aquæ dulcis, C lotio capitis ex lacte, iure castrati, in quo bulliant malua, althæa, chamomel: his succedit inunctio ex oleo amygd. chamomel. mistis cum piguedine anatis, anseris, & medulla cruris bouis.

Ex medicamentis conueniunt conseru. borag. bugloss. & confectiones omnes ex amygd. & saccharo confectæ.

Quòd si intemperies sit humida absque materia, agendum siccantibus, & calorificis internis & externis: Interna multa quidem sunt, vt Theriac. Mitrid. Castor. Sed præcipuum obtinet locū D Anacardina confectio, cuius dosis est drachm. j. 4. hor. ante cibum, postque assumatur aut unc. sem. aquæ ardentis, in qua, si magna sit intemperies, infundatur piper longum, castoreum, pyretrum, zinziber.

Si magnus non sit excessus, seu lapsus, exhibeatur vinum odoratum. Ego vbi magna non sit frigiditas, vtor his rotulis.

Recipe Nuc. mosc. num. ij.
Caryoph. num. viij.
Cinnamo drach. sem.
Sacc. dissolut. in aq. maiora q. s.
M. f. confect. in rotul.

Alii vtuntur hoc puluere.

Recipe Acor.	*Cyper.*	
Oliban.	*Thur.*	
Myrrh.	*Galang.*	
Pip. long.		
Pyretr.	*an. drach. i.*	

Pulu. detur drach. i. ex vino.

In intemperie nimis frigida vtile, & iucundū erit remedium ipse Acorus conditus melle, aut F zinziber, aut radix eryngij, aut pyretri, præcipuè verò si condiantur melle.

Quòd si humiditati cōnectatur aliquis calor in eo casu accipienda est Aetij sententia, qui probat vsum eboris, & cornu ceruini vstis vtrumque remedium datur in puluere à drachm. i. vsque ad drach. ij. in intemperie calida humida.

Extrinsecùs, occipiti potissimùm admouenda A sunt remedia, vbi læsa sit Facultas, & Habitus Memorandi: toti autem capiti, vbi Actus Memorandi: Sint hæc quoque siccantia, vt oleum chamomel. cum castor. & synapi, aut lotio ex decoctiq sisimbrii, rorismar. lauend. cyperi, saluiæ, herbæ paralysis, origani, calamenthi, &c. id genus calidis siccis.

In magna frigiditate aqua ardens, aut simplex aut aromatibus alterata poterit huic parti adhiberi: Omitto dropaces, sinapismos, de quibus antea dixi.

B Vbi adsit materia, & ea quidem pituitosa, docui hactenus, quomodo ea sit purganda; dicam tamen & nunc singularia quædam.

In læsa memoria cum pituitę præsentia laudat Aet. vt quamprimum vtamur Hera Ruffi, & albo elleb. Non defuere ex recentioribus nonnulli, qui Aetii sententiam vituperāt, quod hiera Ruffi nimis violenter agat, & quod paulatim & sensim à leuioribus ad grauiora transeundum, sit. Sed quod ad primum pertinet, hiera Ruffi, sicut, & Pachii, & Logadii, quanquam grauia recipiant medicamenta, vt colocynthidem, sunt tamen vsque adeo correcta, vt in fortioribus corporibus absque noxa administrentur: & sanè possunt quā primum succum peccātem educere, & humidam intemperiem siccare: neque exspectanda est præparatio; nam si humor in cerebro consistens diu hæserit, aut indurabitur, aut consimili intemperie solidas afficiet partes, vt malum deinceps corrigi nequeat. Detur igitur

Hiera Pacchij ad drach ij.

Aetius proponit vnc sem. Ego solis drachm. ii. maximas vidi purgationes. qu[illegible]nimo eadē hiera, in eadē quantitate exhibita, habet vim corrigēdi humidam totius corporis, & cerebri intemperiē, vnde Aetius singulis [illegible] portiunculam exhibet ad magnitudinem [illegible] scrup. i.

Si cui hæc minus placeat, detur confectio anacardina.

Elleborum album mihi quidem probatur, sed vbi potissimum læditur Memoriam ex melācholia. Sed de isto medicamento in tract. de Melāch.

E Preparanda erit materia oxymel. scill. syrup. de beton. compos. de stœchade

Et vicissim purganda nō modò à toto, sed à capite per gargarismata, masticatoria, & nasaria, de quibus diximus alias. hoc tantùm dicam, in præsentia, in læsa memoria sanguinis missionem nō conuenire, nisi [illegible] de [illegible] sit aliquis abscessus, aliquis decubitus à corpore toto, aut parte determinata in ipsum cerebrum, abundante in corpore succo sanguineo. In hoc casu etiam Christoph. à Vega 3 de art. med. ca. [illegible] sanguinis missionem proponit solus ex medicinæ scriptoribus, quos ego vidi, nullus alius.

Idē proponit Nasariū ex variis nasariis confectū siccantibus, quod poteris ibi legere apud illū

In eundem vsum faciunt suffumigia quędam ex styrace, olibano, thure, myrrha, ligno aloes, addito etiam mosco.

His addatur victus ratio, quæ habeat vim siccandi: propterea sit tenuis, cęna sit frugalis: exercēat corpus. fugiāt Venerē: sōnus sit moderatus

Regulæ studiosis obseruandæ, vt retineant memoriam, eamque augeant.

ET qui voluerit Memoriæ indulgere, vt in studiis valeat, hæc pcepta memoriç cōmēndet, vt

1. Studium sit vnius rei simplicis.

2. Vt non sit admodum prolixum.

3. Vt maxima adhibeatur diligentia, & attentio in studiis. Gal. 2. de motu musc. ca. 6. timidos & ebrios ait non recordari eorum, quæ egerūt; quia attentè ea non fecerunt, aut dixerunt.

4. Oportet super ea re, cui incumbimus, multoties meditari. Gale. 1. de anat. admin. cap. 1. frequentem hanc meditationem Memoriæ summo pere conferre docet, quod etiam docet Aristo. de memor. c. 1. in fine.

5. Oportet aliquando intermittere huiusmodi frequentiam meditationis, & somno indulgere: nam post meditationes plus facit somnus & quies, quam frequentata meditatio.

6. In studiis oportet ordinem adesse: nā Memoria sine ordine cadit.

7. Obseruentur conditiones quædam indiuiduales, quibus res ipsa possit facilè in Memoriā reuocari.

8. Res, quibus incumbimus, ad breuitatem redigantur, & sic Memoria valebitis.

DE VIGILIIS PRAETER NATURAM. Cap. XI.

ATtingam paucis tamen, nonnulla de Vigiliis: transibo deinceps ad Apoplexiā. Dicitur hic affectus Latinis Vigilia Morbosa Græcis ἀγρυπνία, Arabibus Sahara, & nihil aliud est, quàm sensuum exercitatio ex nimio motu animalium spirituum. *definitio*

Per exercitationem intelligo aut continuam in qua nullus sit somnus, aut valde diuturnam, in qua sit admodum breuis: intelligo præterea & Vigiliam dierum ac noctium, ac præterea mensium, & annorum.

Parens Auct. 7. Mens. Vigilias passus. Sunt enim quidam absque somno degentes integros menses: Patrem habeo adhuc superstitem qui cum esset melancholicus passus est vigilias septem mensium.

Caussa continens, & efficientes.

CAussa, vt dixi, Vigiliarum est nimius spirituum motus. Mouentur autem spiritus ad instrumenta sensuum, vel quia deficit alimentum, vel propter alias caussas extrinsecas. Deficit alimentum, aut ex sola intemperie sicca, aut calida & sicca, vt notauit Gal. 3. de loc. aff. c. 6. & 7. & 2. aphor. 3. Aliquando hæc intemperies est cum materia, aut melancholica, aut biliosa, aut pituita salsa, quæ materia aut per essentiam in capite continetur, aut capiti communicatur ex ore ventriculi, vel venis totius corporis, vt in febribus, vel alia parte determinata.

Caussæ Mediatæ.

MEdiatæ verò exsiccationis caussæ sunt cibi & potiones exsiccantes, vt salsamenta omnia, acria, & aromata, vinum vetus generosum, nimia exercitatio, sol, ignis, balneum, medicamēta, siue foris sint posita, siue assumpta, pręcipuè quæ copiosius iusto euacuant.

Exsiccant etiam dolor. mœror. timor. Ex caussis Vigiliarum extrinsecis est Amor.

Signa distinctiua.

DIstinguuntur caussæ Vigiliarum inter se hoc modo: Si intemperies sit sicca absque materia, facies est squallida, oculi concaui, sicci, & pallidi.

Si calor accedat, facies & oculi rubent, & aliquod ferocitatis vestigium adest.

Si materia cum intemperie copuletur, & ea sit melancholia, simul adest delirium melancholicū

Si bilis, delirium cum rixa furiosum:

Si pituita salsa, salsum excrementū aut ex naribus, aut ex ore excernitur, præterquàm quod aliqua est capitis grauitas, & ex lotio aliisque excrementis humorum distinctio haberi potest.

Vbi causa fuerit aut Timor, aut Mœror, aut Dolor, aut Amor, ipsimet ęgri hoc referre possūt.

Prognostica.

SOmnus & Vigilia si modum excesserint, malum. Hipp. 2. aph. 3. idcirco 7. aph. 18. à Vigilia conuulsio, & desiplentia malum: est enim signum maximę siccitatis cerebri, & neruorum. In pueris potissimùm hoc symptoma lethale est.

Curatio.

CVratio in intemperie sicca fit humectantibus externis, & internis. Externis, lotione capitis ex lacte, ex iure castrati, alterato cū malua, althæa, semine lini. Inunctiones etiam ex oleo amygdalino misto cū butyro, cum anatis, & anseris adipe, cum mucilaginesem maluæ, & altheę id idsum præstare possunt. Intrinsecùs pariter cōueniunt omnes cibi humectantes, lacticinia omnia oryza cocta cum lacte, amygdalatum præcipuè cum farina amyli, lactuca cocta, aliaque id genus humectantia, de quibus aliàs.

Quòd si caliditas adsit, refrigerantia eligantur oleum violac. de nymphæa, oleum ex ranis, oleū ex cucurbita, ex cucumere: Succi quinetiam citrulli, cucumeris, cucurbitæ, plantaginis, & portulacæ, vel soli vel commisti cum oleis prædictis, in temperiem corrigunt calidam.

Intrinsecùs pariter conueniunt frigida, conser uæ, viol. nympheæ, rosar, syrupus de papau. emuls. seminum papaueris albi.

Quòd si cum intemperie humor connectatur, ille primùm est euacuādus, postea intemperies est corrigenda. Qua autem ratione vnusquisque humor purgari debeat, docui aliàs, docebo, & infra.

Facta purgatione, si Vigiliæ propositis auxiliis non cesserint, transeundum est ad opiata, quando vires iam concidant, extrinsecùs primum admoueantur, vbi si nihil effecerint, intrinsecùs quoque præbeantur: Extrinsecùs faciunt lotiones capitis ex hyoscyamo, papauere, mādragora

lactuca,

lactucæ, nymphææ, folijs salicis: Facit & hoc Linimentum fronti, & temporibus illitum.

Recipe Philon. Rom.

Req. Nicol an. drach. i.

Succi lactuc. unc. ij.

Succi limon. unc. i. M.

Conuenit præterea naribus excipere fumum illius decocti, quod iam proposui pro lotione capitis. quinimo & portiunculam linimenti dicti in maximo calore: licet quoque in nares attrahere oleum viol. aut de nunph. aut lactucæ succum aut decocti soporiferi præscripti portionem. Intrinsecùs alias dixi in tract. de phrenitid. conuenire scrup. j. aut drach. sem. opiati medicamenti, siue sit Philon. siue requies, aut recens Theriaca (intelligo que non transeat. 6. menses) aut pilulæ de cynoglos. vt prætermittam aquas soporiferas, quę aliquando sunt mors ægri. Hæc medicamenta simul cum victus ratione vigilias arcere possunt.

In opiatis tamen hæc sunt obs. tuenda, vt dentur quidem post cœnā, sed saltem 5. horis ab accepto cibo: & cœna sit parca, ne opium, quod replet caput, impensè concurrente cibi vapore copioso, Apoplexiam inferat, & propterea opiata in capite, pituita referto, propter hanc suspicionem semper sunt fugienda: Itaque post illorum vsum subiungantur calorifica, quæ opij vim, & perniciem mitigant.

DE APOPLEXIA.

Cap. XII.

Αποπληξία Græcis, Sideratio Latini dicitur, siue Attonitus Morbus, eo quòd, qui hoc morbo capiuntur, quasi fulmine percussi, sine sensu, & motu iacent: antiqui autem fulmen sidus esse putabāt Celsi tēpore, vt ipse refert lib. 3. ca. 27 Paralysis dicebatur; hinc Gale. lib. de sympt. diff. c. 3. sic definiuit Apoplexiam: Est Paralysis totius corporis cum abolitione principium facultatum.

Definitio.

Et per *Paralysin totius corporis*, vt ipsemet se ipsum explicat 3. de loc. aff. 7. (secuti eum sunt Alex. Aet & Paul) nil aliud intelligit, quàm sublatum sensum, & motum totius corporis.

Obiectio

Neque quispiam obijciat ex eod. Gall. spirationem seruari. Etenim neque vita absq; spiratione neque spiratio absque vita stare potest, auctore eodem Gal. 5. de loc. aff. 1. & 6. de locis affectis 4. Nemo, inquam, hoc obijciat: Quandoquidem datur Apoplexiæ species, in qua spiratio saltem ad sensum tollitur, nullusq; apparet thoracis motus auctore Gale. 3. de loc. aff. 10. 2. aph. 42. quòd si aliquando seruatur spiratio, ille non est propriè motus factus ex imperio voluntatis, sed motus quidam coactus propter vsum auctum: etenim spiratio, vt docuit Gal. in introduct. & 2. de mot. musc. 6. est motus mixtus ex animali, & naturali Est motus animalis, quatenus nerui & musculi mouentur per electionem, ita vt propter hanc caussam possit quispiam spiritu cohibito seipsum interficere.

Solutio.

Exemplum est apud Galen. serui illius barbari dict. loc. (2. de mot. musc. 6.) qui hac ratione seipsum suffocauit. Est naturalis, quatenus aucto calore in partibus thoracis impellitur à natura facultas animalis ad motum thoracis.

Itaque etiamsi in Apoplexia musculi thoracis non moueantur ex imperio voluntatis, seruatur tamen motus illis irritatis, & impulsis ab vsu aucto, à calore suffocante; & quia in respiratione naturaliter se habente solus septi transuersi motus ad respirationem sufficit; ita in Apoplexia cū facultas mouens admodum languida confluat, neque solum septum transuersum, neque soli musculi inferiores, sed omnes simul ad motum impelluntur, vt propterea Gal. 4. de loc. aff. 7. hæc respiratio non Magna, sed Sublimis vocatur: Magna enim dicitur, quādo vsus quidem est auctus & omnes musculi thoracis mouentur, sed vallida in omnibus existente facultate: vbi verò, sicut in Apoplexia, languida concurrit facultas, omnes musculi ferunt suppetias, & adiuuant motum, & sic vocatur Sublimis, non Magna spiratio.

Est verò hæc spiratio in Apoplexia triplex; vna cum stertore; duæ sine stertore, quarum prima est cum inęqualitate, difficultate, & intermissione; altera est inæqualis, sed nec difficilis, nec intercepta. Itaque Apoplexia legitima & exquisita est sensus, & motus abolitus omnium partium.

Dico legitima, quia in spuria potest esse aliquis motus; & ego habeo nunc ægram Apoplecticam quæ hac nocte morietur, quæ tamen mouet modò crus, modò concutitur, & habet sensum: idcirco datur Apoplexia cum motu, vt dixi. Addidi cum Gale. in Apoplexia reperiri *principes facultates abolitas*, quod maximè proprium est: neque enim aut imaginatione, aut discursu, aut memoria quidquam valent Apoplectici.

Caussa continens & modus generationis apoplexiæ

Caussa horum symptomatum sunt spiritus animales non transeuntes ad instrumenta functionum dictarum, vt potestis ex Gale. 1. aph. 42. colligere. Non transeunt spiritus aut impediti, aut in seipsos reducti.

Impediuntur aut obstructione, aut compressione, aut subsidentia. Et quia obstructio, & compressio, ac subsidentia fiunt in quibusdam locis, & ex quibusdam caussis, videndum, quæ sint loca, quæ caussę.

Locus affectus.

De loco scio maximam esse apud Auctores difficultatem, quam sic breuiter diluo. In Apoplexia locum affectum immediatum esse vnicum; mediatos plures.

Soluitur difficultates de loc. aff.

Locus immediatus (quicquid sentiat Altimarus, & alii) est substantia cerebri. Cerebrum, vt alias dixi, ex sententia Gal 3. de loc aff. 7 est sedes præcipua omnium functionum animalium, & ventriculi cerebri non pro obeundis functionib. sunt instituti; sed vel vt pręparent, sicut anteriores, vel vt concoquant, vt medii, vel vt perficiant spiritum animalem, vt postremi. Hic spiritus elaboratus deinde in cerebrum mittitur, cuius portio perficit facultates principes, alia portio (siue substantia siue illustratione hoc non disputo) mittitur ad neruos sensificos, & motiuos ad perficiendum sensum, & motum: itaque lo-

Ventriculi cerebri ad quid sine instituti

cus immediatus, ex quo læduntur principes, sensitiuę, & motrices functiones, est ipsum Cerebrum: itaque Gale.4 de loc.aff. 2. in Epilepsia inquit lædi ventres magis; in Apoplexia corpus Cerebri magis.

Mediati loci sunt ipsimet ventriculi, vt docuit Gal. 2. de cauſ. symp. 7. & colligitur ex 2. aph. 45. cùm scribit, Epilepsiæ & Apoplexię esse vnum, & eundem locum, & caussam.

Fit quoque ex plexu choroide, & ex arterijs corotidibus, vt colligitur ex Gal. & Hipp. 4. acut. 23 vbi Gal. per interceptiones venarum interpretatur etiam Apoplexiam. Hinc Auicen. constituit Apoplexiam fieri ex cerebro, ex ventriculis, ex venis, & arterijs atque illam distinguit egregiè: dum inquit Apoplexiam fieri, aut non trasmisso spiritu animali ad propria instrumenta, aut non trāsmisso vitali, qui est materia spiritus animalis.

B

Etenim non transmittitur spiritus animalis vitio Cerebri, & ventriculorum; Non transmittitur spiritus vitalis, vitio plexus choroidis, & arteriarum carotidum: & quia huiuscemodi impedimētum spiritus vitalis, non ita subito, nec tam magnam infert Apoplexiam, idcirco licet Galē. 2. de placit. Hipp. & Plat. ca. 6. videatur negare Apoplexiam fieri existis arterijs soporarijs, & plexu retiformi; hoc tantū voluit intelligere, non fieri immediatè nam etiamsi spiritus vitalis nō confluat ad ventriculos, semper tamen aliqua portio elaborata in ipsis ventriculis reperitur, quæ beneficio aeris inspirati potest per aliquot horas ipsum animal absque Apoplexia seruare.

Galeni locus dilucidatus.

C

Sed tamē quòd ex arteriis soporariis fiat Apoplexia, confirmauit Fernel. experimento in quadā patiente mortua secta, in qua repertus est sanguis plurimus ipsum plexum coroidē comprimens, vt potestis videre 2. de abdit. rer. cauſ. c. 15. hanc eandem sententiam recipit Iul. Alexandrin. 24. salub. c. 2. & Leuin. Lemn. 1. de occult. c. 11.

Caussæ immediatæ efficientes.

Caussę immediatæ, quæ agunt obstruendo, sunt primo quidem materia pituitosa, nō tamen aquea, vt potestis colligere ex Vesalio lib. de fabric. human. cap 5. exemplo cuiusdā Puellę Augustanæ, in qua totum Cerebrū erat aqua repletum; nec tamen patiebatur Apoplexiam. Est itaq; crassa pituita, vt experientia probauit Real. Columb. lib. 15 multiplici corporum Apoplecticorum sectione: idcirco Galenus sæpius repetit hanc sententiam, fieri Apoplexiam ex pituitoso, & crasso succo 3 aphor. 16 23. 31 & 2 de cauſſ. sympt. 7 & 4 de loc. aff. 7.

Fit quoque ex succo melancholico; non tamē frequenter, quicquid sentiat hac in parte Cardanus, qui exponens comm. 56 partic. 6. vbi docet Hippoc. à 40. anno ad 60. fieri Apoplexias & Gal. ibi asserit in hac ętate fieri eas ex melancholia, ipse videtur voluisse magna ex parte fieri ex succo melancholico. Quæ sententia est tantùm intelligenda de hac ętate à quadragesimo ad sexagesimum annum.

F

Sed & sanguis est caussa Apoplexię, Gale lib. de rat. cur. per sang. miſſ. cap. 5. Irruēte sanguine in cerebrum Apoplexias fieri, & propterea lib. 1. de ven. sect. aduersus Erasist. cap. 6 propter menses suppressos scribit fieri Apoplexiam: quinimo in prægnantibus circa primos menses, & quę mad modum docet Holler. lib. 1. de morb. inter. cap. 6. tempore, quo anima corpori accedit, Apoplexiæ succedunt, propter sanguinis motionem.

Idipsū facit ipse flatus, ex Hipp. lib. de flatibus. Vapores quin etiam crassi, & lenti ex variis corporis partibus eleuati, præcipuè ex ventriculo, intestinis, vtero; quinimo fumus etiam, siue sit carbonum, siue alicuius medicamenti deleterii, vt cinnabaris, potest Apoplexiam inferre, dummodo non tantum spiritales lædantur partes, sed etiam Cerebrum. Aliud est suffocari, aliud apoplexiam pati; ex his fumis potest quis etiam suffocari sine Apoplexia, impedito anhelitu, aut propter faucium angustiam, aut laryngis, & arterię, aut pulmonum: hi omnes dicuntur strangulati ex Gal. 4. ap. 34. sed vbi fumus etiam in Cerebrū influat, & obstruat, tunc fit Apoplexia.

Impediri consueuit transitus spirituum ad instrumenta ex compressione etiam non minùs quàm ex obstructione: Fit verò compressio ex affectibus cerebri inflammatoriis, Gal. 2. aph. 42.

Per affectum inflammatorium intelligo non modò in flammationem legitimam ex sanguine factam, sed & erysipelatodem, & pituitosam, & in abscessum conuersam, vt docuit quandoque Galen. 2. de loc. aff. 9. idcirco, vt antea dixi, post Phrenitidem, & Lethargum Apoplexia fieri consueuit.

D

Denique non transeunt spiritus ad instrumenta sensuum, aut ex subsidentia ventriculorū, quę fit propter caussam veneficam, vt contigit plerūque in hystericis affectionibus, siue præfocationibus vteri, aut retractis spiritibus propter terrorem ad suum principium. Sic Gale. 7. aph. 58. exponens Hipp. aphor. vbi dicit: *Concusso cerebro mutos fieri*, Galen. inquit ex forti concussione spiritus, quasi perterritos, seipsos colligere, tuncq; corpus sēsu, & motu priuari. Hactenus de caussis immediatis.

E

Caussæ mediatæ, & magis remotæ.

Aliæ caussæ mediatæ, & remotæ, aut generant, aut mouent homorem iam collectum in corpore: sic pituita augeri consueuit in constitutione humida, 3. aphor. 16. in tempore anni frigido, hyeme, 2. aph. 23. in ætate senili. 3. aph. 31. Hinc in tali constitutione tempore, & ætate familiares sunt Apoplexię.

Augetur quoque ex cibis crassi succi, crapula, otio, longiore somno, & suppressis excretionibus præcipuè vero oris, & narium.

Melancholia verò augetur ab anno quadragesimo vsq; ad sexagesimū: propterea scribit Hipp. 6. aph. 57. in hac ætate Apoplexias fieri: augetur quin etiam ex mœrore, timore, curis, & solicitudinibus, vsu salitorum, leguminum, præcipuè lentium, & brassicæ, atque ex suppressione hæmorrhoidalis sanguinis, & sanatis importunè antiqua scabie, cancro, lepra, vlceribus phagedęnicis, siue depascentibus.

Mouent

Mouent materiam in corpore collectam omnia calorifica, balneum, sol, ignis, pręcipuè si à cibo, pręsertim copioso, quis dormiat prope ignē. Mouetur ex omni caussa cerebrum agitante, vt Venere post cibum, tonitruo & fulmine. Sic scribit Amat. Lusit. cent. 5. cur. 23. quēdam ex ictu fulminis, sonitu, tonitru, statim Apoplecticum factum esse. Idipsum vidi aliquando factum esse ex alapa, dum Medicinam Venetiis facerem. Vidi Procuratorem caussarum percussum à Nobili alapa statim Apoplecticum cōcidisse, & mortuū esse. Alexander Bened: de morb. lib. 1. cap. 33. scribit Apoplecticos fieri, si dormiāt sub radius Lunę, Macrob. 7. satura. 16. (17.) inquit tales fieri Amētes, non Apoplecticos. Vinum denique quantum possit ad impellendos humores in caput quotidiana experiētia docet, cùm plures videamus ebrios fieri Apoplecticos. De his scribit Hipp. 5. aphor. 5 *si ebrius repente obmutuerit, conuulsus moritur.* Ratio huius rei est, quia fieri de repente mutum, significat multam humorum copiam.

Apoplecticus factus ex alapa & mortuus

Signa prænuntiantia.

SIgna huius affectus sunt vel prænuntiatiua futuri, vel demonstratiua præsentis, vel distinctiua caussarum. Futuram prænuntiant Apoplexiam dolor capitis continuus, aurium tinnitus, somni profunditas, memoriæ iactura, excrementorum consuetorum retentio, palpitatio circa palpebras, atque alias faciei partes, lingua tremula, stupor, & torpor quidam, vel circa manus, vel circa crura, vertigo, & faciei color mutatus vel ad pallidum, vel ad insignem quendam ruborem.

Diagnostica.

PRæsentē Apoplexiam facilè cognoscetis cùm omnes functiones animales sunt abolitæ, vel si seruetur respiratio, illa difficilis admodū, inordinata, intercepta, & cum stertore fit: propterea quatenus difficilis est spiratio, distinguitur à Caro, quatenus abolita, à Syncope, quia in Syncope facies est cadauerosa, & pulsus aboliti; in Apoplexia facies est plena: pulsus inæquales quidem sunt, seruantur tamen. Differt à Lethargo etiam febre: nam Apoplexia ex propria natura est sine febre, Galen. 2. aphor. 19. 5. aphor. 30. Differt à Suffocatione Vteri ea ratione, qua distinguitur à Syncope.

Prognostica.

QVod pertinet ad Prædictionem futuri euētus boni, aut mali, habetis cōmunem illam Hippocratis sententiam 2. apho 42. *Apoplexiam Fortem soluere impossibile, &c.* Cæterùm in hoc loco explicare oportet, qualisnam sit Fortis Apoplexia, qualisque Debilis. Gale. ad vnicam respirationem vult esse confugiendum: nam Fortis videtur Apoplexia, quando respiratio est insigniter læsa; Debilis, in qua mediocriter. Læsa verò est insigniter, vt idem docuit loc. cit. cùm prorsus abolita est, & hic vocatur primus Apoplexiæ gradus omnium lethalissimus: Secundus est, in quo respiratio est cum stertore. Tertius in quo spiratio est sine stertore, intercipitur tamen, & est valde inęqualis; & istę omnes inter Fortes Apoplexias connumerantur, quanquam hæc tertia vltima habeat aliquam latitudinem, propter quam ad Debiles referri possit, sicuti & illa quarto loco posita, in qua respiratio non intercipitur. Cæterùm quamuis Apoplexia, in qua tollitur spiratio, & in qua fit stertor, Fortes dicantur, & idcirco ex Hippocr. sententia curari non possint, nihilominus ex his aliquæ etiam curatæ sunt.

Tres Apoplexię gradus:

Fuere Apoplectici, qui iā loculis impositi, imò & sepulti, reuixerunt: propterea consulunt Medici, ne isti ante 72. boras ab initio abditæ respirationis, sepeliantur. Ratio est, quia dicunt in fine 72. horarum absolutam esse periodum omnium humorum, & vbi consumpta humorum periodo, non reuixit æger, conclamatum est: nostis pituitę motum esse venius dici, bilis duarum, melancholiæ trium; absoluta hac periodo, nulla amplius spes est. Si quæratis: quomodo tamdiu absque spiratione possint viuere: Dico, hoc illis tantum contingere, qui temperamento cordis, & totius corporis sunt frigidiore: isti enim, cùm magnum non habeant calorem, satis superque euentantur, & difflantur per transpirationem totius corporis præterquam quòd aliqua fit etiam spiratio, sed ad sensum ignota. Pariter, quod pertinet ad Apoplexiam cùm stertore idem Hippo. 6. aph. 51. inquit, quòd *sani, qui repente in dolorem capitis incidunt, muti fiunt, ac stertunt, in septem diebus intereunt, nisi febris superueniat*: ex quo aphorismo colligimus, accedente etiam aliorum experientia, Apoplexiam cum stertore esse sanabilem.

Putant nonnulli, fortius signum futuræ mortis esse spumam circa os apparentem, eo quòd scripserit Hipp. 2. aph 43. *Qui strangulantur, aut resoluuntur, necdum tamen animam efflarunt, non restituuntur, quibus os spuma obsitum est*, & loquitur de Apoplecticis. Cęterum experientia docuit, illos quoque, in quibus spuma apparet, nonnunquam sanatos. Ratio est: quia spuma fit ex duplici caussa effectiua, & ex duplici etiam materiali; nonnunquam fit ex solo flatu agitante materiam crassam, & viscidam: quandoque fit ex immenso calore colliquante solidam pulmonum substantiam, in qua colliquatione spiritus quidā vitalis calidus inclusus spumam facit, prior spuma fit in Apoplecticis, qui catarrho abundant, & non est lethalis: secunda spuma fit etiam sine catarrho, & hæc mortem certissimam minatur.

Deterrimum quoq; est signum, si album oculorum appareat, & aluus siue sponte, siue medicamento irritata multa excrementa expurgat absque tamen subleuatione Hip. 6. aph. 52. Apoplexia quin etiam, quæ sequitur Phrenitim, & lethargum est omnino insanabilis.

Putant nonnulli Apoplexiam insanabilem esse in senibus, ego tamen, præter aliorum experientiam, vidi viros, & mulieres septuagenarios ab Apoplexia fuisse liberatos; & illa Monialis, de qua heri dixi, cùm septuagenaria esset, incidit

in Apoplexiam notham, à qua tandé à me fuit li A berata; nunc etiam viuit. Desinit in paralysin, vt docuit Gal. lib. 4. de loc. aff. 2. & Nicol. Piso; sed non semper: hęc enim mouet brachium totum, & oculos, & tamé nó sentit, nec alias partes mouet.

Sanabilis est Apoplexia in robustis viribus, in qua respiratio fit quidem inordinata, sed non intercepta, & consueuit solui febre superueniente, vt docuit Hip. 6. aph. 51. Quandoq; soluitur breui horarum spatio, nonnunquam durat vnam vel alteram diem, imò vero vsq; ad septimam, si Hip. credimus loc. cit. B

Curandi via.

CVm Apoplexiæ curatio conueniat cum curatione Cari, idcirco paucis illam vobis proponam, & ad Catalepsin deinde me conuertam. Perficitur hæc curatio primo quidem sanguinis missione, de qua Cels. lib. 3 ca. 27. dicebat, aut citò curare, aut citò interficere: illud tantùm hac in parte est quærendum; vtrum omnibus Apoplecticis conueniat: ex qua vena sanguis mittendus sit C & in qua quantitate Græci, vt Aet. Paul. &c. Celsus inter Latinos videntur in omni Apoplexia sanguinem mittere cum tamen, si de pituitosa sit sermo, nulla ratio persuadeat sectionem venæ posse prodesse: itaq; credendum, istos scriptores venæ sectionem proposuisse in omni Apoplexia, dummodo tamen adsit plethora vel legitima, vel spuria: fieri enim potest caput reddi humidius, & pituita plenum ex constitutione temporis, anno humido, ex cibis copiosis, crassi succi, & tamen sanguine etiam abundet; in his casibus conuenit venæ sectio.

Miss. sang.

Quòd si corpus caco chymicum fuerit, nunquá secanda est vena, sed alijs reuulsionibus agendú, clysteribus acribus, suppositorijs, frictionibus, & ligaturis, sinapismis & vesicantibus, de quibus omnibus dictum est in tract. de Caro.

Vomitus etiam in his casibus est promouédus.

Sed vbi sanguis abundat cum plenitudine legitima mittendus est ad lib. i. vel. lib. i. & sem. pro varia corporis plenitudine: In plenitudine nota satis erit vnc. vj. vel. vij. sanguinis vacuare.

Locus mittendi sanguinis, nisi suppressi sint menses, aut hæmorrhoides, sint venæ cubiti, & vtraque etiam secari potest eadem die, cùm maxima est plenitudo. Rhases noster secat venas iugulares: Hæc operatio tunc locum habet, cùm fit Apoplexia impedito transitu sanguinis, & spiritus vitalis ad plexum, vel extra plexum choroidem; tunc enim venæ iugulares mirum in modum tumen hoc dico propter Gatinariam, qui dicit non posse secari, sed, vt dixi, secantur absque ligatura, Sed quia periculum est profusionis sanguinis, quę supprimi non possit, idcirco foramen debet esse angustissimú, & ad compescendum sanguiné, parari debet Linimentum ex aloe, thure, pilis leporinis cóbustis, & albumine oui, deinde superponátur asseres ad vtrumque os iuguli, & ad aures, & à sterno vsque ad mentum: sic enim fit ligatura, quæ sanguinem supprimit, & anhelitus difficultatem non facit. Cùm iugulares venæ secari nó pos

Locus.

sunt, post factas cubiti venas, aperiatur vena frontis aut apponantur hirudines venis temporum, & post aures, vel aperiantur venæ narium.

Sed vbi suppressus sit sanguis, vel hæmorrhoidum, vel menstruus, antequam superiores venæ aperiantur, secétur primo inferiores, aut mittatur sanguis per venas sedales.

Virtute non permittente venę sectionem, agédum est cucurbit. scarificatis, quę apponentur plures, duæ cruribus, duæ coxis, totidem natibus, totidem etiam lumbis: Scarificentur profundè; & si non redeat patiens, magna etiam cucurbita occipiti apponatur: Thoraci non sunt apponendæ, quia augent spirandi difficultatem: Valesc. de Tarant. vtebatur in his casibus in suo Philon. hirudinibus appositis pluribus partib. corporis, & profitetur se cum fructu hoc fecisse.

Præter has reuulsiones, conuenit euacuatio à Capite per errhina, & sternutamenta, de quibus in tract. de Caro: conferunt illitiones palati ex oxymel ite scyllit. cum confectione anacardina mixto, cum sinapi, & trochiscis alhandal: nam si aliqua portio huius materiæ in ventriculum descendat potest aut vomitum, aut aluum mouere.

Denique his non conferentibus conuenit vstio actualis in occipite, in syncipite, & tandé Arabes proponunt sartaginem ignitam Capiti esse appropinquandam vsque quo capilli deurantur. Derasis etiam Capillis si quis Vesicatorium capiti ad mouerit, cum fructu hoc faciet.

DE CATALEPSI.
Cap. XIII.

D AFfectus omnium rarissimus, & cognitione difficillimus ille est, quem Græci modò Κατοχὴν, modò κατάληψιν dicunt, Arabes SoKos, Latini Congelationem, & Detentionem: Qualis nam sit hic affectus, quę illius natura, & caussæ, & locus affectus, maximè controuersum inuenio.

Primùm quidem video, antiquiores Gręcos, imò verò & Latinos huius affectus naturam non cognouisse. Nam apud Cœl. Aurel. 2. de acut. 10. cùm fiat mentio Catoches ex antiquorum, & Gręcorum, & Latinorum sententia, non describitur E Catoche, de qua hic loquimur, sed Coma vel Vigil vel Soporiferum, & propterea in eo affectu patiétes sentiunt, si púgantur, deglutiunt, seipsos mouent, & quamuis oculos habeant apertos, habent eos tamen apertos voluntariè; nam aliquando claudunt eos.

Antiquorũ error circa hũc aff.

Huius affectus sub nomine Catoches meminit etiam Aet. 2. tetrab. 2. c. 6. Meminit Paul. lib. 3. ca. 10. in capitis princ. & c. 4. in fine; sed nihil aliud descripserunt isti sub nomine Catoches, quàm Coma, aut Vigil, aut Soporiferum. Quinimo Hipp. F etiam 2. prorh. 56. cùm dicit cum Catoche delirátes, ostendit se explicare Coma Vigil, aut Soporiferum, nam in nostra Catoche, de qua loquimur, nullum potest esse delirij signum quia vox intercipitur.

Sed quid dixerit Gal. in illo com. vt Hippoc. tueretur, scio. Veruntamen cùm videam Paul. Aet. Aurelianum existimasse, Catochen antiquorú nihil aliud fuisse, quàm Coma Vigil, aut Soporiferum,

riferum, puto istos ex hac Hip. auctoritate ductos A esse ad credendum: Hæc fuit caussa, cur Auctor. Finit. Medicarum Coma Vigil, & Soporiferũ vocarit Catochen. Hæc etiam fuit caussa, quòd Io. Gorræus in finit. Medic. & Rondelet. & alii Recent plurimi decepti sint, qui nullam cognouerũt Catochen aliã præter Coma Vigil, aut Soporiferũ.

Recentiorum nonnulli ignorarũt Catochen.

Cæterùm Amat. Lusit. in schol. 15. 2. lib. centuriarum, secutus hac in parte Paul. Aeginetam lib. 3. ca. 10. in fine distinguit Catochen à Catalepsi, & inquit, Catochen nihil aliud esse, quàm Coma, Catalepsin esse Congelationem totius corpo- B ris, & propterea Fuchsium improbat, qui existimauit Catochen, & Catalepsin esse eundem affectũ. Cęterùm hac in parte decipitur Lusit. quoniam neq; apud Paul. neq; apud Gal. inueniemus. Catochen esse quid distinctum a Catalepsi, sunt synonyma, & vnum eundemq; affectũ significant, hoc potestis videre apud ipsum Paul. loc. cit. apud Galenum 4. loc. aff. 2. qui propterea hun affectum 4 de caus. puls. 16. vtroque nomine nuncupari, & idem significare docuit.

Amatus lusit deceptus.

G

De Catoches seu Catalepsios natura vera sententia.

DOcui hactenus, quid non sit Catoche, docebo in præsentia quid sit hic affectus, quæ caussæ, signa, & quæ curatio.

definitio

Est hic affectus immobilitas totius corporis cũ deprauatione, & insensibilitas ex induratione fere omnium musculorum, & neruorum.

Dicitur *immobilitas*, quia in hac affectione nullus est motus, exceptis musculis thoracis: seruatur enim spiratio, sicut Apoplexia, atq; in Caro- D pro conseruatione vitæ. Dicitur *immobilitas cum deprauatione*, ad differentiam immobilitatis Apoplexię, & Cari, atque etiam Paralysis, nam in his affectibus omnes quidem musculi otiantur, sed manentes in suo naturali statu: In Catalepsi otiãtur quidem, sed extra naturalem statum: quandoquidem ita manẽt musculi, sicut reperitur status corporis, quo tempore affectio inuadit, vt si inuadat scribentem, ita maneat corpus, atque si scriberet, si comedentem, aut stantem, aut disputantẽ, E in eo statu manet, in quo agentes reperiuntur, propterea κατάληψις, siue Apprehensio dicitur hic affectus.

Dicitur *insensibilitas*, quia sensus tactus omnino est abolitus, puncti nequaquam sentiunt, quandoque tamen seruatur visus, & auditus auctore Gal. 2. prorh. 56. quod si auditus, & visus, ergo & sensus communis, huius ratione visus cognoscit se videre, auditus se audire, & distinguitur obiectum visus, seu visibile ab audibili, at si seruatur sensus communis, etiam imaginatio ser- F uatur, ad quam pertinet cognoscere bonum, & malũ, & alias species insensiles in obiecto sensili, propterea Gal. loc. cit. scribit illum suum discipulum, qui captus est hoc affectu, vidisse, audiuisse & imaginationem seruasse; aliquando tamen vsque adeo grauis est, vt omnes sensus, & externos, & internos tollat. hinc Gal. 3. de differ. symptom. cap. 3. Catochen inquit esse Paralysin imaginationis.

Non seruatur tamen motus mandibularũ, vt quidam putant moti Hippocratis auctoritate 2. sect. Epid. vbi profert casum Eumenis; nam, vt dixi in externa lectione. Catoche apud Hippocratem est Coma, non vera Catalepsis; & propterea cum apud Fernel. lib. 5. duo proferantur Catoches exempla, primum quidem est exemplum veræ Catoches, secundum, in quo scribit seruatã fuisse deglutitionem, est exemplum Comatis Soporiferi, non Catalepsis: in Catalepsi nullus est motus, nisi respirationis.

Caussa continens.

CAussa proxima est induratio omnium musculorum, & neruorum. Per omnes musculos intelligo omnes, exceptis musculis thoracis. Per neruos similiter intelligo omnes, exceptis auditoriis & opticis, cùm aliquando auditus, & visus seruentur. Cæterùm hæc faciliora sunt.

De Modo, quo fit induratio, Aliorum opiniones.

DE caussa affectionis, imò & de loco affecto maxima est ambiguitas. Trincauel. vt ab hoc exordiar. v. de internis cap 4. duplicem proponit caussam: Intemperiem frigidam, & siccam absq; materia, & materiam melancholicam Quòd intẽperies frigida, & sicca absq; materia hunc pariat affectum, docet experientia, persuadet Galeni auctoritas, nam qui iter faciunt in niuosis montib. equo insidentes, plerunque congelati reperiuntur indurati oculis apertis, viuis similes, & tamẽ sunt exstincti. Gal. quoq; 2. prorh. 56. & 2. aph. 3. ex intemperie frigida & sicca inquit fieri hunc affectũ.

Falsa tamen est hæc sententia. Primò, quia frigus internum nunquam vsque adeo vehemens esse potest, viuente adhuc homine, quale est externum: at verò Catoche ex caussa intrinseca facta multoties curatur.

Trincauelli sententia reijcitur.

Accedit, quòd hic affectus momento temporis accedit, & recedit: Intemperies frigida & sicca neq: citò fit, neq: citò desinit.

Quod etiam pertinet ad materiam melancholicã, nisi aliud addat Trincauel. non exponit caussam, cur ex hac melancholia potiùs fiat Catalepsis quam Melancholia, aut Epilepsia, aut Læsa Memoria.

Rondeletius primo de intern. ca. 2. secutus Aetium 2. tetrabib. 2. ca. 4. duplicem inquit esse caussam: sanguinem, aut melancholiam, qui humores, inquit, dum replent venas, & arterias, quæ sunt in membranis cerebri, ex hac repletione tenduntur nerui, & fit Catalepsis, seu Catoche.

Hæc quoque opinio falsissima est: Primo quia in Phrenitide venæ & arteriæ membranarum cerebri sunt admodum repletæ, & tamen non adest Catoche. Secundo quia ex hac repletione si fieret tensio neruorum, deberet fieri potiùs Conuulsio, quàm Catalepsi. Accedit, quòd hæc caussa non ostendit, quomodo in Catalepsi amittatur sensus, & functiones principes.

Rondeletius confutatur.

Erastus part. 4. suarum disput. cont. Paracelsum

sum inquit, caussam esse distentionem ventriculorum cerebri, factam à copioso flatu, qui (inquit ipse) facit semiangustiam, ita vt spiritus animales transmittantur quidem extra ventriculos, sed imperfectè. A

Erasti opinio neglecta. Hæc quoque opinio nihil dicit: Nam si pauci spiritus exeunt, debet fieri imminuta operatio, Stupor, Torpor, Semiparalysis, non Rigiditas, & priuatio sensus in toto corpore.

Amatus Lusitan. exploditur. Amat, Lusitan. cent. 2. cur. 14. inquit, hoc fieri ex spirituum animalium congelatione propter intemperiem frigidam & siccam cerebri. B

Quod sanè mihi videtur prorsus à ratione alienum, spiritus animales in corpore viuente vsque adeo conglaciari, vt ad motum sint inhabiles: præterquam quòd si ita res esset, nunquam sensus, visus, vel auditus, neque imaginatio seruarentur: neque hæc opinio assignat caussam indurationis musculorum.

Propria sententia.

OMissis igitur aliorum sententijs rei veritatē indagabimus ex his, quæ sensui sunt conspicua, & ex anatome manifestiora sunt reddita: in hoc affectu adest, vt intellexistis, Induratio musculorum totius corporis, hæc Induratio potest fieri ex triplici caussa, siccitate, refrigeratione, & repletione. Siccitas & Refrigeratio locum non habent, nisi sit caussa extrinseca, vt iam intellexistis: ergo oportet esse Repletionem, hæc Repletio potest fieri aut in solo neruorum principio, aut per totam neruorum substantiam: si in solo principio, fit aut Paralysis totius corporis, quia repleatur substantia medullaris, aut fit conuulsio totius corporis, quia repleatur substantia membranosa, quæ est extrinseca. C D

Oportet igitur, vt in hoc affectu nō solùm neruorum principium, sed tota substātia neruorum, qui in omnes corporis partes disseminantur, secundùm sui substantiam membranosam repleatur, & consequenter induretur.

Hæc substantia nō potest esse corpulenta, quia si esset corpulenta, fieret magna conuulsio: nam dilatata substantia breuior fieret: oportet ergo substantiam esse vaporosam, aut flatulentam, quę momento temporis in membranas omnium neruorum inferatur; hinc fit Rigiditas. E

Sed præter hanc Rigiditatem tollitur sensus, nec solum tactus, sed etiam sensus gustus, & motus linguæ, quæ recipit neruos à cerebro, propterea aliam oportet inuenire priuationis sensus caussam.

Caussa est non obstructio ventriculorum cerebri, quia in hac obstructione tolleretur omnis sensus; at plerunque non tollitur: quid igitur fit? Cerebellum vnum habet ventriculum, in quo spiritus animalis continetur, qui deinde per meatū quendam posteriorem, qui conseruatur apertus à processu quodā cerebelli (vermiformis vocatur) per hunc inquam meatum spiritus animalis trāsmittitur ad neruos omnes motorios: habet & meatum anteriorem, qui pariter defert animalem spiritum à postremo ventriculo in medium, F vt sensum tribuat neruis, qui sunt in parte cerebri anteriore.

His sic stantibus, dum cerebelli pars posterior aut comprimitur, aut obstruitur, ita vt spiritus ad medullam spinalem non possit confluere, tollitur sensus vniuersi corporis, sed manēte aperto meatu anteriore, spiritus potest confluere ad neruos oculorum, & auditorios. Potest quoque imaginationis inseruire, ita vt aliquando in Catalepsi cū amissione sensus totius corporis, seruatur tamen visus, auditus, & imaginatio: quòd si integra fuerit vel compressio, vel obstructio vtriusque meatus, tunc in Catalepsi tollitur etiam sensus & motus, & totius corporis, atq; omnium etiam neruorum sensitiuorum operatio.

His sic stantibus dico resolutè: Omnem materiam, quæ in cerebro continetur, quę ve in cerebrum potest confluere, dummodo transmittatur ad cerebellum, siue comprimendo, siue obstruēdo meatum posteriorem, posse hunc affectum producere.

Ostendi hactenus, in Catalepsi, neruos & musculos indurari ex vaporosa, & flatulenta substātia ipsos replente, præcipuè secundùm partem membranosam; sensum verò tactus abolitū reddi, & facultatem motricem, meatu posteriore cerebelli aut compresso, aut obstructo; sensum visus & auditus, ac imaginationem aliquando seruari, quando anterior eiusdem cerebeli meatus fuerit apertus; has omnes tolli, cùm hic quoque fuerit occlusus; reliquum est, vt caussas explicemus, quæ ad compressionem, aut obstructionem faciunt, & substantiam illam vaporosam gignūt, vel flatulentam.

Caussæ efficientes dictum generationis Catoches modum.

HÆc substantia non est vnica, sed multiplex, magna tamen ex parte est melancholica. Hic enim humor & sua duritie, & frigiditate, & siccitate aptissimus est ad compressionem, astrictionem, & obstructionem inducendum. Is quoque spiritum generat crassum, qui per neruos distributus indurationem efficit; propterea Gal. 2. in primum prorh. 56 & 2, apho. 3. cum scribit, ex intemperie frigida & sicca Catalepsin gigni, intelligendus est de intemperie frigida & sicca in materia melancholica humorali existente, non in parte solida: Nouit enim Gale. Catalepsin subito fieri, & breui temporis spatio recedere, quod minimè conuenit affectibus ex intemperie partium solidarum excitatis: etenim ipse 3. de loc. aff. 7. propterea negat Apoplexiam, & Epilepsiam fieri ex intemperie, eo quòd subitò accedat, & recedat. In hanc sententiam, vt dixi, magna pars Recentiorum consentit.

Est quoque pituita: hoc colligitur ex Gal. 13. meth. 21. 4. de loc. aff. 2. his duobus in locis recenset Gal. affectiones, quæ fiunt ex succo pituitoso, & inquit, has esse Coma, Carum, Catalepsin, Epilepsiam, & Apoplexiam: idcirco Dodonæus in annot. ad cap. 46. lib. Ant. Beniuen. de admirād. vbi Anton. proponit casum cuiusdam Catochici,

qui

qui desiit in Epilepticum. inquit Dodon; hic affe- A
ctus factus fuit ex pituita, & propterea Holler. & in com. 2. ad aphor. 8. lib. de coacis prænot. inquit, aliquando hos affectus mutuò se excepisse, Coma Catalepsin, Epilesiam, Conuulsionem; at certum est, Coma fieri ex pituitoso succo; ergo & alij mutuò succedentes facti sunt ex odem succo.

De materia biliosa hoc idem videtur affirmādum, posteaquam scribit ipse Holler. in comm. ad aph. 13. lib. 5. de Caoacis prænot. post delirium factam esse Catochen. Ego (Auditores) referam hic Catoches historiam, quam Vidi Venetiis, quę persuadet, ex bile potuisse hunc affectum fieti. B

Historia catalepſ. ex Bile. Camillus Balionus annum suę ętatis agens 24 temperamenti biliosissimi, incidit in febrem ardentem, ab initio cum vigilis, & dolore capitis intentissimo, quarta die Phreniticus euadit cū rixa, & furore, cum vigiliis perpetuis, nullis conferentibus auxilijs; 14. die delirio existente maximo, subitò corripitur Catalepsis: Frigidus manet, supino ventre, apertis oculis & inconniuentibus, aperto ore 6. horis continuis; post 6. horas rediit sensus, & cum eo delirium, sequenti die eadem hora rediit Catalepsis, perdurauit symptoma 12. horis, sublato symptomate reddiit ad vigilias, & delirium; tertia die eadem hora rediit catalepsis: perdurauit 18. horis, sequenti die reuertente accessione eadem obiit. C

In hoc casu posset quispiam iure optimo arbitrari, in tanto delirio Catalepsin factā esse ex matera Biliosa; quamuis, vt ingenuè dicam, mihi tūc venit in mentem potuisse disrumpi abscessum ex magna inflammatione obortum, & abscessus materiam fuisse Catoches caussam. D

Videtur quoq; esse posse Sanguis, nō quod hoc scripserit Aet. 3 tetrab. 2. c. 4. atq; idipsum acceperit Rondelet. 1. de inter. c. 10. nam ambo loquuntur de Comate, non vera Catalepsi, sed quia Hollerius 1. de inter. in schol. ad c. 9. in fi, scribit, cuidam Secretario, ex Catoche mortuo, inuentam esse copiam sanguinis crassi in vena illa, quæ parte posteriore ad anteriorem tendit.

Ceterùm quoniā ipse Holler. partem cerebelli in hoc ægro dicat plenam fuisse quodam sero rufo, mihi persuadeo Catochen factam esse potiùs ex illo sero, quàm ex sanguine in vena contēto. E

Neq; est præter rationem arbitrari illud serū rufum trāsmissum esse ab illa vena, in qua sāguis crassus, & retorridus continebatur: quandoquidem si ex vaporibus potest fieri aliquando Catalepsis, vt colligitur ex Galeno 1. de cauſ. symp. 7. vbi scribit, ex ore ventriculi fieri posse, & Melācholias, & Comata, & Catalepses, multo magis fieri potest ex ichore, & potissimùm prauo.

Itaq; ex his constat, non vnam sed multiplicē esse materiam, quę Catochen facit; & quamuis solum sanguinem non putem id posse efficere, eo quòd, si extra venas fuerit, statim corrūpitur, atq; putrescit, atq; insanabilem reddit affectum: intra venas autem non potest vsque adeo abundare in ipso cerebello, vt non abundet etiam alijs cerebri partibus: hinc fiet potius Phrenitis, aut Apoplexia ex sanguine. F

Non inficior tamen sanguinem pituitæ commistum id efficere posse, vt colligitur ex historia relata à Dodonæo in suis obseru. c. 4. & in annotat. ad idem cap.

Refutatio falsæ sententiæ.

EX quo (Auditores) potestis colligere vanam esse illorum sententiam, qui putant ex imaginatione hoc tantum fieri: etenim cum hic affectus fiat & in sanis & ægris, & in febribus intermittentibus, & continuis, & per consensum, & per essentiam, & cum inflammatione cerebri, & sine inflammatione, & ex humore melancholico & aliis: apprehendat quoque ægros nihil cogitātes, neque imaginantes, & præterea reddat corpus non tantùm immobile, sed cum deprauata figura, & rigidum, impotens ad motū & sine sensu, vt neq; puncti quicquam sentiat, quod vidimus ipsi, falsissimū est assesere hæc fieri ex imaginatione tantùm. Vidimus autē in illo Balione.

Signa.

SIgna huius affectus ex dictis sunt plana: cùm enim quispiam de repente Rigidus manet in eo corporis statu, in quo reperitur agens, aut loquens oculis apertis, inconniuentibus, quasi caput Medusæ vidisset, hic affectus dicitur Catalepsis, seu Congelatio: pulsus sunt duri: alui excrementa & vrina supprimuntur: sola spiratio seruatur sublato sensu tactus, ac quandoq; cæteris omnibus, nonnunquam seruato visu & auditu.

Prognoſtica.

HIc affectus ex sententia Dodonæi in suis obseruat. Med. c. 4. si bis repetat, est insanabilis, & propterea illum affectum, de quo meminit Beniuen. de admirand. c. 102. puto non fuisse Catalepsin, sed stuporem aut torporem cum forti aliqua imaginatione deprauata, qui est ille affectus, quem dicunt fieri ex sola imaginatione, & non hic, de quo nunc loquimur in præsentia.

Curatio.

CVm hic affectus fiat ex illis caussis variis, vt dixi, ita etiam vario modo curatur. Curatur hic morbus eodem modo extra accessionem, quo etiam curatur aut Coma, quando fiat ex humore pituitoso, aut Læsa Memoria, aut Melancholia, quando ex humore melancholico, aut Phrenitis, cùm ex bile, aut ex sanguine.

Sed in accessione obseruandum, vtrum conueniat aliquid operari: paucis sic rem decerno, in Catoche cum plenitudine sanguinis etiam tempore accessionis venam secare oportet: si non fit ex sanguine, clysteres iniiciantur, cucurbitulæ scarificatæ, & non scarificatæ adhibeantur capiti, & præcipuè occipiti derasis capillis, fiat perfusio ex oleo sambucino, in quo imponatur portio aut castorei, aut euphorbii, & in defectu olei sambucini, idem præstabit costinum, aut rutaceum ad mista theriaca. Competit autem totam quoque

spinam eodem oleo irrigare. In eundem vsum veniunt fomēta ex decoct. chamomel. puleg. sisimb. calamenth. orig. aut in vino si intemperies sit frigida, aut in aqua.

Sinapismiquoq; & Vesicantia occipiti imposita proderunt. Quidam Recentiores, inter quos est Amat. Lusit. cent. 2. cur. 14. cùm videant Gal. 3. (3.) simplic. 20 in refrigeratis, siue ex vsu opii, siue ex alia caussa, summopere probare vinum Lesbium, siue aliud quod vis antiquum, & generosū quale est Creticum, ipsi quoq; proponunt illud in Catoche; sed distinguendæ sunt caussæ: nam hoc vinum conuenit tantùm in materia frigida, & præmissa corporis, & capitis euacuatione; alioquī ex Catalepsi incident in Cōuulsionē, aut Epilesiā.

Sublata accessione purgetur corpus pro varia humorum natura, & corroborantia similiter pro intemperaturę varietate administrentur. Hæc de Catoche dicta sufficiant.

DE PARALYSI, STUPORE, ET TORPORE. Cap. XIV.

Coniungam (auditores) tractatum de Stupore, & Torpore, cum tractatu de Paralysi: quandoquidem, vt dicebat Gal. 2. de caus. symp. 1 Stupor est leuis quędam Paralysis, conueniuntque in caussis, & curatione.

Παράλυσις ergo, quę, & Πάρεσις & Παραπληγία Grecis dicitur, vt potestis videre apud Gal. 2. in p. epid. 59. & 60. 4. acut. 26. & 2. in 1. prorrhet. 50. Latinis dicitur Resolutio, & Mollificatio.

Est motus & sensus abolitus partium humani corporis ex defectu animalis facultatis.

Per motum intelligo animalem, minimè naturalem: hoc dico propter Gal. qui. 3. de caus. symp. 2. attractricis facultatis ventriculi læsionē vocat Paralysin, & Hip. qui 3. in 6. Ep. 1. Coctionem vētriculi sublatam, aut diminutam vocat Torporē: *Per sensum* intelligo omnem sensum externū tactus, visus, auditus, olfactus, ad differentiam sensuum internorum, & facultatum principum, quārum læsiones lib. de diff. sympt. 3. Galenus quoq; vocauit Paralysin.

Non putetis verò, cùm dicimus Paralysin esse vitium motus, & sensus, semper vtrumq; vitium simul connecti: nam aliquando motus tantùm; nonnunquam motus & sensus, quandoque sensus tantùm lesionem patitur.

Et vbi motus tantùm, aut sensus & motus vitiantur, vera est, ac propria Paralysis: sensu tantū sublato, impropria est. Gal auctore 3. loc. aff. c. 10.

Diximus esse *motum & sensum abolitum*, ad differentiam Stuporis, & Torporis.

Nam Stupor est sensus imminutus, 1. de caus. symp. 5. (1)

Torpor est motus imminutus, de art. medicin. cap. 81.

Præterea dicitur *motus abolitus*, ad differentiam Conuulsionis Epilepsiæ, & Catalepsis, in quibus deprauantur motiones.

Addidi *partium corporis*, ad differentiam Apoplexiæ, & Cari, in quibus totùm corpus sensu, & motu priuatur, spiratione excepta, per partes 1. corporis non tantùm intelligo oculum, aut linguam, manum, & pedem, brachium, & crus, vesicam, intestinum, pudendum, verùm etiam aliquādo totam dimidiam partē corporis, quæ ἡμιπληγία vocatur; quandoq; nomine partis intelligo totum corpus capite excepto; aliquando simul cū toto corpore coaffectam etiam linguam, & buccas: dummodo .n. omnes sensus simul cum motu animali non tollantur, potest dici pars tantùm affecta.

Illud etiam hoc in loco est obseruandum; vbi afficitur totum corpus infra caput, aliquando affici æqualiter, ita vt nulla pars moueatur, aut sentiat; quandoq; inæqualiter, & hoc pluribus modis; aliquando contingit, vt brachium sinistrum, & crus dextrum sint resoluta; quandoq; in vnica manu resoluūtur, duo, aut tres digiti, ceteris illęsis Quod magis est, resolutis brachiis, aut cruribus motu priuatis; sensus tamen admodum inæqualis ad mortem vsq; quandoq; in his partib. reperitur, vt v.g. pars exterior coxæ sensum retinet, interior est sine sensu: pars exterior cruris est sine sensu, interior cum sensu, hoc vidi: dicam infra caussas.

Caussa continens, & modus generationis.

Caussa generalis vniuscuiusq; Paralysis est defectus facultatis animalis Deficit hæc facultas, aut dissoluta propter maximas cerebri intēperantias, præcipuè propter frigidam: sic scribit Gal. in 13. com. 1. prorh. exstincto calore natiuo totius corporis segnitiem sequi: ex superpurgantibus etiam potest idem spiritus animalis deficere vt notauit idem Gal. in com. 9 7. aph. part. cum scribit Hip. *à sanguinis profluuio desipientia, &c.* & Brasauol. in com. eiusd. aph. scribit, se quendam vidisse à sanguinis narium copiosa profusione Paralyticum factum.

Deficit etiam facultas animalis, quando spiritus animalis totus diuertitur ab ipsis neruis, siue propter aliquam insignem inflammationem capitis attrahentem ad se sanguinē & spiritus, septima aph. 14. *Ab ictu capitis obstupescentia malū*, siue retractis spiritibus propter terrorem, qua ratione scribit Gal. com. 57 septimæ partic in concussione cerebri immobilitatem totius corporis subsequi.

Historia *Quidam cum laborasset sphacelo in scroto & testibus, ex illo sphacelo cecidere testes, & scrotū & sic effudit simul sanguinem, quo effuso statim incidit in Paralysin à qua fuit liberatus*

Magna tamen ex parte facultas deficit impedita.

Impeditur autem aut neruo inciso vel rupto, vel exiccato vel compresso, vel obstructo.

Ruptio & incisio fit ex vlnere aut ex casu.

Exiccatur aut ex inedia, curis, & vigiliis, motu Venereo, aliisq; euacuationibus, sic scribit Trallia. lib. 1. c 16. ex siccitate factam Paralysin. Densitas fit ex refrigeratione siue aeris, siue aquæ: sic Gal. 3. (4.) de loc. aff. 4. scribit Paralysin curasse in Piscatore, factam ex frigidiore aqua. Compressio quandoq; fit ex calculo renali: sic 1. in. 6. Ep. 6. in calculo stupor cruris; si maior esset compressio, posset etiam fieri Paralysis: Ex inflammationibus & tumoribus, teste Gal. 4. de loc. aff. 4. Deniq; fit compressio ex luxatione vertebrarum, aut ceruicis, aut dorsi, non item lumborum, neq; ex omni luxatio-

luxatio-

luxatione: non enim ex illa, quæ fit ab initio ad A interiora, aut ad extrorsum, nisi vsq; adeo violenter fiat, vt neruos disrumpat, sed fit Paralysis ex luxatione ad dextrum, aut sinistrum latus, vt docuerunt Hip. 2. Epid. sect. 2. Gal. 4. loc. aff. 3.

Denique fit Paralysis ex Obstructione, & quamuis magna ex parte Obstructio fiat ex crassis, ac pituitosis humoribus, potest tamen etiam fieri ex melancholicis, nam si Paralysis sequitur Apoplexiam, vt docuit Gal. 4. de locis aff. 2. & Apoplexia fit ex humore melancholico, vt docuit idem Gal. 6. aph. 56. & 57. ergo hæc Paralysis fiet ex humore melancholico. B

Idipsum dico de sanguine: nam si datur apoplexia sanguinea, ex Gal. lib. cur. per sang. miss. 5. ergo & Paralysis, quę sequitur hãc Apoplexiã erit ex sanguine. Valeriola 2. obseruat. obs. 8. scribit, in quodam Paralytico, qui ictus fuerat in capite, post mortem inuentam esse saniem, Paralysis caussam: Et Gal. 4. de loc. aff. 4. ex Peripneumonia inquit fieri Paralysin.

Historia D. Bernar. Tremisanus, socer Excellentissimi Auctoris laborauit abscessu, & cõmunicata materia, seu sanie vertebris factus est Paralyticus.

De Bile est aliqua controuersia. Nam Gale. 1. prorhet. 13. caussam Segnitiei, & Paralysis refert C in solos crassos, viscidos, & pituitosos humores; bilem minimè posse hos affectus inferre, quam sententiam Rondel. accepit; propterea in Fernel. inuehitur 5. pathol. 3. dicentem, dari Paralysin ex materia biliosa, sub finem febrium biliosarum ad neruos transmissa.

Ceterùm (Auditores) non est tantùm Fernelij hæc sententia, sed Paul. Aeg. lib. 3, cap. 43; qui cùm scribat, suo tempore facta esse Colicam, quæ desinebat aut in Conuulsionem, aut in Paralysin, inquit, hanc nulla alia ratione fuisse curatam, quã D à temerario quodam medico, qui frigidis oleribus, aqua, potu, cibisque incrassantibus huic malo opem tulit: ex quo possumus conijcere, calidum & biliosum fuisse humorem.

Historia Paralys. ex materia Biliosa.

Ego quoque superioribus annis vidi Episcop. Illustrissimum, qui cũ ex Colica in Paralysin brachiorum incidisset, frustra diu curatus medicamentis calidis, tandem, cùm ipsemet vreretur longo temporis spatio, non vt seipsum curaret, sed religionis ergo, oleribus frigidis, aquæ potu, &c. spõte à Paralysis est curatus: idcirco iure optimo potest fieri Paralysis ex materia biliosa obstruente. E

Inter cæteras Paralysis caussas proponebatur quoque materia biliosa, cuius meminit non modò Fernel. vt dicebam, sed etiam Paul. lib. 3. c. 43. cùm tamen refellatur hæc sententia à Rondelet. lib. de internis cap. 32. liceat quoque paucis illius argumenta reijcere.

Rõdelet. arg. resolu.

Quorum omnium præcipuum est: biliosam materiam Conuulsionem potiùs, quàm Paralysin facere in neruis impactam, hoc argumentum nullius est roboris: quandoquidẽ non distinguũtur Paralysis, & Conuulsio ratione materię, sed ratione loci affecti: etenim eadem materia siue biliosa, siue pituitosa, siue melancholica, ipso quoque confitente Rondeletio, Conuulsionem, & Paralysin inducit. Distinctio igitur petenda est à loco affecto: nam in Paralysi substantia medullaris nerui præcipuè afficitur, in Conuulsione autem substantia membranosa, & fibrosa, Dicebat Gal. 1. de loc. aff. 6. omnem substantiam nerui communi quodã inuolucro circumuolui, membranoso scil. & propterea 1. de mot. musc. 1. substantiam interiorem nerui, quæ ex cerebro ortũ ducit, comparat medullæ ipsius arboris, quod etiam confirmat. 7. de decret. 3. vbi docet, neruum constare ex substantia medullari, cuius origo est ex cerebro, & ex membranosa, quæ ducit originẽ ex membranis cerebri, itaque vbi interior substantia vel densentur, vel obstruatur, vel exsiccetur, vel comprimatur, Paralysin facit, quæcunque tandem fuerit caussa: vbi membrana ipsa patitur, Conuulsio succedit. Sed de hac plura dicemus infra, vbi de Conuulsione tractabimus. F

Refutatio Ioberti.

Hactenus de caussis Paralysis immediatis, quæ communiter ab omnibus fere recipiũtur; præter quas Ioubertus Delphin. in suo de Paralysi tractatu aliam commentus est, quam solam putauit esse Paralysis caussam.

Fit inquitIoubert. ipsa Paralysis mollificata neruorum substantia? sunt enim nerui, quasi lora in habenis, itaque vbi propter mollitiem proprium robur amittunt, motui sunt inepti, molliores autem fiunt ex intemperie humida, siue cum affluxu substantiæ pituitosæ, vel citra affluxum materiæ.

Huic sententię quamuis subscripserit quoque Rondel. attamen non putauit ipse solam hanc esse Paralysis caussam, sed & obstructionem & densitatem, & alias admisit, qui propterea est magis excusandus.

Non tamen Iouberto illa ex parte assentiendum est, quandoquidem si sola mollities ad Paralysin neruorũ efficiendam esset sufficiens, nulla esset Paralysis, in qua sublato motu tolleretur sensus. Ratio est clara: nam mollificatio nerui tollit quidem robur facultatis motricis, non tollit fluxum facultatis; igitur poterit vitiari motus, seruabitur tamen sensus: sed sic est, quòd datur Paralysis in qua tollitur & motus, & sensus, datur Paralysis, solius sensus, non motus; ergo caussa in mollitiem nerui non est referenda.

Adde quòd, vbi nerui sunt vsq; adeo intemperati, aut pituitoso succo referti, vt proprium amittant robur, necessariò prohibent quoque fluxum facultatis animalis, propter densitatem, vel obstructionem, vt tandem caussa Paralysis non in solã mollitiem, sed magis in defectum facultatis animalis referenda, Hactenus de caussis immediatis.

Caussæ mediatæ.

Mediatæ caussæ plurimæ quidem sunt, atq; illæ omnes, quæ vel pituitam, vel melancholiam, aut alium humorem, qui Paralysin facit augent, inter has sunt referendæ. has prætermittam, quia occasione aliarũ affectionum aliàs fuere propositæ: aliqua tamẽ dicam de caussis mouentibus humores in capite contentos ab vno loco in alium, ita vt ex permutatione materiæ Paralysis sequatur.

Inter

Ictus, & percussio Inter externas caussas est ictus vehemens, percussio, aut casus, ex quo aut materia trahitur in locum percussum, aut protruditur ab illo in locum oppositum. A

Inunct. hydrarg Inunctio Hydrargyri est vna ex caussis extrinsecis Paralysis: Hydrargyrum enim mouet materias præcipuè pituitosas à loco ad locum, ad substantiam potissimum neruosam, ex qua fit Paralysis.

Vinũ generos. Vinum præterea generosum copiosè epotum, & omnia calida, siue acria, & aromatica, attenuádi facultate prædita, impuro corpori administrata Paralysin mouent, hoc scribit se Rondel. obseruasse isi muliere, cui importunè administrata medicamenta attenuantia Paralysin induxere. B

Permutatur quoque materia aut ex Apoplexia in Paralysin, aut quandoque ex Epilepsia, vt patet apud Gal. 4. acut. 27. permutatur & ex Peripneumonia, vt potestis colligere ex 4. de loc. aff. 4. permutatur ex affectibus Vteri, vt ego bis obseruaui in duabus Virginibus, quarum vna ex præfocatione vteri incidit in Paralysin coxarum, & tibiarum, Altera ex distorsione vteri in latus sinistrũ, incidit in Paralysin brachij, & cruris sinistri. C

Permutatur quoque materia ab intestinis à dolore Colico in Paralysin: Paulus lib. 3. c. 18. & 43. Notarunt præterea alij plurimi Recentiores, & Ego ipse, qui propterea modum inquirunt, quo materia doloris Colici in neruos transferatur Nó ero in hac disputatione longior, qui plura de hac re voluerit legere, legat Erast. part. 4. disp. contra Paracelf. Videat quoq; Andr. Laurent. lib. 4. c. 8:

quomodo ex Dol. Colico fiat Paralysis. Mea est sententia. Nõ vnum esse modum, aut viam per quam fiat hæc mutatio; aliquando materia, quæ ex capacitate intestinorum recepta est in mesaraicas, transmittitur ad venam cauam, & per illam ad musculos partis, quę Paralysi laborat; quandoque in membranis intestinorum recepta per membranam peritonæi communicatur propaginibus neruorũ, quæ ex vertebris aut dorsi, aut lumborum ortum ducunt; nonnunquam in vapores conuersa materia replet caput, à capite in subiectas descendit partes; aliquando fit cùm materia doloris colici ex ipso capite descendit, vt propterea mutato loco ex Colica, aut Artheticum, aut Paralysin inferat. D E

Problematum solutio.

Sed hoc loco pulcherrima quædam problemata veniunt diluenda. Primum est. Cur ex ictu facto in vna parte capitis plerunque Paralysi cõtingat in opposita. Quidam putarunt, caussam non esse aliam, quàm defectum spiritus animalis dicunt. n. ad partem ictam, vulneratam ve illico spiritum animalem totũ concurrere, qui propterea oppositam deserit partem. Sed decipiuntur dupli cem ob caussam: primo quia spiritus animalis oppositam partem non deserit, nisi magna aliqua inflammatio, & maximus dolor succedat; at verò in ipso actu vulnerandi neque magna inflammatio, neque magnus adest dolor, ergo neque fluxio spiritus ad illum locum. Accedit, quòd si hæc esset caussa, sequeretur Paralysin tum primum cessaturã, cùm primùm desineret inflammatio, aut dolor; docet tamẽ experientia Paralysis id genus non modò consistere, sublato dolore, & inflammatione, verùm etiam curato ipso vulnere. Ego plures tales vulneratos vidi, qui laborarunt per annum Paralysi ex tali vulnere. Caussa igitur vera, & legitima huius paralysis, non est alia, quàm caussa contrafissuræ, vel contrasonitus. Vbi quispiam vulneratur, exempli gratia, in parte capitis dextra, opposita pars cranei ea est, quę disrumpitur, illæsa parte ossis vulnerata. Hoc obseruauit Celsus li. 8. cap. 4. & confirmarunt variis exẽplis. Valleriola, Vesal. Fallop. & alii Anatomici. Caussa nulla est alia, quàm impetus aeris, & spiritus propulsi à parte icta in partem oppositam: hic itaq; spiritus, & flatus secum ducit humores in partẽ oppositam, qui propterea in neruos impinguntur & Paralysin faciunt. F

Cur ista vna parte capit Paralysis sequatur in opposi ta.

Secundum problema.

Cur affecta facie læsio appartea in parte sana. Secundum problema ad Paralysin pertinens illud est: Cur affecta vna parte, v. g. vel dextra vel sinistra in facie, læsio appareat in parte sana, minimè verò in ægra. Ratio est conspicua. Nam musculi faciei sunt veluti duæ habenæ; vbi itaq; vna pars laxatur, eo quòd sit Paralytica, opposita necessariò intenditur, & intensa retrahitur, hinc apparet conuulsa: pars autem ægra absque labe videtur.

Tertium problema.

Cur in Paralys. modò motus, modo sensus tantum modo vterq; amittatur Tertio quæritur: Cur in Paralysi aliquando motus tantum quandoque sensus tantum, nonnunquam vero vterq; & sensus, & motus amittatur. Et primo si quæramus, cur aliquando tantum motus amittatur, seruato sensu, triplex profertur ratio: Prima, quia cùm ad motum plus requiratur facultatis, quàm ad sensum, fieri potest, vt facultas sit vsq; adeo infirma, vt non sufficiat ad efficiendum motum, sufficiat verò ad sensum. Secunda, quam protulit Arculanus, & confirmauit Ioubert. quòd motus requirat instrumenti aliquam duritiem, & firmitatem, sensus verò mollitiem. Itaque si instrumentum iusto mollius sit redditum, seruat quidem sensum, amitit verò motum, contra vbi duriusculum sit factum valet ad motum, non item ad sensum. Tertia profertur à Gal. simul cum priore 1. de sympt. caus. c. 5. 1. de loc. aff. c. 6. 4. loc. aff. 4. Caussa est diuersitas neruorum, quorum alii ad motum, alii ad sensum destinati sunt: exempli gratia. Oculus recipit sensum visus à neruo optico, quod est primũ par neruorum, recipit motum à secundo pari: similiter lingua motum recipit à septima neruorũ coniungatione, sensum gustus à tertia, & quarta potest itaque amitti sensus & non motus, aut motus, & non sensus pro diuersitate nerui affecti. Quod si vel ambo nerui vno & eodem tempore patiantur, aut vnus, qui & motum & sensum præbeat, insigniter sit affectus, tunc Paralysis sequitur & motus, & sensus.

Quar-

Quartum problema.

Cur in Paralys. vesic. & intest. aliquādoq; inuolūt. excernātur excrē. aliquando excerni nō possint.

QVarto, & vltimò quæritur. Cùr in paralysi vesicę, & intestini excrementa aliquando inuoluntariè excernantur quandoq; vix, ac nè vix quidem excerni possint. Huius solutio problematis pendet ex cognitione pariter diuersorū neruorū. Nā nerui, qui in his partes inseruntur, vel inseruntur in musculū sphyncterem, seu cōstrictorū vocatū, aut inseruntur in corpus vel vesicæ, vel intestini. Cùm resoluitur neruus musculi constrictorij, excrementa inuoluntariè exeunt: Cùm resoluitur neruus, qui in substantiam vesicæ, vel intestini inseritur retinentur excrementa. Ratio est clara: nam facultas expultrix sopita iacet, neq; ad expulsionem mouetur.

De caussis Stuporis & Torporis.

HIs sic declaratis ad signa iam me conuerto. Quæ enim hactenus de caussis Paralysi dicta sunt, ad Stuporem & Torporem, etiam transferri possunt: illæ enim ipsæ caussæ, sed leuiores, quæ Resolutionem faciunt, Stuporem & Torporem inferre possunt, vt potestis colligere ex Galen. 1. de caus. sympt. cap. 5.

Signa.

IN tradendis signis Paralysis, diagnostica affectus non sunt proponenda: sensibus ipsis atq; relatione ægrotantis constāt, nunquid vel totum corpus, vel pars aliqua sensum, & motum amiserit: itaq; versari oportet in distinctiuis aliorum affectuum consimilium, in distinctiuis caussarum, & locorum, atq; prognosticis.

Habet similitudinem Paralysis faciei cū Spasmo Cynico: distinguuntur autem, quia in Paralysi pars, quæ videtur sana, est frigidior, mollior, subtumida, & ex ea parte oris pituita inuoluntarie exstillat neq; secundum eam partem exsufflare aut exsibilare valent.

Habet quoq; similitudinem Paralysis capitis, & corporis ad anteriora vergentis propter affectionem 12. musculorum posteriorum cum Conuulsione ἐμπροσθότονος vocata, sed facilè inter se distinguuntur; nam vbi incuruatum est corpus ad anteriora propter Conuulsionem, caput erigi nullo modo potest, etiamsi violenter manibus quispiam illud studeat erigere, in Paralysi verò etiamsi cadat caput ad anteriora, facilè tamen erigitur ab externa manu, sed vbi erectum fuerit, statim iterum in priorem locum concidit.

Caussæ externæ leui negotio cognosci possunt E. g. incisio nerui per transuersum, vstio, putrefactio, densitas ex insigni refrigeratione, siue propter moram in aqua, vel in niue; luxatio quoque vertebrarum; hæc omnia partim propriis oculis, partim ex relatione ægrotantis comparari possūt similiter exsiccatio partis nerui cognoscitur ex atrophia partis.

Tumores & inflammationes quoque partim oculis conspiciuntur, partim innotescunt ex caussis prægressis, casu, aut ictu; dephrenduntur etiam ex dolore, calore, rubore, quando fuerint inflammatorii.

Nerui repletio cùm fiat, vt intellexistis, à variis caussis, possunt ipsę caussæ variis signis distingui: primò quidem ex affectibus, qui Paralysin præcedunt, nam si gratia exempli Apoplexia præcedat pituitosa, Paralysin oportet fieri ex pituita. Si præcedit melancholica, aut sanguinea, credendū quoque Paralysin vel sanguineam, vel melancholicam esse, quòd si sequatur abscessum, erit Paralysis ex sanie; si sequatur febrem ardentem, vel et biliosam, vt Fernel. docet, erit Paralysis ex bile.

Sed signa horum humorum possunt quoque comparari ex temperamento, ætate, sexu, anni tempore, constitutione, regione, ac vitæ ratione.

Accurata locorum affectorum distinctio.

DIu ac multum versari oportet in distinguendis Locis Paralysis, nam ex locorum diuersitate maximam quoque videbitis esse curandi diuersitatem. Primùm itaque distinguendum; Vtrū Paralysis fiat ex cerebro, an ex partibus infra cerebrum: & cùm ex cerebro, vtrum eo affecto in propria substantia, an potius transmittente materiam ad neruos, aut neruorum propagines.

Cognoscetis ipsum cerebrum in propria substantia affectum, quando plures sensus vno & eodem tempore Paralysi afficiuntur, exempli gratia si oculi, aures, & nares, fortè etiam lingua, vno & eodem tempore afficiuntur, certum est argumētum cerebri in propria substantia affecti; quinimo si vnicus etiam sensus sit læsus, sed cum eo omnes aliæ partes infra spinalem medullam, aut media corporis pars, siue dextra, siue sinistra, hoc etiam est signum cerebri affecti, vt videre est 3. de loc. aff. cap. 10.

Quòd si aliquādo plures quidem in capite partes afficiantur, sed quæ tamen omnes sensum, & motum ab vnico neruorum pari recipiant, tunc cerebrum in propria substantia non est affectum, sed tantùm circa originem istius neruorum paris. V. g. Tertium par neruorum inseritur in cutem frontis, in palpebras, in labra, in pinnas narium, in musculos temporales, & masorios, & in membranam, quæ linguam circumuestit: itaque læso huiusmodi neruo circa sui exortum omnes hæ partes patiuntur, neque tamen cerebrum laborat. Quòd si vnica faciei particula sit affecta, siue cutis frontis, siue palpebra vna, siue altera, affectus est in ea propagine nerui, vel in eo musculo, non in cerebro, neque in primo nerui exortu.

Quod dixi de cerebro, idem dictum volo de partibus infra cerebrum.

Vbi afficitur principium spinalis medullæ circa vertebras ceruicis, non modò sensus, & motus partium infernarum, atque etiam spirationis tollitur, sed læditur quoque cutis capitis, motus linguæ, & fit Conuulsio Canina, fit tortura oris. Ratio est; quia ab huiuscemodi vertebris ceruicis oriuntur nerui, qui inseruntur in cutem capitis, oriuntur nerui, qui inseruntur in musculum latum,

tum, qui tendut ad buccas, denique oriuntur nerui septimæ coniugationis, qui præbent motum linguæ: A

Quod si seruetur spiratio neq; lingua, aut partes capitis afficiantur; omnes tamen ceteræ partes sint resolutæ, tunc oportet esse læsionem in principio quidé spinalis medullę, sed circa vertebras dorsi, & post primam: alioquin spiratio non posset seruari.

Vbi vero media tantum pars fuerit affecta me dietas quoque spinalis medullæ afficitur: illud sed scitu dignissimum, est cur affectâ spinali medulla circa primas dorsi vertebras adeo inæqualis fiat in subiectis partibus paralysis, ita, vt V.g. brachium dextrum sit resolutum, & crus sinistrũ sed (quod est maius) sensus partis externę circa fęmur (& hoc obseruaui in praxi) sit sublatus; in parte internâ seruetur? Cõtra in ipsa tibia sensus seruetur in parte externa, & amittatur in parte interna. Caussam huius inæqualitatis nõ esset difficile assignare, quando suppositum nobis non esset, totius mali originem esse in principio spinalis medullæ, nam posset quis dicere, hæc ideo fieri, quia ille determinatus neruus in eam partem insertus est rosolutus; ille autem non. Sed (vt dixi) nos supponimus, primam mali originem esse in spinali medulla circa dorsi vertebras; & tamé fit læsio inæqualis. Solutio est apud Galenum 1. de loc. affect. c. 6 quam tamen dilucidauit Andreas Laurent. lib. 4. c. 14. & controuersia 8. eiusd. lib. Nerui ipsi in spinali medulla tanquam cõmuni quodã inuolucro contenti vnus tantum videntur in ipso auté stati exortu, quasi pili in cauda equina sunt inter se distincti, & ad singulas partes tã supernas, quã infernas pro motu perficiundo destinati. Itaque in ea etiam origine, prout varia hęc filamenta vel obstruuntur, vel densantur, variæ quoque fiunt Paralysis differentiæ. B C D

Cur affecto principio spi. medul. fiat inæqual. in subiectis post. Paralysis.

De voce & sermone.

INter ceteras actiones, quæ ob Paralysin destruuntur, est etiam vox & sermo. Locus autem affectus ægre admodum cognosci potest, cũ ex multiplici prodeat parte, atque instrumento. Idcirco in præsentia vobis proponam signa distinctiua vniuscuiusque partis, ex qua vox & sermocinatio læditur. E

Sermocinatio, & vox habent pro instrumento neruos sextæ coniugationis, & musculos linguã mouentes: hi faciunt ad sermonem. Vox vtitur pro instrumento musculis laryngis internis, & externis, neruis sextæ coniugationis, musculis thoracis constrictorijs, musculis faucium ac musculis intercostalibus. præter hęc os hyodes, siue ypsiloides cum suis musculis; quia est basis linguę, confert ad sermocinationem. Propterea cum læcantur istæ actiones, & læsis musculis linguæ, & neruis septimę coniugationis, & musculis ossis hyodis, & musculis laryngis, & faucium, & thoracis constrictorijs, & intercostalibus, & nerui sexta coniugationis, singula hæc loca distinguere oportet, vt vnicuique propria accommodentur remedia. F

Itaque si musculi ac nerui septimæ coniugationis, lædantur, sonus vocis seruatur, sicuti in brutis animantibus; sed nulla est vocis articulatio, nulla dictionis pronuntiatio.

Vbi affecti sunt musculis ossis hyodis, pronuntiatio quidem restat, sed tremula, atque imbecilla.

Et si musculi, V.g. partis dextræ, sint affecti, dum inuertitur collum in sinistram partem, melius fit pronuntiatio; in partem affectam deterius.

Si affecti sint musculi laryngis, siue interni, siue externi, amittitur sonus ipsius vocis, seruantur tamen efflatio vehemens cum sonitu, nam illud oportet vos intelligere, à musculis laryngis constringentibus & dilatantibus fieri vocis sonum, à musculis faucium fieri exsufflationem vehemẽtem cũ sonitu, quibus affectis, tonitur talis exsufflatio, & impeditur deglutitio, nam isti musculi faciunt etiam ad deglutitionem.

Vbi vero afficiuntur musculi intercostales, læditur exsufflatio vehemens, sed sine sonitu.

Deniq; affectis musculis thoracis cõstrictoriis, impeditur exspiratio, & quia vbi impeditur exspiratio, impeditur etiam hæc exsufflatio cum sonitu & vox ipsa. Præterea ex hoc solo principio affecto omnia alia succedẽtia corruunt, contra vero non est necesse, vt læsa sermocinatione, aut vocis sono, læsa sit exsufflatio cum strepitu, cum sonitu & sufflatio vehemens, atque exspiratio, hoc proteritis legere apud Gal. 4. de loc. aff. 6.

Quod si nerui 6. coniungationis sint affecti, simul cum voce abolita, solet etiam vitiari appetentia oris ventriculi, & viscera stupida reddi cõsueuerunt, nam idem neruus inseritur in os ventriculi; & in membranas viscerum, Diebus superioribus accessit ad me quidam patiens læsionem vocis ex illo oris ventriculi neruo læso, qui habebat hæc signa demonstrantia, de qua re admonui tunc meos Auditores.

Prognostica.

PAralysis ex antiqua luxatione, ex scirrho, ex intemperie frigida, & humida in ætate senili ex atrophia partis confirmata, est prorsus insanabilis. Putant omnes, Paralysin ex neruo præciso, aut combusto, vel alia ratione seiuncto factã restitui non posse vllo modo: Cuius oppositum. Ego obseruaui superioribus annis in Illustrissimo Comite Hercule Beuilaqua Ferrariensi, qui a tormentario puluere in Belgio combustus secundũ vtrumque eius separatis neruis cruris, post paralysin 5. vel 6. annorum vsu nostrarum aquarum thermalium, & lutorum Parauinorum est restitutus.

Paralysis ex neruo præcis. sanabilis.

Historia

Cęteræ Paralysis differentiæ curationem patiuntur, sed omnes quidem ęgre.

At Paralysis, quæ Apoplexiam sequitur plerũque in eandem Apoplexiam desinit. Hęc solet fieri in hyeme, ætate senili.

Cu-

Curatio.

HVius affectus varia est curatio pro caussarũ varietate. Idcirco cùm Medicinæ scriptores in proponendis Paralysis auxiliis pituitosam plerunque materiam respiciant; vobis tamen aliter insistendum, atque incedendum est, qui iam nostis dari Paralysin ex siccitate, ex inflammatione, ex sanguinis plenitudine, ex materia biliosa, melancholica, pro caussę varietate vario modo incedendum.

Curat Paralysis ex atrophia, & siccit. Supponatur igitur Paralysis ex Siccitate, huic prospiciendum solis humectantibus, & renutrientibus. Accommodata humectantia sunt non modo olea siue communia, siue amygdalinum, chamomelinum, anethinum, non modò pinguedines anatis, anseris, vrsi, leonis, sed etiam medullæ bouis, aut vituli, mucilagines psilij, sem. malu. altheæ, cyton. ventres animalium calentes, omenta, & pulmones, catuli exenterati, id est, nuper aperti, atque alia id genus animalia, œsypum, seu vnguent. quod fit ex pinguedine lanarum, de coctũ ex capite castrati cum malua, althæa, bismalua, semine lini; aqua, in qua abluuntur lanæ, luta emollientia, vt est apud nos lutum S. Bartholomæi. Hæc conueniunt in Paralysi ex Atrophia, vbi refrigeratio insignis non adsit.

Ex Frigidit. Sed vbi pars iusto frigidior fuerit, emollientibus calorifica, & attrahentia sunt addenda; attrahunt verò balneum aquæ calentis, siue simplicis, siue thermalis. Administratur verò aqua calens ad ruborem, & tumorem vsque partis: nã tumida & rubente iam parte, administranda sunt, quæ humectant, & renutriunt, de quibus iam dixi: idipsum prętant dropax, frictio, atq; inunctio calida, balneum ipsum: qui voluerit modum horum omnium intelligere, legat Galenum 3. de officina Medica. c. 32. & 34. 6. de tuen. valet. c. 8 14. method. 16. Et hæc omnia fusiùs inuenietis in primo nostro lib. de phœnig. seu vesicar. ca. 10.

Ex inflamm. Si Paralysis fiat ex Inflãmatione, inflãmatio, quantum ad reuulsiones pertinet, eodem modo tractatur, quo reliquę, per sanguinis missionem, frictiones, cucurbitulas, purgationes: de medicamentis localibus in principio administrandis videtur aliqua dubitatio; nam inflammatio circa initia requirit adstrictoria & reprimẽtia, quę si in Paralysi administrentur, poterunt materiam indurare, & Paralysin reddere insanabilem, atq; ideo in his casibus duo suadeo peragenda; alterum est vt locis circumstantibus repercussoria adhibeantur medicamenta; alterum, vt ipsimet loco inflãmato circa initia adhibeãtur quidem adstrictoria quædam, sed quæ cum adstrictione digerant: in hoc genere sunt cortices rheubarb. puluerizati, est thus, cyperus, squinanthum, mastix, oleum rof. compl. ex his omnib. simul cum farina hordeacea poterit componi emplast. quod tutò adhibetur parti inflammatæ, fluxum prohibet, fluxamq; materiam digerit.

Ex luxatione. In Paralysi ex Luxatione nulla est alia ratio curandi, quã restitutio luxatæ vertebræ in suũ locũ.

Ex repletione. Sed vbi fit Paralysis ex Repletione, humor replens est euacuãdus; & si fuerit sanguis, audacter est euacuandus, hoc dico, quia aliqui timent sanguinem educere, quoniam putãt semper Paralysin fieri ex pituita. *Historia* Venetiis noui mulierem, cui cũ secta fuisset vena sanguisq; missus ad vnc. vi euacuato sanguine nõ sanabatur, sed misso ad libras est sanata; de qua tanta sanguinis copia alii Medici timebant: & alios duos noui, quibus sanguine misso in multa quantitate, & pluribus vicibus, sanitati sunt restituti: itaque in Paralysi sanguinea, audacter est sanguis mittendus, neq; semel tãtùm, sed pluries; non ex vno loco sed pluribus.

Obseruatio circa sang. mission. Illud tamen est obseruãdum, vt si Paralysis occupet omnes corporis partes, capite excepto, mittatur sanguis ex venis hæmorrhoidalib. si vna pars sit immunis, ex illa mittatur, sed si non fuerit paralysis legitimè sãguinea, sed sit spuria plenitudo, educendus sanguis, sed parcè, vt voluerunt Aet. Paul. Alex. & ante hos elegantissimus noster Celsus, qui scribit lib. 3. ca. 27. Paralyticis aut sectam venam prodesse, aut aluum subductam. In hoc casu parce mittendus sanguis ad vnc. vi. sicuti in cacochymia legitima in Paralysi ex syncera pituita à quacunque sanguinis euacuationis venæ in Paralysi non fecit mentionem.

Ex Bile Quicunq; admittunt fieri Paralysin ex Succo Bilioso, coguntur etiam eandem curare medicamentis bilem purgantibus. Rara est hæc curatio, cuius inter antiquos scriptores meminit tantùm Paul. lib. 3. c. 43. ita vt licet Rondel. religiosè admodum præcipiat, ne in Paralysi cassia administretur, habita tamen ratione Paralysis ex bile, cõueniunt Cassia, Thamarindi, syrupus rof. solut; ex Purgantib. Rhabarb. Diacathol. Electuar. rof. Mesu. Electuar. de succo rof. & pil. aureę; Ex Pręparantibus vero, syrupi omnes refrigeratorii, de cichor. endiu. viol. &c. id genus alia, nec dissimili ratione victus refrigerans, & humectans est instituendus, vt propterea & frigida olera, vt lactuca, endiuia, beta; & fructus horarii, vt melones & alia id genus tuto in hac Paralysi assumãtur.

Ex Melanchol. Quod si fiat ex Melancholia, audietis in proprio tract. de Melancholia, qua ratione humor iste præparandus, ac purgandus sit.

Ex Pituita. Venio itaque ad Paralysin ex Pituita, qui humor omnium maximè producit hanc affectionẽ primo quidem aliqua videtur esse controuersia de vsu purgandi ab initio inter Rhasen, & Auic. nam Auic. ante vsum purgantium pręparantia, & leuiora proponit medicamenta; Rhases statim ab initio vtitur cochis pil. & consequenter validis purgantibus. *Rhases, & Auic. conciliãtur.* Ego controuersiam sic compono: si Paralysis recens fuerit, & facta fuerit propter insigne capitis vitium, vt post Apoplexiã, vel Epilepsiã accipio Rhasis sententiam, vt statim purgantia adhibeantur. Ratio est clara, nam imminet periculum reditus, Apolexię, vel Epilepsię, cui statim occurrendum, instituto medicamento purgante; sed si Paralisis antiqua sit in membro determinato absque cerebri læsione, accipienda Auic. sententia, vt primo leniatur aluus melle rof. solut. pręparentur humores syrupo de beton. mel. rof. simp.

Neq; improbo simul cũ illis oxymel, quamuis acetum neruis sit noxium, est. n. acetum neruis noxium, quatenus sunt membra, & partes

siccæ, sed quando fuerint succo pituitoso imbuti A ac pleni, acetum non est noxium, præcipuè verò melle dilutum, & aliis syrupis permistum; idcirco in pituita crassiore nō solum oxymel simplex; sed etiam compos. & scyllit. est exhibendum: Syrupis addantur decoctiones accommodatę ex calendula, herba paralysi, ꝛiua, chamædr. maiorana, hyssopo, saluia, stœchade, atque aliis similibus attenuantibus.

Vbi materia, sicut dictum est, peccauerit in cerebro, post singulos 3. syrupos repetendæ sunt purgantes pilulę, quarum dosis erit scrup. iiij. vel B drach. i. sem. aut dandæ erunt drach. ij. hieræ diacolynth. In robustiorib. non improbo grana 5. aut 6: antimonii: accipio etiam in his casibus. vsum 4. vel 5. granorum præcipitati optimi. Extremis morbis extrema conueniunt remedia ex Hip. 1. aph. 6: Repetendæ sunt hę purgationes post singulos tres syrupos, vbi cerebrum sit affectum.

In Paralysi determinata absq; vitiis cerebri, & leuiora eligantur, vt diaphœnic. ad vnc. sem. cum drach. i. spec. hier. simp. & per longiora internalla administrentur.

C Purgato corpore, caput singulatim euacuandū per os gargarismatibus, masticatoriis, illitionibus palati; per nares autem sternutamentis & nasariis liquidis, & solidis: materię alias sunt propositæ, illas non repeto. Pari ratione euacuanda est materia per sinapismos, vesicantia, cucurbit. scarificatas, ac cauteria capiti infixa. Adhibentur autem Cauteria, vt voluit Aetius, in loco multiplici, in occipite, in sycipite, circa tempora.

Cauteria Neque (Auditores) vereri oportet Cauteriū D occipiti admotum, vt nonnulli putant, paralysis augmentum facturum, eo, quod trahat materiam ad principium spinalis medullæ, nam, vt nostis, spinalis medulla est intra vertebras; cauterium est extrinsecum: igitur non ducit materias ad locum affectum, sed à profundis ad exteriora.

Euacuato & toto, & capite, incumbendum medicamentis, quę intrinsecùs quidem roborent membra præcipua, cerebrum, & neruos exsiccet, & calefaciant, materiam impactam digerāt, quod E exterioribus etiam auxiliis tentandum. Longus essem, si materias auxiliorum tam exteriores, quā interiores vobis recenserem, quæ apud Practicantes reperiuntur: referam vobis aliqua potiora, quæ mihi magis placent.

Inter intrinseca commendatur summopere vsus confectionis anacardinæ, cuius dosis est à drach. i. ad drach. ii. sed drach. ii. si in frequenti habeantur vsu febrem excitare possunt.

vtrū in Paralys. febrē excitare cōueniat. Est autem res apud Medicos controuersa: V- F trum in Paralysi febrem excitare conueniat: Agitauit hanc quæstionem Valles. lib. 8. contr. cap. 18. (10.)

Paucis rem decernens dico: In corpore cacochymico non licere vti medicamentis vsque adeo calidis, quæ consulto febrem excitent. Ratio est, quia talia medicamenta prauos corrumpunt humores, febrem putridam generabunt, quæ Paralysi erit grauior: at verò si corpus iam fuerit exactè purgatum, medicamenta calida, si febrem promouent, ephemeram cient, hæc nullius est periculi, & tamen neruos æquè calefacit, & materiā digerit: idcirco cum dicit Hip. 2. aph. 26. *melius esse febrem conuulsioni, quàm conuulsionem febri superuenire*, intelligendus est de hac ephemera febre nullius periculi. *Hippocrates explicatus.*

Præter confectionem anacardinam, laudo etiam vsum Castorei, si febris non sit excitanda à drach. i. ad drach. ii. vbi verò scopus sit febrem promouere datur vnc. sem.

Elegantissimæ sunt pilulæ hæ:

Recipe Styrac. calamit.
Belzoin.
Assæ fœtid.
Castor. Myrrh.
Oppopon.
Thuris an drach. i.
Puluerizetur & cum Oxym. squillit. in Catapotia redigantur.
Dosis erit drach. ij plus minus.

Ego aliquando in his casibus vsus sum Therebinth. Veneta perflucida ad vnc. ij. dissoluta in decocto, chamædryos, iuæ, hyssopi, iuniperi, herbæ paralysis, calendulæ, dictamni, saluiæ, stœchados, & rorismarini ad prouocandum sudorem.

Commune est apud omnes vti decocto ex ligno guaiaco, ex salsa, sassafras cū herbis iam propositis: laudo hoc decoctum, ita, vt non intermittatur tamen castoreum, aut confectio anacar. aut aliud ex medicamentis præscriptis, sicut etiam placet vsus theriacæ, & confectionis Mithridaticæ.

Extrinsecùs dicam quæ communiter sunt in vsu, postea dicam meum peculiarē medendi modum, & genus. Communiter sunt in vsu aq. thermales, quibus corpus vniuersū, vel pars vniuersa immergitur, stillicidia, fouex naturales, sudorificæ, illutationes, saburrationes, id est, immersiones corporis in arena, insolatus, lotiones, inunctiones varię ex oleo vulpino, costino, de piperibus, quibus administretur, aqua ardens, theriaca, mithridatium. Sunt quoque in vsu Dropaces, quales sunt. *Medicament. Extrinseca.*

Recipe Ammoniac.
Oppopon.
Serapin. an. drach. ij.
Piperis, Sinapi an. drach. i. sem.
Euphorb. drach. i.
Ceræ, Resin. q. s.
M. f. Cerat.

Illud obseruandum, ne medicamentum apponatur parti resolutæ, vti nonnulli faciunt, qui hac ratione putant se partis calorem, ac sensum reuocare, si flammeis medicamentis partem murant, qui nihil agunt sed possunt in parte gangrænam inferre.

Sunt apponenda medicamenta origini ipsius mali, vt docuit Gal. 1. de loc. aff. 6. & 4. de loc. aff. 4. non ipsi parti patienti. Hactenus de remediis communibus, nunc de meis.

Mo-

Modus curandi Auctoris.

Inunctio hydarg. in Paralysi.

VSus sum (Auditores) in Paralysi inunctione ex hydrargyro, qua sanaui Paralyticum confirmatum, qui adhuc viuit Iulius Sutor. Hic ab Apoplexia, & Lue Gallica antiquissima incidit in Paralysin totius lateris dextri: vsus sum inunctione hydrargyri in hunc modum.

Recipe Hydrarg. vnc. vi.
Axung. Suill. lib. i.
Pingued. gallin.
anat. an. vnc. ii.
Serapin.
Oppopon. Castor.
Ass fœtid an. drach. i.
Sinap. Piper.
Pyreth. Euphor an drach i. & sem.
Iuæ artbet vnc. sem.
Olei ex Therebinth. vnc iij.
Mithrid. Theriac an. drach iij.
M f. Liniment.

Hoc medicamento inunxi potissimùm læsam partem, & non prætermittens alias, & succedente spatio, sicut in aliis consueuit, patiens hac ratione euasit liber.

Consulo tamẽ, vt partes roborẽtur aut decocto ex ligno, aut aliqua alia ex antidotis propositis.

Possem in præsentia singulis partibus resolutis propria accommodare remedia, sed quia materię medicamentorum, quæ vnicuiq; parti accommodantur, non differunt à propositis in præced. lect. ideo hac in parte longior non ero. Si quis singulatim hunc curandi modum cupiat, legat Aet. & post ipsum Rondel. qui singulatim loquitur de modo tractandi Paralysin cutis frontis, palpebrarum, linguæ, ossis hyodis, musculorum thoracis, vesicæ, recti intestini, pudendi, aliarumque id genus partium.

Victus Ratio.

In vnum superest dicendum, quod ad Victus Rationem pertinet, victum scil. tenuem esse debere, & attenuantem: idcirco purgato corpore, conueniunt salsa omnia, acria, aromatica, mouentia vrinas, & sudores.

Dico purgato corpore: nam si fuerit impurum quæ attenuant, mouentque vrinas, & sudores, Paralysin augent, dum materiam in neruos inducunt. Potus ab initio sit mulsa hyssopo, aut saluia aut rorismarino alterata.

Probè iam euacuato corpore Vinum non improbatur, nam sicuti sanat aliquando Conuulsionem, vt videbitis suo loco, ita potest etiam sanare Paralysin.

DE CONVVLSIONE.
Cap. XV.

COnuulsio Latinis Distensio etiam vocatur, quamuis ex Gal. 5. aph. 57. Distensio propriè Tetano conueniat, Græcis Σπασμὸς dicitur: illud autem vos ignorare nolo, multum differre Spasma à spasmo.

Nam Σπάσμα est morbus nerui in soluta continuitate; Σπασμὸς non est morbus, sed symptoma: propterea Galenus 2. method. 2. docet Spasma idem significare, quod conuulsum, vt ostendat aliud esse diuisionem factam, aliud verò solutionem, quæ fit: nam Spasma est neruus iam solutus; Spasmos est motus nerui, qui soluitur, propterea idem Gal. 3. & 4. meth. 1. inter morbus solutę vnitatis connumerat spasma, tanquam morbum solutæ vnitatis nerui, & lib. de morb. differen. c. 11. inquit, fieri spasma in neruis, cum fibrę illorum distrahuntur, & clariùs lib. de const. artis inquit, spasma esse affectum nerui, quando disrumpitur, vt propterea in hac disruptione pars amittat sensum & motum, non tamen sit indurata: nam si gratia exempli neruus interior disruptus, fit, membrum extendi non potest, si exterior sit ruptus, flecti non valet ex imperio voluntatis;

Si quis autem illam partem propriis manibus aut flectere, aut extendere voluerit, facilè illud consequetur: hoc docet Galen. 1. de motu muscul. ca. 6.

definitio

Spasmus autem est motus voluntarius deprauatus, seu animalis motus deprauatus ex affectione substantiæ neruosæ.

Per motum intelligo & vniuersalem, & determinatum.

Differentiæ.

Motus Tonicus

DIfferentia vniuersalis triplex est: nam vel motus fit ad Posteriora, & dicitur ὀπισθότονος, vel ad Anteriora, & dicitur Ἐμπροσθότονος, vel est Motus Tonicus, in quo totum corpus riget, vt neque ad anteriora, neque ad posteriora flecti possit & dicitur Τέτανος, vt potestis videre apud Gale. 5. aph. 57. lib de palp. conuuls. & tremor. cap. 8. & 2. de caus. symp. 2.

In parte determinata tot sunt motus conuulsiui, quot sunt musculi. Idcirco in illis partibus, in quibus fit Paralysis, vt in cute frontis, palpebris, oculis, pinnis narium, labris, lingua, musculis thoracis, aliisque omnibus fit conuulsio; & cùm sit in oculo, habet peculiare nomen; dicitur enim Στραβισμὸς: in dentibus dicitur Τρισμὸς: in pudendo dicitur Σατυρίασις: musculis thoracis qui inseruiunt ad inspirationem, dicitur Duplex introreuocatio; in musculis, qui inseruiunt ad expirationem, dicitur spiritus extra offendens.

Hic motus dicitur prauus, primo quia modum naturæ excedit, Extensio, & Flexio, quæ fit propter Conuulsionem, est multo maior, quàm flexio aut extensio voluntaria. Scribit Iacchin. in com. 13. in 9. Rhas. fuisse aliquando Opisthotonon, in quo caput tangebat calcaneum. *Dicitur etiam prauus*, quia est dolorificus. propterea dicebat Galen. 2. proth. 20. Conuulsionem esse affectum dolorosum; & 2. aph. 6. connumerat Conuulsionem inter cæteros affectus dolorificos.

Nota Cõuulsionẽ admirandam.

Diximus fieri *hunc motum prauum ex neruosæ substantiæ læsione. Per neruosam substantiam* cum Gal. 5. aph. 1. intelligo Neruum, Musculum, Tendinem, Ligamentum. Sed Ligamentum non est subiectum Conuulsionis, nisi quatenus est pars tendinis; tendo enim conflatur ex neruo, & ligamento; idcirco nisi ligamentum repleatur in propria substantia, ad cuius repletionem tendo contrahatur, Conuulsio non fit, hinc Galenus 6. aph. 49. scribit, neminem dolore articulari laborantem Conuulsione tentari,

 quam

quamuis afficiatur ligamenta: etenim in dolorib. articularibus materia non replet substantiam ligamenti, ex qua fit tendo, sed illam tantùm comprimit, aut extendit.

Tendo pariter est subiectum Conuulsionis, quatenus est pars nerui, & inseritur in musculū.

Neruus est subiectum Conuulsionis, vt inseritur in musculum diuiditur in fibras, & fibræ nerui vniuntur cum fibris musculi, deinde desinunt in tendonem, & vsque quo persistit hæc vnio, affecta vna parte necessario afficiuntur & aliæ, vbi seiungitur hæc vnio, cessat Conuulsio: idcirco cōsulunt Medici in neruis punctis, & vulneratis, vt totus neruus per transuersum scindatur: nam seiuncta hac partium connexione, cessat Conuulsio Hanc ob caussam Gal. videtur admodum varius, qui aliquando ipsi neruo tribuit præcipuam motus originem, vt lib. de plen. c. 5. Aliquando ipsi musculo, vt l. 1. (10.) de diffic. resp. 18. aliquando ipsi tendoni, vt 12. de vsu par. c. 3. lib. art. Med. c. 82. & 4. meth. c. 6.

Gal. loca conciliantur.

Qui omnes loci sic conciliantur, vt scil. nulla ex istis partibus per se ipsam apta sit ad motum; sed omnes simul, coniunctæ.

Itaque siue incipiat affectio à tendone, siue à neruo, siue à musculo, vna affecta aliæ omnes semper coafficiuntur. Hoc docuit Gal. lib. de morb. diff. cap. 11.

De Loco satis.

Disputatio de caussa Conuulsionis efficiente.

Quod pertinet ad caussam Cōuulsionis, Gal. cùm videret Hip. 6. aph. 39. dicentem, *Conuulsionem fieri aut ex Inanitione, aut ex Repletione, sicuti & singultum ipsum*, partim hoc loco, partim etiam de p[...]lpit. & c. c. 8. & 3. de loc. aff. 6. & 8. de comp. per lo[...]c. 3. inquit veram Conuulsionis caussam ab Hip[...] fuisse his verbis expressam, qui docet, eodem mo[...]do extendi, neruos ad Conuulsionē faciendam, qu[...]lore, fides, aut chordæ, aut scil. ex nimia humidita[...]e replente, aut ex nimia siccitate; sic, inquit Gal. ne[...]ui ipsi, quasi fides, dum replentur, extenduntur, b[...]euiores fiunt, & consequenter trahunt membrum [...]ræter voluntatem ad principium nerui, vt sequat[...]ur Conuulsio.

Hæc sententia Gal. (Auditores) quę communiter ab omnibus recipitur, mihi videtur ita vniuersaliter accepta, contra omnem rationem, & cōtra ipsum Hipp.

Primo si de Inanitione fiat mentio, scribit Gal. loc. cit. fieri Conuulsionem ex Inanitione, aut in febribus exsiccantibus neruorum humiditates, aut in superpurgantibus, siue sanguinis, siue alterius generis humoris, vt post vsum ellebori, albi, de quo meminit 5. aph. 1. Sed sic est: quod in febrib. ardentibus rarissimę fiunt Conuulsiones, & quòd magis est in febribus ardentibus, quæ tendunt ad tabem, non fiunt Conuulsiones; ergo falsum est Conuulsionem, quę fit in febribus ardentibus, fieri propter siccitatem nerui.

Pariter, quod pertinet ad superpurgationes vel sanguinis, vel aliorum humorum, Conuulsio subitò fit, sed intemperies sicca neruorum non potest subito fieri.

Accedit etiam, quòd si venæ inaniantur, & sequatur Conuulsio, attamen corpus momento tēporis non colliquescit, aut tabescit. Persuadet autem ratio, vt si fit Conuulsio propter siccitatem, primo exsiccentur partes molliores, quàm duriores; molliores sunt pinguedo, & caro; duriores sunt nerui. Quæ igitur ratio, vt momento temporis exsiccentur nerui, non consumatur caro, aut pinguedo?

Præterquam quod si propter euacuationes, aut febres ardentes exsiccarentur nerui, vt Conuulsio fieret, omnis hæc Conuulsio esset cum paralysi; nam exsiccatis omnibus neruis, facultas non transiret.

Denique omnis Cōuulsio ex inanitione statim interficeret. Quis enim potest animo concipere in corpore viuente neruos omnes exsiccatos; Et tamen ego ipse Conuulsiones vidi factas ex inanitione, quę sunt sanatæ.

Ostendi hactenus Conuulsionem non fieri ex siccatis neruis, super est vt ostendam eandem fieri non posse ex Repletione, siue sit vniuersalis siue determinata Conuulsio.

Quòd non Vniuersalis, facile probatur: Nam vniuersalis Conuulsio fit vel ex cerebro, vel principio spinalis medullæ; itaque oportet ex sententia Gal. vt in Cōuulsione Vniuersali ita repleatur cerebrum, & principium spinalis medullæ, vt aucta latitudine, abbreuietur longitudo. Sed hoc in cerebro fieri non potest, quia cerebrum replet totam cranei capacitatem, itaque dilatari non potest.

Præterea Conuulsio fit repleta membrana, nō repleta substantia medullari nerui; propterea quamuis cerebrum repleatur, non tamen facit tensionem, quia membranosum non est: hinc in Lethargo, & Caro, etiamsi cerebrum sit repletum Conuulsio non fit: idipsum dico de spinali medulla, quæ est intra vertebras, idcirco dilatari non potest.

Adde, quod si repleatur aliqua materia sine inflammatione, hæc materia erit pauca, aut multa; si pauca, non faciet extensionem; si multa, faciet obstructionem, & loco Conuulsionis erit Paralysis.

Prętерquam, quòd nulla est alia ratio, cur materia magis repleat principium spinalis medullæ, atque illud distendat, quàm vt discurrat per totam medullæ longitudinem, quod etiam Auerroi negotium fecit, 3. collect. 33.

Adde quòd ex cerebro, aut principio spinalis medullæ affecto, fieret Conuulsio nunquam audita, aut visa: oporteret enim vno & eodem tempore omnes neruos, & musculos flecti & extendi, anteriores & posteriores, dextros & sinistros, superiores & inferiores, vno verbo, omnes. Tetanus, quæ est Conuulsio omnium maxime vniuersalis non comprehendit omnes musculos, & neruos, sed tantùm anteriores, & posteriores simul: In hac verò, si daretur, ex spinali medulla omnes nerui vno, & eodem tempore conuellerentur.

Adde

Adde, quòd Repletio circa principium spinalis medullæ, ex qua possunt nerui abbreuiari, debet esse cum tumore, aut inflammatione, aut scirrho, aut alio; sed, vt dixi, locus non permittit tumore, quia est intra vertebras; & si daretur, faceret Paralysin, & Conuulsio ex Repletione esset æque insanabilis, ac Conuulsio ex Inanitione.

Nam quis quæso posset sanare scirrhum in spinali medulla exsistentem?

His rationibus ductus mihi persuadeo, Conuulsionem non fieri, vt docuit Gal. ex nerui siccitate, aut repletione eiusdem circa suum initium: eadem enim esset ratio peculiaris nerui, quæ etiam spinalis medullæ, videlicet principium nerui exile, & molle ex modica repletione, quæ non faciat Paralysin, non posse vsque adeo extendi, vt totum membrum ad se contrahat.

Ceterùm hæc sententia non mihi videtur conuenire cum Hipp. licet Galenus illam ex Hippocrate desumpserit.

Hipp. in illa 6. aph. 39. nihil aliud docet, quàm Conuulsionem fieri ex repletione, & inanitione eodem modo, quo fit singultus. Videamus ergo, quomodo fiat singultus, & tunc cognoscemus, qualis sit sententia Hipp. de caussa Conuulsionis.

Quomodo fiat singultus.

Singultus igitur Gal. auctore 2. de caus. sympt. 1. & 2. & 3. de loc. aff. 7. & in com. præscripti aphor. 39. 6. partic. est. motus facultatis naturalis oris ventriculi irritatæ ab aliqua caussa noxia, quæ caussa quandoque est cum Repletione ventriculi quandoque vero sequitur nimias Euacuationes.

Def. singult.

Sed siue adsit Repletio, siue Euacuatio, non propterea fit Singultus, quod os ventriculi, aut illius tunicæ repleantur, vel siccentur, sed quia semper vellicantur vel à copia, vel acrimonia, salsedine, amaritudine, vel ab aciditate, vel à venenosa humorum, aut medicamentorum qualitate; itaque si Conuulsio fit eodem modo, ipsa quoq; erit motus facultatis irritatæ, ab aliqua ex caussis noxiis iam enumeratis.

Hoc confirmatur ex Gal. 7. aph. 3. qui Conuulsionem talem inquit esse passionē in neruis, qualis est Singultus in ventriculo. Idem 3. de loc. aff. 7. cum docuisset, Singultum fieri irritato ore ventriculi à caussa morbifica, subdit, eodem modo fieri Conuulsiones Epilepticas, atq; omnes Conuulsiones, irritata facultate partis ad expulsionem noxi: & propterea Auerr. 3. coll. 33. irridet hanc Galeni sententiam de Conuulsione facta ex Repletione, & Inanitione, & inquit hanc sententiā magis conuenire Musicis, quàm Medicis.

Auerr. irridet Galenū.

Et sane si consideremus locos Hippocratis, in quibus loquitur de Conuulsione ex Inanitione, nō inuenietis illum Inanitionis nomine intelligere neruorum exsiccationem. Videatis aphor. 66. par. 4. vbi scribit: *In febribus acutis Conuulsiones, & circa viscera fortes dolores, malum*. Gal. hanc sententiam interpretatur de Conuulsione facta per siccationem neruorum à febre acuta; sed si hoc voluisset Hipp. non dixisset malum, sed lethale: nam vtitur vocum proprietate, & vbi dicit, malum, non necessariò intelligit lethale. Præterea ex ea ipsa caussa, & loco vult Hipp. fieri Conuulsiones, ex quo fit dolor: at verò inquit dolorem fieri circa viscera, ergo Conuulsio erit ex visceribus ergo non ex neruorum exsiccatione, sed potiùs per compatiendi societatem, nam viscera habent membranam, quæ recipit neruos sextæ coniugationis, & propterea, vbi dolent viscera, afficitur neruus 6. coniugationis, & per compatiendi societatem coafficitur cerebrum, aut principium spinalis medullæ, non tamen est Conuulsio ex siccitate neruorum. Idem Hipp. 5. aph. 3. & 4. dum scribit conuulsionem factam ex sanguinis euacuatione & omni purgatione, malam esse, non lethalem scribit.

Lethalem scribit esse illam, quæ fit ex accepto elleboro 5. aph. 1. cùm tamen idem Gal. doceat, hanc Conuulsionem quoq; nō necessariò fieri ex neruorum siccitate, sed potiùs aut ex humorum acrimonia, qui mordent os ventriculi, aut ex ipsiusmet medicamenti venenata qualitate neruis infusa, & infensa, vt propterea nobis liceat arbitrari conuulsiones istas, quæ fiunt post purgationes, fieri ex nimia neruorum refrigeratione. nam in superpurgationibus, præcipuè sanguinis, totum corpus frigescit, maximè autem nerui, vtpote exsangues, & frigidiores; frigidum autem quantū possit ad conuulsiones faciendas, docuit Hipp. 5. aph. 17. 20. & 3. prog. 34.

Possumus etiam dicere in huiuscemodi febribus acutis aut superpurgationibus vapores gigni acres, inordinatè motos, qui aut principium spinalis medullæ, aut determinatos irritent neruos, vt propterea tandem videatur concludendum, has caussas à Galeno propositas de Inanitione neruorum & Repletione non esse absolutè accipiendas.

Cùm Gal. docuerit 2. de caus. symp. c. 2. Spasmum esse opus solius caussæ morbificæ, & propterea fieri à sola Inanitione & Repletione, nō concurrente facultate, ideo in præsentia videndum, qua ratione locus iste, & alii similes explicari possint, non obstantibus argumentis contra hanc sententiam adductis.

Itaque sciendum, Spasmum duplicem esse (omitto in præsentia significationes Spasmatis, quod significat rupturam nerui: nam de hoc in præsentia non loquor, sed dico Spasmum duobus modis adhuc accipi.) Vno modo accipitur pro motu fiente, qui tamen semper desinit in vitiatam membrorum figuram, in conuulsionem factum; sic enim videtis plerunq; nonnullis contractum esse brachium, vt non possit extendi; aliis ita extensum, vt non possit flecti: quod dico de brachio, dico de crure, aliisque partibus, & toto corpore (hic Spasmus dicitur ad materiam proportionatus.

Alter vero Spasmus datur tantùm in fieri, qui nunquam desinit in membri malam figuram & situationem; sed tamdiu persistit, quamdiu persistit motus; desinente motu, desinit omnis affectio: hic Spasmus dicitur improportionatus ad materiam.

His stantibus, dico primum genus Spasmi ex Repletione, & Inanitione fieri: & ratio est clara: nam si hic Spasmus desinit in morbum, in situ, in figu-

in figura, necessarium est, vt neruosa substantia morbum in se contineat, quæ sit caussa huius vitiatæ figuræ, nam actio læsa in facto esse, necessario sequitur morbum in facto esse, itaq; hic Spasmus fit ex Inanitione vel Repletione. Ceterũ hæc Repletio non est in cerebro, neque in principio spinalis medullæ, neque in exortu ipsius nerui, propter caussas quas adduximus in præced. lect. Repletur itaque primo & per se aut substantia musculosa, aut tendinosa, aut vtraque, ad cuius dilatationem neruus abbreuiatur, & sic contrahitur ad suum principium.

Hoc modo diluuntur omnes Obiectiones.

PRimùm enim ex repleto musculo, & tendone fiet Conuulsio, non Paralysis, sicuti necessariò fit, si neruus primariò repleatur; deinde multò probabiliùs est, vt musculus, & tendo, quæ sũt partes satis amplæ, dum replentur, & dilatantur, contractionem faciant, quàm si repleatur origo nerui, qui est exilis, ac mollis, Idcirco Galenum, cùm dicit Conuulsionem fieri ex Repletione & Inanitione neruorum, oportet nomine nerui intelligere totá neruosam substantiam; sic in com. 70. part. c. 5. scribit, ex repleta neruosa substantia Cõuulsiones fieri: per neruosam autem substantiam ex eod. Gal. 5. aph. 1. oportet accipere neruum, musculum, tendonem, ligamentum; neque hæc separata, sed simul connexa: idcirco idem Gal. 4. de prelag. expulsi. c. 19. Conuulsiones inquit fieri ex inflammatione musculorum, præcipuè verò prope tendones, & 4. aph. 65. inquit ex repletione tẽdonis, qui est in parte anteriore genu, fieri Cõuulsiones, & 1. de motu musculorum 16. caussam huius Conuulsionis totam refert in musculi repletionem.

Caussa replens musculum.

CAussa, quæ musculum, aut tendonem replet varia est pro varietate Conuulsionis: nam Conuulsio ex Repletione quandoque est Vniuersalis, nonnunquam est Determinata. Vniuersalẽ intelligo illam triplicem: Opisthotonon, Emprosthotonon, Tetanon. Determinatam intelligo illam, quæ fit in oculis, palpebris, in labijs, in brachijs.

Vniuersalis Conuulsio ex Repletione fit dupliciter, aut primario repletis musculis, & tendonibus, aut per compatiendi societatem.

Replentur musculi & tendones vel à spiritu flatuoso discurrente, aut per omnes musculos posteriores, in quo casu fit Opisthonos, aut replente anteriores, & fit Emprosthotonos; aut eodem replente & anteriores & posteriores, & fit Tetanos: huius caussæ flatulentæ meminit Gal. 2. de symp. caus. 2. Fernel. lib. 5. c. 3. Paul. Ægin. lib. 3. c. 20. qui scribit, hanc substantiam vaporosam contrahi aliquando ex dormitione, humi facta.

Replentur quoque ex vaporibus vini, vt docuit Gal. 5. aph. 5.

Ex alijs quoque vaporibus humoris crudi, & substantię crassioris: hac ratione in pueris lactantibus, præcipuè obæsioribus sub tempus dentitionis Conuulsiones fiunt, 3. aph. 25. 3. prognost. 34.

Replentur etiam huiuscemodi partes substantia pituitosa, vt docuit Gal. 5. aph. 70.

Possunt quoque repleri melancholico humore hoc colligitur ex Hipp. 6. aph. 56. Morbis ex melancholia ortis male & periculose ad hæc membra fit metastasis, vndé fit apoplexia corporis, vel spasmus, vel mania, aut cœcitas.

Possunt quoque fieri ex sanguine: nam si ex sanguinis copia fit lassitudo phlegmonodes; vbi hæc augeatur, poterit quoque Conuulsionem excitare: hinc Galen. lib. de venæ sectione aduers. Erasist. ca. 5. docet, Conuulsionem venæ sectione curari.

Fit verò Conuulsio Vniuersalis etiam per consensum, quando scil. vna pars aliqua determinata ex ingenti aliqua inflammatione conuulsionem patitur dolorificam, cuius ratione nerui omnes in consensum trahuntur.

Aliquando tamen sola pars determinata Conuulsionem patitur, eo quòd ille tantùm musculus, aut tendo sit repletus; sic scribit Galen. 1. de mot. musc. 6. ex inflammatione, aut scirrho occupante musculos interiores impediri extensionem membri, sicuti repletis externis impeditur flexio.

Quomodo generetur Spasmus ex Inanitione.

QVod verò pertinet ad Spasmus ex Inanitione, censeo Vniuersalem Spasmum ex Inanitione nunquam fieri, neque animo possum concipere vllam ex caussis, quas Gal. ad Inanitionem refert, siue sit febris ardens, siue profluuium sanguinis, siue superpurgatio, aut vomitus, posse omnes neruos ad hanc arefactionem deducere, vt Conuulsio fiat. Hoc quidem obseruatur in partibus determinatis, quæ vruntur, & atrophiam patiuntur, quibus simul cum Conuulsione connectitur Paralysis: his caussis Conuulsionis alias duas puto esse subiungendas.

Aliæ caussæ Spasmi.

ALiæ caussæ Spasmi sunt Refrigeratio, seu Cõgelatio, & Cicatrix: nam ex his duabus caussis fit hoc genus Spasmi; & tamen propriè non rediguntur neque ad Repletionem, neque ad Inanitionem.

Scio non defuisse, qui dixerunt Refrigerationem redigi ad Inanitionem, eo quia frigus exprimit humiditates neruorum.

Sed hoc ex eo conuincitur esse falsum, quòd qui intereunt congelati, & conuulsi, tantum abest, vt sint sicciores, vt sint summo quodam madore referti. Hoc docuit Bellon. in suo libello de medicato funere.

Quod etiam dicunt nonnulli, Refrigerationẽ redigi ad Repletionem, eo quòd Congelatio cõpingat humores in neruos, hoc quoq; est falsum: quandoquidem etsi humiditas naturalis neruorum ex congelatione ibi constringatur, non propterea

prerea tamen dilatat ipsam partem, vt facta dilatatione, breuior reddatur, propterea Gal. 5. simp. c. 5. tres proponit Indurationis partium caussas: Repletionem, Siccitatem, & præter has Refrigerationem, idcirco etiam Hip. 5. aph. 17 & 21. & Gal. 3. progn. 34. proponunt, Refrigerationem tanquam Conuulsionis caussam diuersam à cæteris. A

Idipsum dico de Cicatrice, quæ est caussa Conuulsionis, auctore Galen. 1. de motu musculorum capit 6.

De Spasmo Improportionato ad Materiam. B

HActenus de caussis Spasmi, qui dicitur Proportionatus ad Materiam: nunc vero agendum de Improportionato ad Materiam, qui est *motus prauus facultatis expultricis cerebri & neruorum, irritatæ à caussa morbifica.* Hic motus paruus differt à priore; primo, quia nunquam definit in conuulsionem factam, 2. quia vno & eodem tempore fit ad varias differentias, ita vt, quando fit vniuersalis, vicissim fiat Opisthotonos & Emprosthotonos, quandoque Tetanos, nonnunquam Conuulsio ad vtrumque latus; si fuerit in parte, consimiliter pars illa modò retrahitur, modo extenditur. C

definitio

Differt tamen à Rigore, quia in Rigore côcutiuntur quidem membra, sed non admodum côtrahuntur, aut extenduntur.

Hic motus est facultatis expultricis irritatæ primo & per se, quanquam ad irritamentum facultatis expultricis, sequatur motus animalis, qui tamen non potest dici voluntarius, quia non mouetur ab imaginatione; sed consequitur ad irritationem facultatis expultricis. D

Pars, in qua est hæc facultas irritata, est quandoque cerebrum, quandoque principium spinalis medullæ, aliquando origo vniuscuiusque nerui determinati.

De Conuulsione ex cerebro irritato à caussa noxia dicam in tract de Epilepsia.

Quod autem pertinet ad spinalem medullam & neruos, irritantur hæ partes vel à materia salsa vel acri, & amara, vel acida, vel venenosa, siue eleuetur vapor, siue ipsamet materia corpulenta neruos afficiat. E

Propterea statim licet colligere, quantum differat hic Spasmus à priore; nam diximus in præcedenti subiectum Spasmi Proportionati immediatum esse aut musculum, aut tendonem, aut vtrumque, non neruum, non spinalem medullam; in hoc Spasmo Improportionato opposito modo res se habet: nam principium spinalis medullæ, & cuiusq; nerui determinati irritati à caussa noxia, siue sit interna, vt iam diximus, siue externa, vt vulnus, punctura, morsus venenatus, refrigeratio in neruosa & vulnerata parte, conuulsionem pariunt. F

diff. Spasmi Proportionati & Improport. ad Materiam.

Itaque si vniuersalis fuerit hęc Conuulsio, fit principio spinalis medullæ affecto, aut per essentiam, aut per consensum.

Et si per essentiam, aut materia primario hanc partem afficiente, aut transmissa ab alio loco; e. g. vtero, sic enim docet Gal. 6. de loc. aff. 5. ex suppressis mensibus, ac semine in mulieribus Conuulsiones fieri.

Per consensum autem fit Conuulsio vniuersalis, vbi alia pars determinata maximo cum dolore conuellitur, aut etiam non conuulsa dolore afficitur; sic scribit Galen. 5. aph. 1. & 6. de tuen. vale. 10. & 5. de loc. aff. 6. ex ore ventriculi mordicationem patiente, Conuulsiones fieri; idipsum docet Gal de dolore viscerum 4. aph. 66. de passione Ilei 7. aph. 10. de punctura nerui, 3. meth. 6. de in flammatione nerui, 5. aph. 2. & vniuersaliter 12. meth. c. 8. & 3. de loc. aff. 7 docet Galen. Conuulsionem fieri ex caussa mordente, atque ipsos neruos irritante.

Ex hispotestis colligere caussas Spasmi Determinati: neq; enim differunt à propositis: potestis etiam naturam & caussas Spasmi colligere, qui fit circa faciem: de quo cùm sigillatim loquatur Rhases, ego quoque dicam duo verba.

De Spasmo Cynico.

DIcitur Græcis Σπασμός Κυνικός Latinis Cõuulsio Canina; quidam appellant Risum Sardonicum; Arabes Oris Torturam. Fit dupliciter: aut resolutis, aut conuulsis partibus: de resolutione iam diximus.

Conuulsio adhuc fit dupliciter, aut in musculis temporalibus, molaribus, cutis frõtis, palpebrarum, & labiorum, & hoc modo afficiuntur nerui tertiæ coniungationis: aliquando distorquentur tantum labia, & potissimùm inferius labium, & tunc afficitur musculus latus, qui est sub cute ceruicis & recipit neruos ab ipsis ceruicis vertebris, vt docuit Galen. 1. de dissect. musc. c. 1. (5.) & 4 de loc. aff 2.

Signa Spasmi à Repletione, &c.

PRoponenda primo sunt signa distinctiua, & primo distinctiua specierum Spasmi; nam qui fit ex Repletione, fit in corpore pleno ferè statim à b initio morbi, & definit in Spasmum Factũ contra qui ex Inanitione, sequitur morbos calidos, & siccos, copiosas excretiones.

Qui fit ex Morsu, potest quidem fieri ab initio vt diximus, neque definit in Spasmum Factum, & habet varias motus differentias; quinimo aliquando commiscetur Conuulsio cùm rigore, & frequenter accidit, & recedit hæc passio.

Oportet deinde distinguere Conuulsionẽ factam ex Repletione à Luxato articulo, & tumore eiusdem partis duro.

Differunt autẽ, quia in Luxatione primo præcessit casus, aut alia caussa externa, quæ potuit luxationem facere, aut præcessit dolor articularis ex materia multa humida, loca articulationum replente. Accedit, quòd ipse articulus luxatus manu deprehenditur; & denique in luxatione fit aliquis motus flexionis & extensionis, sed perfici non potest: in Spasmo autem motus, qui est impeditus, siue flexionis, siue extensionis, neque inchoari quidem potest.

Si adsit tumor circa articulum, facilè deprę-

henditur, quia articulus ille erit maior altero, & A digitis durities in articulo percipitur; contra verò tumor in musculo, aut tendone, qui motum prohibeat, vnicuique erit perspicuus.

Si Repletio fit ex flatu, fit subito, & necessario adest rugitus ventris inflatio, aurium sonitus, vertigo, suffusio, & hanc Conuulsionem, si vniuersalis fuerit, præcedere solet illa Determinata in suris facta Conuulsio, quam vocant Germani Kräpffileali vulgo Granfo.

Si fit ex Vapore crasso siue lactis, siue alterius edulij crassioris, hoc habebitis ex relatione, ex caussis prægressis, ex ætate potissimùm puerili, & B habitu crassiore, ac humidiore.

Si fuerit pituita, aut melancholia, vel sanguis, alias proposui signa horum humorum redundantium.

Quòd si fiat ex Inanitione præter caussas prægressas exsiccantes, & inanientes corpus, partem quoque oportet reddi tabidam, nec solum Conuulsione, sed etiam Paralysi tentari.

Quòd si fuerit ex Morsu, & morsus fuerit materiæ acrioris, & biliosę, Conuulsio est cum maximo C dolore, & vehementissima cum delirio: fitque potissimùm hęc in corporibus biliosis, quibus supprimuntur consuetæ euacuationes hæmorrhoidum, mensium, aut seminis.

Si fuerit materia acida, Conuulsioni succedit plerumque rigor aut tremor, cum refrigeratione totius corporis, cum pallore, propensione in somnum, vrinis crudis, atque abundantia sputi. Duas tales Virgines curaui, quę laborabant & Opisthotono, & Emprosthotono propter abundantiam pituitæ acidæ. D

Si pituita salsa, habet illa propria signa, sitim, & sputum salsum.

Si fuerit Conuulsio ex parte determinata, facilè hanc cognoscetis, si intelligatis quænam pars aut doleat, aut conuulsa sit.

Signa Spasmi Cynici.

QVemadmodum de natura torturæ oris singulatim actum est, ita & seorsim quædam de signis sunt dicenda. E

Debent autem hæc signa, quę proponentur, distinguere Spasmũ Cynicum factum propter neruos tertiæ coniugationis, & musculos ab eis prodeuntes, ab eo, qui fit ex Cõuulsione musculi lati.

Distinguntur autem sic. Nam in prima Conuulsione tota pars dextra, aut sinistra retrahitur, cutis frontis, & supercilia, palpebræ, narium pinnæ, & labia superiora: læditur quoque mastícatio illius partis.

In conuulsione ex lato musculo labrum tantùm inferius, & bucca illius partis distorquetur. F

Quòd si vtręque partes afficiantur, tunc oritur illa species torturæ oris, quæ proprię dicitur Risus Sardonicus: nam in hac patientes perpetuo risu videntur vexari.

Prognostica.

FActus ex Inanitione Spasmus ex Gal. sententia est insanabilis, 5. ap. 1. Vera est hęc sententia de Spasmo Vniuersali, facto ex siccitate omnium neruorum, & musculorum. Hic est adeo insanabilis, vt momento temporis interficiat, neq; sit remedio locus.

Sed in Spasmo ex Inanitione, vel Siccitate nerui determinati, datur tempus curationis, & spes aliqua seruatur. Ægrè admodum curabilis est etiam Spasmus ex scirrho, & ex cicatrice, quinimo exquisitus scirrhus, & magna, atque antiqua cicatrix nullam admittunt curationem.

Inter cęteros Spasmos ex Repletione, Tetanus est omnium periculosissimus; propterea dicebat Hip 5. aph. 6. eos, qui Tetano vexantur quarta die interire, si has prętereant, seruari posse.

Opisthotonos & Emprosthotonos, atque alii determinati Spasmi ex Repletione ægriùs, vel faciliùs sanantur pro materiæ copia, crassitie, ac viscìditate; omnibus tamen, qui ex frigido fiunt succo, confert febris: propterea dicebat Hipp. 5. aph. 70. quartana captos Conuulsione non tentari, & 4. aph. 57. scriqit, Conuulsione, & Distentione neruorum correptos superueniente febre liberari. In quem sensum 2. aph. 26. docet, meliùs esse febrem Conuulsioni, quam Conuulsionem febri superuenire.

Periculosa est Conuulsio ex punctura nerui, & ex inflammatione obortas, dicebat Hipp. 4. aph. 49. in febre non debili, si palpebra, aut oculus, aut labrum peruertatur, fractis iam morbo viribus, lethale esse: ratio est in promptu, quia hęc Cõuulsio ortum ducit ex cerebro malè affecto, consentientibus neruis tertiæ coniugationis.

Quòd si fiat Conuulsio Canina ex musculo lato, non est admodum periculosa, nam (vt dixi in præcedenti lectione ex primo de sectione musculor c. 1.) hic musculus non recipit neruos à cerebro, sed à vertebris ceruicis, propterea scribit Hip. primo in tertium Epid. 4. Pythioni in quarta os fuisse distortum, & tamen sanatum fuisse.

Curatio.

CVratio autem huius affectus varia est pro caussarum varietate. Si fiat ex Inanitione, docui in capite de Paralysi, quibus remediis humectantibus internis & externis possit restitui humiditas, & alimentum partibus: & ideò non repetam curationem.

In Spasmo ex Repletione conuenit aliquando Venæ Sectio, cùm scilicet Spasmus fit ex insigni plethora, aut ex inflammatione nerui, aut ex vulnere, & punctura, siue punctura facta sit ferro, aut morsu venenato: in his omnibus casibus, viribus constantibus, venæ sectio conuenit. *Venæ sect.*

Sed in plethora conuenit in maxima quantitate; quamuis enim Gal. 1. ad Glauc. cap. 14. præcipiat in Conuulsione sanguinem parcè mittendũ esse, eo quòd vires ex illo motu laborioso dilabuntur: & quia aliqua succedit aut sudoris, aut alterius modi euacuatio.

Hęc tamen sententia est intelligenda de alia omni Conuulsionis specie, hac excepta, quæ ingẽtem sequitur plenitudinem: in aliis autem casibus consulo, vt parcè mittatur sanguis. *Gal. loc. explicat*

Et si

Hirudines. Et si vires non constent, hirudines hæmorrhoidibus applicentur, aut in illis, qui non assueuerunt huic excretioni, cucurbitulæ affigantur. Locus sit *Cucurbit* varius, pro varietate partis conuulsę.

Nam in Tortura Oris cucurbitulæ occipiti & scapulis affigantur: in Opisthotono, aut Emprosthotono semper partibus infernis: in Conuulsio- *Locus.* ne dextrę partis, sinistra est scarificāda: in Cõuulne sinistræ, dextra.

Cauter. Vesicans Idipsum dico de Cauterijs, ac Vesicantibus, neq; enim probo cuiusdam Viri Excellentissimi consilium, qui vult parti conuulsæ vesicatorium esse adhibendum, etenim si Conuulsio, vt docuimus, fit ex qualitate acri, & mordente parti conuulsæ Vesicatorum affigere nihil aliud est, quàm in equo currente vti calcaribus.

Quòd si materia sit flatuosa, primùm quidem hoc Clyster conuenit.

Recipe Semin. carth. vnc. sem.
anisi
fœnic. an an. vnc. i.
Cymin. vnc. i,
Sesel,
Dauc. an. drach iij.
Centaur. vtriusq; an M. s.
f. decoct. s. art. Deind.
Recipe dicti decoct. lib. 1.
hieræ Pachij, aut Diacolocyn. drac. iij.
Olei rutae.
Mell. ros. an. vnc. iij.
M. f. Clyster.

Post Clysterem conuenit hic bolus:

Recipe Diaphœnic. vnc. sem.
spec. hier. simp. drach. iij.
M. & cum saccaro f. boli.
Aut *Recipe hier diacolocynth. drach. ij.*
Electuar. lenit. drach iij. M.

Post Bolos prębendæ sunt Rotulæ istæ mane & vesperi hor. 1. ante parand. & cœnam.

Recipe Cymin. drach. i.
Trium piperum.
Cinamom. an drach sem.
Saccar dissolut. in aqua stillatitia
cinamo. q. s.
M. & f. Conf. in Rotulis.

In eundem vsum administrari possunt rotulæ ex Diacymino, ex Dianisio, & Diatrionpiper. aut poterunt confici ex oleo anisi, ex oleo fœnic.

Extrinsecus autem si Spasmus sit Determinatus, vt est ille, qui vulgo dicitus Granfo. præstantissima remedij materia (qua vsus sum pluries in meipso) est oleum sambaKinum, siue factum ex florib. Iasmini. Valet etiam oleum ex hyperico, rutaceum, liliaceum. Sacculi etiam repleti sale, milio, chamomelo, anetho, aniso in sartagine torrefactis vtiliter adhibentur.

Sed in Conuulsione Vniuersali ex Flatu, nihil melius est auxilio aliquo sudorifico, siue sit balneum naturale aquæ thermalis, aut aer calidus ex thermis (exterius) acceptus, aut stuffa arte facta: Quidam volunt etiam hos patientes in furno poni.

Sudor tamen in his est promouēdus, & vt scribit Aetius spongijs oleo aliquo imbutis extergendum est: imbuantur autem spongiæ oleo vel chamomelino, vel anethino.

Quod si materia sit pituitosa, pauca de hac vobis sunt dicenda. nam illa omnia auxilia tam interna, quàm externa, siue purgantia totum corpus, siue purgantia caput, siue digerentia & alterantia, quæ proposuimus in Paralysi ex pituita, conueniunt quoque in Conuulsione ex pituita. In hoc tamen differunt, quod in Conuulsione quā- *Diff. curat. Conuls. & Paralys.* quam medicamenta purgantia debeant esse valida, nihilominus non debent vnica vice in magna præberi quantitate; ratio est, quia, vt diximus de venę sectione, motus ipse conuulsiuus ratione doloris, & ratione subsequentis excretionis, vires deiicit; propterea aliquid symptomati est relinquendum.

Secundo illud est obseruandum, in Conuulsione iam facta ab initio præbenda esse Lenientia, deinde Præparantia, postea Purgantia: In conuulsione, quæ actu fit, statum ab initio præbeantur purgantia.

Tertio notandum: In Conuulsione ex materia pituitosa conuenire aliquādo inspersionem aquæ frigidæ. Hoc docuit Hipp. 5. aph. 21. Quem secuti alij Practicantes inter quos est Valesius de Taranta, profitentur se hac ratione quosdam curasse.

Modus est talis: Patiens primo debet esse iuuenis, quadrato corpore, temperamenti natura calidi, robustis viribus: huic nudo existenti aqua frigida infunditur, incipiendo à primis ceruicis vertebris vsq; in vltimas corporis partes; idq; subitò, nam post aquæ affusionem, statim in cubili calido sunt reponendi, extergendi, atque oleo calido confricandi, siue sit chamomelinum, siue aliud tale.

Differt quin etiam Conuulsionis curatio à Paralaysis curatione, tametsi ex pituitoso prodeant succo: quia in Conuulsione cùm humor sui natura sit viscidus, crassus, & lentus, & progressu tēporis semper crassior reddatur, ante vsum medicamentorum digerentium opus est medicamentis rarefacientibus, laxantibus, & mollientib.

Hic itaq; Ordo erit seruandus, siue Conuulsio sit in toto, siue in parte: Fricetur primùm pars conuulsa; à frictione in balneum imponatur: sit balneum aut ex aqua, in qua abluuntur lanæ, aut fiat decoctio ex radicibus folijs, ac floribus, si haberi possint, maluæ, bismaluæ, altheæ, ac liliorū alborum: addantur semina lini, ac fœnugræci, & caput vnum, vel alterum castrati: post balneum inungatur locus emolliente medicamento, siue sit oleum vulpinum, aut ex Lumbricis, vel amygdalinum, siue sit adeps anatis, anseris vel gallinæ, siue sit medulla cruris bouis, vel vituli, siue sit vnguentum ex pinguedine lanarum confectum (œsypum vocant) siue emplastrum ex dialthæa, aut hoc simile.

Recipe Mucilag. semin. malu.
radic. alth an. vnc iij.
Farin. sem. lin. vnc. vi.
Olei Vlpin.
lumbricorum an vnc. ij.
Pingued. gallin.
anat. an, vnc. semis

Deco-

Decocti malvar.
altheæ
liliorum alb.
sem. lin. fænugr. q. s.
M. & f. Emplast.

Si adsit copia luti emollientis, quale est apud Patauinos Lutum S. Bartholomæi, illud quoque valet.

Valet etiam creatum ex Ammoniaco dissoluto in aceto acerrimo: & si oleis tantùm, aut pinguedinibus foueatur pars ipsa, cõsultum erit post inunctionem ponere aut omentum, aut pellem siue vulpis, siue canis, siue catti nuper excoriati.

Post vsum emollientium conueniunt digerẽtia, & intrinsecus & extrinsecus, de internis nihil super est dicendum, cùm multa in tractatu de Paralysi sint proposita, illud tantùm subiungam, mihi in hoc casu mirificè placere vsum huius aquæ stillatitiæ.

Recipe calendulæ
Herb. Paralys.
Iuæ
chamædr.
Pulegij.
Calament.
Origan.
Prassii
Hyssop.
Thymi,
Stæchad.
Maioran.
Rorismar.
Saluiæ an. M. i.
Iunip. M. ij.

Incidantur & infundantur in s. q. vin. albi generosi per 3. dies, postea destillentur; & huic aquæ destillatæ adde

Zingiber.
Pyretr.
Sinap.
Castor.
Ass. fœtid.
Styrac. calamit.
Cinamom.
Caryoph. an. drach. ii.

Infundantur per horas 24. & iterum destillentur: huius aq. stillat. datur vnc. sem.

Extrinsecùs idem seruandus est ordo, qui & in emollitione, vt primò fricetur corpus, postea im mergatur in balneũ Balneũ verò sit ex aqua ther mali: si huius non sit copia, arte paretur, coquendo in aqua Cõmuni, aut in marina, sulphur, alumen, nitrum, saluiam, & vno verbo illas herbas, de quibus memini superiùs pro cõficienda aqua.

Insessio etiam corporis, vel partis affectę in arena, vsus foueæ sudorificæ, luti digerentis, & olei pariter digerentis, quale est rutaceum, costinũ irinum, ficyorium, id est, ex radice cucumeris syluestris de piperibus magnopere iuuant.

Arte quoque sic componi potest oleum digerens.

℞. Olei (*Vulpin.* / *Costin.* / *de Piperib.*) *an. vnc. i.*
Aq. arden. vnc. iii.
Castor. / *Sinap.* / *Euphorb.*) *an. drach. i.*

Bull. simul vsq; ad consumpt. aq. f. expressione add. *Theriac. drach. ij. M.*

In officinis parati solent vnguenta quædam ad id genus accommodatissima, quale est Vnguentum Aregon, & Martiatum, vtrumque ex descriptione Nicol. Alexandrini.

Omnes ferè practicantes à Nicolao Florent. desumpserunt olei descriptionem, quæ mirifice probatur: quidam vno modo, alii alio modo illam proponunt:

Hic autem modus mihi placet.

Accipiendus est cattus pinguis in frustra incisus, & anguilla; ponuntur hæc in ventre anseris pinguis simul cũ vnc. i. laridi, & drach. ij. mirrhæ, totidem assæ fœtidæ, & castor: additur quin etiã iuniperus, saluia, rosmarin. Assatur hoc animal in veru, & pinguedo recipitur in vase, quod in se acetum contineat: deinde quod reliquum est, potest elixari, & pinguedo supernatans colligi, quę in vsum inunctionis digerentis sequatur.

Nonnulli præparant oleum vulpinum, aut ex cane, replentes ventrem canis rubis herbis digerẽtibus, seminibus, gummi ammoniaco, bdellio, serapino, assa fœtida & castoreo, sinapi, & pipere deinde incoquunt animal in sufficiente quantitate aquæ, & aceti, & oleum supernatans colligunt Decoctio est vtilis pro balneo.

Illud hac in parte remanet dicẽdum, inunctionem ex hydrargyro perinde cõferre posse, atq; in paralysi, quam ego tamen non sum expertus: Ratio tamen videtur posse id persuadere. *Inunct. hydrargyri.*

Quòd si Conuulsio fiat ex Morsu, ex irritatis neruis, tria sunt agenda. Incumbendum symptomati, Conuulsioni scilicet, demulcendo dolori, & superandæ causæ mordenti.

Prospicimus Conuulsioni infundendo corpus quando biliosissimum fuerit, ac tempore æstiuo, in aqua dulci tepida: vbi aliquid prohibeat, aut infundatur in oleo, aut tota spinæ regio foueatur spongijs, aut lana succida, ut vesicis oleo lumbricato, chamomelino, anethino imbutis, ac repletis Partes etiam conuulsæ eadem lana succida, oleo imbuta, foueantur.

Pro demulcendo dolore, quando scilicet Conuulsio fiat ex punctura, aut inflammatione, circumstantes partes muniantur aut cerato rosaceo, aut linteis imbutis in oleo rof. aut fiat linimentũ ex cassia extracta, oleo rof. & vitellis ouorum. Ipsi parti affectæ si sit inflammata, apponendum est emplastrum, quod reprimat, & digerat, quale est istud.

Recipe Absinth puls.
Cort. rhabab pulu.
Spicæ an drach. ii.
Farin Hord. vnc. iiii.
Ol. rof. compl. vnc. iii.
Camomel.
Aneth. an. vnc sem. M.

Quòd si fuerit punctura nerui, hęc omnium, est

est periculosissima, quia vulnus est angustissimũ, oportet illud aliquantulum dilatare, deinde in ipsum vulnus infundere oleum ex therebinth. in modica quantitate. E. G. pro singula vncia olei ex thereb. addatur drach. i. aq. vit.

Vbi opus fit maiori siccatione, cùm scilicet ichor & sanies fuerit purgata, poteritis addere aut sulphur, aut calcem lotam in aqua rosarum, aut aliquid euphorbii, vel miscere ipsummet oleum de Euphorbio cum oleo ex therebintgina, vel vti aliquo ex istis balsamicis vocatis medicamentis. Recipiunt enim hęc medicamenta sulphur, calcé, B tutiam, hypericon, & alia id genus.

His non conferentibus, consulunt prestantissimi chirurgi, vt oleum vsq; adeo calens in vulnus infundatur, vt possit adimere sensum, quasi escharam inducat.

His quoq; non conferentibus, ac perseuerante Conuulsione, præcidendus est neruus per transuersum in parte supra pũcturam, quamuis actio illius partis amittatur.

Et si punctura fit animalis venefici, virus attrahendum ad locũ vulneratũ cucurbitula scarificatione, vesicatorio, impositione theriacæ; tandem C absumendum est venenum cauterizatione partis

Certum est in his omnibus casibus opus esse reuulsione, & per medicamenta, quandoq; per venæ sectionem, aliquando, si vires non constent, per cucurbitulas.

Quòd si Conuulsio fiat ex ore ventriculi, aut ex vtero, vel vermibus, suis locis poteritis omnia intelligere.

Victus ratio. D

IN Conuulsione ex Repletione tenuissimo victu vtendum, & mulsa pro potu, victusq; sit attenuans.

In Conuulsione ex morsu, aut ex punctura, victus debet quidẽ esse tenuis, non attenuans. Nam attenuantia mouent vapores, & humores, qui vel magis irritant, vel ad læsam partem confluunt.

DE EPILEPSIA, SEV MORBO COMITIALI. Cap. XVI. E

MIrabilis sanè, visu horrendus, naturæ reconditæ, & difficilimæ curationis est affectus, quẽ hodie interpretãdũ suscipio. Græci Ἐπιληψία *definitio* Latinis Morbus Comitialis, Sacer, Herculeus, Caducus, Puerilis, ac Lunaticus vocatus. Huius definitionem proposuit Galen. lib. de diff. sym pt. ca. 3. *Est*, inquit, *conuulsio totius corporis cũ detentione rectricis facultatis*, siue vt dicit 3. de loc. aff. 7. *Est Conuulsio cum detentione principum facultatum*.

Hæc definitio eas continet differentias, quæ faciunt Epilepsiam à ceteris affectibus distinctam. F Nã quatenus est conuulsio differt ab Apoplexia, & Caros; quatenus est cum detentione principum facultatum differt à Spasmo.

Illud autem notandum, propositam definitionem conuenire forti, & legitimæ Epilepsię. Datur enim leuior, & spuria, quæ tres habet differẽtias.

Differentiæ Epilepsiæ Spuriæ.

PRima est, in qua non amittuntur sensus; neq; omnes principes facultates, sed duntaxat memoria, Conuulsio autem est vehemens, cuius exempla ego plurima vidi: nam in fabro quodam ferrario ad Portellũ vidi Conuulsionem Epilepticam cum spuma, & priuatione visus, seruato tamen auditu, sensu tactus, & functionibus, principibus: quandoq; hic punctus, vel ligatus, vel vocatus accessionis tempore respondere non poterat, audiebat tamen, ligaturas sentiebat, & post accessionem cuncta circa illam acta referebat.

Aliam vidi virginem, quæ dum conuelleretur saltabat vt canis per totum conclaue ad partes anteriores, seruato visu, & cæteris sensibus, læsa tamen memoria.

Alium vidi Venetiis, qui tempore accessionis saltabat ad posteriora, latrabat vt canis: huic quoque seruabatur visus.

Secunda contra datur Epilepsia Spuria, in qua sublatis sensibus, & principibus facultatibus leuissima est conuulsio; neq; vniuersalis, sed quãdoq; determinata: Sic scribit Gal. 3. de loc. aff. 7. in Epilepsia se aliquando obseruasse paruũ motũ illi similem, qui fit in Singultu. Et alii quoq; Medicinæ scriptores asserunt, in Epilepsia fieri quãdoque Conuulsionem capitis tantum, aut oculorum, aut labiorum, aut vnius brachii, aut digitorum, vt vno verbo possit esse Epilepsia absq; vniuersali Conuulsione.

Non tamen accipiendum puto Corn. Celsi sententiam lib. 3. cap. 23: qui vult, cadere aliquando Epilepticos sine vlla Conuulsione.

Pariter non accipio sententiã Erasti 4. disput. contr. Parac; qui docet inuentas aliquando epilepsias cum Conuulsione quidem, sed sine cerebri vitio. *Erasti sent. reiecta.*

Etenim hoc est confundere affectus: Detentio principium facultatum absque vlla Cõuulsione est vel Apoplexia, vel Caros. Sola Cõuulsio absque cerebri vitio est Spasmus, non Epilepsia; nam natura & idea Epilepsiæ in hoc est posita, vt & adsit Conuulsio aliqua, & actiones principes ac sensitiuę aut omnes, aut aliquæ patiantur.

Idcirco etiam datur tertia quædam Epilepsiæ Spuriæ species, quæ est illa, in qua patientes, dum capiuntur hoc affectu, solent ambulare, & quæ sibi obuia fiunt, manibus apprehendere, & ex vno loco in alium transportare, quasi aliquid serio agant; propterea visus seruatur, post accessionem tamen istorum actorum non recordantur, si interrogetus, quid egerint, nihil respondent. Est Epilepsia occulta: nam motus ille non est verè cõuulsiuus, neque tamen est naturalis, & functiones principes non sunt abolitę, sed tamen prauo modo agunt.

Explicatio omnium, quæ contingunt in Epilepsia.

HIs stantibus Epilepsiæ differentiis, omnium natura est inquirenda, sed cum quadam distinctione.

In

In Epilepsia adest Conuulsio, & casus in terrã, quia magna ex parte Epileptici cadunt in terram: hæc sunt duo distincta: Conuulsio est motus deprauatus, Casus in terram est motus abolitus. Adest, vitium principum facultatum, & consequenter sensuum; hoc quoq; propriam habet naturam, propterea distinctè de omnibus agendum, sumpto initio à Conuulsione.

De Vera Conuulsione in Epilepsia.

Conuulsio, vt audiuistis, habet affectionem, ex qua fit, locum affectum, & caussam affectionis. Affectio est triplex: Inanitio, Repletio, Morsus. Inanitio in Epilepsia locum non habet, quia fit ex intemperie sicca. Intemperies autem neque citò accedit, neque citò recedit, vt facit Epilepsia.

Repletionem impugnarunt Auerr. 3. collig. 41 quem sequuti sunt Rondelet. cap vlt. de Epileps. primo lib. de morb. internis. Fern. lib. 5. patholog. ca. 3 Erastus parte. 4 disput. contr. Paracels. atque alij plures.

Hi omnes inuehuntur in Galenum, qui 2. de caus. sym. p. 7. & 3 de loc. aff. 7. Epilepsiam scribit ex humore crasso, & lento fieri, replente cerebri ventriculos.

Inuehuntur isti in hanc sententiã, dicentes hãc Repletionẽ non posse esse Epilepsiæ caussam, quã doquidem repletis ventriculis cerebri vt Caros, & Apoplexia, non Epilepsia; & si quis dicat, non esse integram repletionem, aiunt; ergo semper ante Apoplexiam, & Carum fieret Epilepsia; etenim antequam ventriculi integrè repleantur, necessarium est, vt pro media tantum parte impleantur; tunc ergo fiet Epilepsia, sicuti illis integrè repletis Apoplexia, aut Caros. Addit Fer. si fieret hæc repletio in Epilepsia, desineret in Paralysin, vt & Apoplexia, quod tamen negat Galen. 4. de loc. aff. c. 2.

Galen. vindicatur. Hi omnes Medicinæ scriptores (pace illorum dixerim) decipiuntur, neque Galeni mentem consequuti sunt.

Fit Conuulsio Epileptica ex Repletione, sed non Repletione aut substantiæ cerebri, aut ventriculorum: quandoquidem si fieret Conuulsio repletis his partibus, oporteret vt ex Repletione extenderetur, & dilataretur cerebrum, quo dilatato omnes nerui breuiores redderentur; sed hoc, vt dixi, fieri non potest, vt cerebrum, quod replet totum cranium, vsque adeo possit dilatari propter Repletionem, vt breuiores faciat neruos.

Adde, quòd si cerebrum, vel ventriculi repleti facerent hanc Conuulsionem, esset Conuulsio totius corporis, Tonica vocata, quæ nullo modo inueniri potest, in qua scilicet omnes nerui vno & eodem tempore, qui inseruiunt & extensioni & reflexioni, contraherentur ad suum principiũ, ita vt idem membrum cogeretur moueri ad duas partes oppositas in instanti, quod fieri non potest.

Insuper Repletio facta ex humore crasso, & pituitoso, quando facit Conuulsionem, desinit in Spasmum factum: hoc docui in tractatu de Spasmo. Nam materia illa replens infixa facit Contractionem in facto esse quod non contingit in Epilepsia, neque Galenus doctissimus, & solertissimus hæc tam leuia excogitasset.

Itaq; Conuulsio ex Repletione in Epilepsia fit repletis tantùm musculis, & neruis quibusdam determinatis, non ex crassa materia, sed ex spiritu flatulento, & vaporoso, cuius materia est quidem pituita, aut melancholia, & in cerebri ventriculis contenta, non tamen perfectam faciens angustiam, sed illa materia non est immediata Cõuulsionis caussa, sed mediata, ex qua flatus, & vapor generatur.

Quòd si Gal. aliquando dixit locis citatis Epilepsiam ex pituitoso succo fieri, potiùs respexit ad sublationem principum facultatum, & ad symptoma cadendi in terram, quàm ad ipsam Cõuulsionem: vel si respexit ad Conuulsionem, hoc tantùm voluit, pituitam esse mediatam caussam, vt scil. flatum generet. hac ratione Hipp. lib. de flatibus caussam Epilepsiæ in huiusmodi spiritũ retulit flatuosum.

Conuulsionem Epilepticam fieri ex repletione neruosę, ac musculosæ substantię à spiritu vaporoso, ac flatulento, nõ tantùm ex Hipp. colligitur lib. de flat. iam citato, sed etiam ex Arist. libel. de somno & vigilia, qui epilepsiam scribit à fumis ascendentibus in caput produci, ac propterea in somnis frequenter fieri eandem ob caussam, post crapulam, & vinolentiam excitari.

Hæc Conuulsionis caussa reperitur in illa Epilepsiæ specie, in qua paulatim & sensim, vel vnica pars, vel totum corpus flectitur, aut extenditur modò ad vnam, modò ad aliam motus differentiam, cuius exemplum vidi in Germano.

Est vero & alia multo frequentior Conuulsionis Epilepticorum caussa, irritamentum scilicet, de quo meminit Galen. 3. de loc. affe. 7; 5. de loc. affe. 5. & 6. de loc. affe. 5. quam caussam vnicam cognouerunt aliqui Recentiores. Rondelet. capvltimo de Epileps. Holler in schol. 16. primi lib. de internis. & Erast in disputat; quam habet de Epileps. ac Fernel. lib 5. patholog. c. 2. & 2. de abditis rerum caus. c. 15. quanquam nullus istorum exponat, quale sit hoc irritamentum, neque qualis sit propriè locus irritatus, præterquam quòd in ipsa caussa irritamenti decepti sunt. Omnia exponam.

Irritamentum dupliciter fit; aut repleta parte sentiente, cuius facultas expultrix sit valida, quę propterea statim insurgit ad expulsionem rei nocentis.

Huius caussę, occultis tamen verbis, meminit Gal. 3. de loc. aff. 7. circa principium; nam postea quã declarauit, fieri Epilepsiam ex crasso humore, ac pituitoso, subiungit, Conuulsionem fieri cõcurrente seipsum cerebro, & quærente, ac moliente expulsionem rei nocentis, vt propterea significet Gal. his verbis, partem huius materiæ crassioris replentem, & irritantem esse caussam motus Conuulsiui.

Aliud irritamentum est tantùm qualitatis siue acris, & mordacis, siue venenatæ: huius meminit Gal. in cap. eod. 3. de loc. aff. circa finem capitis

vtriusq;

vtriusq; autem caussæ mentionem fecit Auic. 1. A 3.tract.5.c.9.

Primam irritamenti speciem non admittunt Erastus, neque Rondeletius, aut Fernel. aut Holl. sed solam qualitatem accipiunt, qui propterea nō possunt reddere caussam, cur in capite per essentiam repleto aut melancholia, aut pituita, aut alijs humoribus, frequentes fiant Conuulsiones Epilepticæ, & illę quidem vniuersales; & quod magis est, aliquando mutuo se excipiant Epilepsia & Apoplexia, Epilepsia & Melancholia, Epilepsia & Fatuitas, & Epilepsiæ & Phrenitis, quæ omnia B ego ipse propria experientia pluries facta comprobaui.

Exemplum Phrenitidis cum Epilepsia vidi Venetiis in Clarissimo adolescente Hieronymo Marcello, qui Phrenitide captus singulis diebus ac noctibus plusquam trigeties capiebatur Epilepsia, & statim desinente Epilepsia, redibat Phrenitis, vixit vsq; ad 14. cum his symptomat. & 14. obijt.

Hic Patauij vidi puerum filium Procuratoris Monialium Betlehem, qui erat fatuus; hic quoq; frequentissimis corripiebatur Epilepsiis. C

Tiberius Phiaietus Philosophus, Medicus, ac Chirurgus Excellentissimus capitur ipse quoque Epilepsia vehementissima, vi statim succedit Apoplexia, & sic vicissim superuenere hæc duo symptoma ab hora 18. vsque ad 6. (qua obijt) fere quadrageties.

Idipsum contigit Nobilissimæ cuidam Matronæ vtero gerenti circa nonum mensem, cui superuenit Epilepsia, quę etiam desiit prima vice in Paralysin oculorum, & vicissim ipsa quoque capta est Apoplexia per integram noctem plusquam tri D geties, atque ipsa quoq; obiit spatio 17. horarum: in quo exemplo præcipuè notanda est mutatio Epilepsiæ in Paralysin.

Hæc sunt exempla Epilepsiæ, quæ non potest fieri ex repletione partium infra caput, vt diximus in priore caussa: nam functiones principes, & sensitiuæ, insigniter patiuntur.

Neque potest esse sola qualitas: nam simplex qualitas citò dissoluitur, neque alius remanet affectus: in relatis autem casibus, vt patet, remanet plenitudo in cerebro, & ventriculis, postea- E quam remanet Apoplexia, Fatuitas, Phrenitis, & Melancholia, vt propterea, quando dicit Gal. 3. de loc. aff. 7. ex sententia. Hippocratis sect. 7. Epid. com. vlt. Epilepticos fieri Melancholicos, & Melancholicos Epilepticos, non putetis hoc fieri, quod tota materia melancholica transmissa à substantia ad ventres pariat Epilepsiam: nam si hoc esset, sequeretur sublata accessione Epileptica Melancholiam aliquo saltem temporis spatio defecturam, quod tamen non est; imò verò cùm primùm desinit Epilpesia, Melancholia, & cæteri F capitis affectus sunt in suo robore: itaque caussa tunc temporis nulla est alia, quàm portio huius materiæ, quæ replet partem sentientem, quàm dum natura tentat excutere, motum facit Conuulsiuum.

Idcirco aliquando etiam Sanies, & Sanguis corruptus hoc modo Epilepsiam facit. Sic obseruaui in filia cuiusdam Nob. Patauini disruptum in capite abscessum vehementissimam pepdeisse Epilepsiam, quæ tamen est sublata expurgante natura saniem per aures, per oculos, & nares.

Sicquoq; in magnis cerebri contusionibus & vulneribus extrauenato sanguine, neque exitum habente fit Epilepsia.

De loco affecto.

NIhil aliud de loco affecto habent propositi Medicinæ scriptores, quàm quòd cerebrū ipsum irritetur, sed quia cerebrum multas habet partes, libenter intellexissem, quam putent irritari.

Si dicat substantiam, hoc est falsum: nam substantiæ cerebri vel nullum, vel exilem habet sensum, præterquam quòd in Letargo, Apoplexia, Phrenitide hectica, aliisq; eius generis affectibus semper adesset Epilepsia: Neq; sunt membranæ cerebri: nam si ex membranis irritatis fieret Cōuulsio Epileptica in omni Phrenitide, in omni Pseudo delirio, in omni Capitis dolore reperiretur Conuulsio Epileptica, Si dicant Ventres cerebri; cauitas ventrum nullam habet vim expellendi: Parietes, si sint ex substantia cerebri, habent eandem facultatem, quam cerebrum.

Quid igitur dicendum? Id quod asserit Reald. Columb. lib. 8. c. 7. & Archang. Piccolom. lib. 5. suarum prælect. anatom, videlicet cerebri ventriculos succingi membrana quadam tenui, ex tenui meninge ortum ducente, quæ est sensus exquisiti, vt propterea hac irritata, aut aliqua ex parte repleta, fiat & sternutamentum, quod est leuis quędam Epilepsia, & ipsa quoque Epilepsia; & quia hæc membrana est communis cum neruorum omnium membranis, idcirco hac contracta contrahuntur etiam membranæ omnium neruorum vt fiat vniuersalis concussio; & propterea non tantùm membranæ anteriorum ventriculorum, sed & medii, ac postremi lancinari possunt, vt sint caussa præsentis concussionis.

Obiter exponam Gal. 4. de loc. aff. 2. vbi scribit inter Soporem, & Apoplexiam Epilepsiam esse mediam. Ex hac mea sententia hoc patet; Quia Apoplexia habet materiam in substantia Caros in ventriculis, Epilepsia in membranis, quæ sunt in medio prædictorum locorum.

De Caussa irritante.

DE caussa irritamenti sicuti hac in parte omnes isti decepti sunt, Erastus, Rondeletius, Hollerius, & Fernelius, qui putauerint, irritari cerebrum ipsum non à copia, sed à sola qualitate, ita Fernelius proprium habet errorem, qui vult hanc qualitatem semper esse occultam, & venenatam, qui profectò non potest caussam reddere, cur in corporibus sanis per somnum tantùm, crapulam, & ebrietatem, per sonitum vehementem per terrorem, & mœrorem, per odorem galbani, aut myrrhę, statim excitetur Epilepsia.

Itaq; rei veritas est, qualitatem istam quandoque esse manifestam, aliquando occultam.

Et manifesta eleuatur ex pituitoso succo, salso, aci-

so acido, melancholico, ex pure, ex sanguine, siue A concreto, siue ad huc in vasis existente.

Ex bile, quanquam Hipp. hoc negauerit in lib. de morbo sacro, sed tamen experientia docuit in corporibus biliosis, & ingeniosissimis viris, qualis fuit Cæsar, & Mahumet, frequentes factas esse Epilepsias: ideo Galenus etiam 2. de loc. aff. 5. refert historiam grammatici, qui cùm diutiùs à cibo abstineret, Epilepticus fiebat, nō aliam ob caussam, quam bile confluente ad os ventriculi, & communicata cerebro qualitate: atque ideo locus materiæ est triplex, eodē Galeno auctore 3. de B loc. aff. 7.

Quandoque est ipsum caput, nonnunquam os ventriculi, aliquando omnes corporis particulæ, vt propterea referat Holler. sed vidisse Epilesiam ex Liene: Galen. 3. de loc. aff. 7. ex pollice pedis, quod & ego obseruaui in fabro ferrario, & quadā rustica, aliquando ex vtero ob retentum semen & menses, ex Gal. 6. de loc. aff. 5. & Anton. Benjuen. de admirand. ca. 97. Nonnunquam ex suppressa vrina, cuius rei historiam habeo ego singularem cuiusdam monialis, cui superuenit Epile- C psia ob suppressionem vrinæ super renes factam, renibus ipsis angustatis partim a calculis, partim ab inflammatione.

Denique à toto corpore fit Epilepsia, cùm repente aliquis cutaneus affectus retrocedit: sic scribit Trincauel. lib. 2. c. 6. patrem & filium scabie laborantes & inunctos, recedente scabie in Epilepsiam incurrisse.

Distinctio variarum Conuulsionis in Epilepsia differentiarum. D

Ex proximè dictis colligitur caussa Conulsionis Epilepticæ, quæ multū distat ab illa priore proposita, quæ fit ex flatu, aut vapore, substantiam musculosam replente, hęc enim Conuulsio ex irritamento facta est cum vehementi concussione, vt videatur rigor quidam auctus, aut tremor insignis: nam subito aut totum corpus, aut vna pars eleuatur, ac deprimitur, vel ad latera flectitur, aut caput ipsum, ad varias partes concutitur. E

Fit autem vniuersalis concussio, quando membranæ ventriculorum cerebri irritantur.

Fit tantùm in partibus infra caput, buccis tamen excepti, (nam hæ partes quoq; conuelluntur) vbi principium spinalis medullæ percipit irritamentum.

Fit in parte determinata, quādo neruosa istius partis substantia irritatur: idque fit aliquando primario, aliquando secundario: fit primario, vbi Epilepsia incipit ab aliquo membro determinato vel ex brachio, vel ex manu, vel ex pede; tunc e- F nim consueuit ille locus Conuulsionem pati, antequam functiones principes lædantur, ascendēte verò aura venefica in cerebrum, fit & Conuulsio, & læsio principum facultatum; quandoque verò cerebrum ipsum iam affectum vaporem mittit in locum determinatum, qui est Conuulsionis caussa. Et hactenus de caussis veræ Conuulsionis in Epilepsia.

De Spuriæ Conuulsionis Epilepticæ Caussa.

Qvòd si quis quærat caussam, propter quam Epileptici quidam saltent vel ad anteriora vel ad posteriora ambistlent, & manibus aliquid contrectent, quasi serio agerent, seruato visu, & auditu, & sermone: In his puto caussam nullam esse aliam, quàm prauam imaginationem, quam suggerit spiritus animalis extraneo quodam vapore infectus, qui repręsentat obiectum imaginationis sub forma boni, aut mali, fugiendi, aut prosequendi, vt propterea patientes, vt fugiant noxam faciant illos saltus inordinatos, dum verò existimant se aliquid boni agere, huc atq; illuc ambulent, atque hanc vel illam rem manibus proprijs arripiant. Ego habui ancillam, quæ correpta accipiebat colum, fusum, aliquid tale, nihil tamen faciebat.

Caussa sublati sensus, ac operationum principum facultatum.

Venio modò ad caussas sublati sensus, & functionum principium: In Epilepsia functiones principes & sensus, vt intellexistis, quandoq; tolluntur omnes; nonnunquam verò sola memoria, cæteris sensibus & functionibus principibus seruatis; aliquando seruatur etiam memoria, sed functiones principes sunt deprauatæ: nam delirant: Cùm itaque vario modo res se habeat, si quæramus caussam sublatæ functionis sensitiuæ ac principis, hæc est quadruplex: Sola obstructio, sola subsidentia, subsidentia cum obstructione, & Subsidentia cum Compressione: Est sola obstructio, quando fit Epilepsia ex insigni copia humoris pituitosi ventriculos obstruentis, atq; vniuersū cerebrum replentis; id quod fit, quando Epilepsiæ mutuò succedit Apoplexia.

Quòd si quis quærat, cur Apoplexiæ mutuò succedat Epilepsia, si ventriculi sunt adeo obstructi, vt functiones principes prorsus tollantur; Caussā possumus colligere ex Auicenna prima tertij tractatu 5. c. 8. Scribit Auicenna, pituitam, vbi in vētriculis cerebri conclusa manet, ebullitionem (pati) sustinere: sed dum fit ebullitio, flatus, & vapor eleuatur; hic replet membranas ventriculorum; membranę statim concutiuntur, hincq; fit Conuulsio Epileptica.

Solutio Rationum Fern. Rondel. Erast. &c. contra Obstrutionem.

Ex quo patet solutio omnium instantiarum, quas facit Erastus, Rondelet. & Fernel. contra hanc sententiam.

Dicunt enim. Si in Epilepsia adesset integra ventriculorum obstructio, esset Apoplexia. Concedo consequentiam: Est apoplexia, si vapor, aut flatus non repleat membranosam ventriculorū substantiam.

Cùm dicunt: Si est integra obstructio, ergo nō potest fieri motus Epilepticus; dum enim fit motus, facultas animalis communicatur omnibus

neruis;si communicatur,ergo ventriculi non sunt A obstructi. Solutio est facilis: Dum fit ventriculorum motus conuulsiuus, ipsi ventriculi vicissim modò aperiuntur, modò constringuntur. nam in motu concussio,prout dilatantur,& constringuntur, ita spiritibus, & facultati animali datur aditus.

Sed dicet ingeniosus: Cur ergo non restituuntur eodem tempore sensus,& functiones principes; Duplex est caussa: Primo quia huiuscemodi spiritus sunt vsque adeo perturbati,& agitati, vt rerum imagines non possint recipere; Secundo B quia in hac tam valida Conuulsione omnia sensuum organa distracta,& conuulsa prohibent receptionem obiectorum.

; Si dicant tertio: Ergo hic affectus deberet desinere in Paralysin: Dico sanè, id aliquando contingere, hoc docuit Galen.in 4. acut. in fin. comment. 2. Docuit Auic.loc.sup.cit. Obseruauit Ioa. SchencK obseruat. 187. Amat. Lusit.centur.4 curat. 22. Valesc.de Tarant.in suo philonio,cap de Epilep.prӕter nostram obseruationem,de qua superius,memini. C

Quòd si deniq; dicant. Non posse fieri accessionem breuem, si caussa sit Obstructio integra; Dico, breuem esse accessionem Epilepticam,quia non fit ex illo crasso humore replente,sed ex vapore,aut flatu,qui ex illo humore eleuatur.

Itaque lӕsionis functionum principium caussa potest esse obstructio. Est quandoque subsidentia quando scilicet membranӕ ventriculorum cerebri irritamentum patiuntur à vapore,aut flatu, aut qualitate mordaci,aut venenata,non in ventriculis contenta,sed ex alio loco confluente. D

Contingit tertio, vt aliqua reperiatur materia in ventriculis cerebri,quӕ potest esse aut aquea, aut crassa,Si sit aquea, dummodo non sit permista cum succo bilioso,propterea non fit coloris flaui,aut viridis,non facit Epilepsiam. Obseruarunt prӕstantissimi Anatomici, plerosque dissectos habuisse ventriculos cerebri aqua simplici repletos absque Epilepsia, Contra vero Epilepsia laborantes post mortem inuenti sunt habere in ventriculis aquam biliosam aut saltem succum crassum E fœtidum; in quo casu duplex accedit caussa angustiӕ ventriculorum,materia obstruens,& subsidentia ipsa.

Quarto & vltimo fit compressio simul cum subsidentia,quando substantia cerebri inflammationem patitur,siue legitimam, siue spuriam, vt in Lethargo,& Phrenitide,aut repletionem insignem,vt in Fatuitate,& in Melancholia per essẽtiam, nam in his casibus etiamsi propter eleuatos vapores ventriculi contrahantur,à copia tamẽ etiam comprimuntur materię.

Quòd si nulla ex istis caussis adsit,sed tantùm F flatus,aut vapor animalem spiritum perturbet,atque illius pars in principium spinalis medullę, aliosue neruos inseratur, fit Epilepsia, in qua seruantur sensus,& functiones principes,sed tamen deprauantur.

Ex quo patet; cur quidam Epileptici cadant in terram, quidam autem non: nam vbicunque ventriculi cerebri angustantur,siue ex compressione,& subsidentia,siue ex obstructione, vel ex subsidentia tantùm tűc necessario cadunt in terram,quòd si nulla fiat angustia, neq; etiam necessario fit casus. Habetis iam caussas immediatas

Caussӕ mediatӕ.

TRanseo ad Mediatas caussas: Sunt autem mediatӕ caussӕ Epilepsiӕ;aut mouentes humorem,aut generantes ex humore flatum,vel vaporem,aut sunt replentes caput; vel denique augent materiam antecedentem.

Inter caussas mouentes est sol, balneum, motus corporis & animi;propterea concussio omnis, ictus,& percussio facta in capite,terror,mœstitia, ira,venus immodica sunt inter caussas mouente.

Generat vaporẽ, aut flatum materia, aut melancholica,aut pituitosa,& calor siue cum obstructione,aut tumore,siue cum sola intemperie absque obstructione,& tumore.

Replent caput caussӕ externӕ, & interne. Internӕ suppressio mensium,seminis, hӕmorrhoidum,varicum,affectuum cutaneorum, lienis, renum,& vesicę,intestinorum,& ventriculi.

Ex caussis Externis vinolentia,crapula, vsus(hydroselini) petroselini,& cuiuscũq; apij; prӕterea odores omnes admodũ graues,& acuti,myrrhӕ, galbani,styracis,bituminis, lapidis gagatis, siue adianthi,cornu capri ni,vngulӕ,& hepatis caprini assati: Isti fumi generant Epilepsiam.

Generant verò materiam antecedentem ętas potissimùm pueritis, vt propterea, quod scribit Hip.3.aph.25.de Conuulsione pueris contingente etiam de Epilepsia intelligendum sit. Quanquam autem idem Hipp.3.aph.29 dixerit iuuenibus fieri Conuulsiones,docet tamen Gal.in cõmento non ratione ӕtatis, sed propter errores in viuendi ratione commissos id fieri.

Si quispiam quӕrat: Cur senibus Morbi Comitiales non fiant, cum tamen omnium maximè pituita abundent. Ratio colligitur ex dictis superius, quod scil.facultatem habeant expultricem debilem,& sensum membranarum ventriculorum sopitum,atque hebetem, vt propterea prouentum pituitӕ sustineant vsq; quo potiùs Apoplexia,quam Epilepsia superueniat. Ex temporibus anni Ver omnium maximè Epilepsias promouere solet,ex Hip.3.aph.30. De caussis mediatis satis.

Signa.

VEnio ad signa Versabimur autem in signis prӕsertim distinctiuis,atq; in prognosticis. Nam ex dictis superiùs diagnostica Epilepsiӕ iam fuere exposita.

Vbi quispiam, dicebat Rhases noster, amittit sensum, & intellectum cum Conuulsione corporis Epilepsiam patitur.

Spuma autẽ circa os & inuoluntarius seminis vrinӕ,& excrementorũ alui exitus,nõ sunt signa Epilepsiӕ necessaria,sed tantùm sunt signa Epilepsię vehementis;propterea dicebat Rhases quòd si spuma superueniat,& semẽ,aut vrina,aut alui

exere-

excrementa egerantur, tunc passio est grauior; & A sanè grauissimam oportet esse affectionem, quando hæc fiunt. nam vt docuit Gal. 2. aph. 43. spuma fit ex insigni agitatione, & motu succi pituitosi in cerebro existentis: Excretio seminis fit cõuulsis vasis seminariis: Excretio vrinæ & alui excrementorum fit resolutis musculis constrictoriis. Sunt itaq; hæc signa maximæ affectionis.

Caus ex cret. semin. & excremēt

Signa differentiarum non sunt proponenda, quia ex dictis vos ipsi poteritis cognoscere, an Epilepsia sit Exquisita, an sit Spuria, & sub qua specie spuriæ. B

Distinguenda est Affectio, Locus, & Caussa, vbi affectio fuerit musculosæ substantiæ, repletio ex vapore, aut flatu, totum corpus vno & eodem tempore non cõuellitur, & conuulsio est sine concussione vehementi, duntaxat est contractio quędam, vel extensio paulatim facta.

Vbi verò adsit irritatio, motus adest cõuulsiuus

Et si affectio sit primaria in cerebro, totũ corpus, & faciei partes conuelluntur, præter quam quòd pręcedit, & subsequitur aliqua capitis insignis noxa, Fatuitas, Melancholia, Phrenitis, vulnus, aut contusio, Dolor capitis antiquus, destillatio vehemens, Sopor, læsiones sensuum, quandoque, vt dixi, Apoplexia. C

Quòd si fuerit per consensum ab Ore Ventriculi, hic affectus ieiunis potissimùm superuenire consueuit, vt monuit Galen. 5. de loc. aff. 5. adest pręterea morsus, aut dolor oris, vẽtriculi, nausea, amaritudo, singultus

Si ex Liene, præter obstructionem, ac tumorẽ Lienis, solet ante Epilepsiam fieri Cordis Palpitatio, Lipothymia quandoq; Syncope. D

Si ex Vtero, suppressi sunt menses.

Si ex suppressu seminis, hoc cognoscetis ex ætate, habitu ac temperatura, præterquam quòd id potissimùm contingit illis, qui dum essent assueti vsui Veneris, continentes euadunt.

Alij quoq; loci affecti eodem modo cognosci poterunt.

Quod ad Caussam pertinet, pituitam cognoscetis ex ætate puerili, habitu carnoso, temperie humida, excrementis narium, & oris, somno, capitis grauitate, vrinis crudis: In hac spuma fit admodum copiosa. E

Si ex Melancholia, morbum comitialem pręcedit & subsequitur timor, & mœror: sed signa audietis alias.

Si fuerit Bilis, isti sunt ingeniosi, iracundi, maximè conuelluntur, & aliquando in istis aliquis sensus vel exterior, vel interior seruatur, spuma aut non apparet, aut illa quidem modica, accessiones sunt breuiores, & ex ira, aut motu, aut vsu calidorum reuertitur accessio.

Si fuerit Sanguis præter suppressam excretionem sanguineam, vel circa vterum, vel circa nares, vel hæmorrhoides, præter habitum plenum, & temperamentum sanguineum. Hoc anno obseruaui ante duos menses in Muliere Epileptica ex retentis mensibus loco spumæ sanguinem copiosum sub fine accessionis fuisse eiectum; vt propterea mihi persuaserim idipsum quoque in aliis posse contingere, qui in Epilepsiam incurrunt ex Sanguine. F

Sanguis loco spumæ eiectus.

Si materia sit saniosa, necessario adest abscessus in cerebro, aut saltem sanguis extra venatus propter vulnus, aut contusionem.

Prognostica.

QVod pertinet ad prognostica, imminentem Epilepsiam portendere solent pauores in somnis, saltus, & tremores, somnia perturbata, dolor, aut grauitas capitis insueta, Incubus, aut Vertigo, mœstitia, aut lætitia absque caussa.

Hic affectus vbi ex ipso capite ortum duxerit cum læsione mentis, vt voluit Celsus lib. 3. ca. 23. est insanabilis: Idcirco siue Fatuis, siue confirmatis Melancholicis superueniat, desperata res est.

Multo magis desperati sunt Epileptici post Phrenitidem atque post Apoplexiam.

Difficilimæ quoque curationis est Epilepsia à toto corpore ortum ducens, quæ nullum habeat determinati loci affecti argumentum.

Dicebat Hipp. 3. aph. 28. morbos puueriles iudicari aut in 40. diebus aut in 7. mensibus: quòd si hos effugerint, iudicari deinde anno 7. & si transeant annum septimum non liberari, nisi in ætate pubertatis. Gal. in eo comm. ætatem pubertatis interpretatur annum 14 cùm tamen videat Hip. 5. aph. 7 dicentem: Comitiales morbi, aut Conuulsiones Epilepticę, quibus ante pubertatem eueniunt, curationem recipiunt: at quibus ex eueniunt vigesimo quinto ætatis, maximam ex parte commoriuntur; vbi etiam Galenus in comm. docet, ætatem pubertatis peruenire vsq. ad 25. annum. Hęc verò sententia intelligenda est de Epilepsia pituitosa, cui nullum adhibeatur remedium, sed illud totum ab ætate expectetur.

Nam in Epilepsia facta ex humore bilioso etiã post. 25. annum potest solutio expectari: nam refrigerato bilis feruore potest hæc Epilepsia curari: Vt potest etiam curari ante pubertatem Epilepsia, & post pubertatem ex humore pituitoso facta, medicamentis, & victus ratione attenuante, & exsiccante, quod docuit Gal. in illo com. cit. 5. aph. 7. & Hip. 2. aph. 45. Valles. lib. 8. contro c. 8. disputat. Vtrũ Epilepsia in pueris sit medicamentis tractanda. & statuit quòd non. Ego verò puto Medicum posse, & debere his adhibere manum.

Therapia.

EPilepticorum medicamenta alia sunt curatiua; quædam verò præseruatoria: & curatiuą in ipso accessionis tempore adhibentur: pręseruatoria in accessionum interuallis, erit primùm sermo de curatione; mox de præseruatione.

In accessione.

IN accessione igitur reuellenda materia, discutiendus est vapor, & flatus, & conuulsioni prospiciendum.

Reuulsio perficitur frictionibus asperis, ligaturis, cucurbitulis, quæ non modò tibiis, coxis, dorso, & scapulis, verùm etiam ipsis hypochondriis, nonnunquam scarificatę, aliquando siccæ adhibentur. Reuulsorum putatur remedium, & satis

tis efficax fricatio facta cum vngula alcis circa annularem digitum manus sinistrę; Quidam superstitiosius agentes locum fricant vsque ad cruentationem, deinde eo sanguine labia patientis miniunt. hæc inclinatio superstitiosa est. Eodem tempore quoque conueniunt acria suppositoria, & ipsi clysteres, de quibus aliàs memini.

Ad Conuulsionem attendam, faciunt spongię oleo vulpino aut chamomelino imbutæ, vel lana ipsa succida, qua membra conuulsa inuoluuntur.

Interim digerendus est flatus, & vapor partim quidem suffumigiis ex illa ipsa materia, quę tempore sanitatis Epilepsiam mouet: Ideo suffumigatio ex bitumine, ex pice, ex styrace, ex lapide gagate, & ex cornu, & vngula caprina Comitiales reuocant. Idipsum facit ruta aut domestica, aut syluestris aceto macerata. Imponendi quoque sunt in nares pessaria aceto scyllitico imbuta, & inspersa pulueribus cyclaminis, nigellæ, assæ fœtidę castorei, pyretri, nigri ellebori, ac colocynt.

Os apertum detineri debet, si non alia ratione saltem aut ligno, aut cochleari per transuersum ori imposito.

Interim spógiola in extremitate alicuius ligni imposita pituita extergi debet, illinendumq; est palatum oxymelite scyllit. mixto cum theriaca, aut mithridatica confectione, aut cum castoreo, & synapi. Instillentur etiam in aures oleum ex caryophyllis, cinamommi, aqua vitę commistum: Si hæc non prosint, & accessio sit longior, vstione actuali vtendum.

Extra Accessionem.

EXtra Accessionem considerandum, qualisnam sit ætas patientis Epilepsiam: nam si fuerit infans lactans, idque contigat ex nimia lactis sumptione, statim penna oleo illita vomitus est prouocandus. Suppositorium quoq; imponendum aut ex larido, aut ex muris stercore, & curandum, vt in posterum minus lactis accipiant.

In infantib.

Quòd si lac fuerit prauum, aut nutrix est mutanda, aut purganda, & conuenienti victu nutrienda; Si fuerit ex diuersitate lactis, vnica nutrix instituetur.

Quòd si ex cerebro pituita referto morbus prodeat, nil præstantius cauterio actuali in occipite, quo Florentini in quibuscunque familiariter vtuntur, estque vetus Thuscorum institutum, quòd regio illa omnium maximè huic morbo subiiciatur vel propter aeris tenuitatem, vel vt scribit Hip. in lib. de mor. sacr. affectus iste hereditarius sit.

Interim hisce infantibus licet quoque; prebere saltem ad lingendum aliquid infusionis agarici: Accipiatis g. e. *Agar. drac. ii. Infundantur per noct. in aq. pęon. vnc. vj. deinde bulliat ista aq. cum mell. aut facc. vnc. i. aut permisceatur cum iulep. acetoso,* deinde paulatim ad lingendum præbeatur.

Grandiorib.

Natu grandioribus possunt etiam præberi pilulæ ex aloe vsq; ad scrup. i. Ipse agaricus aut in infusione, aut decoctione, sed in maiori copia: Ego pueris 5. aut 6. annorum præbui agaric. ad scrup. i. in syrupo acetoso; aliquando in placentulis, nonnunquam in orbiculis, prout pueri hoc vel illo edulio plus delectantur.

In adultis purgatio aliter est instituenda, & primum, quod pertinet ad Chirurgica, Vena tunc est secanda, cùm plenitudo vel legitima, vel spuria affuerit; In cacochymia abstinendum.

Adultis Venę sect.

De Loco Medicinæ Scriptores inter se digladiantur; Controuersia tamen facilè conciliatur: In Epilepsia per consensum semper mittendus est sanguis ex infernis partibus: Hoc voluit Gal. lib. curat. per sangu. miss. c. 19. in Epilepticis ad partes maximè longinquas reuellendum, & trahendum; Vbi affectus est per consensum, sed secundario progressione temporis capiti factus sit essentialis, secandæ primo venę inferiores, deinde & superiores.

Locus.

Vbi verò solum caput per idiopathiam, seu essentiam propriam laborauerit, frustra mittitur sanguis ex infernis, nisi menses, aut hæmorrhoides sint suppressæ: idcirco laborante capite per essentiam non modò cephalica vena est aperienda, sed, vt scribit Aretæus, etiam vena frontis, & vt voluit Auic. venę sub lingua.

Quando vires venæ sectionem non sustineãt, Cucurbitulis agendum: de loco idem esto iudicium, quod etiam de venæ sectione.

Cauteria quin etiam propter caussas propositas variis inuruntur locis: In Epilepsia per consensum in cruribus, aut coxis: In Epilepsia per essentiam aut in brachiis, aut in occipite, aut in syncipite: & aliquando, cùm opus fuerit inurendũ est cauteriũ ĩ brachio, & cauteriũ, aut setaceũ in occipitio.

Cauteria

Quòd si fiat Cauterium in syncipite, moneo illud debere penetrare saltem vsque ad mediam ossis partem; quinimo in suspicione alicuius humoris putridi inter membranas & cranium opus est Terebratione.

Terebratio.

Præter Cauteria maximam habent huius curationis partem Vesicantia. Quinimo non solùm Rhases, sed omnes Medicinæ scriptores in illa Epilepsiæ specie, quæ fit propter auram à digito, pede, vel alia simili parte ascendentem, nihil præstantius Vesiccatorio excogitare, potuerunt.

Vesicat.

Apponitur illimet parti vesicatorium, ex qua aura eleuatur: & quamuis cauterium actuale in eo loco idem præstare posset, aliquando tamen locus tendinosus cauterium non patitur, vt propterea vesicatorium sit efficacius, siue componatur ex succo Flammulæ, aut Batrachii, aut ex Cantaridibus cum sinapi, euphorbio, & fermento.

Interim ad purgationes quoq; confugiendũ: Et si affectus fuerit recens, statim ad purgãtia deueniendum, nulla facta præparatione: nam cùm primũ incipit morbus vsq; adeo grauis, habet rationẽ vrgẽtis, & materia habet rationẽ turgentis vt propterea dubium sit, nẽ aut iterum reuertatur Epilepsia, aut alius grauior affectus succedat. Itaque quàm primùm in materia pituitosa vtendum pilulis Cochijs aut simplicibus, aut præparatis à scrup. iij. vsq; ad drach. i. & sem. aut exhibenda hiera diacolocynth. ad drach. ii. Vel si pilullas, aut bolos non admittant, conficiendæ sunt rotulæ ex puluere nigri helleb. trochisc. alhãd. & diagrydio.

Purgatio

Quòd si morbus iã fuerit antiquus, & habeat

sua longa temporis interualla, leniatur primò aluus melle rof. solut: pręparentur humores hoc syrupo sine diluto. A

Recipe Oxymel.scill.vnc.i.
Simpl.
Syr.de beton.an.sem.vnc.M.

Dilutum non proponitur in hac prima pręparatione, nam cum debeat recipere attenuantia, hæc si multam inueniant materiam, illam in flatū & vaporem digerūt, qui est caussa Epilepsię. Ideo satius est post illos syrupos, aut pilulis, aut bolis, aut rotulis, aut hac infusione purgare. B

Recipe agar.trochisc.scrup.iiij.
Turbit elect.drach.sem.
Infund.s.a.*in oxymel simpl.*
Deinde verò adde *mell.rof.sol.vnc iiij.*
Aquæ pæon.q.s.
M.& F. potio.

Secunda humorum præparatio sic erit facienda.

Recipe oxym scillit.)
Syrup de beton. comp.) *an sem.vnc.*
de Stæchade.)
Decoct. radic pæon.
maioran.
Stæchad.
Rut sylueſtr.
hyſopi
beton.vnc.ij. (*voc.iiij.*
M.pro syrupo. C

Post quā præparationē licet ascendere ad purgantia validissima, vt propterea Aret.1. de diutur. c.4 proponat vsum thymelææ & chamelææ, seu grani Gnidij, Arabes dicunt Mezereon. Aetius laudat vinum colocynthidi superfusum, cui vino addunt Recentiores rutam, & semina pæoniæ. Cels.lib.3.cap.23. cum quo sunt Alex. Trall. & Paul.laudauit vsum ellebori albi, neq; simplicis, sed cum additione colocynth. D

Pauli locus restituitur. Moneo tamē Iuniores, in textu Pauli maximū esse errorem. Nam proponit ellebor.albi pro vna vice drach. viij.& legi debet siliquę viij Sunt autē viiij. siliquæ grana xxx.plus minus, ita vt hæc portio ellebori albi, quę est semidrach. simul cū facultate colocynthides superet drach.i.quę tota vna vice est prębenda. Sed de vsu Albi Ellebor. plura etiam dicemus in tractatu de Melancholia, E

In eundem vsum Recentiores accipiunt.v.aut vj.grana Antimonii, aut totidem præcipitati, vel turbith.mineralis. Hęc omnia in Epilepsia, confirmata,& contumaci sunt exhibenda: quæ tametsi conueniant etiam in succo melancholico, nihilominus de huius humoris purgatione & præparatione longior ergo in tract.de Melanch.

Quòd si bilis fuerit in caussa Epilepsię, hic quoque humor propriis medicamentis purgandus lenita aluo cum cassia, & tamarindis, præparatis humoribus cum syrupo violat.de cichor.&c.factaque purgatione aut per infusionem rhabarb. aut per pilulas aureas, quarum dosis est à drach. i.vsq; ad drach.i.sem. F

Et si ex ventriculo multis humoribus referto fiat Epilepsia, purgandus erit ventriculus vomitu aut hoc bolo:

Recipe Diaphœnic drach.iii.
Spec.hier.simp.drach.ii.
M. & cum succ.f.boli.

Quòd si os ventriculi potiùs irritetur ab acrimonia bilis, reprimendus est hic humor vsu fructuum adstringentium, cytoniorum, mespilorum granatorum, conuenit etiam saccar.rosac; cui ad misceatur aliqua portio rhabarb. cassiæ cum tamarindis, curandumque patientes diu inediam sustineant, sed opportunè nutriantur.

Non versabor (Auditores) in curationibus omnium affectuum aliarum partium, lienis, vteri, renum, quandoquidem hoc pertinet ad aliam partem, sed ad id, quod proprium est præsentis tractationis, me conuertam, ad vsum scilicet medicamentorum alterantium, corroborantium, & agentium à tota substantia, siue intrinsecus assumantur, siue collo appendantur: Ingens sanè est horum medicamentorum sylua,&, vt ingenuè dicam, non aliam ob caussam puto tam varios ac superstitiosos hac in parte fuisse Medicos, quàm ob difficultatem curationis.

Dicam primo, quid in quacunque specie Epilepsiam curare possit per qualitates manifestas, occulta deinde subiungam

In pituitosa materia nihil præstantius vsu mellis scillitici; quod debet præberi spatio 4 dierum summo mane 4. horis ante cibum ad quantitatē vnc.sem. Aurea Alexandrina est quoque inter cetera medicamēta omnium præstantissima. Datur drach.i. singulo mane. idipsum dico de Theriaca antiqua,& Mithridatica confectione. Placet etiā vsus Trochiscorū de squilla: dosis sit semidrach cum aceto aut scillitico, aut caryophyllato, id est facto cū infusione caryophyllorū. Omitto tanquā manifesta decoctum ex ligno sancto, ex salsa & saxafras, aquas thermales, vsum castorij, & alia, quæ docuimus in tract.de Paralysi.

In caussa melancholica conuenit valde vsus mellis scillit. sed permisti cum aliqua portione specierum diamoſch.amari, vt sit

Mell.scillit.sem.vnc.
Diamusci. semidrach. M.

In biliosa conuenit succarum rosat.violat.sed cum admistione margarit prępar.corn. ceru.vsti, rasuræ eboris,& aliorum: quæ etiam putantur à tota substātia prodesse quorū seriem nunc referā.

Igitur à tota substantia, putantur iuuare cranium humanum, præcipue ex corpore viuente abscissum, idem; præstat cranū asininum, vngula alcis, vngula asini, lichenes equorum, spinæ piscium exsiccatæ,& pulueriz.seu crematæ, cerebrū cameli pariter exsiccatum,& pulueriz. hirundines combustæ,& pulueriżatæ, viscus quercin. (signū visci, non liquorem, quo capiuntur turdi, intelligo) pæonię radices,& semina; sed nigra non rusa, pentaphyllum, imperatoria, carduus benedictus. *Agentia à tota subst.*

Præter quæ excogitarunt Medici alia quoque spurcissima, vt stercus ciconiæ, caninum, humanū pudendum canis marini, apri, vesicam eiusdem apri cum vrina exsiccatam,& puluerizatam.

Multo tolerabiliores sunt, qui proposuerunt iecur leoninum, mustelæ, leporis, coagulum quoque leporinum.

Sicut

Sicut alia quoque ex parte impios voco Medicos illos, qui etiam humanum sanguinem bibendum, & iecur edendum Epilepticis præbuerunt: Inuentum sanè Magorum & Sagarum, prorsus detestandum & exsecrandum. A

Itaque vt tandem horum omnium medicamentorum syluam in ordinem redigamus, vt frugi patientibus esse possint, dabo aliquas compositiones puluerum, electuariorum, aquarum, quæ sūt in frequenti vsu non tantùm apud Medicos, sed etiam apud plerosque Nobiles viros & mulieres quibus vtuntur tanquam secretis. B

Primum quidem in Pituitosa materia, atq; frigida intemporie hic puluis componi potest.

Recipe Cardamomi)
Caryophyl.) an drach. i.
Cinamom.)
Semin. rut. syluest.
cymini.
sesel. an. drach. i. sem.
Cran. huma. pulu. vnc. sem.
Semin. pæon. drach. ii.
Spin. pisc. cremat. & exsicc. drach. iii. C
Sacc. pulueriz. vnc. i. M.

In puerulis paruis potest dari scrup. sem. & scrup. i. In Grandiorib. drach. i. Datur cum aq. aut lauend. aut primulæ veris, aut pœoniæ, aut si haberi possit aq. panis, illa est, quæ omnium prestantissima præstatur. Dosis aquæ in adultis est vnc. iiij. Pro ætatis varietate vnc. i. ij. & iij. exhiberi possunt.

In calidiori corpore hic puluis erit prestantissimus, & accommodatissimus.

Recipe Rasur. ebor. D
Corn. ceru. vst.
Vngul. alces, aut si hæc haberi non possit vngul. asin. an. drach. i.
Cran. human. vnc. sem.
Semin. pœon. drach. ii.
Corall. rub.
Margar. præp. an. drach. i. sem.
Fragment. hyacinth.)
Smaragd.) an drach. sem.
Sapphyr.) M.

Dosis sit eadem. Præbeatur potissimùm cum *aqua panis, aut aliquo vino adstringente.* E

Si Epilepsia fiat per consensum ab infernis partibus, ex dictis vos ipsi poteritis colligere modum conficiendi rotulas accipientes pro singula drachma puluerum vnc. i. sacc. dissol. in aliqua ex aquis propositis.

Poteritis conficere conseruas miscendo pulueres aut cum conseruis beton rosar, aut etiam addendo saccarum aut mel.

Preter quę appendantur etiam collo patientis radices pœoniæ recētis, smaragdus, & sapphyrus. F Neque improbantur annuli ex vngula alcis cōfecti, dummodo vngula sit pedis sinistri posterioris ex animali adhuc viuente excisa, Sole in Leone exsistente.

Victus Ratio.

His addenda est victus ratio, quę in pituitosis debet esse similis victui Paralyticorum ex tali caussa: propterea interdicenda sunt omnia crassi succi, omnia vaporosa, omnia impensè attenuantia, vinum præcipuè, nisi sit medicatum, alteratum scil. hyssopo, pœonia, stœchade, & betonica, & post diligentem corporis, ac capitis purgationem.

In biliosis hæc tenuis victus ratio locum non habet, imò verò, vt antea dixi, & notauit Gal. 5. de loc. aff. 6. in casu illius Grammatici, qui ex ore vētriculi nimis sensitiuo Epilepsiam patiuntur, si diutius à cibo abstinuerint, statim Comitiali Morbo corripiuntur; propterea oportunè sunt nutriēdi.

DE INCUBO.
Cap. XVII.

Cum Apoplexia, & Epilepsia aliquam habet affinitatem affectus ille, qui modò Incubus modò Strangulator, Arabibus Alcodilen, & Alcaion vocatur: Themison auctore Cœl. Aurel. primo de trad. passionib. c. 5. 2. lib. Epist. vocauit Πνιγαλίωνα, si quidem præfocat ægrotantes.

Est hic affectus *praua quædam imaginatio per somnum facta ex impedita respiratione.* *definitio*

Est praua imaginatio: nam hoc affectu laborantes dum dormiunt, animo concipiunt pondus graue sub forma aut Gigantis, aut Dæmonis thoraci illorum incumbere, & aliquando ab ipsis siue viris, siue mulieribus Venerem expetere.

Caussa Proxima.

Caussa huius prauæ imaginationis Proxima, & immediata est impedita respiratio, cùm enim respiratio impeditur in somnis, statim dormientes in suffocationis periculū incidunt, & imaginatio hoc periculum suffocationis non distinguit fieri ex impedita facultate, vt postea dicam, sed arbitratur rem grauem corpori insidere, quę spiritum prohibeat; non est tamen res grauis; non est, vt dicebat Themison, Deus, aut Semideus, aut Cupido, sed impeditur facultas animalis, ne transeat ad neruos, & musculos, thoracem mouentes: impeditur quin etiam, ne transeat ad ceteros, & propterea qui hoc affectu capiuntur, cupiunt à se caussam suffocationis excutere, nec tamen moueri possunt, nec clamare; sentiunt tamen potiùs impedimentum circà musculos thoracis, quā circa alias partes, quia in somnis musculi thoracis operantur pro conseruatione vitæ. Itaque cùm primùm otiantur, dormiens noxam sentit.

Morbus, ex quo profluit dictum Symptoma, & Locus affectus.

Impeditur facultas ab Obstructione, pręsertim postremi ventriculi cerebri, vt propterea, qui dicunt in Incubo lędi anteriores ventriculos, eo quòd imaginatio sit læsa, decipiantur. nam imaginatio non est lęsa à vapore aliquo spiritibus animalibus permisto, sed tantùm propter hunc conceptum, quem facit Impedita respiratione.

Caussa Morbi.

A

HÆc obstructio fit à vapore, sed crasso; propterea (ad differentiam Apoplexię) cito soluitur; neque in Paralysin desinit. Hic vapor crassus aliquando generatur ex materia in cerebro contenta, quæ dum digeritur, (concoquitur) semper aliquos excitat (emittit) vapores, qui consueuerunt per insensibiles aditus & meatus digeri. hi autem retenti, vt docet Auic. prima 3. tract. 5. c. 5. propter aeris ambientis frigiditatem sunt in caussa obstructionis; plerunque tamen vapor iste B ex infernis partibus eleuatur, ventriculo, intestinis, liene, vtero, toto corpore: ideo illius materia est cibus & potus copiosus & crassi succi, est pituita siue cum vermibus siue citra vermes; est melancholia; est sanguis crassus; est denique semen redundans.

Mediatæ caussæ.

MEdiatæ caussæ ex iam dictis facilè colliguntur. Inter cæteras est dormitio resupino vętre: nam sic materia facilius ad posteriorem decumbit cerebri partem: inter has caussas sunt quoque retentiones consuetorum excrementorũ. C Hę sunt caussæ immediatę & mediatæ Incubi à Medicis propositæ.

Signa Incubi Medici.

QVantum ad Diagnostica, hæc non sunt proponenda, nam patientes post somnum referunt, quid illis contigerit, quamquam aliquando, vbi grauior sit affectus, reliquę post somnum D apparent, corporis tremor, sensuum stupor, cordis palpitatio, humiditas oris, & oculorum.

Caussæ sic distinguntur: vbi fuerit vapor pituitosus, concipiunt patientes rem illam grauem sub forma coloris albi; si sit vapor melancholicus sub colore nigro; si sanguineus sub rubro; si seminalis semper putant se requiri ad Venerem.

Prognosis.

E

HIc affectus si rarò contingat, & ex caussis extrinsecis, vt largo potu, ac cibo, aut frigido aere nullius est momenti; sed cùm frequenter reuertitur absque manifesta caussa, aut Apoplexiã, aut Epilepsiam minatur, aut Maniam, aut etiam Melancholiam; estque eo periculosior, quo fuerit longior, ita vt post accessionem cordis palpitatio, & stupor perseueret.

Curatio.

F

CVratio Incubi primo consistit in viuendi ratione, vt vesperi parum cibi, & potus assumant, & in vltima mensa aliquod astrictorium accipiant, vel pyrum coctum, vel diacytoniten: & abstineant ab omnibus vaporosis: Vigilent saltem duas horas ab accepto cibo: & qui frequenter subiiciuntur, habeant sodalem in cubili, qui aduentante accessione illos excitet. ac diuersionibus vtatur per ligaturas & frictiones.

Quòd si corpus fuerit plenum sanguine, mittendus sanguis eodẽ modo, & loco, quo diximus in Epilepsia. *Sang. miss.*

Vbi corpus sit cacochymum, siue pituita, siue melancholia redundet, vt docuimus in capite de Epilepsia, ita purgandum est.

Quòd si ventriculus multo cibo, ac potu sit refertus, vomitum prouocare oportet: inter corroborantia medicaméta Auicen. laudat grana pæoniæ nigræ. Ego vno verbo dico: ea omnia in incubo prodesse, quæ proposui in tract. de Epilepsia, siue respiciant succum pituitosum, siue melancholicum, siue biliosum, Quanquam, n. Incubus propriè non fiat ex bile; attamen, vt dixi, fit ex vaporibus eleuatis ex sanguine, & semine: in quo casu conueniunt illa medicamenta frigida & sicca, quæ proposuimus in Epilepsia biliosa. Et de Incubo hæc dicta sufficiant.

DE TREMORE. Cap. XIIX.

VNicum superest facultatis motricis symptoma, quod hodie exponam, Tremor scil. nomina autem Tremoris, non intelligo Rigorẽ, quẽ tamen aliquando fecit Hipp & Gal. 6. aph. 26. dũ inquit, *in febrib. tremores superuenientes delirio solui*: nam per Tremores illi Rigores intelligunt, de quibus etiam scripserat 4. aph. 58. *à febre ardente habita rigore superueniente solutio fit.* Nomine igitur Tremoris intelligo eleuationem, & depressionem membri organici vicissim factam absq. sensu punctionis, & refrigerationis: per quę differt Tremor à Rigore: nã Rigor non est vnius tãtùm partis, sed totius corporis, atque fit semper vel cum sensu refrigerationis, vel cum sensu punctionis.

Hic Tremor licet ab omnibus describatur tãquam vnus tantùm, est tamen duplex, non quidem forma, aut subiecto, sed caussa effectiua.

Differentia prima.

PRimus Tremor vnicuique cognitus explicatur à Galen. 2. de caussis sympt. 2. & 1. in. 3. Epid comm. 2. & 4. *Est motus deprauatus facultatis animalis reluctantis cum grauitate membri*, *Est motus prauus*; quia, vt antea dixi, in hoc affectu membrum p. n. eleuatur & deprimitur. Dicitur *motus facultatis animalis reluctantis cum grauitate membri*; quia in tali symptomate, cùm primùm facultas aggreditur motum animalem, vt partem sursum attollat, grauitas membri attrahit deorsum: iterum verò insurgente facultate eleuatur sursum, atque iterum deprimitur. Hinc fit motus prauus pugnante, vt dixi, facultate cum membri grauitate.

Ex quo patet, hunc motum non fieri prauum nisi quando voluntas ipsum membrum moueri.

Caussa

Caussa differentiæ primæ.

A CAussa huius pugnæ vel est ex parte facultatis, vel ex parte membri, ex parte facultatis dupliciter; vel quia sit resoluta, vel quia alio conuersa sit: est resoluta per omnes superpurgationes siue sanguinis, siue aliorum humorum, per inedias, dolores, vigilias, nimium motum, & Venerem, aliò conuertitur propter insignem timorem.

Ex parte mēbri dupliciter fit Tremor; aut quia membrum facultatem vix admittat, vel non admittat, aut quia iusto & cōsueto redditum sit grauius, non admittit facultatem propter illas omnes caussas, de quibus memini in tract. de Paralysi, siccationę, refrigerationē, obstructionē, compressionem, cęq̃iusto ponderosius, aut propter humorum plenitudinem, vel cacochymiam, aut propter aliquem tumorem, siue inflammationem, siue alterius speciei. Et hactenus de caussis Tremoris, quem omnes norunt

Differentia secunda.

C ALius est Tremor, quem nemo præter Galē. descripsit, ac breuissimis verbis, vt propterea nullus Medicinæ scriptor huius mentionem fecerit.

Est hic quoque motus eleuationis, & depressionis membri, sed factus a sola caussa morbifica, sicuti, & Conuulsio, & Palpitatio; vt propterea hic Tremor contingat plerisq; quiescentibus, & nullo modo membra agitare cupientibus. Ergo frequentes id genus obseruaui Tremore: hic affe- D ctus fit à sola caussa morbifica.

Caussa differentiæ secundæ.

HÆc caussa morbifica est illamet, quæ facit Palpitationem in cute, flatus scil. crassus, aut spiritus vaporosus, icrassus, in musculosa substantia imbibitus, qui exitum quærit, & tamen non inuenit. Qui intelligit modum, quo fit Palpitatio, facilè consequetur modum, quo fit hic Tremor: Nam sicuti Palpitatio fit ex spiritu in subcu E taneis partibus contento, exitum quærente, nec tamē facilè inueniente; ita in hoc Tremore spiritus replet musculosam substātiam, aut spatia inania, quæ sunt inter musculum & musculum, vt dum quærit exitum, nec facilè inueniat, motum eleuationis, & depressionis efficiat.

Hæc est sententia Galen. vt dixi paucis expositi in lib. de tremore, conuulsione, palpitatione, & rigore cap. 5. vbi scribit, quòd quemadmodum fit palpitatio in partibus cutaneis ex spiritu flatuoso retento, ita inquit ex eodem spiritu in musculis F contento agitatur membrum, vt dicatur Palpitatio totius membri, ita vt, quod ille vocat Palpitationem totius membri, nos vocemus Tremorem & propterea primo in 3. Epid. 4. inquit, motus, qui fiunt citra voluntatē alios esse Conuulsionē, alios Palpitationem, & palpitationem non intelligit eam, quæ fit in cute, quia ille est motus partis similaris, sed loquitur de motu partis organicæ,

A Hic spiritus flatuosus, aut vaporosus aliquādo generatur in ipsamet parte laborante, cùm frigidior & humidior sit reddita; quandoq; transmittitur à cerebro, aut nimiùm refrigerato, & humectato, vel inflammatione affecto: sic in Phrenitide, & Lethargo frequentes fiunt in membris Tremores nō propter virium imbecillitatem; sed propter vapores ab inflammatione eleuatos, qui in musculosam inseruntur substantiā, & propterea hic Tremor fit manu quiescente, & patientibus membra per voluntatem non mouentibus. *Cur fiāt Tremores in Phrenit. & Lethar.*

B Hoc modo censendum factum esse tremorē Pythioni, cuius meminit Hipp. primo in 3. Epid. 3. & 4.

Caussæ mediatæ.

MEdiatæ caussæ iam patent: nam cùm caussa immediata sit vel spiritus vaporosus, vel crassus flatus, vaporosus spiritus potest eleuari ex sanguine copioso melancholico, sicuti flatus crassus ex pituita, atque cibis crassi succi.

Signa.

COgnoscitur hic affectus solo ipso sensu, & distinguitur hic secundus à priore. quia prior nunquam fit, nisi musculi per electionem operentur; hic secundus fit nobis etiam inuitis:

Caussę etiam facilè distinguuntur: nam si Tremor fiat propter spirituū dissolutionem, (resolutionem) adest vel præcessit aliqua insignis euacuatio, aut dolor, aut aliqua alia caussa proposita.

Si sit membri grauitas, cognosceetis ex tumore membri, duritie cum lassitudine, aut phlegmonode, aut tensiua. Signa caussarum impedimenti habetis in tract. de Paralysi.

Prognostica.

HIc affectus in acutis febribus mortem minatur, sine febre consueuit desinere in Paralysin; aliquando etiam in Apoplexiam; est tamen valde diuturnus, & contumax.

Curatio.

CVratio est varia pro caussarum varietate: in Temore propter spirituum dissolutionem conuenit sola victus ratio refectoria: in Tremore ex caussis impedientibus spiritum animalem eadem est curatio, quæ & Paralisis. vbi fit ex Grauitate membri, caussam grauitatis considerare oportet: nam si fuerit sanguis, secanda est vena: hoc dico, quia antiquitus etiam nouum videbatur in Tremore sanguinem mitterē, quòd existimauerit, omnē Tremorem ex frigida caussa fieri Hinc Gal. Hippocratem laudat lib. de palpitat. & rigor. cad. 5. qui mulieri Tremore laboranti ex suppressione mensium audacter venam pedis secuerit, quod & ipse faciendum consulit lib. de vensect. aduers. Erasist. c. 7.

Si grauitas sit ex alijs humoribus, purgetur vnusquisque, prout aliàs docuimus.

Sed vbi spiritus vaporosus, ac flatulentus id efficiat, vno verbo eadem est curãdi ratio, quæ fuit proposita in spasmo, & in epilepsia ex spiritu hoc flatulento conuulsionem facient: Conuenit eadem corporis purgatio, & capitis inunctione balnea, fomentum, & antidotu, ac medicamenta interna calorifica exsiccantia, & digerentia.

De catarrho. Cap XIX.

AMplissimum, & omnium maximè necessarium de Catarrho tractatum aggredior. Est enim destillatio omnium ferè morborũ mater: & nullus est morbus, ex repletione ortum ducens, qui aut non fiat, aut non augeatur à destillatione.

Vocatur hic affectus modò Rheuma, Grauedo Destillatio Catarrhus, & in varia accipitur significatione: aliquando vniuersaliter sumitur pro fluxione capitis ad qualescunq; subiectas partes, os, fauces, arteriam, pulmones, atq; adeo vniuersũ thoracem, ventriculum, intestina, iecur, vterum, venas omnes, articulos, ambitum corporis, quinimo ad aures, oculos, & ipsas nares; aliquãdo accipitur arcto quodam modo pro fluxione in os tantùm, vt docuit Galen. 3. de sympt. caus. cap. 4. nonnunquam medio quodam modo accipitur pro fluxione facta ad nares ad os, fauces, & arteriam: in qua significatione accipimus in præsentia Catarrhum.

definitio *Est hic Catarrhus materiæ fluxio ad subiectas prates.* In hac definitione primùm explicare oportet conditiones, & naturam huius materiæ, quæ quidem considerari potest vel absolutè, vel in relatione absolutè quidem est hæc materia excrementum cerebri, sed præter naturam: duplex enim est cerebri excrementum naturale, vnum tenue, quod per suturas purgatur; alterum crassum, quod per infundibulum, seu peluim, & cloacam ad os, & nares descendit. Catarrhus autem, de quo nunc est sermo, alias inuenit vias cũ hæc non sufficiant, & per has multo copiosius expurgatur.

In relatione potest adhuc considerari dupliciter: vel vt est quædam substantia, vel vt habet in se motum, quantitatis, vt est substantia, habet relationem & ad caussas à quibus producitur, & ad effectus, quos producit: caussæ, à quibus producitur, sunt variæ pro varietate conditionis huius materiæ,

Nam materia aut est simplex, vel mista: & cũ est simplex, aut est dulcis pituita, aut insipida, aut salsa, aut mucosa, aut amara, aut putrida, aut imputrida, aut fœtida, aut sine fœtore. mista verò est aut bili, aut sanguini, aut melancholiæ aut pluribus simul humoribus: itaque pro horum varietate variis habet caussas.

Caussa Catarrhi, siue eius Materia.

VErsabimur primò circa caussas hujus substantiæ, prout multa augetur, & ea quidẽ insipida. Hujus caussæ aliæ generant, quædam verò attrahunt, aut suscipiunt hoc excrementum in cerebro. Generatio fit vel ex morbo, vel ex errore externo. Morbus est aut intẽperies, aut morbus officialis, Intemperies est aut frigida humida aut humida tantũ, in passiuis tẽperata, aut frigida sicca, quicquid in oppositum sentiat Sebastianus Paparella 1. de catarrh. c. 20. Certum est Gal. secundo de temperament. capite vltimo, apertè docuisse ex intemperie frigida sicca potissimùm naturali pituitosum gigni excrementum, & augeri.

Ex morbo officiali augetur pituita, siue adsit obstructio, siue compressio aliqua meatuum cerebri; quia consueta excrementa retinentur, retenta verò mirum in modum augentur, & nouum corrumpunt alimentum; hoc docuit Galenus, nono de vsu part. capite primo.

Externus error consistit in sex rebus non naturalibus, in cibo & potu; aut nimis copioso inordinate accepto, crassioris succi, ex aere frigido humido, siue sit propter cõstitutionem, siue propter regionem, & tempus anni, ex pluuis, ventis Australibus, ex somno, curis, mœroribus, in ætate præcipue senili, & puerili: hæ sunt caussæ generantes.

Attrahunt verò intemperies calida cerebri.

Impelluntur verò in cerebrum humores, & quia copiosi augentur in toto corpore, in ventriculo, aut aliis determinatis partibus, aut propter robur harum partium; & hactenus de caussis augentibus excrementum quatenus insipidum.

Quòd si quæratur caussa Destillationis, cũ est salsa, Galen. 2. de different. feb. c. 6. duas proponit caussas, putredinem, & salsæ serosæ humiditatis cum pituita mistionem. Auicẽ. prima primi doct. 4. c. 1. & prima 4. doct. 2. c. 4. aliam superaddidit bilis cum pituita mistionem: hæc opinio quanquam minus placeat Franc. Vailes. vt potestis apud illum legere, 1. contr. Med. contr. 7. tamen rationi est consentanea.

Et vt possitis soluere difficultate, Salsedinis caussa nulla est alia, si de proxima & immediata loquamur, quam permistio terreæ, sed calidioris substantiæ in humido aqueo; hoc docet Gal. 5. simpl. c. 26. colligitur ex eod Galen. 3. de Alim. fac. 32. & ex Arist. 4. meteor. cap. 3. Itaque cũ immediata sit talis, mediatæ possunt esse multæ: primùm quidem potest esse putredo nam in putredine pituitæ pars valde putrida, & exusta conuertitur in cinerem. hic cinis est pars terrea, & adhuc retinet calorem: itaque dum permiscetur hic cinis substantiæ humidiori pituitæ, fit salsedo, Pariter serum fit salsum eodem modo, quo fit ius, dum duræ carnes diu in eo coquantur, nam cum longa coctione pars carnium terrea supercalefacta recipitur in iure, ita vt ipsa euadat insipida, ius verò salsum; sic quoque serum, vbi fit coctio in iecore, pars aliqua terrea humorum permiscetur cum aqueo succo, & sic salsedinem facit, id ipsum dico de mistione maris cum insipido. Salsedinis caussa.

Quod pertinet ad caussas Catarrhi fœtidi & putridi, vnica est, nempe prohibita transpiratio, ad quam sequitur putrefactio, ad putrefactionẽ vero fœtor; imò verò ad eandem putrescentem sequi- Fœtoris causa.

sequitur malignitas quoque Catarrhi, nam aliqui A dicuntur benigni, aliqui verò maligni.

Venio ad caussas Catarrhi cósiderati, vt est corpus mobile; nam in eo, vt est corpus mobile, inuenire oportet caussas mouentes, terminũ à quo, terminum ad quem, & vias per quas mouetur.

Caussę mouentes sunt vel Naturales, vel Violentæ; Naturales sunt ipsamet Catarrhi grauitas. Violentæ sunt vel impulsio, vel attractio. Impulsio fit vel à facultate cerebri expultrice irritata, vel à frigido externo exprimente, vel à calido colliquante. Attractio fit ex dolore, aut calore, & in- B flammatione subiectarum partium: sic inflammatis gingiuis, dentibus dolentibus, vel alia simili parte, frequentes fiunt in os Fluxiones.

Terminus à quo est ipsum Cerebrum.

Viæ, per quas fluit sunt infundibulum seu Peluis, & Cloaca, Venæ, Arteriæ, Spatia inania.

Terminus ad quem est multiplex, vt antea dixi, sunt primo nares, & vbi in nares decendit proprio nomine κόρυζα dicitur; Si descendat in os vocatur Κατάῤῥυς: si in laryngem, & arteriam, dicitur Raucedo, Græcis Βράγχος, & hæ sunt viæ C hi sunt termini à quo, & ad quem fluit.

Reliquum est vt intelligatis, qui nam affectus sint, quos producit Catarrhus in locis propositis.

Quòd si consideremus in relatione ad effectus quos producit, si descendit in os, varios morbos infert, ac symptomata. Primum quidem circa dentes infert Mobilitates Erosionem, & Doloré, & quanquam Mobilitas sit symptona, quod comitatur defectum carnis gingiuę propter seniũ; attamen aliquando fit ex nimia humiditate Catarrhi, aut ex nimia acrimonia, gingiuas eroden- D te, ex qua acrimonia fit etiam erosio carnis in dentibus, sicuti Dolor fit neruos aut inflammato aut quouis modo repleto.

Eadem fluxio ad gingiuas facit aut inflammationes cum carnis excrescentia, hac Græci vocant Παρουλίδας aut facit abscessus, qui suppurantur, quos Gręci vocant Επουλίδας.

Circa fauces hic Catarrhus decendens facit vlcera, quæ cũ fuerint superficialia, Græcis Α'φθας vocantur, Arabes communi nomine vocāt Alcola Benignum; sicuti cùm fuerint profunda Græcis E Νόμας, Arabibus Alcola Malignũ appellantur.

Eadem fluxio, prout descendit in eam partem, quam ræGci vocant Γαργαρεών (Gargutio etiam Græcis vocatur; Latinis Columella) producit Procidentiam, siue Prolapsum, aut Σταφυλὴν quã Latini vocant Vuam, & Niliam, estque inflammatio extremę partis Columullæ, quoque alias inflammationem quæ à partibus patientibus denominationem habent, nam si tota Columella inflammetur, dicitur inflammatio Columellæ siue gurgulionis. F

Si inflammentur Tonsillæ, quę sunt glandulę circa fauces, duæ quidem vocatæ Αντιάδες, duę vero Παρίσθμια, istæ omnes pariter à parte nomen sumunt, nam vocantur inflammationes antiadum, & paristhmiarum.

Denique si in ipso cerebro materia hæc sedem habeat, consueuit excitare Sternutamẽtum, quod quidem fit irritato cerebro, aut à vapore copioso, id quod contingit per destillationes, ad quod respiciens Hipp. 7. aph. 51 dicebat Sternutamentũ fieri calefacto cerebro, atque humectato spatio inani.

Fit etiam Sternutamentum naribus irritatis.

Excitatur quoque propter vitia pulmonis, & asperæ arteriæ: nam communicatur affectio cerebro, & proprerea, vt dicebat Gale. com. cit. sternutamentum non est symptoma solius cerebri, sed & pulmonis, & asperę arteriæ.

Signa Catarrhi.

DE Catarrhi signis verba facturus pro consuetudine illa distinguam in Diagnostica, & Prognostica.

Per Diagnostica verò non tantùm intelligo illa, quæ præsentem demonstrant affectum, sunt enim conspicua; sed intelligo potissimum Distinctiua, partim quidem materiæ fluentis, partim morborum, & caussarum augentium materiam, partim caussarum, à quibus fit fluxio, & motus, partim locorum, à quibus, ad quos, & per quos fluit materia.

Quod pertinet ad primum signorum fontem, versabimur primo in signis materiæ frigidæ; deinde in calidæ 3. in tenuis 4. in crassæ 5. in putridæ.

Frigidam cognoscetis, si saporis expers fuerit sine sensu titillationis, aut acrimoniæ; si in faucibus sólam inferat Raucedinẽ, sine inflammatione; aliquando tamen cum procidentia columellæ, si præterea adsit capitis grauitas, propensio in somnum, mentis stupor, memoria hebes, tinnitus aurium, & frequens sputio, Σιαλισμόν Gręci vocant, aut Πτυελισμόν: pręterea si ætas sit senilis, temperamentum frigidum, vita ante acta otiosa, crapulæ, accibis crassi succi dedita: denique si aeris constitutio, & regio, & tempus anni ad frigiditatem, & humiditatem inclinent. *Signa materiæ frigidi.*

Calidã cognoscetis, nisi fuerit salsa, amara, acris & propterea in naribus vlcera, crustasque inferat in faucibus inflammationes, erosiones; in dentibus caries, & cum deterior fuerit, atque in pulmones decendat phthisim producit; si pręterea ruborem, & calorem capitis inferat, sternutamentũ frequens, vigilias, aut somnos turbatos, somnia multa, vertigines: si quæ hęc destillatio in ętate florenti, temperamẽto calido post vsum acrium salsitorum, aromatum, vini generosi, post insolatum, aut balnea, aut denique vsum medicamentorum calefacientium. *Calidæ.*

Tenuis cognoscitur Destillatio, si confestim descendat, & titillationem in faucibus insignẽ inferat, cum periculo suffocationis subito, & quanquam screatio frequens accidat, nihil tamen, aut parum excerni potest. *Tenuis.*

Contra crassa sensim descendit, faucibus hæret, & cum excernitur, viscida, & lenta apparet. *Crassæ.*

Putridam cognosceris ex fœtore non tantùm materię quantùm oris, & narium, ac præterea ex febre, quæ plerunque succedit. *Putridæ*

Vtrũ sit simplex, aut mixta cognoscetis facilè; nam

nam simplex pituita erit alba; mista autem erit vel flaua, vel liuida, vel cruenta, pro varia humorum admistione.

Quod pertinet ad signa caussarum, & affectuũ à quibus materia producitur, longior non ero: nam signa omnium intemperaturarum Cerebri partim à nobis aliàs descripta sunt, partim proponuntur à Gal. lib. art. Med.

Pariter quod pertinet ad morbos instrumentarios, dictum est suo loco.

Si materia augeatur ex errore externo, patientes poterunt referre, nunquid se exposuerint aeri frigido, pluuiæ, niuibus, aut vsi fuerint cibis acribus, esculentis, vino copioso: sunt quidam incidentes in destillationem ex odore rosæ: hos interrogabitis.

Quòd spectat ad caussas mouentes, si caussa mouens sit expressio facta à frigido externo, hæc caussa poterit sciri ex relatione: referent patientes sese exposuisse Boreæ; sicuti facile cognoscetis vtrum moueatur à caussa colliquante, si præcesserit insolatus, pileum grauans, aut fuerint in balneo, aut vsi sint calido medicamento capiti applicato, vel interius medicamentis calidis sint vsi.

Venio ad signa locorum, & primũ distinguere oportet, vtrum primario Cerebrum afficiatur, an secundario, cognoscetis primario affici, si naturali aliqua intẽperie laborat, si actiones Cerebri lædantur ante ventriculi actiones, vel partium subiectarum: si præterea plurimæ sint actiones cerebri eodem tempore læsæ, & denique si materia descendens magna ex parte simplex fuerit pituita: nam vbi per consensum fit Catarrhus, antequam laboret Caput, laborat pars aliqua inferior vel ventriculus, vel iecur, vel vterus & præterea Cerebrum nõ necessariò afficitur secundùm plures actiones, & materia destillans pro partis communicatis varietate potest esse flaua, aut nigra, aut cruenta, præcipuè in suppressione mensium.

Distinguetis locos, per quos fluit materia hac ratione: Materia si fluat per neruos, consueuit tollere sensum odoratus, gustum linguę; quandoque impedit motum linguæ, dolores facit circa dentes ingenuili nos, imò aliquando τρισμὸν seu dentium conuulsionem. Si per venas & arterias, facit partium subiectarum inflammationes, siue Columellæ, siue Glandularum, siue aliarum partium.

Cum per spatia inania, & cauitates descendit, purgatur & per nares, & per os absque aliarum partium noxa.

Locus, ad quem fluit materia, patet ex excrementis, atque actionibus mutatis illius partis. Nã si duat ad nares, præter excreta fit etiam sternutamentum, imminuitur olfactus, & vlcera, vt dixi, in naribus excitantur; Si descendat in membranam faucium, Raucedinem infert; Raucedinem etiam infert materia descendens in asperam arteriam; sed dissimili ratione: nam vbi fauces, seu membrana faucium ab humiditate excrementitia irroratur, Raucedo quidem fit; sed inequaliter, nam quandoque magis, quandoque minus sunt rauci, & quandoque facilè curatur affectio; vbi verò arteria laborat & larynx, Raucedo ęqualiter affligit, difficilè curatur, plerũque Ἀφωνίαν transit ex Galen. 4. de loc. aff. 5. & 4. de caus. sympt. 4.

Cęteri loci affecti ex actionibus læsis patent; & aperto ore patientis poteritis videre, vtrum gingiuæ, columellæ, vel alia pars laboret.

Prognostica.

TRanseo ad prognostica: Est omnis destillatio antiqua, & confirmata difficillimæ curationis; sed præcipuè salsa atque acris: hæc enim non modò difficili negotio curatur; verum etiã si In nares decumbat Polypos, aut Ozænas excitat; si in fauces Aphthas, seu Nomas; si in pulmones, Phthisin infert. propterea dicit Cels. minùs periculosam esse Destillationẽ, quæ in nares, quam illa, quæ in os decumbit, quod dicit etiam Gal. 2. progn. 49. vbi ait destillationem in nares, sicuti & sternutamẽtum esse malum per modũ signi tantùm, sed destillationem in os & per modum signi, & per modum caussæ: nam portio materiæ descendentis decumbit in pulmones, vt tussim, & phthisin Inferat; Scribit Hip. 2. aph. 40. *Branchos, & Coryzas in senibus non maturari*: Et bene dixit, *non maturari*, nõ quòd senes nunquam possint à Catarrhis liberari. nam est falsũ, & falsitatem ostendit Leonicenus. vt refert Brasauola in comm. aph. 2. part. Sed scripsit ita *non maturantur*, *i. e. ad perfectam coctionem non perueniunt*; possunt tamen paulatim solui & digeri. Videte Hip. 5. in 6. Epid. 42. inquit, morbos commutatos (conuutritos) in senibus solui per rarefactionem, vel attenuationem. Scribit idem Hip. 2. in 6. Epid. 42. eos, qui laborant Destillationibus non laborare affectionibus splenis: Caussam proponit Gal. in com quòd scilicet tota corporis excrementa crassiora confluunt ad locum imbecilliorem, qui est caput, quod est obnoxium Destillationis, & loquitur tantùm de antiquis destillationibus, non derecentibus.

Hipp. explicatus.

Curatio.

PRimò loquar de remedijs, quæ diriguntur aduersus materiam. 2. de illis, quæ diriguntur aduersus morbos siue fit intemperies, siue morbi instrumentarij, propter quos augetur materia: 3. curationem aggrediar morborum, quæ oriuntur ex Destillatione.

Aggressuri Catarrhi curationem, incipiemus, vt dixi, ab auxilijs, quæ diriguntur aduersus materiam; vt autem res methodo procedat, primò erit sermo de medicamentis purgantibus aduersus materiam calidam, 2. de respicientibus frigidam, & quia vtraque potest esse & tenuis, & crassa, distinctè etiam proponentur remedia pro tenui & pro crassa.

Initium igitur à materia calida sumentes loquemur, primò de fonte chirurgico, in quo tametsi Græci scriptores sectionis venæ mentionem non faciant, Galeno excepto 5. meth. cap. 14. qui in salsa destillatione sectionem venæ proponit; Arabes tamen ferè omnes huius auxilij mentionem

nem faciunt; & sanè non iniuria; nam calida Destillatio vel habet sanguinē admissum vel bilem, vel calidam habet intēperiem, a qua producitur, vel magnum aliquem morborum minatur inflammationem, vlcus, vt propter has omnes caussas venę sectio apprime sit necessaria.

Venæ sect.

Secetur itaque vena aut Capitis, quam Cephalicam dicunt, si destillatio per essentiam, aut primariò in capite generetur, secentur inferiores, vbi ascendat materia propter suppressos menses vel hęmorrhoides, Aperiatur iecoraria, vel communis, vbi totum, aut iecur materiam communicet Cerebro.

Locus.

Sequamini autem hac in parte Gal. consilium loco citato, vt si corpus sit cacochymum, vires debiles, antequam secetur vena, expurgetur cacochymia, ac conuenienti victu reficiantur vires, quòd si fuerint vsque adeo languidæ, vt sectam venam non sustineant hirudines applicentur venis sedalibus, aut curbitulæ affigantur, præcipit Auicen. ne dorso affigantur cucurbitulæ, sed potiùs occipiti, ne fortè materia ad thoracem trahatur; quod si vniuersaliter esset verum, neq; lumbis, neq; natibus, vno verbo, partibus infernis nūquam essent affigendæ; nam dum materia educitur ex capite, antequam perueniat ad lumbos, vel inferiores locos, potest in thoracem deduci, itaq; hæc Auicennæ sententia tunc tantum habet locū, cū catarrhus primario in capite generatur; nam si ascendat vel à iecore, ventriculo, liene, vtero, toto corpore, tunc cucurbitulę tutò lumbis, & infernis locis admoueri possunt.

Hirudin & Cucurb.

Eadem est ratio Vesicatorij, Cauteriorum, frictionum, & Ligaturarum; nam hęc omnia auxilia infernis partibus tutò, & vtiliter adhibentur, quando Catarrhus ab infernis locis Cerebro communicatur; vbi verò tota Catarrhi sedes fit Cerebrum, frustra hæc inferioribus locis adhibentur sed potiùs brachiis & occipiti ad reuulsionem & deriuationem conueniunt.

Vesic. cauter. Frict. ligat.

Quod pertinet ad ipsummet caput, disputaui aliàs in tract. de Dolore Capitis, neq; in præsentia repetam; vtrum in calida materia Cauteria, & Vesicantia capiti administrari possint. Vnum dicam de Vesicantibus, hæc in calida fluxione nunquam conuenire pro corrigendo calida intēperie capitis & cerebri; & hoc est, quod voluit Gal. 6. de tuen. val. ca. 9. qui cùm cognosceret Catarrhos gigni etiam cum intemperie calida, inquit malè agere medicos, qui in tali intemperie calida thapsia, & calorificis vtuntur; neq; conueniunt hęc vesicantia, vbi materia calida fluat ab infernis partibus in Cerebrum: nam potius nouam traherent materiam; propter quam caussam Galen. 2. de comp. per loc. cap. 2. & 3. prohibet in humoribus calidis vsum medicamentorum actium capiti adhibitorum.

Conueniunt itaq; in duplici tantùm casu: primus est, quando materia calida primariò in capite genita decumbit ad pulmones, aut alias partes inferiores cū suspicione phthisis, vel alterius magni morbi, in quo casu ad reuulsionem administrantur commissuræ coronali, vt aliquando fecit Gal. 5. meth. ca. 3. aliquando etiam eadem materia primariò in capite genita cōtumax & rebellis vsu vesicantium commodè expurgatur. Hęc de fonte chirurgico.

Quod spectat ad Pharmaciam si calida materia sit tenuis, vtamini hoc leniente.

Recipe flor. cass. nou. extr. drach. vi.
pulp. thamarin.
Mann. elec. an. drach. iij.
Bol. Armen. drach. sem.
M. & fine sacc. f. boli.

Syrupi sint tales,

Recipe syrup. de papau.)
de iujub.) an. vnc. sem.
de liquirit.)
Decoct. iujub. nymph.
hord. liquirit.
papaueris vnc. iij.
M. pro syrupo.

Si fuerit crassior materia, pro Leniente accipiatis in potione;

Mell. violat. solut.
Syr. viol. sol. an. vnc. ii sem.
Decoct. pectoral. q. s.
M. f. potio.

In bolo. *Recipe flor. cass. nou. extr. drach. x.*
Mann el drach ii.
M. & fine saccharo f. boli.

Syrupi sint tales:

Recipe Syrup. acetos. simpl.
viol simp.
de betonic. an. vnc. sem:
Decoct viol farfar. passul.
hord. beton. vnc. iij
M. pro syrupo.

Purgatio potest esse communis per sequentia medicamenta tam in tenui, qui quàm in crassa materia: Per pilulas hoc modo

Recipe pil aur. drach. i.
coch drach sem.

Quando fuerit pituita salsa:

Nam si fuerit mista cum bile

Recipe pil. aur. drach. i. sem.
& cum aq. cichor. f. pil. v.

Dentur hor. 6. ante cibum.

Bolus etiam talis conuenit:

Recipe Elect. de succ. ros. drach. iij.
flor. cass. aut. diaprun sim. vnc. sem.
M. & cum sacc. f. bol.

Si quis magis cupiat potionem, paretur in hūc modum.

Recipe rhab. elec. scrup. iiij.
f. infus. s. a. in aq. viol.
& f expressione.
Adde Mell viol solut.
Syr. violat sol an. vnc. ii M.

Quòd si crassior fuerit pituita, loco mellis viol. accipiatis rosaceum, & simul cum Rhabarbaro infundat is etiam Agaric. drach. i.

Hæc purgatio dum aliquod imminet vel suffocationis vel phthisis periculum, potest etiam ægrotantibus adhiberi, nulla præmissa præparatione, quidquid in oppositum sentiant Recentiores quidam, inter quos est Ioan. de.... qui verētur, ne hęc purgantia agitent humores, & ducāt ad locum

ad locum affectum? quæ ratio nullius momenti A mihi videtur; nam hanc ob caussam internis locis patientibus nunquam liceret vti purgante, ne locus patiens motam susciperet materiam, hæc purgatio non semel tantùm, sed bis, & quandoq; plureis pro Catarrhi diuturnitate porrigenda est.

Facta autem diligenti totius corporis purgatione, Caput quoque sigillatim euacuandum; & cum materia ad nullam inferiorem partem fluxerit, potest hæc materia educi & per os, & per nares. quòd si nares infestet, ducatur ad os, si fauces & os vexet, ducatur ad nares, est Galen. consi. 13. B meth. ii.

Massicator. Illud tantùm moneo, in Catarrho calido hęc omnia debere esse frigida aut temperata.

Idcirco pro masticatorio satis erit charta, mastix, passulæ.

Nasal. Pro nasario lac cū diagridio, aut cum electuario, aut aqua hordei, aut succus betę, vel maluæ: sed de his hactenus etiam diximus.

Illud quidem nunc, quod maioris est momenti, proponendum, videl: materiæ medicamentorum, quæ ipsammet Destillationem tanquam calidam refrigerent, tanquam humidam exsiccent, C & consequenter vniuersam, si fieri possit, digerāt est negotium magni momenti.

Materiæ igitur medicamentorum refrigerantium, & exsiccantium sunt Internæ, & Externæ: Internæ sunt omnes aquæ naturales acidæ, & mineræ ferratæ: nam acidæ habent minerā æris. istæ omnes refrigerant, & exsiccant: tales sunt nostrę Patauinę, Tegulæ, & Virginis; tales sunt Calderianæ in agro Veronensi: tales sunt Villenses, & qui Curcellę. Legite Baccium. D

Sed in defectu aquarum nihil præstantius inuenio pulueribus frigidis & siccis, quę facili negotio comparari possunt ex herbis, floribus, seminibus, ex terris, ex cornibus, essibus, cōchis, comis, lignis, & alijs, id genus: E.g. poteritis accipere puluer plāntag. oxylapathi, acetos. flor. nymph. flor. anemon. sem. intybi an. &c.

Hi omnes sunt frigidi, & sicci.

Frigidæ & siccæ terræ sunt Lemnia, Samia bolus Arm. & alia id genus.

Refrigerat & exsiccat cornu ceru. præcipuè assum, santali, margaritæ, & omnia gemmarum E fragmenta.

Vsus medicamentorum erit talis, vt permisceantur isti pulueres cum conseruis: forma erit talis

Recipe conser. viol.
sacc. rosf. an. vnc. iij
Pulu. v. g. cornu cceru. vss.
Tgrr. sigill.
sem. plantag. an. drach i. M.

Dosis conseruæ huius sit vnc. sem. singulo mane 3. horis ante prandium. F

Si quispiam voluerit accipere drach. i. huius puluueris in aqua acetos. aut intybi aut plantag. erit adhuc fortius medicamentum.

Possunt quoq; redigi pulueres in rotulas E. g.

Recipe Marg. præp.
sem. plantag.
Terr. sigill. an. drach. i.
sacc. dissol. in aq. plantag. q. s.

M. f. conf. in Rotul.

Non improbo in Catarrhis minùs calidis etiā decoctum chinæ aut salsæ, dummodo coniungatur hisce refrigerantibus & siccantibus propositis infus. scil. & decoctione rosar. myrtill plantag. nymph acetosæ & aliarum propositarum.

Hactenus de internis refrigerantibus pro superanda Destilatione Calida, inter quæ Serum Caprinum nō fuit propositum, etiamsi Recentiores quidam medici illud proponant: quia etiamsi refrigeret, humectat tamen, & quod magis refert, Caput ipsum vsq; adeo replet, vt Destillationibus obnoxii ex vsu seri incurrant dolores articulares *N. B. circa vsum Seri.*

Circa exteriora remedia vnum propono, quod vulgare est, & potiùs mulierculārum proprium, quàm Medicorum, conducit tamen, & est attractio capillorum violenta in regione sincipitis, vsque quo cutis, & pericranium videntur aliqua ratione separari ab ipso cranio: conducit hæc operatio ad difflationem vaporis, suturę enim capitis aperiuntur.

Quod spectat ad reliqua, nonnulla administrātur capiti, quædam toti corpori, aut subiectis locis De his, quæ admouentur capiti, maximam inuenietis apud Scriptores controuersiam, quidam enim, inter quos est Aetius, proponunt stillicidium ex aqua actu frigida; alii proponunt calidam saltem actu; quidam verò calidam potentia, siue actu frigida sit, siue actu calida. Nos sic rē decernimus: In Catarrho Calido fluente ad partes thoracis, ea, que sunt potestate calida, acria, & exulcerantia, vt est thapsia, & alia id genus necessariò administrari debere omnibus frigidis omissis, ex quorū vsu materia promptiùs in pulmones laberetur: at verò vbi nullus est materię in pulmones defluxus, sed tantùm corpus fuerit calidum, corrigere intemperiem, & reliquias materiæ digere opus est, lotionibus vel fomentis, & epithematibus potentia frigidis, actu verò potiùs calidis: Hac ratione cōsueuerunt Medici vti stillicidio ex aquis ferratis acidis. in harum defectu dotest componi stillicidium ex aq. dulci, in qua ebullierunt rosæ, myrthus, nuces cupressi, (cupulę) cepullæ glandium, iuniperus, sandali, flores nymphæę, folia salicis, flores, & cortices granatorum, atque alia id genus, quę refrigerant, & exsiccant, idcirco in eundem vsum parentur, aut pulueres ex prędictis rebus, aut etiam ex conchis & chamis, & pumice, ex omnibus testaceis, ac crustaceis, possunt etiam fieri Cerata ex his pulueribus cum oleo myrthino, aut melino, siue cytoneorū, hunc in modum. *Stillicid.*

Recipe pumic. pulueriz.
Santal rub.
Ro. rub. an. drach. i.
Ol. myrth.
de cyton. au. vnc. i. sem.
Ceræ. q. s.

M f. Cerat.

Hi pulueres, & cerata adhibentur commissurę coronali, ex quibus pulueribus possunt etiam fieri sacculi, quinimo idem pulueres possunt administrari pro suffumigio, siue inurātur, siue bulliant in aq. ros. pręcipuè verò santali, rosę. nenuphar.

phar. & alia, quæ odorem in se continent.

Balneũ. Quod spectat ad totum corpus, disputatio est de Balneo, an in Destillatione conueniat, nec ne: hæc quoq; res sic facilè componitur : in pleno corpore cum Destillatione adhuc cruda, balneum nunquam conuenire; fundit enim crudos humores, quę deinde in affectum Cerebrum statim cõ fluunt : hæc enim est doctrina Gal. 12. meth c 5. quam confirmat 8. meth. 5; vbi in cruda Destillatione semper balneum prohibet: Vbi Catarrhus sit coctus, vel quando corpus non fuerit plenum prauis excrementis, tu tò balneum administratur B nam habet vim reuellendi à capite, & digerendi insensibiliter propterea Gal. 5. meth. c. 13. in Muliere illa Romana statim ab initio pro reuulsione vsus est balneo:

Local. Quod dico de Balneo, dico etiam de Localib. illi parti administrandis, ex qua fiat fluxio in Cerebrum: etenim vbi corpus impurum fuerit, neq; frigida conueniunt, quæ humorem indurant, neque calida, quæ fundunt, & colliquant.

Supersunt remedia proponẽda in Catarrho Calido ac Tenui, descẽdente ad fauces, arteriam C quæ sunt incrassantia, & intercipientia; sed de his dicã in curatione illorum affectuum, quos producit hæc Destillatio. Moneo autem vos his ipsis remediis posse etiam corrigi intemperiem partiũ solidarum, à qua generatur, & augetur ; propterea de hac re nihil dicam ampliùs.

Transeo ad materiam Frigidam, in qua illud primo quærendum, quod pertinet ad chirurgicum fontem, & ad sectam venam, sed antequã hoc faciam, dicam prius de Victum Catarrho Calido.

Ratio victus in Catarrho Calido.

IN Catarrho Calido victus ratio omniũ maximè est necessaria, & primò quod pertinet ad Aerem, eadem est ratio, quæ & balnei, seu lotionis, aut stillicidii capitis, vt scilicet vbi descendit Catarrhus ad thoracem, aer frigidus, & borealis fugiatur, quæ tamen absque hac suspicione defluxus calidam Cerebri intemperiem sanat.

Somnus quicquid sentiat Salernitanorũ Schola, in Catarrho Calido debet esse prolixior: primũ E enim somnus refrigerat, Tenuem Catarrhum incrassat, & concoquit: idcirco à fluxione prohibet exercitatio partium infernarum omnium maximè est necessaria.

Nam propter hanc caussam textores, & textrices minùs abundãt Catarrhis, quod pedes frequẽter exerceant. Dicebat Hip. 5. in 6. Epid. 23. morbis à pituita Venerem prodesse: quę sententia sanè Catarrhis Calidis est adaptãda: quamuis enim Gale. moderatam Venerem frigidis etiam catarrhis prodesse existimet, calefacto corpore à concubitu Venereo: Ego tamen puto Hippocratis sententiam de Catarrhis Calidis potissimùm esse intelligẽdam. Aluus lubrica perpetuo seruetur, aut pilulis familiaribus, quales sũt pilulę de tribus cũ rhabarbaro, aut clysteribus actionibus, cum reuulsio est necessaria, id quod fecit Gal. in casu illius Romanæ 5. meth. cap. 13. propterea ridendi A sunt quidam Recentiores, qui putant ex acribus clysteribus materiam duci ad pulmones.

Quòd ad cibum, & potum, videntur omnes conuenire, tenuem victum destillationibus omnibus competere: quæ tamen sententia vniuersaliter non est intelligenda: tenuis victus in principiis Destillationum est quidem accommodatissimus, sed euacuato iam corpore & medicamentis & sanguinis missione, & inedia septem vel octo dierũ, non modò frustra, sed & cum periculo tenuis victus iniungitur, & ratio est, quia calor naturalis ex defectu alimenti marcescit; idcirco coctio non potest fieri, accedit aliud incommodum in Catarrhis Calidis bilem fieri magis acutam, & mobilem confluere ad ventriculum, & caput ipsum replere: & hoc est, quod aliquando Gal. scripsit lib. de venæ sect. aduers. Erasist. ca. 9. mediam caput replere, itaq; post septimam diem desistant à victu admodum tenui.

Sit autem cibus in tenui Destillatione succus prisanæ, oryzæ, alicæ, ferculum ex farina amyli ; Conceduntur in hoc casu nuclei pinus, amygdalæ recentes, siue cũ saccaro, siue sine saccaro; quãquam enim amydalæ caput repleant aliquantulum, in tenui destillatione potissimùm cum saccaro oleosam habent substantiam, qua incrassãt. Debet autem cibus assumi copiosior in prandio, quàm in cœna, vt voluit Conciliat. differ. 121. quicquid in oppositum sentiat Matth. Curtius & Oddus de Oddis in quæst. quam facit de prandio & cœna. In fine mensæ vtantur fructibus adstrictoriis aut pyro, aut pomo, aut cotonio, aut diacytonite, & potus sit aut aq. hord. cum coriandris D addito iulep. violato, aut vinum modicè adstringens, & pauciferum. Post cœnam verò vtantur hoc puluere ad drach. sem.

Recipe santal rub.)
Rosar. rua.) *an. drach. i.*
Corian. præ.)
Penid. pulueriz. aut
Saccar. fin ad pond omn. M.

Hæc est Victus ratio in Catarrho Calido.

Curatio Catarrhi Frigidi.

IN Destillatione Frigida aliquando à venæ sectione incipiendum est, quando scil. hic humor habeat connexam plenitudinem siue communem, siue determinatam, atq; eam quidem notham, ac spuriam id verò faciendum, quando materia decumbat in pulmonem, & thoracem, vt propterea vel suffocationis, vel Peripneumoniæ, vel spuriæ pleuritidis, aut circa fauces & laryngẽ Anginę suspicionem inferat In Cacochymia sẽper à venę sectione abstinendum, & variis reuulsionibus agendum, frictionibus, ligaturis cucurbitulis, sinapismis, vesiccantibus, cauteriis lotionibus pedum, aqua calente, vulgus non inutiliter in his casibus plantas pedum succo alii confricare consueuit. Vena sect. F

Circa hæc omnia illud obseruandum, quod notaui etiam in Catarrho Calido, vt scil cum per essentiam, & primariò in capite generetur, reuulsiones, & deriuationes fiãt partibus superioribus, bra-

brachiis, occipiti, sincipiti, nam si infernæ partes irritentur, Destillatio promptiùs in thoracem descendit, contra verò vbi ascendit Catarrhus vel à toto, vel partibus infernis, congruæ sunt reuulsiones circa crura, siue sint cucurbitulæ scarificatę, siue non, siue cauteria, siue alia. Nō disputabo hoc in loco, quod alias disputatum est de Dolore Capitis, an in Catarrho frigido conueniant cauteria vel in sincipite, vel in occipite, Recurratis ad eum locum.

Quod pertinet ad Pharmaciam, si Frigida Destillatio sit Tenuis, aluus sic leniatur.

Recipe flor.cass.nou.extr.
Mann. Elect.an.drach vi.
sem.anis.contus.drach.sem.
M. & sine sacc.f.bol.

Si autem potum voluerint,

Recipe mann.el. vnc.iiij.
Inf.alterat.cum sem. anis.q.s.
M.& f pot.

Bolus accipiatur duabus, potio autem quatuor horis ante cibum.

Quòd si fuerit crassa materia, in Bolo

Recipe Eleo. lenit.vnc.i.
Dicath. vnc.sem.
spec.bier drach.i.
M. *& cum sacc.f bo.*

In potione

Recide Mellis rosati solut.
Aut *Mell.viol.sol vnc.v.*
Aquar.betonicę
Aut *saluiæ q.s. M.*

Tenuis humor Frigidus sic pręparetur;

Recipe syrup. de beton.
de menth.
de absynth.an.vn.sem.
Decoct.menth.
spicæ, Squinanth.
Acor.Cyper vnc iij. M.

Crassum vero humorem sic præparabitis:

Recipe Oxym.simpl.
syrup bizant.cum acet.
de beton.an.vnc.sem.
Decoct puleg.
Calament.
Orig. saluiæ
Stœchad vnc.iij.
M.pro syrup.

Præparatos humores licebit hoc medicamento purgare:

Recipe pil.coch.drach.i.
de agar. Mesu.drach sem.
Cum aq.beton.reform.pil.v.

Aut hoc Bolo

Recipe diaphœn.vnc sem.
Elect lenit.drach.vi.
spec.bier.drach.i.
M. & cum sacc.f.bol.

In potione sic:

Recipe Agar.trochisc.drach.i.
infundatur in oxym.sim.s.a.
Deinde adde mell.ros.sol.vnc.iiij.
Aq.beton.q.s.
M. & f.pot.

A Repetendę erunt tales purgationes, & præparationes pro iudicio Medici aut bis, aut ter: Interim capitis sollicitudo est habēda, vt potissimùm per nares purgetur, quando materia ad fauces, vel thoracem descendat, aut per ipsum os, si naribus malum aliquod inferat. De modo purgandi per has partes nihil dico, quia dictum est in tractatu de Dolore Capitis.

Quod pertinet ad Alterantia & humorem frigidum, & intemperiem partis solidę, quæ debent esse calida, & sicca tā interna, quàm externa, hæc B magna ex parte fuere proposita superiùs, nunç itaq; aliqua proponam singularia aduersus vtramque Destillationem siue Tenuem, siue Crassam, præsupponens nota esse alia omnia remedia, aquas scil. thermal. decocta ligni, & salsæ, & chinæ & sassafras, conseruas calidas, magnos antidotos stillicida, pulueres, sinapismos, & alia id genus proposita.

In Tenui itaq; Destillatione drach.i. huius pulueris patienti exhibita post cœnam mirificè confert.

C *Recipe Thuris*
Olibani
Myrrh.
Styrac.an.drach.i.
Ireos)
Spicæ) *an.vnc.sem.*
Acori)
Sacchar.sin.ad pond.omn. M.

Detur aut in vino aliquo odorato, aut in iure alterato cum spica, cypero, mentha, & betonica.

D Si puluis non sit præparatus, accipite grana ij. aut iij. olibani, quæ possint esse ponderis drach. i. & integra deuorentur.

In Catarrho Crasso poterit confici talis puluis

Recipe Pulegii
Maioran.
Stœchado s. an.drach.ii.
Cinamom.
Caryoph. an.drach.i.
Sac.ad pond.omn. M.

Detur drach.i. consimiliter ex vino.

E *Victus Ratio.*

His addenda est victus ratio, de qua pauca supersunt dicenda: possunt enim colligi ex dictus in superiori lectione, illud tantùm moneo, in Catarrho Frigido tenuem victum vsque ad tertiā diem mirabiliter conferre, & compescere quasiq; ilico exstinguere imminētes Destillationes, vt propterea scribat Heurnius, se dum abstinuisset triduo à potione, destillationem statum sanasse. Cęterum vbi in longius tempus protrahitur tenuis F victus ratio, non conuenit: propterea extat Hipp. præceptum: Tenuis Victus in longis morbis semper periculosus.

Itaque quicquid alii sentiant, consulo, vt non tantum moderatus præbeatur cibus, sed etiam post incrementum potus vini concedatur: nam in principio, vt dixi, abstinentia à potu maximè est vtilis, in augmento mulsæ potus conuenit: circa statum vinum concedatur.

Cu-

Curatio Affectuum, quos parit Destillatio.

VEnio ad curandos, qui ex Destillatione, consurgunt, morbos, & affectus.

Destillatio, vt dixi, decūbit in Dentes, in Gingiuas, in Columellam, in Fauces, & facit Dentiū Mobilitatem Dolorem, Gingiuarum, inflāmationes, & abscessus, Fauciū Vlcera, Columellæ Procidentiam. Ad hæc omnia mala sic occurrendū est.

A

Ad Dentiū Mobilitatē. Primùm quidem si Dentes sint Mobiles præ nimia gingiuarum laxitate, ex humiditate, conuenit hæc collutio. B

Recipe Saluiæ.
Rorismar. an. M. sem.
Cyperi, Ireos an. drach. ii.
Thur Myrrh.
Alum. sciss. an. drach. i.

Bull. in s. q. vin. nig. generos. subauster. vsq; ad consumpt. mediet. f. expres. f. collutio.

Post collutionem in spergātur gingiuę puluere facto ex eodē thure, myrrha, & alumine simul commistis: & quia in hac laxitate, & humiditate plerunque vnus dens alios supereminet, vt inter mandēdum maximum sequatur incommodum dens, qui supereminet, lima est atterendus, modum videatis ex Gal, 5. de comp. per loc. c. 3. C

Ad Dolorē Dentium. Ad Dolorem Dentium ex caussa calida quanquam multa probētur, vt decoctum semperuiui parietar. portulac. nihil præstantius decocto foliorum hyosciami, aut in acet. solo, aut in aceto misto cum aliqua portione succi semperuiui, hoc autem perpetuo memoriæ mandandum, in omnibus Dentium Doloribus acetum conuenire: Nam adiuuat medicamenti penetrationem. D

Gingiuis dolentibus, abstinendum ab aceto.

Si dolor fiat à caussa frigida, in aceto bulliāt radices pyret. & acorus, aut saluia & rosmar. radix. etiā tithymalli cocta in eod. aceto mirifice valet.

Quod si dolor sit ex vermibus, fiat collutio ex aceto scyllitico, aut ex aceto, inquo bullierint scylla, scordium, dictamnus creucus. Impostura est quorundam circumforaneorum, qui accipiunt hyoscyamum, & ex eo suffumigium dentibus faciunt, ex quo suffumigio propter herbæ huius proprietatem quasi vermiculi videntur cadere ex ore; & tunc isti dicunt, se ex vsu huius herbæ sustulisse vermes, iuuat quidem hæc suffumigatio ad dolores ex fluxione calida; sed non educit vermes. E

Putant quidam, hoc genus linimenti vel cerati dentibus appositi omnem dolorem sanare.

Recipe Gallar.
Aluminis an. drach. i.
picis communis q. s. M.

Ego verò in maximis Dentium Doloribus ac Gingiuarum, nihil pręstantius sum expertus hoc emplastro, maxillæ apposito. F

Recipe farin. hord.
fabar. an. vnc. iij.
Ol. ros. compl.
amyg. dul. an. drach. i. sem.
succ. semperui, vnc. i. sem.
Lactis q. s. M. f. Emplast.

Leuiores gingiuarum inflammationes leuissimo etiam negotio superantur, quandoquidem sola caryca inuersa inflammationi imposita aut digeruntur, aut suppurantur, & disrupto abscessu sola aqua hordei mell. ros. commista promptè vlcusculum sanat: sed vbi inflammatio carnis excrescētiam hauberit, quam Parulidem vocant, ægrè admodum curatur: & si quidem caro fuerit pauca & mollis, aut fortibus siccantibus, aut causticis curatur. Fortia erunt siccantia puluis aluminis, misy. aut sory: vel oleo ex caleantho, aut ex sulphure caro illa vsq; quo sanatur & exsiccatur, erit tangenda: vbi verò multùm creuerit, si gracile habuerit pendiculum, siue appendicem, ligatione curatur filo ex seta concinnato paulatim constricto, deinde ipsi carni insperso puluere aut jam proposito, aut herbæ sabinæ. muniantur autem circumstantes partes.

Ad Abscessus Gingiuarum majores, quos vocant Epulides, fortibus etiam opus est auxiliis nam plerunq; corumpitur os, & mali origo ortū trahit ex radice alicujus dentis, & fit fistula, quæ mandibulam totam solet perforare: In quo casu numquam perficitur curatio, nisi auulsione dentis corrosi, igni actuali foramini ipsius abscessus adhibito. Ego quendam curaui frequenti vsu olei ex chalcantho: nam tota corrupta caro gingiuę hujus olei vsu, & lotionum, quibus vtebatur post oleum, fuit seperata, & os mandibulæ corruptum magnitudinis auellanæ sponte exiit: erit autem decoctio talis. *Ad Abscessus Gingiuarum.*

Recipe Ligni Ind. vnc. i.
Scabios. Plantag.
Pilosel. Virg. aur. an. M. i.
Folior. ol. M. sem.
Alumin drach. ii.

Bull. in s. q. aqu. vsque ad tertiam partem, & f. colat, in singulis vnc. iij. adde mell. ros. simp. vnc. sem.

Ad Vlcera linguæ Oris, & Faucium superficialia, quæ vocant. Aphthas, valent pulueres ros. myrtill. cortic granat. chamarum & omnium cōcharum. Exsiccant enim sine morsu: valet etiam lotio facta ex decocto hordei, plantaginis rosarū, acaciæ myrtillorum, sed nihil præstantius hac decoctione, quæ est experta. *Ad Vlcera ling Oris, & Fauc.*

Recipe Summitat. rubi,
Anteræ an. drach. i.
Myrtill.
Rosar. rub. an. drach. ii.
Succ. plantag. vnc. iii.

Bull. hęc omnia in s. q. aquæ vsq; ad medietatis consumpt. facta colatura vtamini pro collutione oris.

Si quis voluerit addere aut diamoron, aut dianucum, hoc etiam maxime confert. Illud etiam moneo in istis vlceribus recentibus præsentaneū esse remedium & auxilium omphaciū, siue agrestam, vt vulgo vocant, pro gargarismate: In Nomis, seu in Vlceribus Depascentibus statim ascēdendum ad ol. ex sulph. ex calcantho, ex antimonio, ad aquā ex Talpa, aut ad illam qua vtuntur aurifabri pro separandis metallis: Sed quia hęc aqua est fortissima, accipiat huius vnc. j. aqu. plā tagin.

tagin. vnc. v. & locus tantùm vlceratus leuiter rā- A gatur gossypio madefacto, styloque imposito, deinde sequatur lotio aut ex aqua hordei, aut ex sero lactis, aut ex aqua plantaginis. Ego autem nil præstantius inueni aqua vitæ aureæ, cuius miros vidi effectus.

Ad Columellam Prociden tem

Ad Columellam Procidentem, si prociderit ex nimia humiditate, confert aut gargarisma ex austero vino, in quo bullierit spica, acorus, oliban. mastix, & thus, aut (quod vulgo faciunt) Recipite drach. i. piper. pulueriz. aut pyretri spatulæ, aut cochleari impositi, & Columellā hoc ipso pul- B uere piperis, aut pyretri attollatis: hoc enim bis, aut ter facto, statim exsiccatur. Quòd si humores sint calidi, loco horum Recip. puluerem aut rosf. aut cott gran. Vbi vbsq; adeo sit elongata, vt deglutitionem impediat, præcidenda est, nisi inflammatio, aut nigredo insignis adsit, sed potiùs extremitas mollis & laxa fuerit. Modum præcidendi leg. apud Paul. lib. 6 c. 1. 2. & ap. Ambr. Paræum lib. 7. suæ magn. chirurg. c. 7.

Ad Raucedin.

Ad Raucedinem ex multa materia humida sine calore nihil conducit magis diaolibano voca- C to, aut formulam talem vos ipsi componatis:

Recipe Thur. Oliban. an. drach. i.
Mast. drach. i. sem.
Succi glycyrrhizæ drach. j.
Farin. Erui, aut Orobi, aut fabar. drach. iii. Mell. q. s.

M. & f. formulæ, quæ desiccentur in vmbra & detineantur in ore. Valet quoq; succus glycyrrhizæ, aut radix recens: sicuti in Raucedine ex caussa calida valet diatragāthum frigidum, diacodiū diapenidium, Saccarum candidum, viol; aut hæc D composite:

Recipe succi glycyrin. drach. ii.
Farinæ Amyli, Tragacant. an. drach. i.
Penidiorum, Sacc. cand. viol. an. drach. i sem.
Syr. de papau. q. s. M. & f. formulæ modo dicto, idest, quæ exsiccantæ in vmbra, detineantur in ore.

Inflam. columell & Tonsillar.

Postularet iam hic locus, vt vobis proponerē curationem inflammationis Columellæ, & Tōsillarum; sed quia hæc curatio non differt à cura- E tione Anginæ, ideo de Angina primò aliqua nobis sunt dicenda.

DE ANGINA.
Cap. XX.

Angina, quam Arabes Squinantiam vocant, dupliciter apud Galenum accipitur, propriè scilicet & impropriè: loquemur primò de propria acceptione, deinde de impropria. *Angina propriè accepta est inflammatio faucium, aut gutturis.*

definitio

Per inflammationem intelligo tumorem vel ex F sanguine sincero, vel ex bile, vel pituita, vel melancholia. Nomine Faucium illam intelligo partem, quam Græci φάρυγγα vocant, & superiacet ipsi gulæ, & gutturi: Intelligo etiam nomine *Faucium* musculos deglutitioni inseruientes. Nomine autem *Gutturis* cum Galeno 4. aph. 34. intelligo Laryngē ipsam, caput asperę arteriæ: In his igitur locis dum fit inflammatio, potest fieri aut in musculis Internis, vel Externis, & cùm fuerit in Internis psius gutturis, facit illam Anginę speciem, quam propriè vocant κυνάγχην; si fuerit in Externis, vocant Παρακυνάγχην: vbi verò inflammantur Interiores musculi faucium, & gulæ vocant συνάγχην; vbi exteriores, Παρασυνάγχην, dicunt: hanc distinctionem habetis apud Galen. 4. aph. 34. quam accepit Trallian. lib. 4. c. 1. & Paul. lib. 3. cap. (24.) 27.

Caussæ.

Materia inflammationis aut fluit ex capite, aliquando verò vel ex iecore, vel ex vtero vel toto corpore: propterea dicebat Gal. 2. aph. 20. aliquando naturam humorum superfluitatē in corpore contentam aut in cutem, aut in fauces deponere. & si quidem materia fuerit biliosa, facit potissimùm inflammatipnem gutturis: si fuerit sanguis pituitosus, facit inflammationem faucium (gulæ) Hoc colligite ex Hip. & Gal. 4. acut. 30. 31. & seqq. atque ideo scribit idem Galenus in com. 20. tertiæ partic. Vere fieri potissimū Anginas ex sanguine pituitoso, collecta pituita tēpore hyemis: Autumno fiunt Anginæ potius ex sanguine bilioso, aucto tempore ęstatis. Hæc de Angina propriè accepta.

De impropria angina.

Impropria angina est impedita deglutitio, aut respiratio cū periculo strangulationis, sed sine inflammatione: fit autem aliquando ex Luxatione primæ, aut secundæ vertebræ ceruicis ad interiora, vel ad latera, vt docuit Hipp. 2. Ep. v. & cōfirmauit Galenus 4. de loc. aff. 3. aliquando fit ex materia pituitosa, crassa, & viscida, imbuente tunicam interiorem Laryngis: quandoque verò hoc ipsum fit ex siccitate eiusdem tunicæ, aut musculorum, has caussas proposuit Galen. 3. aph. 34.

Signa.

Signa huius affectus sunt satis conspicua. Nam si quis aut deuorare cibum non possit, aut deuoret cum maxima difficultate, ita vt assumpta per nares excernantur, difficilis sit spiratio, dicemus hunc Angina laborare.

Sed caussę, & loci affecti distinguendi. Præterea etiam Angina Propria, & Impropria.

Igitur si Interiores Musculi Laryngis sint affecti, nullo apparente in faucibus tumore, aut rubore, ęgri strangulantur, neq; respirare possunt, nisi erecta ceruice, febris est acuta, sitis maxima, linguæ ariditas. Nam hæc Angina, vt dixi, ex humoribus fit biliosis, & propterea autumno potissimū superuenit, quòd si Exteriores Musculi Laryngis sint affecti, nihil quidem apparet in faucibus, respiratio est minùs difficilis, & quandoque rubor apparet circa pectus, & gulam, propter illos quatuor musculos communes, qui in Laryngem inseruntur.

Vbi fauces & musculi interiores gulæ afficiūtur, tumor, & rubor circa fauces apparet, degluti-

tio

tio omnium maximè læditur, lingua induratur, in A crassatur, inuertitur, & extra os apparet, sicuti canibus, liuida, nigra, cum venis admodũ tumidis & inflatis, neq; tamen extrinsecus tumor aut rubor apparet.

In Musculis autem Externis affectis tumor & rubor est circa collum, aliquando vsq; adeo magnus est hic tumor, vt trahat in consensum ligamenta uertebrarum, & illis intro tractis fit luxatio.

Caussam Anginæ sic distinguetis; si fuerit biliosa, autumno potissimùm succedit in corporib. B biliosis, tumor in faucibus nullus apparet, & tamẽ strangulatio est vehementissima, dolor admodũ intensus, sensus caliditatis maximus, febris insignis, ardentissima. Vbi sit sanguis pituitosus, apparet tumor, fit tempore hyemis, aut veris in constitutione humida, corpore pituitoso, tussis adest, & exspuitio materiæ pituitosæ His signis cognosceris Anginam Propriam.

Nam Impropria distinguetur à Propria per febrem, nã Impropria Angina aut febre caret, aut si quæ est febris, præcedit Anginam, non subse- C quitur.

Præterea Angina, quæ fit ex Luxatione, sequitur aut casum, aut percussionem circa vertebras.

Ea, quæ fit ex Crasso Catarrho, habet Respirationem cum sonitu, quasi cum stertore, & si quis vtatur medicamento incidente, statim subleuatur patiens.

Prognostica.

ESt omnis Angina non modò periculosus affe- D ctus, sed etiam peracutus, imò exactè peracutus: nam vt dicebat Hipp. 3. progn. 16. illa Angina, in qua nullus apparet circa fauces tumor, & tamen suffocationis infert periculum, interficit prima die, quandoque secunda, aut tertia, ad summũ quarta: itaque hæc omnium est lethalissima.

Post illam sequitur Angina, in qua inflammátur musculi deglutitioni inseruientes, qui interiores sunt: nam isti producunt illam Anginam, in qua lingua induratur, incrassatur, inuertitur, & inuoluntariè extra os emittitur. E

Mitius habent illi, quibus inflammatio est in musculis externis, aut quibus Tonsillæ tantùm tumidæ sunt.

Consueuit hic morbus desinere aut per resolutionem aut per transmutationem, aut per suppurationem: & cum fit transmutatio debet fieri ad exteriora.

Propterea dicebat Hip. & 6. aph. 37. & 7. aph. 49. In Angina tumore in collo apparente; aut in pectore bonum esse signum: quia materia permutatur ad exteriora. Cęterùm aliquando tumor & F rubor extra apparent, non ex permutatione, sed ex propagatione, quia scilicet tanta est portio materię, vt impleat internos, & Externos musculos. idcirco refert Hip. 2. Epid. sect. 2. mulierem quandam cum hoc tumore, & rubore externo quarta die obiisse.

Vbi verò suppuratur, disrupto abscessu, sanies aut diffluit per os; & hic est locus omnium conuenientissimus: quandoque verò potest diffluere in thoracem, quando scilicet inflammatio fit in musculis internis laryngis. nã si suppuretur, vix fieri potest, quin Pus descendat in Pulmones, & thoracem, in quo casu Hip 5. aphor. 10. scribit, subsequi Empyema, siue Collectionem Puris in Thorace: aliquando descendit in ventriculum, quando inflammatio est in musculis internis gulæ; nonnunquam colligitur sanies in illo spatię inani, qd est inter arteriam, & œsophagum, quando inflammatio est in musculis exterioribus gulæ: Casum talem vidi iam tres menses in quodam patiente, qui obiit.

Curatio.

IN curatione Anginæ concordes omnes volunt initium fieri à sectione venæ, quia in viris nulla est difficultas de loco secandi venam. Certum est enim cum robustiores fuerint, secandam esse primò cephalicam vnius lateris, deinde eodẽ die cephalicam alterius; & si res vrgeat, aperiendæ quoque sunt venæ sub lingua: si morbus dat inducias, aperiantur in sequenti die, sed cùm inflammatio non cedit, post illas duas venarum sectiones, licet quoque reuulsionis gratia hirudines applicare venis sedalibus, & cucurbitulas affigere, ita vt non mittatur sanguis ad vncias, sed in pluribus missionibus ad libras. *Venæ sectio.* *Hirudines cucurbitur.*

Memini me Venetiis cuidam spatio duarũ dierum misisse 30. vnc. Imminebat. n. illi periculum Suffocationis.

Sed si occurrat Mulier Anginosa, cui menses deficiant, aut quæ menses propediẽ exspectet, vel actu habeat, quid tunc agendum? Nolo vos imitari illos, qui secant superiores: in huiusmodi casu statim secandæ sunt inferiores: hoc docet Trall lib. 4. c. 1. docet ratio; nam ex huiusmodi missione non tantùm fit reuulsio, verùm etiam fit naturalis purgationis eductio, & consuetæ, quæ maximè inflammationem iuuat. *In defect. Mẽsium.*

Quòd si Strangulatio negotium faciat, sectis venis infernis, tutò potestis aperire venas sub lingua, nam hęc missio non retrahit ab vtero, non trahit a toto corpore, sed partem inflammatam euacuat: Ita agendum circa Sanguinis missionem.

Quod pertinet ad alias reuulsiones, omnes tẽtandæ sunt, frictiones, ligaturę, cucurbitulæ non scarificatę, balneum aquæ calidę, clysteres acres, præcipuè quando Angina ortum ducat ex sanguine pituitoso. *Frict. ligat. cucurbit, &c.*

Quod pertinet ad Pharmaciam, dum procuranda Angina ad pharmaciam, transeo, curationem distribuam in duas partes pręcipuas. Prima enim versabitur circa Anginam Propriè acceptã: Secunda circa Impropriam, rursum autem in Angina Proprie accepta alia sunt instituenda, vbi materia fuerit biliosa, alia vbi sanguis syncerus, alia verò vbi sanguis crassus, & pituitosus. *Pharmacia.* *In Angin Bilios.*

In Biliosa Angina euacuatio tentari debet aut per syrupum violatum, aut syrupum ros. solut. aut cassiam, aut diaprunum, & cassia, ac diaprudis redigi debent in formam misturæ mollis, vel cum syr. violato, vel cũ syr. de nenuphare, (nymphea) aut de papauere, & quanquam paulatim medicamentum

mentum acceperint, hoc non modò non oberit; A imò magis loco inflammato proderit: Cęterum quia aliquando locus est vsq; adeo angustus, vt neq; syrup. ros. neq; cass. ingredi possint, tunc Sero vtendum admisto diagrydio: Sint autem diagrydii gr. 5. seri præp. lib. j.

Reprimētia. Interim internis Reprimentibus vtendū: sint reprimentia aut aqua plantaginis, aut portulacæ, aut semperuiui, vel decoctio rubi, mali corii, balaustiorum, galiarum, rosarum, anteræ: his aquis, vel decoctis admisceri possunt succi aut ribes, aut agresta, aut vinum granatorum, aut succus mori, B aut sorborum, aut mespilorum, habetis quoque in officinis paratas confectiones ex moris (diamoron vocant) ex corticibus nucum (dianucum dicunt) Istę decoctis, aut aquis admisceri possunt, detineantur in Faucibus absque gargarismate: nam gargarisma ducit humores ad locum affectum; conuenit autem parare misturam, quam semper in ore detineant, ad dolorem demulcendum, ad acrimoniam bilis corrigendā, & fluxionem cohibendam. Mistura sit talis.

Recipe mucilag. sem. citru. vnc. ii.
emulsi. semin. papau. alb. vnc. i.
Semin. plantag.
Amyli an drach. ij.
Pulueris antherę.
rosar. rubear. an drach. 1. M.

Extrinś. Extrinsecus ex communi omnium sententia Anodyna, & Laxantia conueniunt, idcirco aut lana succida vtendum oleo amygd. imbuta, aut hoc Linimento, quod mihi est familiare.

Recipe flor cass nou extr vnc. iij.
Ol. amygd. dulc.
Buty. recent. an. vnc. i.
Mucilag. sem. malu. vnc. i. sem.
M. f. Linimentum.

Lintei hoc medicamento imbuti tepidi collo apponantur, & sæpius mutentur.

In augmento addere oportet aliqua Digerentia; Intrinsecus passulas, liquiritiam: Extrinsecus puluerem nidi hirundinis prædicto linimento commistum.

Vbi verò iam inflammatio accedat ad statum dimittenda sunt reprimentia, & loco illorum vtamini decocto carycarum, siue siccum pinguium, passularum, liquiritię, fœnugræci, hordei, & capill vener.

Extrinsecus hoc tempore conuenit hoc emplastrum.

Recipe Nidi hirund. cremat. & pult. vnc. i.
flor cass. nou. extr. vnc. ii.
Sterc. canin. alb: exsiec. & pulu. vnc. sem
Sapæ q. s. M.

Quòd si Angina fuerit Sanguinea, conuenit cum curatione biliosæ in omnibus, hoc excepto, quod aliquando tendit ad Suppurationem, itaq; vbi suppuratio prohiberi non possit, statim est tentanda.

Ad Anginæ Suppuration Ad Suppurationem nihil est præstantius hoc emplastro.

Recipe nidum hirundinis, & coque
in s. q. aq. s. colat.
Recipe Parectaria, Maluarum,
Althea an. M. ii.
Contund. & his Adde
Farin fœnugræc.
sem in lin.
Ferment. veter. an. vnc. iij.
Butyr. recent.
Axung. suill. un. vnc. ij.
Peadict. decoct. q. s.
M. f. Emplast. quod apponitur Gulę.

Intrinsecùs licet frequenter præbere hoc idem decoctum ex malua, althæa, & superius dictis.

Facta Suppuratione, disrumpendus est quam primùm abscessus. Disruptio fit vel medicamentis, vel manu chirurgica. *disruptio ab scessus*

Medicamentum intrinsecus est decoct. facta ex nitro, sale Ammoniaco, sulphure, coctis in aqua: Extrinsecus conducit emplastrum iam propositum, cui addatur aut fimus columbinus, aut ipse puluis, seu cinis nidi hirundinum.

Si non succedat, aut digitis, aut scalpello, aut candela cerea butyro illita abscessus est disrumpendus.

C Dum disrumpitur, maneant patientes aperto ore, & capite prono, ne pus descendat in thoracem, aut ventriculum: statim verò os abluatur aq. hord cum melle, aut mulsa, quibus deinde addant aliqua exsiccantia, de quibus infra dicam.

In Angina Pituitosa purgatio corporis debet fieri per medicamenta pituitam educentia; sed quæ sint paruæ molis. *In Angina Pituitosa.*

Miror eos, qui bolos proponunt, hieram, & alia: in his casibus opus est Trochiscis alhandal. ac cipiantur gran. v. aut vj. trochiscorum alhandal, D & misceantur vel cum mell. ros. vel violato, vel cum sapa, aut cum modica cassia, vel in iure. Paulus in hoc casu summopere laudat clysteres acres qui mihi quoque probantur.

Non sunt audiendi qui in his casibus accipiūt seu laudant Vomitoria: nam exasperant locum affectum. Circa vsum Reprimentium aliqua est diuersitas in hac cur. tione, respectu Anginæ Biliosæ. licet enim in hoc casu vti aceto, aut posca, in qua incoxerit palmula, mastix, hordeum, & rosæ. *Vomitoria improbantur.*

E Non accipio Vidi Vidij sententiam, qui ad reprimendum vtitur diabesasar, seu medicamento ex ruta syluestri, cuius descriptionem habetis apud. Trall. lib. 4. ca 1. est enim medicamentum, quod potiùs digerit, quàm reprimit cùm sit compositum ex calidis medicamentis, itaque cōuenit potiùs in augmento, & in statu, quam in principio. Cęterum si illud medicamentū adhibeatur, vos poteritis tempore status ad digerendā materiam intrinsecus vti decocto ex serpillo, radice ireos, mentastro, saluia. *Vidius notatur.*

F Rhases noster, & alii, vt Aet. & Paul. ascendūt ad sinapim, ad piper, ad pyretrum.

Ego experientia comprobaui, quod accepiā meis auis, & atauis, hinc puluere intrinsecùs acceptum ad digerendum mirificè facre.

Recipe Sileris montani pulueriz. drach. ii.

Hic puluis potest dari aut cum decocto iam proposito, aut cum melle.

Ego vbi aluus sit stiptica, permisceo puluerem cum

cum cassia,& sic aluus mouetur, & materia inflammationis digeritur. Insufflantur quoq; pulueres per canalem in os, & fauces, & cùm varii possint esse pulueres, hic mihi,& senioribus meis fuit probatus, qui fit ex Carduo Benedicto in has partes insufflato.

Cęterùm Antiquiores valde diligẽtes in sordidis proponendis medicamentis in stercore non modo canino,sed etiam lupino,& humano, collecto tamen ex puero, qui per triduum lupinis nutriatur:sed hæc sordida non mihi placent: Stercus caninum non improbo.

Ita agendum,vbi neq; dolor multùm vrgeat, neq; suffocationis periculum.

In doloribus autẽ intensissimis instillare oportet in aures oleum amygdalinũ: Muniendæ sunt fauces,& collum lanis in oleo,& lacte imbutis: adhibendum linimentum ex mucilagine psyllii, & maluę, vitellis ouorũ,lacte,& oleo amygdalino.

Vbi Suffocatio vrgeat, supini decumbant, frequẽtes adhibeantur cucurbitulæ in occipite. scarificationes fiant,& satis profunæ in collo, pectore, præcipuè si tumor extrinsecùs appareat; repetatur venæ sectio sub lingua; aliquando conducit ipsum quoq; palatum,& fauces scarificare. His non confetentibus, Asclepiades referente Cœlio Aurel. 3. de acut. cap. de Angina deueniebat ad Sectionem ipsius Tracheæ Arterię, quam Barbari Medici Subcanationem vocant. Remedium est periculosum, sed in manifesto vitæ discrimine satiùs est, vt dicebat Galen. 10. meth. aliquid etiam cùm periculo agere, quàm certæ morti patiẽtem relinquere: Modũ huius operationis legite apud Paul. lib. 6. c. 3. & hæc de Angina propriè dicta.

De Angina Impropria.

NAm quantùm ad Impropriam, quæ fit ex humore pituitoso, curatur solo oxymelite scyllitico, clysteribus acribus, & medicamento pituitam purgantes, siue sint pilulæ, siue boli pituitam educentes.

Angina, quæ fit ex Luxatione, pertinet ad aliũ locum: sic quæ fit ex siccitate.

DE MORBIS, SYMPTOMATIBUSQ; OCVLORVM. Cap. XXI.

OCulorum affectus vsque adeo multiplices sunt, vt pro illis integrè,& sigillatim pertractandis integer annus vix sufficiat, ideirco vt omnes aliquo methodo percipiatis, incipiam ab enumeratione symptomatum, a quibus methodo resolutoria transibo ad morbos.

Symptomata verò alia pertinẽt ad excrementa immodice fluẽtia, in quo genere est Fluxus Lacrymarum,& Epiphora; Alia pertinent ad actiones tactorias deprauatas, vt est Dolor; Alia ad motrices, in quo genere est Paralysis, Conuulsio, quæ Στραβισμὸς dicitur,& Agitatio quędam Oculi inuoluntaria, quam Græci Ἵππον Latini Equum appellant, cuius affectus meminit Gal. 1. prorh. 21. & auctor definit. Medicarum; Alia denique pertinent ad visionem, quæ est oculi propria, siue

A sit imminuta, (imutata) siue ablata, aut deprauata

Ego hoc tempore (Auditores) nihil dicam de symptomatis actionis motricis, quando quidem de Paralysi & Conuulsione satis dictum est suo loco,& ille affectus, quem ἵππον appellant, sequitur affectum musculorum, qui naturaliter imbecilles sunt, vt docuit Galen. locis citatis, & propriè curatur, sicut Paralysis,& Conuulsio ex Repletione.

Symptomata verò actionis tactoriæ, & excrementorum p.n. fluentiũ redigam ad Opthalmiã,
B vt propterea tantùm nobis inquirendi sint oculorum morbi ex symptomatis ad visionem spectantibus.

Huiusmodi morbi aut fiunt circa facultatem, aut circa pręcipuum visionis instrumentum, aut denique circa partes inseruientes præcipuo instrumento.

Morbi ad facultatẽ spectantes, sunt vel in neruis Opticis vocatis, vel in Cerebro, vel in spiritu animali. Morbi præcipui instrumenti pertinent ad Crystallinum, cœteræ omnes partes inseruiũt:
C duo humores, Vitreus & Albugineus, ac Septem Tunicę omnibus notissimæ, quarum prior Adnata seu coniunctiua vocata, multas patitur affectiones, quas in præsentia recensebo, deinde ad Palpebras, tum ad Corneam Tunicam, deinde ad Vueã, seu Rhagoidẽ, aliasque partes mẽ cõuertã.

In hac Tunica Adnata fiunt Taraxis, Ophthalmia, Chymosis, seu Chemosis, Hyposphagma, Hypopyon, & Pterygion. Isti omnes affectus simul etiam cum eo affectu, quem Græci dicunt Epiphoram, possunt redigi ad Ophthalmiam: quæ
D retione, nunc intelligetis.

Ταραξις quæ Latinis dicitur Vacillatio, seu Cõturbatio, nil aliud est, quàm intemperies calida coniunctiuæ cum aliquo rubore; sed sine tumore, est quasi principium inflammationis; propterea ortum ducit potiùs ex caussis extrinsecis, insolatu, balneo calido, puluere, fummo, festuca, aut aliquo animalculo oculũ ingrediente, aut ex potu vini meracioris, alijsq; caussis externis. His caussis quandoq; accedit vera inflãmatio, quæ Ὀφθαλμία dicitur, quando scilicet vel totum corpus,
E vel caput humoribus fuerit plenum, vel oculi naturaliter imbecilles.

Hęc inflammatio est vel Legitima vel Spuria: Legitima fit ex sãguine attracto, vel propter caussam extrinsecam, quæ caussa extrinseca si fuerit percussio, facit illũ affectum, qui ὑπόσφαγμα appellatur, Arabes vocant Tarfati, Latini dicunt Punctum sanguinis, quia sanguis extra venatur, & circa Coniunctiuam rubedo apparet.

Idipsum fit aliquando ex fluxione, siue fiat à parte propter suppressam sanguinis ex naribus
F excretionem, siue à toto corpore, vel ex plenitudine totius, vel ex retentis consuetis excretionibus.

Spuria fit ex Bilioso sanguine, quãdo huic bili ichor biliosus,& acris misceatur, erumpunt lacrymæ frequentissimę, quę palpebras erodunt: in illis ruborem faciunt, atque etiam in angulis oculorum: & hic affectus Græcis proprie dicitur Ἐπιφορά.

Quòd si inflammatio sit Pituitosa, quandoque est cum flatu connexa, & fit Ophthalmia Vesicalis nuncupata: æmulatur. n. vesicam inflatam; Aliquando habet fluxionem ichoris tenuis, insipidi, sine vlla acrimonia: vocant hunc affectum Arabes Fluxum Lacrymarum.

Ophthalmia Vesicali.

A

Fit autem hæc fluxio eodem modo, quo omnis destillatio, aut per expressionem cerebri à frigido, aut per colliquationem à calido, aut expellente facultate naturalis substantiam ichorosam, in caput delatam.

B

Fit etiam aliquando Ophthalmia Melancholica, quæ indurata consueuit transire in illum affectum, quem Vnguem, seu Πτερύγιον Græci vocant; Quamuis hic affectus fiat etiam sine vlla inflammatione: Sponte enim adnascitur hic panniculus, seu membrana, quę in substantia & colore vnguem ęmulatur, & non modò Coniunctiuam; sed etiam quandoque Corneam occupat.

Inflammatio autem Sanguinea, quæ legitima est, quandoque suppuratur; quandoque verò induratur. Vocant huiusmodi affectum Græci Ὑπόσφαγμα, seu Suggillationem. Gal. 5. de comp. per loc. c. 1. vocat Hypopyon materiam contentam sub membrana venas inflantem absque suppuratione. Paul. lib. 3. inquit esse suppurationem.

C

Aliquando hæc inflammatio vsque adeo augetur, vt palpebras inuertat: neque enim claudere possumus (possunt) oculum; imò verò præ tumore inuertuntur: Hunc affectum Græci vocant Χήμωσιν, vel χήμωσιν.

Signa Ophthalmiæ, &c.

D

HIs sic declaratis, non modo patent caussæ verùm etiam magna ex parte horum affectuum signa.

Etenim Taraxis siue Vacillatio est rubor sine tumore ex caussis pręgressis, vt dictum est.

Inflammatio Legitima habet ruborem cum tensione venarum insigni, cum plenitudine totius corporis.

Biliosa absq; ichore habet paruum tumorem; sed cum colore citrino, vehementissimo dolore, febre acuta, in corpore bilioso, post siccam constitutionem, vt notauit Hipp. & cum eo Gal. 3. aph. 11. 12. 13.

E

Si connexum habeat ichorem, multæ sunt lacrymæ, quæ, vt dixi, erosionem faciunt.

In Pituitosa tumor est mollis, ferè indolens, & si cum ichore, multæ emanant lacrymæ; si cum flatu, vesicæ in Coniunctiua apparent.

In Melancholica color est liuidus.

In Hyposphagmate nullus ferè est dolor, imò inscijs ipsis patientibus plerunque hic sanguis in Coniunctiua extra venas apparet.

F

Suggillatio, seu Hypopyon facilè cognoscitur: nam sub Membrana præcipuè Cornea, quando pus adest, alba materia apparet; vbi verò non est suppurata materia, venæ Coniunctiuæ repletæ, & quasi induratæ, videntur præ se ferre membranā quandam fusci, aut liuidi coloris ad differentiam Pterygij, seu Vnguis; qui album habet colorem; qui æmulatur vnguem.

Chemosis omnium facillimè cognoscitur ex signis propositis, si tumor sit adeo magnus, vt palpebras inuertat.

Præsagia.

DE Prognosticis Ophthalmiæ pauca nobis veniunt dicenda; certum enim est, Ophthalmiam, quo grandior fuerit, & ex humoribus frigidis, & tempore hyemali facta, eo diuturniorem esse; contrariam verò breuiorem.

Dictum est etiam Spuriam transire aliquando in Vnguem Oculi; Legitimam verò vel in suppurationem siue Hypopyon, vel in Vlcus, & vlcus sanè varium, de quo infra abundè dicemus.

Omni Ophthalmiæ fluxum alui superuenire bonum esse docuit Hipp. 6. aph. 17. Lippientem alui profluuio corripi bonum, ex quo docet Hipp. quantum ars ipsa Ophthalmicis præstare possit, euacuando humores confluentes.

Therapia.

ITaque nos quoque ad curationem descendentes pauca quędam attingemus de euacuantibus totum corpus, & caput: nam cætera volo vos requirere in tract. de Catarrho. Primum autem illud moneo Taraxin, siue Vacillationem, quę sequitur caussas externas, solis localibus remedijs, & victu conuenienti sanari.

Idcirco si fiat ex festuca, seu animalculo oculum ingrediente, oculus aqua impleatur, aut lacrymę excitentur, aut ambra calefacta oculo appropinquetur, vel denique inuersa palpebra tollatur festuca resina imposita extremitati styli.

Si fuerit fumus, aut puluis, aut insolatus, satis est oculum abluere aqua tepida aut rosacea.

In vera Ophthalmia locum habet venę sectio, de qua nihil dicam, nisi quod pertinet ad Quantitatem, quod scilicet in his casibus liceat multum sanguinis semel educere. Galen. lib. cur. per sang. missionem, cap. xi. detractis lib. vi sanguinis Lippientem breui curauit. Qui veretur hanc summam sanguinis missionem, non vereatur saltem in corpore plethorico lib. 1. vel 1½. & pro necessitate augmenti inflammationis sectionem repetat, hirudines venis sedalibus adhibeat, cucurbitulas affigat; pro reuulsione quidem infernis locis; pro deriuatione Scapulis, & Occipiti, imò occipiti magna affixa cucurbitula cum scarificatione, maximum præstat laborantibus oculis emolumentum.

Venæ sect.

Hirudin & Cucurb.

Idipsum faciunt Vesicantia, & in diuturnis fluxionibus Setacea, & Cauteria, sicuti in Recentioribus hirudines post aures, sectio venæ frontis apertio venarum nasi

Vesic. cauter.

Sectionem venarum, quę sunt circa angulos oculorum, non propono, quia operatio mihi non est assueta, sicuti quoque (vt arbitror) non modò turpis, sed inutilis est incisio frontis per longum, aut transuersum, quam Gręci hypospismū vocant.

Nam si fluxio sit per venas interiores, nihil facit hęc incisio: si fit per cutem, & venas exteriores,

riores, satis erit vti reprimentibus, astrictorijs fronA ti, & temporibus adhibitis, de quibus nunc mentionem faciam.

Pharmacia.

TRanseo igitur ad Pharmaciam: in hoc casu, si febris non prohibeat, quamprimum licet vti purgantibus pilulis · Profitetur Gale. 13. meth. 11. purgante valido medicamento se vnica die Oculorum Inflammationes sustulisse: quod & ego pluries sum expertus: sed si febris vigeat B accipio Aliasis consilium, vt lenientibus primò vtamur, vel cassia, vel syrup ros. vel aliis id genus medicamentis.

Circa præparantia illud moneo, ne ocularia statim in præparantibus admisceatis; quod tamen vulgò video practicantes facere: ducunt hæc humores in oculos, cũ tamen ab initio longè parte fluxione tentata sint retrahendi, itaque tunc tantùm medicamentis ocularibus vtendum, cum totum corpus, & caput magna ex parte mundum est, & scopus est fluxam in oculo digerere ma- C teriam.

Tertium quoque moneo, in affectibus Oculorum sternutamentá quidem mihi minus probari; non tamen omnia reijcio, quæ scilicet nares expurgant, vt succum betæ, aut maluæ, aut manna cum aqua hordei, vel alica, & id genus leuiora. Auic. 3.3. tract. 4. c. 1. comprobat in affectibus Oculorum vsum purgantium per nares.

Idipsum facit Gal. 3. meth. 2. & lib de cucurb: & scarificatione: propterea mihi mè sunt audiendi, qui vniuersaliter improbant hæc remedia. D

Localia Transeo ad Localia, inter quæ sunt primò Reprimentia; hæc adhibentur aut ipsimet oculo, aut partibus circumstantibus, quæ adhibentur oculo, non debent adhiberi nisi post primam, aut secundam diem: nam siue materia sit calida, siue frigida, ex reprimentibus maximum sequitur incommodum: in calida retentus humor dolorem auget, oculum exulcerat; in frigida concrescit, & induratur: idcirco difficillimè digeritur: Fronti & temporibus suò, & vtiliter adhibentur. E

Recipe Pulu gallar.
Rhois rub. an. drach. ij.
Farin. volat. sem. vnc.
Terræ sigill.
Sang. dracon drach. i. sem.
Albumi. ouor n. iiij.
Succ. plantag. q. sem. M.

Qui non studet his longis compositionibus, poterit accipere terram argillam cum albumine oui, aut albumen cum farina volatili: nam hæc omnia vsum præstant efficacem. F

In frigida fluxione puluetes fiunt ex thure, olibano, myrrha, mastice, spica, & excipiantur vino austero.

Interim ipsi oculo ad demulcendum dolorem & prohibendam fluxionem nonnulla conueniunt quandoque emplastica moderatè Reprimentia & in magno dolore opiata. Emplastica sunt farina amyli, tragaganthum, albumen oui, & ex compositis Sief album, lac ipsum, decoctum fœnugræci, quamuis hoc virtutem habeat diuulsoriam, mucilago omnis præcipuè seminum cydonior.

Poteritis itaque accipere albumen oui recentis diu conquassatum, quam gallaturam vocant, & permiscere cum aq. ros. & per linteos frequenter oculo imponere, aut accipiatis medullam panis recentis imbutam vel in simplici lacte, vel in lacte, & aq. rosac. Sed consulo, vt æstate lactis vsum fugiatis; nam facile acescit, & acrimoniam ex aciditate oculo infert:

Efficacissimum erit medicamentum hoc, quod
Recipit fol. hyoscyam. M. sem.
Summitat. papau. alq n. vi.
Plantag. M. i.
Bull. in s. q. aq. Plantag.
Facta colat. in huiusmodi decoct. extrahatur.
Mucilago semin cydonior. & vnc. i. y.
huius mucilag.
Addat. *Aq. ros. vnc. i. &*
Gallatur. vnius oui recent.

Vtamini hoc medicamento, conueniat autem influxionibus calidis, in quibus, vt dixi, propter vehementiam doloris licet quandoque vti opio. Et propterea habetis passim in officinis paratos sief albos cum opio, quibus vti soleo ego, ne oculum lædant, aut visionem perturbent, hoc modo.

Recipe Sief. alb. cum opio drach. i.
Dissolu. in aq. ros. deinde adde
Decoct. fœnugr. vnc. v. M.

Si fluxio sit frigida, ab initio conuenit vti coriandro puluerizato misto cum eod. decoct. fœnugræci, aut sarcocolla macerata primùm lacte, deinde permista cum eodem decocto.

Vbi verò scopus sit materiam aliquantulum digerere, semper ea sunt eligéda, quæ morsu careát idcirco pomum coctum cũ aliqua portione facc. in linteo oculo appositum primas habet partes: idipsum facit ouum recens induratum, in duas partes diuisum, ablato luteo, & cauitate repleta, aut saccaro candido, aut saccaro communi.

Vel vbi scopus digerendi sit maior, poteritis immiscere cum sacchato aut puluerem cymini, aut meliloti.

Sed Antiquiores mei nihil præstantius inuenerunt ralura corticum oblitæ sacc cómista, & huic cauitati albuminis imposita, adhibentur hęc omnia per linteũ rarum & mundum idipsum faciũt fomenta per molles spongias ex decocto fœnugræci, camomeli, anethi, & meliloti, sanguis colũbinus, is pręcipuè, qui in plumis continetur, quæ sunt sub alis ita calidus in oculum immissus digerit, præcipue verò probatur à Gal. 4. comp. per loc. ad Hypophagma, ad Sanguinem Extrauenatum

Cum Inflammatio Coniunctiuę, vbi ad statũ peruenit, vel possit discuti & digeri, vel transmutetur aut in suppurationem, aut in membranam aut in vlcus, propterea loquemur primò de medicamentis vnamquamque materiam digerẽtibus postea verò transitum faciemus ad Suppurationem, ad Pterygion, siue Vngulam, quę est membrana, & ad vlcera.

Calida igitur materia digeri potest, aut fomẽtis, quæ fiunt ex decocto meliloti, anethi, fœnugræci:

græci. Fiunt quoque linimenta varia; sed præ- A cęteris omnibus celebratissimum est Diabutyrũ, hoc medicamentum pro varia Butyri lotione potest accommodari inflammationibus non modò in statu exsistentibus, sed etiam in incremento, in statu quidem lotio fieri consueuit in vino malnatico austero, & pro singula butyri vncia addatur drach. j Tutiæ, & semiscrup. Camphoræ.

Diabutyrum.

Si quispiam hoc vti voluerit in augmento f. lotio Butyri in aq. rosac. Est remedium præstantissimum, quo ego vti soleo.

Cęterùm non modò inflammationes, quas vo- B cant Ophthalmias, sed etiam Pustulæ Coniunctiuæ, quas Græci ... plydrasia vocant, hoc eodem modo curantur, Sicuti & Vesicæ aqua plenę quæ Coniunctiuam & Corneam occupant, quas φλυκταίνας phlyctenas appellant, curantur, vt Opthalmia Aquosa, aut scilicet cumino contuso, & melle commisto, aut puluere absynthij, aut corticum rhababari in succo rutæ, aut succo fœniculi, & vbi Vesicæ sunt amplæ, commodè adhibetur toti oculo emplastrum ex farina fabarum, fœnugræci, addito cumino, & aniso contusis, simul cum C succis rutæ, & fœniculi.

Vbi inflammatio sit Melancholica, humor primo est molliendus.

Itaque fiat fomentum ex aqua tepida, in qua bullierint malua, althæa, semen lini, & fœnugręc. postea digeratur fortioribus præsidijs. Fortiora sunt cassia lignea, & cinamom. puluerizi mistum cum cymino, puluere hyssopi, addito succo aut anagallidis, aut minoris centaur. rutæ, vel euphragiæ.

Ad Chemosin, quæ est magna inflammatio, in D qua palpebræ inuertuntur, Galen. 4. de comp. per loc. c. 1. (8.) laudat medicamentum ex Luteo oui, & corporibus muscarum confectum; nihilominus tempore statu hæc ipsa emollientia & digerentia conueniunt, de quibus iam memini.

Sed si inflammatio transiteri in Hypopyon, siue in Suggillationem, siue Sypputationem (quæ sunt idem) cùm materia sit valde profunda, difficilè digeritur, id circo Gal. 13. meth. c. 22. triplicē proponit curandi modum, Primus est per digerentia, Secundus per capitis concussionem, Ter- E tius per Corneæ perforationem. Vt digeratur materia, cùm sit valde profunda, primùm erit attenuanda, præcipuè verò si denigrata fuerit, idcirco cōuenit vti euaporatione, vt scilic. fiat decoct. & per tubulum fumus in oculum recipiatur. Decoctio sit talis.

Recipe Radic. Bryon.
Cucum. syluest. an. semI vnc.
Pulp. colocynt. drach. ij.
Radicb. alth. vnc. i.
Centaur. minor. F
Sileris montani,
Pulegij an. M. i.

Bull. ad consumptionem 3. partis, & f. suffumigium.

Huic succedunt digerentia fortia. Antiquiores, vt potestis videre apud Galen. 5. de comp. per loc. cap. 1. ascendebant ad Muriam, qua vtebantur per spongiam. est valde mordax medicamentum; satis est accipere acetum &, vinum album

Muria.

ęquis portionibus, & in huiusmodi liquoribus incoquere folia lauri, rutam, chelidoniam, euphragiam, fœniculum, centaur. min & si decoct. fiat in vase æneo, erit fortius medicamentum. Est remedium non vulgare aqua destillata ex folijs oliuę in eodem vase æneo. Probantur quoque trochisci viperini, aut ipsa vipera combusta, & in cinerem redacta, quæ melle, aut succo, vel rutę, vel chelidoniæ excipiantur. Hęc omnia fortem habent vim digerendi, & attenuandi.

Quę si non conferant, caput, vt dixi, fortiter agitandum est, vt pus descendat; aut pungenda est cornea in parte inferiore, dummodo suggillatio sit alba, nam in denigratis, neque concussio, neque apertio quidquam facit, est enim materia indurata satis.

At si transeat materia in Vlcus, huiusmodi vlcus, aut est superficiale, aut profundum, Superficiale est duplex, aut angustum & rotundum, aut latum, primum dicitur Βότρυον Bottryon, secūdum dicitur Κοίλωμα, Cęloma. Si fuerit vlcus profundum, est adhuc duplex; nam aut est vsque adeo profundum, vt totam erodat corneam, aut est sine totius corneæ erosione.

Vbi erosio corneæ succedit, statim excernitur pupilla, & primus exitus pupilę æmulatur caput muscæ, idcirco Græci vocant hunc affectum Μυοκέφαλον, Myncephalon, Si vlteriùs progrediatur malum, ęmulatur acinum vuæ, & tunc vocatur Σταφύλωμα staphylocoma. Si maior adhuc sit portio vueæ egressę, ita vt vix palpebræ occuldantur, vocant hunc affectum, Μῆλον Græcè, Milon Melum. Et vbi valde indurescit instar capitis claui, vocant Ἧλον. i. Clauum, Auic. Claualem Ruptionem.

Si tota cornea non disrumpatur, vlcus tamen sit profundum, & sordidum, vocatur Ἐπίκαυμα Epicaima. Profundum sine sorditie dicitur Ἄργεμον argemon.

Huiusmodi vlcera sine sorditie facilè sanantur aut pulueribus siccantibus, qualis est terra lamia, amylum, thus, tutia, cerusa, puluis factus ex testis ouorum in pollinem redactis, hæc vel insufflantur, vel stylo excepti pulueres vlceri imponuntur. Exsiccant pariter aqua virgæ aureæ, polygoni. Sarcocolla aut simplex, aut in lacte macerata primas quoque obtinet partes, & vbi adsit lacrymarum fluxio, nihil præstantius hoc medicamento.

Accipiatis lapidem hęmatitem, & fricetis super cotem in aqua rosacea, aut aqua plantaginis vsque ad rubedinem insignem ipsius aquæ deinde vtamini hac aqua. Vbi sit vlcus cum dolore, nihil est præstantius ipsa fuligine butyri, Modum conficiendi hanc fuliginem legatis apud Dioscoridem 2. lib. cap. de fulig.

Fuligo Butyr.

Vbi adsit sorditi es, abstergendum est vlcus aut sero caprino, aut aqua mellis, aut aqua in qua tri gesies thus sit exstinctũ, addito melle rosato. Hoc medicamentũ abstergit, exsiccat, sicuti ẽt valenter exsiccat; & plus cęteris valet influxione frigida crocus, aloes, & myrrha, siue in puluere, siue mistũ cũ aliquo liquore exsiccante, & cōsolidāte, vtessel succus hypericonis, aut succus mille folij.

Quòd

Quòd si vuea iam sic egressa, oportet primò A vueam ipsam egressam intromittere, primùm emolliendo, deinde digito comprimendo: facta intromissione, statim adhibendum medicamentum ex albumine oui cũ sarcocolla, & cum amylo, deinde verò spongia vino austero imbuta, in quo bullierit myrthus, rosa, balaustium, & acacia superimponatur.

Sanato vlcere Maculę remanẽt; Maculas Οὐλάς vocant Gręci: Superficiales proprio nomine Νεφέλια, Latini Nubeculas; Profundiores autem, quæ radices altiùs egerunt Λευκώματα Leucomata. Soluuntur istæ Maculæ aquis quibusdam B stillatitijs, aut cinamomi, aut garyophyll. Quidam summopere laudant vrinam pueri vase æneo destillatam.

Hoc scio experientia, summopere maculas illas delere, os sæpiæ puluerizatum sacc. cand. æquis portionibus commistum: insufflatur in oculum, aut in forma linimenti cum melle, adhibetur parti interiori palpebræ. Quidam neque inutiliter in eundem vsum accipiunt pumicem; Alij accipiunt lapillos quosdam paruos, planos, asperos, C qualis est lapis geodes, & imponunt inter palpebram, & oculum, nam ille lapis moto oculo paulatim nubeculas illas sumit.

Quod pertinet ad Pterygium si medicamentis superari possit, est confricandum lapide pumice: deinde adhibenda hæc medicamenta quæ fortiter digerãt; sed vbi membrana est indurata, opus est manuali operatione, quã potestis legere apud Paulum lib. 6. cap. 18.

Ad hanc partem pertinent duo affectus, qui tractandi sunt flammeis medicamentis, Carbun- D culus scilicet, & Carcinoma oculi, sunt enim insanabiles.

Versabimur in præsenti lectione circa affectus Anguli Maioris, ac Palpebrarum, quos omnes, Deo fauente, expediam.

Anguli Maioris Oculi Vitia.

QVinque affectus fiunt circa Angulum, de quorum nominibus tametsi aliqua sit inter scriptores differentia; Ego tamen hac in parte se- E quar Paulum.

Primus affectus Paulo dicitur Α'γκίλωψ Anchylops & est inflammatio huius anguli: Alter dicitur Αἰγίλωψ Aegilops, siue abscessus. Tertius est Fistula. (Epinyctis Plin. lib. 20. cap. 6.) Nomine Fistulæ vlcus intelligo angustum, & oblongum, siue habeat ossis cariem, siue non habeat: hæc enim Fistula Lacrymalis vocata vtroque modo contingit. Quartus affectus est Ῥύας, siue erosio caruncule huius Anguli Maioris, ad quam sequitur cõtinua quædam lacrymarum effluxio. Huic oppo- F nitur ille affectus, quintus, quẽ Gręci Ε'γκανθίς vocant, & nihil aliud est, quam carnis in hac parte excrescentia, idcirco quidam vocant Acrocordon; Auic. Additionem Carnis Lacrymalis.

Curatio. In curatione Anchilopis, qui affectus est omnibus conspicuus, suppositis euacuationibus, & reuulsionibus vt pluries dictum est, circa localia, & duplex, & ea quidẽ insignis oritur difficultas: Prima est circa Reprimentia; Secunda circa suppurantia: nam vtraq; Fistulæ periculum inferre videntur; illa quidem repellendo humorẽ ad profundas partes: hæc verò putrefaciendo; nihilominus vtrũq; aliquãdo agendũ est necessariò.

Vbi fluxio tunc primùm incipiat, angulo antea non laborante, reprimentia conueniunt; nam si antea nunquã laborauerit hic locus, profundę partes sunt robustæ: itaque repulsio potius fiet ad latera, quàm ad profundum; at si inflammatio fiat iam procedente morbo, in hoc loco nullo modò repulsio conuenit.

Videbitis in praxi, laborantes Fistula Lacrymali incidere inflammationes, in quo casu non conuenit repulsio. Repellentia sunt succus plantaginis mistus cum albumine oui, & aqua rosacea, aut rosa recẽns contusa, vel succus rosarum, vel puluis rosarum mistus cum succo plantaginis.

Materia iã fluxa, si fieri possit, est digerenda.

Digeritur autem vel supposita alyca in aceto cocta, aut rutæ folijs, pariter aceto coctis, aut cochlea contusa melle excepta. Præ cęteris valet centaurium minus, siue succus, siue folia contusa: Quidam pro secreto habent nucem rancidam contusam & applicatam.

Aliquando oportet vti suppurantibus, quando scilicet natura iam suppurationem inchoauit, & humor est sanguineus & copiosus, vt suppuratio impediri non possit; in hoc casu satiùs est quàm primùm suppurare, & abscessum nõ probè adhuc confectum aperire, quàm vti digerentibus, quæ crassiorem materiam relinquant, & fistulæ periculum adaugeant.

Abscessus aperiatur in parte decliui longè ab oculo, curetur sicut alii abscessus, turunda imposita, & superposito cerato diacalciteos vocato, seu vulgò diapalma. Ego cùm superioribus mẽsibus hic Patauij habuerim nobiliss. mulierem hoc abscessu laborantem, post disruptum abscessum adhibui Diabutyrum, quod vnica die sanauit abscessum; itaq; consulo vt hoc etiam vtamini.

Cęterùm vbi adsit fistula, si fuerit absque ossis carie, potest sanari medicamentis siccantibus, & agglutinantibus; sed hoc primùm diligentissimè obseruandũ, vt locus iste ab omni sanie, & ichore per compressionem digito factam expurgetur, deinde aut aliqua aqua fortis, aut puluis inspergatur.

Puluis potest componi hoc modo.

Recipe Sarcocol. Myrrh.
Antimon. an. drach. i.
Chalciteos
Floris æris an. drach. sem. M.

Si nimis forte sit medicamentum, addatis puluerẽ aut purpurarũ, aut concharũ, aut ossis sepiæ.

Aqua accommodata fieri cõsueuit ex chalchantho, ac flore æris, quæ ebulliant in aqua rosacea.

Ego hunc in modum parare soleo aquam, quę tamen non est valde mordax: Accipio albumen oui induratum sine luteo feruens adhuc, & in ea cauitate impono chalcanthum, præcipue illud album, quod vulgò dicunt Cuperosa, simul cum flore æris, deinde impono in linteo mundo, & exprimo totam hanc substantiam in aqua rosacea, quam deinde impono in vase æneo.

Huius guttulæ aliquę paulatim infundantur A in Fistulam, studendum autem, vt post impositionem medicamenti pars illa perpetuò sit compressa, in quem vsum debēt parari globuli aliquo instrumento, qui continuo comprimant angulum oculi. Cęterū vbi os sit corruptum opus est igne actuali; docebo vos modum vtendi igne actuali absq; periculo; nam ego vsus sum hoc ipso Venetiis in quodam Monacho S. Georgii: In istis, qui laborant tali fistula, aliquando lacrymæ retinentur, & simul sanguis & ichor, & tunc fiunt Apostemata, & Inflammatione aucta debet Medicus curare, vt inflammatio fiat. Nam cùm primùm fit, multo minus aliquid excernitur aut puris, aut ichoris, ita vt non fiat amplius. Facto tumore potest aperiri in angulo, (potiùs in loco decliui,) Facta apertione imponitur turunda ex radice gentianæ, aut medulla canę, quæ aperit foramen, vt commodè possit videri os, tunc paratur cannula ferrea, in qua imponitur stylus ignitus triangularis, & præmunito oculo linteis imbutis in succo plantaginis, albumine oui & rosaceo, vritur locus ipse non semel, aut bis, sed vsque ad desquamationem ossis oculi. Ego in eo casu per triginta dies continuos vti coactus sum adustione bis in die: Exsquamato osse agendū pulueribus siccantibus, qui illi curationi sint, qui valent in Rhyade, siue erosione carnis anguli: Sunt autem puluis aloes, tutia crocus, myrrha, quibus pulueribus adduntur quoque medicamenta proportionata ex siccantia extrinsecus, de quibus iam dixi.

Modus adurendis os corruptum.

B

C

In Encanthide verò opus est medicamentis erodentibus carnem. Lapis sarcophagus, vocatus primas habet partes pulueriz. & inspersus; in defectu huius lapidis, vtamini aliis erodentibus, sed præmunito oculo conuenit adhibere Aegyptia, cum melle commistum, aut puluerem misy, vel sory, vel chalciteos, aqua etiam, aut vinum in quo alumen ebullierit, vtiliter administrantur & hæc de affectibus Angulorum. D

De Malis Palpebrarum.

QVod ad Palpebras, multi quidem numerātur affectus. At horum omnium curatio tandem redigitur ad quatuor capita, nam quidam curantur mollientibus, quidam siccantibus; E quidam manu chirurgica, nonnulli mista quadam ratione.

Mollientibus tractantur χαλάζιον, siue χαλαζώδεις, Πτίλωσις, & Κριθή.

Est Chalazion tumor durus grandini similis in colore & figura.

Est pariter Pulosis tumor durus, qui saxum æmulatur.

Est Crithe, seu Posthia, id quod Latini vocant Hordeolum.

Duo priores tractantur emollientibus, & præ- F cæteris laudatur Ammoniacum & bdellium, dissoluta in aceto acerrimo.

Posthia, Crithe, siue Hordeolum, cùm est durus callus, tractaetur eodem modo, quandoq; verò est inflammatorius, in quo casu eget suppuratione.

Commodè fit suppuratio, adhibito frumento masticato ipsi hordeolo.

Siccantibus tractantur Ξηροφθαλμία, siue Scabies Palpebrarum humida, quæ infesta, & angulum, & palpebras: Ξηροφθαλμία, quæ est Lippitudo Sicca, & Σκληροφθαλμία, quę est Affectus Pruriginosus Palpebrarum cum dolore, ac rubore Siccantibus pariter tractatur, Τράχωμα. Σύκωσις, Τύλωσις Φθειρίασις, Πλαδαρότης, & Μυδησις.

Isti sunt affectus qui contingunt Interiori Parti Palpebræ superiori hoc discrimine, quod Tracoma sit scabrities quædam palpebræ; Sycosis sit scabrities, sed cum fissuris quibusdam, & granulis duris, rubris, qualia sunt grana ficus; Tylosis est summa huius affectus induratio, ita vt palpebra vix moueri possit.

Phthiriasis est affectus pedicularis palpebrarū

Pladarotes est intemperies humidissima, cum continuo fluxu materiæ aquæ, & humidæ ex palpebra cum tumore œdematoso.

In Mydesi effluit quidem humor, sed quandoque cruentus, aut liuidus, nam adest putredo, & caro quædam corrupta in parte interna.

Ex affectibus, quos proposuimus curandos, cùm aliqui sint Humidi, vt Pladarotes, Mydesis, & Psorophthalmia. Alii verò Sicci, vt Tracoma, Sycosis, Tylosis Xerophthalmia, & Sclerophthalmias idcirco in eorum curatione triplici modo incedendum est; In humidioribus satis est vti medicamento siccante.

Multa possent proponi, sed consulo, vt vtamini vno ex his tribus, quæ sunt experta; videl. aqua confecta ex calce, aut ex chalcantho albo aut ex squama æris: & quamuis non nulli has præparent aquas per infusionem horum corporum, tamen ego illas consueui parare, vt dixi vobis in præcedente lectione, imponendo calcem, aut chalcanthum in albumine oui indurato, & calente, & expresso per linteum in aq. rosae.

Si quis etiam

Recipiat Vini Maluat. austeri lib. i.
Fol laur rutæ an. P. sem.
Flor. rorism. vnc. sem.
Alum. drach. ii.

& Bull. hęc omnia in vase æneo, liquorem componet ad hos affectus accommodatum.

In siccioribus prętermittenda non est emollitio, & in induratis fricanda est Palpebra lapide pumice vsque ad cruentationem, deinde inungenda aut diabutyro, cuius iam memini, aut vnguento composito, vel ex axungia vetere, siue lanido loto in vino maluat. cum additione pulueris tutiæ, & modica camphora, vt in singula vncia axungiæ sit drach. i. Tutiæ & scrup. sem. cāphorę.

Alij Affectus qui compositam requirunt curationem sunt Φθειρίασις, Μαδάρωσις, Μίλφωσις, Διςτιχίασις, Τριχίασις, Φαλάγγωσις.

Est Phthiriasis morbus pedicularis palpebrarū qui curatur partim medicamentis abstersoriis, partim pediculos necantibus. Abstersorium erit lotio facta ex aq. marina, in qua bullierit sal, sulphur, & staphisagria addito modico melle.

Post lotionem necant pediculos palpebrarum aut ipsa staphisagria cum melle, aut linimentum factum ex aloe succotrino, staphidagria, puluere

absynthii

absynthii & melle scyllit. aut medicamentum subscriptum, quo Paulus vtitur, cui admodum simile describit Aetius.

Recipe alum sc issilis partes ii.
herbæ pedicularis partem i.

Teratur, & eo cilium attingatur.

Madarosis est defluuium pilorum palpebrarum, cuius multæ sunt caussę, aliquando lues Vener. aliquando humiditas nimia, quandoque humorum corruptio.

Huic prouidendum purgatione totius corporis & propterea, vbi adsit humorum corruptio cum B acrimonia, conuenit vsus succi vnius integri granati contusi cum toto cortice, siue simplex, siue melle commistus.

Disticha est ortus pilorum palpebrarum duplicato ordine, sicuti Trichiasis in triplicato, & Phalangosis in quadruplicato ordine. Affectio molesta est, & ex subortis pilis pungit oculum.

In quo casu necessaria est euulsio, & post euulsionem locus aut igne actuali inurendus est, aut oleo ex sulphure, vel ex chalcantho: Quidam cũ pice, aut resina omnia simul componunt, atque C vnjunt, vt noxam non inferant.

His non conferentibus, veteres ad chirurgicã operationem deuenerunt, quæ fit acu pilum recipiente, & illum educente per foramen factum in palpebra. Videatis Paul. lib. 6. & Ambros. Pareum lib. 16.

Alii affectus palpebrarum sola manu chirurgica tractantur: Hi sunt Λαγωφθαλμία, Lagophthalmia, idest, Oculus Leporinus, Estq; inuersio superioris palpebræ, vt ægri oculis apertis, perinde ea lepores, dormire debeant, Ἐκτρόπιον, ectropion D id est, inuersio inferioris palpebræ, propter cicatricem, aut carnis excrescentiam aduenientis. Ἀγκύλωσις, Ancylosis, vel Ἀγκυλοβλέφαρον, ancyloblepharos, quæ & agglutinatio seu inuiscatio dici potest, nam est coniunctio vel naturalis, vel acquisititia vtriusque palpebrę, aut simul, aut cũ corneæ, vel coniunctiua: Solam manum chirurgi eam requirit etiam Ὑδάτις, Hydatis quæ est tumor in palpebra superiori, quam vulgus Natam vocat: siue sit species meliceridis, siue atheromatis, siue steatomatis. Modum curandi legite apud E scriptores propositos.

His expeditis, transeo ad ea, quę maioris sunt momenti.

De læsa visione.

TRanseo ad illos affectus, qui omnium maximè visionem tollunt, aut deprauant, aut imminuunt.

Tollitur visio ex triplici potissimũ affectu: Ex Gutta serena, ex Glaucomate, & ex Suffusione. F

Gutta serena est priuatio visus propter nerui optici vel rupturam, vel integram obstructionem aut exsiccationem. In hoc affectu oculi nullam in se labem habere videntur, & tamen patiens nihil videt.

Γλαύκωμα Glaucoma duplex est: Vnum est exsiccatio humoris crystallini, cuius meminit Gal. 10. de vsu partium, qui scribit morbum esse in-A sanabilem; Alterum est ex abundantia humoris, siue crystallini, siue albuginei: Hic affectus non tollit visionẽ; sed tantũ, aliqua ratione ĩminuit, & quãdo est naturalis color, nihil visioni incõmodat.

Vtrum hic color aliquando siccitatem sequatur, vel ne, & quomodo idem color possit fieri & ex siccitate & ex humiditate, docui alias in nostris lectionibus.

Tertius affectus, qui tollit visionem, est, integra Suffusio, ex humore concreto, vel in ipso humore albugineo. vel quod frequentius est, inter albugineum, & corneam.

Deprauatur visio aut in Phantasmatibus, aut in Suffusione imperfecta, aut in Strabositate, seu mala oculi pupillæ, & humoris crystallini situatione, aut in hallucinatione, aut etiam in Mydriasi & Phthisi pupillæ.

Deprauatur primo in Phantasmatibus; quando quidem Phantasmata nihil aliud sunt, quàm corpuscula quædã ex crassis vaporibus genita ab infernis partibus in humorem albugineum, vel saltem ante crystallinum transmissa, vario modo cõfigurata, vt propterea patientes putent se videre aut muscas, aut culices, aut quædam puncta nigricantia, modò duo, modò tria, modò plura, quidam dicunt se videre nubeculas albas, rubras, aureas, mobiles. Fiunt hæc omnia ex phantasmatum varietate in figura, & in colore.

Neq; audiendi sunt hac in parte Peripatetici quidam, qui existimant hęc corpuscula in oculo existentia nullo pacto videri posse, eo quòd sensibile supra sensum non faciat sensationem; & quòd necessarium sit medium inter sensibile, & obiectum. *Peripatetici opin. reiecta.*

Prima ratio in cęteris sensoriis, præcipuè tactu locum non habet, nam sensibile supra sensorium facit sensum, & in sensu visus tunc tantum locũ habet, quando obiectum positum super sensoriũ impediret & prohiberet ingressum luminis, sed huiusmodi corpuscula lumen non prohibent, idcirco si medium est necessarium, est necessarium pro recipiendis speciebus rerum sensibilium externarum. at si res visibilis est in oculo, vt in organo, non est opus medio: Valeant igitur huiusmodi rationes philosophorum.

Deprauatur visio in Suffusione non integra, quando humor concretus est circa centrum pupillæ, circumferentia verò est sine vllo humore impediente, tunc enim vt scribit Galen. 1. de caus. sympt. 2. exterior obiecta videntur perforata. Quòd si concretus humor sit in parte superna, vel interna, vel dextra, vel sinistra, obiecta videntur tantùm circa illam partem, & locum, qui non est impeditus: in alia, & alio loco non videntur. Ego sola inspectione agnoui impedimentum in patientibus.

Tertio fit deprauata visio ex mala situatione vel totius oculi, vel pupillæ, vel crystallini: Hæc mala situatio si fuerit vel ad superiora, vel ad inferiora, facit apparere res geminas; si sit ad latera res non apparent geminatæ.

Si quæratis caussam, Ego veram proponam quam alibi non inuenietis. In isti crystallinus habet cubam figuram, in anteriori parte est planus *Cur obiecta appareant geminata.*

propterea extremitates terminãtur linea,& angulis, si vertatur oculus ad angulũ nõ mutatur planities. si vertatur ad superiora, vel inferiora, mutatus planities: nã angulus necessariò se porrigit **A** in oculo straboso ante planitiem alterius oculi sani; angulus crystallini strabosi est altior & eminentior qua crystallini sanus: brigitur vnus humor habet suã planitiem, alter porrigit angulum. species visibilis primò recipitur in illo oculo, cuius crystallinus porrigit angulum, qui recipiatur in planitie alterius, vbi autem species bis recipiatur obiectum apparet geminatum.

Deprauatur etiam visio in Mydriasi, id est, in Dilatatione Pupillę, propter quam objecta apparent minora, sicuti in Atrophia, vel in Tabe Pupillæ, quandoque tollitur visio, quandoque objecta apparent minora. **B**

Pupillæ Dilatatio, & Constrictio aut fit ex vitio rhagoidis tunicę, aut ex ipsamet pupilla, aut ex corporibus subiectis. Ex vitio rhagoidis quãdo vsque adeo intumescit, vt vel pupillam extendat, in quo casu fit Dilatatio, aut comprimat, & tunc fit Constrictio. Ex pupilla cũ vel exsiccatur, vel laxatur à nimia humiditate, in quo casu constringitur, aut impleta à nimio humido dilatatur **C** Corpora subjecta ipsa & dilatationem, & constrictionem faciunt; nam siue albugineus augeatur, siue concrescat materia inter albugineum, & pupillam, dilatatur pupilla; si deficiat albugineus constringitur pupilla: Deficit verò aut exsiccatus, aut euacuatus, id quod contingit per quædã vulnera corneæ, & rhagoidis.

Dapravatur etiam visio, vt dixi, in Hallucinatione, quandoquidem siue cornea siue pupilla, siue humor albugineus, extraneo imbuatur colore aut citrino, aut rubro, aut fusco, omnia obje- **D** cta ejusdem apparent coloris, vocaturq; affectus παρόρασις, et hactenus de visu deprauato.

Diminuitur visus tripliciter: aut enim interdiu optimè vident, noctu vt que etiã stellas aut literas sub candela inspicere possunt. Hunc affectum Paul. & Auicen. vocant Nyctalopian; Auctor tamen libri definitionum Med. & Introductorii Nyctalopen vocat, in qua patientes sub lumine candelę noctu omnia integre videant; interdiu nequaquam.

Secundo modo diminuitur visus, quando pro **E** pinqua obiecta commode inspiciuntur; remota autem minime. Hunc affectum Græci dicunt μυωπίασιν, vel μυωπίαν.

Eodem nomine potest etiam appellari imminuta visio, in qua obiectum proximum vix potest videri; remotius multo melius cernitur.

Hunc modum quidam Recentiores reprobãt; sed malè, quia ego habui patientes.

Tertius modus diminutæ visionis dicitur Ἀμβλυωπία, vel Ἀμαύρωσις in qua patientes neque propinqua, neque remota benè intuentur. **F**

Caussæ diminutæ visionis.

De caussis sunt aliqua dicenda: nam earum tractatio curationem docet. Itaq; interdiu optimè vident, noctu autẽ minimè, qui spiritus visorios paucos, & tenues obtinent, humores & oculorum tunicas densas, & solidas: Isti enim à copioso humore illustrantur; noctu autem propter densitatem tunicarum & humorum, & spiritus paucitatem occulus satis superque non illustratur: quòd si humores, & tunicę sint admodum rarę, & tenues, tunc à pauco lumine illustrantur; à multo autem disgregantur, vt propterea noctu in pauco lumine meliùs intueantur, quam in multo.

Qui optimè vident proxima, remota autem minimè isti quoq; tunicas habent raras, tenues, spiritus pariter admodum subtiles, & puros atq; copiosos etiam: idcirco pauco egent lumine proxima itaq; facilè intuentur; distantia non possunt inspicere, quia & spiritus, & humores, & tunicę raræ, & tenues disgregantur.

Cõtra verò melius intuentur remota obiecta illi, qui habent spiritus crassos, tunicas & humores solidos & densos. Triplex est caussa. Primo quia obiectum, quo remotius est (dummodo seruatur distantia conueniens, eo fortius suã imprimit speciem. nam, vt rectè docent Perspectiui, species visibilis dum tẽdit ab obiecto in oculum, facit pyramidem cuius basis, est in obiecto cuspis verò in oculo: itaque quo cuspis est acutior, eo fortius penetrat; acutior autem est cùm est remotius in proportionata distantia, quàm vbi obiectum est proximum. 2. Vbi obiectum distat, nõ potest inspici, nisi spiritus visorius, non quidem sua mole penetret ad obiectũ visibile; sed est saltem necessarium, vt vis visoria illustratione quadam illuc perueniat neque enim videmus speciẽ in oculo, sed obiectum per speciem: nam species deducit oculũ de potentia in actum, & facit, vt videatur obiectum, quod propterea videtur illius magnitudinis, & figurę, & coloris, cuius est, quod si species, quæ est in oculo, videretur, nulla esset ratio, quamobrem magnitudo, & cætera obiecta visibilia distinguerẽtur: propterea magnus Arist. lib. de sens. & sensili cap. 11. hanc veritatẽ declarauit, cùm dixit, speciem visibilem esse illam, quę facit videre. itaque cùm res sic se habeat, spiritus animalis, quanquam crassus, in visione rei distantis attenuatur; proximum verò obiectum non potest inspicere, quia adhuc impurus, & crassus est.

Accedit tertia caussa, quòd quo obiectum est ipsi oculo magis proximum, eo minus illustrantur partes oculi: nam proximum obiectum facit vmbram: Tunicæ autem densæ, & solidę vt illustrentur, magno egent lumine; ideo obiecta remota melius intuentur: Ex dictis patent caussæ cur quidam, nec proxima, nec remota bene intueantur.

His sic declaratis cùm tot modis visio tollatur, deprauetur, & imminuatur, illos omnes prætermittam, qui curationem non admittunt.

Non admittunt curationem visio Ablata propter nerui Rupturam, aut Obstructionem confirma

firmatem, vel inflammationem induratam: et facilè cognoscitur hic affectus, quia oculus in omnibus partibus videtur sanus, & tamen visio non adest. A

Neque potest sanari Glaucoma ex siccitate: nam defectus crystallini humoris, qui iam colorem oculi mutauit naturalem, amplius restitui non potest, siue fiat hic defectus ex senio, siue ex atrophia totius corporis, siue ex punctura, aut vulnere oculi. Non inficior ex pūctura, aut vulnere, aliquando euacuatum esse humorem, subsequutamque siccitatem; (cœcitatem) & tamen iterum eundem humorem fuisse restitutum, visumque recuperatum; sed hoc contingit euacuato albugineo, non autem crystallino, & in pueris, non autem adultis, vt scribit se aliquando vidisse Gal. 1. de caus. sympt. c. 2. Et ego ipse vidi Venetiis puerum, qui percussus forcipe ī oculo, statim euacuato albugineo cœcus factus est per 6. menses, cum atrophia oculi, et tamen restituto iterum albugineo visum recuperauit, pupilla tamē remanente, distorta ad superiora, in qua parte erat vulneratus. B

Est quoq; insanabilis antiquata Suffusio & indurata. Per in duratam intelligo non tantum illā quæ in membranam conuersa est, nā hęc deponitur: sed illam intelligo, quæ in substantiā gypseam, aut calcis est mutata, quæ cognoscitur ex colore albissimo, ex abolita prorsus visione, vt neque lumen intueantur: et præterea, quòd compresso oculo digito, materia illa nihil mouetur, & clauso vno oculo, pupilla nulla ratione dilatatur. Si dilatetur pupilla, si lumen saltem intueantur, spes curationis relinquitur. C

Cæterùm cùm ex Suffusionibus quædam sint spuriæ, quædam legitimæ: & spuria sit incrassatio quædam insignis aut crystallini, aut humoris albuginei, hæc incrassatio antiquior facta est insanabilis. D

Ex legitimis autem Suffusionibus insanabilis est illa, quamuis non indurata, quę habet materiam collectam inter humorem albugineum & crystallinum: et enim neq; medicamenta neq; acus penetrare valent eo loco.

Denique Strabositas confirmata & in adultis est affectus insanabilis: quamuis in Puerulis lactantibus corrigi possit imposito aliquo globulo purpureo suspenso in opposita parte oculi strabosi; dum enim pueri frequenter intuentur illud obiectum, paulatim strabosum oculum in suum situm naturalem redigunt. Cæteri affectus sunt sanabilis. E

Signa Affectuum Curabilium.

Antequam eorum morborum, qui curabiles sunt, curationem aggrediamur, quædam de signis sunt dicenda, partim diagnosticis, partim prognosticis.

Nam quod pertinent ad Guttā Serenam vocatam, cùm sanabilis sit, quando ex recenti vel obstructione, vel inflammatione fiat, cognoscetis hęc distincta esse à fractura nerui, quòd nulla præcesserit caussa extrinseca, cuius fracturæ caussę non vulnus, non casus, non contusio; & si sit obstructio, amittitur visus illæso oculo momento temporis absque ullo dolore.

Si sit inflammatio, cum viso abolito, adest dolor circa oculorum radices, & acuta febris.

Circa Phantasmata illud etiam animaduertēdum, hæc aut esse per consensum à ventriculo, aut per essentiam in oculo. Quæ sunt per consēsum omnia sunt mobilia, variæ magnitudinis ac figuræ, quandoq; vnum, nonnunquam alterum, aliquando ambos occupant oculos, & ieiunis, ac cruditate laborantibus sunt magis impensa, quā post cibum nuper acceptum, & post conuenientem victus rationem.

Quæ verò per essentiam sunt in oculo, firma sunt, perpetua, semperque vnius, & eiusdem magnitudinis & figure. idcirco hæc suffusionem minantur, priora autem non necessariò. Et signū futurę suffusionis ex phantasmate desumptum illud est, quòd quandoq; splendores quidam versantur circa oculum patientis & interdiu & noctu. Fit autem hic splendor refracto spiritus viso rii radio ad hujusmodi corpuscula tenebrosa, & incrassata: nam in hoc casu reflectitur lumen spiritus visorii ed crystallinum, & splēdor apparet.

Circa Suffusionem illud quoq; notandum cū spuria sit, & legitima, vnam ab altera esse distinguendam. Spuria, quæ fit ex albuginei crassitię, & densitate, in hoc distinguitur à legitima, quæ fit ex materia: quia priorem non præcedunt Phantasmata, & paulatim patientes visum amittunt, quasi per caliginem, fumum, aut nebulam respiciāt.

Cùm vero visus iam est abolitus, si respiciatis oculum, illum quidem conturbatum, confusum, & obscurum videbitis, non tamen circa pupillā apparebit illo color vel plumbeus, vel gypseus, vel cinereus, vel albicans, qui suffusionem sequitur: & præterea nunquam in Spuria Suffusione amittitur visio tantùm secundùm medietatem, vel secundum particulam, sed secundum totum, vel minuitur, vel tollitur. In legitima Suffusione multum quoq; refert distinguere materiam, & locū. Materiam, vtrum sit humor, an membrana. Locum, vtrum sit collecta inter corneam, & rhagoidem, & albugineum, vel inter albugineum, & crystallinum.

Cognoscetis materiam Suffusionis esse humorosam, si digito oculum comprimentes videbitis ipsum agitari, & dilatari, præterquam quòd visio imminuitur tantùm. Vident enim quasi per nebulam.

Contra quàm contingat in facta cum membrana, quæ neque dilatatur, & visum prorsus adimit. Si materia sit inter corneam & rhagoidem, facilè cognoscitur, quia cornea, quasi vter quidam inflatur & repletur, & si contingat (quod aliquando contingit) vt hic humor sit collectus tantùm iuxta pupillam, recta linea aspicientes nihil vident, aut ægræ vident: si intueantur ad latera, commode possunt inspicere: Vbi sit inter rhagoidem & albugineum, materia videtur iuxta pupillam: Cornea tamen est lucida, & transparens. F

Vbi est inter crystallinum, & albugineum, tollitur visio, nulla sensibili apparenta circa pupillam

lam moxa: Oculus tamen aliquã pręſe fert pertur bationẽ, ad differentiã obſtructionis nerui optici.

Quod etiam pertinet ad vitia rhagoidis, nõ eſt difficilè diſtinguere Dilatationẽ, aut Conſtrictionem ex plenitudine factam ab ea, quæ fit ex inanitione, nam in plenitudine intumeſcit, oculus ſiue cum inflammatione, ſiue citra inflammationem: Contra verò, contabeſcit, & imminuitur.

Curatio.

B

TRanſeo iam ad curationem, quam diſtribuo in quinq; partes, ſeu claſſe: quandoquidem omnes propoſitis affectus curantur aut ſolis remediis intrinſecis, & ijs, quę attinent ad viuendi rationẽ aut curantur & ſola viuendi ratione; aut tertio curantur & purgatione, & victus ratione, & medicamentis extrinſecis: Quidam verò ſolis extrinſecis curantur, ſed pharmaceuticis; quidam deniq; opem requirunt chirurgicam.

In prima claſſe ſunt Phantaſmata, Suffuſio incipiens, & affectus ille neruorũ ex recenti obſtructione, aut inflammatione factus: Nam hi omnes affectus multo melius curantur purgatione totius corporis, & capitis, reuellentibus, & deriuantibus, ac conuenienti victu, quàm localibus medicamẽtis, & præterea vbi adſit obſtructio nerui optici, quamprimum deueniendum eſt ad pilulas, efficaciter caput purgantes, antequam materia induretur. Exhibeantur cochię præparatæ, aut fœtidæ. Præparentur humores oxymel. comp. & ſcilit; & iterum repetatur purgatio.

Et capite, ac corpore vniuerſo purgato, omnia illa adhibeantur, quę poſſunt illud quã primũ purgare, ab oculis diuertere, & humiditatem ſiccare.

Idcirco inſtituantur Maſticatoria, Naſalia, Gargariſmata, ſtatim fiat Setaceum in occipitio, fiant Veſicantia poſt aures: omnia demũ; peragantur, quæ poſſunt caput exſiccare, & craſſam materiã attenuare: Quòd ſi adſit inflammatio nullum genus mittẽdi ſanguinis prætermittatur per ſectas venas, per cucurbitulas & ſcapulis, & occipiti, per hirudines poſt aures, per apertas narium venas, & (ſi fieri poſſit) per venas quoque angulorum oculi, atque omnes aliæ reuulſiones adhibeantur.

In Phantaſmatibus, quæ fiunt ex ventriculo, præter victus rationem, quę omnium maximè eſt neceſſaria (nam in hoc caſu cauendũ eſt à leguminibus omnibus, à caſeo, lacticinijs, placẽtulis, acribus omnibus, vino generoſo, & multo potu aquę, nimia Venere, ſtudio, & ſomno ſtatim poſt cibũ, & ſomno facto capite admodum depreſſo) Præter hæc nihil præſtantius frequenti vſu ſpecierũ hieræ, quam maximè laudat Gal. 4. de locis aff. c. 2. Quantitas ſit à drach. ij. ad ſem. vnc. pro temperamenti varietate: In robuſtioribus, & qui habent ventriculum humoribus valdè plenum, ego etiam vtor diaphœnico hieræ cõmiſto ad drach. iij vel iiij. Vtor frequenter oxymelite præparato cum abſinthio, & in obeſis, ſi oxymel, abſynthites ſit, ſcilliticum eſt multo præſtantius. Vtor deinceps hoc Electuario ad Phantaſmata, & incipientes Suffuſiones, quo ego plures & curaui, & præſeruaui:

Electuarium eſt tale:

Recipe Sileris mont.
Euphragiæ
Fœniculi
Aniſorum
Hyſſopi
Pulegii
Chelidoniæ) *exſiccat. & puluerizan. vnc. ß.*
Rutæ
Betonicæ
Lenticl. an. vnc. i.
Cardamomi
Gingib.
Piperis.
Cinamom.
Cymini an. drach. i.
Mellis aut ſuccari q. ſ.
M. & f. Electuar.

Doſis eſt à drach. i. vſque ij. ſummo mane, quatuor horis ante cibum, & veſpere in ingreſſu cubilis.

C Sola victus ratio illos ſanat oculorum affectus, qui ex ſpirituũ tenuitate, & paucitate, & tunicarum, atque humorum prauitate proficiſcuntur; In his enim ſatis eſt vti cibo optimi ſucci, ſpiritus multos, neq; admodum tenues generante, propterea eligantur carnes ſolidæ caponis, phaſianorum perdicis, Vinum ſit optimum. Oculi quotidie vino etiam odorato lauandi ſunt, aut replendum vas vitreum viridis aut purpurei coloris, quod magnitudinem æquet orbium oculi vaſculum repleatur vino, & oculi in eo ſupponantur.

D Solis medicamentis externis curantur intemperaturæ oculi abſq; materia, ex cauſſis extrinſecis factæ, ac tumores indurati, qui pupillam aut adſtringant, aut dilatent, fruſtra in his caſibus corpus ipsũ purgatione, aut ſanguinis miſsione colliquatur, ſatis enim eſt vnicuiq; intemperaturæ contraria adhibere remedia. Calidæ quidem ablutionem ex aqua roſacea, aut plantaginis. Frigidæ ablutionem ex vino, aut aqua euphragiæ, vel E fœniculi cum modica aqua (vita) vitis. Humidæ inſperſione puluerum aut tutiæ, aut aloes, aut oſſis ſepiæ. Siccæ deniq; impoſito lacte, decocto maluarum, altheæ, aut facto emplaſtro ex mucilagine ſeminum maluæ, & altheę cum lacte muliebri, & farina amyli.

Durum tumorem hac ipſa ratione, hoc inquã Linimento poteritis emollire, præmiſſo tamen fomento ex decocto maluæ, biſmaluæ, & altheæ, & ſemine lini.

F Omnia requirunt medicamenta, tam interna quàm externa, Hallucinatio, & vnaquæq; Suffuſionis differentia, dummodo in membranam nõ ſit conuerſa; hæc enim curatur chirurgicis. De internis pauca dicam, nam certum eſt in Hallucinatione illis agendum medicamentis, quę iecoris, aut lienis obſtructiones ſanent, nam magna ex parte ſiue color ſit citrinus, ſiue viridis, aut liuidus, qui Hallucinationem facit, ex horum viſcerum obſtructionibus proficiſcitur, quibus propterea proſpiciendum.

Quod

Quod verò ad Suffusionem pertinet, quæ dicta sunt in superiori lectione procuranda obstructione nerui optici, conueniunt etiam in Suffusione facta, siue legitima, siue spuria. A

Per spuriam vero, vt dixi, intelligo tunicarũ, & humorum dẽsitatem, spirituum crassitiem, quę cum aliquando Nyctalopen, & Myopen faciant, vt iam ostendi, idcirco vnus est in omnibus curæ modus, & per Interna, & per Externa.

Nam quod pertinet ad Interna, omnibus potest administrari illud meum electuarium.

Quod verò pertinet ad Exteriora, maxima est horum sylua: Dicam autem, quæ mihi præstantiora videntur; Sunt quædam lenia, quædam vero fortiora. B

Inter leniora est inspiratio, seu efflatio in oculum ab illo facta; qui aut cinamomum, aut fœniculum aut cardamomum, aut piper nuperrimè masticauerit.

Est quoq; linctus linguæ ad huc imbutæ succo rei mansæ, siue sit fœniculus, siue quid tale.

Est quoq; aqua panis, quæ aut simplex, aut cõposita paratur. Simplex quidem ex solo pane recenti calido: Composita ex pane confecto cum multo sale, fœniculo, euphragia, & ruta. C

Ipsæ quoq; aquæ chelidoniæ, rutæ, & fœniculi inter leniora connumerantur: si istis addatur aliquid croci, fortius fiet medicamentum: si eligatur succi, erit adhuc efficacius: imò verò chelidoniæ succus propter acrimoniam lacti, aut rosaceo debet commisceri.

Quantum autem possit hic succus ad huiusmodi affectiones, docet Dioscorides, qui in lib. 2. ca. de chelidon scribit hirundines pullos iam obcœcatos hoc succo pristinæ sanitati restituere. Accepit hoc, ni fallor, ab Arist. qui 6. de hist. animal. in fine. scribit hirundines pullis non ex natura, sed ex vulnere obcęcatis visum restituere. D

Idcirco Gordonius consulit, vt fiat medicamẽtum ex istis pullis hirundinaceis, vt scilicet eorũ oculi pungantur, vt cœci fiant, postea tunc accipiantur, cum iam visum recuperauerint: Parentes enim imposito chelidoniæ succo filiolos sanant: Hos vult cremari, & in puluerem redigi, & cum melle oculis adhiberi. E

Mihi hoc consilium non probatur. nam si quę est virtus in hoc pullo, est in oculo ratione succi nuper impositi; itaq; oculus non exsiccatus esset tantùm accipiendus, vstione & siccatione tota virtus consumitur, sed satius est, vt dixi, vti ipso succo chelidoniæ.

Efficacius medicamentum sunt omnes felles animalium; ex mitioribus sunt felles piscium, deinde vituli, tum bouis, aut tauri, mox verò auium rapacium, vulturis, aquilæ &c. Isti omnium sunt efficacissimi. F

Vsurpantur aut recentes melle commisti, aut exsiccati & in puluerem redacti, propterea haberis etiam apud Rhasem descriptionem Sief. de fellibus.

Inter efficacia medicamenta est quoq; oleum ex aniso destillatum, ex fœniculo, aqua destillata ex cinamomo, & ex caryophyllis.

Sed omnium fortissima aqua erit ista:

Recipe Ammoniaci
Bdellij
Opopanac.
Serapin. an. vnc i.
Flor. æris drach. vi.
Chalcanthi vnc. iiij.
Succi verbenæ
Euphragiæ
Chelidon.
Rut. Fœnic. an. vnc. ii.
Myrrhæ
Aloes an. drach. ii.
Tragacanth.
Gumm. Arab. an. drach. iii.

Misc. omnia, & destillentur per alembicum vitreum.

Tragacanthum & Gummi imponuntur, vt conseruent robur oculi, neque patiantur, vt nimium dissoluantur tunicæ & spiritus.

Gummi Opopanacum &c. imponuntur, vt durum Tumorem emolliant: cætera verò vt fortiter digerant; propterea est aqua omnium præstantissima.

Sic agendum, vbi spes sit materiam in oculo exsistentem digerere, aut tunicas & humores dẽsatos rarefacere.

Sed vbi iam humor in membranam sit conuersus, sola depositione curatur, de qua nihil dico, sed hoc tantùm moneo, Medicum ante depositionem duo præstare debere: Primum est, vt vtatur, & cibis, & medicamentis omnino contrariis illis, quæ habent vim consumendi Phantasmata, & Suffusiones incipientes: nam vbi opus est membranam deponere, vt tutior sit operatio, oportet humorem incrassare, & propterea per quatuor, aut quinq; menses ante depositionem consulunt Medici, vt patientes vtantur cibis crassi succi, placentulis caseo, lacte, oryza, halica, piscibus, omni denique cibo incrassante: qua in parte illud vos moneo, laborante vtroq; oculo suffusione, hoc consilium esse accipiendum, si vnus tantùm laboret, nequaquam. Dum enim crassum humorem vnius oculi in membranam conuertitis, suffusionis principium in alio inducitis.

Secundum quod moneo est, per octo saltem dies ante depositionis tempus corpus diligenter purgandum, sanguinem mittendum, tenui victu vtendum, & cibis ac potionibus omnino refrigerantibus, ne ex pertorat one inflammatio succedat, idcirco pridie absq; cibo sunt continendi, aut saltem sola ptisana vel panatella cum emulsione seminum melonum. Cętera pertinent ad istos, qui deponunt cataractas.

Collyrium in Hebetudine oculorum cũ membranæ densatæ sunt, & crassefactæ, de quo Io. Crato à Kraftheim in quodam consilio certam se scribit habere experientiam

Recipe Euphrag. rut. chelid. maior.
Verben. beton an. M. i.
Sem. fœnic. siler. mont. an. vnc. ß.
Rad. calam. arom drach. vi.
Absynt. hortens. M. ß.
Flor. cynhoresar. an. M. i. ß.

Thur.

Thur. Aloes, Myrrh. an. drach. ii.
Aq. ros. lib. ii.
Vin. malu. Aq. rut. an. lib. i.
Vrinæ pueri lib. sem.

Infundantur omnia per dies quinq; postea s.a. destillentur in vase vitreo, ac destillatum vitro bene cooperto seruetur vsui.

DE AFFECTIBVS AVRIVM Cap. XXII.

TRanseo iam ad symptomata & morbos Aurium, quamuis autem symptomata sint in B duplici differentia, dolor scilicet, & actio auditoria vel imminuta, vel sublata, vel deprauata, nihilominus horum omnium curationem & naturam sub vno complectar titulo, Auditus scil. quouis modo læsi.

Læditur autem auditus vel affecto præcipuo organo, vel partibus inseruientibus, vel ipsomet cerebro, aut neruo in principio sui exortus. De affectionib. cerebri aut nerui, quatenus ex cerebro statim ortum ducit, nihil in præsentia: satis hactenus dictum est occasione phrenitidis, lethargi, co- C matis, cari, & aliarum id genus affectionum. Præcipuum Auditus instrumentum (quidquid alij sentiant) potest duplex constitui: Vnum susceptiuum tantum speciei audibilis, & est Aer implantatus; Alterum susceptiuum & iudicatiuum speciei eiusdem, & est Neruus Auditorius quintę coniugationis, dilatatus circa antrum, seu meatum, quem cochleam vocant. Cęteræ omnes partes auditui inseruiunt: Meatus exterior, Tympanum, siue Misinga, Chorda Tympano alligata, tria officula, quorum primum vocant Malleum, secundum D Incudem, tertium Stapedam, & Meatus atq; Anfractus omnes, quorum primus est, qui Aerem cōtinet Implantatum intra Misingam, cui succedūt Fenestræ, tum Aquęductus, deinde Labyrinthus, mox Cochlea, vbi neruus reperitur dilatatus circa præcipuū auditus organum. In his omnibus partibus varia contingunt vitia: In Aere quidem Implantato contingit intemperies, impuritas, siue crassities, ex permistione varii vaporis, & humoris, defectus ob disruptionem Tympani motus inordinatus vel propter agitationem à caussa extrin E seca, sonitu scilicet vehementi, aut à caussa intrinseca, vapore scilicet aut flatu, quæ corpora dum repercutiuntur ad antra, & cauernas propositas, sonitum faciunt in aure perpetuum, propterea deprauatum auditum, qui modò acutus est, & sibilus dicitur, modò grauis, & propriè Sonitus vocatur.

Vapores autem, & flatus vel generantur in ipsa met aure, ex sorde, pure, ex quacunq; alia materia, vel confluunt à cerebro, sicuti in Phrenitide, vt docuit Hipp. & Gale. primo in primum pro- F rhet. 18. Aliquando vel à toto corpore, vt in febribus, vel à parte determinata, vt liene, vtero, ventriculo, iecore, laborantibus quouis morbo, siue in intemperie, siue in mala compositione, aut vnitate soluta, vel cum lue Venerea, vel sine lue; frequentissimè autem fit hic sonitus cum lue, aliquā do criticè, aliquando symptomaticè.

Præcipuum Auditus instrumentum, sicut & A Tympanum, variis subiiciuntur morbis: Intemperiei omni & cum materia, & sine materia, obstructioni a quocunq; humore, siue calido, siue frigido, tumoribus pariter & inflammatoriis, & duris ac frigidis: propterea verò abscessibus, quibus disruptis succedunt vlcera quandoq; sordida, & maligna, quandoq; benigniora, & munda.

Meatus ipsi præcipuè exterior a variis obstruitur caussis, quandoq; à sordibus, nonnunquam à corpusculis ingredientibus, pisis, faba, vel alio huiusmodi corpore, aut ex caruncula adnata, vel ex inflammatione, vt dictum est.

Deniq; ipsum Tympanū, Chorda, & Officula patiuntur solutā vnitatem, nam Tympanum dissoluitur vel à vehementi sonitu extrinseco, aut ab irrumpente flatu interno, aut corroditur ab vlcere: Officula verò inuicem colligata seiunguntur, & ab inuicem separantur.

Et propter has omnes caussas Auditus vel imminuitur, vel tollitur. Imminuitur quidem ex solis intemperantiis siue cum materia, siue sine materia; ex moderarata obstructione, ac densitate. Neque etiam tollitur auditus, sed tantum imminuitur, læsis illis officulis.

Quanquā enim scio Realdū Columbū cui adhæret Archang. Piccolom. & Andr. Laurent. voluisse hæc tria Officula vsq; adeo ad Auditum cōferre, vt sine illorum collisione Aer Implantatus sonitum recipere non possint: nugæ tamen sunt, vt ingenuè dicam, Ossicula vsq; adeo parua inuicem semper connexa sonum edere internum eo modo, quo fabri ferrarii, dum malleo incudem percutiunt: faciūt hæc Ossicula ad firmitatē Tympani, & vt recta linea sonus deferatur da Fenestras, Aquæductus, & alios Anfractus, non vt ipsa sonum edant, & propterea etiamsi quispiam aures obstruat, & nihil per aures audiat, lignum tamen, aut ferrum in os imponat, quod cytharę, aut alii instrumento insistat, sonus instrumenti percipitur, delato huiusmodi sono per internum oris meatum vsq; in aurem, in quo casu ossicula nullo modo mouentur.

Et posteaquam de hac re facta est mentio, moneo vos, hoc esse signum certissimum, quo potestis distinguere affectiones Tympani, & Meatus Externi ab affectionibus Nerui Auditorii, & Meatus Interni: nam vbi Neruus Auditorius, & Meatus Internus afficiatur experimento iam dicto, nullus percipitur sonus, sed in affectione Tympani, & Meatus Externi sonus percipitur.

Faciunt autem absolutam Surditatem obstructio completa, densitas insignis, ac tumor durus siue Nerui Auditorii, siue ipsius Tympani.

Signa.

FAcilè cognoscuntur affectiones Meatus Auditorii externæ: nam sensibus patent, aut saltem imposito stylo: Affectus verò partium internarum ab ipso Tympano distinguetis, partim proposito experimento, partim etiam aliis signis: Inter quæ hoc est maximum, quod scilicet qui Surdi sūt propter Nerui affectionem, etiamsi fuerint tantùm Surdastri, habent quoq; linguę motum impedi-

impeditum. Ratio est quia neruus quintæ coniugationis ramulum mittit in linguam, qui insertus in neruum septimæ coniugationis facit ad motum linguæ, atq; ideò affecto neruo, coafficitur lingua. Vbi verò Tympanum sit affectum, neque tamen, Surditas sit completa, isti optimè loquuntur: Qui verò prorsus Surdi sunt à natiuitate, siue ex Neruo, siue ex Tympano aut alia quacũque caussa, hi etiam necessariò muti sunt, nõ propter neruum quintæ coniugationis, vt voluit Andr. Laur. sed quia Auditus est sensus disciplinę, vt qui non audiunt, neque articulatas voces proferre possint.

Affectiones sic facilè distinguuntur: Inflammatio quidem siue Interna, siue Externa, cognoscitur ex dolore omnium vehementissimo, ex calore, ex febre: & si fuerit externa, neq; instillationem medicamentorum absq; dolore sustinet: si fuerit interna, ad sunt delitia, quandoq; conuulsiones, & vigiliæ intensissimæ, & iniecta nullum inferunt dolorem.

Obstructio cognoscitur, quia fit subitò, & Auditum tollit absq; febre: Intemperies autem paulatim succedit: Vtrum sit frigida an calida, ex alias propositis signis poteritis colligere; sicuti etiam facilè poteritis intelligere, nunquid surditas, vel Aurium Tinnitus fiat ex calida, aut frigida materia, & vel ex ipsa aure affecta, in quo casu sola Auris patitur: an potius ex cerebro, in quo casu, & alii sensus, & motus, ipsæ etiam actiones principes vitiantur: an deniq; per consensum, in quo casu dolor habet interualla, augetur, & minuitur, adsuntq; signa aut totius corporis male affecti, aut alterius partis laborantis.

Vlcus patet ex sanie, & si fuerit malignum sanies est viridis, fœtida, sanguini nigro, & putrido commista.

Prognostica.

INflammatio est morbus acutissimus, & in septima die consueuit iuuenes interficere: seniores verò non ita quidem interficit, sed omnes tamen fatigat: nam delirium & conuulsionem affert, & in senioribus in abscessum transit, & recidiuam facit, vt docuit Hip. & Gal 3. prog. 13. & 14. Si transeat in scirrhum, est insanabilis, sicut insanabilis etiam est Surditas, ex disrupto Tympano, aut Neruo Auditorio, aut euacuato Aere Implantato: antiqua etiam, vt Rhases scribit, duorũ annorum, insanabilis est: sed hac in parte respiciendæ sunt caussæ: nam ego aliquando sanaui surditatem x. annorum. Itaq; naturalis Surditas est quidem insanabilis, sicuti & illa, quæ fit ex carne adnata intrinseca: Quæ verò ex obstructione, & intemperie cum materia, quamuis antiqua, si rectè tractetur, sanari potest. Tinnitus Aurium ex Lue Venerea ipseque quoque ægrè admodum curatur, consueuitq; omnia spernere remedia, cùm antiquus fuerit, excepta inunctione hydrargyri: hac ipsa enim ego antiquos sanaui Aurium Tinnitus.

A

Curatio.

IN curandis Aurium affectionibus ab Inflammatione exordiar, & quod pertinet ad euacuantia totum corpus, & caput, siue sint medicamenta, siue sint sanguinis missiones, pauca admodum dicam. Idipsum enim in Aurium Inflammatione faciendum, quod & in inflammatione oculorum, vt scilicet pluries mittatur sanguis, & per sectam venam è directo partis laborantis, & per hirudines, & per cucurbitulas, atque etiam per nares. B Ad deriuationem conueniunt etiam hirudines post aures: itaq; versabor circa Localia.

In primis considerandum, an Inflammatio sit in Meatu Exteriore, & Tympano, an potius in Neruo interiore: Si fuerit in Meatu Exteriore, accipiẽdum Galeni consilium 3. comp. per loc. cap. 1: vt scilicet medicamenta non adhibeantur, neq; per Injectionem, neq; per instillationem, sed tantum per leuem quandã infusionem; addo & per euaporationem, atque per modum linimenti: nam quæ iniiciuntur, aut instillantur, dolorem augent: C Infunduntur autem aut oleum violac. vel rosac. aut lac muliebre vel simplex, ac nuper emulctum aut mistum cum succo plantaginis, aut simili succo: Conueniunt etiam in hoc casu, & maximè sunt accommodati in huiusmodi inflammationibus millepedes, illa animalcula, quæ sub vasis reperiuntur: hæc incoquantur in oleo rosac. oleum autem rosac. imponatur in cortice mali granati: oleum sic decoctum imponatur in aures. Valent etiam hoc tempore circa initia decoctione factæ ex cochleis cum suis testis in aq. plantag. aut por- D tulacæ: Euaporatio potest fieri ex decocto eiusd. plantag. portulacæ, cochleis, atq; asellis, illis, siue millepedibus, de quibus supra. Linimentum exteriùs accommodatum fiat ex albumine oui, farina hordeacea, oleo rosato, aut violato.

Sed vbi inflammatio fit interna, his reprimẽtibus acetum vtiliter permiscetur. Hæc est sententia Galeni loc. iam cit. lib. 3. de comp. loc. ca. 1 præbet enim acetum penetrationem, neque audiendi sunt Recentiores quidam, qui vsum reprimentium in his casibus reprobant, quod materia E repercussa in cerebrum vel alias nobiliores protrudatur partes, nullum maius periculum homini imminere potest quàm magna ipsius Nerui Auditorij inflammatio. Audistis Hipp. 3. prognos. 13 & 14. docentem, inflammationes istas delirium, & conuulsionem inferre, & iuniores septima die interficere, itaque reprimenda est omnino materia. Translacto principio circa incrementum adeps anserinus, aut gallinaceus aut oleum amygdalinum dulce infundendum est, Lana succida auris contegenda est, aut emplastro facto ex F mucilagine radicum altheæ, farina hordeacea, & seminum lini, prædicto oleo & pinguedinibus commista.

In statu dimittenda est farina hord. & vt iuuetur suppuratio emplastro addenda erit farina seminum lini cum radicibus altheæ coctis, cribratis, & optimè contusis.

Ad disruptionem imponendum est stercus columbinum, atque excitandum sternutamentum,

Diftu-

Disrupto abscessu vlcus deinde est sanandum, A primum quidem iniectione mulsæ, deinde inspersione pulueris ex tutia, myrrha, aloe & thure; Si fuerit sordidum, abluatur aqua hordeac. mista cum oxymelite scyllitico, aut cum modico vnguento Aegyptiaco. Ad siccationem vtamini in stillatione aqu. thermal. aluminos. potissimùm In defectu aquæ thermalis poterit præparari aqua alterata cum alumine, thure, myrrha, & aloe, inspergendique sunt iam propositi pulueris.

Quod si his non cesserit morbus, probauit Gal. medicamentum factum ex scoria ferri, pulueriza B ta infusa in aceto, & exsiccata. Recentiores laudant, vt hęc infusio & siccatio septies fiat: Fortissimum erit medicamentum ad sanandum aurium vlcera omnia. Sic tractatur aurium inflammatio cum fuerit interna.

Hoc dico propter Parotidas, quæ fiunt post aures, in quibus nunquam ab initio conueniunt Reprimentia: imò si magnæ fuerint, naturæ opus permittitur, si paruæ, attrahentibus vtendum.

Venio ad Intéperies, Obstructiones, atq; alios humores frigidos. De calida intemperie nihil C dico, curatur illis ipsis refrigerantibus, quæ proposita sunt in principio inflammationis: Frigidam verò intemperiem mirificè corrigit aut oleū in quo ebullierit castoreum; emplastrum confectum ex cepa sub cineribus cocta; aut euaporatio quæ fit per orificium vasis oleum chamomelinū continentis, calfacti ad ignem: & si huic intemperatuię Flatus connectatur, qui Sibilum, aut Tinnitum faciat, conuenit ipsi oleo chamomelino amygdalinū amarum addere, cyminum, rutam; extrinsecusq; apponere sacculum repletum aniso D fœniculo, cymino, sale, & chamomelo contusis, & calefactis.

Cęterùm in antiquo Tinnitu, nihil erit prętātius hoc medicamento:

Recipe Euphorb. drach. i.
Radicum cyclam. drach. ij.
Cymin. Anis. an. vnc. ʃʃ
Ol. amyg. amar. rutac an. drach. i. sem.
Vin. alb. odor. vnc. iij.
Aquæ ardent. vnc. i.

Bull. ad consumpt. vini & aquæ; deinde oleum E infundatur.

Post oleum conuenit gossypio muscato aurem ipsam implere. Illud autem notandum circa hęc medicamenta, quæ iniiciuntur, semper debere esse tepida, & singulis tribus, aut quatuor horis aurem esse mundandam à priore medicamento, atque nouum infundendum.

Quòd si Obstructio, aut Durus Tumor adsit, emollientibus primò agendum, & etiam suffumigationibus, seu euaporationibus, deinde iniectionibus, & emplasteis: Poteritis sic incedere. F

Recipe radic. bryonæ.
cucum. syluest. an. sem. vnc.
pulpæ colocynt. drach. ii.
Elleb. nigr. drach. i.
radic. cyclam. vnc. i.
Puleg. Calament. Orig.
Maluarum an. M. ʃʃ.

Bull. simul, facta express. ex prædict. decocto fiat euaporatio, aut fumus per infundibulum in aurem recipiatur.

Ex reliqua materia fiat emplast. quod extrinsecùs Auri superponatur. Hoc medicamentum mirificè attenuat, & emollit, cui succedit deinceps aliud, quod digerat. Digerit autem præ cęteris omnibus oleum raphaninum, & huiusmodi oleum, quod vobis propono.

Recipe Euphorb. Castor. an. drach. i. sem.
sinap. drach. i.
radicum cyclam. sem. vnc.
Cinam. semidrach.
Ol. rut. chamom. an. vnc. ii.
Aquæ ard. vnc. iij.

Bulliant ad consumptionem aquæ, & deinde vtere oleo iam proposito per instillationem.

Qui nō superat frigidas affectiones his medicamentis externis iā propositis, neq; alijs superare poterit: Consulo tamen, vt ad hæc non deueniatis, nisi purgato accuratè toto corpore, & capite: & pro purgatione mirificè valent pilulæ Arab. Et si in aliquo affectu capitis Sternutatoria, & Gargarismata, ac masticatoria locum habent, ac mirificè prosunt, prosunt sanè in affectibus Aurium.

De caussis extrinsecis amouendis pauca sunt dicēda. Nam Rhases noster in omnibus ferè istis casibus laudat sternutamentum, sed si animalcula ingrediantur, præter sternutamentum possunt etiam educi multo liquore in aurem infuso, & postea capite in laborantem partem concusso: Si vermes adsint, facilè necantur facto collyrio ex succo absynthii, aloe commisto. Deniq; si sit faba, aut pisum, hoc moneo, ne aliquid humidū iniiciatis: nam hęc dilatantur, & maximos inferunt dolores. itaque potiùs siccis medicamentis vtendum, aut suffumigationibus, aut si hoc corpusculum videatur, stylo ignito per cannulam ferream imposito primum exficcabitur, postea facilè extrahetur. Hactenus de Affectib. Aurium.

DE AFFECTIBVS NARIVM, Cap. XXIII.

NAsus, qui à natura conditus est & pro inspirattione, & pro Olfactu, & pro purgandis cerebri excrementis, vt faciei decorem prętermittam, duo potissimùm symptomatum genera patitur: Alterum quod pertinet ad actionem Olfactoriam imminutam, ablatam vel deprauatam, Alterum verò, quod pertinet ad excrementa immodicè fluentia, sanguinē scilicet ex naribus immodicè exeuntem. Dicam primò de affectionibus Odoratum lædentibus, verba deinde facturus de Sanguinis Fluxu.

De Læso Olfactu.

IMminuitur, aut tollitur Odoratus, repleto aut obstructo vel meatu aliquo, vel partibus Odoratur inseruientibus, Sunt autem meatus primo ampli & patentes narium scilicet, in quibus fiunt tumores duorum generum, Alii qui extra nares pendent,

pendent, & Polypi vocantur: Alii intra nares A inclusi, qui Sarcomata dicuntur. Minus patentes meatus illi sunt, qui ad os ethmoides spectant, quod Gal. 3. de loc. aff. 4. vocauit Cola (colatorium) habetque meatus in parte superiore ad similitudinem cribri: idcirco Cribroides dicitur; sicuti in parte inferna propter similitudinem spongiæ Spongoides vocatur. Obstructio in his locis Olfactum imminuit, aut tollit; quod ipsum fit, vbi aut mêbrana huic ossis propinqua est affecta, aut aer in osse cuneiformi vocato, quod in fronte reperitur, impurus redditur, aut caruunculæ ma- B millares, & neruus in illas insertus, ac ventriculi priores multa imbuuntur materia, vt potestis colligere ex Gal. primo de caus. sympt. 4. Est autem hæc materia magna ex parte pituitosa, quandoque tamen purulenta, vt grumus sanguinis, aut materia melancholica, quandoque putrida, in quo casu deprauatur etiam odoratus, quia fœtor semper percipitur, aut non putrida, in quo casu diminuitur tantùm, vel tollitur. Fluit autem vel à cerebro, vel à toto corpore, vel à determinatis partibus, & retinetur propter obstructiones, vel C tumores iam dictos.

Cęterùm quod ad tumores pertinet Sarcoma scilicet & Polypum, hic multiplex est; quidam enim est membranosus, qui etiam Vesicalis iure dici potest æmulatur enim vesicam, & propterea dum fit efflatio, intêditur; dum fit inspiratio retrahitur: alius est pituitosus, qui facilè cognoscitur, quia indolens est, albicans, perpetuo madore refertus; alius est melancholicus, & hic duplex, alter induratus, *vt percussus sonum edat*, alter cancerosus, qui carnes habet nigricâtes, tumi- D das admodû, dolore, & inflammatione refertas: quandoq; hic vlceratur, & huiusdamodi vlcera sine Polypo Ozænę dicuntur; cum Polypo dicuntur Pulypus Cancerosus.

Ozęnæ autem quędam sunt crustosæ, aliæ non crustosę & tumidæ, & quædam malignæ, quædam benignæ, alię profundæ, & cum carie ossis, alię verò superficiales, & in summis Variû pinnis; fiuntque omnia hæc vlcera auctoritate Gal. 3 de comp. loc. 3. ex fluxionibus humorum vitiosorum, & acrium, vel ex cerebro, vel ex aliis E partibus.

Signa.

ET ex signis iam propositis facilè cognoscuntur, sicuti etiam Obstructio deprehenditur ex imminuto, aut sublato Odoratu sine dolore, ac tumore vllo: at vbi obstructio sit in osse ethmoide, vox ipsa vitiatur, vbi supra ipsum os, vox nihil patitur.

Prognosis.

EX istis affectibus Polypi, & Ozænæ malignæ vsq; adeo difficilem habent curationem, vt Cancerosi grauioribus medicamentis minimè sint tractandi, à leuioribus tamen nullum sentiunt emolumentum Illi potissimum insanabiles, qui vsq; adeo interni sunt, vt meatum illum occupent, qui tendit à Naribus in os, quod ipsum dico de vlceribus.

Curatio.

HOrum omnium curatio primò quidem petenda est à purgatione totius corporis, & capitis, à reuellentibus, & deriuantibus medicamentis, cuiq; humori accommodatis, de quare nihil dico amplius, sed statim venio ad Localia. Itaq; pro Obstructione tollenda tria veniunt hoc ordine peragenda: Primo fiet Euaporatio ex huiusmodi decocto:

Recipe radic. cyclam semi vnc.
Bryon. Cucum. syluest. an. drach ij.
Elleb. nig. Colocynth. an drach. i.
Iunip. Centaur. an M f.

Bull. simul in s. q. aq. & aceti, & fumus recipiatur in vtramq; narem.

Post suffumigationem idem decoctum in nares recipiendum est: nam euaporatio humores crassos attenuat, attractio decocti eosdem expurgat, & per os, & per nares. Post purgationem sicca quædam suffumigatio adhibeatur, aut ex aridis, & odoratis cum succo calaminthæ, aut centaurea commistis, f. linimentum, quo nares intrinsecus illinantur. Suffumigium, vel linimentum fiat aut ex trochiscis hedychroi, aut ex aloe, myrrha, thure, croco, cinamomo, & caryophillis.

Neq; quispiam obiiciat: sternutamentum in affectis naribus minimè conuenire, quod scripserit Gal. 13. meth. c. ij. humores per partem laborantem ducendos non esse intelligenda est. n Galeni sententia de humoribus, qui vel in capite, vel in toto abundant corpore; isti enim reuellendi, & deriuandi sunt. Sed impacta & in hęrens materia ipsa quoque sternutamentis est expurgâda, sicuti etiam inflammatio facta aut scarificatione aut abscessus punctione.

Quod ad Polypos, si exiles fuerint, & angustû habeant pendiculum, exscindendi sunt aut ferro ignito, aut si ferrum non fit ignitum post excisionem vstio adhibenda est.

Cancerosis Polypis neque manus chirurgica, neque actia medicamenta sunt admouenda: satis ex dolorem lenire, aut fluxum & incrementum prohibere. Hoc prǽstabitis tali linimento.

Recipe succi omnium granat. vnc. i.
ceruss. lot. sem. vnc.
lithargyr. pulueriz.
plumb. vst. an. drach ij.
puluer. rosar. drach i.
succi Lenticulæ palust.
Vermicularis, solam an. q. s.
M. & f. Liniment. in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo.

In mitioribus, que excidi non possunt, vtamini medicamento à Ga. proposito 3. de comp. per loc. cap. 3. quod longa experientia inuentum est F multæ vtilitatis: est medicamentum confectum ex succo trium granatorum; primò ex primitur succus ex grani, postea cortices tunduntur etiam in pila; ex vtroque succo aut simplici, aut misto cum puluere rosarum, fit medicamentum ad Polypos, & ad narium vlcera, quæ crustosa non sint neq; maligna.

Nam crustosa debent primo tractari medicamentus

mentis crustam amouentibus, vt est butyrum, seuum, vnguentum rosaceum, & pomata vocata: Sublata iam crustra medicamentum propositum conuenit. vt fortius exsiccet, coquatur lento igne in vase æneo; si fortius adhuc volueritis medicamentum, addatis lythargyrum, & cerussam. A

In malignis vlceribus opus est diligenti lotione, fit autem hæc lotio, attracto in nares aut lixiuio, aut aqua salsa, vel alia thermali simplici, aut melle mista: sordidum sed efficax medicamentum est vrina asini. Ego consueui in his casibus parare stillatit. aquam, quæ simul & semel abstergit & exsiccat, ac putredini vehementer resistit. Compositionem huius aquæ habetis apud Pharmacopolam sub tribus syderibus. B

Vrina Asini.

℞. *Salf. parill. elect.*	*Scordij M. ij.*
Ligni Indis. pinguis an. lib. ij.	*Calendulæ.*
Corticis eiusdem lib. i.	*Pimpinellæ.*
Vini alb. montan. lib. xij.	*Sēperuiuū Maior*
Aquar. Betonicæ.	*Saluiæ.*
Saluiæ.	*Hyssopi.*
Scabiosæ.	*Stoechad.*
Fumariæ.	*Dictamni.*
Cichor.	*Melissæ.*
Sem. iuniper.	*Agrimoniæ an. M. S.*
Hederæ.	*Theriac. ferment.*
Bacc. lauri an. vnc. ij.	*Mitridat. an. vnc. ij*

Guaiacum, salsa, & cortex, infundantur in media parte vini, & aquæ per horas xij. Cætera verò conquassentur per horas sex in reliqua vini & aquæ potione, deinde omnia permisceantur, & destillentur in duplici vase vitreo s. a. C

Post lotiones in Malignis Vlceribus vtebatur & Gal. pastillis Andronis, Phasionis, Musæ, & cæterorum. Sed ego vti soleo cinnabari misto cū thure, myrrha, cypero, squinantho, atq; alijs id genus aromatibus, ex quibus cum carbone salicis conficitur formula quædam in modum illarum rerū, quæ vulgo dicuntur osselleti di Cipro. D

Suffumigii descriptio talis est.

Recipe styracis liquidæ
Belzoini an. drach. vi.
Ligni aloes drach. vij.
Thur. alb. vnc. i.
Laudani vnc. i. sem.
Iridis, Caryophyllorum an. drach. ii.
Rosar: Damascen. drach. iij.
Cinnabaris vnc. iij.
Carbon. Salicis lib. s.
Aquæ vit. q. s.

M. f. formula longa, vt magis ignis in hoc suffumigio accensus perduret. E

Ita curantur vlcera sanabilia.

Qui verò profitentur curare Polypos, & Vlcera exsistentia in meatu tendente à naribus in os, mihi videntur longè ab omni ratione declinare. Volunt illi filum accipere nodis plenum, & illud filum ducere à naribus in os, & hac ratione ducendo illos nodos Polypum consumere: imponendo autem medicamenta vlcus exsiccare. Est consilium mirum, nescio quis possit hæc præstare. F

DE HAEMORRHAGIA idest Profluuio Sanguinis ex Naribus. Cap. XXIV.

Sanguinis ex Naribus Excretio, quandoq; ita superabundat, vt quemadmodum scribit Amat. Lusitan. centur. 2. curat. 100. & Brasauol. in comment. sup. 23. aph. 5. part. & Matth. de gradib. 9. ad Almans. aliquando spatio duorum aut triū dierum ad 20. libras fuerit excretus, ideo symptoma est, quod ad se curam trahit.

Caussæ.

Fit autem hoc symptoma vasis narium quouis modo reseratis. Per vasa intelligo venas & arterias superiores & inferiores, superiores quidem, quæ sunt supra os ethmoides, inferiores, quæ sunt sub osse, & in narum pinnis. Reseratio autem triplex genere est Diæresis, Anastomasis, Diapedesis. nomine Diæresis amplector & simplicem erosionem, quæ propriè Diæresis dicitur, vel rupturam & incisionem, quæ Rhexis appellatur, siue fiat à caussa externa, casu, cōtusione, vulnere, siue ab interna, vt abscessus in cerebro disruptione. Anastomasis fit magno aliquo vase secundum proprium orificium dilatato. Dilatatio fit vel à sanguinis copia, vel ab acrimonia, vel ab vtraq; caussa. Abundat sanguis vel in cerebro primaria ratione, vel confluit in cerebrum à toto, ab hepate, corde, liene, suppressis mensibus, & hæmorrhoidibus. Redditur verò acris hic sanguis ex calida intemperie, potissimùm cum febre ardente, ex viscerum inflammationibus, & obstructionibus. Diapedesis fit aut per transcolationem sanguinis, quæ fit vel ob raritatem tunicæ, vel ob sanguinis tenuitatem, aut fit aperto aliquo orificio vasis alicuius parui. Laxitas & raritas vasis consequitur humidam intemperiem: Tenuitas similiter consequitur abundantiam serosi sanguinis, qualis generari consueuit in Hydrope & Cachexia. Ex dictis patet, sanguinem hunc quandoq; excerni symptomaticè, aliquando criticè: febres enim ardentes, & inflammationes plurimæ per Fluxum sanguinis Narium iudicātur.

Signa.

Cognoscitur autem sanguis fluens ex venis ad different. arteriarum, quia ex arterijs profluens cum saltu quodam excernitur. Distinguūtur venæ, & arteriæ superiores ab inferioribus, quod vbi ex supernis excernitur, simul & semel per os & nares educitur: vbi ex infernis, per nares tantùm. Rhexis ex caussa externa, ruptura, aut incisione sola relatione cognoscitur: quæ verò sequitur abscessus rupturam, depræhenditur ex præcedentibus signis phrenitidis, vel tumoris. Diæresin ex humoribus acribus cognoscetis ex pruritu, ex calore, ex sanguine, cum insigni quadam nigredine, aut rubedine, & quia primò sensim

sim educitur, postea verò in maxima copia. Cognoscitur Anastomosis ex copia sanguinis inspecto corporis habitu carnoso, ac venis latis, & turgidis donato, & si primò ex capite excernatur, facies semper est rubra, nares, & oculi: capitis dolor præcipuè pulsatilis, grauitas insignis: Si ex liene, tumor adest lienis, & ex sinistra nare excernitur; sicuti si ex iecore, ex dextra excernitur: In eo autem qui vitio hæmorrhoidum vel vteri euacuantur, suppressi sunt menses & hæmorrhoides. A

Nō est difficilè cognoscere sanguinem ex propria sui, aut vasis tenuitate exeuntem. quandoquidem continuò emanat, sed in pauca copia, & decolor est, subtilis, subsistens in capite, vt dixi, ad cachexiam, & hydropem propenso. B

Distinguitur Criticus à Symptomatico, quod Criticus fiat cum concoctione, in die critico, prænuntiato ab aliis die indicatorio, & fit per directū partis laborantis, in moderata quātitate, & iuuat ipsum patientem: propterea dicebat Hipp. 6. aph. 13. Caput dolenti, & circumdolenti &c. Idipsum docet 4. Aph. 60. vnde etiam 5. aph. 74. hunc criticum sanguinem, inquit, à tumore & ab scessus liberare: Et quanquam 4 aph. 25. scripserit sanguinem ex supernis partibus exeuntem, vndecunq; exierit, malum; Galenus in comm. excipit sanguinem ex naribus fluentem? neque ipse Hipp. omnem sanguinem ex naribus prodeuntem malum esse existimauit, qui scribit 5. aph. 37 in suppressis mensibus hunc ex naribus prodeūtem bonum esse. C

Prognostica.

SI aut.m vltra modum excernatur, quandoq; ad Hydropem, quandoque ad mortem ducit Scribit Alex. Bened. 4. de cur. morb. 4. cuidam ex secta vena naris interna forcipe sanguinem esse euacuatum, qui nunquam supprimi potuerit, vt tādem patientem interfecerit; quod sanè fuit maximum, venam patentem & pro[illegible]m conglutinari non potuisse, cùm tamen hęc difficultas in in illis tantùm sit, quæ superiores sunt,

DE SPVTO SANGVINIS. Cap. XXV.

COniungam tractatum de Sputo Sanguinis cū tractatione de Fluxu sanguinis Nariū: non enim differt multū natura, aut curatio vnius symptomatis ab alia. Itaq; explicata natura & caussis, atque etiam signis fluxus sanguinis nariū in præsentia ea tantum notabo circa sputū sanguinisque peculiaria huius symptomatis sunt.

Notanda singularia de Sputo Sanguinis.

DIffert primò symptomate, quia Fluxus sanguinis Nariū sola copia est symptomaticus, sed sputum sanguinis symptoma est, non modò ratione copiæ, sed & temporis, & modi, & qualitatis sanguinis exeuntis, qui aliquando simplex est, siue biliosus, siue melancholicus, siue pituitosus, aliquādo est purus, aut alteri humori cōmistus.

Differt etiam loco: Sputum enim sanguinis ex loco fit multiplici; aliquando ex dentibus nōnunquam ex faucibus, quandoq; ex capite, non rarò ex ventriculo, sæpissimè ex thorace, de qua Exspuitione in præsentia est sermo.

Nomine autem Thoracis intelligo Asperā Arteriam, Pulmones, Mediastinum, Cauitatē Thoracis, & Pleuram, ac Musculos Interiores.

Est quoq; aliqua in caussis differentia: nam quod ad proximas pertinet, quanquam Sputū sanguinis, sicut & Fluxus sanguinis Nariū fiat vel per rhexin, & diæresin, aut anastomosin, & diapedesin, nihilominus circa caussam diæresis vnum est notatu dignissimum, aliquando scilicet fieri in Pulmonibus diæresin absq; materię acrimonia: hoc libenter propono propter illos Medicos, qui cùm interrogant patientes sputo sanguinis laborantes, nunquid in catarrho salsum aut acrem percipiant saporem, si ab ægris intelligāt, nullum esse acrem saporem, statim pronuntiat sanguinem ex Thorace ac Pulmonibus exspui non potuisse. Contra hos est Gal. qui 3. de caus. sympt. 2 erosionem inquit fieri non tantùm ex humoris acrimonia, quantùm ex putredine: & propterea apertissimis verbis, atque clarissimis exēplis 4. d. loc. aff. 8. docet, plerosq; Tabidos facto Sputo apparente minimè acri, & quod ab initio nihil mali polliceri videbatur, quos tamen omnes interiisse scribit Gal. Itaq; fieri potest, vt sicut in externis corporibus putrescente carne, & vasis in ea contentis sanguis excernatur, ita quoq; in Pulmonibus putris materia, sed non acris, Pulmonis vasa putrefaciat, & erosione consumat, vt sanguis excernatur. Circa caussas remotas hoc etiam animaduertendum, Sputum sanguinis ex vehementibus clamoribus, & luctatione, & ponderis gestatione faciliùs excitari, quàm Fluxum sanguinis Narium. Hæc circa caussas veniunt notanda. D

Signa.

CIrca signa distinguere oportet Locos inter se, & affectiones ex quibus & propter quas Sanguis Exspuitur, itaq; quod excernitur simplici exspuitione, fit ex dētibus & palato; quod sputum fit screatu, ex faucibus descendit; Vomitione ex ventriculo; Tussi autem ex Thorace. E

Nunquid primariò descendat ex thorace, an potius trāsmittatur à capite in Thoracē, & postea tussi eiciatur, id quod pluries fieri docet experiētia, & Galen. 4. de loc. aff. 5. in princip. hoc opus, hic labor; Sic tamen distingueris. Vbi ex Thorace primò effluit sanguis, aut excernitur in magna copia, aut in pauca; si in magna, videndum an aliquid excernatur per nares, vel non, & si per nares, videndum est an primus sanguis excretus fuerit per nares, an per os: propterea, an sit concretus, vel nonnam si prima excretio fiat ex naribus potiùsquàm ex ore, si sanguis fuerit minimè concretus, si talis exeat, qualis ex nuper aperta, vena, præcedente capitis dolore, grauitate, faciei & oculorum rubedine, certum est signum sanguinē quanquam Tussi eiectum ex capite in Pulmones descendisse. F

At verū si prima excretio fiat per os, si sanguis ex naribus effluens sit grumosus, & nigricans, si

cessit casus, aut clamor, aut percussio circa Thoracem, A aut longa Tussicula, vel Acris Destilatio- suspicandum ex Thorace prodire.

Cęterùm dum ex Thorace sanguis excernitur si ex Aspera Arteria educatur, paucus est, & ex leui Tussicula statim educitur, & vbi erosio sit magna, dolor in glutitione sentitur, ac per eam ϛρελλὶς, seu portio asperæ arteriæ simul cum sãguine educitur.

Si ex Musculis Thoracis, aut Pleura; sãguis pariter est paucus, & non nisi cum magna Tussi reijcitur, & cum dolore partis, à qua excernitur; B magna ex parte nigricat, & grumosus est.

Qui ex Pulmonibus, copiosus effluit, ruaber ac splendidus, sine dolore. Spumæ tanquam certo sanguinis ex pulmonibus exeũtis signo minime fidendum: quamuis enim Hipp. & Gal. 3. de humor. 31. aperte docuerint Spumosum sanguinẽ ex Pulmonibus esse, quod etiam repetit Hipp. 5. aph. 13. attamen Gal. in comment. proposito 13. scribit, non omnem sanguinem ex Pulmonibus exeuntem. Spumosum esse, sed illum tantùm, qui est cum ũlcere pulmonis; imò verò 7. aph. 30. addit, C non solùm sanguinem ex Pulmonibus exeũtem Spumosum videri, sed aliquando etiam in Pleuritide Spumosum fieri, itaq; sanguis multus & Spumosus vlcerati Pulmonis est signũ; Multus non spumosus vasis apertionem significat sine vlcere; cum dolore autem significat vlcus Pleuræ.

Spuma non est certum signũ sãg. ex Pulmonibus exeuntis

Progoostica.

HVius modi Sputũ ex Aspera Arteria, atq; ex Thorace eiectum, ex Musculis intelligo thoracum, quanquam non facilè, uttamen magna ex parte curatur. D

Sed quod fit ex Pulmonibus, vbi inflãmatio rupturæ, aut vlceri superueniat, omnino insanabile est, hoc docuit Gal. 5. meth. 8. sed si inflammatio vlceri Pulmonis non superuenerit, casus non est deploratus, imò nonnullos sanitati restitutos docet Gal. loc. cit. & aphor. 17.

Curatio tam Hæmorrhagiæ, quàm Hæmoptoi.

IN curando hoc Sputo, & Fluxu sanguinis, proponam auxilia, & eorũ materias, primò vtrisq; communes, deinde vnicuiq; proprias: & quia auxilia per indicationes hauriuntur, indicationes E verò sunt multę, partim quidem ab ipso symptomate acceptæ, partim à caussis desumptæ, quę faciunt symptoma, partim à morbis venarum, vel arteriarum, quos parit ipse sanguis confluens, idcirco in his omnibus sigillatim versabimur.

Sanguis itaque quatenus impetu quodam mouetur, indiget reuulsione, deriuatione, reprimentibus, & intercipientibus in via.

Reuulsio multis fit modis, duo tamen cęteris præstant: Venæ sectio & cucurbitulæ. Secatur vena è directo partis, à qua fit fluxio: ex nare F etenim dextra reuellitur sanguis secta vena in cubito dextro; & sinistra in sinistro, sic docente Galen. lib. cur. per sang. miss. c. 21. & 15.

Venæ sectio.

Quando autẽ sanguis flueret propter suppressos menses, aut hæmorrhoides, aperiantur venæ sedales, aut prouocentur menses, vel sectis venis infernis, vel cruribus scarificatis Cucurbitulę illi potissimùm partis adhibitæ, à qua incipit fluxio, insigniter reuellunt, sic scribit Gale. loc. cit. cucurbitulã iecori affixã fluente sãguine ex nare dextra, aut lieni fluẽte illo ex sinistras, sãguinẽ supprimere.

Vtentur pleriq; ligaturis, hæ minus probãtur licet à Gal. proponãtur 5. meth. 6. Ligatura. n. cùm primùq; soluitur, caput implet, partesq; omnes, ex quibus sanguis fluit; quia sanguis sub ligatura retentus, vinculo soluto, effrenis factus in imbecillem labitur locum: idcirco Oriabasius, & Aetius, & Auicen. ligaturis vtuntur ad somnũ conciliandum, non aliam ob caussam, quàm quòd vinculo soluto, caput ipsum repleatur.

Ligaturę improbantur.

Ad deriuationẽ fluente ex naribus sanguine laudat Gale. locis cit. cucurbitulam occipiti affixam, siue sit scarificata, siue non.

Reprimentia, tametsi multæ sint vtilitatis, cautè tamen sunt administranda, & vt dicebat Gale. 5. meth. 6. nũquam ante euacuationes totius corporis, & repetitas reuulsiones: in quo casu profluxu sanguinis Narium valet linimentum frõti appositum ex succo semperuiui minoris, aut portulacæ cum albumine oui & puluere rhois rubri, rosarum, & sanguinis draconis.

Thoraci autem conuenit auctore Gal. 5. meth. 8. æstate oleum myrtinum siuæ de cytonijs; hyeme nardinum; sed cùm fluxio vrget, nullum conuenit calidum medicamentũ. Dicebat Hipp. 5. aph. 19. omnia refrigerata, calefaciẽda, exceptis ijs, ex quibus sanguis fluit, aut fluxurus est: & propterea in hoc impetu sanguinis, Thorax erit etiã illiniendus prædictis succis & pulueribus; ne tamen nimium refrigerentur partes spiritales, admittendum vinum astringens, & in pulueribus ipsum thus, aut mastix.

Ad Intercipiẽdũ sanguinis motũ medicamẽta sunt adhibenda partibus, per quas trãsit sanguis, & à quibus incipit motus: propterea in Fluxione ex Naribus iugularibus venis lintei in aceto, aut succo plantaginis, aut in posca madefacti actu frigi semper detinerit, debent: & si fluxio incipiat à iecore, aut ab vtero, loci illi sunt refrigerandi. Hęc est Hipp. sentẽtia 5. aph. 23. In his, inquit ipse, frigido vtendũ, vnde sanguis fluit, aut fluxurus est, circumcirca ipsos locos propter hãc caussam nõ immeriò Practicantes vtũtur etiam his actu frigidis in partibus illis, quæ facilè frigiditatẽ toti cõmunicant corporis tales sunt testes, manus, & pedes, quibus partibus lintei in aqua, aut posca madefacti perpetuò sunt continendi.

Ad superandã causam; si fuerit acrimonia sãguinis facilè corrigitur acrimonia purgato humore, acrimoniã faciẽte, aut bile, aut exusto humore melancholico, aut salsa pituita, deind e superantibus morbos, propter quos isti humores augẽtur de qua re nihil dico, hoc tamẽ moneo, practicãtes in omni Fluxu sanguinis cõmendare vsũ rhabarbari, quotidie masticati simul cũ passulis ad scrupu. j vel drach. sem. cũ tamen hoc remediũ valeat in sanguine acriore reddito pp bilis permistionẽ;

Itaq; caussæ sunt distinguendæ. & propterea, vbi caussa Fluxiõis sãguinis fuerit nimia serositas & tenuitas, præter purgationẽ serosę humiditatis, opus est medicamentis calorificis & siccantibus, contra quã fieri consueuerit in cæteris omnibus

nibus

nibus fluxionibus, quæ refrigerationem requirũt. Ideò Matth. de Grad. in com. 35. super 4. ad Almansor. scribit se curasse vsu theriacæ fluxionem sanguinis serosi. Itaq; non solum theriac. sed etiã mithridat. & trochisci cypheos, & omnia aromatica sanant hanc sanguinis fluxionem.

Quod pertinet ad morbos; Morbi, vt dixi, sunt ruptura, aut apertio, aut erosio. Ruptura, siue incisio, & vulnus sanantur agglutinantibus, atque adstrictorijs; Anastomosis, siue apertio solis adstrictorijs, & refrigerantibus; Erosio partim adstrictorijs siccantibus, ac demum renutrientibus, vt docuit Galen. 7. comp. loc. c. 4. Agglutinantia sunt amylum, tragaianthum, gummi arabicum, mumia vocata, rasura chartę pergamenę, succus millefolij, succus consolidæ, succus portulacæ.

In fluxu sanguinis Narium fiũt pessaria ex pilis leporinis, aut ex gossypio vsto, & illiniũtur his succis, & pulueribus, & imponuntur in nares, aut ipsimet pulueres insufflantur in nares, aut ipsi succi in nares trahuntur. Legi apud meos veteres, in quibusdam libris manuscriptis, aquam cyclam. attractam in nares statim sanguinem supprimere: at C quia cyclamen est calidum in 3. nunquam volui experimentum facere.

Pro Thorace autem conficienda sunt hęc in modum Eclegmatis, hoc scil. modo.

Recipe rhois rubri
terræ sigill. an dra ij.
lap. hæmatit. drach. sem.
amyl. tragaiant. an. drach. i. sem.
sem. anisor. scrup. ij.
succi millefol. portulac.
syr. myrtini an. q. s.
M. pro Lambitiuo.

Aduertite, in omni Eclegmate pro sputo sanguinis admiscenda esse aliqua calida, quę sint vehiculum frigidorum, & astringentium: hoc est præceptum Gal. 7. de comp. per loc. 4. atque ideo non modò in vsu agglutinantium, sed etiã a strin gentium simpliciter hæc regula est obseruanda, & non modò in Lambitiuis, verùm etiam in medicamentis, quæ statim deuorantur, vt propterea Gal. illum commendauerit, qui diaspermaton cõposuit, quod semina anisi, cymin. & fœnic. rec pit, E etiam si pro sistendo sanguine exhibeatur.

Sed non modò calida, verùm etiam opiata vtiliter admiscentur medicamentis Thoracis, quãdo Sanguis Exspuitur. rationem attulit Gal. in illo 7. de cõpos. per loc. 4. vt Tussis sedetur, & propterea ego in his casib. vti feliciter soluerui vnc. sem. succari ros. antiq. cũ drach. sem. semini hyoscyami, & sem. papau. albi. sed vbi impetus sanguinis vrgeat, ad fortiora opiata est confugiendum, ad Philon. ad recent. theriac. vbi non tantùm vrgeat, satis erit vti adstrictorijs. & quamuis adstrictoria F multa sint, vt lapis hæmatites, sanguis draconis, bolus armen. trochis. de spodio, de carabe; Ego tamen duo vobis proponam tanquam secreta sanè egregia: Altero ego sæpe vsus, & feliciter. Est autem cortex oui puluerizatus, abiecta tamen interiore pellicula. Datur ad drach. ij. ex succo millefolii, aut ex aqua vel polyg. vel plantag. vel portulacæ: neq; valet solùm ad curationem, sed ad præ-

A seruationem, vt si per 30. continuos dies quispiam eo vtatur saltem ad drach. i. possit à Sputo Sanguinis præseruari.

Alterũ remediũ est sordidũ quidem, sed celebratissimum, stercus muris pulueriz. ad drach. ii. exhibitum simul cum succis aut aquis propositis.

Cæterùm illud animaduertendũ, in Sputo Sanguinis incumbendum esse nõ tãtùm adstringentibus, sed, & dissoluendis grumis in Thorace contentis. isti enim putrefacti, aut supputati, pulmones corrumpunt, & Phthisin faciunt.

B Ad illos grumos dissoluendos valet, & oxymel, & posca; sed quia impetus sanguinis vel vrget vel non vrget; vbi multùm vrgeat, posca vtendum frigida; si multum non vrgeat, vtendum calida: idipsum dico de oxymelite. *Ad dissoluend. grumos sang.*

Ad renutritionem nil aliud facit magis, quàm vsus lactis, ad renutritionem. s. vasis erosi præter cibaria optimi succi: sicuti ad animam illius tenuitatem cum acrimonia nihil prestantius incrassantibus, vt pedibus vitulinis, crebello, cute, oriza, alica, & cęteris, quę incrassant.

A proprietate sanãt fluxum sanguinis Narium ipsemet sanguis exiens exsiccatus, puluerizatus, & insufflatus, aut, stercus asininum mense Majo collectum, exsiccat. & pulueriz. Plura poteritis legere apud Gal. 7. de cõp. lo. c. 4. & alios scriptores. *A propriet. innatia.*

DE PHTHISI, SEV TABE. Cap XXVI.

ACturus de affectu que Gręci φθίσιν, vel φθόαν, Latini autem Tabem vocant de eo verba faciam nõ tãtũ in propria, & exquisita significatione accepto, sed etiã in impropria, & spuria, nõ tamen in communi. Cum .n. Phthisis generice D Tabes dicatur, nomen Tabis, quod significat Consumptionem, dici consueuit de quacumq; corporis Macie siue cũ febre, siue circa febrẽ, & siue ex affectu thoracis, siue ex affecto iecore, aut ventriculo, aut alia corporis parte, vt poteritis colligere ex Gal. 4. aph. 10 & 1. de diff. feb. 8. & lib. de marasmo c. 1. & 5. Nos itaq; hanc amplã significationẽ dimittemus, & nomine Tabis cõplectarũ tamen Cõsũptionẽ totius corporis cũ febre assidua, siue ex vulcere Pulmonis, quæ propria exquisita est huius affectus significatio, siue ex vlcere asperæ E arteriæ, aut aliarũ partiũ Thoracis, quæ est impropria, & spuria. Nomine *Extenuationis totius corporis* cũ Gal. 1. de Marasm. cõsũptionẽ intelligo nõ tantùm humiditatis roridæ, aut secundarum humiditatum, sed carnosæ, atque etiam seminalis in corde primùm, mox in toto corpore. *Per febrem continuam* intelligo hecticam, quandoque in 2. nonnunquam in 3. gradu, cui tamen connectitur vtplurimùm putrida, siue quotidiana, siue tertiana, siue quartana, sic .n. scribit Gal. in com. 9. 3. in 1. epid. aliquando est hemitritæus .i. e. semitertiana, vt docet Hippocr. 1. in 1. epid. 23. Nomine F vlceris omnem vlceris differentiam amplectar. 9. *Quamuis* enim Gal. 7. aph. 19. Phthisin dicit fieri ex vlcere Pulmonis insanabili, frustra proponeretur curatio, si omnis Phthisis esset insanabilis: Variæ itaque sunt vlceris differentiæ, superficialis, profundi, cum inflammatione, citra inflammationem, mundi, sordidi, cum putrilagine totius substantiæ Pulmonum, ac sine putrilagine, cũ flu-

Definitio.

fluxione, & citra fluxionem: pro differentia vlcerũ varia, euẽtus quoq; erit varietas, vt intelligetis.

Caussæ.

CAussa Phthisis, seu Vlceris Pulmonũ quandoque ortum ducit ex ipsismet Pulmonibus aliquando ex caussa extrinsecus illis adueniente; quandoq; ex vtraq; caussa simul coniuncta. Propria ratione Pulmones incurrunt Phthisin post Peripneumoniam suppuratam: nam disruptus abscessus transit in vlcus; aliquando post variolas, quæ Pulmones obsident, & erodunt; nonnunquã post reiectam duram materiam grandini similẽ, de qua meminit Galen. 4. de loc. aff. 8. quam ego quoq; obseruaui in Illustri Comite de Narę, qui Phthisicus obijt, & in alio nobili Belga; quandoque propter sanguinem per anastomosin eductũ datur occasio erosionis dupliciter. primò, quia ille ipse sanguis extrauenatus in substantia Pulmonis receptus, siue suppuretur, siue putrescat, ipsũ corrumpit Pulmonem; propterea dicebam in pręcedenti lectione sollicitos debere esse Medicos in dissoluendis sanguinis grumis, dum euenit Sputum sanguinis, ne relictus grumus Pulmonem corrumpat. secundò modo fit ipso sanguine folliculum in pulmonibus sibi ipsi pręparante in modum meliceridis, quam Fernel. lib. 5. pathol. Vomicã appellat. hæc Vomica disrupta vlcus relinquit.

Relinquitur etiam Vlcus fractis Pulmonum vasis, neque bene curatis, succedente scilicet inflammatione, siue fractura sit facta ex clamore, siue ex percussione, & casu.

Phthisicor. halitus contagiosus Caussę verò quæ Pulmoni adueniunt, aut sunt extrinsecæ, aut intrinsecæ. Extrinseca est vapor contagiosus alterius Phthisici, qui vapor non modò nuper inspiratus, sed etiam in stragulis, & porositatibus lignorum, & muri receptus altum, præcipuè dispositum, inficere potest: Quæ intrinsecus Pulmoni aduenit, sunt in duplici differentia; Vna caussa est, & cõmunis, facta fluxione a capite in Pulmones: Altera est facta fluxione ad Pulmones, vel ex corde, vel ex iecore, vel ex vtero, aut alijs corporis partibus, & quòd frequentiùs est, ex alijs Thoracis partibus; hoc docet Gal. 1. in 1. epid. com. 17. cùm autem fit hæc fluxio, siue ex capite, siue ex alio loco, aut erodit ipsum Pulmonem sui acrimonia, aut corrumpit putredine; Erodit acrimoniabilis flaua, atra, siue pituitę, siue sanguini commista, ac salsa pituita, & hæc omniũ frequentissimè, vt docet Gal. & Hippocr. 3. in 3. epid. 32. 5. meth. 13. & 1. in 1. epid. 17. Sine acrimonia, sed sola putredine Phthisim facit humor quique putridus, pituita putrida, bilis putrida, melancholia putrida, ac sanguis ipse. ideirco Aretæus primo de Diuturn. 8. in Phthisicis, inquit, sputa esse varia, liuida, nigra, pallida, flaua, viridia, quandoq; alba, nonnunquam commista; & hæc omnia, inquit, esse pulurenta; & quamuis Gal. 2. de nat. hum. 1. x Pus dixerit ex solo sanguine fieri nihilominus ipse Gal. cum Hipp. 7. aph. 38. pituitam in pulmonem descendentem intra dies 20. suppurari docuerũt, & idem Gal. in com. 30. 7. partic. pituitam in pulmones dilabentem, inquit, in formam puris

Sputa Phthisicorum varia.

conuerti; & de hac puris natura loquitur Galen: in illo 4. de loc. affe. 8. qui locus est attentè legendus: nam docebit vos modum generationis puris, proponit ibi Phthisicos quosdam, qui ab initio, cùm nihil mali habere viderentur pallidum expuebant sputum, & paulò post cruorem, ac deinde manifestum præ se ferebant Pulmonum putrescentium naturam, & ideò omnes, vt ipse scribit, interibant.

Propensi in Phthis. Caussæ autem mistæ sunt in illis, qui propensionem habent ad Phthisin, & Destillationem patiuntur. Habent autem propensionem primum quidem iuuenes, vt docet Hipp. 3. aph. 29. & nomine *iuuenum*, vt ipse seipsum explicat 5. aph. 10: intelligit eos, qui annum agunt ab anno 18. vsq; ad 35. Habent quoq; propensionem ad Phthisin, qui pectus habent angustum, acutum, collum oblongum, aures amplas, qui propriè à Gal. primo in primum epid. 18. *Alati* nuncupantur, quod habeant scapulas eminentes.

Signa.

SIgna Phthisis non sunt vsq; adeò obscura, vt vulgaribus etiam Medicis deprehẽdi nõ possint; quandoquidem corpus ipsum iam extenuatum, in quo omnium articulorum ossa eminentissima apparent, vngues incuruantur, inferior venter ex rotundo fit planus, ex molli durus, & tensus vt tympanum, costæ connumerari possunt, oculi excauantur, & splendidi fiunt, nares euadunt acutæ, aures siccæ, similisq; status, vbi febris, cõtinua accesserit, & tussicula cũ Sputo siue copioso, siue pauco, satis superq; Phthisin ostẽdũt; nihilominus accedunt alia; maxillarum rubedo propter igneum Pulmonum calorem, sudor tepidus in fine coctionis propter defectum calidi innati, Sputum quoq; quod omnino aliquando puris formã præ se fert ex substantia, colore, & fœtore; aliquando caret quidem his signis, nec tamen pronuntiandi sunt illi à Phthisi immunes. propterea, quòd (vt ante dixi) solet Pulmo erodi, non tantum ex legitimo pure, quantùm etiam ex pituita, & alijs humoribus, formam puris suscipientibus: si accesserit Sputum Sanguinis, hoc quoq; fortius erit signum, sed licet neq; sanguis apparuerit antea, neq; adsit, non propterea affirmandum, illos vlcere non laborare.

Possunt itaque nonnulli in Phthisin incidere absq; Sputo Sanguinis, qui Vomicã passi fuerint: nam disrupta illa Vomica, pus excernitur vel album, vel alterius coloris, nullo permistum sanguine.

Neque dicendum est, saltem præcessisse Peripneumoniam, quasi ille abscessus sequatur inflammationem Pulmonis præcedentem: hoc enim est falsum, quoniam isti abscessus parui possunt aliquando in Pulmonibus fieri: & in duro folliculo includi, non modò absq; signo inflammationis, imò, quod maius est, absque vlla febre. hoc est, quòd voluit Hippocr. 6. aphor. 41. vbi inquit: Quibus suppuratio in corpore non innotescat, id fit vel ob crassitiem puris, vel ob densitatem loci. Alio etiam modo potest fieri

pus

pus absq; sanguine, quando scil. materia erodit A carneam substantiam, non autem magnum aliquod Pulmonis vas: in hoc casu sanguis ille modicus, qui educitur ex carne erosa, vertitur statim in pus, & continentur sub forma puris: hoc docuit Gal. exemplo vlceris renum 4. apho. 71. vbi inquit erosa carne renum posse educi pus absque sanguine; eroso vase maiore, excerni sanguinem cum pure; idcircò, vt dixi, Phthisici etiam sine Sputo Sanguinis esse possunt.

Distinctio Puris, & Pituitæ putrescêtis. Cùm absq; Sanguinis Sputo quispiam Phthisicus esse possit, reliquum est, ipsum pus distinguere à putrescente pituita. Distinguitur auté primò B quidem substantia, quæ semper in pituita est viscida Sin pure autem nequaquam. Secúdo in odore, quia pus semper est fœtidum, præcipuè verò carbonibus iniectum. Tertiò distinguitur ex grauitate, quia pus in aqua calida fundum petit; pituita supernatat. Illud tamen moneo, pus plerumq; supernatare, eo quòd viscidæ pituitę commistum sit, propterea baculo diligenter separandum est pus à pituita nam post separationem descendit.

Licet quoque de Phthisicis coniecturam facere, si cum alijs Phthisicis consuetudinem habuerint, si ex parentibus Phthisicis sint oriundi, & na- C turalem habent ad hunc morbum propensionem habent verò propensionem, qui, vt antea dixi, Alati vocantur. Hæc de diagnosticis sufficiant.

Distinguendę sunt deinceps caussæ Phthisis, ac loci affecti, si facta sit Pathisis ex præcedenti Peripneumonia, aut Angina suppurata, aut phrenitide, vel lethargo pariter in pus conuerso, aut ex pleuritide, vel ex præcedenti vulnere, aut contusione Thoracis: istæ omnes caussę facilè innotescunt ex ipsiusmet patientis relatione: præter- D quam, quod ex angina, & peripneumonia, phrenitide, & lethargo breui téporis interuallo fit Phthisis, ex pleuritide non item; quandoquidem pleuritis, antequam phthisin inferre possit, transit in Empyema; Empijci auté non euadunt Phthisici, nisi post 40. dies à disrupto abscessu. hoc docuit Hippoc. 5. aph. 15. si Phthisis fiat ex Vomica distrupta, nullo præcedente sensibili morbo, pus statim tussi eijcitur; quòd si fiat ex sanguine suppurato insequente anastomosin, aut diæresim, vel rupturam, primùm quidem præcessit Sputum sanguinis copiosum, deindè verò credibile est, Me- E dicos importune adstrictorijs vsos esse, neq; grumos sanguinis dissoluisse.

Si fiat ex destilatione salsa, aut acri, hæc est omnibus conspicua: fauces enim ipsę quoque inflammantur, & quandoque excoriantur, sputum salsum, & acre percipitur, quod etiam quandoq; ad nares, ad dentes, & alias confluit partes.

Sed si Phthisis fiat ex fluxione à cordè feruido isti sunt valdè iracundi, frequentibus obnoxij febribus, & ex ira potissimùm, aut motu corporis, F vel vsu acrium, & aromatum, nulla prędedente tussi, aut destillatione, sanguinis Sputum incurrunt, mox Phthisin.

Si verò fluxio fiat propter suppressos menses, hæmorrhoides, varices, aliasue excretiones, hęc quoque ex relatione habebuntur.

Quòd si denique fiat Phthisis ex humoribus, aut biliosis, aut pituitosis, in Thorace putrescentibus, & ad eandem putredinem Pulmonem ducentibus, signa sunt proposita a Galen. 4. de loc. aff. 8. Sputum incipit pallidum, aut flauum, liquidum, cui succedit parua febricula, & paulatim sanguinis Sputum, sed exiguum; deinde corporis extenuatio, & ipsiusmet Pulmonis Corruptio.

Quod ad locos pertinet, si Vlcus fuerit in aspera arteria, & in epiglottide, pauca est sanguinis, & sputi, & puris excreti portio, vox omnino vitiatur, aut aboletur, aut saltem rauca, & praua redditur. aliquando, vt docuit Galen. 1. loc. aff. 1. λεπίς siue portio ipsius asperæ arterię, cum pu... to educitur. Experimétum quoq; hoc vlcus ostendit. nam si paulatim acetum, aut aliud acre lambant, acrimoniam sentiunt, & si duriorem deglutiant offam, dolorem patiuntur. hęc omnia obseruaui in quodam Phthisico Veneto.

Quòd si Vlcus sit in partibus pectoris, sanguis pariter admodum paucus est, nigricans, tussi admodû vehemêti eiectus, cû dolore partis vlceratæ.

Si ex pulmonibus, faciliùs educitur, ac in maiori copia, & propterea vel nullus, vel exiguus est dolor nã Pulmo nô dolet, nisi ratione membranę ipsum circûuoluentis, & ligamétorû circa dorsû.

Vnum tamen licet vos monere, quod accepi à Gal. 5. meth. videlicet ex pauco sanguine, aut pure excreto non posse coniici, Vlcus non esse in Pulmone. Ratio est, quia inquit Gal aliquãdo ipsum Vlcus non erodit asperas arterias ipsius Pulmonis sed tantû carnem, & vasa aliaq; antequam ille sanguis in cauitaté asperæ arteriæ recipiatur, opus est tempore: nam dura est membrana asperæ arteriæ, neque facilè ipsum statim suscipit; hic grumum facit, & ille grumus est impedimento, ne sanguis, aut pus genitum possit tussi expurgari; itaq; in viscere retinetur, & Phthisin facit insanabilem, cum tamen Sputum sit paucissimum.

Prognostica.

VEnio ad prognostica: Vlcus asperæ arteriæ, vt docet Gal 5. meth. 12. plerunq; ad sanitaté perduci pôt. & profitetur Gal. se plures sanasse.

Vlcus Pectoris pariter faciliùs sanatur, quã Vlcus Pulmonis, propter tres caussas à Gal propositas 5. meth. 8. Prima, quia illa pars est magis carnosa: Secunda, quia pus genitum non retinetur in vlcere, sed diffluit in capacitatem thoracis. Tertia, quia quiescit locus ille contra quàm faciat Pulmo, qui continuè mouetur, & saniem prauam habet, & in se retinet, aut si eiiciat, tussi tantùm eiicit, tussis autem Vlcus exasperat.

Non est tamen omne Vlcus Pulmonis insanabile, vt quidã existimãt, quod docuit Gal. 5. meth. 8. & ego ipse nonnullos consumatos Phthisicos sanani, quantùm verò propria collegi experientia, faciliùs curantur Phthisici ex Peripneumonia pręcedente: & ego curaui nobilissimam matronam Patauinam Lauram Fabriaram ad S. Ioannem. *Vxor Auctoris Phthisica ad ipso curata* facilè etiam curatur Phthisis ex pure descendente vel ex capite, vel ex faucibus: propterea curaui quoq; vxorem meam, quæ ex phrenitidè sputa suppurata incidit in Phthisin. sanantur quoque Vlcera multò faciliùs, quę sine fluxione sunt, quam illa, quę fluxionem adiunctam habent.

A Quæ verò inflammationem vehementem iam contraxerunt, ex Gal. sententia insanabilia sunt, sicuti, & sordida, quæ potissimùm cognoscuntur ex sputo admodum graueolenti; propterea Hipp. 5. aph. 11. hoc sputum graueolens carbonibus in iectum pessimum putat esse signum. Deplorati ét sunt, qui iam Marasmodem inciderunt febrem, quibus propterea ex defectu caloris capilli defluunt. Hinc. Hippoc. 5. aph. 12. pessimum inquit esse signum, si capilli deflauant. Fit quoque profluuium alui propter eandem caussam, estque pessimum signum, ex 5 aphor. 14. ex imbecillitate facultatis sputum etiam deficit; propterea dicebat Hippo. 7. aph. 17. à Puris Sputo Tabes, si Sputum retineatur, moriuntur.

Curatio.

CVm in Phthisi adsit Vlcus, Febris, & Tabes idcirco etiam indicationes variæ sunt: ab Vlcere enim sumitur indicatio, si sordidum fuerit abstergendi, si cauum, carne implendi; si humidum, siccandi, & tandem obducendi cicatricem; quod si fluxionem teneretur, fluxio erit arcenda.

C A febre quatenus hectica est, sumitur indicatio refrigerandi, & humectandi. De putrida .n. non loquor, quia per accidens Phthisi coniungitur.

A Tabe demum sumitur indicatio reficiendi humiditatem deperditam, & instauradi carnes.

Dubitabit autem vestrum quispiam, à quonam incipiendũ sit? Paucis dico in Phthisi cum Marasmo, seu febre marasmode, re iam exsistente deplorata, sola curatione palliata, vt dicunt, agendum propterea humectandi, atque omni ingenio renutriendi sunt. Si febris non sit marasmodes, sed D hectica secundi gradus; putridam tamen habeat connexam affectu dignam, à putrida incipiendũ, qua non sublata frustra administrantur Phthisicis remedia: si putrida non adsit, aut quidem adsit, sed leuiuscula; ab vlcere incipiendum, quo non curato febris, & Macies persistit.

Ab Vlcere igitur incipientes pro illo mundando, primùm quidem valent looch de pino, looch sanum, & expertum, looch de pulmone vulpis. describuntur hæc medicamenta a Mesue, & à E ceteris antidotarijs: vsus est per modum lambitiui Poteritis, & vos Eclegma si componere.

Recipe farin. erut. orobi.
lupinorum an drach. i.
radic. Ireos puluerizz.
aristoloch.
semin. gossypi an. drach sem.
pulmoriar. drach. i. sem.

Terantur omnia, & excipiantur aut mulsa, aut melle rof. simp. aut sapa, & paulatim deglutiantur.

F Hoc enim perpetuo obseruandum in Vlceribus vel Asperæ Arteriæ, vel Pulmonũ, & Pectoris vt medicamenta assumpta super lingua ibi contineantur inclinata ad posteriora ceruice, vt paulatim arteriam ingrediantur. Hæc mulsæ forma ad hunc scopum est valde efficax.

Recipe mell. opt. vnc. iii.
aq. communis lib. ii.
botrydis, pulmonar.
enulæ, hyssop. an. M. sem.
Ireos, lupin an. drach. ii.

Bull. ad consumpt. tertiæ par. despumando ipsum mel. deinde vtamini hac mulsa ad mundif. Vlcus.

Post abstersoria valent siccantia, & hæc quidé vario administrata modo: Illiniantur nares, & palatum aut trochiscis hedychrois, vel de gallia moscata dissolutis in aqua vitę, aut in vino odorato; aut fiat suffumigium ex styrace, galbano, belzoino, thure, olibano, addito pro ditioribus mosco, & ambra.

B Auicẽ à quo accepit Valesc. de Taranta: proponit suffumigium ex arsenico rubro, quam Græci Sandaracham ad siccandum vlcus est fortissimũ medicamentum, sed periculum suffocationis imminet. idcirco aut ab illo abstinendum, aut miscendum est arsenicum styraci, thuri, belzuino, ex quibus omnibus f. formulę, quales componuntur ex cinnabari ad expurgandam luem Veneream, estq; idem administrandi modus: modum qui vult legere, videat libellum nostrũ de lue Vener.

C Cæterùm consulo, vt rem mitioribus perficiamus, & eclegmatibus, atq; alijs assumptis exsiccantibus, Vlcus sanetur. Scio non deesse in horum administratione maximas difficultates. Tabido .n. corpori, & febricitanti calidum, & siccum præbere medicamentũ, est contra omnem medicam indicationem; nihilominus, quia Vlcere non siccato, vt antea dixi, neq; Febris, neq; Tabes potest desinere, hinc fit vt doctiores Medici in Phthisicis vsum siccantium admiserint, & ne à Gal. nostro recedamus, ipse 4. loc. aff. vlt. in illis Phthisicis de quibus meminit vtitur Athanasia, Ambrosia, D medicamentis ex aromatibus compositis, omnino siccantibus. hinc factum est, vt Fracastor, sane doctiss. 3. de morb. contag. c. 8. pro sanandis Phthisicis laudet decoctum ex ligno Indico. Idcirco, & Philip. Ingrassias Medicus pariter celeberrimus in consilio quod scribit pro Duce Terræ nouæ, profitetur se plurimos sanasse phthisicos vsu decocti ex ligno, & duas huius rei proponit historias. Ego quoq; profiteor me Phthisicum sanasse lue Gallica laborantem ligni Indici decocto ante annos 17. qui adhuc est in viuis: Memini de hoc in E tract. de lue Vene. idcirco, & Alfons. Ferrus lib. 2. de lue Gall. mirificè in Phthisicis commendat huiusmodi decoctum, vt verò tutò administretur, potest parari hunc in modum. *Decoct. Guaiaci in Phthisi*

Recipe Ligni Indic. vnc. vi.
Infundatur in aqua cochlea. plantag.
polygon. an. vnc. iiij.
Deinde f. decoct.
adden carn. testud. nem. euisc. vnc. iiij.
conjol. vnic. peruinc. an. M. i.

F F. expres. quæ seruetur pro syrupo, cuius dentur vnc. vi.

Instituatur victus optimi succi, actu potius exsiccans, propterea assa potius prębeantur.

Si quis Ligni decoctũ vereatur, chinæ radicem accipiat. Ego quoq; hac feliciter suum vsus in Illustri Laura Fabaria Patauina Phthisica post suppuratam Peripneumoniam, quæ adhuc viuit.

Et vbi Macies negotium vobis facere videatur alterum duorum faciendum: primum est, vt prębeatis

beatis lac asininum, sed cum oleo ex guaiaco: Hac ratione ante annos sex ego curaui nobilem Germanicum Augustanum Phthisicum; aut poteritis præbere ius, hoc modo confectum.

Recipe aut lignum Indic. aut Chinam.
si Lign. Ind. vnc. iij. si China vnc. i.
Infund. in aq. lib. vi.
Deinde recipe hord. mund. M. sem.
Amyl. Tragacant. an. drach. ij.
Sem. acetos. plantag. an. drach. i.
Sem. melon. mundat. vnc sem.
Nucl. pin. pistac. an. vnc. i. sem.
Carn. Test. nemoral. vnc. ii.

Ponantur, quæ imponi possunt, in ventre optimæ pullæ, omnia simul bulliant vsque ad perfect. carnis coct. & facta omnium express. ius hoc præbeatur spatio 30. dierum.

Hoc quoque iure feliciter vtor in Phthisicis. Quantitas est vnc. vi.

In his verò loco ferculi parare soleo hordaceum quoddam hoc modo: Accipio.

farin. hord. lib. iii.
sacc. fniss. pulueriz. lib. totidem.

Impono hæc in olla noua, primo ponendo partem farinæ, deinde partem saccari, & sic vicissim donec tota hæc quantitas sit recepta in olla.

Aliquando consueui permiscere etiam puluerem, aut salsæ, aut rad. chinæ, aut pulmonariæ, aut botridis, vt. s. sint horum puluer. omnium vnc. vi.

Olla ipsa iam operta pasta cruda imponitur in furno spatio 9. dierum, singulo die manet tantum quartam horę partem.

Ex illa mistura simul cum iure optimo ferculum fit mane, & vesperi, quo solo Phthisicum sanaui religiosum Venet. degentem apud S. Nicolaum de Tolentino.

Sed præter hæc conficiuntur quoque potiones nonnullæ vulneratiæ vocatæ, quæ pulmonum Vlcera sanare creduntur: medicamenta, quę in has potiones recipiuntur, poteritis legere apud Ambros. Paræum lib. 18. suæ magnæ Chirurgiæ c. 18. Fiunt enim hę potiones ex decocto beton. agrim. vincæ peruincæ, virgæ auræ, aristoloch. scab. folijs oliuæ, fol. vitis, alijsque id genus. Mihi olim communicata est aqua similis stillatitia, qua semel tantùm vsus sum, sed certè cum fructu: præbeatur ignaro medicamenti. fit hæc potio ex stercore canino comedente ossa tantum & ex hedera terrestri, atque herba, quam vocant pyrolam: miscentur succi harum herbarum cum stercore proposito, & omnia destillantur. Dosis est vnc. iij. Hæc igitur agenda in Vlcere sine Fluxione.

Aq. Stil. vulnerariis.

Si fluxio adsit, iam vos docui in tractatu de catartho modum curandi omnem Fluxionem acrem à Capite ad Thoracem: propterea confugiatis ad illum locum.

Si fluxio fiat à corde, epithematibus erit cor refrigerandum, sicuti, si à iecore, iecur ipsum.

Quando verò suppressi sint menses, vel hęmorrhoides, aut varices, aut cauteria, consuetæ istæ excreationes omnio promoueantur.

At si magis vrgeat Marasmus, quàm Vlcus, vt antea dixi, Marasmo est incumbendum vsu lactis, electuarijs, resumptiuis, atque morsellis, quæ tamen Vlcus quoque respiciant; & propterea electuarium poterit sic confici.

Recipe coobl ear. nu. x.
caud ar. cancr. fluuiat nu. xx.
carn. testud. nemoral. vnc. iiii.
pilosell. pulmonar.
enulæ an. M. s.
semin. plantag. portulac.
acetos. an. drach. ii.
liquirit. vnc. sem.
passular. vnc. iii.

Bull. in s. q. aq. & f. colatura deinde.

Recipe Amyl. vnc. sem.
Prun. dulc. vnc. vi.

Bull. in prędict. decoct. & pulpæ per setaceum transmissæ adde.

Nucl. pin. pistac. an. vnc. ii.
Sacc. fin. q. s. M. & f. elect.

Dosis erit vnc. j. summo mane 4. hor. ante cibum, & tantundem post cœnam.

Denique Morselli possunt sic componi.

Recipe pulp. nuc. Ind. vnc. iii.
carn. capon. vnc. vi.
nucl. pin. amygd. dulc.
pistac. an. vnc. i. sem.
marg. præp. corn. cer. vst.
sandalor. rub. an. drac i.
sacc. dissol. in aq. borrag. q. s.

M. & f. conf. in Morsell.

Datur vnc. i. in prandio, & cœna.

Balneum aquæ dulcis in hoc casu mihi est suspectũ, & quia concitat destillationem ad Thoracem & quia si fit calidum, corpus siccat, & digerit si frigidum, modicam illam caliditatem exstinguit; itaq; relinquendũ est balneũ. Hęc de Phthisi.

Balneũ aq. dulc.

DE TVSSI, ET RESPIRANDI DIFFICVLTATE. Cap. XXVII.

Coniugam tractatum de Tussi, cùm tract. de Difficultate Respirationis; quanquam. n. Tussis habeat quasdam caussas cum Difficultate Respirationis minimè communes; in potioribus tamen cum ipsa conuenit itaque dicam primum naturam, & priuatas tussis caussas, deinde verò sub titulo difficultatis Spirandi recensebo communes, & Tussi, & Difficultati Respirationis.

Est itaq; Tussis Gal. auct. 2. de sympt. caus. 4. *vehemens efflatio cum sonitu, ex spiritu impellente inequalitatem asperarum arteriarum.* Hec definitio colligitur partim ex loc. cit. partim ex. 4. loc. aff. c. 8. & partim 2. simpl. c. 17. quo in loc. Gal. vnica hac voce *inæqualitatis. s.* complexus est omnes Tussis causas.

Desinitio.

Cũ. n. aspera arteria naturaliter plana, & leuis esse debeat, vbicunq; inæqualitas accedit, tunc primùm natura inęqualitatem excernere studet; sicuti, & per sternutamentum expurgatur cerebrũ, & per vomitum ventriculum; cùm verò dura sit aspera arteria, atq; ideò contractioni inepta, per quam contractionem in cæteris partibus noxii ex pulsio fieri cõsueuit, natura in pulmonibus alium inuenit modum superandi hanc inęqualitatem per impulsum aeris, per vehemẽtem efflationem.

quæ vehemens efflatio & spiritus impulsio fit: ex A valida Thoracis constrictione: inæqualitas verò fit aliquando ex caussis extrinsecis, non nunquam ex internis.

Extrinsecæ sunt fumus præcipuè aeris, & venenatus, puluis, cibus, aut potus in arteriam ingrediens. Noui puellam, cui quarto ætatis anno portiuncula ossis delapsa est in Asperam Arteriam, & inde in Pulmones, & ex eo tempore in hanc vsq; diē qua agit XVIII. annum semper laborat Tussi, & Sputo Sanguinis.

Hist. diuturna Tussis ex osse in Pulmones delapso.

Ingrediuntur huiusmodi corpora, aut quia operculum arteriæ sit ab aliquo vlcere erosum, sicuti plerisq; contingit Lue Venerea laborantibus, aut B quia apertum est, quo tempore fit deglutitio; vt in profusè admodum ridentibus.

Internæ caussæ aut sunt essentiales, aut per cōsensum. omittam omnes illas, quæ per consensum. fit enim aliquando Tussis compressis pulmonibus ex lienis, iecoris, aut ventriculi, aut totius abdominis tumore.

Quandoque etiam ex vermibus, quanquam de Loco & Modo, secundum quem & per quem fiat tussis ex vermibus, aliqua sit difficultas Gal. cō. 17. & 24. 2. in 6. Epid. vbi Hipp. mentionem facit C Tussis aridæ, &c. factæ non ferino sed spiritu. Gal. inquit, quod etiam si per ferinū intelligamus vermes, nihilominus falsam esse illorum sententiā, qui putant excitari Tussim vermibus os ventriculi vellicantibus; in qua tamen sententia video ex Recentioribus perstitisse Christoph. Vegam 3. lib. de art. med. cap. 10. de Tussi. Cæterùm ego quidem vidi Tusses excitatas, ex vermibus, sed ascēdentibus vsq; ad fauces, & titillationem inferenti bus in arteriæ asperæ initio, qui paulò post eiiciebantur. Io. Sertarius in præfatione obseruationū D Capitis scribit Tussim aliquando fieri ex vermiculis in ipsismet pulmonibus genitis & contentis. Quicquid sit, de hac frequentiores Tussis caussæ quæ à vobis sunt considerandæ, sunt, quæ per essentiam pulmonis infestant: intemperies, & morbi instrumentarii: nam de morbis in soluta vnitate nihil ampliùs dicendum. satis. de hac diximus in tract. de Phusi & Sputo sanguinis. neque etiā hoc in loco erit sermo de de Tussi facta ex Pleuritide aut Empyemate, vel Peripneumonia: Nam de his affectionibus infra sigillatim acturi sumus. E

Tussis ex Vermibus.

Vermiculi in Pulmon. geniti.

Anacephalaeosis caussarum particularium Tussis:

PEculiares igitur Tussis caussæ sunt vel intemperies frigida potissimum, quæ illos maximè infestat, quibus imminuta, vel potiùs prorsus exesa est Columella; aut intemperies calida, aut valde sicca, non tamen æqualis, sed prorsus inæqualis.

Caussæ verò, quæ pertinent ad morbos instrumentales, communes, sunt Difficultas Respirationis, & Tussis, & propterea primùm de Difficultate Spirandi est agendum.

Differentiæ Difficultatis Spirandi.

DIfficultas Spirandi, Dispnoea Græcis dicta, quandoq; communiter accipitur pro omni Respiratione celeri, frequenti, magna, parua æquali inæquali, cum sono, & sine sono, siue fiat erecta ceruice, siue decumbente corpore: hoc potestis colligere ex Gal. primo de diff. resp. primo Nos amplam illam significationem dimittimus, & nomine Dyspnœæ nunc temporis triplex tantum vitium complectimur. Primum est *Spiratio crebra sine sono, sine febre.* Secundum est: *Spiratio valde crebra cum sono, sine febre Sublimis*: hanc propriè Græci vocant Ἄσθμα, Latini Anhelationem, eaq; affectus Suspiriosos, Anhelosos, & Anhelantes: nam, vt dicebat Gal. in com. 56. part. & in 23. 6. & 7. de comp. loco. 6. & 4. loc aff. cap. 7. isti respirando æmulantur eos, qui diu exercitati fuerunt, propterea crebrum habent spiritum rea. Tertiū est, quoque *Crebra, & Sublimis spiratio, sed facta erecta ceruice*, & vocatur propriè Ὀρθόπνοια.

Has differentias potestis colligere partim ex Hipp. 4. in 6. Epid. 4. vbi scribit Hipp. filiam. Agesis laborasse Difficultate Spirandi, postea verò tuberculo disrupto Asthmate laborasse, ex quo loco Gal. 3. de diff. resp. cap. vlt. colligit differentiam inter Dyspnœam & Asthma, quod scilicet *Dyspnœa* sit quidem crebra Spiratio, sed multo crebrior sit asthma, ita vt, si Galeno credimus, crebpitas sit quidem vtrique communis, sit tamen maior in Asthmate; sed apud Gal. distinguitur quoq; Asthma ab ipsa Dyspnœa propter Sublimem Respirationem: Respirationis Sublimis meminit Hipp. 2. in 3. Epid. 4. & sect. 7. com. 6. Gal. in illo commento 4. 2. in tertium Epid & 4. de loc. aff. 7. inquit *Sublimem Respirationem esse illam; quæ missit omnibus Thoracis musculis eleuatis. atq; ad motionem impulsis*, vt propterea magna dicatur ratione huius eleuationis, cùm tamen parua sit ratione aeris inspirati; nam in Asthmate & Orthopnœa propter instrumentorum angustiam modicus aer recipitur, vt docuit Gal. 3. de diff. resp. c. 6. thorax tamen valde dilatatur.

Respiratio Sublimis.

Recentiores addiderunt illam differentiā *cum sonitu*, nam apud Gal. & Hipp. nunquam inueni factam huius mentionem.

Dixi autem fieri hanc Difficultatem *sine febre*: quia si complectamur Difficultates Spirandi cum febre, ampla nimis fiet tractatio, complectemur omnes febres, omnesq; Thoracis Inflammationes Empyema præterea, de quibus sigillatim agendū.

Caussæ communes tussis & difficult. respirationis.

ITaque caussæ & Tussis & Difficultatis Spirandi iam propositæ apud Galen. locis cit. duæ tantum sunt: Tuberculum scilicet Pulmonis, & humorum crassorum & lentorum copia. Tuberculum autem potest esse duplex, aut crudum & suppurationi ineptum, quale est Steatoma, aut Ateroma; id genus tumoris scribit Reald. Columb. lib. 15. se in Suspiriosis post mortem sectis

sæpe

sæpe inuenisse; Aliud est Tuberculum, quod ad A suppurationem tendit; tale fuit, quod contingit filiæ Agesis, cujus meminit Hipp. 4. in 6. Epid. 4. & tamen fuit sine febre id quod confirmat nostram superiùs prolatam sententiam, in Pulmonibus contineri pus, nulla exsistente febre.

Altera caussa, Humor scilicet crassus & lentus, aut generatur in Pulmonibus, aut defluit ex capite, aut partim generatur, partim defluit; quinimo qui defluit quandoque est crassus, quandoque tenuis, & si contingat, vt crassa exsistente materia in Pulmonibus tenuis confertim descendat, fit B subita quædam Orthopnœa, quæ durare consueuit aliquot horas tantùm, sicut vbi maxima est plenitudo, atque angustia, continua fit Orthopnœa; & hæc materia aliquando continetur in ipsa asperarum arteriarum cauitate, quandoque verò in ipsamet Pulmonum substantia, & tamen Orthopnœam progignit; cujus rei vidi experientiam in clarissimo à consiliis secretis Veneto Milledonio; aliquando etiam continetur hæc materia crassa, & pituitosa, in spatio inani, quod est inter Pulmones, & Costas, & tunc comprimit Pulmones. C

Hujus meminit Gal. 4. de loc. aff. 7. qui (vt dixi) alias non videtur cognouisse Difficultatis, Spirãdi caussas sine febre, præter istas, quanquã puris quoque mentionem faciat, 4. de loc aff. 7. Nos partim experientia, partim doctissimorum virorum testimõio alias vidimus Asthmatis & Orthopnœæ caussas sine febre ab istis valde diuersas.

Hydrops Pulmonis. Prima est Hydrops Pulmonis, casus rarissimus, cuius meminit Hipp. 2. lib. de Morb. & ego hunc Hydropẽ vidi ante annos 7. in quodam clarissimo ex familia Marcella, cui post mortem dissecto in- D uentæ sunt lib. multæ aq. spumosæ in capacitate Thoracis, & pulmonibus. Audio quoque Maximillianum II. Imperatorem, laborantem palpitatione, hoc morbo interysse.

Siccitas, ex Tabes Secunda caussa est Pulmonum siccitas dum essem junior, memini me cum Excellentissimis viris vidisse quendam religiosum ordinis S. Mariæ de Auancio, qui curabatur, ac si laboraret Orthopnœa ex humoribus crassis; nõ conferentibus auxiliis, post mortem inuenti sunt ambo Pulmones tabe affecti & exsicati. E

Coalescẽtia. Tertia caussa est Coalescentia: aliquando pulmones coalescunt cum membrana succingente costas, & tunc fit Asthma & Orthopnœa insanabilis. Hunc casum vidi in alio Religioso.

Lapides & materia grandinosa. Quarta caussa sunt Lapides in pulmonibus cõtenti, aut grãdo. Huiusmodi Lapides scribit Paul. lib. 3. c. 31. pumicatos quinque numero fuisse excretos. Idipsum quoque de grandine scribit Gal. 4. de loc. aff. 8. præter Fern. 5. pathol. c. 10.

Quinto denique est inter caussas Difficultatis Spirandi sine febre Gibbositas: nam siue fiat ex F casu, aut ictu, siue tuberculis costas intro trahentibus, semper necessariò Pulmones ipsi comprimũtur, vt compresi & Tussim, & Difficilem faciant Respirationem. Hoc docuit Gal. 1. de diff. resp. cap. 11. & in com. 46. 6. part. quando scribit Hipp. Qui gibbi ex asthmate, &c.

Quæcunque autem sit caussa siue Tussis, siue Difficultatis Spirandi iam à nobis prepositæ & expositæ, oportet asperas arterias vt primariò aut secundariò læsas esse, in Tussi quidem, nam, vt dixi, finis ipsius Tussis nullus est alius, quàm inæqualitatem superare, quæ in asperis continetur arterijs, vt abundè docuit Gal. 2. simpl. 17. Pariter Difficultas Spirandi, in qua modicus aer recipitur, semper harum arteriarum angustiam sequitur, non autem lenium, vt exposuit Gal. 4. de loc. aff. vlt. in fine.

Signa.

Sed iam transeamus ad signa, in qua parte peto vestram attentionem. Difficultas ergo Spirandi necessariò fit aut ex læsis Pulmonibus ipsis, aut ex triplici musculorum genere affecto, scil. septo transuerso, musculis intercostalibus, ac musculis superioribus: fit prætetea Difficilis ex vsu aucto, id est, calore igneo vel Cordis, vel Pulmonum: fit etiam Difficilis ex facultate deficiente: quandoque ex pluribus simul coniunctis causis.

Non est difficilè distinguere Difficultatem Spirandi, de qua nunc est sermo, ex Pulmonibus læsis ab illa, quæ fit ab vsu aucto: nam vbi vsus augetur, Spiratio est magna vtroq; modo, & quia omnes musculi operantur, & quia multus aer recipitur, in Asthmate verò modicus recipitur aer. Præterea, vbi vsus augetur, spiritus est calidus et efflatio est vehemens, est enim propria febris 4. de loc. aff. 7. in Asthmate neq; vehemens est efflatio, neque spiritus calidus.

Distinguitur 2. à musculis affectis: nam vbicunq; vel Septum Transuersum, vel alij musculi læduntur, Spiratio fit quidem crebra, sed parua, ratione dilatationis, quanquam possit esse magna ratione aeris inspirati.

In Asthamate opposito modo res se habet: Thorax multum dilatatur, & modicus aer recipitur: preterea vbi Septum Trãsuersum, vel alii musculi læduntur, si adest inflammatio dolor adest, & vehemens, efflatio, et spiritus calidus; in Asthmate nequaquam.

Tertio, & hoc est maximè obseruandum, vbi Septum Transuersum comprimitur à tumoribus ventris inferioris, Respiratio fit quidem Difficilis, sed absque Tussi, nisi tumor sit inflammatorius: hoc notate, Itaque (vt dixi) tumores comprimẽtes Diaphragma, nisi sint inflammatorii, Tussim nõ faciunt. hoc colligitur primùm quidem ex Gal: deinde etiam ex ratione: ex Gal. qui 5. de loc. aff 7. proponens signa inflammationis partis gibbæ jecoris, proponit Tussim inter cetera, & Difficultatem Spirandi; dum loquitur de scirrho in eodẽ loco, nullã Tussis mentionem facit: sed quod magis refert. idem Gal. 2. de sympt. cauſ. 4. dum assignat caussam propter quam fit Tussis ex inflãmatione jecoris, inquit caussam esse non compressionem, sed transmissionem alicujus materiæ ex parte inflammata in Pulmones. at verò ex scirrho, ex tumore duro, neque vapor, neque materia eleuatur, quæ in Pulmones, transmitti possit; atque ideo potest quidem tumor durus comprimendo Septum Transuersum Difficilem facere Spirationẽ; non tamen Tussim. hoc apertiùs confirmatur exemplo

exemplo Pleuritidis, quæ aut externa sit, aut valde parua, vtraque enim difficilem facit Spirationem, sed absq; Tussi, vt docet Gal. 5. de loc aff. 3. in fin. & ratio est in promptu, quia ex parua Pleuritide, aut externa, neq; comprimuntur Pulmones, neque quicquam humoris, aut vaporis in illos recipitur, quod Tussim excitare valeat.

Distinguitur etiam hæc Difficultas Spirandi à facultate deficiente; quamuis enim deficiens facultas faciat Respirationem, in qua omnes musculi operantur, sicuti etiam in Asthmate, attamen in hoc distinguuntur, quòd minus crebra est Spiratio, vbi facultas deficit, & spiritus attrahitur tantùm per nares, & si calor non adsit, est omnium rarissima.

Denique potestis distinguere præsentem Difficultatem Spirandi simplicem à complicatione caussarum ex signis à me iam propositis, & declaratis, quæ propria sunt huius, vel alterius caussæ.

Cæterùm distinguere etiam oportet caussas, quę ipsum Pulmonem angustant, & coarctant: nam, si sint humores crassi, Tussis adest cum hercore, sputum album (paucum) est, sed crassum. Si humores sint tenues, tussis est vehementissima, sputum paucum, & liquidum, & frequenter superuenit Catarrhus, præfocans vocatus.

Si fit ex crudo tuberculo, sanis, & nihil antea Tussientibus superuenit hic affectus, primùm quidem cum leui Tussicula, & ea quidem inani; deinde verò etiam cum Difficultate Spirandi; quòd si tuberculum ad suppurationem deueniat, Tussis humida succedit, cum sputo purulento.

Hydrops Pulmonis facilè cognoscitur ex Difficultate insigni Spirandi, Tussi humida, sputo liquidiore, & aqueo, & si patientes vertant se in vnum, vel alterum latus, fluctuationem sentiunt; si auris thoraci adhibeatur, ebullitio sentitur, efferuescentia quædam; palpitationi subiiciuntur isti, ac perdurante malo, hydropem incurrunt.

Si Difficultas fiat ex grandine, aut ex calculo, Tussis est sicca, difficultas spirandi continua; præcessit autem catarrhus admodum crassus, & lentus, aut tuberculum suppuratum; propterea minimè sunt illi audiendi, qui dicunt posse Respirationis Difficultatem fieri absque Tussi ex humoribus induratis circa Pulmones: nam Gal. 4. de loc. aff. 8. horum sententiam apertè explodit, qui inquit, eos qui grandinem in pulmonibus habent, Tussim habere diuturnam, postquam tandem huiusmodi grandinem exspuerint.

Coalescentia Pulmonum cum costis nullum habet certum signum, nisi sanguinis Sputum pręcesserit, aut Pleuritis, aut Peripneumonia, in quibus casibus, solent Pulmones costis adhærere.

Siccitas etiam facilè cognoscitur ex macie vniuersi corporis, lenta febricula, ex siti, ex Tussi primùm quidem inani, deinde verò prorsus deficiente; nam vbi intemperies sit æqualis, nulla amplius fit Tussis.

Gibbiositas non eget signis, vt cognoscatur.

Tussis verò quæ fit ex intemperie frigida, cognoscitur ex spiratione frigida, rara, tarda, præterea ex Tussi inani, quę compresso spiritu non modo (rarescit) sedatur, sed etiam curari potest, & sa-

A nari: nam compresso spiritu, partes incalescunt spiritales, & sic fugant frigidam intemperiem.

Calida verò intemperies cognoscitur ex spiritu calido, spiratione crebra, & veloci, & quia iuuatur medicamentis frigidis.

Præsagia.

OMnes istę Difficultates Spirandi, quę admodum crebrę sunt cum sonitu, & quę fiunt erecta ceruite, vt Orthopnœa difficilè sanan-
B tur, quinimo Asthma ad senectutem, vsq; comitati consueuit: Ortophnœa verò in accessione plerosq; interficit; idcirco qui Asthmate laborantes cùm Tussi gibbi euadunt, ante pubertatem moriuntur, eo quòd, vt scribit Gal. in com. 46. 6. part. illud Asthma factum est ex tuberculo suppurato: vbi autem Tuberculum est vsq; adeo magnum, vt gibbositatem faciat, tandem ægros interficit.

Therapia.

C IN curanda Tussi, & Difficili Spiratione aliquando pugnandum est contra ipsum symptoma: magna ex parte verò contra caussas morbificas. aduersus symptomata quidem, cum Tussis vsq; adeò grauis est, vt alicuius vasis fracturæ periculum immineat, vel est vsq; adeò molesta, & frequens, vt somnum adimat, & quietem omnem: pariter Difficilis Spiratio cum in Orthopnoeam tendit, & eam quidem cum periculo suffocationis, ipsi occurrendum symptomati.

D *Curatio Tussis.*

AD arcendam itaq; Tussim duo valent medicamentorum genera: vnum quòd partes arteriæ exasperatas lęuigare, & complanare potest: alterum, quòd fluentem materiam compescere, & intercipere valet in prima classe sunt omnia medicamenta quæ componuntur ex succo glycyrrhizæ, amygdalis dulc. contusis amylo, tragacantho, penidijs, zuccaro aut candio, aut communi cum mucilagine vel sem. maluæ, aut radi-
E cum althæ eex his componuntur formulæ, quæ sub lingua continuò detinentur vnam ex istis descriptam habetis apud Gal. in lib. de parat. facil. c. 14. sed communissima, & officinis vulgaris habetur apud Mesu. in cap. de Tussi sicca, vbi habet duas pilularum bechicarum descriptiones: prima est Rhasis, secunda est ipsiusmet propria, quæ, vt dixi, officinis omnibus est communis.

Ad intercipiendum catarrhum valent omnes, confectiones opiatæ, vt propterea Gal. in hunc vsum 5. meth. 13. acceperit theriacam recentem Mesue ab Alexan. Trall. in hunc vsum accepit pilulas de cynoglossa, quibus crocum addit: datur
F semidrach. post. cænam, & certè mirificè Tussim sedant.

Non displicent inunctiones Thoracis factæ ex mucilagine semin. mal. butyro recenti, oleo amygdalino.

Ego fœlicissimè vti soleo emplastro facto ex pomis dulcibus, primò quidem trituratis, postea

coctis

coctis in olla cum oleo amyg. dulc. butyr. & modico croco ad penetrationem.

At si tussis non sit vsq; adeo infensa, caussis est incumbendum, atque ideo si fiat ex intemp. frigida, vt antea dixi, sola spiritus compressio aliquando ipsam sanat, si tamen perseueret, conuenit extrinsecus inunctio ex oleo chamom. liliorum alborum. Gal. (5.) 8. met. 13. vtebatur medicamento ex Thapsia, sed de hoc medicamento inferiùs loquemur.

Intrinsecus conueniunt magnæ antidoti: antiq. theriaca, mithridatum, diatrionpiper. Gal. loc. cit. proponit diaspermaton, siue confectionem ex seminibus, quæ est opiata, & proponitur non tantùm pro refrigeratione instrumentorum, quantùm pro reiectatione sanguinis. Atq; vbi sanguis non reijcitur, neque recens theriaca valet; neq; Diaspermaton.

In Tussi ex intemperie calida inunctio fiat ex oleo violato, nenuphar. fiat eclegma ex mucilag. psyllij, emulsione seminum papau. albi, aut melonum cum syrupo viol. simp. Potus sit aq. hord. cibus verò ptisana.

In intemperie sicca conueniunt omnia humectantia, de quibus dixi in tact. de Phthisi, quæ modò non repeto.

Curatio Orthopnæ;

Venio ad curationem OrthopnϾ in Accessione, quo tempore varia conueniunt reuulsionum genera clisteres acres, & præcipuè, quæ flatus discutiant; quando quidem si Septum transuersum à partibus naturalibus flatu repletis non comprimatur, faciliùs spirant in eundem vsum faciunt Cucurbitulæ, Ligaturæ, Frictiones.

Vena sect. Si OrthopnϾ fiat cum abundantia sanguinis, in ipsa accessione conuenit etiam venæ sectio; propterea Hipp. 4. acut. 21. inter cæteros affectus quos inquit requirere venę sectionem ante purgationem, proponit Orthopnœam siccam, id est, vt ipsemet, & Gal. interpretatur, inflammatoriam non suppuratam: at vbi pus est factum, vbi crassi & viscidi abundent humores, perniciosa est venæ sectio. Conueniunt quoq; intercipientia fluxionem, quia (ut antea dixi) grauis Orthopnœa tùc fit, cum crassis humoribus in Pulmonibus collectis, tenuis accedat materia confestim ex capite descendens. Hanc igitur intercipere oportet, & quamuis ad illam intercipiendam valeat Diacodion, Diatraganthum cum bolo Armena, & pilulæ illæ bechicę, in suffocationis periculo propter hanc tenuem fluxionem expedit ascendere ad opiata. *Opiatorũ vsus.* Licet enim Gal. 7. de comp. per loc. c. 6. in omnibus Spirandi Difficultatibus opiatorum vsũ prohibuisse videatur, nihilominus 12. method. 1. in hac suspicione suffocationis concedit vsum opiati medicamenti: itaq; ad pilulas de cynoglossa erit confugiendum.

Deriuanda quoq; est materia ad partes Thoracis exteriores, & propterea laudat Aetius Rubificantia quædam, vt fricationem Thoracis cum pumice, cum squilla, vrticis: Gal. 11. met. cap: 17. ad extrahendam materiam, quæ in Pulmonibus est, præter alia calorifica, laudat quoque cucurbitulam ipsi Thoraci affixam.

Sed illud vobis notandum, neque cucurbitulam neque rubificantia ea administranda, quando fluxio fit ex capite: nam augebunt fluxionem neque cum corpus est plenum, sed tantùm in Orthopnœa ex primaria pulmonum repletione, & post vniuersales euacuationes, & reuulsiones. interim vtendum eclegmate, quòd valenter crassos attenuet humores, & vias aperiat. itaq; poteritis medicamentum sic componere.

Recipe sal. Ammoniac. gr. x.
Oxym. scillit. vnc. i. M.

Hoc medicamentum ad incidendum, & attenuandum est efficacissimum. Alii accipiunt ipsum gummi Ammoniacum in aceto dissolutum, addito syrupo de hyssopo, & oxym. scyllit: sed vbi materia partim fluat, partim sit impacta, proponendum medicamentum mistæ facultatis hoc modo.

Recipe Amyl. Tregac. an vnc. ij.
Pulu. Ireos. Hyssop. an. drach. i. sem.
Sirup. de farfar.
de liquirit. an. q. s.
Oxim. scyllit.

M. pro Lambit. de Accessione satis.

Extra Accessionem cùm variæ sint caussæ, vario quoq; modo curatio est instituenda. Si fiat difficilis Spiratio, aut Tussis ex crudo taberculo, Gal. 7. de comp. loc. 6. & 4. meth. c. 17. inquit, totam curationem huius positam esse in medicamentis aromaticis calidis; & siccis, materiam tuberculi absumentibus: idcirco proponit vsum theriacæ antiquę, Ambrosiam, & Athanasiam, quæ sunt medicamenta ex multis conflata aromaticis; & gummi calidis, styrace, myrrha, costo, cassia lignea, cinnamomo, videatis descriptionem apud Gal. 2. de Antidot. 8. itaq; medicamenta sint calida, & sicca.

Victus ratio pariter ad siclum inclinet: propterea Gal. in 7. de com. per loc. potum quidem vini generosi concedit, sed in pauca quantitate.

At verò si Difficilis Spiratio fiat ex tenui humore, hunc, vt dixi, incrassare oportet: modum incrassandi partim proposui in tract. de catar. partim nupertimè: itaq; non receptam.

Venio itaque ad crassum catarrhum. si fiat Spiratio Difficilis ex catarrho admodum crasso, primùm quidem conueniunt omnia illa euacuantia, & totum, & caput, reuellentia, & deriuantia, atq; Exsiccantia ipsum caput, de quibus dixi in tract. de Catarrh.

Vnũ in præsentia moneo circa vomitum, qui commendatur à Paulò in his casibus, Vomitum *Vomitũ* in Orthopnœa minime conuenire, si materia primario in Pulmonibus contineatur, si angustus sit thorax, & si difficilis sit patiens ad vomendum Gal. quos, & quand. purg. opor. in his casibus vomitum prohibet. nunc itaq; omni diligentia curabimus catarrhum iam in pectore existentem. vt crassa materia Pulmonibus adhærens facilè educatur, & Pulmones ita exsiccentur, & corroborentur, vt in posterum neq; generen, neq; materiam.

tertiam suscipiant nouam, ita in curatione procedendum primùm quidem præmissis totius, & capitis euacuationibus, ac reuulsionibus conuenien ubus laudó, vt per quinq; dies continuos præbatis sem. vnc. huius electuarij ter in die naturali, videl. 1. hor. ante prand. 2. hor ante cœnam, & hor. 6. post cœnam. Electuarium est tale,

Recipe Penidiar. vnc. ij.
Mann. elect. vnc. ij.
Ol. amyg. dulc. rec. vnc. i.
Flor. cass. nou. extr. vnc. sem.
Pulm. Vulp. præpar. drach. ij.

Ducantur in mortario, & f. Elect. & vsurpetur, vt dictum est.

Hoc Electuarium aluum seruat lubricam: propterea catarrhum diuertit, & partes thoracis dilatat. Post primos quinque dies hoc aliud laudo electuarium, quod nihil præstat, quam vias dilatet, & sputum iam induratum emolliat; Componitur hoc modo:

Recipe passul. ping. enucl. vnc. ij.
Saccar. fin. vnc. iii.
Ol. amyg. dulc. vnc. i sem.

Dissoluitur saccharum, & additis passulis,

Et oleo f. Electuarium Dosis est vnc. sem. ante prand. & cœnam: mirificè Thoracem dilatat, vt probaui experientia. in eundem vsum facit conserua florum maluç, aut conserua ex radice althεæ simul cum melle, & pro pauperibus est optimum remedium.

Interim dum sic dilatantur viæ extrinsecis remedijs debet iungi thorax, linimentis se emollienubus, quale est vnguentum pectorale vocatum, oleum amygd. commune, pinguedo anatis, & anseris, butyrum recens, aut emplastrum ex pomis descriptum in præcedenti lectione.

Intrinsecus verò eclegma parandum, quo paulatim singulis vtatur horis ad educendam materiam iam emollitam: Poterit sic parari:

Recipe radic. ireos. Semin. bombac. an. drac. i. sem.
Puluer. calaminth.
serpentar. Cent. maior. an. drach. i.
Succi enulç.
pulmonar. an. vnc. i.
Oxymel. scillit.
Syr. de farfar. an. q. s.

M. pro Lambitiuo.

Vbi satis superque emollita est materia, atque etiam pro maiori parte educta, alia conueniunt remedia, quæ humorum reliquias consumant, & pulmones roborent. Multa proponuntur adstrictoria. Ego præstantiora vobis nunc referam. probatissimum est hoc remedium:

Recipe therebint. lot in aq. hyssop. vnc. ii.
Ammoniac. drach ii.
Penidiar. vnc. sem.
Pulm. Vulp. præparati drach. i.
Botryd. puluerizatæ.
Aristoloch. an. drach. i. sem.

M. omnia, & ducta in mortar. redigantur in form. elect.

Dosis est ad vnc. sem.

Medicamentum exsiccat, sed etiam detergit, quod in Asthmate ex crassis humoribus Gal. optatissimum est semper. n. vobis hoc est memoria tenendum, Pectoralia medicamenta in Asthmate pro crassa materia humidis debere esse admista, vt si fuerint sicca, cum aliqua humida potione præberi debent. Idcircò Galen. 5. simp. cap. 13. in affectibus Thoracis probibet vsum eorum medicamentorum quæ verè diuretica sunt, vt apium, asarum, & similia, eo quòd sunt nimis calida, & sicca, & tamen si legatis eundem Gal. 7. comp. loc. 6. ex sententia Archigenis, Andromachi, & aliorum, in huiusmodi medicamētis pro Asthmate ingrediuntur calidissima, & siccissima, piper, costus, cinamomum, cassia lignea, &c. sed quæ sunt sicca, debent præberi cum aliquo potu humido.

Cautio circa vsum Pectoralium.

Idcircò secundo loco probatur summoperè vsus aquar. thermalium, sulphuratarum, quales sunt nostrę Aponenses: exsiccant valenter: sed quia multa est potio, humectat etiam crassam illam substantiam, vt non facilè induretur. Tertiò loco est Ius Galli antiqui: hoc ius præparatum in Asthmate est efficacissimū. Paratur hoc modo.

Aquæ Thermales Sulphur.

In ventre galli antiqui euiscerati, & flagellati, ac modicè saliti imponantur hæc.

Ius Galli antiqui.

Recipe prassi, hyssopi, puleg.
Botrydis Pulmonar.
Enul. Calamint. an. M. I.
Anis. Cimin. Dauc. an. vnc. i.
Penid. vnc. sem.
Nucl. pin. vnc. iii.

Bulliant vsq; ad perfectam carnis coctionem, & f. forti expressione dentur iuris: vi. summo mane cum vnc. i s. oximel. scillit. spatio 15. dierum; Vespere autimo ante cœnam iniçiatur clister. ex parte huius iuris crassiore addendo.

Hieræ pro clistere vnc. 5.
Mell rosat.
Ol. rutacei an. vnc. iij. M.

Archigenes, quod laudat summoperè Gal. probat vsum millepedum, siue asellorum, & ipsos exsiccat, exsiccatos cum melle excipit, atq; exhibet, à quo etiam accepit Aet. Anton. Valet. in exercitat. 6. ad Holler. scribit se à Græco quodam accepisse, familiare esse hoc medicamentum in Græcia; infundi tantùm hæc animalia in vino, non autem pręberi in substantia. habent vim, vt scribit Gal. attenuatoriam, & discussoriam: idcirco prodesse possunt.

Millepedes.

Alias plurimas compositiones potestis apud varios scriptores legere, sed tamen placet mihi huic parti coronidem imponere proponendo descriptionem Electuarij, quod habeo in lib. meis manuscriptis tanquam secretum optimum: habet omnes scopos, dilatandi Thoracem, emolliendi sputum, attenuandi, & incidendi, exsiccandi, & corroborandi, & quia est descriptio loga, ne vos decipiam, tuli descriptionem, est optimè compositum.

Recipe butyr. recent. in aq. farfaræ.
decies loti vnc. i. ij.
Nucl. pin. Passul. Dactyl.
Amygd. amar. an. vnc. ij.

Hyssop.

Hyssop. ireos thimi.
Saturesa. serpentar.
Praß. Pulegij.
Calament. sem. vrtic. an. vnc. sem.
Cinam. Caryoph. Gingib.
Galang. Pip. nig.
Anisor. Cardamo an. drach. ij.
Lig al. Nuc mosc. an. drach. i.
Muls. dilut. lib. iiij.

Conficiatur hoc modo; infunduntur Passulæ, & Dactyli per triduum in præd. muls. deinde eoq. lent. igne, & exprimantur; huic expresso succo add. butyr. iam propos. & iterum bull. in lib. ij. Mell. de spumati, & in fin. add. ipsos nucl. pin. amygd. & vnc. i. Pul. vulp præparati. Huius Elect. datur vnc. i. vbi maximè vrgeat morbus, in mitiori affectu vnc. sem. quatuor hor. ante cibum spatio 30. saltem dierum.

Sulph. Qui hoc modo non curantur, debent deinde ad maiora confugere. Grauiora sunt ipsum sulphur aut viuum, aut lotum cum aqua farfaræ. Datur drach. i. aut in ouo sorbili, vt præcipit Auic. aut cum melle: Est quoq; compositio in officinis Diasulphur vocata cuius datur vnc. sem. Flos sulphuris est adhuc multo fortior: Datur scrup. i. in conserua florum malu. & in therebintina perlucida. *Arsen.* Auicenna quoq; exhibet arsenicum per hos; quod ego tanquam causticum reprobo: neq; vt ingenue dicam, placet mihi suffumigatio ex arsen. nam in hoc casu, in quo viæ angustantur, suffocatio etiam imminet, quare hoc venenatum suffumigium poterit strangulare. Non improbo suffumigium ex styrace, belzuino, thure, myrrha; sicuti neq; improbatur extrinsecus Cauterium in ipso medio thorace, videbitur vobis immanis *Cauterium.* gperario. sed quid dicetis, si Aetium legatis, qui in hoc casu octo facit inustiones? quas tamen Ego minime probo. Non tamen displicet, vt antea quoq; *Fricatio Thoracis, & Sinapis.* dictum est, in suffocationis periculo Fricatio Thoracis ad rubificationem; & propterea medicamenta siue sinapismi, siue dropaces, quæ vim habent rubificandi, & attrahendi, in hoc casu probantur.

De Hydrope Pulmonis nil habeo, quod dicam, nisi quod dixit Hipp. 2. de morbis, sectionem scilicet in hoc casu esse faciendam: modum sectionis proponam in cap. de Empyemate: hoc tamen non præteribo; in pauca aquæ quantitate mihi nō improbari medicamenta valde exsiccantia, & victum medicamentis proportionatum; ita vt in hoc casu minimè permiscenda vel addenda sint humida medicamenta, sicuti cum materia est crassa: imò verò licet vti solis, & legitimis diureticis: quandoque enim materia Thoracis, & Pulmonis per vrinas purgatur. licet quoque vti sulphure, atq; alijs exsiccantibus.

Victus ratio in Ahstmate proportione respondeat.

DE PLEVRITIDE Cap. XXVIII.

Tametsi multæ sint in Thorace partes inflammationibus obnoxię, Pulmonibus exceptis, vt Pleura, Periostium, Musculi intercostales Interni, & Externi, Septum Transuersū, & Mediastino A num, nihilominus, quia harum omnium curatio paucis admodum mutatis coincidit cum curatione veræ Pleuritidis; idcirco sub hoc titulo curationem complectemur omnium inflammationū, quæ propositas partes infestant. a Pleuritide igitur exordium sumentes, quæ Pleuresis Arabibus; Latinis Dolor Lateralis dicitur: hæc primò duplex constitui potest. vera vna altera falsa. *Pleuritis duplex.*

Vera Pleuritis est semper inflammatio: Falsa est Dolor Lateris sine inflammatione siue ex flatu extendente, siue ex vapore acri, aut intemperie B cum materia: huius meminit Gal. 5. de loc. aff. 3. Istius quoq; puto mentionem fecisse Hipp. 2. acut. in primis tex tib. quando consulit vtendum fomentis tentatiuis.

Vera Pleuritis adhuc multipliciter distinguitur: nam vna est legitima, altera spuria. Legitima adhuc bifariam diuidi potest ratione loci affecti.

Est autem legitima exactè exquisita *inflammatio membranæ succingentis costas in parte Thoracis anteriore*: Legitima sed non exactè exquisita *Definitio.* C *est inflammatio eiusdem membranæ, sed in parte Thoracis posteriore*. cùm aūt dicitur inflammatam esse Pleuram, illud animaduertendum quòd docet Gal. 5. de loc. aff. 3. affecta membrana coafficci etiam musculos intercostales internos, sicuti quando inflammatio in musculis internis incipiat ipsi Pleuræ communicatur, & hæc, vt dixi, est duplex Pleuritis legitima, quæ vobis est notanda, quia multi pleuritici fiunt ex parte posteriore, vt docuit Galen. 5. de loc. affectis 3.

Spuria Pleuritis ratione loci ea est, quæ occupat musculos intercostales aut internos, aut externos sine Pleura, aut occupat ipsum periostium. D adhuc magis spuria est, quæ fit in Mediastino. Potest etiam ad spurias referri inflammatio Septi Transuersi, quandoquidem cum membrana succingente costas communionem habet, inflammatio autem musculorum Thoracis superiorum, & eorum quoque, qui etiamsi in Thorace reperiantur faciunt tamen ad motum non Thoracis, sed brachiorum: istæ sunt omnino externæ oculis patentes nullo modo ad Pleuritim referendæ neq; E ad spuriam, neque ad legitimam.

Est quoque Pleuritis legitima, & spuria ratione materię. nam sanguinea Pleuritis legitima est biliosa, pituitosa, & melancholica spuriæ, at quamuis Galenus 4. de caus. pull. 8. mentionem non fecerit Pleuritidis melancholicæ, idcircò eam omisit, quia cum sermonem faceret de Pleuritidis pulsibus, & intelligeret melancholicam Pleuritidem non fieri ex melancholia naturali, sed ex exusta, F vt docuit libr. de const. art. propterea nouit, & supposuit pulsum Pleuritidis melancholicæ esse eundem cum pulsu pleuritidis biliosæ. Huius vero melancholicę pleuritidis meminit 3. de Cris. 2. & 2. de diff. feb. 9. & lib. de const. art. cap. 15. quo in loco docet apertè, nomine Pleuritidis pituitosæ, & melancholicę non intelligere tumorem ex syncera pituita, & melancholia; quandoquidem apertè docet (& notate locum) pituitosum, & melancholicum tumorem in pleura nullam facere febrem.

Mor-

Modus generationis.

HViusmodi Pleuritis ex tam multiplici caussa producta fit vel per modum attractionis ex calore, & dolore, siue calor fiat ex motu, siue ex balneo calido, aut inunctione, aut cucurbitula, vel alia simili caussa; aut fit per modum transmissionis, parte aliqua fortiore in hunc locum excrementa mittente, siue sit cerebrum, vt in Pleuritide pituitosa, siue aliæ corporis partes, præcipuè verò vterus, & hæmorrhoides suppressæ; propterea scribit Hipp. 4. in 6. Epid. 37. eos, qui tentantur mariscis, neq; Pleuritide tentari, neque Peripneumonia, neque alijs. ex ventriculo, quamuis imbecilli, & multam generante pituitam, Pleuritis aut rarò, aut nunquam fieri consueuit, & hoc est quod scribit Hipp. 6. aph. 33. eos, qui accidum eructant, Pleuritide non admodum tentari. id quod etiam repetit lib. de aer. aq. & loc. Fit etiam Pleuritis suscipiente parte fluxionem propter imbecillitatem, siue imbecillitas sit naturalis, ex gibbositate, scil. nam gibbi Pleuritidi sunt subiecti; Aut quia morbus sit hæreditarius: Ego enim noui quosdam, qui sæpissime in Pleuritide vexatum: fit quoque imbecillitas ex percussione, aut casu.

Pleuritis hæreditas.

Signa.

COgnoscitur hic affectus quinq; illis signis tantopere à Galeno decantatis 2. de cris. c. 2. de loc. aff. 9. 5. de loc. aff. 3. lib. de const. art. c. 15. & alibi. Sunt autem *Dolor, Tussis, Febris, Difficultas, Respirationis, & Pulsus durus.*

Per hæc signa rectè considerata non modò dignoscitur Pleuritis, sed etiam distinguitur, & à falsa, & ab omni spuria, & ab inflammatione iecoris, & ab ea, quæ non est exactè exquisita.

Distinguitur à falsa, quia in falsa febris non adest, aut admodum exilis, & potiùs præcedit, quam subsequatur dolorem, dolorque ipse est vagus, ac mobilis: Respiratio est non admodum difficilis, tussis non adest, vt docuit Gal. 5. de loc. aff. 3.

Differt autem ab inflammatione Iecoris: primò quia dolor Pleuriticus est pungitiuus; dolor inflammationis Iecoris est grauatiuus: præterea dolor Pleuriticus quandoque ascendit ad iugulum; quia membrana succingens costas ad iugulum perducitur: dolor iecoris nunquam transit mendosas costas. Tertiò quò magis pleuritis augetur, eò tussis fit validior, & sputum apparet: in inflammatione Iecoris tussis semper est exigua, & ea quidem siccà: accedit quòd in inflammatione Iecoris pulsus non est durus, sicuti in ipsa Pleuritide. hæc signa, & alia maioris momenti colligite ex Gal. 3. de loc. aff. vlt.

Distinguitur etiam à Pleuritide spuria ratione loci, quia in Legitima dolor exacerbatur, quando patiens vertitur in latus oppositum laboranti lateri; in spuria exacerbatur decumbente ægro super parte affecta, & idcirco, si digitis prematur locus ille, doloris habet sensum. præterea pulsus minimè durus est, vel multò minùs durus est, quã in legitima Pleuritide. Tertiò in spuria Pleuritide Tussis non adest, auctor est Galen. 5. de loc. aff. 3. Fauet huic ratio: Nam Tussis non fit nisi irritentur Pulmones; at quomodo irritabuntur illæsa membrana costas succingente? non inficior, augescente hac inflammatione posse aliquem vaporem, & Pleuræ, & Pulmonibus communicari, vt Tussis fiat eodem modo, quo fit etiam ex inflammatione iecoris, sed tamen hoc non semper contingit.

Differt quoque ab inflammatione Septi Transuersi, quia spiratio in eo casu est difficilior, & delirium maius, imò verò, inflammatio Septi est cũ delirio vsque adeo magno, & continuo coniuncta, vt eam putent phrenitidem esse firmatam, & hinc voluit Phrenitidem esse nominatam à Septo Transuerso, quod Græcis φρένας, id est Mens appellatur.

Differt quoque ab inflammationem Mediastini: nam in hac inflammatione dolet pars anterior aut posterior Thoracis non circa latera, sed circa mediam Thoracis partem.

Inflammationes variæ pro varietate materię facilè distinguuntur; primùm quidem ex sputo: nam Sanguinea habet sputum sanguineum: Biliosa flauum; Pituitosa spumosum; Melancholica liuidum, aut nigrum. Possunt etiam distingui ex circuitu febrium: nam biliosa, exacerbatur de tertio in tertiũ, vt est videre apud Gal. prima aph. 12. Sanguinem habet febrem synocham: Pituitosa quotidiè exacerbatur: pręterea ex pulsibus potest hæc distinctio fieri. nam in biliosa, & melancholica pleuritide pulsus sunt omnium durissimi, in sanguinea minus, in pituitosa ferè nihil.

Notatio de Pulsu Serrino.

AVdiui aliquando, vulgares Medicos pleuriticorum pulsus explorantes statim affirmare eos Pleuritide tentari, qui Pulsum habeant Serrinum vel serrantem; qui, vt ingenuè dicam, mihi visi sunt potius ex scripto, fortè etiam perperam intellecto, quàm ex rei veritate duci. Gal. 2. quidem de Cris. 10. inquit Pulsum Serrinũ esse proprium inflammationis pleuræ, sed lib. de pul. ad tyron. c. 11. & 4. de caus. pul. 8. hanc suam explicat sententiam, & docet, non in omni Pleuritide Pulsum esse Serrinum, sed in magna tantùm; neque in omni magna, sed quæ pro parte est mutata in abscessum in pus; nam si tota materia sit in pus versa, pulsum minimè facit serrinum; Vbi medio modo se habet, vult Gal. Pulsum esse Serrinum, id est, dum tangitur quatuor digitis, sub vno digito appareat durum, sub secundo mollem, sub tertio durum, sub quarto pariter mollem, eo quòd sicuti inæqualis est materia in inflammatione partim cruda, partim in pus conuersa, ex cruda durities, ex purulenta mollities sentiatur. Hęc sententia, præterquam quod mihi nunquam proprio innotuit experimento, videtur omni ratione carere: nam vt alia omnia omittam, tactus ipsius pulsus non est omnibus vnus, & idem: esto igitur, sint duo, qui tangant pulsum, vnus quidem in vna arteriæ parte, alter verò in alia; necessarium erit,

si vera

si vera sit Galen. ratio, vt ea pars, quæ vni digito erat dura, alteri sit mollis, & quę erat mollis, dura: prętérquam quod animo concidi non potest, atteriam per tam breue spatium posse hanc insignem obtinere inęqualitatem, vt particulã sit dura, altera verò mollis, & vt ingenuè dicã, puto esse fictitiam, & imaginariam pulsus differentiam.

Prognostica.

VEnio ad prognostica: sunt hæc vel longitudinis, vel breuitatis, vel salutis, vel mortis, vel modi euentus Pleuritidis. Quod ad primum pertinet, quanquam omnis Pleuritis sit morbus acutus, vt colligitur ex primo acut. 8. & propterea 14. die, si legitima sit, quod summum est, absolui consueuit: Spuria tamen siue pituitosa, siue melancholica, multo longior esse consueuit, facilè autem prædici potest huiusmodi longitudo aut breuitas non tãtùm ex Pleuritidis idea, quod scilicet sit, vel biliosa, vel sanguinea, vel pituitosa, vel melancholica, sed magis ex precognitione, & cognitione temporum Pleuritidis: nam si citò transeat principium, & augmentum breuem Pleuritidem oportet esse: si longiora fuerint hæc tempora, longa quoq; ipsa erit.

Cognoscitur autem principiũ Pleuridis longum esse, si aut nullum apparet sputum, aut illud tenue, & crudum, præterea album & paucum, cognoscitur Augmentum, si sputum iam appareat, & magis crassum, ac coctum, quam antea: si pręterea symptomata pathognomonica, Tussis Dolor, Febris, Difficilis Spiratio, & Pulsus Duritiés intendantur: si denique alia superueniant accidentia, sitis, vigiliæ, nausea & huiusmodi.

Status cognoscitur ex sputis copiosis, facilè eductis; quæ omnia colliguntur ex Gal. primo de Cris. 18. Quod autem scribit 3. de loc. aff. vlt delirium superueniens Pleuritidi esse signum status, aut intelligendum est de principio, aut falsa erit sententia: nam delirium in augmento superuenit.

Prognostica ad mortem partim colliguntur ex lib. de tot. morb. tempor. cap. 6. partim ex 2. prognost. à text. 43. vsque ad 48. & in text. etiam 56 capiuntur enim à sputo, vel non apparente, vel liuido, nigro, admodom spumoso, fœtido, bilioso, impermisto, difficilè excreto, præterea verò ex symptomatibus pathognomonicis maximis, ex superuenientibus malignis, vt delirio vehementi vigilijs, vomitu, inappetentia, alui fluxu, de quo scribit sigillatim Hipp. 6. aph. 16. alui fluxũ Pleuritidi superuenientem malum esse, eo quòd, vt scribit Galenus, indicium sit hepatis simul cum ipsa Pleura inflammati.

Desinit Pleuritis aliquando in Peripneumoniam, quod etiam pessimũ est, sic scribente Hipp. 7. aph. 11. ex Pleuritide Peripneumonia malũ: permutatur quandoq; in Phrenitidẽ, quod etiã pessimum est: sic scribit Hipp. 6. in 6. Epid. 21. mẽtis motionem pleuritidẽ sanare; aliquando tamẽ adest mentis motio & pleuritis: nonnunquam permutatur in abscessum, vel in suppurationem. sic scribit Hipp. 5. aph. 8. pleuriticos, qui in 14. die non expurgantur, transire in suppurationem siue Suppurationis nomine intelligamus trãsmutationem materiæ in pus, siue collectionem puris inter Pulmones, & pleurã in capacitate Thoracis.

Curatio.

IN Curatione Pleuritidis cogor vti omni diligentia; neque enim vllũm remediũ genus in Pleuritide vsitatum proponi potest, quod maximam non habeat controuersiam: idem dico de victus ratione: suitq; antiqua satis hæc disceptatio, vt licet colligere ex Galen. primo de placit. Hipp. Plat. c. 6: vbi scribit, dubitasse Antiquos, vtrum melior sit venæ sectio, an purgatio? hæsitasse de mulsa, petisana, de aqua, & alijs id genus plurimis: Nos itaq; à venæ sectione, & purgatione initium sumentes quinque circa venæ sectionem considerabimus: Primum vtrum conueniat in omni Pleuritide: Secundum vtrum si conueniat, præferenda sit purgationi semper, an potius aliquando purgatio pręcedere debeat sectam venam: Tertia quęstio erit de loco sectionis venæ. Quarta de quantitate mittendi sanguinis. Quinta de tempore.

Remedia Pleuritidis valde contrauersa.

Quinq; consideranda circa venæ sect.

Quod ad primũ pertinet: Hipp. in illo 4. acut. 76 videtur apertè voluisse aliquando in Pleuritide prætermittendam esse venæ sectionem, & loco illius purgationem esse accipiendam; cuius sententiam amplexari videntur ex Græcis Aet. Alex. vt propterea idem Hipp. 4. in 6. Epid. videatur quoq; rationem proponere, propter quam nõ licet semper in Pleuritide venam secare, inquit enim in cruenta spuitione venã non secari, si ad sit dolor lateris, bilis: quasi voluerit Hipp. in Pleuritide biliosa cum cacochymia non licere venã secare, propterea Auic. in hac Pleuritide biliosa sectionem venę prohibet; & quod magis est Gal. loc. cit. com. vlt 4. in 6. Epid. asserit, in parua Pleuritide se aliquando venam non secuisse, quasi voluerit nos Galenus monere, in parua Pleuritide sectionem venæ non esse necessariam, sed quod ad hanc pertinet difficultatem, Ego sanè arbitror, in omni Pleuritide modò vires constent, venam esse secandam: licet enim biliosa & pituitosa sit Pleuritis, vt in natura explicanda vobis significaui, nomine biliosę aut pituitosæ, sanguinẽ intelligimus biliosum, aut pituitosum, nõ syncerain bilem, aut pituitam, & propterea quamuis plenitudo sit spuria & notha, in morbo tamen vlq; adeo periculoso, & graui est nacessaria venæ sectio: multo magis, vt puto, facienda est in Pleuritide sanguinea, quanquam parua: nam tametsi ab initio parua videatur Pleuritis, progressione tamen temporis augetur, & quandoque Medicus vult suppetias ferre, cùm iam tempus prӕterijt, non improbo tamen, vt in hac parua Pleuritide vtamini ab initio statim fomento aliquo tẽtatiuo dolorem leniente, & materiam discutiente, sunt enim hæc instituta, vt docuit Gal. in illis primis comm. 2. acut. & confirmauit Trallian. vt videamus, nunquid valida sit in corpore plenitudo: nam si adhibita fomenta dolorem leniant, humor iam fluxus digeritur, & nouus non influit.

itaque

itaque in hoc casu venę sectio prætermitti potest, qualia sint hæc fomenta,audietis suo loco. Sed quid dicemus ad Hippocratem,qui,vt dixi;purgatione vtitur dolore descendente;sectione autẽ venæ dolore ascedente? Puto (Auditores) Hippocratem sic interpretandum: in omi Pleuritide secandã esse venam,si vires cõstet,sed dolore ascendente primò secandam esse venam,deinde purgandum:dolore verò descẽdete primò purgandum,mox venam secandam:nam vbi dolor descendit,humor est grauis pituitosus; itaq; expedit,cacochymiam minuere,antequam secetur vena,& propterea idem Hipp. videtur hanc suã explicare sententiam in eod.4.acut.10. vbi proponit eos affectus, in quibus venę sectio præmittenda est purgationi,qui tamen affectus vtrumq; requirunt remedium:quare ita in hac parte agẽdum puto,& simul & semel satisfecimus secundo quæsito,quod erat: vtrum venæ sectio debeat semper præmitti purgationi,an potiùs è cõtra.

Quæstiones de loco mittẽdi sãg. in Pleuritide.

Modò antiquissimam,& difficillimam de loco sectionis venæ in Pleuritide quæstionem decreui in præsentia reddere facillimam. Sunt, vt video,quinq; hac in re præcipuè sententiæ. Prima elicitur ex Hipp.4.acut.76.vel 75.cui subscribit Galenus eodẽ loco,& libr.cur.per sang.miss. 16.Secandam scilicet esse venam in Pleuritide è directo partis laborantis. & eam quidem proximam,laborante scilicet latere dextro,eam quę est in cubito dextro; laborante sinistro eam,quę est in sinistro. Huic etiam sententiæ adhæret Celsus;& ex Arabibus scriptoribus Constantin. Africanus ex sententia Isaac hanc eadem tuetur sententiam:Cùm verò Arabum familia nouam induxisset opinionem,ante paucos annos primus omnium Petrus Brisotus Parisienses veterẽ Gal. & Hipp. sententiam non tantùm opere, sed & doctissimis commentariis restaurauit: cuius vestigia secuti sũt hactenus Curtius Papiens. Ferdin. Mena Hispan. Manard.& alii plurimi, qui hac de re commentarios ediderunt publicos.

Secunda sententia est eorum,qui putant semper venam lateris oppositi esse secandam:Huius opinionis fuit inter antiquos Aurelian.2.acut.18 & Archigenes ex Aet.2.tetrab.serm.40.cap.58. & Gariopont. Medicus antiquissimus: quorum sententiam ex Recentioribus mordicus tuentur Andreas Tucinas, Trincauel.& alij, qui pariter publicè contra opinionem Brisoti,& aliorum scripserunt.

Tertia opinio est eorum,qui putant primò secandas esse venas inferiores, hiq; diuisi inter se sunt:nam Auic. vult secari primùm venam pedis eiusdem lateris,postea venam cubiti oppositi,deinde venam eiusdem lateris affecti. Mesue vt longiorem faceret reuulsionem,incipit a sectione venæ pedis partis oppositæ, deinde secat venam in cubito opposito, postea eandem lateris affecti.

Quarta opinio est eorum,qui volunt primò secari venam lateris oppositi, deinde verò proximam,in qua sententia est Rhases, & Auerr. 7. collect.29. & Halyabb.6.practicę,atque alii plurimi Arabes.

Vesalij opin.

Quinta opinio est Vesalij,qui putauit,in omni Pleuritide siue dextra,siue sinistra solam dextri lateris venam esse aperiendam,eo quòd existimat sanguinem,qui facit omnem Pleuritidẽ, mitti à vena illa azygos vocata,siue sine pari,quę incipit in parte dextra,& desinit in sinistram,ita tamen vt rami illius non inserantur in venas partis sinistræ,& propterea,inquit ipse, necessariũ est,vt si sanguis in parte sinistra consistens educi debeat,iterum reuertatur in dextram,& propterea sectio partis dextræ meliùs hunc euacuat B sanguinem.

Vesal. opin. reiecta.

Cùm hæ & tot sint de loco secandæ venę sẽtentiæ,primùm quidem reiicienda est prorsus Vesalij opinio; non quidem propter eam rationem, quam attulit Amatus Lusitanus cent.1.curat.51 qui docet,vena maxygos habere ostiola,quę admittunt quidem sanguinem ipsam ingredi, sed prohibent egressum,ita vt propter hanc caussã sectio venæ sanguinem illum euacuare nõ possit: cui sententiæ adhęret etiam Holler. cùm tamen Andr. Laur lib.7.cap.3. hanc Lusitani sen- C tentiam reiiciat,atque asserat, illam experientiæ non conuenire:Quicquid sit de hac re,alia est ratio,propter quam accipienda non sit Vesalij sententia,quod scilicet non semper fiat Pleuritis circa octo inferiores costas,sed quãdoque circa quatuor superiores, in quo casu dolor ad iugulum ascendit;quatuor autem costæ superiores non recipiunt sanguinem à vena azygos, vt ipsemet quoque fatetur.

Quod pertinet ad alias sententias,illę omnes, quæ volunt, incipiendam esse venę sectionem à D partibus ab inflammato loco remotis habent pro se rationes ĩsolubiles;sũt& tamẽ in actu practico magna ex parte aliter est agendum. Rationes insolubiles sunt: Primò quia certum est,& omnibus acceptum,in inflammationibus incipiẽtibus ante deriuationem opus esse reuulsione:Secundò est quoq; omnibus notum Reuulsionem debere fieri nõ ad proximas partes sed ad remotas.Hęc est sẽtẽtia Glauc.2.Glauc.2.lib.de reuuls. & alibi pluries. Tertiò certissimum est,oppositas partes esse & inferiores cum supernis,& sinistras cum dextris, aut dextras cum sinistris,vt o- E mittã in præsentia eam,quæ fit ab ante in retro, aut contra,ab intus foras,vel contra Quartò certissimum est, in Galeni doctrina fieri reuulsionem æque vtilem,laborante vna parte superiore ex infernis, atq; etiam ex opposito latere. Id potestis colligere ex eod.Gal.13. meth.5.qui laborante vno crure,inquit aliud crus scarificandũ. Et tamen eod.lib.cap.11.laborante crure vtilẽm inquit esse reuulsionem ad brachia: Sic laborante brachio,vtilis est reuulsio ad inferna,& ad F latus oppositum.

Cùm igitur hæc ita se habeant, summa cum ratione visi sunt Arabes,& qui eorum doctrinã sectantur, circa inflammationis initia vti reuulsoria venæ sectione,aliquando ex pede,aliquãdo ex latere opposito.

Illud quidem minimè accipio,quod à Mesue propositum est,vt pedis oppositi vena secetur. Cõsulit vtiq; Hipp. per directum,& per communes vias faciendas esse reuulsiones, quod etiam do-

cet Gal. 2. Glauc. 2. At vena pedis oppositi neq; A directionem, neq; facilem habet cum latere opposito communionem.

Neq; verò probatur omnino Auic. opinio, qui etiam ad inferiora, & oppositum latus reuellit: nam quod pertinet ad reuulsionem ad inferiora, hæc mihi tunc probatur, cùm Pleuritis fiat ex suppressis mensibus, & hæmorrhoidibus; in quo casu si vna non sufficiet reuulsio, constantibus viribus, repetenda est secunda, aut sacrificanda sũt crura: vbi verò neq; ex vtero, neque ex hæmorrhoidibus fluxio fiat, sed ex iecore, aut line, tu- B tius est pro reuulsione eligere brachium oppositũ dummodo tamen, vt dictum, & suppositum est, fluxio sit in principio, aut quando maxima sit totius corporis plenitudo, vt tutò possit nis vena secari eodem die: nam in hoc casu inflammatione incipiente primò potest secari vena partis oppositæ, deinde verò persistente dolore eodem die secabitur vena lateris affecti.

Quando secari possi venæ lateris oppositi.

Audiuisti qua ratione Arabum sententia, & eorum, qui illos sequuntur, sit amplexanda: nunc audite, cur admodum raro ita sit agendum, sed potiùs in omni ferè Pleuritide statim secanda sit vena eiusdem lateris affecti.

Non cur secanda eiusdam lateris.

Prima ratio est; quia inflammationes interne raro admodum nobis innotescunt in verò, & legitimo fluxionis initio, nam dum fluxio, fit non tamen est facta, inflammatio non potes habere ea signa, quæ sunt pathognomonica inflammationis; Pathognomonica sunt dolor tussis, febris, difficultas anhelitus, pulsus durus: vbbi adsunt hæc certissimum est argumentum fluxionis iam factæ; non enim hæc consequuntur fluxionem D iam incipientem; nam si debet febris ardens, & acuta excitari, & alia omnia iam proposita symptomata oportet fluxionem esse factam; si fluxio est facta, ergo opus est deriuatione, & non reuulsione, & in hoc omnes conueniunt, sed in hoc differunt, quòd Arabes constituunt tempus principii trium, aut quatuor dierum, sed hallucinatur; nam aliquando vnica die fit inflammatio, & ea quidem maxima, & propterea dicebat Gale. in cõ. 62. 4. par. obstructionem, & inflammationem repente fieri: et ratio est, quia aliquando, imò magna ex parte Pleuritides fiunt per decubitum: at decubitus subito, & confertim fit. Quod si quis dicat: Quomodo igitur differt principium inflammationis ab augumento, si in principio fluxio est facta? Distinctionem ponit Galen. lib. de morbor. temp c. 1. Inquit inflammatio in principio non differt ab inflammatione incrementi in specie, in forma: habet eundem characterem, F tumorem, ruborem, sed differt secundùm magnitudinem, quia aliquantulo maior est in augmento; aut quia aliquod adhuc confluit, aut quia sanguis iam fluxus incipit concoqui, & in pus transmutari, vt propterea dixerit Gal. lib. de tot morb. tēp. c. 3. in hoc differre inflãmationẽ augmẽti ab inflammatione principij, quia in augmento materia fluxa incipit verti in pus. itaq; concludamus, si in principio materia est iam fluxa, quanquã admittamus aliqua ex parte adhuc fluere, in hoc casu conuenit euacuatio deriuatoria, quæ simul reuellit, & fluxam materiam euacuat: et propterea Hipp. qui optimè nouit, etiam in principio Pleuritidis, materiã iam esse fluxam in illo 2. acut. 10. consulit mittendum esse sanguinem vsq; ad mutatione n coloris, eo fine, vt docet Gal. in com. vt educatur sanguis in ipsa inflammatione contentus, & propterea Galen. ipse. lib. illo de rat. cur. per sang. miss. cap. 16. venam eiusdem lateris in Pleuritide sectam inquit præsentaneum attulisse auxilium, in opposito latere aut nullum, aut paruum.

Obiectio

Solutio.

Itaque tandem concludamus, cùm accesseritis ad ægros, quibus ad sint hæc Pleuritidis signa, minimè in dubium reuocandum, fluxisse, seu fluxam iam esse magna ea parte materiam; alioquin nec dolor, nec tussis, nec cetera adessent, in quo casu; nisi, vt dixi, menses sint suppressi, aut sũma corporis plenitudo quoad vasa, statim aperienda vena eiusdem lateris: in aliis casibus quomodo agendum intellexisti.

Dum incidit sermo de quantitate mittendi sãguinis in Pleuritide, duo quæri possunt: Primo: C Vtrum conueniat sanguinem euacuare in maxima copia, & vsq; ad animi deliquium: Secundo: vtrum repetita venæ sectio ex eodem latere locũ habeat: Quod ad primum Hippoc. cui subscribit Gal. 2. acut. 10. mitti sanguinem vsque ad mutationem coloris, dum s. ex rubro in nigrum mutetur. quod est dictum vsq; quo euacuatur sanguis ille, qui inflammationẽ excitabat: hoc à fieri non potest absq; copiosissima sanguinis excretione: id circo idem auctor 4. acut. 74. probat sectionẽ venæ vsq; ad syncopen. Hęc tamen operatio Aetio minus placuit, & summa cum ratione cum enim inflamatione, quę ex parte sit facta, materia sit iã extra venas, difficillium est, ne dicam impossibile, absq; summa virium iactura illam, quæ extra venas est, in venam ducere, & per sectam venã educere: Quod si non educatur, calor naturalis exsoluitur, vt nec materiam illam digerere, nec per sputum educere, nec in pus conuertere valeat; id circo copiosa hæc sanguinis excretio tantùm est facienda, cùm corpus est plethoricum, densus habitus, ætas firma, constitutio non calida, inflammatio incipiens, atq; ea legitima: Deficientibus his conditionibus satiùs est venam eandem sępius tundere: Quæ est solutio secundi quæsiti; dummodo tamen vires permittant, dolorq; augeatur, aut saltem nulla ex parte post primam venæ sectionem immunitus sit: et propterea quod ad tempus pertinet. non sunt illi audiendi, qui dicunt post quartam in Pleuritide venam non esse secandam: dummodo enim vt dixi, dolor non cedat, & tussis sit sicca, vel cum paucissimo sputo, & tenui, quæ sunt indicia inflammationis; quæ ad huc non suppuratur, & tamen augetur, licet venam secare, & post quartum, & post septimũ Hoc fecit Hipp. 3. in 3. epid. 19. casu Anaxionis, cui octaua die venam secuit.

Est autẽ secanda vena, vbi Pleuritis vrgeat quacunq; diei hora siue matutina, siue vespertina.

Tempus secandæ venæ.

Et si aluus sponte non reddiderit, clyster iniiciendus. Hippocr. 4. acut. 75. cui assentitur Galen, clysterem dolt sectam venam iniiciunt.

Cęterùm missa hac controuersia, quod propria ex A perientia obseruaui, vobis proponam, aliquando scilicet Pleuritides quasdam incipere ab intestinis & iecore, vt non minus emolumenti attulerit clyster, quam venæ sectio: & si venæ sectio præmittatur, humor fluens sursum trahitur. Itaque interrogandi sunt, vtrum qui dolorem sentiunt, simul & motum, & ebullitionem quandam in ipsa iecoris parte sentiant: tunc enim clyster præmittendus: vbi verò nullus alius sit scopus, quam fæces educere, parum curo, siue præponatur, siue postponatur, sic ductus experientia propriâ, & B aliena: sic ergo agendum, vbi ætas, & vires permiserint.

Notandum.

Sed in pueris, & imbecillioribus quid agendum? Audent quidam moti exemplo Auenzoar, qui filio triû annorum venam secuit, pueris etiam venam secare, contra rationem, & Galen. auctoritatem.

Ego sanè ante 14. annum pueris non audeo venam secare, sed aut hirudinem vnam vel alteram impono venis cubiti, vt fit venæ sectio, aut adhibeo cucurbitulas natibus & lumbis. C

Imbecillioribus, sed adultis, aut aperio saluatellam eiusdem lateris, aut cucurbitulas pariter admoueo.

Trall. vbi non adest totius corporis plenitudo, vtitur scarificatione in ipsamet parte dolente apposita, deinde cucurbitula, quæ operatio mihi videtur frustratoria; nam si plenitudo corporis non adest, quodcunque fomentum parti dolenti adhibitum impactam eam materiam digerere poterit, si plenitudo adest, cucurbitula ea scarificata ab initio fluxionem concitabit: itaque dimittenda.

Transeo ad purgationem. Quæritur circa purgantia medicamenta, vtrum hæc conueniant descendente dolore prætermissa venę sectione; Id quod voluit Hippoc. 2. acut. 11. & 4. acut. 75. cui sententiæ ex recentioribus videtur subscribere Trincauel: qui caussam reddit, cur descendente dolore conueniat purgatio, non autem venæ sectio. Ratio est, inquit, quia vbi dolor descendit, Pleuritis fit ob venam azygos, sine pari, quæ ortum habet ex vena caua, antequam ingrediatur cor, & pulmones, quasi dicat fieri non posse, vt hic sanguis in ea parte contentus per tam longos ductus vsq; ad cubiti venam ducatur, cum debeat & transire cor, & pulmones, & ramos venarum iugularium longa admodum via. E

Cęterum hæc ratio si vllius esset momenti, neq; iecoris inflammatio deberet curari per sectam venam in cubito: neq; enim potest euacuari sanguis inflammationem iecoris faciens per cubiti venâ, qui non transeat cor, & pulmones, & cęteras venas: & tamen Gal. 13. met. 6. in inflammationibus iecoris venam cubiti, inquit, quamprimum reuellere & deriuare à parte inflammata; multo magis hoc præstabimus in Pleuritide, & eo potissimum, quia si Lusitano, & alijs credimus, quicquid senuat Vefalius, rami venæ sine pari coniunguntur cum quibusdam ramulis venæ axillaris, vt expedita fiat euacuatio a loco patiente, & sanè Gal. noster huius non fuit sententiæ, qui in illo com. 2. acut. non admittit Hipp. sententiam, dolore descendente purgatione vtendum. Docuit, Hipp. inquit, ipse Gal. prima aph. 23. in acutis rarò purgationibus vtendum; propterea inquit, cum Pleuritides magna ex parte febres habeant acutas, purgatio est periculosa, venæ sectio nunquam, Atq; ideo etiam dolore descendente, vt antea dixi, vena est secanda: Purgatio antiquorum si febris sit acuta, est omnino fugienda, dico antiquorum quia Hippoc. ibi proponit nigr. elleb. & peplium, quod nostrates esulam dicunt; Galenus autem in commentatio proponit Hier. diacolocynth. Sunt medicamenta calida & valida: propterea in acuta febre fugienda.

Non tamen, quanquam fuerit secta vena, fugienda sunt nostra benigna medicamenta, imò vero in sanguinea & biliosa Pleuritide tutò præberi potest cassia cum thamarind. syr. rof. solut.

In melancholica crassâ idem syr. cum sero capr. cui addatur epith. m. aut folia senæ.

In pituitosa tenui manna ipsa mirificè valet cum decocto iuiubarum ad vnc. iiii. In crassa mel. rof. solut. ad vnc iiii. vel v.

Interim cogitandum de localibus medicamentis, & de lambitiuis, siue eclegmatibus, circa quæ peto vestram attentionem. Quod pertinet ad exteriora, ardua est circa vsum reprimentium ab initio difficultas: nam Mesue, quem etiam alij sequuntur, ab initio vtitur medicamento reprimête ex rosis, balaustijs, & alijs id genus, & videtur habere pro se rationem; quia omnis inflammatio incipiens tractatur reuellentibus, ac reprimentibus, & Galen. 11. meth. c. 17. in principio, cùm D antea locutus esset de vsu adstringentium in inflammatione iecoris, subdit in inflammationibus pectoris adstringentia minus conuenire, non dicit prorsus non conuenire, sed minùs; & Hipp. quoq; 1. acut. tex. 4. vtitur in Pleuritide hordeo, & furfuribus in posca, aqua & aceto, acetum autem reprimit.

Ex altera tamen parte reprimentia omnino suspecta videntur. Primo quòd quatenus adstringêtia materiâ iam fluxam indurent: Secundo quòd eandem in pulmones repellant: est autem Peripneumonia Pleuritide deterior, & propterea Gal. loco illo cit. 11. meth 17. summopere cauet, ne huiusmodi inflammationes Thoracis ad Pulmones repellantur; & profectò huiusmodi suspiciones tanti sunt momenti, vt ego nunquam sim ausus vti adstrictoriis in Pleuritide.

Ad Mesuem possumus dicere id, quod & ipsemet confitetur, & docuit etiam Conciliator differentia 208. hæc reprimentia tunc tantùm conuenire, cùm materia adhuc nullo modo est fluxa, cùm est calida, & tenuis, & parua: sed si non est fluxa, quomodo est Pleuritis, est suppositio nugatoria. Non est Pleuritis, si materia pro aliqua parte, imò quandoque, & vt plurimùm pro maiori parte non sit fluxa. F

Itaque Hipp. loc. cit. non vtitur fomentis reprimentibus, in qua re perperam damnatur ab Alex. Trall: sed vtitur eo fomento ad attenuandam, & incidendam materiam crassam, quę spuriam facit Pleuritidem: idcirco illi sunt tolerabiliores,

qui

qui medicamentis digerentibus, & anodinis ali A qua permiscent moderatè adstrictoria; sicuti etiam laudandus est Auicennas, qui influxione calida & tenui vtitur liniméto ex ol. viol. & cera, cuius sententiã secutus Halyabb. 6. pract. atq; alij Arabes.

Foment. in mater tenui. Itaque, vt tandem ad materias fomentorum deueniamus: vbi materia sit valde tenuis, & calida, aut vtamini linimento proposito ex cera, & ol. viol. aut, quod magis mihi placet, vtamini spongia imbuta in aq. tepida alterata cum violis, malua, & modica rosarum portioné, aut adhibeatis vesicam bubulam eadem aqua plenam, vel B ol. viol. & amygd. dulc. Quòd si materia sit crassa, *Crassa.* & pituitosa, vtamini fomento Hippocratico. Recip. pugil. ii furfurum, aut crassiorum, aut, vt ego facio, medianorum, & calefaciatis in posca admodum diluta, ita vt sine acrimonia bibi possit. Furfures ponantur in sacculo, & adhibeantur loco dolenti: Mirificè sanant dolores laterales ex sanguine pituitoso factos, vt ego experientia comprobaui: Idipsum facit aut eruum aut hordeum cõfra- *Flatibus* ctum in eadem posca calefactum. Quod si flatus dolorem faciunt, siccum fomentum ex milio, fur- C furibus, sale, & chamomelo calefactis in sartagine positi in sacculo mirificè valet. Hæc in principio.

Communiter practicantes circa Pleuritidis initia vti consueuerunt eclegmatibus, quæ facultatem habeant humorem incrassandi, vt fluxionem ad locum affectum prohibeant, qui profectò duplici nomine mihi peccare videntur. Primum, quia dum Medici ad Pleuriticos vocantur, fluxio magna ex parte est facta, vt propterea factam incrassare nil aliud sit, quàm sputum, aut digestioné drohibere. Secundo plerunque fiunt Pleuritides D Spuriæ, defluentibus vel à capite, vel à toto corpore crassis humoribus, in quo casu incrassantia sunt venena; idcirco materia Pleuritidis, & copia humoris iam confluxi, antequam incrassantia administrentur, semper sunt obseruanda: & si quidem id quod fluit calidum & tenue exstiterit, & exigua sit copia congesta, conuenit parare eclegma, quod vim habeat prohibendi nouum defluxum, & simul digerendi id, quod iam fluxum est.

Prohibent autem defluxum vulgares compositiones, Diacodion, Diatraganthum, Diapeni- E dion, Saponea: fit autem, vt nostis, Saponea ex saccaro, amylo, & oleo amygd. dulc. recentium. Iuuat etiam in hoc casu Diacodion cum sapa dissolutum, vel huiusmodi lambitiuum.

Recipe penid. sacc. cand.
viol. an. vnc. sem.
syr. de iuiub.
de liquirit.
de papau. an. q. s.
M. pro Lambit.

Papauer Rubrum Sed vt digeratur etiam materia fluxa, & ta- F men incrassetur, nil præstantius papaueris rubei flore, qui quidem flos cum indiscriminatim à quibusdam vsurpetur, qui putant illum in Pleuritide à tota substantia prodesse, excepto hoc casu, noxium est medicamentum, moderatè quidem digerit, sed vim habet incrassandi idcirco conuenit in pauca fluxa materia, & influente tantùm tenui; Sed si hæc materia calida & tenuis pro maiori parte sit fluxa, dimittẽda sunt incrassantia.

Non dico (Auditores) id faciendum esse post quartum diem, etiam ante 4. vbi aperta sint signa multæ materiæ, iam collectæ opus est vti primùm digerentibus, si possit digeri, sin minus, euacuantibus aut per sputum, aut per sudores, aut per vrinas.

Digerentia multa quidem proposita sunt ab antiquis scriptoribus, præcipuè ab Aetio, sed ea vsq; adeo feruida, vt à febre ardenti omnino prohibeantur: idcirco nostris temporibus inuenta sunt quædam, quæ nonnullis secreta dicuntur, quę passim administrata in hoc casu iuuant: Ea recensebo, quibus ego & mei vsi sumus feliciter. Omnium communiss. & satis vulgare remedium est potus olei de semine lini; quidam vtuntur hoc *Ol. sem. lini.* oleo simp. ad vnc. vj. alii addunt vnc. ij. succi altheæ detrahentęs vnc. ij. olei. Datur 4. horis ante cibum, calidum, tribus diebus continuis, mirificé digerit, & dolorem lenit, & si inflammatio sit maior, etiam suppurationem adiuuat, neque sputum impedit.

Si tamen febris sit ardens, mihi magis placet *Ol. amygd. dulc.* oleum amygdal. dulc. succaro cand. aut penidiis commistum.

Aliud remedium est pomum Apium excauatum & repletum puluere liquiritiæ, pendiis, & *Pomum Apium.* oleo amygd. dulc. coquitur super cinere: & tota hæc substantia deuoratur mane, & vesperi, paulò ante cibum. Nonnulli in eodem pomo imponunt gran. iii. olibani puluer. & præbent idem pomum coctum cum olibano patienti tempore somni. Hoc quoque remedium digerit, suppurat, & quod maius est, si abscessus sit factus, ilico disruptionem facit, vt experientia certissime comprobatum est.

Quartum est vsus rasuræ dentis apri. Huius ra- *Rasura dentis Apri.* suræ datur drach. i. aut in aq. pimpinel. aut farfarę.

Quinto probatur in eundem vsum drach. i. corallor. rub. *Corall. rub.*

Sed efficacius, & quod mihi magis placet, est remedium factum ex puluere corticum auellana- *Paul. cort. auel lan. rub.* rum rubearum. Ad digerẽdam profectò Pleuritim calidam hic est puluis omnium præstantissimus.

Si immunda quoq; remedia, sed vtilia, non debent ommitti, aliud vobis proponam manuscriptũ in libris meorum auorum. Ipsis summopere commendatur stercus gallinæ, quæ vescatur herbis *Stercus gallinæ.* mense Maio, & propterea præbent stercus viride exsiccatum. Pulueris datur drach. i. aut in aquis prædictis, aut in aq. flor. camomel. stillatitia, quæ ipsa quoque sola Pleuritidem iuuare consueuit. Possunt hæc quoque in eclegmatibus permisceri, ita vt paulatim accipiantur.

Extrinsecus pariter est tentanda digestio: Proponuntur a scriptoribus hac in parte quædam fortissima. Apud Aet. inuenietis vsum sulphuris, piperis, aluminis, sinapis, & aliorum id genus calorificorum. Mihi magis placent, quæ blandè, & insensibiliter digerant, & alia mihi familiaria vobis proponam.

Primum est vnguent. ex dialthæa, quod si satis esse non posse videatur, egò accipere consueui folium brassicæ, & illinire butyro, & super

inspergere puluerem cymini, & loco dolenti apponere: est præstantissimum remedium à me frequenter vsitatum, A

Efficax etiam est remedium frustum vtris, in quo fuerit pix: calefiat, & adhibeatur loco dolēti.

Tertio summopere iuuat placenta sub cineribus cocta, in duas partes diuisa, melle illita, & inspersa cymino, & anisis, loco patienti adhibita.

Sed vltimo loco est fomentum, quo, vt ingenuè dicam, quosdam morti propinquos restitutos, & nuper expertus sum. Fomentum in augmento morbus sit minus efficax; In statu est efficacius: Dabo vtrumq; exemplum. B

In augmento.

Recipe fol. malu.
altheę an. M. ij,
Chamomel.
Anethi
Melilot.an. P.j,
Sem. lini.
fænugręci an. vnc.ij,

F.decoct.s. a f. expressione spongis hoc decocto imbibitis. f. foment. vt præcepit Hipp. spongia linteo inuoluta, ne cutis ex caliditate adstringatur, C

In statu prædictis medicamentis addere soleo hyssop. prass. pulegium, calament. orig. centaur. & est efficacissimum fomentum.

In malẽ ria crassioris. Sed vbi materia tanquam crassior debet euacuari, primum omnium euacuatio debet fieri per sputum: idcirco conueniunt omnia illa Eclegmata, quæ vobis proposui cap. de Asthmate ex materia crassa, quæ scil. recipiant semen vrticæ, grana orobi, erui, in farinā redacta, radices ireos, puluerem, aut succum enulæ & pulmonariæ, oxymel syrup. de farfara, de hyssopo, & alia id genus attenuantia, quibus si addantur aliqua ex illis, quæ diximus experimento longo inuenta esse Pleuriticis conferentia, siue dentem apri, siue cortices auellanarum, multò melius erit. D

Sputo nō succedente quid agendum. Quòd si sputum succedere non possit, aut euacuanda est materia per sudorem, aut per vrinas, aut per exteriora medicamenta vel tandem suppuratio est tentanda. Inter sudorifica est vsus aquę cardui benedicti simul cum drach.sem. semin eius dē cardui benedicti. Dátur autem huius quæ vnc. v. Hæc aq. valet tantùm ad mouendum sudorem, sicut ad mouēdas vrinas laudatur in hoc casu therebintina ipsa simplex, aut mista cum puluere liquiritiæ. Therebint. datur vnc.i. & abluatur in aq. capil. Ven. Liquirit. fit. drach. i. Hæc Diuretica non debent tamen in quocunque casu administrari, sed cùm videritis, vt dixi, sputum non procedere, & vrinas copiosiores fieri, nam dicebat Hipp. 4. acut. 28. malè cum illis Pleuriticis, & Peripneumonicis agi, qui nihil exspuunt, nisi vrinæ copiosæ effluant, & profectò, vt dicam cap. de Empyem, nam plerunque & Pleuritis, & Suppuratio per vrinas purgari consueuit, itaque vbi naturæ propensionem videritis, tutò accedatis ad diuretica, ad capill. vener. apium, & fœnicul. ad semina frigida, vbi febris vrgeat. E F

Exteriùs autem trahenda est materia, quando, vt dixi, cęteræ excretiones bene non procedant, Atq; ideo in hoc casu accipio Aetij consilium, vt locus dolens scarificetur, & post scarificationem cucurbitula adhibeatur, & acre aliquod medicamentum supponatur, siue sit ceratum sacrum, siue aliud simile; & sequenti die iterum cucurbitula adhibeatur, ita vt & beneficio cerati & cucurbitulæ materia paulatim educatur; Id quod etiam vesicatorio in tali casu fieri poterit: Quod si his non cedat morbus, actum est.

Balneũ aq. dulc. Inter auxilia, quæ vno & eodem tempore sputum, vrinas, & sudores in Pleuriticis mouere cōsueuere, est balneum aquæ dulc. cuius meminit Hippoc. 3. acut. 58. cum scribit. huiusmodi balneū plus iuuare Peripneumoniam, ac Pleuritim, vt Gal. docuit, quàm ardentes febres: qua auctoritate ducti & Arabes, & Græci; & Latini in Pleuritide balneum commendat; quæ quidem operatio mihi admodum suspecta videtur: nam si balneum administretur, vbi dolor vrgeat, vbi sputum bene non procedat, quod fieri debere voluisse videtur Hipp. dum scribit, balneum dolorem sedare & sputum mouere, hoc tempore Pleuritis est ad huc in augmento, vel saltē in principio status, quo tempore balneum colliquatos in vnaquaque corporis parte humores ducet præcipites in locum affectum, & propterea Gal. 12. meth. c. 5: in inflammatione partium Thoracis balneum habet suspectum, ne pars inflammata à balneo calefacta & relaxata fluxionem suscipiat.

Quòd si quis dicat, administrandum esse tempore concoctionis, & in declinatione tantùm, pro fecto nullius erit vsus: nam in declinatione desinit dolor, & sputum iam est concoctum, ac magna ex parte eductum. Itaq; vno verbo Balneum probatur. Hęc (vt dixi) spectant ad medicamenta Pleuritidis materiam quouis modo euacuantia, vbi vel per digestionem, vel per aliam sensibilem excretionem iuuari possit.

Sed vbi post 7. diem sputum non procedat, & his omnibus rite administratis dolor, ac febris intendantur, certum est signum suppurationis incipientis; in quo casu tametsi Medicinæ scriptores consulant statim vsum Suppurantium: ego tamen ex primo acut. 53. colligo, Hippocratem vniuersaliter procedendum esse voluisse, qui scribit in Pleuritide, quę sputum habeat paucum & glutinosum, in qua dolor sit maximus, necessariū esse abstinere à ptisana, quousque sectione venæ, aut purgatione dolor remittatur: loquitur, vt scribit Gal in com. Magnus Hipp. de Pleuritide mali moris, quę non est incipiens, sed iam progressa, & facilè potest tendere in Suppurationem.

Ad euitandā Suppurationem id ipsum faciendum, quod ab initio pręcepimus ad euitandum Pleuritidis incrementum, vt si vires consentiant, iterum secetur vena, detur medicamentum, & tenuis victus ratio imperetur,

Quibus tamen non obstantibus, si dolor persistat & febris, iam certum est Suppurationem fieri; idcirco hanc statim iuuare oportet & intrinsecis, & extrinsecis remedijs. Intrinsecus conueniunt hæc mistura sæpius exhibita, qua nulla est pręstantior.

Recipe

Recipe butyr. recent. unc. iiij
(Dicebat Gal. 7. simpl. c. de butyr. butyrum sine mistione alterius maturare.)
Mucilag. ficuum unc. ij.
Ol. amygd. dulc. unc. j.
saccar. parum. M.

Extrinsecus paretur huiusmodi emplastrum
Recipe radic. alth. coctar. & per
cribum transmiss. unc. iij.
farin. tritic. unc. iiij.
mucilag. radic. alth.
carycar. an. unc. ij.
butyr. recent.
pingued. gallin anat. an. unc. j.
decoctionis alth. malu. caryc. q. s.
M. f. emplast.

Facta Supuratione quid agendum sit, intelligetis capite de Empyemate.

Nunc itaque expedito fonte chirurgico & pharmaceutico, ad victus rationem, seu Diætam me confero.

Leuiora omittam, quæ pertinent ad aerem, ad motū animi & corporis, ad venerea, ad somnum & vigiliam, & tantum verba faciam de educendis excrementis, de cibis, ac potionibus.

Quod igitur spectat ad excrementa, aluus valde lubrica est seruanda. Nam vt dicebat Hippoc. & Galen. 1. acut. 32. vbi in Pleuritide alui excrementa retinentur, in flatum conuersa dolorem augent, flatu ipso ad locum dolentem ascendente, & quod magis refert, alimentum corrumpūt, vt ipse quoq; in flatum vertatur, & Pleuritidi negotium faciat; ideo non modò aluus lubrica est seruanda; sed illis medicamentis, quæ flatum discutiant, vt propterea etiam si clysteres ex calidis sint, nihil obsint & multum iuuent.

Neq; audiendi sunt Recentiores, qui hoc ab Arabibus acceperūt, cautè agendum in mouenda aluo Pleuriticorū, eo quòd facilè superueniat fluxus alui, qui valde periculosus est & perniciosus. Isti omnes ducti sunt illa Hippoc. auct. 6. aphor. 16 Pleuriticis alui fluxum superuenientem malum esse? sed si intellexissent caussam, propter quam Pleuriticis alui fluxus succedit, optimè scirent, quando timendus sit alui fluxus, & quando non: Dicebat Gal. in illo comment. malum esse alui fluxum in Pleuritide, quia signum est iecur quoque inflammatione tentari: at Pleuriti non potest coafficere iecur, nisi quando sit in parte dextra, & quādo dolor descendat, si fuerit in parte sinistra, aut dolor descendat, fluxus alui nullum imminet periculum; atq; idcirco tutò aluus moueri potest, vel clysteribus, vel medicamentis.

Quod ad cibum & potum pertinet, docendi estis, quales cibi & potionem conueniant, quibus, quando, & in qua quantitate:

Conuenientes Pleuriticorum cibi, vt est colligere partim ex Hippoc. & Gale. 1. acut. 18 27. & 44. atque ex aliis recentioribus, sunt potissimùm ptisana, & eius cremor, chondrus, quem puto idē esse cum alica, quam antiqui hordeum vocabant, neque ex frumento pinsito, quod non nulli far vocant, sed ex zea, quam nos vulgo speltam vocamus: Ex hac fit, sicuti etiam ex hordeo, alica, siue chondrus

Alica antiquor. hordeū.

A Præterea conceduntur Pleuriticis muls. semin. melon: panatellæ cum ead. emulsione, lac amygd dulc. Gal. in com 27. proponit etiam pisces saxatiles, & ex non saxatilibus asellos. Isti omnes cibi potius biliosis conueniunt, quā pituitosis, & alien illis potissimū, qui fluxiones, hēnt acres & tenues.

Pituitosis potiùs conuenit mulsa, ptisana, sed melle mistra, & modico aceto; & pauco sale: potesse etiam in decocto non admiscere, sicuti scio fecisse Hippoc.

B Quod ad potum pertinet, biliosis conuenit aq. hord. pituitosis mulsa; in mistione humorū aqua pectoralis communis ex iuiubis, hordeo, carycis, capillo veneris, & passulis; siue simplex præbeatur, siue cum syrupo, aut iulep acetoso.

Sintque cibus & potus, excepta æstate semper calidi, aut saltem minimè frigidi. Aestate non est opus hæc calefacere: Dicebat Hippo. 1. acut. 45. oxymel bibendum hyeme calidum, æstate frigidum.

C De vino putant aliqui moti Hipp auctoritate 3. acut, 4. illud Pleuriticis, sed dulce, concedendum; ibi enim docet Hippoc. dulce vinum sputum mouere, sed multa quoque scribit incommoda, quæ vini dulcis potionem consequuntur. Primo quidem biliosis minimè conuenit: nam bilem facit, sputum exsiccat & reprimit, obstructionem infert, aluum his non subducit, & in flatum vertitur: quantum autem patiantur Pleuritici ex flatu, docui in præcedenti; Vinum autem dulce flatus generat; itaq; dummodo febris sit in declinatione, & Pleuritis pituitosa, & nulla viscerum obstructio, & flatus erumpant facilem, vinum dulce non improbatur: absque his conditionibus omniuo reijciendum est.

Vinum dulce quan cō cedendū

D Nullus est affectus, in quo vulgares homines, vt Medicos in præsentia omittam, victum vsque adeo tenuem seruent, qualis est Pleuritis. Medicis enim etiam inuitis vulgus in Pleuritide abstinet à carne, ouis, vino, & quocunque alimento, quod aliquas corpori inferre vires possit. Vtrum hæc tenuis victus ratio in omnibus sit seruanda, & quo magis tempore conueniat, an in principio & augmento, an potius in statu, nunc ex Hipp. Gal. & ratione differendum.

An, & quan cō ueniat victus tenuis.

E Hippoc. igitur 1. acut. 43. tantùm videtur concedere vsum oxymel. mulsæ, & aquæ vsque ad 7. vel 9. Nam in 44. tex. subdit, ptisanam non esse dandam, nisi post 7. aut 9. ex quo loco, vt docet Gal. in com. sumpsit Erasistratus occasionem dicendi, Hippoc. patientes fama necare, qui tamen inquit id faciendum, si vires sufficiant; & ratio est, quia vbi inflammatio ex alimento suscipit incrementum, quod minus malum est, suppuratur, sed, quod magis refert, aliquando in gangrænam transit, & hoc est, quod voluit Hippoc. 1. acut. 33. & 34. ex alimento quosdam Pleuriticos quasi syderatos interire apparēte circa locum affectum liuido colore, & propterea idem Hipp. 2. acut. 37. in Pleuriticis semper potiùs detractioni ciborum incumbendū esse scribit, & multo maiora, vt docet Galen. in commen. esse incommoda,

F

da, quæ sequuntur ad cibum pleniorem aucta inflammatione, quàm quæ sequuntur ad cibum tenuiorem. Idcirco Gal. 10. meth. 5. inquit, se in his casibus hoc ipso tenui victu, quem præcepit Hipp. loc. cit. 1. acut. 43 feliciter vsum esse: quia tamen semper prima indicatio est à viribus desumenda, idcirco non debetis statim, atq; vobis Pleuriticus offertur curandus, ad tenuem victum confugere, sed vires primùm præsentes, deinde etiam futuras considerare, si præsentes sint imbecillæ, statim ad cibum est confugiendum, nulla habita inflammationis ratione. Hæc est doctrina Gal. 9. meth. 13. quæ habet pro se rationem: nam quæcunq; agimus pro Pleuritide, vel alio quocunque morbo, agimus vt vitam conseruemus, sed ex defectu alimenti deficit sita: nam vires, vt docet Galen. loc. cit. vel est ipsa vita, vel actio vitæ; deficientibus ergo viribus omnia deficient. Accedit, quòd vbi vires deficiant propter inanitioné, etiam si cibus exhibeatur, inflammatio augmentú non suscipit: tunc enim inflāmatio augetur, cùm humores superabundant; sed in defectu virium propter inanitionem humores non superabundāt idcirco in hoc casu tutò nutriuntur Pleuritici, & hoc est, quod voluit Hipp. 1. aph. 5. cùm scribit, in tenui victu ægros delinquere, & majus esse errorum in cibo pauciore, quàm in pleniore, contra quam scripserat & ipse, Gal. 3. acut. 37. Ex quo aduertatis, solutionem contradictionis. nam in illo 37. Hipp. & Gale. respexerunt ad inflammationem cum viribus validis, in quo casu plus obest copia, quàm detractio; 1 aphor. 5. respexerunt ad vires debiles, in quo casu plus obest detractio quàm cibus plenus.

Sed si vires sint quidem in præsenti validæ, conijciamus tamen, illas non posse sufficere vsq; ad finem morbi. Quæritur vtrum melius sit pleuriticos in principio alere, an potius in statu? Sed antequam hoc discutiamus, forte quæret quispiā: quibus signis possimus colligere aliquem non posse sufficere cū tenui victu vsq; ad statum, aut contra posse tenuem victum sustinere.

Proposita sunt signa à Gale. 1. acut. 44. Constituamus Pleuriticum dēsi habitus, temperaméti pituitosi, qui non sit assuetus multo cibo, qui ęgrotet in regione, constitutione, & tempore anni frigido, post vitam otiosam, & crapulam, neque habeat os ventriculi sensibile, hunc certum est, commodè posse sustinere inediam vsq; ad statum morbi, si status non transeat 7. vel 9.

Ex aduerso sit Pleuriticus, qui omnia habeat contraria: hunc prima die cognoscetis minimè inediam posse sustinere, & propterea quæritur, Vtrum statim nutriendus, an potiùs post primos dies? Hipp. videtur hac in parte sibi ipsi contrarius, qui vniuersaliter quidem 1. aph. 8. præcepit, in statu omnino à cibo abstinendum: & 25. & 33 & 34. maxima proponit incommoda, quæ eos sequuntur, qui status, tempore cibum accipiunt, periculum suffocationis, sydetationis, suppurationis propterea 2. acut. a 40. text. infra, varia enumerat incommoda eorum, qui abstinent circa initia, vt postea cibum capiant circa statum nam inquit, hos inedia ex siccari, amarulentos reddi, anxios, cruda deijcere, & cętera, quæ potestis legere text. 44. 2. acut.

Hipp. sibi ipsi contrarius.

Ex altera tamen parte idem Hippo. 1. acut. 28. & 29. tunc, inquit, cibum copiosum esse præbendum, cùm sputum bene procedit: at vbi sputum bene procedit, est tempus status, itaq; in statu cibum præbet, & propterea 2. acut. 37. scribit, subtrahendum esse cibum vsq; ad vigorem; in vigore cibum concedi, Idipsum facit in 1. 54.

Est contradictio insignis apud me, quæ tamen sic conciliari potest: Vires Pleuriticorum, quando sint quidem validę ab initio, sed in posterum nō possint tales persistere, sunt omnino circa initia conseruandæ, & multò minus peccabunt Medici primis diebus aliquid cibi concedentes, & postea tempore status subtrahentes, quàm ab initio extenuantes, & cùm iam vires ceciderint, cibo replentes ęgros.

Hipp. loca Cōciliantur

Sed cùm status aduenerit, status Pleuriticorú consueuit esse duplex: vnus benignus, alter malignus. Benignus est, in quo sputum bene concoctum bene procedit, & excernitur: in huiusmodi casu, quo melius sputum procedit, eo tutius alimentum augere possumus. Hoc animaduertite: nam vires corroborantur. Et cum, vt dicebat Gale. 11. meth. ca. 17. Pleura tantum recipiat alimenti, quantum sufficit pro illius nutritione, etiamsi aliquid plus offeramus, non potest pati nocumentū; imò verò aucto calore, statim sputum melius concoquitur & excernitur.

Status Pleuriticor. duplex.

Sed vbi status fuerit malignus, idest, sputum ægrè educatur, & illud quidem glutinosum, crassum, liuidum, abstinendum est à cibo: nam indicium est maximæ inflammationis, quæ, si incrementum suscipiat, facilè ægrum interficiet. hoc habeo ab Hipp. 2. acut. 40. vbi increpans eos, qui in statu Pleuriticos nutriunt, inquit, mortem omnino secuturam, nisi Pleuritis benigna sit; quasi dicat, vbi benigna est, & sputum excernitur, cibus nulla infert noxam.

Qualis autem sit tenuis cibus, qualis veplenus & mediocris, potestis colligere ex dictis superiore lectione, vbi, ex sententia Galeni proposita sunt alimenta Pleuriticis conuenientia, de quibus nihil dicam; sed ad Peripneumoniam me confero.

DE PERIPNEVMONIA, Cap. XXIX.

Περιπνευμονία, quæ & *Πνευμονία* dicitur, nil aliud est, quam inflammatio pulmonis. Gal. auct. 2. de loc. aff. c. 9. & 4. de loc aff. 8. est aūt inflammatio quādoq; legitima ex sanguine. s. syncero, magna tamen ex parte, aut pituitosa, aut biliosa.

Non disputabo, vt faciunt Arabes, vtrum magis & frequentius sit biliosa, an pituitosa; seu vtra sit legitima, biliosane, an pituitosa.

Caussa, & modus generationis.

Fit autem huiusmodi inflammatio, aut per paulatinam congestionem, aut per transmissionem, per paulatinam congestionem, vbi Pulmones

mones aut intemperie laborant, aut morbo instru A mentario: Intemperies multiplex potest esse vel frigida, vel admodum calida, prout etiam inflammatio est, vel est calida, vel pituitosa.

Morbus instrumentarius est aut obstructio, vt in Asthmate & Orthopnœa, cui aliquando succedit Peripneumonia, aut est compressio à tuberculis, quæ faciant gibbositatem, vt propterea gibbi facile euadant Peripneumoniei.

Quando fit per defluxum, dupliciter fit: aut per transmutationem materiæ ab vno loco inflammato in alium; sic permutari consueuit Pleuritis, B Agina & Phrenitis in Peripneumoniam; aut fit per defluxionem materiæ vel pituitosæ, siue insipidæ, siue salsę simplicis, aut mistæ ex capite, ex toto corpore, ex suppressis mensibus hæmorrhoidibus, aut varicibus: nam aliquando, vt docet Gal. & Hipp. 6. in 6. epid. 8. ex suppressis varicibus fit Peripneumonia.

Signa.

Peripneumon. signa pathognomonica. PEripneumoniæ signa pathognomonica, quæ C ipsum demonstrant affectum, sunt vj. præcipua *Tussis, difficultas spirandi; sensus grauitatis, febris continua, pulsus molles, frequentes, celeres, inæquales, & rubor maxillarum*, his quandoq; connectitur, *Dolor circa partem pectoris vel anteriorem, vel posteriorem*, prout materia communicatur ligamentis huius vel alterius loci, Sputum autem sanguinis non necessario Peripneumoniā ostendit: Hoc docet Gal. 1. in 3. Epid. 4. Pythionem cruenta exspuisse cum febre continua, non tamen fuisse Peripneumonicum, inquit aliquando effundi sanguinem ex venis Pulmonis, siue id fiat per diapedesin, siue per anastomosin, nulla existente in Pulmonibus inflammatione, & sanè, vt docet Gal. eo loco; & nos etiam docuimus in tractatu de sput. sangui. etiam sine febre exspui sanguis potest.

Difficultas spirandi, in Peripneumonia est illa, quam Orthopnœam vocant. Spirant enim semper erecta ceruice. Distinguuntur à cęteris Orthopnoicis, & febre, & spiratione calida, & celerrima, E ac frequentissima.

Distinguuntur autem variæ Pulmonis inflammationes sic; Biliosæ putum habent flauum, ac linguam pariter flauam, febrem acutissimā, sitim inexplebilem, vigiliam, & delirium, oris amaritudinem. Pituitosa linguam, & sputum habet pallidum, spumans, sitis est modica, febris lenta, propensio in somnum, oculi tumidi, sonitus maior inter respirandum. Sanguinea linguam ac sputum habet rubrum, cruentum; febris est maxima, quandoque vigilant, quandoque etiam in F somnum sunt propensi.

Prognostica.

HIc affectus acutissimus est, & si biliosa sit peripneumonia, rarò admodum pertingit septimam, vt plurimùm, quarta vel quinta die; Pituitosa nona, seu, quod summum est, 14. die iudicatur: Media est sanguinea. Loquor nunc de ea quæ resoluitur.

Nam si suppuretur, ob suppurationem in longius tempus affectus protrahitur; Rarò autem suppuratur, quin interficiat, sicuti etiam frequentius intereunt patientes antequam inflammatio digeri, & resolui possit.

Signa autem Peripneumoniæ lethalia primum quidem capiuntur à sputo, quod siue non appareat, siue appareat quidem, sed dolorem ac difficultatem spirandi non tollat, lethale est; sicuti etiam lethale est sputum, in quo pus à bile separatum excernitur; sicuti etiam deterrimum, ac deploratum est sputum liuidum, ac nigricans, quæ omnia potestis legere apud Hipp. 2. progn. à 50. text. infra. In tex. 49. eiusd. lib. scribit Hipp. Grauedines & sternutamenta, siue præcedant, siue subsequantur Pulmonis inflammationem, mala esse. Gal. in com. dicit, addendum quoq; defluxiones ex capite in Pulmones: hæc enim omnia mala sunt per modum signi & caussę, per modum signi, quia vbi magna est inflammatio, multis replet caput vaporibus, ex quibus fit sternutatio, coryza, & catharrus, repleto autem capite, & ad Pulmones transmittente, inflammatio augetur.

Austiuistis Hipp. 6. aph. 16. dicentem, fluxum alui in Pleuritide superuenientem malum esse: idipsum docet de Peripneumonia, aliquando tamen potest humor pituitosus, aut alius per aluum deijci criticè, quod Peripneumoniæ vtilitatem pręstet.

Curatio.

QVod ad curationem pertinet, parum differt curatio Peripneumoniæ à Pleuritide, propterea omnes Medicinæ scriptores ad tractatum de Pleuritide vos ablegant.

Aliqua tamen hoc in loco sunt notanda. Primum est, in Peripneumonia facta ex permutatione, aut Pleuritidis, aut Anginæ, de qua permutatione; meminit Hipp. 7. aph. 2. & 5. aph. 10. non conuenire sectionem venæ: & ratio est; quia vires hoc tempore magna ex parte sunt collapsæ, præterea, vbi fit inflammatio ex permutatione, tota materia simul colligitur quasi per decubitum, vt minimè reuelli possit; tertio pro maiori parte est in pus conuersa, vt propterea materiam purulentā in venas ducere non liceat.

Propter has caussas tantùm est sanguis mittendus in Peripneumonia incipiente, seruatis regulis in tract. de Pleuritide traditis. *Sang. miss.*

Circa medicamenta aluum sub ducentia nil innouandum; ita agendum, sicuti dictum est in tract. de Pleuritide.

Sed circa exteriora medicamenta, consulo, in his casibus à reprimentium vsu quocunque tempore & circa initia prorsus desistendum esse. Ratio est manifesta, cuius etiam meminit Galen. 11. meth. 17. quod scilicet materia propellatur ab externis partibus ad Pulmones. *Reprimētia improbātur*

Reliqua fomenta, quæ vim habent digerendi, præmissis vniuersalibus euacuationibus, & reuulsionibus, nihil quidem obesse possunt, sed tamen mihi non admodum probantur: nam vix aliquid à Pulmonibus digerere possunt, & materiam a Pulmonibus in Pleuram ducere possunt,

vt propterea transeat affectus in Pleuritim, & A quanquam minus malum sit Pleuritis, quam Peripneumonia, nihilominus si duæ simul complicentur inflammationes, deploratus est casus Possunt autem ambæ simul coniungi, quando fomentis calidis materia pulmonum trahitur in thoracem pleuram & musculos thoracis. Si dolor adsit circa mediastinum, quia tunc temporis materia continetur in membranis, illi loco fomenta calida applicita non improbantur, licet mihi improbentur apposita dextræ, vel sinistræ parti, cùm nullus vrgeat dolor. B

Cautio circa lābitiu. Quod spectat ad lambitiua incrassantia, cautè admodum administranda: nihil enim deterius Peripneumoncis contingit, quàm vt sputum retineatur, & maius periculum impendet Peripneumoncicis ex sputi retentione, quàm Pleuriticis, itaque si fluxio sit valde tenuis, non improbatur eclegma, quod recipit syrupum de liquiritia, violatum, de iuiubis, modò tamen permisceatur aliquid syrupi acetosi, aut oxymelitis, vt tenue, quod influit, incrassetur, sed quod iam fluxum est crassius redditum, attenuetur. C

Circa vsum attenuantium illud moneo etiam, quod video omnes prætermisisse, non probari mihi attenuantia medicamenta illa, quæ insignem obtinent caliditatem, cùm tamen omnes Medicinæ scriptores probent & ipsa medicamenta, quæ Orthopnoicis conueniunt, ireos, hyssopum, prassium, & alia id genus, non probantur hæc, primo quia inflammationem augent secundo quia viscus iam ab inflammatione debilitatum præparant ad vlcus, propterea ad incidendum ego non transitem aut mulsam, aut oxymel, aut in calidioribus syrupum aceptosum, syrupum de farfara, & si quid calidi addendum sit, potiùs fiat decoctio in aq. radicis ireos, vel hyssopi. & prassij, & facta colatura ex ea aqua componatur mulsa, aut fiat oxymel, vel syrupus acetosus. Reliqua sunt communia Pleuritidi, nisi inflammatio tendat ad suppurationem: Hoc modo curatur Peripneumonia. D

DE EMPYEMATE.

Cap. XXX.

SEd vbi vel Pleuritis vel Peripneumonia conuertuntur in pus, hunc affectum Græci vocāt Ἐμπύημα, Latini verò Suppurationem, moneo tamen vos, nomen Empyematis vel Suppurationis tripliciter accipi, communiter, propriè, & propriissimè: communiter accipitur pro omnis puris collectione, ex quouis humore, & in quauis corporis parte, de hac loquitur Hippo 6. aph. 41. cum dicit: quibus Suppuratio in corpore existens non innotescit, &c. hac ratione 7. aph. 44. Vniuersaliter, inquit, omnes Suppuratos, qui vruntur, aut secantur, si pus album effluat, seruari, si æqualis amurca olei, interire: quod sigillatim scribit de Suppuratione iecoris eodem lib. aph. 45. & de hac Suppuratione in genere loquitur eod. lib. aph. 57. vbi meminit Suppurationis in collo vesicę E

Propriè autem accipitur Suppuratio pro collectione Puris in Thorace tantùm, siue colligatur pus post disruptam anginam, vt 5. aph. 10. siue ex pituita destillante, vt 6. aph. 38. siue ex sanguine F extrauenate, vt cad. 6. aph. 20. siue ex bile, vt 4. de loc aff. 8.

Deniq; accipitur propriissimè pro collectione Puris in Thorace post Peripneumoniam & Pleuritim tantùm. Et hoc dupliciter potest intelligi, aut enim per Suppurationem intelligimus conuersionem sanguinis in pus, quod tamen adhuc continetur intra suos folliculos, intra membranas aut intelligimus collectionem puris in cauitate thoracis post disruptos abscessus. Galen 5. aph. 8 & 15. dicit, magis propriam Suppurationis significationem intelligi de collectione puris, nam inquit ipse, Hipp. peculiari nomine collectionem puris in capacitate thoracis, ruptionē vocat, quamuis Gorræus lib. definit. Med. scribat, proprium Empyema esse collectionem puris in capacitate thorachis post disruptionem, contra quam sentiat Gal. sed hæc lis parui est momenti.

Non in præsentia nomine Empyematis intelligimus vtramq; vltimam significationē: *collectionem puris post Pleurisim, post Peripneumoniam, vel adhuc collecti intra membranas, vel in capacitate thoracis contenti.*

Caussæ.

IN tractatu de Suppuratione nil difficilius parte illa, quæ de signis pertractat: atq; ideo in hac ipsa hodierna lectione quam diligentissimè versabor, nam de caussis Suppurationis nil aliud dicēdum est, quàm illud, quod colligitur ex Gal. 1. prog. vltim, Pus fieri à natiuo calore & putredinali, nam vbi materia, quæ debet suppurari, & consequenter putrida est, continetur in parte solida, cuius innatus calor sit validus, fit optimum pus, album, lene, æquale, si calor partis solidæ aut prorsus deficiat, aut imminutus fuerit, vel nulla fit trāsmutatio, vel ea quidē parua, & im pfecta.

Signa.

AD signa igitur transiens sunt hæc Diagnostica, Distinctiua, & Prognostica: & Diagnostica sunt vel Suppurationis incipiētis, vel iam factæ, vel abscessus disrupti, & consequenter collectionis puris, siue saniei in capacitate thoracis.

Signa incipientis Suppurationis tria sunt: Rigor superueniens, cùm antea non adesset, hoc docet Galen & Hipp. 2. progn. 58. quem locum notate, vt sciatis Galenum ibi docuisse, Rigorem fieri ex loco determinato, non autem transmissa materia à venis ad extra venas. 2. Signum est febris acuta. 3. mutatio doloris in pondus quoddam. Sunt indicia Suppurationis incipientis.

Facta Suppuratio cognoscitur iis signis, quæ ab Hippoc. proponuntur 2. prog. 60. febris, quæ exacerbatur horis vespertinis, tussis sicca, sudores multi, oculi concaui, maxillæ rubentes, vngues incuruantur, tumores circa pedes, & calor circa digitos, multo maior, quàm in ceteris partibus, adde pondus maximum, parti suppuratæ incumbēs vt patientes, si Pleuritici fuerint, recte ambulare, vel stare nequeant, quod ego expertus sum in duobus Pleuriticis.

Signa disrupti abscessus sunt desinentia ponderis, fluctuatio puris in capacitate thoracis, tussis humida, cum aliqua puris expuitione.

Distinctiua quædā sunt loci, quædam materiæ

Sup-

Suppuratio enim aliquando est in vnica parte, aliquando in ambabus, si in vnica, illa quoque est calidior, vt si linteum aqua imbutum vtriq; thoracis parti imponatur, quod super parte suppurata imponitur citiùs exsiccatur, adde quòd difficiliùs quiescunt patientes super latere opposito. nam si ruptus sit abscessus, sanies comprimit pulmones, & sic videntur suffocari, si non sit disruptus, pondus augetur, ac dolor tensiuus, vt propterea super læsa parte meliùs quiescant.

Signa verò caussarum, seu materiæ, capiuntur à caussis prægressis: nam si propriissima sit Suppuratio, præcessit vel Pleuritis, vel Peripneumonia; Si impropria præcessit, Angina in abscessum conuersa, aut destillatio ex capite, aut sputum sanguinis, quod non integrè fuerit expurgatum, vt propterea in pus transierit.

Prognostica.

TRanseo ad Prognostica: Sunt hæc vel futuræ Suppurationis & ruptionis, vel longitudinis & breuitatis, vel salutis & mortis, vel deniq; modi salutis, aut mortis.

Futuràm Suppurationem qua ratione præcognoscere liceat, docuit Hipp. 1. prog. 52. vbi docet eos dolores, qui nó desinunt neq; ventris subductionibus, neq; vene sectione, neque purgatione, & inedia, in suppurationem transire.

Signa etiam futuræ disruptionis cognoscuntur ex perseuerantia febris, ex virium robore, ex carentia sputi, atq; aliarum omnium excretionũ. præcipuè verò abscessus, in quos solet huiusmodi affectus desinere, vt postea audietis.

Breuitas, aut Longitudo Suppurationis, & disruptionis, quam maximè intelligere oportet, potenda est à natura inflammationis, à magnitudine, & à quibusdam connexis; A natura, quia vbi inflammatio fit ex humoribus calidis, & in pulmonibus, quæ sunt partes molliores & calidiores, multò citiùs suppuratur & disrumpitur, quàm in pleura, & propterea dicit Hipp. 2 progn. 62. huiusmodi inflammationes 7. die disrumpi, & propterea necessarium est in 4. suppurati. A magnitudine etiam desumitur huiusmodi breuitatis signum, quando symptomata, quæ inflammationem consequuntur, continua, & magna persistant. A Connexis verò, si ætas sit iuuenilis, tépes ratura calida, tempus anni, & regio calida, citiùs suppuratur & disrumpitur abscessus; Contra verò vbi inflammatio fit ex humoribus frigidis, aut mistis, in ętate, & temporie, & regione consimili, in longius protrahuntur, præcipuè si symptomata videantur imminui. Propterea dicebat Hipp. 2. prognost. 57. quosdam ex istis disrumpi in 20. 30. 40. & 60. die. Et sanè isti duo, quorum ante memini, qui ex Pleuritide Suppurati sunt, nó ante 60. diem abscessus disruptionem habuerũt. Idipsum fit si pars sit frigidior, & magis densa, sicuti est Pleura, propterea cęteris partibus semper Peripneumonia citiùs suppuratur & disrumpitur, quàm Pleuritis, propterea Hipp. 5. aph. 8. Pleuriticis 14. constituit diem, in qua si per sputum inflammatio non desierit, Suppuratio incipiat.

Quod pertinet ad Prognostica salutis, vel mortis, proponuntur hæc ab Hipp. partim in 56. 2. progn. partim in 63. & in 56. quidem proponuntur signa bona, vel mala abscessus non disrupti; in 63. verò signa abscessus disrupti.

Priora autem bona sunt, facilè spirare, facilè decubitum ferre, tussi admodum non cõflictari. corpus æqualiter calidum habere, siti non vexari, conuenienter dormire, excretiones omnes vrinæ, & alui satis naturales obtinere. Addo ego, quod experientia obseruaui in ijs duobus, quos retuli, vires & vitales & naturales constarę: Nã ambo isti cum abscessu maximo ambulabant & equitabant, vt intelligeris; imò vnus ex istis, qui erat religiosus Franciscanus dum ascenderet equũ post 60 diem, ex quo abscessu laborabat, passus est disruptionem abscessus propter illam agitationem.

Opposita omnia sunt signa lethalia.

Signa verò lethalia post disruptum abscessum sunt. si febris non desinat, aut desinens reuertatur sputum exiguum sit, & illud quidem paruum, liquidum, flauum, viride. Contra verò scribit Hipp. si eodem die quo facta est ruptio, febris desinat, sputum appareat, optimum pus, scil. candidũ, lene & æquale, certissimum salutis signum.

Sed dicet quis: Qui fieri potest, vt disrupto abscessu, collecta sanie in capacitate thoracis, quæ putrida est & cordi magis propinqua, quàm vbi continebatur intra membranam, febris quamprimum desinat? Ego super hac difficultate, quæ apud me noua est, volui videre super hoc loco Hipoocratis Interpretes: qui rem hanc sicco pede transeunt. Ego, vt ingenuè fatear, propria experientia non obseruaui istos suppuratos post disruptionem, quanquam seruati fuerint, à febre prorsus immunes fuisse.

Itaque mihi persuadeo hoc tantum voluisse Hipp. Signum salutis esse. si febris, quæ ante rupturam fuerat magna, non prorsus desinat, sed desinat esse magna: Sic ego locum interpretor. Cùm igitur tales seruari possint, reliquum est, vt de modo loquamur.

Modus, quo Suppuratio consueuit finem habere duplex est (loquor nunc de Suppuratione non rupta.) vnus est per abscessum, & hic abscessus est duplex: vnus est in ipsamet parte affecta; alter est in partibus distantibus. in parte ipsa affecta fit quandoque abscessus, quando materia jam integrè suppuratur, dum non potest disrumpi ad partem thoracis interiorem, facit tumorem circa costas omnibus apparentem.

Hunc vidi ante plures annos in pleuritico Nauta, qui 60. die imminente disruptione abscessus incidit in hujusmodi tumorem, quem ego aperui opera Chirurgi, & spatio 8. dierum eduximus saniei plus, quam xv. libras, albæ lenis, & ęqualis, & loco aperto seruato per annum integrum tandem sanitati est restitutus, & dicitur Pigozzo ad Portellum, & est nunc in viuis.

Cæterùm vbi abscessus non est vsque adeo perfectus, pus non est integrè transmutatum. nam tunc temporis consueuit facere abscessum aut post aures, aut circa articulos, & licet Hippocrates 2. Progn. 64. & 65: mentionem faciat articulorũ infernorum, ego tamen vidi in puella quadam

perti-

Peripneumonica abscessum in articulo cubiti dex A tri, qui seruauit quidem puella, sed cum luxatione cubiti, subsequente post abscessum suppuratũ maxima ossis corruptione,

Alter modus est per vias vrinæ.

Vbi autem iam disruptus est abscessus, potest purgari & per vrinas, & per aluum. sed frequentius per sputum; qua ratione id fiat, audietis in sequenti lectione.

Quanquam Suppuratio in abscessum externũ desinat, tamen quia abscessuum alij salutares sunt quidam perniciosi, alij verò medij, decet in præsen- B tia proponere signa abscessum salutarium, lethalium, & eorum, qui medij dicuntur.

Salutaris itaque erit abscessus in Empyemate, si potiùs fiat ad inferiores partes, quàm ad supernas, vt circa genua, vel pedes, si citò suppuretur, & suppuratio formam accipiat pyramidalem, quam Hippocrates primo prognost. 40. fastigiatã vocat, secundo prognost 64. fistulosam dicit: Si præterea fiat è directo partis laborantis, & sputum, quod antea crudum fuerat, superueniente abscessu, concoctionem adipiscatur, propterea C (Auditores) iure à me dictum est superiori lectione, abscessus illos apparere in illis suppuratis, in quibus pus absolutum, & perfectum non est; sed pro aliqua tantùm parte transmutatum, hoc voluit Hippocr. 2. prognost. 67. cùm dicit, bonos esse abscessus in Pulmonia, quando sputum ex flauo purulentum euadat, & mutatio appareat,

Denique boni sunt abscessus, qui cum aliqua fiunt coctione.

Nam ex alia parte omnium deterrimi sunt, qui D fiunt cum sputo omnino crudo, atq; vrinis & alui excrementis pariter crudis, qui fiunt potiùs ad supernas partes, vt post aures, quàm ad infernas, qui lati sunt, & plani, neque citò suppurantur, neq; sputum adiuuant.

Medij sunt illi, qui fiunt perseuerante quidem febre, & dolore in inflammationibus non biliosis sed potiùs pituitosis cum vrinis medio modo coctis, quæ scil. aut non prorsus careant sedimento, aut crassius habeant sedimentum, quam conueniat vrinæ benè coctæ, hæc colliguntur ex Hip- E pocr. 2. progn. 65.

Per quã viam deponat natura huiusmodi humorem à thorace in articulos, aut in adenes, pro curatione non est necessarium declarare, tamen vt cunctis satisfaciamus breuiter dicendum naturam huiusmodi humores deponere & per spatio inania, & per venas, & arterias. Dicebat Gal. 7. aph. 54. naturam aliquando abscessum in osse existentem per cutem purgare, multò magis id fieri potest, vbi materia contineatur in aliqua ampla cauitate. F

Disputatio de excretione Puris ex Thorace per Vrinas.

Alter modus per quem purgatur Sanies, vti diximus, est per Vrinas, huius meminit Hippocrates secundo in 1. Epid. 10. & 44. vbi meminit stranguriæ factæ propter materiam acrem, quandoque Purulentam ex varijs corporis partibus ad vesicam demandatam: Meminit quoque Gal. 6. de loc. aff. 4. cui assentiuntur Paul. & Aet. & inter recent. Beniuen. in suo de admirand. & Langius lib. 2. Epist. ep. 4. Am. Lusit. centur. 3. curat. 68.

De via per quam fiat huiusmodi purgatio, est aliqua dubitatio; nam Gal. loc. cit. docet, Purulentam materiam in Pulmones receptam deinde transsumi in arteriam venosam, ab hac in sinistrũ cordis ventriculum, à ventriculo in arteriam magnam, à qua deinde in emulgentes, & vias vrinæ.

Fallopius inquit, se aliam inuenisse viam, ramum scil. venæ cauæ insertum in venam sine pari sub diaphragmate, per quam potest pus ad vrinas deduci.

Alij putant, id fieri per venam arteriosam (inter quos fuit Mesues) quæ deferat huiusmodi pus ad dextrum cordis sinum, in venam cauam, in gibbam iecoris, & in emulgentes.

Sed decipitur Mesues: neque enim vena arteriosa vllum admittit corporis ingressum, sed tantùm egressum; sicuti neque ex dextro sinu in venam cauam aliquid amplius potest permeare propter valuas, siue ostiola, quæ ex natomie apparent.

Itaque accipienda est Vesalii sententia, tamen non in quocunque casu, sed tantùm vbi suppuratio fit in parte dextra, & vbi fit inter membranã, non etiam collecta in capacitate thoracis: tũc enim faciliùs recipitur in Pulmones. Recepta autem in Pulmones purgatur, vt voluit Gal. per sinum cordis sinistrum.

Neque quis obiiciat: hunc Sinum omnium corporis partium nobilissimum, & spirituum vitaliũ fontem hanc putredinem sustinere non posse; nã profectò si sanies ibi diu conquiescat, extinguet patientem; si aliquo temporis spatio, vel saltem inducet Syncopen, aut Lipothymiam, huius rei habetis historiam apud doctissimum & elegantissimum Andr. Laurent. lib. 3. ca. 13.

Sed si quamprimum transeat, sicuti contingit, vbi facultas cordis valida noxiam à se expellit, potest fieri purgatio, incolumi existente ipso suppurato,

De excretione Puris Empyicorum per Aluum.

Fit quoque purgatio per Aluum, & modum, quod fit huiusmodi purgatie, eundem esse censuit Mesues, quem antea proposuimus, per dextrum scil. cordis sinum. Sed decipitur ob causam dictam.

Verus locus est ille, quem proponit Gal. 6. loc. aff. cap. 4. per quosdam ramos venę portæ, quam ipse ibi vocat σπλάγχνον. vel σπλαγχνικά, qui inseruntur in diaphragma; Pus receptum in hos ramos statim tendit ad portam, & per mesaraicas ad intestina: quanquam Ego non putem ab re esse posse eandem materiam recipi in ramos cauæ, & mitti ad gibbam iecoris partem, deinde verò ad simam, ad portam, & ad intestina: nam si trãsit pus per sinistrum cordis sinum innoxio corde,

poterit

poterit etiam trāsire per iecur innoxio tenore: & A sane (Auditores) ego hoc obseruaui experientia in eo Nauta, cuius heri memini, fieri eodem tempore, quo abscessus exterior apparuit, apparuisse quoque saniem cum alui excrementis deiectam.

De Reiectatione Puris per Sputum.

DEnique magis consueta & familiaris purgatio Suppuratorum est per Sputum, non disputabo in præsentia, id quod facit abunde Gale. 5. de loc.aff.3. contra Erasistrat, vtrum hæc purgatio fiat per transsumptionem materiæ, aut quia B recipiatur in venas mediastini ea parte qua dorso alligatur; aut quia comprimatur à costis in ipsos pulmones: nam quocunque modo res habeat, certum est Purulentam hanc materiem in multa copia excretam, albam, lenem & æqualem, felicissime Suppuratos indicare, vt propterea ego semel viderim in alio Nauta (quod sanè videtur incredibile, in hoc suppurato tabido reddito, & deplorato) naturam confertim pus per Sputum eduxisse per spatium 8. dierum, singulis diebus plus C quàm ad lib. vj. & viij. ita vt videretur potius ex ventriculo, quàm ex thorace educi, nam libræ multæ simul educebantur, sed cum tussi: & sanatus est. Casum similem refert Nicol. Florent. serm. 4. tract. 2. c. 26.

Est etiam bonum huiusmodi Sputum, si citò iudicet Suppuratos. Hipp. 5. aphor. 15. constituit vltimum terminum 40. dierum, hæc sententia intelligenda est non à die Suppurationis, sed à die disruptionis, nam, vt intellexistis, post 14. diem aliquando intercedunt 60. dies, in quibus fit Sup- D puratio, & post istos 60. dies, si fiat disruptio, habet adhuc terminum 40. dierum, in quibus si purgetur, patientes à tabe redduntur immunes.

Curatio.

HIs existentibus modis, quibus Suppurati sanantur, necessarium est oculatum Medicum animaduertere diligenter, quam viam natura teneat, nam si vias Vrinæ: diureticis est agendum; non sint tamen vera diuretica: nam sanies est acris, vera diuretica sunt calida, & sicca in tertio, E idcirco exulcerationem renum, vel vesicæ inferre possunt, & eo potissimùm, quia, vt intellexistis ex Hippoc. 2. in 1. Epid 10. & 14. istæ vrinæ faciunt stranguriam ex puris acrimonia: itaq; eligantur ea diuretica, quæ aqueam augent humiditatem, & propter hanc caussam vrinas mouent, vt est serum caprinum, aqua hordei, aquæ ferratæ, emulsiones omniū frigidorum, his possunt addi etiam temperata, vt cuscuta, capil. Vener. polytrichum, quinque folium: & non modo tanquam medicamenta hæc sunt præbenda, sed etiam in cibis F perpetuò permiscenda, vt in ptisana, vel in eius cremore.

Si Aluum tentauerit, subducenda est aluus, sed potius clysteribus, quàm medicamentis, & illis quidem placidis, Imminet enim idem exulcerationis periculum, sint itaque Clysteres ex decocto hordei, ex ptisana cum saccaro, butyro, & ad summum cassia extracta.

Si tentauerit Sputum, qua ratione purganda sit materia per sputum, abundè docti estis capite de Tussi & Asthmate quo confugite. Moneo tamē, vt perpetuò misceatis Eclegmatibus ea, quæ pulmones ipsos corroborare valent, ne fortè & ipsi exulcerentur, vt est pulmonaria, siue succus, siue puluis accipiatur, pulmo, vulpis præparatus, propterea looch de pulmone vulpis præbeatur: & quia necessaria sunt exspectorantia valida (materia enim in capacitate thoracis contenta, si debeat educi per sputum, fortioribus eget medicamentis, vt est radix ireos, puluis erui, orobi, sem. bombacis, caulis; calamenthum, & alia id genus) hęc quoque temperanda sunt syrupo violato, aceto simplici, syrupo de farfara, vt aliqua ex parte corrigantur.

Si tentauerit Abscessum, in quacunque fuerit parte, abcessus quamprimum suppurandus & suppuratus aperiendus. imo verò neque integra suppuratio est exspectanda: nam pus ipsum ossa corrumpit, vt ego experientia vidi.

Sed si nihil horum tentauerit natura, quid est agendum? Deploratus est istorum casus, nisi aliquid agamus. Paulus & Aetius proponunt varias vstiones in varijs thoracis partibus, quæ non penetrent, quæ omnes mihi videntur inutiles. nam tāta puris copia neque decem, neque viginti externis vstionibus potest purgari.

De Apertione Thoracis Suppuratis.

ITaque excogitarunt Medici Apertionem thoracis, aut vstione, aut sectione. Gal. cum Hip. p. 6. aph. 27. atq; in lib. de internis affect. laudat magis vstionem, quàm sectionem; ego hac in parte Ambros. Parei sententiam amplector, qui ferro ignito locum vult aperiri. Modum legatis apud illum lib. 3. c. 10. ibi enim habebitis, quoque iconem instrumenti ad id accommodati. *Apertio Thoracis.*

Sed de Loco, in quo facienda est hæc Sectio, tāta est apud scriptores, controuersia, vt nulla maior *Locus.* esse possit. Paul. lib sexto, capite trigesimo quarto dicit, faciendam esse inter sextam & quintam costam; Alii dicunt inter quintam & quartam ex mendosis; Amat. Lusitan. centuria, prima. curatiō 68. dicit faciendam esse inter quartam & tertiam: Non desunt, qui dicunt inter tertiam & secundā. Ambrosius Pareus differt ab his omnibus, qui docet, faciendam esse sectionem inter secundam & tertiam costam ex legitimis.

Et sanè (Auditores) cùm duo in hac sectione sint maximè animaduertenda: vnum est, vt post sectionem pus in capacitate thoracis collectum effluat; alterumne in dissectione vulneretur diaphragma, si fiat sectio in aliqua ex costis, mendosis, mihi persuadeo, aut saniem non esse effluxuram, quādo scilicet sint costæ vltimæ: nam diaphragma vt ex anatome potestis colligere, alligatur omnibus costis mendosis; aut, si altior sit sectio, verēdum est, ne vulneretur diaphragma,

Et quamuis Lusitanus dicat, se in cadauere experimentum fecisse impositionis phlebotomi intacto diaphragmate, hoc tamen nihil est. nam alia est ratio cadaueris, alia corporis: in cadauere enim

ad

ad superiora trahitur diaphragma;in viuentibus propter continuum motum descendit ad inferiora.

Itaque mihi placet consilium Paræi,vt inter secundum & tertium ex legitimis sectio fiat. Pus autem debet paulatim educi: nam si confestim educatur, moriuntur,vt dicit Hipp.6.apho.27.& caussam protulit Gal.in com.

Quomodum educendum Pus.

Euacuato Pure ad renutritionem corporis, & A ad prohibendam nouam regenerationem puris; conuenit lac vel humanum,vel asininũ, dum enim renutriuntur partes,vlcus etiam coalescit, & sic noua sanies non generatur.

Sed si quispiam ab vstione & sectione abhorreat, studendum est exsiccando puri intrinsecis & extrinsecis medicamentis, quorum syluam habetis apud Aetium; quare in hac re diutius non versabor.



PRÆLECTIONVM PRATICARVM

Pars Secunda.

DE CORDIS PALPITATIONE. Cap. I.



OMNES motus præter naturam in corde excitati referri poterunt vel ad Palpitationem, vel ad Syncopen, quarũ illa deprauata, hæc imminuta, abolita ve est actio. Palpitatio varijs exprimitur nominibus, Græci παλμὸν τῆς καρδίας vocant: Auicen. Tremorem: Alii Pulsum, Saltum nonnulli Cordis: Rhasis Titillationem, quidam Iectigationem hanc affectionem nuncupant, Distinguuntur à se inuicem Iectigatio, & Titillatio, quòd illa motus sit tremulus, non continuus, hæc verò continus. Cùm tot sint nomina, quibus nuncupatur hic affectus, videndũ, vtrum hæc vnum significent, an plura; Fuerunt quidam, qui dixerunt, omnia esse synonyma; ego tamen dico, omnia hæc aliquid diuersum significare, teste Gal. lib. de caus. pulsuum, deinde cùm actiones deprauatæ secundùm Gal. 3. de caus. sympt. primo in triplici sint differentia; quædam enim à natura fiunt, caussis morbificis irritata, quædam à natura simul & morbo, quædam à solo morbo, eiusq; caussis; non abs re quæritur, ad quod nã læsarum, siue deprauatarum actionum genus referenda sit Palpitatio.

Altimarus cum aliis nonnullis in earum motionum classem reponunt, quæ à sola caussa proueniunt morbifica, nihilq; differre illam volunt à Palpitatione à Gale. 2. de caus. sympt. 3. explicata, quam à solo morbo in partibus distentionem admittentibus fieri ibidem Gal. docet.

Aliiinter quos Fernel. & Holler. facultati, siue naturæ à caussis morbificis impulsæ, hunc motum acceptum ferendum censent. Sunt denique, qui naturam simul cum morbo huius symptomatis caussam statuunt.

Ego, vt nulli harum opinionum simpliciter adhęrendum, ita omnes amplectendas cẽseo, etenim quandoq; à sola natura caussis præter naturam irritata symptoma hoc prouenit; quandoq; à solo morbo, siue caussa morbi, & deniq; ab vtraq; aliquando suscitatur.

Ad Altimari autem quod spectat opinionem, in tribus cum eo mihi non conuenit: in loco, in forma motus, in caussa effectrice, ipse enim Palpitationis nomine intelligit distentionem à vapore, flatu ve frigido crasso in cordis ventriculis coercito factam; ego verò huius affectionis sedem non in ventriculis tantùm, sed etiam in Pericar- A dio & intra membranam Cordis parenchyma circumuestientem contineri existimo, quòd in pericardio, & ratio, & Galeni auctoritats comprobant, si enim Palpitatio in omnibus, quæ distendi possunt, partibus fieri potest, quid obstat, quominùs Cordis etiam Capsula huic obnoxia sit? pręsertim cùm ibi adsit materia, quæ in flatum resolui possit, vnde Hollerius dissectum se vidisse scribit cadauer cuiusdam Palpitatione laborantis, in B quo hæc Capsula Cordis vtris instar inflata erat, & Christophorus à Vega mentionem facit cuiusdã hac ipsa passione agitati, in cuius præcordiis murmur, & sonitus ab aliis quoq; aures pectori admouentibus percipiebatur; id quod fieri non potuisset, si flatus, aut vapor in ventriculis conclusus fuisset.

An inter membranam inuestientem Parenchyma Cordis tanta fieri possit flatuum collectio, C quanta ad palpitationem sufficiens sit, non immeritò quis dubitauerit: nullus enim ibi videtur flatui locus, cùm arctissimè adhæreat membrana; non omnino tamen impossibilem esse flatuum ibi collectionem mihi persuadeo: si enim frequenter hæc passio contingit in cute, quæ tamen tenaciter subiectis partibus adhæret, quid mirum, si in viscerum quoque membranis eueniat, cùm maxima flatibus vis sit panetrandi, separandi, di- D stendendi.

Deniq; nullo pacto dari posse in sinibus cordis flatum frigidum, crassum, qualis effectrix huius præter naturam motionis caussa statuitur, non cõtemnendis ostendi potest rationibus: Non enim in dextro; quippe qui sanguine plenus non admittit; neq; enim dimensionum penetrationem patitur natura; non in sinistro, cùm nec ibi generari possit, nec aliunde transmitti & infundi, E generari non potest, cum desit tam materia, quam efficiens; fons enim caloris cor, si ad tantam redigatur caloris inopiam, vt flatum generet crassum, mors præforibus est, neq; diuturna esset hæc affectio, quæ tamen ad multos extenditur annos, deest materia, humor scilicet melancholicus, & pituitosus; nam qui ex dextro in sinistrum sinum effunditur, seu transcolatur sanguis, non nisi tenuis esse potest, cùm sensum omnino fugiant F foramina, quæ permeat.

Quòd non aliunde transmittatur, sic ostenditur: per arteriam magnam non potest, obstantibus valuulis, quæ prohibent regressum spiritus è corde in corpus diffusi; nec per arteriam venalem; mortem enim afferret flatus frigidus sinistrum cordis sinũ occupans, extincto spiritus vitali nec tam multos annos durare posset hæc affectio: Hæ omnes rationes apud me tantum potuere, vt om-

omnino olim statuerem Cordis ventriculos locum non esse; iam verò sententiam muto & palinodiam cano, etsi autem difficilimum sit vnicuique arbitrari, in ventriculis Cordis frigidum flatum posse generari, qui Palpitationem inferat; nihilominus si, quæ proposita fuere argumenta, dissoluantur, res erit facilior & plana. A

Ad primum igitur, in quo dicebatur, in Dextro Cordis Sinu non posse coaceruari tantum flatus, quantum ad palpitationem efficiendam requiritur, cùm omnem locum ibi occupauerit sanguis; Respondi potest, negando consequentiam, ratio autem est, vbi partes eius sunt naturæ, & conditionis, vt vltra statum naturalem extendi possint, etiamsi humore sint plenæ, à flatu tamen vel aliunde irrumpente, vel in ijs genito, extendi illas magis posse, nulla ratio est, quæ neget; & ita docebat Gal. lib. de vtil. respir. 2. B

Maior est difficultas de Sinistro Vētriculo, quē constituimus continere sanguinem, & spiritum calidissimum, qui propterea non videtur flatum admittere; sed hæc ratio nihil concludit, quia nos non volumus flatum excludere omnem spiritum, & in ipsius succedere locum, sed simul cum spirituosa substantia commisceri flatuum non nihil, à quo possit excitari Palpitatio; nam si hic sinus recipit aerem frigidum ab ipsis pulmonibus per arteriam venalem ad contemperandum nimium Cordis æstum transmissum, quomodo non admittat aliquam aliam flatus portionem, quæ simul cum spiritu dilatationem, & constrictionē faciens huius accidentis effectrix caussa exsistat, quę præsertim diu in Corde non reseruetur, sed concitata motione aut expellatur statim, aut dissipetur, aut digeratur. C D

Quod in Dextro Ventriculo gigni possit, & materiæ & efficientis demonstrat pręsentia, Quod ad materiam; talis reperitur ibi sanguis, qualis in iecore producitur; is autem plerunque est viscosus, melancholicus, pituitosus qui ad flatum generandum aptissimus est ergo accedente partis calore, nihil prohibet, quo minùs flatus generetur. In Sinistro quoque dari materiam flati generando aptam, nemo inficiabitur, qui Gal. 6. de vs. part. 4. inspexerit, vbi docet, in Sinistro Cordis Ventriculo sanguinem crassum reperiri, sed quod magis est, non sanguis tantùm crassior, sed ipsa quoque pituita ibi coaceruari potest, id, quod experientia confirmatur, scribit enim Anton. Beniuen. de admir. c. 89. in cadauere quodam inuentū fuisse abscessum pituitosum in Sinistro Cordis Snu, scribit similiter in duobus cadaueribus dissectis far magnam inuētam fuisse pituitæ copiam in Cordis vētriculis. Vesal lib. 1. anatom. c. 5. carneam ibi massam duarum librarum pondo se inuenisse, quę nō nisi à crasso sanguine gigni potuit. E F

Sed dicet quis, quomodo in sinistrum sinum permeabit, foramina enim & Gale. & omnium ferè Anatomicorum auctoritate obscura admodum, & non peruia, vt penitus transitum denegare videantur humoribus crassis. Ego venio in sententiam Realdi Columbi, qui lib. 7. cap. 1. statuit, sanguinem in Sinistro Ventriculo contentum non confluere illuc per aliud septum, sed transmitti à Dextro Ventriculo per venam arterialem ad pulmonem, ibique attenuari, deinde cum aere vna per arteriam venalem ad Sinistrum Cordis Ventriculum deferri. hæc assertio suffulta est rationibus non leuibus; nam pulmones sanguine ex Dextro Cordis Ventriculo hausto nutriri apud omnes in confesso est, cuius portionem aliquam si refluere dicamus in Sinistrum Sinum, nihil inde sequitur absurdi. Confirmari id etiam potest experimēto lib. 15. ab eod. Real. in mediū adducto, scribit enim inuenta fuisse corpora, in quibus septum, vētriculos Cordis dirimens, cartilagineum fuerit, id quod nulla ratione penetrare potuit sanguis, siue crassus, siue tenuis.

Occurritur hic nobis variè: primo quidem, si concedimus & obseruamus Sinistrum Cordis Vētriculum, & pituita, & carnea mole, & abscessu oppleri posse, quomodo potest ibi generari, indeque in totum corpus distribui vitalis spiritus? prodiluenda hac obiectione dico primo facultatem spiritum generatricem non esse propriè in ventriculis, sed in ipsa solida Cordis substantia, à cuius temperie dimanat, hinc Gal. 1. ad Glauc. in cur. syncop. inquit, spiritus deficere ob immoderatas Cordis intemperaturas; idem repetit 12. meth. 5. Cùm igitur in ipsa substantia Cordis vis illa resideat, natura, etiamsi alter deficiat ventriculus, in altero tamen elaborare, & gignere potest spiritum, scribit etiam Real. Columb. desiderari in nonnullis Sinistrum Ventriculum; qui tamen & ipsi viuunt.

Quærenti autem; qua ratione moueri possint arteriæ, quæ spiritum & calorem è Ventriculo Sinistro suscipiunt Respondendum cum Galen. ex lib. de vsq. puls. c. 5. moueri arterias non à spiritu, ipsas opplente impulsas, sed à facultate, a solida substantia Cordis transmissa in arteriarium tunicas, etiamsi ergo oblitteretur omnino, vel oppleatur sinister sinus, obstaculo tamen ~~id esse~~ non posset, quo minus vis pulsatrix in solida substantia illæsa in arterias dimanet, accedit, quod idem Gal. lib. de vsu part. 8 scribit, communicari calorem, & spiritum toti corpori non per arterias duntaxat, sed venas etiam, & alis vias, ergo deficiente etiam sinistro sinu potest animal viuere caloris que beneficio frui, ac sustentari.

Rursus si quærat alius, quem igitur sanguinem in se continere poterunt Arteriæ, nisi è Sinistro Cordis sinu illum hauriant. Huic satisfacere possumus cum Gal. lib. 2. quòd sang. in arter. c. 5. dicentes, connecti cum arteriarum orificij orificia venarum, ita vt arteriæ sanguinem attrahere possint ex venis, vnde ibidem Gal. diuisa, inquint, vena maiore non tantùm qui in venis est, sed etiam qui in arterijs, sanguinem effluere.

Ostendimus hactenus materiam generandis flatibus idoneam in Cordis Ventriculis dari, restat vt de Caussa Effectrice pauca dicamus, qgam pleri que com Galen. 3. de symp. caus. 2. calorem statuunt debilem sed hic in corde, ceu fonte omnis caloris locam habere nequi t. Dupliciter responderi potest huic instantiæ: primo si dicamus in Corde naturaliter se habente non posse dari imbecillum calorem, & consequenter flatus gigni non

posse:

posse sed si Cor à naturali temperie ad refrigera- A tionem deflectat, quis neget flatum generari posse? & dari quidem posse in Corde calorem remissiorem & imbecillum, manifestè colligitur ex 3, de præsag. ex puls. 5. vbi proponit Gal. talem esse aliquando Cordis frigiditaté, vt resistat, calétibus & putrescentibus humoribus, vt febris putrida inde generetur. Deinde alia est responsio, meoq; iudicio magis probanda Flatum non semper gigni à calore imbecillo, vt pote quem à calore etiam intensissimo procreari posse existimo, quotiescunque huic multa suppetit materia, ex qua subinde, & B continenter nouus generatur flatus, vel quando locus vbi conclusus est, adeo est densus, vt collectus genitusue flatus in eo dissipari nequeat. Galeni igitur sententia calorem debilem flatuum auctorem statuentis, non simpliciter accipienda, sed cũ conditionibus hisce, nisi vel ingens materię sit copia, vel loci densitas dissipationi obstet, vbi enim hæc duo adsunt, ex intenso etiam calore flatus generari possunt; id quod ipse docet Gal. 12. meth. vlt. de dolore agens colico, in quo abstinere nos iubet à vehementer cal dis; hæc enim dicit fun- C dendo humores flatus multiplicare, & ita doloré augere: Auctor. 4. acut. 90. scribit allium flatus gignere, contradicere videtur Gal. cum potiùs flatus discutiat, tandem tamen & ipse Gal. veram esse hanc affectionem concludit, allium asserens in corporibus cacochymicis flatum excitare. Ceterum non tantùm potest flatus generari in corde, sed transmittitur etiam ad ventriculos. Primo enim quid prohibet, quo minùs ingrediatur in Sinum Dextrum per venam cauam, cum per hanc confluat sanguis in cor, & variæ quidé D naturæ, melancholicus, pituitosus, flatulentus. vnde omnes Medici flatum communicari aiunt à splene, aut à iecore, aut à mesaræo per venas. Ad Sinistrum alia transmitti via potest, primo quidem per arteriam venalem; si enim aer, quid etiam non flatus per eam communicari potest, cũ pulmones vt plurimum flatibus & pituita referti sint? Secundo per arteriam magnam, at inquies, ostiola prohibent, quæ non admittunt, vt reuertatur spiritus, qui semel efduxit. Respondetur, ostiola illa etiamsi prohibeant sanguinis E spiritusque regressum in cor, tamen non ita occludunt arteriam, vt nulla omnino portio, vel flatus, vel sanguinis remeare possit, falsum enim sic esset Hipp. pronuntiatum, totum corpus esse conspirabile. Vnde Holler. in scholio, cap. 29. proponit historiam Palpitationis factæ ex spiritu flatulento per arteriam magnam in Ventriculum Cordis Sinistrum effuso.

Hactenus quomodo ratione loci nostra ab Altimaro discrepans sit opinio declaratum fuit.

Ad Formam igitur motus transeundum, quam F similiter diuersam statuo ab ea, quam proposuit Altimarus, qui putat, nullum aliũ esse motũ, quã Eleuationẽ, siue Distentionẽ, & Cõstrictionẽ vẽtriculorum, seruante corde proprium situm & locũ. Nos contra ita fieri censemus hanc Dilatationem & Constrictionem, vt totum Cor etiam locum mutet. Ratio est in promptu: nam vbi dilatantur ventriculi, longitudo transit in rotunditatem, & cuspis à thorace recedens sursum vergit; contrariũ accidit in Constrictione.

Sed ad tertium, Efficientem videlicet Caussam putat Altimarus hanc Dilatationem & Contractionem duntaxat fieri à flatuoso spiritu, genito ex humore pituitoso, ideoque curari discutientibus flatum, crassosq; & frigidos humores incidentibus, & attenuantibus. Ego verò non frigidum tantum flatum, sed vaporem quoque & spiritum calidum, & ebullientem huius præter naturam motionis caussam esse existimo. Quæ mea sententia confirmari potest hoc argumento. Vapor in quacunq; humani corporis parte membranosa conclusus Palpitationem inferre potest, sed fit, vt aliquando coerceatur in ventriculis Cordis, ergo. Maiorem probo ex Gal. 2. de symp. caus. 2. vbi de caussa Palpitationis in genere verba faciens non tantùm frigid mentionem flatus facit; sed vaporem quoque similem illi, qui in aqua ebulliente bullas excitat, hoc symptoma producere posse pronuntiat: talis autem vapor non nisi calidus esse potest. Deinde lib. de plenit. scribit dari plethoram non tantùm ex sanguine genitam, sed etiam ex substantia vaporosa calida, quæ instar musti efferuescentis, doliaq; dirumpentis, vasa distendit. Vapor ergo non tantum frigidus, sed etiam calidus, exitum non inueniens, huius affectionis caussa est censenda.

Sed hic obiicies; Vapor calidus est tenuis; caloris enim est fundere & attenuare. Gal. autem à spiritu crasso palpitationem fieri scribit. Respondetur: etsi vapor calidus tenuis sit, eum tamen incrassari posse vel ambiente frigore ipsum coarctante, & in angustiam redigente, vel loci densitate exitum denegante. Minor; hunc scil: spiritum candum aliquando præter naturam in ventriculis multiplicari posse, confirmatur primo, quia Cordis substantia ingentes quandoq; patitur intemperantias calidas, cum, vel sine inflammatione, in quibus spiritus supra modum calefacti, & igniti musti instar feruentis, ventriculos distendunt. Vide Gal. 4. aph. 69.

Aliquando spiritus, & vapor ille aliunde transmittitur impetu quodam in Cor, vnde ita perciti, & ob immoderatam exercitationem æstuantes non raro in Palpitationem incidunt, abrepto scilicet vapore, ac spiritu in ventriculos, interdum bilis transmittitur, vt in febribus; hinc Fernel. 5. Pathol. vlt. scribit, se in duobus hac affectione extinctis vidisse bilem retorridam præassatam tophi instar concretam, inq; arterias effusam, à vi scilicet expultrice Cordis extremum conatum adhibente: Transmittitur interdum sanguis ebulliens feruidus Fernel. lib. 3. ca. 30. Palpitationem fieri scribit à sanguine in ventriculis Cordis ebulliente, & agitato; & Rhasis noster 9. ad Almans. proponit curationem Palpitationis, à causa calida factæ.

Denique aliquando coaceruatur in ventriculis, quòd fuligiens spiritus, & calor transmittit nequeat ad arterias, propter impedimenta varia, de quibus fusiùs infra dicetur: propterea Gal. 5. de loc. aff. 2. scribit Palpitationem fieri per omnes magnas intemperantias, ergo & per calidas, &

huic

huic obnoxios tum curari, tum præseruari sanguinis missione: quæ potiùs obesset, siã caussa frigida dependere, & per febres ardentissimas interire fuerè omnes, quod similiter non contingeret, si frigida esset affectio: et quamuis Arist. in assignanda caussa motus naturalis Cordis deliquerit, veram tamen Saltus huius præter naturã caussam attigit lib. de vit. & mort. cap. 8. dum dicit, illum euenire à spiritu ebulliente retento, & coarctato propter antiperistasin a circumstante ipsum, & concentrante frigore.

Secunda speties Palpitationis Cordis.

DAti autem Palpitationem à facultate simul naturali Cordis, & grauitate eiusdem factã id est Tremulam, fortassis nec Arist. nec Medici concedunt. Arist. quidem, qui opinatus est loc. cit motum Cordis fieri tantum à sanguine ebulliente, & aere per rifrigerationem hausto, refrigerante; & constringente. dum enim sanguis efferuescit, ventriculi dilatantur, aerque attrahitur frigidus, cuius appulsu reprimitur feruor, vicissimque subsident, & constringuntur ventriculi. Galenus verò hunc motum à facultate Cordis insita procedere docet; at falsam esse Arist. hac in parte sententiam demostratur primo, quia ipse non poterit assignare caussam motus Cordis retentiui, quo scilicet Cor retinet, quod vtile sibi est, & familiare, expulsis noxiis, qui mediantibus fit fibris: Deinde si tantùm ab ebulitione sãguinis prodiret, nullum seruaret ordinem, & frequentes fierent, Palpitationes, pro varietate enim ambientis variè immutaretur ordo Dilatationis, & Constrictionis. Repugnat denique huic Aristot. assertione ipsa Cordis structura; substantia enim Cordis solidissima est, fibrisque instructa, validissimis, quibus non frustra donatur Cor; rectis enim dilatatur, transuersis constringitur, retinet obliquis. Medici cum ipso Altimaro contra hunc Tremulum Cordis Motum ita insurgunt. Tremor symptoma est motus voluntarij, semperque ad facultatem refertur animalẽ: ergo in Corde locũ habere nequit. Quibus responsum volo, me concedere totum argumentũ, non est Tremor, qui facultatis animalis symptoma est: est tamen similis motus nam vt tremor à facultate fit imbecilliore, & grauitate membri, ita etiã Palpitatio ob easdem interdũ causas contingit; idq; dupliciter, imbecilla existente facultate, vel comparatiuè, vel simpliciter, in comparatione, quando scilicet maius Cor aquirit pódus, maiorem molem, quam vt par sit facultas illi mouendæ: quemadmodum baiulus alias robustissimus imbecillis dici potest propter oneris magnitudinem. Redditur autem grauius, ponderosũq; Cor vel per consensum, vel per essentiam: per cõsensum propter tumorem, in pericardio, aut collectionẽ materię adeo copiosę, vt officiat libere Cordis dilatationi. Gal. 1. de loc. aff. 2. cùm reperisset in gallis, & simijs aquã copiosam, & tumores duros in pericardio. eadem quoq, in hominibus inueniri posse scribit, indeq; Palpitationes fieri, dum Cor in aqua quasi moueatur. Aliquando hæc debilitas simpliciter Cordis accidit, reddita scilicet facultate imbecilla propter intemperiem siue frigiddam aduersantem calori eius insito, siue humidam, eundẽ calorẽ obtundentem, siue siccã substantiam absorbentem humidam, siue calidam, quæ digerendo similiter exhauri humidum primigenium: hinc Auicena omnes maximas intemperentias Palpitationem efficere posse scribit, Potest quoque deficere ex spiritus, & caloris penuria, qui fundamentum est, vitæ, & roboris vitalis, omniumq; fnnctionum, docente Gal. in com. 9, 7. part. in aphor. in initio.

Dicent Aduersarij: ab imbecilla facultate motus fit imbecillis, & imminutus, non deprauatus, at Palpitatio inter motus refertur prauos: sed in contrarium proferre possum auctoritatem Galeni 5. aph. 9. vbi cùm Hippocrates mentionem fecit desipientiæ ex sanguinis profluuio, Gal. in commento expressè docet dari desipientiã, quæ deprauata est cerebri actio ex facultatis imbecillitate: itaque idipsum in vitali facullate accidere potest, vt scilicet deficiente facultate tremulus fiat partium motus, vbi enim facultas non par est edendo motui sufficienti, non satis dilatatur Cor, nec constringitur satis, & consequenter nec fuligines rectè expurgantur, nec refrigerio potitur debito Cor; vsu igitur aucto, facultas cogitur accelerare motum, qui, cùm non eadem semper sit fuliginum copia, nec eodem modo refrigerandi necessitas vrgeat, varius euadit, iam enim maior conatu facultas dilatetionẽ molitur, iam de constrictione magis est sollicita & ob virtutem languidam non potest quidem esse nisi paruus, sed præterea inæqualis ob caussas dictas. Vnde lectigationis, seu Trepidationis nomine à Medicis insignitur. Videatis Gal. primo de causis puls. 8. ibi enim scribit, ex imbecilli facultate pulsum prouenire paruum quidem, qui tamen pro aucto vsu variè se habeat in frequentia, & celeritate.

Tertia Species.

TErtius Palpitationis modus Cordi contingẽs est motus factus à facultate irritata à caussa noxia, similisq; aut rigori, aut singulti. Dari hũc in Corde suadet ratio, & auctoritas, ratio; nam si Cor multo nobilius ventriculo, pulmonibus, & tamen pulmones, & ventriculus habent facultatem excretricem rei noxiæ, quod ostendit vomitus, tussis; quare Cor pars nostri corporis præstãtissima illa priuaretur: accedit, quod Cor necessitate vitæ est nobilius ipso cerebro; at cerebrum præter facultatem animalem habet facultatem peculiarem exernendi noxia, ergo quoque Cor, id expresis etiam verbis docet Gal. 6. de decr. Hipp. & Plat. 1. Palpitationem inquiens esse motum à natura re contristante impulsa. Distinctionẽ ibi proponit Actionis Affectione, quę talis est: Actio est motus à natura procedens secundum leges naturæ; Affectio verò est motus similiter factus à natura, sed præter modum, & leges naturæ; a Palpitatio est affectio, quemadmodum, & pulsu non naturalis, &c. ergo. Constat igitur

dari palpitationem à facultate irritata. A

Quærat aliquis: Quænam illa sit facultas, quã irritatam huius motus auctorem statuimus? quis sit motus? quæ denique sint caussæ, propter quas insurgit facultas?

Facultas non est alia, quàm Pulsifica. Si quęratur vlterius: an facultas hæc animalis sit, an naturalis? Animalem non esse clarum est, neque enim per electionem agit, nec musculorum indiget, vtitur ve ministerio ad obeundam hãc actionem, non est naturalis illa, quæ operatur per grauitatem, & leuitatem, vel ad motum elementi in B mistione prædominantis, non est illa communis, quæ tribuit singulis partibus attractionem, retentionem, concoctionem &c. Est gradus excellentior facultatis vegetalis existens in Corde longè præstantior triplicem ob caussam, quarum prima instrumentum, quo agit, secunda instrumentum per quod agit: tertia finis, cujus gratia agit. Instrumentum quo agit est spiritus vitalis, siue calor innatus, cuius maior vis, & efficacia in ipso fõte: omnes quidem partes exercent suas operationes per spiritum, sed eum à Corde suscipiunt. In C strumenta, per quæ agit, sunt Cordis fibræ fortissimæ, quas natura non frustra condidit: nulla pars corporis fibras validiores habet, vt docet Gale. 6. de vsu part. 8. ipso Corde: propterea facultas, vtẽs his instrumentis, validissimum motum efficere potest. Tertia caussa est finis. Si natura per hunc motum debet conseruare calorem innatum totius corporis, si vitam tutari, si spiritum omnium fũctionum instrumentum reficere, omnino necessarium erat propriam huic facultatem destinare.

Motus hujus præter naturam in corde facti tri- D plex potest esse modus: aliquando enim systole maior est, frequentior, & celerior: aliquando vero diastole: aliquando modò hæc modò illa, ita vt mixtus motus sit, & inæqualis. Ratio diuersitatis ex varietate dependet caussæ irritantis: quandoq; enim irritatur hæc facultas per mediam facultatem expultricem; interdum per attractricem; nonnunquam per vtramque simul: si per expultricem, motus systoles est maior, frequentior, celerior: si per attractricem, diastole magnitudine, frequentia, & celeritate systolem superat: si E per vtraque, motus est varius, in quo modò systole, modò diastole maior, velicior, crebrior. Irritatur facultas expultrix quia sentit appulsum, & impetum rei noxiæ; et propterea omnes in hoc conueniunt, antequam expultrix impellatur, sensum tactus in Corde existentem pati ab obiecto tangibili, unde sunt, qui velint motum hunc Palpitationis animalem esse ex parte, quòd absque sensu non contingat.

Caussa noxia, aut per essentiam est, aut per cõsensum: per essentiam, aut in ventriculis, aut in F solida Cordis substantia; in ventriculis, vapor siue fuligo eleuata ex materia putrida, vel non putrida, acri, mordaci, purulenta, venenata vel non venenata: in substantia, vt sunt abscessus, vlcera erisipelata, calculi, tumoris duri, vnde alias diximus, errorisseos conuinci, qui Cor varijs morbis tentaris negãt: de abscessibus testimoniũ habetis grauissimi viri Nicol. Massæ in sua anat. de Corde,

Cor varijs morbis tentatur.

Holler. in scholio c. 29 de internis, de vlceribus varia exstant testimonia. Ioan Fernel. 5. path. 12. Trincauel. lib. 6. c. 11. qui scribit, se vidisse in corde cuiusdam, qui hac affectione contabuerat, vlcus sordidum malignum. Io. Bauius in obseruat. Medicis, qui se vidisse ait membranam circundãtem vndequaque erosam, quod ad erysipelata, & inflamationes, Galenus non negat fieri hæc posse in Corde: negauit tamen diu durare posse, cum statim ad interitum deducant: sed si Cor subiectum est suppurationibus, putredini, abscessibus, vt experientia sæpius comprobauit; necesse est præcessisse inflammationem, cui omnia illa succedere solent: non ablegandi etiam à Corde tumores duri; horum mentionem facit Joubert, in suis annot ad Guidon. de vlneribus.

Caussæ per consensum sunt aut in Pericardio, aut pulmonibus, aut cerebro, aut ventriculo, intestinis, iecore mesenterio, toto corpore. Quod ad Pericardium, scripsit Holler. non modò materiam, & aquam putridam, fœtidamq; ibi inuentam esse, sed aliquando vermes, quæ omnia Palpitationem efficere possunt: hæc primo confirmantur testimonio Mesues in cap. de affect. cord. in fine scribentis, interdum Syncopen fieri, non tantum ex vermibus os ventriculi vellicantibus, sed etiam ad ipsum Cor accedentibus, deinde Alex. Pedemontani in lib. 1. secret. vbi proponit remedia contra vermes Cordis in morbo, quem Lunaticũ ipse vocat; præterea Ioan. Schaxedi in suis obseru. ad Io. Schenck. missi, qui scribit, inuentum esse vermem in Pericardio cuiusdam Circumforanei subita morte exstincti. Consentit Cor, vt Palpitionem, & Tremorem patiatur, cum arterijs, pulmonibus & c. quæ transmittũnt, aut materiam, aut vaporem, aut putridum, aut non putridum, venenatum, aut non venenatum.

Alia caussa, qua mediante facultas Cordis ad hunc motum efficiendum incitatur, est attractrix impulsa: irritatur autem, & ipsa varias ob caussas, primo propter redundantiam caloris nimium dilitantis ventriculos, quibus dilatatis, insurgit attractrix, vt arceatur vacuus; secundò ob defectum vel aeris, vel sanguinis in Corde.

Quæritur hic: an Cor defectum hunc percipiat beneficio tactus, vt ad expultricis irritationem necessarium esse vnanimi consensu Medicina statuit?

Respondetur, hoc fieri non posse. Sensorium enim non mouetur à caussis priuatiuis, sed positiuis. Obijcies: Orificium ventriculi famem percipere, qui sensus est indigentiæ; ergo quoque Cor per tactus sensum percipere hunc defectum poterit.

Respondendum illam facultatem peculiariter tributam esse illi parti à natura, & nulli aliæ pręterea. Alia igitur ratio Cordis quod absque etiam sensu tactus attrahere potest, quod vtile Gale. 6. de vsu part. 15. tres proponit modos, quibus Cor ad aliciendum impellitur; primus est similis illi qui in follibus fit dum dilatantur; secundus est per calorem vt enim calor in elychnio oleum, ita Cordis calor maximus, deficiente sanguine, alterũ

aliú te e trahit, tertius fit propter substantiæ similitaritatem, & humiditatem: sicut magnes ferrum, ita omnes partes alimentum sibi familiare prolectant, ergo etiam sine sensu impelli potest attractrix. Diximus, irritari attractricem, aut à nimio calore, ventriculos dilatante, aut à defectu aeris, vel sanguinis; deficit aer multas ob caussas, aut quia nerui musculiuè imbecilles nō attollere possunt thoracem, vnde non satis aeris allici potest; aut quia viæ, per quas ingreditur, obsepiæ sunt humoribus, crassis, calculis, tumoribus; similiter etiam varias ob caussas sanguis deficit, de quibus alias, vbi de Syncope dicemus.

Dubitatio. Sed duplex hic occurit dubitatio: Diximus impulsa attractrice ob defectum aeris, & sanguinis, siue spiritus diastolen fieri magnam, &c. sed quomodo hoc fieri potest; vbi deficit sanguis, ibi facultas quoque languescit: dilatari igitur multum non poterit: deinde, vbi deficit spiritus, & calor, minuitur vsus, & consequenter, vt non multa refrigeratione, ita exigua quoque distentione est opus.

Solutio. Respondetur ad primum: non esse necesse, vt deficiente sanguine, statim etiam labefactetur facultas; quippe quæ primò, & per se in sanguine non consistit, sed in substantia Cordis seminali, & in humido primigenio; vnde aliquandiu sanguine etiam deficiente vigere potest.

Ad secundam respondendum est cum Galen. lib. de vtil. respir. cap. 5. non tantùm propter frigidam qualitatem attrahi aerem, sed etiam propter substantiam aptam reficiendis spiritibus; ergo deficiente calore, & spiritu, maior est necessitas attrahendi aerem, non vt refrigeretur Cor, sed vt reficiantur, qui exhausti sunt, spiritus.

Caussas mediatas per se quisque indagare poterit, nec opus est earum enumerationem hic instituere; quare deinceps ad signorum explicationem nos conuertemus.

Causæ mediatæ.

IAm locus postularet, vt expositis caussis Palpitationis immediatis, de mediatis mentio fieret, sed quia tot sunt differentiæ, & caussæ Palpitationis vt hactenus audiuistis, si eas proponerē in immensum excresceret hæc tractatio. Satis itaque sit intelligere, mediatas caussas ad ipsum potissimum Cor referendàs esse: quanquam enim in vniuerso corpore, aut diuersis partibus ingēs fuerit vaporum, siue humorum apparatus, non sequitur tamen Palpitatio, nisi Cor ipsum habeat aliquam dispositionem ad illa suscipienda: inter disponentes caussas primas tenet sensibilitas Cordis membranæ Cor circumuestientis: vnde meritò Auicenna inter cæteras Palpitationis caussas hunc sensum exquisitum reposuit, propterea ad mediatas referri poterunt omnia cordis siue naturalia, siue acquisititia temperamenta, vitiosa, calida, frigida, humida, sicca.

Signa.

ITaque his breuiter expositis ad Signa transeo quæ à me in duas distribuuntur partes: in priore erit sermo de distinctiuis: in posteriore de prognosticis Diagnostica prætereo, quandoquidem huiusmodi affectiones partim ex relatione ægrotantiū imolestam quandam Pulsationem, velocem, frequentem, & inæqualem se in sinistra parte sentire dicentium, partim admota manu deprændi poterunt.

Distinctiua igitur in primis inuestiganda, quæ in quatuor classes diuidi poterunt: quædam erunt signa præcipuarum differentiarum, seu specierum; alia caussarum; quædam locorum patientium; nonnulla denique demonstrantia morbos, & affectus Cordis.

De primis, cùm triplex constituta sit Palpitationis differentia, prima est motus solius caussæ morbificæ, & noxam inferentis; secunda est motus facultatis simul, & morborum; tertia facultatis à caussa noxia irritatæ: sic distinguere poteritus istas differentias.

Quando Palpitatio est motus solius caussæ morbificæ, citò accedit, & recedit, estque Pulsatio vehemens, magna, crebra, tam in systole, quàm in diastole.

Vbi est motus naturæ, & morbi, semper hic motus est paruus, frequens, aliquantulum celer, & magna ex parte continuus; aut, si non est continuus, leui tamen occasione ex motu tam corporis, quam animi, cibo, & potu; venere statim exarcebatur.

Habet, & motus, qui ab irritata fit facultate, sua interualla, est tamen longior, quàm motus à sola caussa; et propterea cognoscitur, si expultrix irritata fuerit ex systole maiore, celeriore, & frequentiore.

Quærat quispiam: qua ratione possit hæc systoles celeritas deprehendi? Respondeo, primo ex respiratione; nam respiratio similiter inspirationē est maior, celerior, frequentior: secundò ex pulsu, quia contractio est maior, vehementior, celerior: tertiò; & quidem optime ex motu Cordis, qui concitata expultrice multùm excellit tam magnitudine, & væhementia, quàm celeritate, & frequentia motum ob attractricis irritationem excitatum. Ratio est in promptu; in systole enim latitudo Cordis transit in longitudinem, & propterea cuspis Cordis tangit, & ferit thoracē; vnde facilè admota manu sentitur illa Pulsatio. contrarium fit in dilatatione; retrahitur enim cuspis à thorace; vnde motus est insensibilis.

Signa flatus & vapor. Caussæ Palpitationis cum plurimæ sint, necesse erit eas distinguere. Flatum, & vaporem patefacit facilitas accessus, & recessus: peculiariter verò dum flatus Palpitationem facit, vniuersum corpus refrigeratur, pallescit, tinniunt aures. vertigine caput tentatur, & in alijs quoque partibus Palpitationes sese produnt in facie, ciliis, superciliis, cute deniq; tota. inflatur venter, & soluitur affectio vt plurimum eructatione, aut crepitu. Vaporem similiter Palpitationis auctorem ostendit similiter aurium tinnitus, vertigo, suffusio quandoq; oculorū, facies rubicunda, mox pallida, pulsatio venarū oris amaritudo, excremēta biliosa.

Humoris Biliosi. Quæ eadem signa humorem quoq; biliosum detegunt, nisi quòd vapor calidus breui spatio temporis, humor verò biliosus Palpitationem diu durantem efficiat: Est præterea grauissima, quæ

que à bile fit Palpitatio, & interdum adeo violenta, vt costas effringat Vid. Fernel. propensio quoque ad iram, & Palpitatio occasione eius excitata, sunt signa, & indicia biliosæ materiæ.

Ex ebullitione sang. Si ex sanguinis ebullitione, & redundantia Palpitatio fiat, signa plenitudinem demonstrantia, habetis apud Gal. lib. de plenit. qualia sunt distentio venarum totius corporis, rubor faciei, vita crapulæ dedita, cibaria sanguinem accumulantia, suppressæ sanguinis euacuationes ex vtero, hæmorrhoidibus, naribus. Dicebat Auic. Qui ex sanguinis redundantia in hanc passionem incidunt ab vsu Veneris iuuari, qui nocet, si à materia pituitosa Palpitatio producatur.

Melancholia. Si melancholia Palpitationem faciat, innotescet ex colore plumbeo, nigricante, timore, mœrore: exacerbabitur à caussis timorem & mœrorem incutientibus, estque familiaris magna ex parte lienis imbecillitate, aut melancholia flatuosa, siue hypochondriaca laborantibus: cognoscitur quin etiam à pulsu duriore.

Aqua. Si ex aqua fiat in Pericardio contenta, patientes referunt se sentire Cor in aqua quasi natare. Ego vidi Clarissimum Marcellum, qui cùm hydrope thoracis ex congesta ibi, & in Pericardio quoque magna aquæ copia (id quod sectio ostendit) laboraret, sibi Cor quasi in aqua natare videri dicebat: accedunt pulsus molliores, spiratio frequens, non sitiunt ægri, oculi concaui fiunt.

Vermibus. Si ex vermibus, difficulter hæc caussa cognosci potest: Alexius tamen Pedemont. scribit consequi non modo Palpitationem, sed Tremorem totius corporis, Lipothymiam, & Syncopen: totum corpus pallescit, & refrigeratur, sudor quoq; erumpit circa thoracis & ceruicis partes.

Mater. Purulentia. Purulentam materiam Palpitationem gignere colligimus ex pregressa inflammatione. Huius in Pericardio exsistentis signa sunt febris acuta cũ dolore circa partes thoracis: hac enim cessante, si subsequatur Palpitatio, longoque perduret tempore, si patiens contabescat sine manifesta caussa, suspicandum ad suppurationem peruenisse inflammationem, abscessum disruptum, puris q; ibi factam collectionem.

Locos patientes sic distinguetis: multum enim refert, an caussa sit essentialis Cordi, an per consensum, & si essentialis, an in solida substantia, an verò in ventriculis, seu cauitatibus sinuum.

Palpit. essential. Si essentialis est Palpitatio, erit perpetua, fide continua, respiratio, & pulsus summè vitiabuntur, imò si primario Cor laboret, accedet Lipothymia, & Syncope admodum frequens: id videtur innuere voluisse, licet rectè & occultè Hipp. 2. aph. 41. Siue igitur insignis sit intemperies, siue morbus in mala compositione, siue vnitate soluta, necesse est affectũ esse continuum, & Syncopen caussari.

Per consens. Si per consensum Cor afficitur à Pericardio, idq; nil aliud patiatur, quàm extensionem, breui accedit & recedit, affectio est omnium leuissima, pulsus, & respiratio non immutantur.

Ab ore Ventriculi. Quòd si primarius affectus sit in Ore Ventriculi, adest Cardialgia, Nausea, Vomitus, Singultus Ructus, inappetentia, Bulimos: hæc enim si sint insignis, Cor in consensum trahunt.

Ab Vtero. Si ex Vtero ortum ducat Palpitatio, suppressio plerunq; manifesta est mẽstruæ colluuiei, aut materiæ seminalis aut vtriusq; simul: ad sunt præterea indicia passionis hystericæ, dolor, & inflatio, rugitus, excretio materiæ albæ, alterius ve coloris, & sæpe incurrunt patientes symptomata animalis facultatis, Epilepsiam, Carum, Conuulsionem.

Liene. Si ex Liene, intellexistis partem hanc facilè, & frequenter communicare Cordi suam affectionẽ, quia hoc viscus est plenum multis arteriis, est Cordi vicinum, & è directo positum: signa in conspectum sed dabunt Lienis male affecti.

Cerebro. Si ex Cerebro, indicia non deerunt laborantis cerebri, vel Melancholia, vel Epilepsia.

Non referam hic signa caussarum, ob quas attractrix irritetur, idest, defectus aeris & saguinis.

Notandum duntaxat, Palpitationem aliquando fieri ex solo neruorum vitio, nulla apparẽte læsione in cerebro, thorace, musculis, hoc obseruare mihi licuit in fratre meo, quem solo theriacæ vsu principio spinalis medullæ adhibitæ in integrum restitui.

Signa indicantia varios morbos, siue sint intẽperies, siue mala compositio, siue vnitas soluta, proponenda restant, nec verba sum facturus de signis Intemperaturarum, cùm hæc satis superq; explicata sint à Gal. art. medic. c. 29. & seqq; ibi enim ostendit & recẽset signa omniũ, quibus Cor agitari solet ob intẽperiẽ quæcunq; tandẽ illa sit, pulsus sunt frequentes, celeres, non tamen necessario maiores; omnis n. insignis intẽperies deijcit actum virtutis, vt dicitur, & robur facultatis, facultas autem prostrata magnum edere pulsum non potest; nec multùm etiam inæquales sunt.

Cordis Tumor, et Abscessus. Si tumor, aut abscessus Cor occupat, semper inæqualem & inordinatum deprahendes pulsum cum respiratione difficili, si calidus tumor fuerit, necessariò febris adest lethalissima, quia experientia didici, cùm inflammatio totum inuadit Cor, non potest transire naturalem diem. Lictori cuidam febre præhenso acuta, statim liuere cœpit supercilium sinistrum, & antequam 22. elapsæ essent horæ, totum corpus sphacelo tentatum fuit, ipseq; exspirauit. *Historia* Ego grauem subesse aliquam Cordis affectionem suspicatus, curaui, vt dissecaretur cadauer, quo facto, Cor inuenimus duplo maius, quàm in anis esse solet, cum venis tumentibus, & inflatis ad digiti crassitudinem. Potest fieri, vt citra mortis discrimen aliquando infestetur cor inflammatione Pericardii & exigua; id quod vlcera & abscessus manifestum faciunt, totum autem Cor sustinere inflammationem diutius nulla ratione potest, alia ratio est in tumoribus frigidis, de quibus superius ex sententia Iouberti.

Vlcera Cordis. Vlcera Cordis innotescunt ex Palpitatione sæpius repetente cum febricula hectica: omnia adsunt signa phthiscos, pulsus parui, languidi, macies & consumptio totius, nihil tamen ex spuunt. Si ita deficiat pulsus, vt intermittat duas, tres, aut quatuor pulsationes, oportet insignem aliquam caussam esse, quæ ne liberè spiritus, & sanguis ad arterias transmittatur, prohibeat.

Scribit Vesal. 1. anat. 5. pulsũ illius, ĩ cuius Corde

carnea illa molesinuenta fuit, ad nouem vsq; pulsationes intermisisse, nam dum tentat expellere quod noxium est, longissimam efficit systolen, & tandem in his, in quibus impeditur transmissio sanguinis, gangrænas exspectes. Vesal. loc. cit. refert exemplum, de quo iam facta est mentio, in gangrænam sinistri cruris incidisse.

Prognostica.

PRognostica alia sunt salutis, alia mortis, non nulla temporis salutis, vel mortis, quædam denique modi. Capiuntur autem à differentijs, caussis, locis affectis, & morbis, ex quibus Palpitatio fieri solet. Propterea Palpitatio illa, quam dixi esse opus naturæ, & morbi propter imbecillitatem facultatis tam absolutam, quam comparatiuam, hæc inquam differentia maxime lethalis est: nam aut continua est, aut leuissima de caussa excitatur cùm caussam habeat Cordi essentialem, eamque grauissimam, intemperiem scilicet inignem, vel morbum instrumentalem, siue communem: itaque nullus eorum, qui hac specie corripiuntur, euadit. Sed omnes intereunt: deq; tali vera sunt, quæ Gal. 5. de loc. aff. 2. profert, Palpitatione laborantem quinquagesimum annum superare non posse, nā cęteræ Palpitationis differentiæ, quæ ex flatibus, vel vaporibus facultatem irritantibus, aut ventriculos eleuantibus fiunt, non necessariò interficiūt ante quinquagesimum: ratio est: in illa facultas est vsque adeo languida, vel propter intemperiem in signem, vel morbum in mala compositione, vel vnitatis solutione, vt primo aduentante senio, in quo magis ac magis exsoluitur, ac marcescit calidum innatum, amplius resistere caussis noxijs non possit.

Si per consensum Cor afficiatur, facultas adhuc valida existens potest pugnare aduersus caussas maleficas etiam post 50. annum, & ita ægri 60. etiam nedum quinquagesimum attingere possūt, quare, vt dixi, semper respiciendum ad differentias, caussas, loco & morbos.

De tempore pauca dicenda, dictum enim iam est, complures hac affectione tentatos succumbere post quinquagesimum ætatis annum.

Quod ad modum, omnes repēte mori consueuerunt, præcipuè verò qui frequenter incurrunt hoc symptoma: de hoc extat oraculum Hippocrat. 2. aph. 41. Eos qui absque caussa &c. Quæ verba non tantùm de Syncope intelligenda, verum etiam de Palpitatione, vt Galen. in fine istius com. monet.

Curatio in accessione.

CVratio ab omnibus in duas præcipuè scinditur partes, in quarū prima sermo instituitur de ijs auxilijs, quæ dirigūtur aduersus ipsum symptoma tempore accessionis: in altera ipsam caussam, & morbum extra accessionem respiciens curandi ratio proponitur.

In accessionis curatione quædam occurrunt, quæ prorsus reiicienda censeo, licet à probatissimis Medicis excogitata, & commendata sint.

Primò vniuersaliter proponitur reuulsio facta per frictiones & ligaturas. Huiusmodi operatio nonnunquam est suspecta, quum scil. Palpitatio ortum ducit ex spiritu calido, & vaporoso, ex sanA guine bilioso in arterijs contento, & impetum in Cor faciente, ex frictione enim sanguis redditur tenuior & calidior, ex ligatura arctantur arteriæ, vt sanguis, & spiritus ad inferiores partes non trāseant; hinc maiori impetu ferri solēt ad Cor. Holl. in schol. ad c. 20. lib. 1. de intern, conueniunt igitur hæc potiùs in flatus, & humoribus frigidis, quàm in fluxione calida.

Secundò laudatur à plerisq; aspersio ex aqua frigida aq. ex posca, ros. circa frontem, & existimās partes facta ad conseruandos vitales spiritus. sed
B alia ex parte sanguis, spiritus, vapor repulsi intro fluunt, & replendo Cor affectionem augent, vt propterea primæ operationes planè contrariæ sint huic posteriori; illæ enim retrahunt, hæc intro compellit, conuenitque quidem in Syncope, nequaquam in Palpitationem.

Tertiò eandem ob caussam non placet, præcipuè in caussa calida, vsus odoramentorum, nec panis calidi, vel aromatum tempore accessionis: nam, omnia hæc calorem augent, spiritus incendunt. in spiritu flatuoso frigido cum vtilitate ad
C hiberi possunt.

Quid igitur agendum in ipso commotionis tempore? Varia pro varietate caussarum. si Palpitatio ortum ducat ex sanguinis redundantia, in ipsa accessione venæ sectio instituenda.

Nec obijciat aliquis: Vires concidere ob Palpitationem, deficientibus autem viribus venam secandam non esse. etenim vbi vires languent propter sanguinis copiam, & suffocationem, tantùm abest vt venæ sectio eas prosternat, vt potiùs subleuet. Sic Hipp. 4. acut. 23. in Aplopexia à ple-
D nitudine exorta sanguinem mittit, habita scilicet ratione caussæ ipsam inferentis.

De loco venæ aperiendæ dubitatio est, quæ sic dirimi potest. Si sanguinis plenitudo aliquod inflammationis periculum minetur, statim inciden da est vel communis, vel jecoraria. id docet Gal. 13. meth. 6. exēplo jecoris, huiuscemodi, inquiēs, sanguinis missionem quamprimum reuellere & deriuare à parte. Si inflammationis notæ non ad sint, in hoc casu reuulsionis gratia secandæ sunt venæ oppositę, vel Inferiores, vel dextræ: Inferiore
E quidem, si menses, aut hæmorrhoides sint retētę: Dexteræ in plenitudine totius absq; suppressione dictarum euacuationum. vbi autem post sectas venas vel inferiores, vel oppositas malū perseuerauit, repetere licet venæ sectionem in sinistro cubito. *Locus.*

Si vires accessionis tempore vsque adeo incōstantes sint, vt venæ sectionem non perferant, ad hirudines, & cucurbitulas sacrificatas transeundum. Rhases 7. continent. cucurbitulas dorso apponere iubet. Auic. 4. 1. c. proprio de ventosis im-
F probat cucurbitulas dorso affixas. hoc potissimū nomine, quod accersant Palpitionē attrahendo sanguinē ad thoracē. Contradictio hæc satis cōspicua sic tollitur: Cucurbitulæ in plenitudine totius corporis dorso admotæ cū multa flamma, & profunda sacrificatione, si præsertim amplæ sint Tremulam hanc Cordis affectionē excitare solē idcirco inferioribus locis hoc casu affigendæ; sed euacuato toto, & per medicamenta, & sanguinis missio- *Cucurbitul.* *Remp. & Auic. cōciliātur.*

missionem,cucurbitulæ paruæ,leuiter scarificatæ, A
cum flamma pauca dorso applicitæ iuuant. Attra
hunt enim vaporem, flatum,sanguinem à centro
ad circumferentiam.

Præter hæc, Cordialia tam externa, quàm interna,administrandra partim calida, partim frigida pro varietate materię peccantis,sed de his cùm caussam simul respiciant,fusius infra dicemus.

Curatio, & Præseruatio extra Accessionem.

Distribuam alteram curationis par.ē in capita tria:acturus in primo de caussa calida,siue ea sit intemperies simplex,vel cū materia,aut vaporosa,aut biliosa, aut sanguinea,cum,vel absq; inflammatione, & erysipelate,siue adsit febris siue non:in secundo de caussis frigidis, in tertio de Palpitatione ex vermibus. De Palpitatione per consensum nimis longum foret hic agere:Explicabuntur deinceps affectus omnium partium infra Diaphragma, Cordi consentientium.

Quod ad causā calidā, hæc superatur primum conuenienti victu, cujus maxima hac in parte est necessitas; atq; ideo Arabes omnes,à quibus potissimū Palpitationis auxilia petenda, sunt admodū diligentes in aere,cibo, potu,motu,&c. Nā q̄d ad aerē,oī modo tenuis,& frigidus eligēdus,& ppea consulūt Medici,vt aut cœlū muterur ab ægris,aut si id fieri nequeat,saltem alteretur aer cōclauis,in quo degūt illi,decoct rosar.santal.vitis,salic. flor. nymhp. item aq.& aceto.A motu vel omnino arcēdi sunt, vel leuis & placidus imperādus.Cibi refrigerādi vim habeant:proptęrea pisces cōceduntur,prisana,alyca,oriza. Iuuat enim aliqua ratione spiritus densare,& sanguinē crassiorē reddere, idcirco adstrictoria frigida & sicca,succus granat.erāt limon. itē acetosæ,nymphex, rhibes, &c. nō improbātur.Potus debet esse aqua,aut simplex aut mista cū vino granatorū acido.Nō prętermittēda Cordialia aut frigida,aut tēperata, vt rosæ, nymphæa,sātala oīa,cornucetui, margaritæ ppat. hyacinthus,à proprietate, imò omnes gēmæ.Hæc sibariis permiscenda,vt robur Cordis seruetur.

Transeo ad medicamenta in caussa calida:

Si Bilis abundat,primo certum est,leniendam esse aluum aut hoc medicamento

> *Recipe flor.cass.recent exter. vnc i.*
> *pulp Thamarin. vnc.sem.*
> *Marg. præp.sant.rub.an.drach.sem.*
> M. cum sacc.f.bol

Aut si potionem maluerint fiat hoc modo:

> *Recipe fol.nymph.P.sem.*
> *santal.rub.drach.i.*

Decoquantur aut iu sero capr.aut aq. viol. & fiat expressio

> *Recipe syrup.ros.sol.vnc.v.*
> *Decoct dictæ q.s.* M.f.pot.

Sang. missio. De sanguinis missione dubitatur, vtrum in biliosa materia conueniat, sed facile huic dubitationi satisfacere possumus: In exquisita cacochymia omnino prætermittenda venæ sectio, sed ratò, imò nunquam hanc inuenietis & inter centū vix vnum,sed adest poçius spuria; quanquam igitur ex bilę fiat Palpitatio,dūmodo plenitudo adsit spuria licet sanguinem mittere.Sed ex qua ve- *Locus.* na? Tempore Pręseruationis satius est semper ex loco opposito,quàm patiente.Gal. lib. curandi per sanguinis miss.c.19.vbi loquitur de sanguinis missione pro præseruatione.

Si palpitatio originē sumpserit ex Liene,secari poterit vena iecoraria, siue communis sinistri lateris: nam ita habetur ratio partis mittentis & suscipientis. Si ex Iecore,dextri lateris venam secabimus.De cucurbitulis & hirodinibus ibidem esto iudicium,quod proposuimus de curatione Accessionis tempore. *Cucurbit. Hirudin.*

B Si Palpitatio sanguinea fit largior conuenit sāguinis missio,nunquam tamen ad animi deliquiū facienda, etiamsi maxima adsit plenitudo quoad vasa,propter præsentiam symptomatis, quod vel deiicit, vel deiicere pōt vires.Gal. 1.ad Glauc. 14.

Pro biliosa materia pręparanda hic syrup.egregiè conuenit.

> *Recipe syrup.de succ.limo.*
> *de rib.de gran.an.vnc.sem.*
> *Aq.endiu.viol.*
> *flor.nymph.an.vnc.i.*
> M.pro syrup.

C Quòd si materia sit sanguinea, videntur fere omnes Medicinæ scriptores in hoc conuenire, vt syrupi attenuantes exhibeantur,moti Galen.testimonio 5.ve loc.aff.2.qui Palpitationem tractat & sanguinis missione & extenuantibus medicamētis. Exigunt autem materiam extenuantium medicamentorum ex lib.de palpit.c.5. vbi Gal. omnia proponit calida medicamenta,attenuante facultate prędita,qualia sunt puleg.calamenth.hyssop.origanum.

D Hæc operatio apud me suspecta est, imò periculosa:quandoquidem,vt intellexistis in superioribus generatur flatus ex causa calida,quando vel cacochymia, vel plenitudo adsit. Locus est apud Gal.4.acut.90. Itaq; si calida præbeantur, attenuantia in sanguinis copia,flatus & vapor eleuabūtur,& Palpitationē augebūt eligenda igitur sunt attenuantia, sed refrigerantia,vt ptisana,oxymel, quorum meminit Gal. 11 meth.14. aut syr.acet. simpl.acetosit;citr.de succo limon.cū decoctis polytrichi adianti, pentaphyl.cichor. & sonchio; & potestis ascendere vsq; ad betonicam. Gal.aūt sen- *Galenus*

E tentiam 5. de loc.aff.prolatam de medicamentis, *explicatur.* ac victu attenuante intelligendam puto, non de attenuantibus medicamentis,sed de verè extenuantibus. Talia aūt sunt, quę sanguinem minuūt vel per se vel per accidens, perse minuunt venæ sectio,& omnis sanguinis euacuatio,omnis purgatio vel per vomitum,vel per aluum,vel per sudorem, vel per vrinas; per accidens verò victus tenuus,labor, frictio, balneum. Locus est apud Gal. 2. aph. 28. vbi sub nomine attenuantium medicamentorum, hæc omnia intelliguntur, &

F profectò in sanguinis abundantia extenuare conuenit,id est sanguinem mittere & imminuere.

Post præparantia conuenit purgatio, si vires sunt aut languidę, aut non validæ, accipio Auic. consilium,vt paulatim corpus purgetur; præbet ipse singulis diebus per 8.dies.drach.sem.rhabarb. optima est purgandi ratio, Si vires constent,conuenient isti boli.

> *Recipe fl cass.drach.vi.*

Elect. rof. Mes. drach iii.
M.& cum sacc.s.b. li.
Præbeantur hor. 5 ante cib.

Côuenit maxime illud Electuarium, quia præceptum generale in Cordis Palpitatione,& necessarium, vt semper Cordialia admisceantur. At vero elect.rof. Mes. recipit trochiscos de gallia moscata, itaq; si huius electuarij copia non adsit, accipiatis elect. de succ.rof.admiscendo gran. 5. moschi,& tantundem ambræ, aut specierû cord, temperat.drach.sem.

Quòd si quis obijciat, hæc purgantia esse suspecta, eo quòd omnia sunt Cordi infensa, statim potestis huic obiectioni satisfacere dicentes, medicamentum esse Cordialibus correctum, deinde vero illud vos moneo, in Palpitatione per essentiam facta abstinendum à purgationibus validis & propterea dixi potius paulatim euacuandum esse corpus rhabarbaro exhibito: vbi autem vires constant, nec essenuatus est affectio, Cor optime iusti net vsum horum purgantium, nam purgata materia, quæ Cordi erat noxia, proprium Cordis robur per manet.

An Vomitoria conueniant. Secundum est: vtrum hæc materia per Vomitum possit educi in Palpitatione: pro parte negatiua est argumentum fortissimum, non esse educendam materiam biliosam, per os ventriculi sensibile, cum ex hac nimia sensibilitate & morsu possit fieri & Palpitatio, & Syncope: ex altera tamen parte communis est omnium scriptorum sententia, humores ori ventriculi inhærentes per eundem locum esse euacuandos. Galen 5 de loc. aff.c.7. lib.quos & quando purga. port. Resolutio est: Ore ventriculi iam actu humorem biliosum continente, necessaria est vomitio: idcirco aut oleo amygdal. dulc; aquæ misto, aut sero caprino misto cum oleo quamprimum educendus hic humor. si in fundo iaceat,& inferiora petat, potius per inferiora purgâdus est: facta purgatione Cordialia sunt ad ministranda intrinsecus & extrinsecus.

Quod ad interiora Cordialia, non possum probare Cordialia, quæ tanquã frigida proponuntur ex descriptione Mesues, Auic. Serapion sub nomine Lætificantis, diamoschi dulcis, electuarij de gemmis. Ratio est, quia in omnia Doronicû ingreditur, quod speciem esse Aconiti Cortusius ostendit, deinde proprio experimento cõfirmauit Matthiolus in cap de Aconito, Profitentur omnes esse medicamentû calidum & siccum in tertio gradu, itaque & tanquam calidum,& tanquã venenatû medicamentis Cordialibus non admiscendum. Placent trochisci de camphora nõ Mesues, quia illi recipiunt cardamomû, spicã, lignû aloes,& crocum, medicamenta valde calida, sed Rhasis nostri, qui reuera sunt frigidi, & dentur ex illius sententia drach.i.cum succo Macinorû, siue pomorum S.Petri. Si tamen temperies Cordis non sit vsq; adeo calida, dosis trochiscorum est minuenda, & satis est præbere drach. sem. & si succus Macianorum non adsit, possint præberi hi trochisci cû aq.viol.aut nymph. 4.ho.ante cib. 12, aut 15. dierû spatio. Præter trochiscos de camphora, vos ipsi poteritis ex tẽpore parare aut pulueres, aut rotulas, aut conseruas valde vtiles.

Doronicum Aconiti species.

Poma S. Petri i. poma præcocia

A Puluis poterit hunc in modum præscribi.

Recipe Santal.rub.
Ossis de corde cerui.
Corn.cerum.
Marg præpar.an drach.i.
Sem.acetos portul endiu.an.drach.sem.
Campb.scrup.sem.
Sacc ar.ad pondus omnium.
M. Dosis drach.i.

Si volueritis Rotulas pro singulis tribus drachmis pulueris absq; sacchato, poteritis accipere B vnc.iii.vel quatuor sacchari opt. dissoluti in aq. borrag.aut buglossæ, & formare confectionem in rotulis. Si Conserues.

Recipe conser.ex.acetos citr.
ex succ.acetos.an vnc.i.
prædict.pulu.drach.i.
Diuidatur in duas partes.

Extrinsecus autem conuenit hoc Epithema.

℞.aq. viol.ros flo.nymph. borrag.an.vnc.iiii.
succ limon.aceti an.vnc ii.
specier.proposit.drach.ii.
C *camph.gr.iiii.*

Addatis *Croci gran.iiii.* ad penetrationem.

Adhibebuntur Epithemata Cordi supercalefacto actu frigida per linteum, aut pannum sericû & repetatur pluries: Deinde ipsi Cordi adhibeatur aut vnguentum rosat.cum succo citri, aut limonum factum, aut Linimentum ex succo endiu.lactu portula, addito succo limon & acetos. Auicenna in caliditate vsque adeo vehementi, vt euitet inflammationem futuram in corde, ascendit ad Opiata, & sane maxima ratione, nihil e- *Opiata.* D nim potest esse periculosius inflammatione cordis vt etiamsi quis obiiciat. Opiata esse inimica Cordi, cùm tantus sit calor, vt inflammatio immineat, poterit etiam opiatis resistere.

Intrinsecùs igitur poteritis præbere hoc medicamentum:

Recipe conseru.viol.flor.nymph.an.vnc.i.
Sem.hyoscyami drach.i.
Marg præp. drach.sem.
M.& diuidatur in duas partes.

Si augere volueritis facultatem huius medica E menti, post bolum præbeatis vnc. iiij. emuls.papau.alb.aut vnc.vi.huius decocti.

Recipe pomorum mandrag.n.I.
hyoscy.M.i.
Capit.papau.alb.n.viii.
Lactu.flor.nymph.viol.an.M.sem.

Bull.in lib.ij.aq.ad consumpt.tertiæ partis, facta colat exhibeantor vnc.vi.post conseruam propositam.

Extrinsecus aût poteritis adhibere aut idẽ decoctû, aut succû ipsius hyosc.& lactu.cõmistû tamẽ F cû succo acetos.ac limõ.& modica croci portione

Dum transeo ad causã Palpitationis frigidã, non possum communem omnium sententiam recipere circa missionem sanguinis, vt scil. humore etiam frigido & pituitoso existente vena aperiatur: quanquam enim Gale.5. loc. aff.2. illos omnes à sanguinis missione adiutos esse scribat, qui Palpitationi subiiciuntur, certum est, ibi sermonẽ fieri de Palpitatione ex calida caussa, vt pro

pterea

pterea dicat Gal. illos omnes interire propter acutum aliquem morbum. Et sanè nulla est ratio, quamobrem in Palpitatione ex flatu crasso, genito ex multa pituita cum intéperie frigida & Cordis, & aliarum partiũ principalium, sanguis mittatur. Si dicant reuulsionis gratia, alii sunt reuulsionis modi absque vllo periculo administrandi. Itaq; in exquisita cacochymia prorsus à venæ sectione abstinẽdum. Pro reuulsione satis erunt cucurbitulæ nõ scarificatæ, cauteria, & vesicatoria, & quando Palpitatio sit recens & frequens, accipiatur potiùs vesicatoria, quàm cauteria; vbi Palpitatio sit antiqua, & per rata quædam interualla inuadat, conuenientiora sunt cauteria, insigantur autem semper partibus infernis, vel infra, vel supra genu, hoc parum curo.

Cucurbitul. cauteria. Vesicator.

Locus.

Sed vbi exquisita non adsit cacochymia, sed plenitudini iuncta, præcipuè in flatu genito ex humore melancholico; in hoc casu cõuenit venæ sectio; nam vt pluries docui, humor melancholicus, quamquam frigidus & siccus, producitur tamen ex intemperie calida iecoris Gal. 3 de caus. symp. 2. 2. de crisib. 12. melancholiam gigni dicebat ex calore sufficienter immodico. Itaq; in hoc casu secanda est vena, aut dextri lateris tantùm, si ex feruido iecore augeatur hic humor, aut dextri, & sinistri, quando & iecur augeat succum melancholicum, & lien propter suam caliditatem eundem in vapores digerat, qui deinde in Cor impetum faciunt. In hoc etiam casu conuenit apertio hæmorrhoidum, siue sint innatæ, siue non, quamuis enim innatæ non sint, dummodo natura augeat excrementum melancholicum, vtile est venas sedales aperire. Hoc est Gal. consilium 4. aph. 25. Conueniunt quoq; Cauteria & Synapismi, vt dixi de succo pituitoso.

Apertio Hæmorrhoid.

Quod pertinet ad Pharmaciam, distinguendi sunt humores frigidi in pituitosos, crassos, & aqueos, siue tenues, in melancholicos, ac consequẽter flatulentos. Si crassi sint, pro leniente medicamento dabitis.

Recipe Mell. rosf. solut. vnc. i.
Decoct. cord. q. s.
M. f. potio.

Si bolum voluerint,

Recipe Elect. lenit. drach. x.
spec. hier. simp. drach. ii.
M. & cum saccaro f. boli.

Preparatio sic fiet.

Recipe oxym. simp.
Syr. bizant. cum acet.
de cortic. cit. an. vnc. sem.
Decoct. sem. & cort. citr. menth.
Spic. meliss. beton. vnc. iii. M. pro syr.

Pro purgatione consulunt omnes Arabes confugiendum ad magnas Hieras vel Ruffi, vel Archigenis. Hieræ istæ sunt quidem aromaticis medicamentis refertæ ideo cordiales; recipiunt tamen validissima medicamenta colocynth. turbith. agaricum; idcirco si recens fuerit affectio, non imprubatur vsus magnæ hieræ. Sed si fuerit antiqua, opus est continuo medicamento succum pituitosum paulatim expurgante: aliàs mihi magnæ istæ hieræ non probantur. Itaque si detur locus hieris magnis, (erit autem locus, vbi vires sint validæ.) sic poterunt præscribi.

Hiera magnæ quando probentur.

A

Recipe Hier. magn. Diacolocynth; ex descriptione Ruffi drach. ii.
Spec. hier. simp. drach. i.
M. cum succ. f. boli, qui dentur quinque hor. ante cibum.

Si bolos auersentur, hæc Potio erit accõmodata,

Recipe sem. ocym. Caryoph. drach. i.
Meliss. Cort. cit. an. P. i.
sem. cit. drach. ii.

B

f. decoct. s. a. fact. express.

Recipe myrob. chebul. drach. i sem.

Infund. in præd. decoct. & f. expressione;

Recipe mel. rof. sol. vnc. iij.
Diaphœnic. drach. i. sem.
prædic. decoct. q. s.
M. & f. pot.

Quòd si propter virium imbecillitatem non liceat simul & multum purgare, consulo, vt in frequenti vsu habeatis aut pilulas, aut bolos, aut rotulas, quibus vtantur patientes bis in hebdomate; intermediis verò diebus accipiant medicamentum cordiale flatum discutiẽs, cuius descriptionem infra proponam. Pilulæ sint aut de hiera simplici, aut de hier. cum agar. aut alephang. Dosis erit drach. i. gor. 1. ante cœnam: Si quis voluerit Rotulas, sint tales.

C

Recipe Turbit. elect. drach. ij.
Agar. trochisc. drach. i.
Sipc. Zingib. an. scrup. i.
Cinam. Caryoph. an. drach. sem.
Ambr. Mosc. an. gran. iiij.
Saccar. dissolu. in aq. melissæ. q. s.

D

M. f. confect. pro rotulis, quarum dosis erunt drach. ii.

Medicamentum autem Cordiale, quod intermediis diebus est vsurpandum, est multiplex. Habetis apud seplasiarios Magnas Confectiones, quas dicebam Doronicum recipere mihi, & aliis suspectum; Electuarium lætificans, de gemmis, Diambram, Diamoscum.

Si quispiam Doronicum vereatur, sicut & ego, his omissis poterit sibi aut facilè, aut tempore dato magna confectiones parare. Ex tempore poterit.

E

Recipe Conseru. Buglos. Melis. an. vnc. i.
Cinam. Nuc. mosc. an. drach. sem.
Croci grab. iij.
Ambr. Mosc. an. gran. i.
M. Erit dosis pro 4. vicibus.

Si tempus præparandi medicamentum adsit, poteritis præpare vinum aliquod medicamentum quale est illud.

Recipe vini opt. lib. iii.

F

Sem. ocymi. Caryoph. vnc. sem.
Cortic. citri P. sem.
Spic. Meliss. an. M. sem.
Caryophyl. Nucis mosc.
Cardamom. Cubeb. an drach. i.

Infundantur hæc in prædicto vino, quod deinde poterit aut destillari, & post destillationem aromatizari gran. 1. mosch. & ambr vel sine destillatione vsurpari. poterit singulo mane quatuor

hor. ant. cibum vnc. i. vel alteram: si destillatum A fuerit ad vnc. sem.

Eodem modo parari poterit puluis Cordialis ex prædictis medicamentis, cuius vsus erit in ferculis, & sanè hic puluis egregiam fert opem.

Quòd si materia sit aquea, & ea quidem in thorace contenta, vt in hydrope pulmonis, casus est deploratus: poteritis tamē tentare ea omnia, quę aquam putantur educere in hydropicis, de quibus dicam suo loco: neque prætermittenda sunt expectorantia, & pulmones siccantia, de quibus dictum est in curatione affectuum pulmonis. B

Extrinsecùs adhibenda fomenta ex spongijs, decocto aliquo calorifico, & digerēte imbutis. Sit autem decoctum ex cymino, anisa, fœniculo, coriandro, seseli, ocymo, corticibus citri, melissa, pulegio, hyssopo, calamentho, & origano, regioni Cordis frequenter adhibendum.

Quòd si humor melancholicus sit Palpitationis caussa, sic leniatur aluus.

Recipe syr. de polypod. vnc. iij.
mel. rof. sol. vnc. ij.
Decoct. cord. q. s.
M. f. potus. C

Sic præparentur humores.

Recipit syrup. de pom. simp.
de fum. ter. simp.
de cortic. citr. an. vnc. sem.
De coct. samar. meliß.
borag. buglos.
cort. & sem. citr. vnc. iij.
M. pro syr.

Pro purgatione inuenerunt Arabes medicamentum, quod Cordialissimum existimant, & sanè illorum auctoritate & exemplo Recentiores illo etiam sæpe vtuntur, est autem Confectio Al Kermes vocata, quia sericum recipit succo illo purpureo tinctum, quod Kermes vulgò dicunt, hanc Confectionem Manardus duplicē ob caussam vituperauit in annotationibus, quas habet in Io. Mes. sed neutra militat: Prima est, hūc colorē spiritus potius dissoluere, quam roborare posse, eo quòd simile attrahat simile & propterea color ille purpureus ad se sanguinem & spiritum trahit. ridicula sane ratio, neque enim medicamentum commistum iam cęteris purpureum habet colorem; & dato quod habeat intrinsecus acceptum, neque videtur vt possit propter colorem mouere. Neque secunda militat, cùm inquit, Lapidem Lazuli, qui intrat hanc confectionem, esse in minima quantitate, vt nihil possit præstare. Putat ipse, deceptus quibusdam codicibus, recipere hoc medicamentum tantùm Lapidis Lazuli drach. ij. cùm tamen vera Ioan. Mesue descriptio, quam ego habeo in textu antiquo, & illam vidit quoque Castellanus, contineat drach. xij. & propterea habet vim deiectoriam insignem, si accipiatur, quod vult Mesues ad Aureum j. quod est pondus drach. i.

Confectio Al-Kermes à Manardo improbata.

Rationes eius soluuntur. E

F

Sed vt dicam, quod sentio de hoc medicamento, puto hoc, eo modo, quo nunc est in vsu, valde suspectum esse. Plurimos obseruaui, qui hanc Cōfectionē accipiunt quotidie ad scrup. j. vel drach. sem. Error est maximus, nam lapis Lazuli est medicamentum venenatum, calidum & siccum in 4. vt propterea, si non deiiciatur, manens in corpore, paulatim sanguinem ipsum desiccat, tandē comburit, atque vlcera inducit propterea scribit Dodonęus obs. 54. sequendam vidisse Palpitatione laborantem ex flatui, qui ex frequenti vsu huius Confectionis exstinctus est, cum exspuitione sanguinis retorridi. Itaque caueatis ab vsu frequenti huius medicamenti. Si quis tamen vti vo fuerit, accipiat singulis 15. vel 20. diebus ad drach. i. quòd si tutiùs agere volueritis, præcipuè viribus non exsistentibus validis, illud agite, quod ego consueui in his casibus. Purgo paulatim patientes, aut per ius galli antiqui aut per meum electuarium magistrale. Ius galli antiqui sic paratur.

Cautio circa eius vsum.

Historia.

Ius galli alterius.

Recipe Polypod. quercin. vnc. iij.
Fœnic. vnc. ij.
fol. sen. vnc. iiij.
Myrob. Ind. Chebul. an. vnc. sem.
Sem. cit. vnc. i.
Cort. citr.
Spic. Meliß. an. M. s.
Cinamomi
Lign. aloes Nuc. Mosc.
Caryoph. an. drach. j.

Imponantur in ventre galli antiqui flagell. bulliant in suffic. quant. aq. vsque ad perfect. carnis coctionem, facta expressione ius seruetur ad publicem vsum, nam vbi subsidat, pars superior clara administrabitur in pomo singulo die 4. horis ante cibum ad vnc. vi. vel vij ex subsidentia fiunt Clysteres, qui maximum sanè habent vsum tali modo. D

Clysteres

Recipe prædict. decoct. lib. i.
Hier. diacol. drach. ij.
Mell. rof. ol. chamom. an. vnc. iij.
M. f. clyster.

Electuarium erit tale.

Recipe flor Borrag. buglos. an P j.
Cor. citr.
Mel. ß. Otym an P. s.
Fol sen.
Epith. Polypod. an. vnc. iij.
Myrob. chebul. Ind. an. vnc. sem.
Cort. elleb. nigr. drach. vi.
Paßular. enucl. lib. i.
Anis. Fœnic. dnc. an. vnc. ij.
f. decoct. in s. q. aq. & f. express.
Recipe Prun. Damasc. lib. ii.

Bulliant in prædict. decoct. & extractis nucleis pulpa per setaceum transmissa iterum lento igne bulliat in prædict. decoct. vsque ad moderatam consistentiam, cui adde

Cinam. Caryoph.
Nuce. mosc. an. drach. ij.
Saccari fin q. s.

M. f. Electuarium, cuius dosis est vnc. i. vel drach. vj. paulò ante cibum.

Purgantibus medicamentis, quæ succum melancholicū educunt, Corroborātia succedēt, quæ & intrinsecùs & extrinsecùs administrabuntur.

Corroborantia.

Circa Interiora illud moneo, quod est magni momenti, scil. frequentem vsum Theriacæ & Mithri-

thridaticę confectionis suspectum esse, non tam ob nimiam suam siccitam, cuius vis in melancholico humore, qui siccus est, effugienda, quàm propter rationem, quam dat Galenus 5. simpliciũ 18. vbi ait, hæc medicamenta Alexiteria nuncupata mediam quandam naturam inter corpus & caussam deleteriam obtinere, vt propterea, si magna quantitate exhibeantur, possint facultatem corporis superare.

Addo ego hæc medicamenta, quæ propriè ad uersus venena diriguntur, vbi in corpore venenatam non inueniunt substantiam, agunt in ipsum corpus, innatum calorem digerunt, humidum substantiale colliquant, & consumunt.

Itaque fiat potius in vsu frequenti Trochisci de gallia moscata, atque alia medicamenta calida, & odorata de quibus dixi supra.

Extrinsecùs conueniunt in hoc casu epithemata in hunc modum præparata. *Epithemata.*

Recipe Aq. Meliss. flor. citr.
Buglos. an. vnc. iij.
Vini aromati. vnc. vj.
Croc. gran. vi.
Sem. ocym. drach. i.
Caryoph. Nuc. mosc.
Cinam. an. drach. sem.
Pro diuitibus addantur Ambra.
Mosci an. gran. ij.
M. pro Epithem.

Adhibeatur per panum tinctum colore coccineo, & post fomentum illinendus est locus aut Theriaca aut Mithridatio, cui admisceantur vinum aromaticum cinamomum, caryophylli, styrax, cum aliqua croci portiuncula.

Victus ratio sit proportionata, tam in pituitoso, quàm in melancholico succo optimi alimenti calefacientis. Aeris quoque magna est habenda ratio, vt propterea alteretur aer ipse suffumigationibus factis per trochiscos de gallia moscata, aut ex decocto cinamomi, caryoph. cort. citri in vino aromatico, & aqua melissæ.

Superest Palpitatio ex Vermibus, quos dixi ex Mesue, Holletio, & aliorum sententia quandoque in Pericardio reperiri, horum Vermium curationem, quod ego sciam, nullus proponit, excepto Alexio Pedemontano, qui hoc proponit medicamentum.

Recipe Ramul. Matricariæ (Trancetum appellant) in vmbra siccat. vnc. ij.
Gentian æ, Pæoniæ aun drach. ij.
Myrrhę drach i.
M. & f. omnium puluis subtilis.

Vbi vsus postulauerit, si fuerint Infantuli lactentes, puluis modico succo citri excipiatur, & labia pueri illinantur. Si maior natu fuerit patiẽs huius puluis accipiat aut scrup. i. aut drach. sem. aut drach. i. vel in succo limonum, vel in aq. graminis. Alii nonnulli probant in hoc casu allium, & dicunt experientia comprobatum esse, vermẽ inuentum in Pericardio cuiusdam defuncti, non alia ratione esse exstinctum, quam vsu succi allij.

Nostrates mulieres familiariter in vermibus vtuntur cæpa ascalonia, quòd prædita sit eadem ferè facultate. Non itaque improbatur hoc medicamentum siue intrinsecùs accipiatur, dum febris non adest, siue succus cum succo limon. Cordi adhibeatur, modico croci addito.

DE SYNCOPE Cap. II.

POst deprauatos Cordis motus, diminuti, & ablati succedunt, quos Græci varijs complexi sunt nominibus, aliquando ἔκλυσιν, quando λειποθυμίαν seu λειποψυχίαν, nonnunquam ἀψυχίαν, & συγκοπὴν vocantes. Latini vertunt hæc nomina Defectum animositatis, Cõcisionem, Cõsternationẽ, Animi Reliquum, Defectum Pulsus, Casum Virtutis. Comprehendi possunt hæc omnia sub definitione à Gal. 12. meth. ca. 5. in principio tradita, dum inquit: *Syncopen esse virium lapsum præcipitem*. Dixi hæc omnia comprehendi Syncope, si intellexeritis, quid nomine *Virium*, quive nomine *Lapsus* intelligendum. Per *Vires* intelligimus potissimum Vitale, subinde & Animales & Naturales. Rursum per Vitales intelligimus Animosam, seu Irascibilem, generatricem Vitalis Spiritus, Respiratoriam, Pulsificam, atque illam, quæ calorem totius corporis tuetur, & ex Spiritu Vitali animalem gignit: denique per Vires intelligimus non virium substantiam, aut facultatem quæ in temperamento partis solidæ est posita; hac enim labente, deficit vita, sed intelligimus operationes harum facultatem seu virium. Per *Lapsum* intelligimus imminutionem & ablationem harum operationum. Imminutionem quidẽ vel quarundam, vel omnium, si quarundam, vt animositatis vel irascibilis facultatis, tũ dicitur Eclysis plurium, aut omnium, dicitur Lipothymia, aut Lipopsichia, & propterea hic affectus est via ad Syncopen, auctore Gal. 1. ad Glauc. cap. 14. Quòd si aboleantur omnes, saltem ad sensum, vera dicitur Syncope. Diximus, defectum animositatis Eclysin dici, secuti hac in parte Galen. 12. meth. c. 5. vbi Defectum Animositatis, siue ingentem aliquem timorem ait esse viam & caussam ad Syncopen, & hunc affectum in comm. 147. partic. aphor. ita nominauit etiam Eclysin ex quo loco colligitur, hanc Eclysin esse affectum & primariò Cordis, & secundariò ipsius Cerebri. Cordis, quando spiritus Cordis primò, & per se refrigeratur. Cerebri, quando imaginatio mouet spiritum & calorem ad interna, hinc iure dictum à philosophis: Timorem esse motum in sanguine & spiritibus, vt instrumentis; in facultate appetente, vt in materia; in imaginatione, vt in caussa efficiente: Diximus, *Laspum esse præcipitem*: nam si sensim deficiant vires, possunt patientes Febre seu Marcore perire, non necessario Syncope interire.

Caussa immediata.

CAussa præcipitis lapsus virium immediata est vnica: Refrigeratio scil. Caloris Innati in Spiritu Vitali, per Refrigerationem intelligo aut imminutionem caliditatis, aut omnimodam exstinctionem; diminutionem caloris in Eclysi, & Lipothymia; exstinctionem in Asphyxia & Syncope, Di-

pe. Dixi esse Refrigerationem, & Extinctionem in spiritu, non in parte solida: nam ubi calor partis solidæ prorsus extinguatur, nunquam reuocari potest, mors statim succedit. Hic enim Calor vera facultatis est essentia: Calor spiritus Cordi præbet usum: Calor solidæ substantiæ est ipsa essentia, Gal. 1. de præsag. ex pulf. c. 4. atq; ideo etiamsi calor spiritus deficiat, remanente aliqua solidę partis caliditate, iterum potest calor spiritus redire; deficiente calore in parte solida, actum est; per Spiritum intelligimus Vitalem, subinde Animalem, qui ex Vitali gignitur. Naturalem prçter mitto, etiamsi Gal. 12. meth c. 5. sub dubio reliquerit, vtrum hic Spiritus detur, nec ne. Ego tamen aperte sentio hunc minimè dari, qui video Spiritum omnem ideo esse cõstitutum, vt sit caussa efficiens opifex operationum: at caussa efficiens opifex operationum naturalium partim est spiritus insitus, partim influens à Corde. Hæc est doctrina Gal. 1. de loc. aff. 6. 5. simpl. 9. 2. de nat. fac 8. 3. in 6. epid. 18. & alibi. Itaq; Hepat naturalibus partibus nõ Spiritum operationum effectorem, sed materiam tantùm suppeditat;

Natural Spirit. nõ dari.

Quæret quispiam. Si Spiritus non est præcipuũ aut caloris, aut vitæ subiectum, cur deficiente hoc spiritu deficit vita; quando quidem Syncope, vt dici solet, de medio tollit statim plurimos, & ita Syncope est mortis species, vt definitur à quibusdam mors momentanea.

Hæc dubitatio fuit caussa exortæ disputationis, inter Philosophos & Medicos; vtrum Spiritus sint animati: Pro dissolutione lege Valles. lib. 2. contr. c. 8. Conciliator, diff. 48. Illud satis fuerit dixisse, Calorem spiritus, & si non sit anima, neque spiritus propriè sit animatus, sed tantùm per participationem, nihilominus, vt docuit Gal. 2. ad Glauc. 1. esse adeo præcipuum instrumentum animæ, vt eo deficiente insigniter patientes animo linquant. Moriuntur autem non ex vnico defectu caloris spiritus, sed simul deficiente caliditate innata solidarum partium.

Vtrumus Spiritus sint animati.

Caussa mediata.

Hic calor spiritus propter quatuor caussas, vel refrigescit vel extinguitur. 1. est Alteratio contrariæ qualitatis 2. Suffocatio. 3. Marcor seu defectus alimenti. 4. Dissolutio, seu Digestio caloris.

Quod ad primum, quicquid senserit Fernel. & alij recentiores cum eo, qui lib. 5. c. 12. scribit Syncopen nunquam fieri ex intemperie, hoc vobis statuendũ, nihil faciliùs innatam caliditatẽ posse refrigerare quàm contrariam qualitatẽ frigidã. s. siue extrinsecùs, siue intrinsecùs occurrat: extrinsecùs quidem, vt fit aere valde frigido & gelido, qua ratione in montibus niuosis reperiuntur homines huic maximè obnoxii, aut propter potum frigidum, pręcipuè in illis, qui nimio itinere, aut alia caussa sunt calefacti: sic scribit Ant. Beniuen. lib. de admir. caq. 37. quendam post exercitationem vehementem epoto vitro gelidissimæ aquæ in Syncopen incidisse, quam statim mors excepit. Internæ caussæ sunt vsus oppii, mandra-

Intemperies.

A gorę aut alterius succi valde frigidi, dummodo confertim in Cor agat.

Suffocatio auté fit vel à caussa interna, vel externa; interna vel per essentiam, vel per consensum; per essentiam, vt in Corde retinente vapores & sanguinem, vel propter impedimentum in magna arteria obortum, vel in arteria venali, aut in vena arteriali, siue impedimentum fit obstructio, siue tumor, aut ex calculo, aut ex carnea substantia, aut ex callo: per consensum fit Suffocatio, aut transmisso humore ex toto corpore, vel iecore per venas & arterias in idsum Cor, siue fuerit

Suffocatio.

B sanguis multus, siue crassus, viscidus, pituitosus, vel melancholicus, qui deinde vel propter copiã, vel propter crassitiem in venis illis stabiliatur, & immobilis reddatur, & quasi gelu contrahat. Huius meminit Petr. Salius 4. lib. de interno, vbi scribit, in duabus puellis hac Syncope defunctis se sanguinem inuenisse in vasis illis amplis vsq; adeo crassum & tenacem, vt prima parte manu arrepta totum sanguinem, quasi gladium ex vagina extraxerit, huius Syncopes etiam Hip. 4. a-

C cut. 20. & seq. tex. meminit, vbi loquitur de venarum interceptionibus.

Fit quoq; Suffocatio propter Pulmones, siue tuberculum, aut abscessus in illis disrumpatur, ex quo sanies ad Cor effluat, vel influat, quemadmodum etiam aliquando fit propter Anginam suppuratam, aut in Empyemate, vel Peripneumonia; propterea dicebat Hipp. 7. aph. 8. A tuberculi introrsum ruptione, &c. Fit quoq; ex Pulmonibus Suffocatio, cùm pleni crassis & viscidis sunt humoribus: aliquando autem hoc fit vitio muscu-

D lorum Thoracis, aut neruorum thoracem mouentium, aut denique vitio cerebri siue Apoplexia laboret, siue alio consimili affectu. Fit quoq; consensus ab Ore Ventriculi in Bulimo, in febre illa Syncopali humorosa vocata, in qua Os Ventriculi, & arterię consequenter à multa, & frigida materia obsidentur, vt calor suffocetur innatus. Denique fit consensus, ab Vtero humorem, siue vaporem transmittente, siue hic vapor & humor sit ex sanguine, siue ex semine, aut alio putri humore, cum, vel sine occulta qualitate.

E Caussa autem extrinseca est aut aer inspiratus aut animi affectus. Aer inspiratus est calidus humidus vt in balneo, aut calidus siccus ac fumosus vt in laconico, & vbi fumus carbonum, aut venenatus, siue arte fiat, vt in suffumigio ex cinnabri, siue sit naturalis lacus, vt est Antrum quoddam Neapoli, vel alia quædam venefica cauerna. Animi affectus Suffocationem inducunt, cùm calor ipse sanguinis confertim ad Cor venit, id quod fit in subito & vehementi timore, aut mœrore, quãdoque etiam ex ira: quamquam enim ira motus

Antrum Neapolit.

F fiat & ad interiora, & ad exteriora, aliquando tamen plus potest tristitia concepta ex damno, in qua spiritus contrahuntur, quàm possit desiderium vindictæ, in quo expanduntur.

Defectus pabuli nil aliud est, quàm defectus Spirituum, Deficiunt autem Spiritus aut vitio facultatis, aut vitio materiæ, aut quia ipsi digeruntur, & euacuantur, vel propter caussam internam, vel externam. Vitium facultatis est insignis ali-

Marcor, seu defectus pabuli.

qua intemperies ipsius substantiæ solidæ Cordis, aut inflammatio, velut erypelas, abscessus & vlcus, vel alius tumor frigidus: hęc omnia exsoluunt robor facultatis generatricis spirituũ quãquam enim isti morbi non sint propria & immediata Syncopes causa, quatenus tamẽ spiritus deficiunt, sunt Syncopes caussæ, h.e. sunt caussæ mediatæ, interueniente scil. facultatis defectu, huius rei meminit Gal. 5. de loc. aff. c. 2; 2. aph. 41. 1. ad Glauc. 14. & lib. de puls. ad Tyr. c. 11. Nomine defectus facultatis non intelligo omnimodum defectum, sed tantùm diminutionem, nam B propria facultatis diminutio siue etiam defectus omnes magnos Cordis morbos, siue intemperie siue in mala conformatione, seu compositione, siue in soluta vnitate inferre potest, at verò vbi facultas ista spirituum generatrix prorsùs abolетur non Syncope, sed mors succedit. Syncope itaque ex defectus spiritus propter læsam & diminutã facultatem spirituum genitricem gignitur, Deficit etiã spiritus ex defectu materiæ: Mã est sanguis, & aer Sanguis dupliciter dicitur deficere, aut quia corruptus & improbus generatur, aut C quia euacuatur: gignitur corruptus propter causas venenas gignitur improbus propter vitium sanguificationis Iecoris, vt in Cachexia & Hydrope. Euacuetur in superpurgationib. omnibus, in hæmorrhagia narium, vulnerum, & si aliæ simi les sunt. Deficit aer; vbi prohibetur inspiratio: prohibetur autem, vt dixi in c. de Palp. vel ob pul monũ vitia, vel propter musculos & neruos Thoracem mouentes, vel propter Cerebrum affectũ, vt In Apoplexia, Caro, &c. Deficit spiritus ex causa externa, vt in profuso gaudio, motu vehemẽ- D te, Venere, inedia, & vigiliis: ex causa interna quoque, doloribus scilicet ingentibus Oris Ventriculi, & Coli intestini, neruosarum partium. Dissoluitur quoque ex omni euacuatione aut ventris aut vrinæ, aut sudoris aut aquæ, aut puris, propterea vbi secantur Hydropici, aut Empyici, si tota aqua, vel pus simul excernatur, vel mors, vel Syncope succedit 7. aph. 44. 45.

Dissolutio. Quarta & vltima caussa est Dissolutio, quæ pariter fit aut à vehementiori caliditate, sicut maior flamma minorem surripit, vt contingit in fe- E bribus ardentissimis, siue ex communi venarum putredine, siue ex partium principalium inflammatione. Huc quoque spectat Syncope ex humoribus tenuibus oborta, quam Arabes vocant Syncopen Minutam, de qua Gal. 12. meth. 4. & 6. oritur enim ex biliosis humoribus Os Ventriculi vellicantibus, propter quos spritus digeruntur, & toto corpore tarefacto, vt docet Gal. 12 meth. 5. & 6. spiritus & humores per vniuersum corporis habitum difflantur, & digeruntur.

Spirit. Aggregatio. Hæ sunt veræ Syncopes caussæ, tam mediatæ, F quam immediatæ, quibus nullo modo addenda est Spirituum Aggregatio in Corde: etenim spirituum aggregatio, quæ Syncopen facit, suffocationem sequitur, alias caussas non item. Sunt quidẽ inter recentiores, qui non rectè assecuti sunt mẽtem Auic. & Auenzoar. tract. 12. c. 3. qui scribit in Syncope fieri Spirituum Aggregationem in Corde, hinc multi inquiunt fieri non posse, vt quando A fit aggregatio, quæ sit Syncopes causa, corporis partes extremæ destitutæ maneant calore. Ego dissentio & dico, aggregationem spirituum nõ esse caussam Syncopes; imò tantum abest, vt spirituum aggregatio sit causa Syncopes, vt potius ab illa liberet. Vbi aggregantur spiritus absque causa suffocante, neq; ratione causæ aggregantis, neque spiritus aggregari videre potestis Syncopen adesse.

Sed iterum dicent id fortasse fieri ob dilatationem Cordis.

Ego contra: vbi dilatatur Cor, ibi permanet calor, neq; potest adesse Syncope.

Defectus caloris in toto non est Syncope; necesse est vt calor in Corde exstinguatur, à quatuor scilicet dictis caussis.

In Syncope ex lætitia, ex humoribus tenuibus humores diffundi, non aggregari constat. Quomodo ergo semper Aggregabuntur Spiritus in Corde ad Syncopen faciendam.

De signi Distinctiuis.

Signa Syncopes alia sunt Distinctiua, alia Prognostica. Diagnostica enim non sunt proponenda, quia ex distinctiuis colliguntur, hæc verò aut sunt distinctiua affectionum similium, aut caussarum, aut locorum affectorum. Affectiones similes sunt Caros, Apoplexia, Præfocatio Vteri. Distinguitur Syncope à Caro, quia in Syncope vel tollitur, vel valde minuitur spiratio; in Caro seruatur.

Distinguitur ab Apoplexia respiratione, qua in Apoplexia respiratio deprauatur, in Syncope tollitur, & si quæ est Apoplexia sine respiratione, tunc est connexa cum Syncope.

Distinguitur à Præfocatione Vteri, quia hęc absq; Syncope non tollit sensus internos, nõ functiones principes, non mutatur color faciei.

Distinguitur denique ab his omnibus sudore nam in Syncope, vt docuit Gal. 3 de symp. caus. 2. sudor frigidus erumpit, in his tribus affectibus minime.

Distinguitur Syncope secundùm suas quatuor causas, hoc modo: si fiat ex Refrigeratione, pulsus aut sunt aboliti, aut omnium paruissimi rarissimi & tardissimi; totum corpus refrigeratur, vix sudor apparet; causa refrigerans precessit.

Si adsit Suffocatio, pulsus semper sunt inæquales, inordinati, intercepti, & si Suffocatio sit ex sanguine, venę sunt turgidę, facies rubicunda, præcessit retentio excretionis sanguineæ consuetæ. Si fiat Suffocatio ex Pulmonibus, pręcessit pulsus inæqualis sicuti Antipatro Medico 4. de loc aff. c. vlt. aut pręcessit Orthopnœa, vel peripneumonia, vel Angina, vel Pleuritis suppurata, vel Hydrops Pulmonum. Quod si Suffocatio sit ex Ore Ventriculi, præcessit Nausea, Vomitus, Singultus, Bulimos, color faciei est plumbeus, vel liuidus, subtumidus, imò, vt dicebat Galen. 12. met. ca. 3. & venter ipse subtumidus est. Si vterus suffocationis sit causa, aut præcessit mẽsium retentio, aut secundina, vel adest fœtus mortuus in vtero, vel mola, atque ideo regio vteri aut tumida, aut indurata apparet.

Quod

Quòd si fiat Syncope ex defectu facultatis spiritum generantis, aut ex defectu pabuli, pulsus semper sunt omnium paruissimi, sed frequentissimi: ideo aut formiculosi sunt, aut vermiculosi, ita Gal. lib. de pulsibus ad Tyron. c. 11. scribit. & si vitium facultatis sit, etiam extra accessionem pulsus sunt paruissimi & frequentissimi, & propterea sæpius in Syncopen incidit Palpitatione laborans.

Distinctio autem intemperaturarum, & aliorum morborum corporis petéda est ex superioribus in Palpitatione. Si deficiat sanguis propter iecoris vitium, cognoscetis ex Cachexia & Hydrope. Si verò deficiat propter euacuationes, id habebitis ex relatione.

Si propter venenum, aut adest febris pestilens aut inspiratione aerem attraxerunt venenatum, vel biberunt deleterium pharmacum, vel præcessit morsus venenatus.

Si deficiat aer, facilè cognoscetis ex morbis ia dictis, impedientibus motum Pulmonis, & Thoracis, Orthopnœa scil. & aliis. Pariter, si deficiat spiritus ex aliqua caussa externa, aut ex dolore vehementi, aut nimio sudore, vel alia euacuatione simili, omnia hęc habentur ex relatione adstantium.

Denique cognoscetis caussam spiritus dissoluentem, quando adsit febris aliqua ardentissima, siue ex inflammatione, siue ex maligna humorũ in venis omnibus, vel saltem Cordi proximis putredine.

De venenis dixi quomodo cognoscantur, quòd præter hanc Syncopen à venenis, alia quoque inferuntur symptomata ante ipsam Syncopen, vt liuorem, nigredinem, refrigerationem, vomitiones, & alia id genus similia.

Prognostica.

Est omnis Syncope affectus lethalissimus, præcipuè illa, quę connexam habeat aliquam visceris inflammationem; Dicebat Gal. 12. met. ca. 6. eos nunquam euadere posse, qui ex tali causa Syncopem incurrant: neque minus lethalis est Syncope ex vitio Cordis essentiali facta, de quo scribit Hipp. 2. aph. 41. eos, qui frequenter, & sine manifesta caussa animo deficiunt, repente intereunt.

Curatio.

IN curanda Syncope quædam sunt agenda tẽpore accessionis, quædam extra accessionem. In accessione semper, vnico casu excepto, primò symptomati incumbendum, i.e. viribus recuperandis, deinde verò ipsi caussę, propter quam vires vel nimia refrigeratione labuntur.

Casus verò, in quo primùm & per se causæ incumbendum, est, quando Syncope fit à sanguine suffocante propter arteriarum, & venarum plenitudinem, in quo casu statim secanda est vena, ipsomet accessionis tempore, vt docuit nos Gal. & Hipp. 4. acut. 23. 24.

Et quanquam Trincauellius oppositam tueatur sententiam qui etiam in suffocatis viribus sanguinis missionem timet, nihilominus Gal. noster & loc. cit. & lib. de morb. caus. c. 3. apertè docet, Calorem Suffocatum nõ alia ratione melius transpirare, & propriam vim recuperare, quàm sublato onere, itaque statim mittendus sanguis, parcè autem mittatur, nam sublata Syncope, & paululum refectis viribus, præseruationis tempore re-

Excepto hoc casu symptomati primùm incumbendum, vt scilic. calor & spiritus reficiatur, & caussa noxia adimatur.

Reficiuntur spiritus aut alimentis, aut odoramentis.

Sint Alimenta tenuis, & spirituosæ substantiæ. Vinum in omnib. conuenit; & quod scribit Gal. 1. ad Glauc. 14. in Syncope vinum esse dandum quatuor casibus exceptis, Inflammatione febre ardente, dolor capitis, & delirio, de præseruatione intelligendum: nam in ipsa Syncope, præterquam, quod indicatio, quæ à viribus sumitur, reliquas omnes superat, accedit etiam, quòd tunc calore exstincto, neque febris, neque inflammatio augetur, neque vapore caput petunt. Sit autem vinum in caussa frigida cum humoribus crassis generósum, subdulce, antiquum, fuluum, æstate frigidum, hyeme calidum: in intemperie calida ex humoribus biliosis sit subausterum, vt aliquã habeat vim propellendi humores biliosos ab Ore Ventriculi: conueniunt quoque destillata, oua sorbilia.

In Syncope vinũ esdã dam quatuor exceptis casibus.

Ex odoramentis præcipuè, quæ recipiunt moscum, & ambram, quæ in omni Syncope conueniunt, vterina excepta, in qua graues, ac praui naribus odores sunt apponendi, conuenit odor panis recentis, maluatici, carnis assæ, caryophyllis accinnamomo perpunctæ.

Vt verò occurratis causæ in ipsa accessione singulæ sunt distinguendæ: nam si Syncope fiat ex refrigeratione, os aperiendum, & aqua ardens, aut vinum Hippocraticum in os infundẽdum, lingua & palatum diasinapi, theriaca, mithridato, castoreo illinenda. Cordi pannus sericius tinctus grano coccineo, maluatico madefactus, & caryophyllis, cinnamomo, atque nuce moscata inspersus apponi debet: ipsum in initio ex theriaca, aut mithridato, maluatico dissolutis, facere licet.

Quòd si spiritu sint suffocati, agendum reuellentibus frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, sinapismis, suppositoriis, quandoque etiam clysteribus & fluente materia ab infernis in Cor, reuulsiones fiant ad inferna: si fluxio fiat à capite aut thorace, brachis reuulsiones adhibeantur in quo casu conueniunt etiam clamores, vellicationes, euulsiones pilorum, barbæ; apprehensio narium, cuius meminit Gal. 1. ad Glauc. 14 Iuuat apprehensio narium, si fit Syncope ex suffocatione, vt meliùs spirent patientes, & calor meliùs euentetur, & in eundem finem naribus adhibeantur, quæ crassos humores attenuant, acetum acerrimum, pulegio, origano castoreo incoctum; præcipuè verò iuuat hoc, si super lamina ignita inspergatur & fumus recipiatur.

Quòd si fiat ex Dissolutione Syncope, occurrendum

dum caussæ spiritus dissoluentis non vnico modo, sed multiplici nam si fiat ex nimia lætitia, aut nimio sudore, cuius refrigeranda & adstringẽda ventilationibus & flabellationibus, frequentibus inspersionibus aquæ frigidę, alteratione aeris per refrigerantia, folia salicis, rosarum, nymphæ, myrthi.

His non conferentibus, vniuersæ cuti adstrictoria adhibeantur, oleum rosaceum, omphacinum myrtino commixtũ, cui addantur terra Cimolia, aut Lemnia, aut in ijs sudoribus & Gypsum.

Quòd si digerantur spiritus, vel propter alui fluxum, aut sanguinis per hæmorrhoides, vel mẽses, aut per vomitum, aut per nares, hæc omnia prædicta sunt lethalia, nã fluxiones augẽt. Itaq; siue fluat aluus, siue menses aut hęmorrhoides, superiores partes vinciantur, fricentur, cucurbitulæ illis admoueantur si fluant menses, mammis, si allus, ventriculo, aut vmbilico, aut brachiis affigantur, sicuti facta fluxione per nares cucurbitulæ sunt affigendæ aut lieni, aut iecori, prout ex dextra, vel sinistrã fluxerit sanguinis copia, omnesque reuulsiones ad inferiora faciendæ, Gal 11 adGlauc. 14. Sed præter reuulsiones occurẽdũ etiam accommodatis remediis ipsam fluxionem adstringentibus, de quibus non est præsenti loci disputare.

Quòd si spiritus diregerantur propter vitium iecoris non probè sanguificantis, in hoc casu cu ratio in corroborantibus facultatem sanguificatricem.

Si fiat ex veneno, huic occurendum. Omnia venena rediguntur ad quatuor capita. 1. aut ex aere inspiratio, vt in aere pestilenti. 2. aut morsu infliguntur. 3. aut intrinsecus accipiuntur, vt Arsenicum. 4. aut ipso in corpore generantur ex prauis succis, ex improbo victu. Singulis propria conueniunt alexipharmaca, vt Theriaca, Mithridat. atq; alia.

Si dissoluantur spiritus ex Facultate Cordis vitiata, propter intemperies, audistis in tract. de Palpitatione, qua ratione vnicuique intemperiei sit occurrendum. Atque ideo cùm hęc de curatione sufficiant tempore accessionis, iam transeundum ad præseruationem.

Præseruatio à Syncope.

EXtra Syncopes accessionem, vt pręseruentur patientes, duo præcipuè sunt agenda: I. vt caussa adimatur. II. vt vires ita confirmentur, vt nob facilè ipsius noxiæ caussæ iniuriam sentiant.

Quod spectat ad caussarum ablationem, moneo hac in parte multa nobis esse prætermittenda. Itaq; si Syncope fiat ex plenitudine sanguinis, obstruente ipsas arterias, duo sunt notanda: Primum, vt extra accessione sanguis largiùs mittatur, quàm in accessione ipsa, in qua moderatè euacuandus est. Alterum est, vt sanguis ipse crassus, & viscidus attenuetur, sed aliquando quidem attenuantibus medicamentis, & incidentibus, nonnunquam verò, imò pluries serosam humiditatem augentibus: itaque in hoc casu ad sangui-
A nem attenuandum cõuenit aut aqua hordeacea, aut potus seri caprini: aut si vires non sint validæ, præbeatur ius pulli alteratum incidentibus, aut refrigerantibus, aut temperatis. Sunt autem refrigerantia, acidum citri, limonum, syrupus de acido citri syrupus acetosus simplex, radix graminis, pentaphyllum, cuscuta, capillus veneris, atque id genus.

Si fiat Syncope ex inflammatione viscerum, vnũ habeo quod moneam propter Gal. qui in lib. 1. ad Glauc. c. 14 sicut & 12. meth. c. 6. prohibet
B in his casib. vinum. Auditores, apertè profitetur Gal. eos, qui laborant Syncope cum interna inflãmatione viscerum, deploratos esse: quid igitur vinum prohibet? Inflammatio, dicet quispiam, augebitur. Fateor, si vinum sit generosum, concedi potest vinum oligophorum. Gal. vina illa, de quibus antea mentionem fecerat, prohibuit fulua, scilicet & generosa, hæc non conueniunt; tenuiora, in casu potissimùm deplorato, sunt concedenda.

Circa Syncopen, quæ fit ex humoribus crassis, quam Gal. 12. meth. c. 3. curat frequentibus, frictio-
C nibus, inunctionib⁹ mulsa, oxymelite, hyssopo alteratis, vel perfusione ex oleo de absinthio, vsu ipsius absinthii; diatriumpipereon, & id genus

Moneo quantum ad hæc auxilia pertinet, non semper frictiones illas asperas esse administrandas, sed tunc tantùm, quando humor crudus quidem fuerit, non tamen prorsus curruptus: nam fatetur idem Gal. 1. ad Glauc ù4. & 12. meth. ca. 13. in hac humorum corruptione nullam, aut exiguam esse salutiş spem, eo quòd humores corrupti ad benignum amplius reduci non possint. Da-
D tur aliquando humor adeo corruptuş, cuius coctio exspectanda non est: in hoc igitur casu tantum abeş, vt frictiones iuuent, vt prorsus obsint: nam corruptus humor non est ducendus in venas, sed potiùs pauiatim per suppositoria, per clysteres, per benigniora medicamenta purgandus.

Circa localia medicamẽta vnum moneo: Prohibet Gal. 1. ad Glauc. 4. Localia medicamenta ante humorum euacuationem, & tamen idem Gal. 1. ad Glauc. 14. concedit in multa pituitæ copia, circa os ventriculi collecta, oleum de ab-
E sinthio.

Hac in parte vobis illud notandum, Localia medicamenta ante humoris excretionem aut esse digerentia, aut calefacientia, & simul adstrictoria. Dirigentia omnia ante humorum excretionem sunt suspecta. de his dicebat Gal. 12. meth. 3. ex percussionibus importunis viscerum inflammationes excitari. at verò calidum medicamentum, moderatè adstringens, fouet calorem natiuum, & noua prohibet humorum fluxionem.

Tertio notandum circa hanc Syncopes diffe-
F rentiam spectare viuendi rationem: nam Gal. in Syncope humorosa precipit victum tenuissimũ, vsque ad septimum Concedit solam mulsam, aut oxymel cum infusione aquæ, ptisanam vel alycam. Hęc regula non est perpetuò obseruanda. nam si loquitur in præsentia de humoribus crassis, qui sæpe sæpius inferunt Syncopen, qui fieri potest, vt sisque adeo tenui victus vsque ad septimam absque Syncope ab ęgris sustineri possit?

Obser-

Obseruandi igitur sunt patientis pulsus, qui si inæqualiores & minores fiant, Medicum monent, vt cibum præbeat, & vinum exhibeat.

Quòd si Syncope fiat ex humoribus biliosis & acribus, circa hanc partem, moneo, Gal. voluisse hos vomitu esse eliciendos, propterea præbet hydræleum. Hæc regula tunc tantùm locum habet, cùm ipsi humores acres ori ventriculi sunt impacti; si in fundo contineantur, non sunt ducendi ad os ventriculi, cum tantum sensibile sit caussa Syncopes, sed per inferiora educendi. Ad eductionem verò probatur ipsum oleum amygd. ad vnc. vi. vel cassia, vel clysteres molles. In hoc etiam casu maximè soliciti esse debetis de corroborádo ore ventriculi per adstrictoria & frigida, vt est vinum granatorum, coroneorum, agrella, succus ribes, quæ omnia administrari possunt aut per offam panis in his succis tinctam, aut per Cannam. Nutriendi quoque sunt isti patientes, si circuitus febrium habuerint, paulò ante accessionem, quanquam id in aliis casibus sit prohibitum: Nutriantur autem cibo aliquo crassi succi, non facile alterabili, vt est alica, vel oryza, ac præbeatur vel vinú, vel fructus adstringens cydonium, vel quid tale.

In Syncope ex fluxionibus variis, in qua ligaturæ conueniunt ad reuulsionem, moneo ligaturas istas minimè vehementes esse debere, dicebat Gal. 1 ad Glauc. c. 14. huiuscemodi ligaturas perinde humorem ad se attrahere, sicut hæc affectio ex qua fit Syncope q.d. Galen.

Denique si Syncope fiat ex dolore; varii verò cum sint loci dolentes, varia erit curandi ratio: de his, qui pertinent ad Ventriculum, Ileon, Colon, Intestina, partesque naturales, hoc anno verba faciemus, quod ad alios pertinet, potestis legere rationem curandi 12. meth. 18. 1. ad Glauc. 15. etiam si ibi verba fiant de dolore capitis. Hæc de caussis expugnandis.

Notate: In tempore præseruationis non tantú esse custodiam habendam virium, quæ in spiritu sunt repositæ, sed etiam illarum, quæ resident in humoribus, & partibus solidis, & propterea non tantum cibus quidam solidus est præbendus, verùm etiam omnes partes principes, cor, cerebrum, iecur, propriis remediis internis & externis muniendæ sunt, de iis, quæ ad cor attinent, tam calidis, quàm frigidis, tam internis, quàm externis, in Palpitatione supra diximus, satis etiam dicemus in sequenti de aliis.

DE AFFECTIBVS PARTIVM NATVRALIVM. Cap. III.

NAturalium partium, quarum vitia aggredimur, aliæ generationi, aliæ nutritioni inseruiunt. De famulantibus generationi in mulieribus saltem priuatim hoc anno verba facimus. De ceteris nunc sermonem aggredior, & à nutritioni seruientibus exordior.

De partibus nutritionis famulantibus.

EX his partibus quædam alimentum recipiút: nonnullæ præparant, aliæ conficiunt, nonnullæ excrementa recipiunt & expurgant, vel, quæ verò prædictis inseruiunt. Recipit alimentum Gula, Præparat Ventriculus, conficit Iecur. Expurgant crassum primæ concoctionis excrementum Intestina; crassum verò secundæ concoctionis Lienbiliosum Vesica Fellea. Serosum Renes & Vesica. Cęteræ, quæ inseruiunt, sunt hæ: Mesenteriú, quod omnia viscera dorso alligat, & mesaraicas munit. Omentum, quod Ventriculum calefacit. Peritonæum, quod omnia viscera continet, vt musculos prætermittam, qui ad excrementorum expulsioné faciunt.

Incipiemus à vitiis Gulæ, quam Græci oesophagon, alii aliquando Stomachum vocant, teste Gal. 5. de loc. aff.

DE VITIIS GVLAE. Cap. IV.

HÆc pars quanquam sit via quædam & ingressus & egressus, nunc tamen à nobis cósiderabitur tanquam via ingressus, ad quam spectat Deglutitio, quæ tribus modis vitiatur: Deprauatè, Diminutè, Ablatè.

Deprauata Deglutitio duobus considerari potest modis: primo ratione obiecti improportionati, quod Deglutitur: altero ratione modi Deglutiendi. Primum modum prætermittam, cùm de illo inter morbos Ventriculi abunde sim verba facturus.

Deprauata Deglutitio ratione modi est, cùm quæ in os recipiuntur, per nares reiiciuntur. Caussa huius deprauatæ Deglutitionis est triplex.

Caussa Deprauatæ Deglutitionis.

TRiplex, inquam, est: aut magnum vlcus palati, in quo casu cibus ingreditur in foramen vlceris, & facta inspiratione alimentum in nares deducitur, altera caussa. Aliquando est vlcus, vel erosio in operculo: nam vbi erosa est hæc particula, cibaria potissimùm liquidiora ingrediuntur asperam arteriam pro aliqua saltem parte, & sic tussi superueniente cibus & potus per nares reiiciuntur, tertia caussa est, de qua loquitur Gal. 5. de loc. aff. 5. angustia circa principium Oesophagi. Est autem hæc angustia non tantùm caussa deprauatæ deglutitionis, sed etiam ablatæ & diminutæ: neq; enim cibaria, aut potulenta Oesophagum ingrediuntur: itaq; ablatæ & diminutæ Deglutitionis caussas percurramus.

Caussæ Diminutæ & Ablatæ Deglutitionis.

TOllitur aut diminuitur Deglutitio, aut propter vitia Gulæ, considerata vt est via, aut propter vitia eiusdem, consideratæ vt est instrumentum. Vt est via, angustatur, occluditur vel propter errorem externum, os nucleum, spinam, crassam pituitam: aliquando propter morbum, siue sit tumor, siue caro adnata, siue coalescentia ex vlcere. Vt organum consideratur adhuc, vel vt animale, vel vt naturale: vt animale ratione musculorum laryngis: hi enim musculi Deglutitioni inseruiunt, quatenus attollunt laryngem, qua sublata Gula deprimitur, & cibus superius existens ad inferiora detruditur: isti musculi laryngis non funguntur suo officio, aut quia in paralysia

læsin incidant, aut quia tumore afficiantur, vt in A Angina: quòd si consideretur, vt organum naturale, habet facultatem attractricem, & expultricem; itaque vbi facultas attractrix, vel expultrix aut imbecilla redditur propter aliquam intemperiem, aut impeditur propter vlcus, vel propter inflammationes, aut humores frigidos, neque attractio, neque expulsio fieri potest conueniens: aliquando etiam Deglutitio vitiatur propter insignē ventriculi inappetentia, in quo casu non mouetur facultas attractrix; Sed hoc est vitium ventriculi. B

Sed quia aliquando contingit, vt deglutiantur potulenta, & non solida, quandoque meliùs solida descendat, horum caussæ perpendendæ, & proponendæ.

Cur aliquando deglutiantur faciliùs solida, aliquando.

Descendit faciliùs cibus solidus, quàm potus, quando vlcus aliquod adsit, vel in palato, vel in operculo, vel in Oesophago; vlcus enim faciliùs irritatur ab ipso potu, quàm à cibo.

Secundo descendit faciliùs res potulenta, quando adsit angustia ex tumore, sed non occupante totum Oesophagum. Tertio descendit potus, nō C autem cibus, quando musculi Epiglottidis sunt resoluti; nam res potulenta tanquam liquida, tametsi non adsit hæc via impellens, sponte descendit. Idem contingit, quando infirma est facultas attractrix, vel expultrix propter intemperiē. Contra citius descendit solidus, quando pituita crassa sit deglutitionis impedimentū: tunc enim cibus solidus sibi viam parat, detrudit crassitiem, id quod liquida potio facere non valet.

Signa Caussarum distinctiua. D

COgnoscitur sponte sua vnaquæque Deglutionis vitiosæ differentia: caussæ verò sic distinguuntur.

Si sit Paralysis musculorum Laryngis immoto existente Gutture potulenta descendunt; quòd si adsit Conuulsio, eleuatur quidem Larynx, sed cum dolore, neque ad libitum deprimitur.

Si inflammati sint musculi, eadem sunt signa, quæ Anginæ nunc non proponendæ.

Quod si adest Vlcus Palato, apparet aperto ore. E

Si erosum sit Operculum ex quacunque re acri accepta, mordicatio sentitur in ea parte, & vox est rauca, & tussicula excitatur.

Quòd si obiectum aliquod externum viam impediat, id ex relatione haberi poterit, vt cum duriorem offam, aut nucleum deglutierint.

Quòd si adsit intemperies, cognoscetis his signis, quia imbecillitas degluttiendi est ęqualis per totum Oesophagum, nullus adest dolor, nullum impedimentum, & erecta ceruice meliùs deglutiunt, quàm supini. Quòd si adsit impedimen- F tum ex tumore, ipsimet patientes sentiunt cibum descendentem, deinde verò redeuntem, & in eo loco impedimentum, & dolorem sentiunt. Et si tumor sit inflammatorius, adest dolor insignis febris, & sitis. Si tumor sit durus, immodicus est dolor, & affectio antiqua.

Si adsit vlcus ab aceto, & alia quacunque re acri, vel acida; irritationem sentiunt, sanguinē, & pus reiiciunt, aliquando etiam membranularum portiones.

Coalescentiam cognoscetis, si post vlceris signa, iam cessante pure, & sanguine, Deglutitionis vitium augeatur.

Prognostica.

HAEc omnia maximum ægris inferunt periculum; nam sine Deglutitione nemo viuere potest; nihilominus datur aliquod Deglutitionis impedimentum ex caussa plerunque insanabili, ex luxatione scilicet vertebrarum ad intra, de qua mentionem non facio: cæteræ caussę sunt maioris vel minoris periculi pro illarum diuersitate nam, & coalescentia est insanabilis, vt duri quoque tumoris; idcirco curationem illarum caussarum aggredi oportet, quæ sunt sanabiles.

Curatio.

IN curandis Oesophagi vitijs versabor circa caussas, quæ meatum impediunt: et si hæc caussa fuerit viscida pituita, frequenti curabitur vsu oxymellis simplicis, clysteribus acribus, & deriuatione facta ad nares per sternutamenta.

Quòd si fuerit spina infixa vel acus, vel numisma, aut simile quod solidum, & durum, quod ab humiditate impleri, & extendi non possit, optimè conducunt larga potio, aut iuris, aut aquæ thermalis, aut seri lactis, vel olei: sed si id quod impactum est fuerit substantia, quæ ex humiditate impleri, & extendi possit, eligenda sunt illa, quæ incidendi, & exsiccandi facultatem obtineant: idcirco conducit oxymel. scylliticum aqua tebutiana commistum, aut in defectu huius, aqua sulphurea, aluminosa, quæ habent rationē impedimentum in Oesophago admouendi.

Quòd si fuerit in superiore Oesophagi parte, aliquando imposita cerea candela oleo illita, impedimentum deturbatur. Interim vt dilatetur meatus, conueniunt cucurbitulæ sine scarificationē occipiti, & scapulis impositæ: conueniunt emplastra ex emollientibus conflata ex mucilaginibus, oleis, & pinguedinibus, butyro, farina, seminis lini subactis: & si diu persistat impedimentum, vt nutriri non possint, clysteribus nutriantur. Ad mittit hunc nutriendi modū Aetius, Celsus, Cęlius Aurel. præter recentiores multos, quāuis Alyosius Mūdella epst. x. oppositū tueatur.

Clysteres nutriētes.

Quòd ad Inflammationem pertinent, quia, vt dixi, huius curatio proponetur in sermone de vitiis Ventriculi, hoc tempore illud tantùm moneo propter Auic. qui consulit, vt in principio inflammationis Oesophagi dorso apponantur frigida, & stiptica medicamenta, vt repellatur fluxio. Quòd ad locum pertinet, conuenit cum Gal. 13. meth. 17. in fine scribente, in affectibus Oesophagi dorso medicamenta esse adhibenda; sed materia medicamenti frigida, & astrictoria mihi non placet.

Medicā. frig. dorso applicita improbātur.

Primo quia spinalis medulla, & nerui omnes ex frigido medicamento possunt imbecillitatem, & fortè obstructionem integram contrahere.

Secun-

Secundo, quia cum Oesophagus multum distet à cute, existente media spina, ratio persuadet frigida extrinsecus admota repellere humorem ad locum affectum.

Tertio, quia inflammatio, aut est in membrana exteriore, aut in interna; si in illa, propellitur humor ad interiora, quod est magnum malũ; si in hac, repellentia ad locũ illum non perueniũt.

Adde, quod vix, ac ne vix quidem fieri potest, vt inflammatio, Oesophagi incipiens statim deprehendatur; itaque si iam principij tempus præterijt non est opus reprimentibus; quare potius digerentia, aut suppurantia, vt infra dicemus, sunt adhibenda huic loco.

Si fuerit vlcus, optimè sanatur epota aqua Tectutiana, & in huius defectu componenda medicamenta detergentia, & siccantia, quę paulatim accipiantur, & propterea, quod ad modum componendi, accipiendum Galeni consilium 4. meth. 7. vbi in his casibus v endum præcipit medicamentis ex siccantibus, & ad strictorijs, vt rosis, balaustijs, Hypocistide, corticibus granatorum, admisceantur emplastica glutinosa, quę medicamento consistentiam tribuunt, vt amylum, tragacanta, gummi Arabicum. His permiscenda ea omnia, quæ aut vlcera sanant, aut intemperies, aut inflammationes. Quare me confero ad affectus oris ventriculi.

DE VITIIS ORIS VENTRICULI, Cap. V.

OS Ventriculi quædam patitur symptomata communia, alia verò propria; et communia quidem sunt in duplici differentia; aut aliis consentientia, aut alijs quoque conuenientia. Per Cõsentientia intelligo Disponœam, Vertiginem, Carum, Melancholiam, Palpitationem, Syncopen. Per aliis conuenientia intelligo Dolorem; nam dolor non tantum Ori Ventriculi, quãtũ ciãt oti corporis ipsius Ventricui atq; aliis partibus cõuenit. Cõmunia etiam sunt toti Ventriculo, & Ori eius Singultus Nausea, Vomitus. Propria autem quæ ad appetentiam cibi, & potius pertinent. Nunc ad tractationem de Dolore animum conuertam.

DE DOLORE ORIS VENTRICVLI, Cap. VI.

NOmine Doloris nunc complector Cardialgiam, Cardiogmum, Cardiacam, Anxietatem, & proprium ventriculi dolorem; quomodo distent hæc inter se, nunc audieris.

καρδιωγμὸν idem sonat, quod Cordis Morsus per Cor autem, voce antiquis vsitata, in præsentia. Os Ventriculi intelligimus, Gal. plur. locis, plenius 2. de decret. c 8. Est cardiogmos morsus Oris Ventriculi, qui differt à Cardialgia, quod hic morsus sit leuior, habeat interualla, & fit quasi via ad futuram Cardialgiam. Differre hæc duo inter se patet apud Gal. primo de caus. symp. c. 7. vbi inter vitia Oris Ventriculi ponit Cardialgiam, & Cordis morsum.

Notandum præterea, Morsum significare non tantùm dolorem, sed etiam motum facultatis expultricis concitatum ad vomitionem futuram. Gal. in comment. 30. prima prorhet; in com. 30. 3. prog. in comm. 17. aph. 4. partic. vbi inquit Cordis Morsum esse signum vomitionis futuræ. Et Galen. 3. de nat. facult. 12. inquit ex affectu, quem Cordiogmon vocant, cognosci vitium facultatis expultricis Oris Ventriculi irritatæ.

καρδιαλγία verò est dolor mordicatiuus grauior, continuus, in quo facultas expultrix vsque adeo succumbit propter doloris vehementiam, vt non habeamus ex Cardialgia futuri vomitus signum sicuti ex Cardiogmo.

Caussa Cardiogmis, & Cardialgiæ.

FIt autem vtrumque ex vna, & eadem caussa, sensu scilicet mordicatiuo s fientis, aut ex ore ventriculi nimium sensibili, aut ex vehementia caussæ. Est Os Ventriculi sensibile nimium aut à natura, aut propter vlcus Vehementia caussæ est posita aut in qualitate acida, aut salsa, aut acri, aut punctoria. Acida est duplex, aut pituita, aut bilis atra. Dico bilem atram, quia Gal. lib. de plenitud. c. xi. naturalem melancholiam dicit non esse acidam. Salsa est pituita; aut cibus vel potus assumptus. Acris est aut humor aut cibus, vel potus siue naturalis siue corruptus. Humor est bilis quæcunque. Cibus, & potus naturaliter acres sunt cæpæ, allium, aromata, potiones medicamentosæ; ex corruptione verò ad nidorem facta siue propter calorem ventriculi, siue propter ciborum proprietatem, idem humor acris generatur.

Caussa pungens sunt Vermes, qui ascendunt ad ipsum Os Ventriculi; isti omnes aut in ventriculo generantur, aut aliunde transmittuntur.

Generatur quidem, & transmittitur à cerebro pituita acida, & salsa: Transmittitur tantum, nõ generatur melancholia ipsa, seu illius serositas, cuius meminit Gale. 3. prorhet. 38. & 5. de loc. aff. 7.

Biliosus humor, qui omnium maximè Cardialgiam facit, aliquando in vẽtriculo generatur, aliquando suscipitur, aliquando attrahitur, aut aliunde transmittitur. Generatur autem non omnis species, sed illa, quæ aut porracea, aut æruginosa dicitur, cuius meminit Galc. lib. de atr. bil. c. 2. & 2. progn. 39. vbi scribit, illam produci ex quadam ciborum proprietate, vt brassica, porro, & similibus. Suscipitur propter insignem Oris Ventriculi imbecillitatem. Fiat autem hęc imbecillitas, aut propter magnum cerebri vulnus, Hippocr. 6. aphor. 50. teste, quibus cerebrum præcisũ est, febrem, & bilis vomitum superuenire necesse est. Idem fit ex quacunque Oris Ventriculi intemperie. Attrahitur autem, & propter dolorem, & propter calorem: & propter alimenti defectum, teste Gal. 3. de nat. facult 13. inanitum ventriculum quasi animal prauos, & à iecore, & ab alijs infernis partibus succos ad se trahere. Mittitur autẽ vel à toto, vt in febribus præsertim tertianis, sub accessionis initium, aut à iecore vel intemperato, vel mala cõformatione affecto. Est autem intemperies calida vel naturalis, vel ascititia. Mala autẽ conformatio est mala situatio meatus

meatus vesicæ felleæ, teste Gal. 2. de temp. 6. & 4. A acut. 27. & secundo artis medic. 75.

Præter has caussas diximus Cardialgiam etiã fieri ex Vermibus, nomine Vermium non tantũ intelligo teretes, & oblongos, qui in testinis geniti ad os ventriculi ascendunt, sed etiam omnia illa animalia complector, quę scribunt auctores in ventriculo gigni in modum erucæ. Sic enim Anton. Beniuen. de admirandis. cap. 88. post ingentes Ventriculi Dolores eiectam esse materiã, quæ Vermem, erucæ similem, in se continebat. Idipsum scribit Hieron. Capucid. in suo com. de B lumbric. c. 33. Ideirco Ambr. Paręus lib. 24. c. 19. scribit aliquando eiectum Vermem erucæ similẽ

Cardialg. ex Vermibus.

Vlcus ventriculi, ex quo fiunt etiam Cardialgiæ, fit ab omnibus humoribus erodentibus, vel post disruptum abscessum, vel propter medicamentosas qualitates susceptas, aut denique propter venenum intus genitum.

Cardiacæ nomen, ac natura.

HActenus de Cardialgiæ caussis; transeo nũc ad Cardicam; & nomine Cardiacæ non intelligo Syncopem ex ore ventriculi factam, sicut C accipit Soranus, Erasistratus, atque alii referente Cœlio Aureliano 2. de acut. 30. & ; 3. sed affectũ accip o pluribus quidem notum, sed nemini i te gre descriptum ; propterea nos hujus naturam ex ipsa rei euidentia desumemus.

Celsus mihi inter cęteros videtur melius hũc Affectum descripsisse lib. 3. c. 19 qui ait, Cardiacam esse totius corporis imbecillitatem *cum sudoribus, propter oris ventriculi languorem. nomine imbecillitatis totius corporis* intelligit omnes D facultates naturales immunitas, vt propterea hic affectus non sit Syncope, sed habeat propensionem ad Syncopen: & quanquam actio motrix sit imminuta, (sunt enim valde debiles) est tamen eo tempore deprauata ; isti enim stare loco non possunt, iacent in cubili, neq; in eo vno & eodem situ vix aliquo spatio temporis manent, huc atq; illuc iactantur; propterea Anxij, Inquieti, & Implacidi passim apud Medicinę scriptores dicuntur, vt potestis videre passim apud Gal. E nostr. 7. aph. 56 4. acut. 46. & 1. de humor. 17.

Diefinito

Si quis quærat; quamobrem, cum sint debiles, tantopere agitari possint, & agitentur, Rationem proponit magister noster Gal. 1. de mot. muscul. c. vlt. in si dum scribit, huiusmodi Cardiacos & Anxios propter imbecillitatem omnem caussam noxiam molestè ferre, & propterea frequenti illa corporis motione tentare noxiã caussam excutere.

Est quoq; deiectio facultatis naturalis, vt propterea habeant appetentiam deiectam, cibum continere non possint, extrema semper habeant frigida, sudor tamen vuctuosus circa faciem, collum, & thoracem perpetuo abundet, pulsus sint F quidem frequentes (nam hic affectus semper est cum febre acuta) sunt tamen valde parui, & languidi, plerumq; inæquales.

Locus Affectus.

LOcus affectus est os Ventriculi, sed ad differentiam Cardiagliæ & Cordis Morsus caus noxia est in ipsis tunicis impacta, & præter impactionem destruit robur huius partis, quæ cùm sit sedes appetentiæ, & communionem habeat vsq; adeo insignem cum Cerebro & Corde, sublato huius partis robore, cadit facultas Naturalis, & debitatur insigniter Vitalis, & Animalis.

Caussę Cardiacæ

HIc verò languor Oris Ventriculi, vt docuit Gal. 5. de locis affect. c. 2. fit aut ex magnis intemperantijs, & in cardiaca, quæ est cum febre acuta, locum potissimùm habet intemperies calida, quę natiuum huius partis calorem fundit & humiditatem colliquat; aut ex inflammatione, & ex quocunq; alio tumore, aut ex magno vlcere, aut ex venenata qualitate: propterea Gal. 7. aph. 56. loquens de hac Anxietate, quam ego Cardiacam voco, scribit illam potiùs referendã esse in proprietatem humoris, quàm copiam, quę si dicat in venenatam qualitatem: & propterea Alex. Trallian. lib. 7. cap. 2. Cardiacæ caussam esse inquit humores acres & venenatos, addit etiam vermes. Inflammatio, siue sit legitima, siue spuria inter has caussas reperitur ex Hippo. & Galen. 4. acut. 47. vbi est mentio Anxietatis, Implaciditatis, quæ sequitur Cardiacos ex inflãmatione pituitosa Oris Ventriculi. Harum caussarum meminit auctor Introductorij, & Finit. Medicarum, qui Galeno ascribuntur; & Aet. lib. 9. c. 5. inflammationis meminit.

Puto auditores hun affectum illum esse, quem recentiores quidam Medici Germani Ardorem Ventriculi nominarunt, putantque esse affectum Antiquis ignotum, quod tamen falsum est. Ex his potestis colligire, quid sit Anxietas, atq; Cardiaca.

Ardor Ventriculi

De Anxietate

ANxietatis nomen, quam Doloris speciem diximus, non vno & eodem modo sępe accipitur; aliquando. n. animi perturbationem insignem significat, de qua hic non est sermo. quãdo autem accipitur pro corporis morboso statu, dupliciter accipi consueuit, aut viribu exsolutis & lãguentibus; aut Ore Ventriculi affecto Gale. 1. progn. 16. 2. prother. 44. Nos hic nomine Angoris illum intelligimus, qui fit vitio Oris Vẽtriculi, & quia hoc vitium potest esse aut compositum, aut simplex ; compositum cum Cardiaglia, cum Cardiaca affectione de hoc iam satis dictũ est: nunc erit sermo de simplici.

Simplex Anxietas igitur, siue Angor, qui etiã Inquietudo & Implaciditas dici potest, vt colligitur ex primo prognost. 16. & 4. acut 47. est Dolor grauatiuus Oris Ventriculi cum agitatione *corporis ex humore frigido mulso, tunicis Oris Ventriculi imbito.* dicitur *Dolor*, qua in re sequimur Galenum 5. de decretis c. 6, qui hac in parte Chrysippũ laudat dicentem, Anxietatem esse *Dolorem*, & ad differentiam Cardialgię diximus esse *Dolorem grauatiuum*; ille enim est mordicatiuus. addidi, *cum inquietudine, ac agitatione corporis*; nam isti quoque propter pondus rei molestæ, huc atque illuc mouentur,

Definitio.

vt molestiam fugiant, ad differentiam Cardiacæ A affectionis diximus caussam esse *frigidum humorem & multum Ori Ventriculi impactum*; nam vt intellexistis Cardiaca habet pro caussa vlcus, in flammationē, venenatos humores; & propterea Hipp. 7 aph. 56. hanc speciem Anxietatis inquit curari vino, aquę æqualiter commisto.

DE DOLORE VENTRICULI, specialiter sumpto. Cap. VII.

DOlor autem Ventriculi, distinctus à iam propositis Doloribus, ille est, qui in omnibus B aliis Ventriculi partibus fieri consueuit, Ore excepto. Habet hic Dolor has ipsius caussas, quas iam recensuimus. inflammationes, abscessus, humores frigidos, mordicātes, inęquales intemperies, flatum extendentem. de his omnibus Galenus in comment. 22. aph. 7. part. vbi scribit, Dolores Vētriculi, qui medicamentis nō cedunt, sed diu persistunt nullo commisso errore, aut ex inæquali intemperie, aut ex inflammatione, in abscessum trāseunte, fieri posse, dummodo infammatio ante abscessum patientem non interficiat: sed, præter C has, alia quandoque caussa Dolores infert grauissimos, Lapis scilicet in Ventriculo genitus. Cardanus 2. Contr. tr. 5. c. 9. in quo agit de venenis, scribit se in duobus corporibus sectis eorum, qui grauissimis vexabantur Doloribus, Lapides in ventriculo reperisse. Humor Dolorem faciens potest esse multiplex, & quandoque in cauitate, quādoque in tunicis continetur. *Lapides in Ventriculo.*

De differentiis dictorum omnium.

HInc proprio marte potestis varias Doloris D differentias haurire, à forma, loco affecto, caussis desumptas; Præter quas sunt, & alię à tempore petitæ, vt quidam Dolores sunt continui, alij intermittentes, isti verò exacerbantur aut ante cibum, aut statim à cibo, vel 5. aut 6. horis ab assumpto cibo.

Signa eorundem Affectuum omnium.

SIgna varias ostendunt Doloris differentias, diuersas caussas, diuerso locos. E

Cardiogmum cognosceris, si morsus habeat quædam interualla, si adsint aliqua signa vomitionis futuræ, à Galeno & Hipp. proposita 4. aph. 17. 3. prognost. 30. vertigo scilicet tenebricosa, tremor labij inferioris.

Cardialgiam cognosceris ex continua oris ventriculi mordicatione.

Cardiacam ex omnisu virium languore, iactatione, extremorum refrigeratione, & vnctuoso sudore capitis, colli, & thoracis.

Anxietas facilè deprehenditur ex sensu graui- F tatis circa Ventriculum, iactatione corporis cum virium robore.

Dolor ventriculi distinctus à Dolore Oris Vētriculi deprehenditur ex situ; nam vbi dolet Os, Dolor circa spinā potissimū sētitur in regione illa posteriori, quæ respondet cartilagini scutiformi. Cęteri Dolores Ventriculi sunt inferiores, & potiùs ad sinistram partem tendunt, sicut & pondus Ventriculi.

Varietatē humorum sic distinguetis. Si sit pituita acida, simul cum morsu adest insignis appetentia, & frequens exspuitio, iuuatur à calidis.

In melancholico humore, qui est acidus, adest quidem appetentia, sed non iuuatur à calidis; & præterea mœrore ac timore vexantur.

Si biliosus sit humor, sensus doloris ceteris est vehementior, adest sitis, amaritudo oris, inappetentia, nausea, vertigo, biliosi vomitus, ac deiectiones biliosæ.

Si humor sit salsus, adest quidem sitis, sed nō oris amaritudo, & quod per sputum ejicitur, salsum est.

Si adsit inflammatio, signa omnia lethalia, febris ingentissima, sitis, omnia symptomata Cardiaci affectus, Syncope, quæ sæpe sępius succedit, Galeno auctore lib. de puls. ad Tyron. c. 11.

Quòd si adsit vlcus præter excretionē sanguinis & puris, præter nauseam & vomitum, succedit etiam sensus mordicationis ex quacunque re acida & salsa per os accepta.

Quòd si adsit flatus, Dolor est extensiuus cum rugitu, & regio illa Ventriculi manu apposita tumida in modum follis inflati apparet.

Si adsit lapis, dolor est continuus cum sensu grauitatis, neque vllis medicamentis cedit.

Si adsit Abscessus, signum abscessus accipitur ex inflammatione præcedente, cum dolore perseuerante. Sic dicebat Hipp. 7. aph. 22. habentibus dolorem diuturnum, suppuratio.

Si dolor sit cōtinuus, materiæ impactæ est indiciū in ipsis mēbranis, siue cū tumore, siue citra.

Quòd si habeat interuallum, vt exacerbetur ante cibum, argumentum est doloris, qui fit ex fluxione materiæ biliosæ à iecore, propter sensibilitatem Oris Ventriculi.

Si verò exacerbatur statim à cibo, signum est materiæ biliosæ, aut acris contentę in fundo ventriculi, quę assumpto cibo agitatur.

Si exacerbatur dolor post 5. aut 6. horas, argumentum melancholiæ est, aut fluentis ab ipso liene ad Ventriculum, aut residentis in fundo Ventriculi.

Quòd si longiora habeat interualla, quandoq; dierum, quandoque hebdomadarum, potest fieri fluxio, vel à cerebro, vel ab vtero, vel à toto corpore, quarum partium affectus propriis signis distinguendi.

Prognostica.

OMnes sane Ventriculi Dolores magni quidem, sed lethalissima omnium Cardiaca, præcipuè si ex vlcere cum inflammatione prodeat. Venenata etiam qualitas, vt heri intellexistis, momento temporis interficit, sicut & aliquando Vermes: ante tres annos Ego vocatus ad puerum, refertum Vermibus, XI. annorum, cui pilulas exhibui, mane cùm reuerter, erat mortuus, curaui apperiri Ventriculum, inueni 33. Vermes omnes dodrantales, omnes viuos, ori vētriculi adeo tenaciter inhærentes, vt vix auelli possent. *N. B. Historiam Vermium in Ventriculo.*

Cur-

Curatio.

A CVratio Doloris Ventriculi vel dirigitur ad caussam, vel ad symptoma &c. dum erit sermo de caussa, distinguam sermonem meum in partes tres, in quarum prima verba faciā de omni materia absq; tumore; in secunda versabor circa inflammationem: in tertia proponemus curationem vlceris. primam autem partem in duas subdiuidemus, prout materia vel in cauitate continetur, vel in tunicis est imbibita.

Loquemur primo de materia non impacta. In B hac curatione indicationes desumuntur à quantitate materiæ; à motu; à qualitate; & ab ipso partis Affectu, siue pars sit Ventriculus suscipiens, siue alia pars mittens.

Ratione quātitatis materiæ opus est euacuare.

Ratione motus reuellere, & deriuare.

Ratione qualitatis, quia mordax est, oportet vti contemperantibus mordacitatem.

Hos scopos proponit. Gal. 2. simplic. c. 14.

Ratione partis suscipientis opus est vti adstrictorijs, & malam temperiem alterantibus, vti monet Gal. 7. meth. 11.

C Quātitas humoris aut vt vomitorijs, aut deiectorijs imminuitur; Vomitorijs, quando ad Os Ventriculi ascenderit. Sint Vomitoria in materia biliosa aqua tepida, ius tepidum hydręleum. Vomitoria in frigida materia debent componi ex oxymelite, vt crassitiem incidant; ex oleo, vt mordacitatem tollant, ex iure, vt facilem humoribus præbeant exitum. Validiora dolente Ore Ventriculi non sunt tentanda: in omnibus tamē, siue calidis, siue frigidis humoribus amygdalinum oleum tutò præberi potest, ad vnc. vi. vel viii. vt si D vomitus non succedat, aluus saltem deiiciatur, vel moueatur.

Permiscēdū aūt in frigidis humorib. oleo est ipsū oxymel; in calidis aūt, succ⁹ citri, aut limonū: in salsa pituita, syrupus aceto⁹. Sint exēp. gratia olei vnc. vi. oxymellitis, aut succi, aut syrupi vnc. i. & s.

Si materia ad Os Ventriculi non ascendat, sed potiùs in fundo contineatur, per inferiora est ducenda, vel medicamentis, vel clysteribus, vel suppositorijs.

E De medicamentis sit vniuersale præceptum;

Cautio. Laborante Ventriculo medicamenta nunquā fortia esse eligenda: primo ne robur ventriculi dissoluant; secundo ne plus à longinquis partibus trahant, quàm ab ipsa parte affecta educant: quòd si multa sit materia, diuidatur euacuatio, atque ideo si antiquus fuerit Dolor Ventriculi, in materia biliosa ego vti consueui alternis diebus, aut drach. i. pilularū de tribus cū Rhabarb. aut drach. sem. rhabar. pulueriz. cū vnc. sem. saccari rosat. aut tempore calidiore alternis diebus præbeo vnc. sem. aut drach. vi. cassię hora vna ante prandium.

F Quòd si pituitosus sit humor, pari ratione exhibeo drach. i. pilularum mastichinarum hora vna ante cœnam.

In humore aūt melancholico præbere cōsueui iusculū, aut ex colūbo, aut ex pulla, in cuius vētre incoquantur polypodiū, epithymū, & sena, ita vt singulis diebus sex huius iuris vncias accipiant, quæ drach. iij. illorum medicamentorū accipiant.

Quòd si non fuerit affectus antiquus, potestis, puto, in his casibus semel totam vacuare, & educere materiam:

Biliosam vnc. v. syrup. ros. solutiui.

Pituitosam totidē vncijs mellis rosati solutiui

Melancholicam verò hoc medicamento:

Recipe syrup. de polypod. vnc. v.

dissoluantur cum decoct. cordial.

Clysteres quoque varii, pro varietate materię, sunt eligendi. In bilioso succo sic paretur clyster.

Recipe Viol. Malu. Betæ an. M. s.
Hordei mundi P. 1.

fiat decocto s. a. deinde

Recipe decoct. prædict. lib. i.
saccar. rub.
ol. violat. an. vnc. iij.
Cass. extract. drach. vi. M.

In Pituitosa, & Melancholica in decocto accipiatis Anisū, Fœniculū, Chamęmelū, & loco saccari mel rosatū, loco olei violati chamęmelinū.

Quòd si Dolor fuerit ex materia flatuosa, in hoc casu omnium maximè clysteres conueniunt qui in hunc modum concinnantur.

Recipe Anis. Fœnic. Dauci an. vnc. i.
Carthami drach. iij.
Pulegij. Origani an. M. s.
Flor. chamæm. aneth. an. P. i.

f. decoct. s. a. Deinde

Recipe præd. decoct. lib. i.
Hier ę pro clyst. drach. vi.
Ol. rut. mell. ros. ad. vnc. iij. M.

Suppositoria in quocunquē Dolore non sunt spernenda. omnia verò debent esse acria, quanquam humor sit calidus: nam ratione acrimonię diuertunt à Ventriculo. Suppositoriū sic paratur.

Recipe trocisc. alband.
Diagrid. an. gran. viij.
spec. hier. drach. sem.
salis gemm. gran. x.
Mel. q. s. M. & f. supposit. tria.

Postulante vsu imponatur vnum post aliud.

Sed si flatuosa sit substantia, sic conficiatis suppositoria,

Recipe Cymin. Anis. Fœnic.
Sem. rut. an. drach sem.
Synap. Piper. an. scrup. i.
Spec. Hier. drach. i.
Mel q. s. M. & f. suppos. 4.

Inde ad digerendum flatum conuenit aut humidum, aut siccum aliquod fomentum, Ventriculo appositum.

Si humidum volueritis, erit tale

Recipe absinth. menth. spic. an. M. i.
Puleg. Calam. Orig. Dictam. an. M. s.
Sem. rut. fœnic. anis.
Cymin. lin. fœnugr. an. vnc. ij.

f decoc. in s. q. aq. sed in fin. decoc. adde vin. albi odor. lib. iii. & facta forti express. cum spongiis f. foment.

Si hæc omnia exsiccata & calefacta in sacco lineo ventriculo apposueritis, siccum habebitis fomentum. Præstat tamen egregiam operam, & est admodum vulgare fomentū ex cineribus calidis positis in scutella cū aliquo linteo cooperta.

Aliquando autem insperguntur calidi cineres vino maluatico,& superinfunditur puluis caryophyllorum,cinnamomi,& piperis:& spume facit idipsum panis assus vino maluatico imbutus,& prædictis puluenibus inspersus.

Cucurbitulaé magna, vel vmbilico, vel ipsi patienti Vētriculo apposita, flatum mirificè digerit.

Cęterùm materia non tantùm istis modis, sed aliis quoq; est ab Ore Ventriculi, imò vniuerso Ventriculo deriuanda & reuellenda.

Primùm quidem id fieri potest omnibus illis remediis, quę extremas & externas partes calefaciunt, siue sint frictiones, siue balnea, aquæ calentes, siue sint sinapismi, dropaces, aut vesicantia. Hęc enim omnia in Dolore Ventriculi conuenire non modò colligitur ex Gal. 7. meth. c. 11. & 8. de composit. local. ca. 4. verùm etiam ex antiquioribus Medicis, Sorano, Archigene, Herophilo, Themisone, referente, Cœlio Aureliano 2. de acut. 38 & 40. & sane quanquam materia Doloré faciens sit calida, hęc tamen remedia calida, tanquam diuersoria, reuellentia, & attrahentia calorem ad partes extremas, in nullo casu sunt improbanda, etenim iam propositi Medicinæ scriptores, quibus adhęret Celsus & Aetius in pura Cardiaca passione, in qua vires vsque adeo sunt collapsæ, in qua Os Ventriculi præ nimia humiditate exsoluitur, vtuntur hisce medicamentis calidis ex pyrethro, pipere, pulpis carycar aliisq; auxiliis non modò attrahentibus, sed siccantibus.

Tandem reuulsio facienda est per cucurbitulas scarificatas, & non scarificatas, per sectam venam, vt monuit Gal. 7. meth. c. 11. ac confirmauit 8. de comp. loc. 4.

Debet quoque deriuari ad vias vrinæ, ad nares, ad os, ad musculos per cauteria; aliquando etiam ad ipsos articulos, quanquam antea fuerint dolores affecti. Habetis Galen. 7. meth. ca. 11. sic disputantem, considerandum est, an pars mittés humorem ad Ventriculum sit ignobilior parte suscipiente, an verò sit æque nobilis: si locus mittés sit ignobilior. dicit Gal. attrahendam esse materiam illam ad partem ignobilem. itaque si Dolor Ventriculi prouenit à Doloribus Arthriticis, Medicus non verebitur relegare Dolores ad pristinum locum: si sint æque nobiles, studendum est vtriusque corroborationi.

Difficilis admodum est curatio Doloris Ventriculi, facti à materia in tunicis impacta. quando quidem hujuscemodi materia neque vomitoriis, neque dejectoriis, neque clysteribus, aut suppositoriis, vno verbo, non facilè reuulsoriis cedit: & quod maius est, per continuos Dolores vsque adeo vires deiicit, vt quæ conueniunt, vix administrari possint.

Idcirco cū calida existente materia adsit scopus mittédi sanguinis, nihilominus & vehementia doloris, & virium languor plerunq; hanc venæ sectionem prohibent, id vobis manifestum fiet, si Galen. legatis 9. meth. c. 5. sub fi. & ad Glauc. 14. circa init. vbi scribit, in nimia sensibilitate Oris Ventriculi, aut morsu facto ab humore bilioso, tādiu differendam esse venæ sectionem, quamdiu affectus ille perdurarit; sed vbi humores tunicis sunt impacti, Dolor nunquam desinit, nisi prius excitetur aluus, & euacuetur.

Euacuatio autem vt dixi admodum difficilis est; idcirco in hoc casu si febris vrgeat, vt plerūq; vrget, Cardialgia autem impediat, necessarium est ante sanguinis missionem Os Ventriculi roborare intrinsecis, & extrinsecis remediis. Intrinsecis, offa panis intincta vino granatorum, vel, vt fecit Hippoc. 2. Epid. s. 2. polenta succo granatorū excepta, & subacta. Extrinsecus autem aut absinthio vino aliquo austerio, aut oleo de citoniis vel oleo rosato, omphacino:

Roborato Ore Ventriculi, si ita postulet morbus, tutò secatur vena siue superior, siue inferior, vt alia docui, non sunt quidem in hoc casu prętermittendæ cæteræ reuulsiones.

Sed hoc moneo, ne diu in illis insistatis, quandoquidem impacta materia non cedit reuulsoriis, & vires concidunt.

Itaq; post hæc deueniendum ad remedia, quę impactam materiam in tunicis consumant. Galenus, & cęteri Medicinæ scriptores, quantum potui ex multis colligere, non distinguunt inter calidam, & frigidam materiam, imò verò Galenus ipse ad hanc materiam tunicis impactam etiam biliosā probat vsū aloes, & hieræ simplicis, quæ tamē sūt calida & sicca. Hoc potestis legere apud Gal. 7. meth. 1 1 com. per loc. 2. 6. de tuēd. valet. 10 Ego verò distinctione opus esse iudico, in materia calida placent mihi huiusmodi Rotulæ.

Recipe rhabarb. electi. matur. puluer. drach. ij.
cornu ceru. vst.
margar. præpar. an. drach. i.
saccari dissol. in aq ros. q s.

M. & f. confect. in rotul: exhibeantur drach. iij. duabus, vel tribus horis ante cibum.

Idem præstaret, sed fortius, puluis ipse rhabarb. & cornu cerui vsti insimul mistus absq; saccaro.

In materia autem frigida conuenit non modò vsus pilularum ex aloe, aut ipsius hieræ simpl; verùm etiam pilularum alephanginarum drach. j. Interim quoque potest hæc materia paulatim exsiccari hac potione in materia quidem frigida.

Recipe Comar. absint. M. i.
Spica. Calam. arom. squinanthi.
Menth. sicca an. M. s.
Coriana. præpar. vnc. ii.

Incidantur incidenda, contundantur contundenda & infundantur in vino albo, modicè adstringente per dies tres.

Huius vini exhibeantur quotidie vnc. ii. sed ante vinum accipiant Rotulam vel ex diatriopipereo, aut ex diacymino, aut ex alio simili.

Si materia est calida, vinum debet eligi pauciferum, & adstringens, in quo infundatur absinthium, sed cętera prætermittantur.

Extrinsecis quoq; digeri potest hæc materia, fomentis illis, de quibus memini in præterita lectione in sermone de Dolore ex Flatu.

Hactenus de Euacuantibus. transeo ad secundum caput, quòd est de Epicerasticis de mitigātibus acrimoniam humoris; hæc vel intrinsecùs, vel extrinsecùs apponuntur. Intrinsecùs vel sunt alimenta, vel medicamenta. inter alimenta est oriza, alyca, ptisana, ferculum ex farina

amyli,

amylisius pingue, butyrū, ac etiam alii vel se n - A
num mel num, vel amygd. sulcium, cerebell. & pedes animaliū, aliaq; id genus viscuosa, & emplastica, & quanquam lactis vsus videatur febrientibus suspectus, Hippo. tamen, vt nostis 4. acut. 7. multas præbebat in ardente febri lactis hæminas, & quanquam id potius loco medicamenti ex hibitum fuerit, nihilominus sassinimum lac, vbi febris sit vsq; adeo intensa & ardens, poterit & loco alimenti, & medicamenti tuto præberi, sit itamen suspectum: Sunt alia, quę tutò præberi possunt, est serum ipsum, est aqua non tantù in frigi- B da, sed etiam, vt consulit Galen. 10. met. c. 14. aliquando etiam arte refrigerata. Aqua igitur ista frigida, seruatis legibus à Gale. propositis 9. met. 5. momento temporis Cardialgiam sanat, quod si quispiam frigidam sustinere non possit, vt antea dixi, adest serū, item aqua destillata, aut aqua aliqua cocta coriandro, aut mastice alterata, & si vires non constent, est tandem ipsum ius vel simplex vel alio modo alteratum, prout varii fuerunt humores.

Extrinsecùs demulcendus est hic humor, ad C quem finem multa faciunt. Primum in frequēti vsu est placenta, seu fritalea, vt vocant ex 2. aut 3. ouis, in fluxione calida cum oleo ros. aut melinoin frigida cum oleo de mentha, aut mastieino. Idem pręstat omentū prędictis oleis imbutum. Propter quam caussam practici in hoc casu non deuenerint ad animalia exentera a, ad pulmones calidos, vt aliquando in Phrenitide facere consueuerunt, ignoro, cùm nihil sit præstantius, nihil efficacius ad demulcendum mordacem succum, & digerendam moderatè materia, his D ipsis animalibus, aut pulmonibus.

Illud autem sit vobis perpetuum, nullum epiceeraisticum medicamentum intrinsecùs, aut extrinsecùs apponendum sine admistione adstrictorii; nam Ventriculi robur exsoluitur, & fluxiones concitantur, qualia sint adstrictoria, nunc intelligetis, nam post epiceraitica, & euacuantia ad stringendus est Ventriculus quandoque frigidis, nonnunquam calidis medicamentis.

Frigida sunt succus granatorū, ribes, agresta, & alia de quibus in Syncope. E

Calida, mastix, absinthium. spica, calamus aromaticus, aloe, &c. ex quibus confici possunt externa, & interna medicamenta.

DE CVRATIONE Inflammationis Ventriculi. Cap. VIII.

Difficillimam aggredior curationem Inflammationis Ventriculi, quę quidem varias habet intentiones pro materiæ, Inflammationē facientis, varietate, & pro vario Inflammationis tē F pore, in principio enim, vt nostis, repellere est necessarium, in augmento repellentibus discutientia quædam sunt miscenda, in statu potiùs digerendum quàm reprimendū, sicuti in declinatione solis digerentibus vtendum, non prætermissis tamen adstrictoriis, vt robur Ventriculi conseruetur: & hęc quidem locum habent Inflammatione ad resolutionem tendente: quandoq; enim

suppuratur, nonnunquam induratur. Esto igitur sit Inflam. in suo legitimo, & ea quidem in principio, reuulsione ante omnia opus est, non diu versabor in his reuellentibus, dixi hactenus quæ sint ista clysteres, suppositoria, frictiones, ligaturæ, cucurbitulę.

De Sectione Venæ.

Sectio venæ aut ex cubito, aut ex infernis partibus, seruata illa conditione, de qua heri mētionem feci, flagitante sectem venam Os Ventriculi roboretur, si valde langueat, si Lipothymia, aut Syncope immineat.

Quod ad reliquas pertinet euacuationes, vomitoria in hoc casu nunquam sunt eligenda, hæc prohibuit Gal. laborante Ventriculo 13. meth. ca. 11. acceptiq; tota Medicorum schola, quā quam Rhases, qui in 5. Continent. prohibet vomitū, in Diuisionibus concedit, vel quod error sit in textu, vel quod vomitum præcipiat in Inflammatione iam suppurata, vt dirumpatur abscessus. *Vomitoria improbantur.*

De medicamentis.

DE medicamentis quoq; maxima est dubitatio, nam valida omnia medicamēta, eo quòd trahant humores ad Ventriculū, sunt reijcienda est hæc sententia Gal. 13. meth. 11. Ventriculo & intestinis laborantibus per has partes non est euacuandum. Proponunt Arabes lenientia quę lā, pręcipuè cassiam & myrobalanos, sed quibusdā cassia improbatur propter laxitatem: nam laxatis meatibus, facilius confluunt humores: estq; hoc medicamentum prorsus contrarium illis, quæ in principio administrantur, quę debent esse repellentia.

Myrobalani aliter quibusda suspecti sunt pp insignem adstrictionem: dicebat. n. Gal. 8. de cōp. local. 2. in materia, iam tunicis imbibita, maximū ex adstrictorijs nocumentū inferri. Ergo tamen vtrumq; hoc medicamentum, vel aliud eiusdem facultatis, tutò præberi posse mihi persuadeo, e. g.

Recip. flor. cass. non. ext. vnc. i.
myrob. citrn. puluerẑ. drach. ij.
aut pulp. thamarin drach. iij.

M. & cum saccaro f. boli.

Aetius in hoc casu præbet serum, sed parū & sæpe. Placet mihi vsus seri, dummodo alteretur aliquo medicamento adstrictorio. Non præparetur cum oxymele, nam acetum ex sententia Gal. 2 de comp. loc. 1. omnibus inflammationibus, Phrenitide excepta, est noxium, pręparetur itaq; cum acido citri, vel limonum, & in eodem sero ad conseruandum robur Ventriculi ad reprimēdam fluxionem incoquatur absinthii comma.

Hoc vtebatur Gale. ad bilem reprimendam 6. de tuend. valet. c. 10.

Quod ad Repellentia, quæ non vacuant, externa & interna proponuntur ab omnibus in initio refrigerantia & adstrictoria. ego verò existimo in his casibus semper aut absinthium, aut spicam, quanquam fluxio sit calida, admiscenda esse, in hoc igitur casu, quantum ad localia pertinet agendum, sicuti scribit Gal. se aliquando

egisse 11. meth. 16. vt scilicet reprimentibus quędam digerentia, sed tamen robur Ventriculi cōseruantia, admisceantur, g. e.

Recip. ol rosat. aut mellin. vnc. i.
de ab sint. aut mastic vnc. sem.

Aut poteritis accipere pulpam cyton. coctā in aqua, deinde verò illa imbuere in oleo de absinth. aut masticino. Gal. ipse coquebat cytonem in aq. & absinth. in oleo, deinde admiscebat oleum ac uæ, & post coctionē vtebatur oleo: In eundem v sum accepit myrobalanorum succum coctum i a aqua, & express. simul cum oleo de absinthio: B aut t fomentum ex decocto rosar labruscæ, balaustior. cytonior. & absinth. in vino austero.

Hæc omnia conueniunt in Inflammationę, quando nos non possumus in principio distinguere.

Et propterea non accipiatis Arabum consilia, qui ipsi Ventriculo non solùm lactucam, endiuā sed & succum papaueris exhibent actu frigida.

Errores sane, vt arbitror, non admittendi; Pars enim hę tā præcipua, & vniuersi corporis promptuarium, non est vsq; adeo refrigeranda. Paulatim admiscenda his medicamentis digerentia, C sunt autē hęc digerentia, spica nardi, radix ireos, & chamomelum, & propterea olea etiam ex his confecta, chamomelinum, nardium possunt prædictis misceri rosaceo & mellino, possunt etiam ipsæ radices, aut herbę, siue flores in fomētus addi.

Aduentante statu vobis considerandum, an inflammatio ad resolutionem endat, id quod cognoscetis ex febre, & symptomatis valde minutis an potius ad suppurationem, in quo casu febris, & rigor repetere consueuerunt; an fortè indure- D tur; id quod cognosceus, quia etiamsi febris sit imminuta, symptomata non deficiunt, grauitas Ventriculi, inappetentia, vomitus, & alia id genus

In hoc casu vnico auxilio, sed vario modo cōposito, volo vt omnibus satisfaciatis: est autem emplastrum ex melitoto,

Si inflammatio ad resolutionem tendat, huic emplastro volo vt addatis crocum, myrrham, cinamomum, spicam, & absinth. puluerizata.

Si in abscessum cōuertatur inflammatio, huic emplastro addatis butyrum, rad. altheæ coctas, & E per cribrum transmissas, & folia maluę cocta: & si disruptio inst et, addatis etiā caryeas coctas & cōtusas, stercus columbinū, & aliquid saponi nigri.

Quòd si indurata fuerit inflammatio, addatis mucilag sem. maluar alth. ol. amygd. seruata prio re regula, vt scilicet hoc etiam tempore, & in qua cunque intentione, adstrictoria quædam propter Ventriculi robur admisceantur.

In eundem finem extrinsecùs quoque ad proportionem medicamentorum interna medicamenta exterioribus proportione respondere de- F bent, a que ideo circa initia conuenit succus granatorum, cytoniorum, rosarum, quibus admiscere oportet aliquid pulueris absinthij, aut spicæ, eligatur autem absynth. ponticum; nam illud com mune nimis amarum & calidum est.

In augmento augeantur digerentia, ita tamē vtrque saccharum, neque mel in hunc vsum accipiantur; omnia enim dulcia in flammationem augent, & propterea Gal. 11. meth. 19. in Inflammationibus Ventriculi & Iecoris mulsam prohibet, & Rhases noster in textu quoq; mellis vsum interdicit.

In statu si ad resolutionem tendat Inflammatio, exhibeatur frequenter decoctum ex squinātho, spica; admisceantur radices diureticę, fœniculi, petrosel. apij, asparag Detur quondie aut alternis diebus drach. i. spec. hierę, aut pilul. alophang. vel aloes; aut exhibeantur trochisci de spica, descripti a Rhase in textu. Præbeantur autem aut in vino albo non adstrictorio, aut ex decocto digerente. sed si ad suppurationem tendat, frequens sit vsus decocti ex malua, althæa, caryeis, passulis, fœnugręco, addita portiuncula absinthii, aut spicę pro seruando robore Ventriculi.

Alimenta debent esse pauca & tenuis substantiæ, dicebat Gal. 10. meth. c. 5. quod confirmauit primo ad Glauc. 14. & 12. meth. 3. & 6. in Inflāmationibus Ventriculi, & Iecoris vnicam salutis spem esse virium robur, Inflammationibus harū partium ex alimento semper increscentibus: idcirco si vires consistent, nutriantur vsq; ad statum sola aqua hordei, aut ad summum colata ptisana aut emuls. sem melonum: si vires hoc non permittant, ad alia confugiendum alimenta, sed hac prædictione, ægrum moriturum.

Quòd si quis multo assumpto alimento super stes euadat, abscessum effugere non poterit.

Itaq; quamprimum disrumpere abscessum est opus. Nō possum satis mirari barbaros medicos, qui tutiorem existimant abscessus ruptionem ad exteriora quam ad interiora, cum tamen ipsa doceat Anatome, egoq; propria comprobarim experientia, disruptum abscessum in exteriore ventriculi tunica saniem effundere in illam capacitatē ventris, quæ est inter peritonæum, & intestina, vbi aqua hydropicorum colligitur. Locus sanè, ex quo saniens educi nequit, & in quo vlcus insanabile remanet: hoc vidi in Bernardino Treuisanomeo socero, qui septimo die habuit talem abscessum, hinc factus fuit paralyticus, & mox obiit, quòd si disrumpatur abscessus in membrana interiore, minus est malum, quia sanies per aluum & vomitum educitur, vlcusq; ab assumptis medicamentis sanatur.

Itaque disruptio est tentanda compressione ventris, irritando vomitum, disrupto abscessu cùm remaneat vlcus, sanationi vlceris incumbendum.

Vlcus verò, vt de omnibus agamus, variā sortitur curationem, pro varia sui forma; nā superficiale, & mundum solis astringentibus & siccātibus sanatur, sordidū & profundum abstersoriis, mundificātibus & siccantib. & carne replentib.

Ratione loci aliqua etiam est diuersitas Vlcera enim Oris Ventriculi & quia hæc pars est valde sensibilis, & quia in se nō retinet medicamēta (præterlabuntur enim) difficilimè sanantur, vt rectè docet Galen. 6. meth. c. 4. quæ sunt in aliis membranis, citiùs curari possunt.

Supponamus igitur superficiale vlcus Os Ventriculi occupare; sanabitur succo rosarum, granatorum, tribes, aut decocto rosarum, balaustiorū, corticum, granatorum; sed multo melius est cō-

ponere

ponere medicamentum, quod possit aliquandiu A ipsi parti adhærere glutinosum: & erit tale.

Recipe Gummi Arabici.
Tragacanth.an.drach.ij.
Amyli.drach.iij.
Pulver.rosar.acaciæ.
Hypocystidos.
Boli Armeni oriental an. drach.i.
Succ.granat.q.s.

Misce, & fiat mistura mollis, quæ paulatim deglutienda in ore detineatur.

Sed si vlcus fuerit sordidum, abstergatur. in B hunc vsum facit vsus frequens aq. mellis, siue aqua sit hordeacea tum integro hordeo parata, siue simplex. Ego in his casibus nihil inuenio præstātius aqua Tectuciana, aut simplici, aut cum melle rosato commistat mundat, & exsiccat, ac consequenter carne replet. In defectu aq. Thectucianæ eligi potest alia aqua thermalis, quæ mineram habeat salsam, aut saltem aluminosam, quòd si neutra adsit poteris arte factam sic præparare.

Recipe Aluminis drach.i. C
Pilosell plantag.polygon.an. M.i.
Scabios. M s.
Mell. vnc iij.

Bulliant simul in aq. lib. 8. vsq; ad consumptionem lib.i. & facta colatura ser. etur ad v um.

Facta abstersione siccandum est vlcus. Auic. miris laudib. hieram extollit, quę mihi etiam probatur. Iuuabunt quoq; hoc tempore trochisci de spodio, de charabe, & terra sigillata, poterit is dræbere horum trochiscorũ singulo mane scrup. ij. & statim superbibat decoctum aliquod exsic- D cans, siue conficiatur ex ligno sancto, siue salsa, siue ex rad. chin. ex fol. oliu. ex scabios. beton. agrimon. aliisque id genus.

DE BVLIMO ex Galeni sententia. Cap. IX.

HÆc pro curatione vlceris satis quidem esse possunt, non tamen satis sunt pro sanando Oris Vētriculi affectu, qui ipsum quoq; cor in cōsensum trahit, & Syncopen inducit. Dicitur a Græci Βελιμοσ. Gal. eo, quòd hic affectus Syncopen E inducit 1. ad Glauc. 14 Bulimon dixit esse Animi Deliquium. Cęterum natura Bulimi nihil aliud est, quam *indigentia, & imbecilitas ex nimia Oris Ventriculi refrigeratione*, est indigentia omnium corporis partium, neque enim nutriuntur, quia alimentum ad illas non transmittitur. est imbecillitas, quia transmittitur alimentum extincta facultate appetēte Oris Ventriculi, nā in huiusmodi affectu facultas appetens est prorsus extincta, hinc decipiuntur illi, qui Bulimos putant esse magnam famem, hos redarguit Gal. F 2. aph. 21. in si Bulimos, inquit, incepit, quidem à fame, sed desinit in deiectionem Facultatis Appetentis.

Caussa immediata.

CAussa autem est nimia Oris Ventriculi refrigeratio: ideo enim exstinguitur Facultas Appetens, quia nerui sextę coniugationis, qui Ori Ventriculi inseruiunt, à materia & intemperie frigidissima innatum amittunt calorem & communicato hoc frigoris sensu per communes arterias Cordi, fit Syncope, hinc iure Gal. 1. de caus. sympt. 7. Bulimon esse inquit, compositū affectum ex impotentia, indigentia, imbecillitate, & refrigeratione, cuius refrigerationis caussa externa plerunq; est; aer frigidus vt in his, qui iter faciunt perniciosos montes; aliquando est vsus ciborum refrigerantium.

De Bulimo ex aliorum quorundam sententia.

DE Bulimi natura & caussis hactenus ex Galeni sententia, cui adhæret Auic. Serapio, & alij ex Arabibus.

Nunc autem, vt in scriptoribus tutò versari possitis, de eadem affectione sub hoc nomine descripta ex aliorum sententia agendū, itaq; apud Paul. Aet. lib. 2. c. 51. Bulimos significat Magnā Famem, sed sine Syncope, & Vomitione. Apud Alex. Trallian. lib. 7. cap. 6. significat Famem cū Syncope, aliquando etiam sine Syncope.

Datur prę ter hæc Caninus Appetitus qui Maxima est Fames, sed cui vomitio post assumptos cibos succedit, & propterea cū varia sint horum omnium symptomata, varię quoque sunt caussę.

Nam Bulimos sine Syncope & Vomitione, sed cum maxima Appetentia, aliquando fit ex nimia venarū suctione, & inanitione, vt in extenuatis post longos morbos, in iis, qui fluxibus laborant vel alio modo propter vigilias, immodicam Venerem, exercitationem corporis, aut aerem calidum digeruntur.

Fit etiam aliquando ex maximi vermibus, alimentum surripientibus, quos scribit Galen. lib. de Theriac. ad Pisonē 15. Cōfirmat Alex. Trall. lib. 7. c. 6. qui scribit aliquando excretū vermem longitudine cubitorū 12. qui Bulimum sustulit. idipsum confirmat Auic. & Nicol. Florentinus serm. 5. c. 32. inquit, se Florentię mulierem vidisse singulis horis comedentem, quæ accepta colocynthide 100. & plures magnos eiecit vermes, & curata est ab immodica appetentia.

Fit deniq; hic affectus aliquādo ex Iecoris amplitudine, quod propterea facit cōtinuam à Ventriculo suctionem huius rei exemplum habetis apud Cornel. Gemmam 1. Cosmocrit. cap. 6 qui scribit Mulieri Famelicę post mortem inuentū esse Hepar maximum, & pinguedinis lib. 20.

Fames autem illa Syncopalis Arab. vocata, quę Alex. Trall: Bulimos dicitur, fit ex insigni Oris Ventriculi caliditate continuò, colliquante, & dissoluente humidum substantiale Ventriculi, ex quo fit indigentia; sed si quam primùm indigentiæ non succuramus, Syncope succedit, præcipuè verò, si quatuor illæ adsint conditiones, quarū meminit Gal. 1. de caus. sympt. c. 7. 1. Caussę vehementia. 2. Oris ventriculi sensibilitas. 3. Arteriarum imbecillitas 4. Cordis infirmitas.

Putant alij, ex humoribus etiam calidis & biliosis id fieri posse. Alex. tamen in calidam intemperiem hæc refert.

Caninus autem Appetitus semper fit ex humoribus acidis, siue pituitosis, siue melancholicis Os vētriculi adstringentibus: hinc fit, vt cum

non adsit indigentia, imò potiùs Ventriculi plenitudo: imperant quidem Ore Ventriculi constricto, sed vt canes statim assumpta euomunt. Ex dictis igitur facilè est vniuscuiusq; Appetitus depravati naturam & caussas dignoscere, & distinguere.

Signa Bulimi, & aliarum depravati Appetitus specierum.

BVlimi species à Galeno proposita hæc habet signa, corporis maciem & extenuationem insignem, venas exinanitas, pulsus paruos, tardos raros, refrigerationem totius, indigentiam cibi, & tamen ad assumenda cibaria sponte nunquā mouentur.

In Bulimo Pauli adest fames, sed sine Syncope & Vomitione, vt dixi, & si fiat ex vermibus, Arist. 5. de generat. animal. 19. hujus magni vermis signum proponit, excrementia scilicet vermes cucurbitinos continentia.

Quòd si hæc fames fiat propter indigentiam totius corporis, aut præcessit morbus longus, aut aliqua insignis euacuatio, quæ adhuc permanet aliquādo, & corpus sensim ac paulatim reficitur: vbi autem adest vermis, etiamsi copiosum adsit alimentum, corpus non reficitur.

Si id fiat ex amplitudine hepatis, naturalis erit hæc praua appetentia, & ad proportionem magnitudinis hepatis vniuersum corpus carne, & pinguedine abundat.

Syncopalem tamen non est difficilè cognoscere; isti enim, antea dixi, cum primum esuriunt, Syncopen incurrunt, nisi præsto sit cibus.

Caninam Appetentiam ex fame & vomitu cognosceris vtrum vero acidus humor sit pituita aut melancholia cognosces, ex signis superius à me propositis.

Prognostica.

EX istis affectionibus fames Syncopalis, & Galeni Bulimos periculosa, & lethalia sunt.

Curatio.

ATque ideo in harum affectionum curatione quædam sunt agenda in Syncope; alia verò extra Syncopen.

Quid agendum in Syncope, alias docui.

Extra Syncopen, quia Bulimos Galeni fit ex impensa refrigeratione; fames Syncopalis, Bulimos vel Alexandri est cum insigni caliditate, illi occurrēdum est calorificis, huic refrigerantibus, medela è adstrictorijs.

Sint calorifica alimenta, & medicamenta.

Inter alimenta calorifica miua cytoniorum composita, cujus etiam meminit Gale. 8. de comp. secundùm loc. cap. 3. primum obtinet locum. Parari potest hoc tempore ex succo cytoniorum, & saccharo, additis cinnamomo, caryophyllis, pipere & gingibere. Pro ditioribus addere poteritis aliquid moschi & ambræ. Dialinapis est quoq; accommodatissima alimenti materia. Vinum ex omnium sententia generosum eligi debet, odoratum, optimum: carnes etiam condiri debent aromatibus propositis. debet fieri succus carnium aromatibus permistus, Gelatinam vocant.

Ad proportionem alimentorum exhiberi debent calorifica medicamenta, aromaticum rosatum, diatrion pipereon, theriaca, mithridatica confectio.

Extrinsecùs etiam fouenda est Ventriculi regio vino odorato, in quo ebulliant leui ebullitione absinthium, calamus aromaticus, mentha, semina coriandrorum, fœniculi debent quoq; adhiberi cerata, quorum vna hęc erit forma.

Recipe ligu. aloes.
nuc. mosch.
caryophyll.
cinnamom. an. drach. i:
olei de spica vnc. sem.
ceræ, re, inæ q. s.
M. f. Ceratum:

Curatio Famis Syncopalis ex intemperie Oris Ventriculi calida, absoluitur medicamenti frigidis, & adstrictorijs, de quibus memini in tract. de Cardialgia, & quæ recensui administranda in principio Inflammasionis Oris Ventriculi, ad quæ confugiendum.

In Fame à magno Verme producta, quid agendum audietis in tract de Vermibus.

Quòd si Fames fiat propter insignem euacuationem, & corporis inanitionem, succurendum est alimento crassioris succi, non facilè alterabili vt est alica, & oriza, cutis & pedes animalium, caro bubula, aliaq; id genus. Occurrendū prætereа ipsi caussæ digerenti: si fuerit nimia corporis raritas, balneis frigidis adstrictorijs: si fuerit aeris caliditas, regio est mutanda. si fuerit aliqua insignis euacuatio, hæc supprimenda. de his suo loco.

Quòd si fuerit Iecur magnum, nulla est curādi ratio, nisi vt exhibeantur alimenta duræ coctionis & modici alimēti, vt sunt omnia cōchilia, omnia testacea, legumina, olera, placentulæ.

In Appetitu autem Canino, quia maximam habet affinitatem hujusmodi curatio cū curatione Picę Malaciæ, idcirco simul hęc curatio est proponenda.

DE PICA ET MALACIA.
Cap. X.

VOcant Arabes Picam & Malaciam, Corruptionem appetitus. confundunt nonnulli has duas voces, quæ tamen sic distinguūtur, quod Pica sit Appetitus Corruptus tam in viris, quā ī mulieribus, in paruulis & adultis. Malacia verò sit Praua Appetētia mulierū tantū vtero gerentiū.

In primo Praui Appetitus genere aliquādo inueniuntur, qui multum calcis co medant, vt refert Fernel. lib. 6. c. 3. alij delectantur lacertis, vt scribit Marcell. Donat. lib. 4. hist. mirab. c. 1. alij venantur araneas, vt scribit Cœl Rhodig. Aib. 3 antiq. lect. c. 17: alij deniq; delectantur carbonibus, gypso, aliisque extraneis, vt potestis legere, apud Leuin. Lēn. 1. de occult. c. 6. apud Trincauel. lib. 7. c. 5. qui scribit, se aliquādo vidisse puellam,

fam,quę filamenta comedebat. Ego vidi Patauii A puellam linteos frequentissimè comedentem.

In Malacia delectantur quidem aliquádo prægnantes rebus extraneis, aliquando verò delectātur etiam familiaribus alimentis, sed vsque adeo auidè appetunt, vt si statim non accipiant, aut fętum interficiant, aut abortum faciant, aut fœtum stigmate illo signatum reddant. Interficiunt aut facta spirituum & sanguinis reuulsione ab vtero ad ipsum caput propter continuam imaginationem. Videatis tres hujus rei historias a Ioanne relatas 2. tom. suar epist. 12. quarum vnam refet B Anton. Mizaldus curat. 78. cent. 7. Harum quoque meminit Marcell. Donat. lib. 4. hist. mirab. cap. 1.

De Caussis.

DE huiuscemodi Prauorum Appetituū caussis varia est scriptorum sententia. Quidam in acidos humores referunt, alii in salsos: nónulli in amaros: Ego paucis censeo esse multiplices, in alijs alios, quandoq; scilicet biliosos, magna C ex parte pituitosos, acidos & melancholicos; omnes tamen corruptos corruptione quadam inexplicabili, & propterea cū disputant inter se scriptores, fiantne huiusmodi Appetentiæ, propter similitudinem, an propter contrarietatem. Ego, quanquam Icio Rondelet c. 14. meth. curand. morb. & Io. loc. cit. voluisse fieri hanc appetentiā propter similitudinem, vt humor acidus acidum appetat, salsus salsum, & sic de singulis, non possum tamen in hanc ire sententiam; nam Appetitus Naturalis appetit quidem simile; Vitio- D sus autem appetit contraria, hic verò vitiosus est accedit, quòd si quæ assumuntur, essent similia illis, quæ sunt in Ventriculo, ex hac assumptione augeretur appetentia ipsa tamen experientia docet Appetentiam istam illis assumptis sedari accedit, quòd si hæc vsq; adeo extranea, quæ assumuntur, non essent medicamenta eorum, quæ in corpore, necessarium esset, momento temporis insanabiles suboriri morbos, quis enim potest animo concipere carbonem aut calcem supra carbonem, & calcem iniecta non maxima inter- E re mala? & tamen experientia docet. istos & istas innoxiè hoc assumere, aut saltem multùm non lædi, itaque mea est sententia, quę fuit etiā Auic. Trincauel. & aliorum. hæc potius assumi, vt sint medicamenta illius humoris, qui in corpore continetur, & propterea expetuntur aliquādo tanquam manifestis qualitatibus contraria; & hac ratione, quę bilem continent, acida appetunt. Non ego mulierem biliosam, quę toto eo tempore, quo vtero gestabat, nihil aliud bibebat pręter acetum, atque absque vlla noxa adhuc viuit. F quæ verò humorem frigidum continent, atque humidum, delectantur siccantibus, Calce & Gypso, sed quę extenduntur ad quędam particularia, quæ appetunt certa quædam & determinata vt humanam carnem, vel quid simile, istæ quoq; humoris proprietatem inexplicabilem continēt: at contrarietas qualitatum primarum locum nō habet.

Signa.

COgnoscitur facilè hic affectus ex ipsa relatione, & caussæ ex ipsamet appetentia varia distingui possunt.

Prognostica.

ESt hic affectus, si diu perduret, periculosus: quandoquidem ad Cachexiam, ad Hydropem, ad lapidum generationem conducit. Scribit Nicol. Flor. serm. 5. cap. 36. mulierem quādā prægnantem, quæ piperis libras xx. comederat, post partum incidisse in vlcus vteri, in profusionem sanguinis, & tandem interiisse.

Curatio.

CVratio perficitur Vomitoriis, deiectoriis, alterantibus, aut saltem siccantibus noxiā materiam.

Vomitoria eadem sunt in Canino Appetitu, quę etiam in Pica ac Malacia, oleum aut commune, aut amygdalarum dulcium cum oxymelite, in eo tantum differunt, quòd in prægnantibus non debent esse vomitoria vnquam valida, in cęteris, si hoc non sufficiat, potestis præbere drach. i. pulu. asari in ol. amygd dulc. aut in iure tepido, potestis ascendere ad succum raphani, & quia agaricus est medicamentum & vomitoriū, hoc tutò potestis vti vel infusione, vel in substantia, ad drach. i. Omnibus facilimè paratur vomitus post copiosum cibum ac varium.

Si ad vomitum non sint faciles, deiectoriis materia educatur. Docui in tract. de Dolore Ventriculi, quomodo vna quæq; materia sit educenda: illud tantùm addo in præsentia, in Pica in Appetitu etiam Canino licere aliquando ad validiora confugere, quæ in Dolore Ventriculi, prohibuimus, idcirco potestis prębere pro viriū robore.

Hieræ Diacolocynthid drach. ij. Vel
Diaphœnic. drach iij. vū drach ij hieræ.
Vel
Pilul. Aggregatiuar
de hiera cum agar an drach. sem. M.

Et quanquam humor acidus, & insignis Appetentia videatur prohibere vsum aceti, ne augeatur Appetentia, attamen plus potest humorum crassities, & tenacitas, quę requirunt detergentia & incidentia, quàm ipse Appetitus, propterea licet vti oxymel. scillitico aut compos. ad vnc. i. & sem. vsquequo humores præparati, & integrè euacuati fuerint.

Quòd si relinquatur materia tunicis imbibita hęc est siccanda, propterea ad Picam & Malaciā omnes Medicinæ scriptores exsiccantia commendant, sem. rat. puleg. mentam siccam, absintium, spicam, calamum aromat. spec. hier. & alia superiùs proposita.

Sed ad alterandum frigidam intemperiem, & corrigendam illam aciditatem, quę est in caussa, Canini Appetitus, victus ratio maximè conducit.

Vi-

Victus ratio.

IN hoc autem tota est posita, vt assumant pinguia alimenta, oleosa, butyrum, pinguedines, cerebella, medullas: deinde verò vinum superbibant generosum, & licet tantum cibi non assumpserint, quod possit multum sustinere potum, consulto proponunt Medicinæ scriptores post vsum pinguium largam meri potionem, vt Ventriculus refrigeratus calefiat, & aciditas, propter vnctuositatem, remoueatur.

B Hinc Hipp. 2. aph. 21. Famem meri potio soluit. Caussam verò potestis legere apud Plutarch. 6. quæst. conuiu. cap. 3.

DE DIMINVTA ET ABLATA APPETENTIA. Cap. XI.

TRanseo ad Imminutam & Sublatam Appetentiam, vocatur Græcis Ἀσιτία, vel Ἀποσιτία, quæ duo nomina sic inter se distinguuntur, vt Asitis significet omnimodam à cibo Abstinentiam; Apositia verò auersationem quidem ciborum; sed non omnimodam abstinentiam. C Petenda est distinctio ex Galen. 1. in 1. Epid. 29. Auersionem ciborum quam idque etiam Græci vocant Ἀποστροφήν, vt 4. aph. 17. colligitur. Hic affectus 3. habet proprias caussas: quandoquidē si quis prorsus abstineat à cibo, siue cibum auersetur, id faciet, vel quia nullus aut quia exiguus est suctionis sensus, vel quia non fit suctio in Ore Ventriculi, vel tertiò quia non fit corporis inanitio.

Caussæ Famis & Appetentiæ.

D AD Famem enim excitandam hanc caussarū seriem necessariò concurrere docuit Gal. 1. de caus. sympt. cap. 7. dum inquit quinque ad Famem faciendam concurrere, Inanitionem, Appetentiā Naturalem, Suctionem; Sensum suctionis: & Appetitum Animalem. Tria veniunt explicanda in hac serie, 1. quomodo ex inanitione fiat appetentia. 2. quales illæ sint venę, quæ faciant suctionem. 3. quamobrem assumpto cibo statim conquiescat fames.

E Perlustrentur Andr. Laur hist. & contron. anatom. auctæ lib. 6. q. 17. pag. 455. editionis Francofurti in officina Palthemiana anno 1602. in 8. sine figuris, & Salust. Saluan. variar. de rę Medica lect. lib. 2. ca. 4. & Dominus Leonus artis medendi sectionis 3. lib. 1. cap. 7 qui Lectorē doctè erudient solutionem dictarum trium quęstionum.

Caussæ proximiores, & magis immediatæ Prostratæ Famis.

F TRes sunt præcipuæ caussæ Deiectæ Appetentiæ, defectus sensus suctionis, defectus suctionis, defectus inanitionis. Mediatas omnium horum caussas inquirere oportet.

Caussæ magis mediatæ.

PRimò deficit sensus Suctionis, vel quia deficit facultas, vel quia lęsum est instrumentū, vel propter errorem externum, deficit facultas, aut quia non transmissa, aut quia dissoluta, non transmittitur in apoplexia, phrenitide, caro, quocunque delirio, & à cogitationibus spirituū ab Ore Ventriculi diuertentibus: dissipatur autem vel è veneno, vel à febribus ardentissimis calorem, & spiritum digerentibus. Instrumentum verò, nerui scilicet sextæ coniung. facultatem non admittunt, vel quia sunt obstructi, vel à rumore compressi, vel à nimia refrigeratione densati, vel ab alia caussa adstricti. Error externus est copia materiæ, quæ Os Ventriculi repleat, siue sit pituita vitrea, & frigida, cuius meminit Galē. lib. de plenitudine q; capit. vndecimo siue salsa, aut biliosa, per aliquam corporis colliquationem, & humorum fusionem à capite, vel ab aliis partib. in Os Ventriculi transmissam, de qua Gal. 1. in 1 Epi. 39. Secundò non fit Suctio, vel quia Ventriculus sit nimis frigidus, & propterea parum digerat, venæ circa illum exsistentes non euacuentur, aut quia semper vberem habeāt alimenti copiam, quam aliunde attrahat; qua ratione Gal 3. de nat. fac. 13. dicebat, Inappetentiā fieri ob nimiam Iecoris plenitudinem, nunquam deficiente alimento ipsis venis Oris Ventriculi. Tertiò, non fit Inanitio vel propter defectum caloris innati, siue ratione tēperamēti, siue ratione ætatis, de quo Hipp. 1. aph. 13. Senes facilimè ieiunium ferunt, &c: aut quia excrementa consueta in corpore retineantur. Excrementorum verò nomine non modò intelligo fæces, & vrinam, sputum, mucum, sudores, menses, & hęmorrhoides; verùm etiam ipsam seminis retentionem, retinentur autem hæc excrementa vel obstructis, vel adstrictis, vel densatis partibus.

His accedunt aliæ caussæ extrinsecæ: aer frigidus, crassus, flatus austrinus, otium, somnus prolixus, animi mœror, & timor, cibi, & potus pingues, oleosi, vnctuosi, crassi succi pituitam in toto augentes, propter quas omnes variæ reperiuntur historiæ eorum, qui sine cibo vitam incolumem duxerunt, non modò dies, & hebdomadas sed menses & annos, sic enim scribit Athenęus. 2. dipnosoph. Amitam quandam Timonis singulis annis duos menses sine cibo fuisse, huius rei qui plura voluerit exempla eorum & earum, qui vitam etiam per annos sine cibo vixerunt, poterit legere Laurent. Iouberti. in prima part. paradoxo 2. vbi & historias profert, & caussas subiungit, propter quam nonnulli ad duos, decem, & plures annos absq; cibo vixerunt. *Vide Fortun. Licet de iis, quæ diu viuunt sine alimēto.*

Pręter cæteras Deiectę Appetētiæ caussas Auic. 13. tertii in c. de Destruct. Appet. proponit defectū humoris melancholici, qui supponit (quod etiam docuerat prima primi doctr. 4. c. 1. humorē melancholicum ad excitandam Naturalem Appetētiam conferre, huius sententię fuit etiam Valles. lib. 1. controu. c. 20, qui id confirmat duplici argumento. Primo, quia naturaliter confluit melancholia ad Ventriculum. Secūdo, quia acidi & austeri saporis est, qui vterq; Oris Ventriculi adstrictionem facit, & proinde Famem excitat: neque hoc negauit Gal. 1. de vs. part. 4. qui concedit succum melancholicum naturalem austerum, & acidum,

tridum esse, illumque naturaliter à Liene in Ventriculum transmitti ad retentionem & concoctionem alimenti.

Hæc sententia reprobatur à Fuchs. in com. ad 7 cap. 1. lib de sympt. caus. qui hoc potissimùm nititur argumento: nullam esse venam, quæ ducat humorem melancholicum ad Os Ventriculi, inseruntur quidem in corpus Ventriculi, non autem in Os addit, confluere melancholiam ad ipsum Ventriculum non eo tempore quo fit Fames, sed horis potiùs diuersis, quanquam hoc negat Vallesius.

Ex caussis igitur relatis patet, non modò caussa Deiectæ Appetentiæ ipsius Cibi sed & Potus, aliquando enim reperiuntur nonnulli, qui a potu abstinent per dies, menses, & annos, huius rei exempla habetis apud Athenæ. 2. dipnos. cuiusdā Latiritis Lapouis, qui singulis æstatib. per 30 dies abstinebat à potu, non tamen ab esu rerum salitarum, & mingebat etiam.

Sed, vt breui omnia complectar, leuissimo negotio potestis colligere etiam caussas immoderatæ Sitis: quandoquidem etiamsi Naturalis Sitis ex sententia Aristot. 2. de an. 28. sit appetitus frigidi & humidi, Vitiosa tamen sitis quandoque est appetitus tantùm frigidi, quandoq; tantum humidi, aliquando vtriusque.

Locus affectus in Siti præter naturam.

Locus affectus est semper Os Ventriculi quod tamen laborat aliquando per consensum, nōnunquam per essentiam, & primariò. Consensus fit vel à lingua, faucib. œsophago, propter cōmunem membranam Oris Ventriculi, & harum partium; quandoque fit a Pulmonibus, & arteria, cōmunicata affectione membranis linguæ, & faucium; aliqua fit ex Iecore, mesenterio, intestinis, liene, vtero, renibus, potissimùm in affectione illa Diabetica vocata, atque ab vniuerso corpore.

Caussæ Sitis præter naturam.

Caussæ aliquando sunt caliditas tantùm, quādoque siccitas tantùm, nonnunquam calor cum siccitate. Est caliditas tantùm propter errorem externum, propter præsentiam vel salsę pituitæ, vel biliosi succi in Ore Ventriculi abundantis, aut propter salsos vapores, & ichores ab ipso ventre eleuatos, laborante hydrope ascite, rara est hæc Sitis species, quæ fiat calido tantùm, vt docuit Gal. 1. simpl. 30. habetque iam caussas dictas. Fit ex siccitate tantùm, quę siccitas fit ex inanitione, aut ex errore externo. Inanitio fit per se, vel ex accidenti, per se in quacunque nimia euacuatione, & superpurgatione, siue vomitus, siue aliu, vrinæ, sanguinis vel per menses, vel per alias partes, seminis, ac sudoris, per accidens fit ex abstineentia à Cibo, & Potu.

Caussæ extrinsecæ sunt nimia exercitatio, balneum digerens, vsus salsorum, siue pisces sint, siue carnes, siue aquæ salitę, vt marinæ, vigiliæ, motor, longa declamatio, aer siccus, præcipuè si ore hiante excipiatur, ex calida & sicca intemperie sit vel cum inflammatione, vel citra inflammationem, siue intemperies sit in ipsomet Ventriculo, siue aliis partibus propositis, aut in toto corpore, quemadmodum in febrib. contingit. Error externus hic quoque locum habet: vsus aromatum acrium, vini generosi, præcipuè si in eo aut Vipera, aut Dipsas, vt scribit Gal. 1. de caus. sympt. 7. fuerit extincta His igitur sic breuiter enarratis de caussis ipsius Sitis, quod pertinet ad signa Inappetentię & caussarum breuiter expediam.

Signa Inappetentiæ.

SI Inappetentia fiat, quia facultas non transmittatur, id facilè cognoscetis, si patientes apoplexia, delirio aut alio simili cerebri affectu laborent: si dissoluatur facultas, aut adsit veneni suspicio, aut etiā nunc adest febris ardens, & malignasi non fiat suctionis sensus propter neruos aut obstructos, aut densatos, petenda sunt signa ex C. de Bulimo: quòd si non fiat suctio propter defectum calidi non digerentis, isti sunt omnino torpidi, pigri, somniculosi, neq; ad cibos, neq; ad potiones feruntur, abundant sputo, vrinæ sunt crudæ: quod si adsit pituita dulcis aut insipida copiosa, præter hęc signa habent etiam vomitū, aut nauseam, & subuersionem: quòd si adsit pituita salsa: Siti laborant sine oris amaritudine, & cū morsus Oris Ventriculi, sicuti pręsente bile sitis adest cum amaritudine, & cum morsu Oris Ventriculi: quòd si non fiat suctio, quia nō fiat inanitio, facilè cognoscetis, vel quia excrementa consueta retinentur, cutis est densata, corpus est plenum, venę sunt turgidæ, versantur in aere frigido, otiosi sunt, pręterea victus ratio, quę vel plenitudinem, vel cacochymiam, vel vtrumq; inferre potuit.

Signa Sitis Immoderatæ.

CAussæ Sitis varię sic inter se distinguuntur; nam si fiat ex caussa calida sine siccitate, à nimio Potu lęduntur, & propterea distenduntur, & inflammantur, vel Potum vomitione, aut deiectione, aut per vrinas reddere coguntur, vtrum verò hęc caussa calida sit pituita salsa, an bilis, ex superius dictis potestis colligere; sicuti si fuerit ichor salsus, id ex hydrope cognoscetis: quod si fiat Sitis ex inanitione ex sola ægri, aut adstantiū interrogatione potestis caussam inanientem intelligere, siue sit euacuatio ventris, vel vomitus; vel sanguinis, vel vrinæ, vel seminis, aut sudoris siue sit media, aut alia ex propositis caussis. nec difficili negotio potestis intelligere, vtrum caussa Sitis sit aliqua viscerum inflammatio, aut febris ardens ex putredine in venis communib. facta; hęc enim omnia sua habent signa.

Prognostica.

ITaque nunc ad prędictionem affectionum propositarum descendo, Quod ad sublatam appetentiam pertinet, illud Esciendū sublatam Appetentiam ex facultatis dissolutione, siue fiat dissolutio ex veneno, siue ex febre maligna, omniū maximè exitialem esse, & patientem morti esse propinquum; hoc docuit Gal. 2. in 3. Epid. com. 3. Quod

3 Quod ad Sitim pertinet, ...quandoque tamen rarò A patientes decidunt ad exitum quando ad potionē vel frigidæ, vel refrigerantis impotiture inciderunt: ut scribit Gal. 1. de caus. sympt. cap. 7. quendam Dysentericum obiisse, qui immaturè aqua frigidā bibere fuit coactus: Aliquem refert, qui sitibundus post aquam frigidam bibitam taliter epotam statim extinctus est: quod idem varijs exemplis confirmat Ant. Beniu. de abditis c. 16. Amat. Lusit. cent. 2. curat. 62. Forest. 1 obs. Med. obs. 13. Scalig. exerc. 33. ad lib. Card. de subtilit. & Marc. Donat. lib. 2. hist. mirab. c. 6. B

Curatio.

QVod ad Inappetentiā pertinet, si fiat ex humoribus pituitosis, multis & crudis, opus est purgatione per vomitum, ... incidentibus medicamentis. Conuenit in hoc casu vomitū ciere, & exhibere *oxymel. scillit. vnc. i. sem. compos. simp. pituit. vnc. i. M.* hac dosis concedi potest per 4. aut 5. dies 4. horis ante cib. Interim si vomitus bene non succedat, acribus clysteribus agendum, aut pilulis de hiera cum agar. quæ exhibeantur ad drach. i. alternis diebus. Pro victu in hoc casu conueniunt omnia salsa, vt pisces salsi, conueniunt vsus aceti, & propterea acetaria ex capparibus, ex radice petroselini, & omnia aceto condita: quòd si fuerit pituita salsa, hęc quoque aut vomitu, aut clysteribus aut pilulis educenda, pilulæ sint de tribus cum rhabarb. mistis cum masticinis, vtriusque sit drach. sem. Paulatim expurgare oportet: itaque alternis diebus præbeantur hora 1. ante cœnam: syrupus autem sit acetosus simplex, cū aliqua portione oxymelitis: quod si fuerit bilis, ipsa quoq; aut vomitione, aut clysteribus est educenda: loco autem pilularum vtamini cassia tamarindis, aut rhab. aut pilul. de trib. cum rhabarb. syrupi verò sint de acido citri, aut limon. de granat. vel alij similes, de quibus antea. Pro cibo in his casibus eligendi sunt intinctus, qui succos recipiant acidos, & aliqua ex parte incrassantes, vt prohibeatur fluxus bilis ad Ventriculum, propterea in hoc casu conuenit ille cibus, quam Gelatinam vocant. E

Quod si adsit intemperies frigida, propter quā nec multum digeratur, facultas quasi sopita, excitanda est cibarijs quibusdam gratis & calorificis, vt est confectio diasinapi, intinctus viridis ex petrosel. aceto, pistacijs, & modico cinamomi: intinctus albus ex saccaro, cinamom. & aq. flor. citri. Mihi verò, vt ingenuè dicam, nullus videtur intinctus magis in hanc rem accommodatus quam ille, qui fit ex allio, nucibus, & pane sub optambuto, sed non admodum pingui. F

Si verò non fiat inanitio, corpus est inaniendum secta vena, nec semel, sed pluries apertis hęmorrhoidibus, reseratis mensibus, ... aut clystere, aut medicamentis: in quo casu conueniunt etiam medicamenta valida, promouendus est sudor, aut Laconico, aut exercitatione valida; si exercitatio valide fieri non possit in conualescentibus, fiat in nauicula, in curru, lectica: fien- A que hęc possit fieri, adhibeatur frictio, inunctio calida, picatio, seu appositio medicamenti ex pice, de quo nos plura in nostro libro de phenigmo, ... tandem his imperandum est ieiunium; dicebat enim Gal. 5. in 6. Epid. 17. se complures, qui dormire non poterant, vigilijs sanasse; alios verò Inappetentes longa Inedia sanasse.

Ex his facilè iam potestis colligere, etiam Sitis curationem; nam, quæ fit ex humoribus salsis, aut biliosis curatur sicut & defectio Appetentiæ ex hac caussa, quæ fit ex hydrope, curatur ... sola præparatione aeris frigidi, quandoque Potus illis minimè confert, itaque non liquatur, os clausum detineant, & aerem frigidum inspirent. Hipp. 3. in 6. Epid. 35. os claudere, tacere, aerem frigidum cum potu excipere, Sitim arcet. deturque etiam ... in ore aut lactucam, acinum citrini, crystalli, ... prunum, vel cerasum, aut semi ... ex ... semin. papaueris albi & melonis, excepta cum gummi Arabico & tragacantho. B

Quòd si fiat ex Inanitione, largus his potus cōcedatur, sed minimè frigidus; vbi enim facta est Inanitio, debet calidum ... propterea facile castu gutture: bibant igitur ius, aut aquam Hordeac. aut vinum dilutum. C

Quòd si intemperies sit calida & sicca, istis quoque suo loco, & tempore concedendus est Potus actu & potestate frigidus, seruatis conditionibus, quarum meminit Gal. 9 meth. c. 5. atque interim totum corpus, & pars præcipua, à qua calor & siccitas prodit, extrinsecus quoque est refrigeranda & humectanda vel balneo aq. dulcis, vel epithemate ex succis refrigerantibus.

Leuior autem Sitis, quæ fit ex caussis quibusdam extrinsecis, vt aere calido, longo sermone, vel alijs caussis leuioribus, quandoque sanatur somno, quandoque si fuerit in somno, sanatur vigiliē, vt docuit Hipp. & Gal. 4. in 6. Epidem. 23. aliquàndo etiam sanatur tussicula, ex qua humiditas quædam ex capite in subiectas partes descendit, de qua Hipp. 4. aph. 54. D

DE SINGVLTV. Cap. XII.

EX affectibus Oris Ventriculi supersunt adhuc Singultus, Nausea, Subuersio, Vomitus & Cholera, de quibus omnibus meminit Gal. tanquem de affectionibus Oris Ventriculi, 5. de loc. aff. 6. 3. de caus. sympt. 2. 8. de comp. loc. 3. Loquemur hodierno die de Singultu, qui λυγμὸς græcè, dicitur.

Natura.

EST autem motus contractionis velox & validus Ventriculi ex caussa irritante. *Dico esse motum contractionis*, quia etiamsi post contractionem sequatur extensio, extensio tamen est reditus Ventriculi in statum naturalem. Contractio verò *velox & vehemens* est motus præternaturam, quo noxia deturbantur & excernuntur: dicitur *velox* ad differentiam Nauseæ: dicitur *vehemens* ad differentiam, & Nauseæ, & Vomitus & Diffini-tio.

tus,& Subuersionis; nam Singultus, vt optime docuit Gal 6.aph.39.cùm depellere tentet materã membranis impactam, est motus validior, quàm Vomitus, in quo excernuntur, quæ in cauitate cótinentur, cùm dicimus esse *motum ventriculi*, intelligimus potissimùm exteriorem membranam illamque præcipuè, quæ & Ori Ventriculi, & œsophago inhæret. auctor est Galenus 2. de caus. sympt.cap.6.

A

De caussa proxima.

B

DE caussa proxima insignis est controuersia scripsit Hipp.6.aph.36.Singultum fieri ex Repletione & Inanitione, sicuti & Conuulsioné. Gal.loc.cit.& 8.de comp.loc.c.3. Singultus caussam refert in humores, aut vapores irritantes. rei veritas est, Singultum neque ex Inanitione neq; ex Repletione tanquam ex caussis proximis fieri. ratio est clara; nam Conuulsio, quæ fit ex Repletione aut Inanitione, non est motus compositus, sed simplex; nam vbi neruus vel exsiccatus, vel admodum repletus contrahitur, non amplius extenditur, nisi sublata siccitate, aut materia replente. Singultus autem omnis est motus compositus, primùm, vt dixi, ex contractione, secūdò ex dilatatione; ita que rei veritas est Singultum omnem fieri ex causa irritante aliqua, hæc verò aut est per essentiam in Ventriculo, aut fit per consensum: per essentiam est flatus vel vapor in membranis, precipuè in exteriore, imbibitus: vapor autem potest esse aut acris aut salsus, aut acidus, aut veneficus, vel ex alia quapiam corrupta, & putrescente materia eleuatus; siue hæc materia sit cibus & potus, ex propria natura acris, & prauus; siue in Ventriculo, corruptus, siue sit humor biliosus, melancholicus, aut pituitosus, aut sanies, vel sanguis extrauenatus. aliquando continetur hæc materia in tunicis, vel cum inflammatione, aut alio tumore, vel citra inflammationem, & tumorem; tunc autem tumor & inflammatio non sunt caussę Singultus proximæ, & immediatę, quia cùm continuus sit tumor, continuus esset Singultus, non tamen est; propterea ex tumore, flatus, vel vapor eleuatus est, qui ex tertiò rē Ore Ventriculi tunicam ad excretionē irritat.

C

D

E

Fit per consensum tripliciter, aut communicata affectione, aut materia, aut per compressionem ventriculi.

Communicatur affectio, quando neruus sextę coniugationis, Ori Ventriculi insertus, coafficiatur cum altera parte neruosa, & cum istis neruis copulationem habente. Sic scribit Arist.33.probl. 3.ex Pulmonibus Singultum fieri, eo quòd, vt docet Gal.16.de vs.part. nerui sextæ coniugationis, primo inferūtur in Pulmones, dein in Os Vētriculi. Pari ratione scripsit Hippo.3.de morb. ex Pleuritide Singultum fieri, in eundem sensū docet Gal. posse intelligi Hipp:7.aph:3 inquientem, Vomitum, & Singultum cum rubore oculorum malum; indicat enim aut inflammationem cerebri aut Ventriculi. Pariter scribit Hippocr. 3.de fract.49.ex luxatione coxendicis, aut alterius magni articuli Singultum fieri propter communem neruorum passionem.

F

Secundus consensus fit cōmmunicata materia si ex inflammatione Iecoris, transmittitur humor biliosus ad Os Ventriculi, qui Singultum facit, vt docet Gal.7.aph.17.ex Ileo pariter fit Singultus communicata materia ex 7. aph. 10.ex toto corpore, vt in febre Singultuosa, cuius meminit Hipp.& Gal.4.acut.58.

Tertio fit Singultus per compressionem, quam uis Gal. non videatur huic caussæ admodum assentiri, qui potiùs ex aliorum sententia videtur affirmare 5.aph.58.& 7.aphor.17.ex magna Iecoris inflammatione Singultum, fieri comprimēte Iecore ipsum Ventriculum, nihilominus hanc caussam confirmat exemplum à Fernelio productum 6.pathol.ca.3.cuiusdam, qui per tres continuos menses passus est Singultum ex incuruata costa ventriculum comprimente nunquam sublato singultu, nisi blandè prius costa illa curuata attolleretur. *Singult. ex compressione*

Caussa procatarctica.

SVnt præter has caussæ quædam mediatæ, quæ flatus aut vapores in ipsas tunicas impingūt. est aer frigidus receptus, aquæ potus nimius, etiā potus confertim assumptus, ciborum copia, intestinorum repletio.

Signa.

COgnoscitur facilè singultus, & caussæ sic distinguuntur: si adsit vapor acris, sentitur erosio, calor, & si humor fuerit, ex quo vapor eleuatur, biliosus, adest amaritudo, si acidus vel salsus, iam habuistis signa in præced.lect. si fuerit in cauitate, vomitus excitatur, & statim desinit Singultus. Si in tunicis, adest Nausea cum, vel sine vomitione, sed affectum non sanante. Inflammationis & tumorum signa suis patent locis: si fuerit consensus ab alia parte propter communes neruos, facilè id cognoscetis ex affectu illius partis; nam si fiat ex Pulmonibus, aderit tussis, difficilis spiratio; si ex Pleura, aderunt signa pleuritidis, & sic de singulis: quòd si communicetur vapor aut humor, pari ratione inspicere oportet: vtrum iecur an lien, an intestina, an totum laboret corpus: accedit etiam in Singultibus: qui per consensum fiunt, long à esse interualla, exceptis illis, qui sequuntur compressionem; tandiu enim perdurat Singultus, quamdiu persistit compressio.

Prognostica.

ET quia, vt dicebat Gal. in illo 5.aph. 58. & 7.aph.17.non potest iecur inflammatum Vētriculum comprimere, nisi magna sit inflāmatio, propterea Singultus ex hac caussa factus est lethalis, sicuti etiam lethali, ille, qui sequitur Voluulum, quandoquidem non fit ex Voluulo Singultus nisi maxima sit affectio, auctore Gal.7.aph. 10. cętetæ omnes caussę minus sunt periculosæ. lethalis quoque est Singultus, qui fit per consensum

sum alterius nerui conuulsi, siue propter inflammationem, aut luxationem vehementem aut vulnus; cęteræ autem caussæ non sunt admodum difficiles curatu, ad quas me conuerto.

Curatio.

ET in primis, quod pertinet ad Singultum factum ex solo vapore, aut flatu, tria proponũtur remedia à Gal. in 3. de difficul. resp. ca. 10. de quibus ante illum meminit Aristoteles 33. probl. 1. & 17. & ante Aristot. Plato in conuiuio sub nomine Erisimati Medici: primum est retentio spiritus, quæ iuuat coacto intrinsecus calore ad dissipandum flatum vel vaporem: secundum est ablutio oris aq. frigida facta; & ego sæpiussimè cõsueui hoc remedio sanare; Singultum ex humoribus vel vaporibus acribus: id ipsum facit sorbitio eiusdem frigidæ sensim facta. tertium est sternutatio, cuius meminit etiam Hippoc. 6. aph 13. quod si præter vaporem adsit humor in cauitate Ventriculi, Vomitu est eliciendus: si fuerit in tunicis, vsus hieræ, alephanginarum, vel aliarum cõsimilium maximè conducit: quòd si contumax fuerit Singultus, ad fortiora ascendendum, & si materia fuerit acris, eligenda sunt medicamẽta, quæ simul & semel acrimoniam obtundant, & penetratiosim, medicamento tribuant; nam materia est impacta in membranis. Opus est etiam medicamento digerente, & per vrinas deriuante propterea Gal. iure optimo. 8. de comp. loc. 3. laudat medicamentum Asclepiadis. quod cõstat ex opio ad contundendam humoris acrimoniam, ex costo propter penetrationem, ex asaro propter vim diureticam, ex spica, &c. propter facultatem digerendi, datur drach. i. aut ex vino, aut in humoribus valde calidis ex aqua: in eundem vsum recipi potest philonium, aut theriaca recens, aut pilulæ de cynoglossa, & sanè ista quamprimùm sanant Singultum, datur drach. sem: & si humor sit frigidusculus, his medicamẽtis addatur scrup. i aut scordij cretici, aut dictamni, vel pulegii, vel asari, quòd si humor sit tantum frigidus, & propterea singultus fiat potius ex flatu, nihil præstãtius castoreo, detur drach. i. castorei, valet quoque mithridatica confectio ad drach. i. diacyminum, diatrionpipereon.

Neque internim exteriora sunt prætermittẽda, ex multis hoc vnum est efficacius cæteris; spongia aceto acerrimo imbuta, in quo ebullierit castoreum, piper, sinapi, pulegium, & asarum, adhibeatur ipsi Ventriculo adhuc calida, & frequenter foueatur locus ille.

Interim reuulsoria quoque administrentur. sunt quædam mulierculis familiaria quę multũ iuuant; vngue comprimere extremitatem minimi digiti, aut ligare, animum distrahere, & alio auertere, sicut faciunt mulieres puerulis, excitata alicuius rei admiratione.

Quòd si fiat Singultus ex iecore comprimente, lethalis est, vt dixi: sed tamen minùs affligentur patientes, si super latere dextro decumbant.

Vbi costa fit incuruata, illa sensim & paulatim est in suum locum restituenda & reducenda.

DE SVPINITATE, SVBVERSIONE VOMITV, ET NAVSEA. Cap. XIII.

NOn admodum dissimili ratione ab ea, quã nuper proposuimus, sanantur tres affectiones mutuò se consequentes, Supinitas, Subuersio & Nausea, duæ priores affectiones sunt symptomata facultatis retentricis, tertia est symptoma facultatis expultricis, auctor est Gal 3. de caus. sympt. 2. & lib. de diff. sympt. 4. distant hoc inter se, quòd Supinitas sit complexus ciborum imbecillus, Subuersio sit complexu ciborum deprauatus, & propterea vtraq; affectio sentitur tantùm assumpto cibo.

Caussæ.

FIunt isti affectus aut per essentiam, aut per consensum, aut ex errore externo per essentiã sit Supinitas & Subuersio, vel ex intemperie humida, vel ex humore pituitoso aqueo, irrigante Os Ventriculi, sed sine putredine, aut alia corruptione. Gal. 8. de comp. local. 3. possunt tamen reliquæ Ventriculi tunicæ prauis humoribus redũdare, hinc dicebat Galen. 6. de loc. aff. 1. in Supinitate & Subuersione Ventriculi tunicas (non loquitur de Ore Ventriculi) esse humore melancholico acido imbutas; at verò in Nausea Os Ventriculi aut multa abundat humiditate, aut etiam corrupta: & quando multa abundat humiditate, illa potest induci ab alimentis quibusdã, vt vsu cerebri, aut medullæ, cuius meminit Gal. 3. de aliment. facult. 8. & 9 quando est corrupta, corruptio potest esse ad nidorem, & ad acidam. 1. de loc. aff. 4.

Nausea & Vomitus in eo tantùm differunt, quod Nausea sit motus quidam irritus, ad quem nulla succedit excretio; in Vomitu autem, quæ in cauitate Ventriculi continentur, educi consueuerunt, caussæ verò cùm vtrisq; communes sint, idcirco ab ipsa Nausea, de qua dixi in superiore lectione, statim transeo ad Vomitum.

De Caussis Vomitus.

FIt Vomitus vel propter imbecillitatem facultatis retentricis Oris superni Ventriculi, aut proptere expultricem irritatam, de caussis imbecillitatis retentricis iam satis dictum est; sunt enim illæ, quæ Supinitatem, Subuersionem, vel Nauseam inferunt, expultrix autem facultas mouetur ad Vomitum, vel per essentiam, vel per cõsensum, si per essentiam, hoc tripliciter fit, vel ex pondere, vel ex mole, vel ex morsu.

Pondus est materia multa, & grauis, contenta vel circa Os Ventriculi, vel in cauitate, circa Os Ventriculi, quando occlusum fuerit, vel ex tumore, vel ex carne, vel ex callo, aut alia cõsimili caussa, huius rei exemplum habetis apud Fernel. lib. 6. patholo. ca. 1. Quæ continetur in cauitate, aut ibi gignitur, aut retinetur, vel transmittitur, vel attrahitur, generatur vel pituita, vel porracea bilis ex ciborum proprietate, ex vsu brassicæ, betæ & fructuum, est sanguis vel per diæresin, vel per anastomosin venarum Ventriculi, aut arteriarum in caui-

in cauitate collectus: sunt aliquando lapides, de A quibus dixi in capit. de Dolore Ventriculi. Non transmittitur autem, vbi Pylorum, aut intestinũ duodenũ, aut ileon, vel mesaraicæ occlusæ sunt. vel à carne, vel à callo, vel abscessu, vel inflammatione, vel alio tumore, qui transitum alimenti impediat: huius rei exemplum habetis apud Ant. Beniuen de admir. c.32.36.& 37. Gal 3.de caus. sympt.2.cui adstipulatur Auic.13.tertii tr.5 c.10 vbi proponunt Pylori occlusionem ex carnea substantia. Colligitur per transmissionem tertio, à iecore, à liene, ab intestinis, ab vtero, à cerebro, à to- B to corpore. A iecore quidem mittitur bilis flaua, pallida, crocea, æruginosa, aliquãdo sãguis, vel qui a iecur fit calidius, vel quia sanguinem ab vtero suscipit propter retẽtos mẽses, ab hæmorrohibus, p p suppressam consuetam euacuationẽ; a toto corpore vel pp insignem plenitudinem, vel propter membrum mutilatũ. cuius excretionis meminit Gal. 3. de caus.sympt.cap.2. & 5.de loc. aff. 5. à liene similiter transmittitur vel melancholia, vel sanguis niger; quandoque mittitur à mesaraicis, præcipuè vbi factus sit aliquis cruentus C abscessus; à capite transmittitur ipsa pituita; àb intestinis quandoque humores, quandoque excrementa ipsa, vt in Voluulo contingit, quinimo aliquãdo partim ex transmissione intestinorum, partim ex facultate attractrice ventriculi quę iniiciuntur per inferiora, clysteres scilicet quandoq; vomitu eiiciuntur, auctor est Gal. 3 de caus. sympt. 2. sed, quod mirabilius est, aliquãdo ipsa suppositoria integra & immutata per vomitum fuere eiecta, videatis historiã relatam à Matthæo de Gradib.com.5.lib. 2.ad Almansor. Vallesiol.ad 3. de sympt. caus. 2. Has ob caussas fit D Vomitus ex pondere.

Fit etiam ex Mole, quando scilicet Ventriculus non potest extendi ad amplitudinem rei contentæ, non potest extendi propter triplicem caussã, vel quia dolet, siue ex vlcere, siue ex alia caussa; vel quia cõprimitur aut à iecore tumido, aut liene, aut mensenterio, aut omento, aut quia est nimis angustus. Angustia verò est naturalis aut prę ter naturã, de naturali meminit Gal. 2.art.Med. c. 71. pręter naturam, quia vel ex atrophia, vel E ex tumoribus. Atrophia sequitur siccam intemperiem, aut diuturnum ieiunium: Tumores autem sunt multiplices.

Morsus est caussa Vomitus, fit autem hic morsus à materia vel acri vel salsa, vel acida, vel amara, aliquando fit à Vermibus, & iis variis. Scribit Beniuen. se quandoque Vermem erucæ similem, pituita inuolutum vomitu eiectum vidisse, c.88 1 Petrus Forestus, & Ambrosius Paræus, ille quidẽ libr. 8. suar. obseruation. 19. hic verò libr. 24 sui operis 19. scribit, quãdoque eiectos vermes scarabæis & erucis similes. Alia plurima, eaque præter omnem quidem rationem, & naturæ conditio- F nem euomuntur, quæ ad maleficia referuntur, sunt claui, acus capilli & alia quanquam capillos quidam Medici non referunt ad maleficia, vt potestis colligere ex Nicol. Monardes libr. 3. de simpl. cap. verbena, & ex Clusio in annotat. ad hoc caput. Hæ sunt caussæ essentiales Vomitus.

Fit verò per consensum propter communem neruorum affectionẽ, de qua dixi in præced. lect: fit autem hic consensus aut ex Renibus calculo affectis: sic primo in 6. Epid.6 In Renem dolor grauis: cum implentur cibo, vomunt pituitam, cùm autem abũdauerint dolores, æruginosa, &c: aut ex Cerebro vulnerato, 7.aph. 50.atque sic deinceps de aliis omnibus cum neruis sextæ coniugationis communicationem habentibus.

Vomitus per consensum à Renib.

à Cerebro vulnerato.

Vomitus differentiæ.

EX quo iam licet vobis colligere Vomitus differentias desumptas à materia, à loco caussis desumuntur nonnullæ, & satis contemplabiles, à tempore, à modo, ab effectu. a tempore. quia Vomitus quidam est continuus, alius intermittens. rursum ex intermittentibus quidam repetunt quotidie, quidam per longiora interualla; & qui quotidie; quidam statim assumpto cibo; quidam in fine coctionis: qui verò per longiora interualla, vel ordinatè, vel inordinatè repetũt: & qui redeũt ordinatè, vel redeunt singulis hebdomadis, aut singulis mensibus.

Præterea horum alii, sunt breues alii diuturni; qui perdurant 7. 10. & plures annos. Ego noui Virginem Vestalem, quæ laborauit Vomitu, per 43. annos in monasterio huius vrbis materiam duplo, maiorem, quàm ipse cibus, euomentem.

Differantię à modo Vomitionis; nam aliquãdo est facilis, placidus, sine labore, quandoque cum symptomatis vehementissimis. cum Dolore Ventriculi, Anxietate, Palpitatione Cordis, & Syncope: Denique sumuntur differentiæ ab effectis, quiã Vomitus quidam est criticus: propterea iuuat criticus, siue sit bilis, siue alterius humoris, etiam sanguine non excepto; alius verò est symptomaticus: Potestis etiam medium constituere.

Signa Affectionum commemoratarum omnium.

VErsabimur in præsentia circa signa affectionum propositarum. Supinitas duobus potissimùm signis cognoscitur: fluctuatione scil, quam Græci κλύδωνα vocant, & inflatione. præterea rugitu & extensione Ventriculi Subuersio autem cognoscitur ex anxietate, grauitate, quam sentit Ventriculus assumpto cibo vt propterea, sicut scribit Gal. lib.de diff.sympt.capit.4. cupiãt isti patientes assumptum cibum quam primùm per inferiora deiicere.

Nausea verò cognoscitur ex ipso Ventriculi motu, vomitioni consimili, hoc tantùm excepto, quod nihil excernitur: & si fiat Nausea ex sola humiditate tunicas irrorante, nulla adest sitis, imò verò πτυαλισμός seu frequens spuitio, saliuatio vocata: quòd si adsit materia corrupta, nidorosa, præter Nauseam adest quoque inappetentia, & abominatio ciborum, ructus nidorosus, sicuti quando humor est acidus, simul cum Nausea adest appetentia, vt potestis colligere ex primo de loc aff. cap.4.

Eodem

Eodem modo poteritis Vomitum cognoscere ex imbecillitate retentricis factum.

Quod si fiat Vomitus propter Os Ventriculi supernũ aliqua ratione occlusum, facillimũ est hoc cognoscere, quia ipsi met patiẽtes referunt, se sentire cibum descendere vsq; ad Os Ventriculi, nec tamen pertransire posse. Ego vidi Virginem laborantẽ Vomitu ex inflammatione Oris Ventriculi, emplastro ex melliloto applicato ipsi dorso è regione ventriculi Sanatam: Si Os inferum sit occlusũ, vel mesaraicę, aut intestina, cibus in Vẽtriculo recipitur, & ibi aliquo tẽporis spatio moratur, postea ejicitur, corpore interim in atrophiã incidẽte, nec quicquã per aluũ, aut vrinã eiiciẽte.

Et si occlusio fiat ex inflammatione, adest febris acuta: Si ex substãtia carnea, febris aut nulla est, aut exilis, & ipsa carnea substantia tandem excernitur vel per inferiora, vel per superiora, vel per vtrumq; locũ. Huius rei exemplum est Virgo illa, quę superioribus mensibus laborabat Vomitu continuo ante tres annos, cum menses supprimerentur, incidit in febrem continuam, quæ ab eo tempore nunquam illam dimisit; Eiecit 80. lib. sanguinis per aliquot dies & portiones illæ carneæ pingues, q suppurantur per quinque menses, sunt 60. lib. Caussa: quia habuit vnum ex illis abscessibus carneis, quos nathas vocant, qui fiũt in externis partibus, vt vidi in Monacho S. Iustinæ, In his abscessibus continetur glans, caro, pinguedines: Cur igitur non in internis etiam inueniantur? Et ego credo abuisse circa pylorum hunc abscessum, qui comprimebat ventriculum, quo minus posset cibum continere, Quomodo potuit autem viuere sine cibo? Cum tunc fuerint menses suppressi, credibile est, hoc tempore fuisse ortum hunc abscessum & auctum, ex hoc potuit etiam nutriri.

Si materia Vomitus cõtineantur in Ventriculo, non quia excerni non possit, sed quia generetur, id cognoscetis, quia Ventriculus perpetuò aliqua laborat affectione, vel Inappetentia, vel Supinitate, Subuersione, Nausea, Singultu, Dolore Rugitibus Inflammationibus. accedit, quòd materia, quæ excernitur, aut est pituitosa, biliosa, porracea, sine morsu, vtpote, quæ generatur non per adustionem, sed ex ciborum proprietate, vt brassica, beta, porro, aut similibus.

Si fuerit sanguis, ex Ventriculo excernitur in modica quantitate, & rubicundus est; nam si fluat ex Iecore, copiosior erit, & magis nigricans: si ex Liene, adhuc magis niger & aciditatis participes, præterquã quòd melancholiæ & affectionis lienis aderunt signa. Vtrum verò quando ex Iecore transmittitur ad Ventriculum, id fiat ex primaria Iecoris affectione, an potius ex suppressis mensibus, vel hæmorrhoidibus, ex plenitudine totius, ex membro mutilato, poteritis facile intelligere partim ex relatione ægrotantis, partim ex signis aut plenitudinis, aut caliditatis Iecoris.

Quòd si materia transmittatur ab intestinis, aderunt signa Voluuli, & dolor Ilei, secum retentio; excrementa autem, quę Vomitu reiiciuntur, quandoque fęces redolent: si transmittatur à Capite, aderunt signa cerebri humidi, & catarrhorum, capitis grauitas, dolor, somnus, tussis &c.

Si fuit Bilis ex iecore habet interualla, & Vomitus excitatur potissimùm ante cibum, aut statim à cibo cum morsu, amaritudine oris, & siti.

Si transmittatur Melancholia, Vomitus infestat quinque vel 6. horis ab accepto cibo cum maxima Oris Ventriculi erosione, cum anxietate, & melancholia, & cum stupore dentium.

Quòd si humor, aut vapor veneficus sit caussa Vomitus, inter vomendum maxima superueniũt symptomata: Conuulsio, Vertigo, Palpitatio & Syncope.

Si fuerit Vermes, iste Vomitus ostendet Vermes.

Si fuerit angustia Ventriculi naturalis, cognoscitur, quia nunquam cibi multum continere potuerunt. Præter naturalis habet illa signa, quę habent tumores Ventriculi, de quibus dictũ est.

Idipsum dictum de vlceribus & caussis comprimentibus, & de affectione communium neruorum, quorum omnium signa sunt à nobis proposita.

Signa distinctiua Vomitus Critici à Symptomatico gerunt vicem prognostici.

Prognostica.

NAm omnis Criticus est salutaris, omnis Symptomaticus lethalis. videndum itaque qualis sit Criticus, & qualis Symptomaticus. Tres sunt Critici vomitus præcipue conditiones.

Prima conditio est, vt talia deiiciantur, qualia oportet, quod est dicere, qualia morbum constituunt, hac ratione vnusquisque Vomitus materiæ bibliosæ, etiam æruginosæ, melancholicę, liuidæ & nigræ, fœtidæ & corruptę, aliquando salutaris est, sic scribit Gal. 5. de loc. aff. ca. 9. Ex vomitu æruginoso conuulsionem sanari: sic Hipp. 4. aph. 37. excretiones omnes liquidas, nigras, fœtidas, si bene prodeant, bonas esse scripsit, quanquam de his omnibus 2. progn. à 38. tex. vsq; ad 42. malas & perniciosas esse dixisset. Regulã habetis generalem 1. aph. 2. & vlt. 4. aph. 2. Si talia excernantur, qualia &c. *Conditi-on. Vomitus Critici.*

Neque ab his excretionibus sanguinem excipio; quanquam enim Hippoc. 4. aph. 25. sanguinem ex supernis partibus exeuntem, vndecunq; exierit, malum esse scribat, nihilominus & in mulieribus & aliquando in viris seruata corporis integra sanitate educitur: hoc potest colligi ex 5. aph. 32. quando scribit Hipp. Mulieri sanguinẽ Vomenti menses superuenientes bonum; nõ scribit sanguinem illum Vomitu eiectum lethalem esse, imò verò, quando menses non fluxerint, posse illum esse salutarẽ, docuit Brasauol. in comm. eius loci, qui asserit, quasdam mulieres, quibus suppressi fuerant menses per Vomitum singulis mensibus noxium sanguinẽ expurgasse; id quod ego quoque semel obseruaui in Virgine moniale; sed & in Viris, præcipuè senioribus, vel quòd multo vtantur alimento, cum tamen pauco egeant, vel propter vitam otiosam sanguinis Vomitus, sunt vtiles. auctor est Plin. lib. 11. cap. 38. *Sang. Vomitus Salutoris.*

11. cap. 38. Malignum Fiscum & Vomitum Saturnnum vltra 90. annum vixisse cũ Vomitione sanguinis: quod etiam confirma Cardanus i com. 25. parte 4. Idcirco idem Hipp. 7. aph. 37. Sanguinem Vomitu ejectum cum febre malum sine febre malum esse non dixit.

Secunda conditio Critici Vomitus est, vt plura non educantur, quàm oportet; nam omnis immodicus Vomitus, imò omnis excretio immoderata etiam sudoris, vt notat Gal. 2. in 6. Epid. 35. vires ipsas deiicit.

Tertia conditio, vt fiat cum tolerantia virtutis, hoc dico non tantum propter copiam, quantum propter symptomata; potest enim esse modica rei eiectæ portio, & tamen vires non sint tolerantes, nam aut Syncope, aut Palpitatio, aut Conuulsio, vel quid tale succedit: propterea in Volvulo, quanquam pauca deiiciantur, est tamen exitialis Vomitus propter praua symptomata.

Quidam quartam addunt conditionem, vt fiat cum coctione, quam necessariam esse non puto; quandoque enim humores turbidi sunt ab initio, quos natura vtiliter expurgat, sicuti & medicamentum, quando natura non fuerit efficax.

Vomit. Symptomatic. Symptomaticus Vomitus ex iam dictis patet & propterea omnis Vomitus, qui fit ex imbecillitate facultatis retentricis, aut ex Orificiis conclusis, aut ex Ventriculo vlcerato, aut tumefacto, vel naturali angustia donato, aut ex compressione, vel deniq; ex communi neruorum læsione semper periculosus, & lethalis.

Curatio.

Itaque ad methodum curandi & materias Medicas descendentes distinctè in singulis differentiis versabimur, dico in sanabilibus; nam insanabiles prætermittam.

Occurrit autem primò, Vomitus ex imbecillitate Retentricis, ex qua fit etiam Supinitas & Subuersio & Nausea: propterea eodem modo sanantur, huic caussæ quando fuerit ex intemperie humida, & materia humida, occurrendum siccantibus & adstrictoriis, partim internis partim externis.

Ex internis iuuat hiera simplex, pilulæ alephãgi, ex aloe lota simplici. Sed præ cęteris iuuat ipsum piper subtiliter puluerizatum, aut in bolo confectum, aut in vino exhibitum. Petrus Baius lib. 1. c. 9. scribit se aliquot curasse vsu piperis, præbet drach. 1. piperis puluerez. inuoluti in hostia. Vos excipite aut melle rosato simplici, aut modico vino odorato, & bolum conficite: Ego vti soleo hoc puluere ad drach. 1. ex vino odorato tribus horis ante cibum.

Recipe Spicæ, Menthæ siue,
Absinth. exsicc. an. drach. ij.
Piperis drach. i. s.
Cinnamomi
Caryophyll. an. drach. s. M. f. puluis.

In eundem vsum potest administrari. Theriaca, & mithridatica confectio. Extrinsecùs in hoc casu mirificè facit emplastrum de crusta panis, & propterea, mulieres etiam facilè parant ad Vomitiones medicamentum ex pane tosto imbuto vino odorato, cui inspergunt pulueres masticis, caryophyllorum, nucis moscatæ, piperis, cinnamomi, quæ omnia maximè valent. His non conferentibus secuti Aetii consilium 1. tetrabl. 2. c. 180 ad picationem, ad sinapismos, dropaces deueniendum; hæc enim omnia non exsiccant tantum sed humidam materiam foras deducunt potestis parare dropacem huius conditionis i

Recipe Mastich vnc. sem.
Opoponac. serapin.
Bdell. an. drach. i.
Sinap. Piper.
Cinam Caryoph. an. drach. sem.
Olei de spic. vnc. sem.

Dissoluantur gummata cum vino odor. addantur pulueres, & oleum, & cum cera f. ceratũ.

Si Retentrix facultas sit vitiata propter humorem, vel nidorosum, vel acidũ, curatio pertinet ad alium locum.

Propterea statim me confero ad Vomitum factum ex pondere ex copia humoris in Ventriculo contenti, hic humor sit pro ratione quantitatis, non educatur, arte est educendus, aut Vomitu aut blando medicamento. Vomitum in hoc casu probauit Hipp. libr. de loc. in hom. confirmauit Gal. 2. in 6 Epidem. 8. Vomitus Vomitum sanat: si resistat humor, ante Vomitionem incidendus multa, oxymelite, præcipuè verò oxymellite alterato aut absinthio, aut spica, aut pulegio. Idcirco oxymel compositum, & scilliticum simplici est præstantius.

Post Vomitum, vel deiectionem ventris roborandus Ventriculus, de quibus infra.

Sed si fuerit sanguis, ante omnia reuulsio est necessaria. secundo opus est medicamentis grumos dissoluentibus; tertio oportet vti adstringẽtibus, refrigerantibus, agglutinantibus. ad reuulsionem faciunt non modò frictiones, ligaturę, cucurbitulæ, vel scarificatæ, vel non scarificatæ, sed omnium maximè ipsa venæ sectio: secanda est autem vena pro vario loco, ex quo fit Vomitus. si ex iecore, secetur iecoraria dextri lateris, si ex liene, sinistra; si non fluant menses, nec hæmorrhoides, aperiãtur infernę venę, reserẽtur hęmorrhoides.

Dissoluantur grumi sãguinis aut syrupo acetoso simplici, oxymellite, & quia hęc leuiora sunt si res non succedat, drach. i. mumiæ; loco mumiæ potest accipi omne genus coaguli, siue leporini, cuius meminit Gal. 11. meth.

Sanguis coagulatus in Ventriculo primo quidem est dissoluendus, deinde euacuandus, tertio vtendum auxiliis, quæ nouam sanguinis affluxionem prohibeant, dissoluantur grumi sanguinis usu solùm oxymellite, aut posca, verum etiã aqua destillata ex corticibus nucum, aut lixiuio, vel simplici, vel misto cum lacte ficulneo: sint lixiuij vnc. iii. lactis drach. 1. euacuetur deinceps aut pilulis de hiera, aut hiera simplici, aut rhabarbaro, aut melle rosato solutiuo.

Ad prohibendã nouã sanguinis affluxionem vtendũ aut refrigerantib. vbi adsit anastomasis, qualis sunt aqua polygoni, plãtaginis, portulacę, aut adstrictoriis, vbi adsit aliqua erosio, vt sunt succus rhibes, prunorũ syluest. mori immaturi, acacia, hypocistis, trochisci de charabe, & c.

Quòd si vas sit fractum, vtendũ medicamentis agglutinantibus qualia sunt amylũ, tragacãthum, gummi arabic. datur drach. 1. horũ puluerũ cũ albumine oui & hæc de Vomitu sanguinis.

Quod pertinet ad Vomitũ aliorum humorũ, cùm habeat hic Vomitus easdẽ fere caussas, quas Cholera, idcirco antequam illius curationem aggrediar, de natura Choleræ aliqua dicemus.

DE CHOLERA. Cap. XIV.

Dicit affectio Græcis χολέρα, Arabibus Choirica passio, & apud Hipp. 4. acut. 103. duplex est, Humida & Sicca: Humida rursum potest subdiuidi in Legitimam & Spuriam, nã Legitima, quæ vt docet Gal. 2. Meth. 2. ab humore nomen desumpsit, est excretio bilis per os & supernum & internum. Spuria autem est excretio cuiuscunq materiæ acris, siue sit bilis, siue sit cibus ad nidorem corruptus, vel ad putredinem hoc potestis colligere ex Gal. in comm. 103. 4. acut.

Sicca aut Cholera est excretio tantum cuiusdam flatus, vel vaporis acris.

Caussæ.

Legitima, in qua vidixi, bilis excernitur, habet caussas & excretionis & augmenti bilis; excernitur enim vno, & eodem tempore hæc materia & per superiora, & per inferiora, quia vtrumq; os est imbecillum: hoc docet Gal. 3. de natural. facult. 5. est verò imbecillum vtrũque os, aut quia laxatum, aut quia irritatum, de caussis laxitatis abundè diximus in Cap. de Nausea; sũt enim caussæ humidæ; propterea Gal. 3. de caus. sympt. 2. dicebat ex frigidæ potione Choleras gigni.

Irritamentum est ex materia acriori, & superno & interno ori imbibita, de qua meminit Gal. 3. de natur. facult. c. 13.

Caussæ verò augmenti huius bilis circa Ventriculũ tres sunt: Generatio; Attractio, Expulsio.

Generatur bilis in Ventriculo ex quorundam ciborum proprietate, vt porri, allii, cœpæ, brassicæ, betæ, vt colligitur ex 2. progn. 39.

Attrahitur propter eundem morsum circa ora hæc Ventriculi factum.

Transmittitur etiam materia & à iecore, & à toto corpore, vel quia ibi multa generatur, vel quia retinetur. Retinetur autem maximè quando densatus est corporis habitus: Generatur verò aut ex naturali temperamento calido, & ætatẽ iuuenilli, propter quam caussam scribit Gal. atq; cum eo Hipp. 3. aph. 30 Iuuenibus Choleras fieri: Generatur quoq; ex quorundam ciborum proprietate, præcipuè vero ex melonibus, vt docet Gal. 2. de alim. facul. c. 4.

Humida autem Cholera Spuria habet pro materia quem cunque humorem acrem, atq; ideo generatur illa frequenter in illis, qui se ipsos replent rebus dulcibus, mellitis & saccharatis, farciminibus, compositisq; illis edulijs ex sanguine porcino pinguedine, aromatibus. idipsum autem fit ex nimio vsu lactinorum, omniumque acriũ & aromatum præcipuè si hæc retineantur in vẽtre, corrumpuntur enim, & si tandem excernantur, faciunt Cholerã humidam: si verò impingantur in membranas, faciunt Choleram Siccam, in qua erumpit vapor acris, non autem materia.

Signa.

Cognoscuntur facilè hi affectus, & distingũtur ẽt inter se non difficulter; nam in Legitima, vt dixi, bilis tãtũ excernitur, siue flaua, siue pallida, aut crocea, aut æruginosa. in Spuria excernitur, vt antea dixi cibus ac potus corruptus in nidorem, aut putredinem conuersus. in Sicca præter quam quòd vapor tantùm erumpit, vẽter est tumidus, dolens, rugitus ad sunt sitis, nausea, oris amaritudo, & propterea omnes istæ Choleræ differentiæ periculosi sunt affectus.

Prognostica.

Cholera est affectus acutus, ita vt aliquando hominem vno die interimat; & propterea dicebat Gal. 5. aph. 1. ex Choleris aliquando conuulsiones fieri, & ad Glauc. 14. inquit, fieri etiã syncopen; etiam si aliquando huiusmodi Choleræ critico modo appareant, & corpus ipsum à nimia humorum cacochymia liberare consueuerit, vt docuit Gal. 7. metg. cap. 11.

Curatio.

In curatione huius affectus tria sunt animaduertenda: primo, an expurgatio sit copiosior iusto: secundo, an potius vel nihil excernatur, nisi flatus acris, vt in Cholera Sicca. vel minus quã oporteat tertio. vtrum euacuatio proportione respondeat quantitati humorum peccantium, & viribus.

Si euacuatio iusto copiosior fuerit, vt conuulsio, & syncope succedat, statim vtendũ adstrictorijs: nihil dico de reuulsorijs, neq; de restituentibus vires, quia de his satis i tractat. de syncope facta ex nimijs purgationibus; id tantùm dicam, quod huc pertinet. in Cholera nihil esse præstãtius ad adstringendum ex medicamẽtis externis, quàm emplastrum de crusta panis; & quia Cholera, vt intellexistis est multiplex, quandoq; Legitima, quandoq; Spuria, & in Spuria excernuntur omnes humores; acres, atrabilis, cibi corrupti ad nidorem, ad putredinem, aliquando sanguis ipse, vt abunde Brasauol. com. 103. 4. acut. declarauit. & simul cum his rapiuntur quoq; alij succi alimentales, & ichorosi; idcirco hoc emplastrũ debet vario cõponi modo pro varia humorũ qualitate redundantium, vt exempli gratia in calidis humoribus, Bile, Sanguine, Atrabile, hoc modo

Recipe Crust. pan. assat. vnc. iii.

Imponatur vel in succo granator. vel in omphacio, vel in aceto, deinde contundatur, & per cribum transmittatur; huic adde:

Succi cynton. vnc. i.
Olei ros. omphac. vnc. ſem.
Puluer rosar myrtillor.
acacie an. drach. i. M.

Vbi

Vbi humores fuerint mixi cum frigidis, mixtum quoq; debet esse medicamentum. A

Crusli panis poterit imbibi aliquo vino austero, aut generoso: poterit admisceri succus mētę; absinthij: possunt addi pulueres mastiches, caryophyllorum, cinamomi: vel potestis vos accipere aliquid cinamomi, & aliquid rosarum, & sic vario modo medicamentum componere.

Idē esto iudiciū de internis medicamentis, quę in syncera bile debent esse frigida adstrictoris, vt sunt succi ribes, granatorū, prunellorum syr. ex cytoniorum: in permixtione humorum frigidorū B absynthium erit admiscendum, mentha, &c.

Sed si minus eduabitur quam oporteat, iuuanda est natura, sed de loco per quem debet iuuari, est aliqua difficultas. Rondeletius fuit huius sententię, iuuandam esse naturam per os supernum, quando patiens sit facilis ad vomitum, & ex vomitu nō incidat in syncopen, aut cōuulsionē; sed hæc sententia est contraria Hipp. Gal. & rationibus Hipp 4. acutā. 104. text. vsq; ad 110. curationem proponit vtriusq. Choleræ: sed à 104. vsque ad 109. meminit tantū Cholerę Siccæ, in qua apertissimè prohibet vomitum: in 110. loquēs de C Humida proponit mulsam, & vomitum, sed si Gal. credimus, & rationibus est error in textu, & addendum est aduerbium Non: Rō est in promptu; nā si in Cholera Humida materia purgatur & per superna, & per inferna, Medicus perinde imitatur naturā, si educat per inferiora, atq: si educat per superiora: quòd si educat per superiora afferet naturæ incommodum, quia os supernū est sensibile, infert syncopen, Palpitationem, Cōuulsiones, id quod non facit os internum. Itaq; D satius est per inferiora educere. Modum educēdi per inferiora proposuit idem Hipp. loco citato, Aut per clysteres molles, vt esset hic Clyster.

Recipe lact. aut ptisan. hord.
aut iur. ping. lib. i,
succ. rub.
olei violat. an. vnc. iij. M.

Aut poteritis præbere vnc. iiij. vel v. ol. amyg. dul recentis cū vnc. i. vel altera Vini granat. Nā aluū subducet, & os supernū adstringet. Laudat etiam Hipp. vsū lactis asinini, & sane maxime conducit E possuntque dari in Cholera Sicca lib. iij. vel 4. in Humida imperfecta vnc. viij. vel ad summū lib. i. Non improbo vsum cassiæ, tamar. in modica quant. Sint cassiæ drach. v. vel vj. tamar. drach. i. vel altera, Gal. 8. de comp. loc. 3. ex sententia Archigenis vtebatur aqua simul cum vino generoso, vt simul & semel educeretur humor, contemperaretur & roboraretur Ventriculus Debet autem præberi aqua tepida non frigida, vt voluit Aretæus, & Mesues, qui illam proponunt ad alterandum, non ad vacuandum: debetq; præberi co- F piosum ad lib. 3. vel 4. in iunioribus robustis frigidæ assuetis dum modo Cholera sit Legitima.

Loco aquæ cōmunis potest etiam accipi hordeac. aut serum caprin. quæ omnia iuuant & euacuando & alterando. De cęteris verò alterantibus & corroborantibus ne verbum quidem dicā quia magna ex parte sunt proposita in tractatu de Cardialgia, & aliis Ventriculi affectionibus: A illud tantùm animaduertatis, cuius meminit Hippocrates 4. acutor.

Victus Ratio.

IN Cholera Sicca abstinendū à cibis & potionibus indulgendum somno, vtendū balneo aq. dulcis, & si flatus iste admodum vrgeat, vtendū vino aliquo moderato, albo, tenuis substantiæ, cuius ratione calor ipse confirmetur, & vapor digerantur. Quòd si natura ipsa sponte sua humores istos quantum decet, expurgauerit, nihil innouandum, sed totum opus naturæ relinquendum

B Hactenus de effectionibus Oris Ventriculi.

DE LAESA CONCOCTIONE.
Cap XV.

CVm Coctio sit per mutatio alimenti in substantiā alendo corpori similē, vt docuit Gal. 3. de nat. facult. 4. & 8. & 3. de caus. sympt. primo ideirco trib. præcipuè modis læditur, aut quia alimentū nullo modo transmutatur, & dicitur Grçce Ἀπεψία, aut ęgre admodū, & nō nisi logo tēporis iteruallo mutatur, vocaturq; Βραδυπεψία, aut C mutatur quidem, sed in substantiam alendo corpori minimē accommodatam; Vocari autem potest Δυσπεψία, vt docuit Gal. lib. de diff. symp. c. 4

Loquemur primùm de Sublata, & Imminuta Coctione, deinde etiam de Praua. Diminuta aut Ablata Coctio fit vel lęsa facultate, vel ob errorē externum. Læditur facultas aut impedita, aut labefacta: Impeditur à morbis instrumentarijs, & communibus, de quibus abundè dictum est superius. Labefactatur propter intemperies simplices, aut compositas, de quibus nūc erit sermo: & quia D de Diminuta, vel Ablata Coctione loquimur, idcirco intemperantias tantùm proponemus Cruditati efficiendæ propria.

Sunt autem frigidæ, vel humiditati vel siccitati connexæ.

Rursum vel æquales vel inæquales.

Tertio vel primarię vel secundariæ.

Inæquales intelligo tam ratione frigiditatis, quàm ratione passiuarum qualitatum; nam ratione frigiditatis duplex est in Ventriculo inęqualis intemperies, vna ratione loci, altera ratione mate E riæ: ratione loci cùm Os Ventriculi est calidum, fundus aūt frigidus: ratione materiæ cùm tunicæ frigidę, humores in cauitate contenti sunt calidi: ratione passiuarum qualitatum est inæqualis intemperies, cùm tunicę Ventriculi amiserunt propriam humiditatem substantificam, & tamen humor abundat excrementitius.

Est primaria intemperies, quæ fit in ipsismet tunicis Ventriculi, Secundaria verò quæ fit aut defectu bilis aut deficiente calore iecoris, omenti septi transuersi, lienis, cordis, venæ, & arterię F magnæ, quas omnes partes docuit Galenus suo calore ad Concoctionem, Ventriculi conferre 3. de nat. facult. cap. 7.

Sed dicet quispiam, quid conferibilis ad Coctionem? docet idem Galenus 5. de Vs. part. 4. bilem naturaliter non concurrere ad Ventriculū & si concurrat, facit Cardialgiam, Inappetentiā, Subuersionem cibi, quomodo ergo bilis confert concoctionis.

Bilis quomodo iuuent Coctionem. Respondeo. Bilis aut confluit ad cauitatem, A aut ad fundum Ventriculi inter tunicam,& tunicam, ad cauitatem non confluit naturaliter, & inutilis, ac perniciosa est, si fluxerit, naturaliter confluit ad fundum: ad tunicas ipsas, vt suo calore iuuet calorem innatum ventriculi, sicuti iuuat aliç partes circumstantes, locus est Gal. pro hac re 6. de a nat. adminis. c. 12.

Caussæ Procatarcticæ.

Mediatæ harum intemperaturarum caussę sunt in triplici differentia; aliæ enim refrigerant & humectant; aliæ refrigerant, & exsiccant: aliæ primò & per se exsiccant, secundariò re- B frigerant, quæ refrigerant & humectant, sunt internæ & externæ: internæ aut cibi, aut medicamenta. cibi sunt omnes fructus horarij, frigidi, humidi, melopepones: mora, pruna, &c. sunt omnia olera frigida, potus aquæ aut vini admodum niue, & glacie refrigerati, inter medicaméta sunt omnia sopo rifera, opium, hyoscyamus, papauer, lactuca: inter caussas extrinsecas est aer frigidus, aquæ & medicamenta frigida, refrigerant, & exsiccant omnia acerba & austera, vt mespila &c. C omnia acida, vt succus melon. limon. citr. granat. ribes.

Quæ autem exsiccant, id faciunt vel per se, vel ex accidenti: per se quidem terræ plurimæ medicatæ, vt terra lemnia, samia, armena: ex accidenti inedia, euacuatio omnis, siue per nimium veneris vsum, siue vomitum, aut quacunque alia ratione, in hac classe possunt reponi illa omnia quç propter insignem caliditatem digerunt calidum innatum simul cum humido, siue sint medicamenta, vt est aurum illud potabile, quo D plurimi ad conseruandam valetudinem vtuntur, item maximæ iecoris & aliarum præcipuarum partium intemperantiæ.

Non est silentio prætermittendum mirificè calorem innatum exsolui ob nimiam tunicarum Ventriculi tenuitatem, vbi enim tunicæ Ventriculi ex crassis fiunt tenues siue quia nimium extendantur à copioso cibo & potu, siue quia alimẽtum à iecore non recipiant, calidum & humidũ innatum amittunt: hoc voluit Gal. 3. de natur. facult. 7. quando inquit, præter alias caussas, quæ E ad Coctionem concurrunt, concurrere etiam totam Ventriculi substantiam. per totam substatiã intelligit conuenientem tunicarum crassitiem, dequa etiam meminit Hipp. & cum eo Gal. 2. aph. 35. dum inquiunt, partes ad ventrem pertinentes debere esse bene corporatas, & carnosas.

Externus error positus est in excrementis, alimentis, atque in somno: in excrementis, quando Ventriculus fit multa pituita refertus siue dulci, siue acida, siue alia, in alimentis, quæ peccant aut quantitate, aut qualitate, aut tempore, aut ordine, aut præparatione, quantitate, cum plus accipitur, vel cibi, vel potus quàm conueniat, qualitate aut occulta, aut manifesta; Occulta, idest, venefica; manifesta vel peccante in prima, vel in secunda qualitate, in prima, cùm frigidus, in secunda, cùm nimis crassum, viscidum, & lentum fuerit alimentum, quale desumitur ex leguminibus, caseo, lacticinijs, placentulis, piscibus, testaceis præcipuè, & crustatis, cartilagineis, & alijs id genus: *Alimẽta lædunt Coctionẽ Quantitatem. Qualitate.*

Tempore. quoad tempus error committitur, si ingeratur cibus, antequam prior descenderit, vel antequã excrementa educta fuerint, vel statim ab exercitatione corporis, quoniam fuerit super calefactum corpus: de ordine scio, Gal. 3. de caus. symp. primo, improbasse illos, qui primò accipiunt austera *Ordine.* adstrictoria: in fine autem mensę liquida, & corruptibilia: sed de his non est communis quædam regula,

Præparatione. Error quidem est in præparatione, dum multa simul miscentur diuersarum facultatum dũ cõdiũtur multo lardo, aut pinguedine, alijsq; oleosis.

De somno nihil est, quod dicam: norunt omnes, quantum faciat defectus somni ad cruditatem inducendas.

Signa Diagnostica.

In tractandis propositarum intemperaturarum signis primò diagnostica, dein distĩctiua, mox prognostica sunt referẽda. Diagnostica sunt, quæ Diminutam, vel Ablatam Coctionem ostendunt & hęc facilimè comparantur: patientes enim referunt se cibum etiam coctu facilem post nouẽ, & decem, & plures etiam horas in Ventriculo nõ mutum sentire, propterea grauitate premi, ructibus acidis vexari, anxietate, & tandem vomitione cibum ipsum vel prorsus non mutatum, vel ægrè mutatum reddere coguntur: quòd si aliquã do descendat, liquidas facuit deiectiones in modum Cœliacæ affectionis.

Si hæc cruditas fiat ex errore, externo in cibo, potu, aut somno, comparatur ex relatione patientis, & facilè emendatur: idcirco statim sublato errore externo Ventriculus reuertitur ad naturalem statum.

Si verò error sit in excrementis, opus est arte ad dignoscendam hanc caussam: cognoscuntur itaq; excrementa vitiatæ Con coctionis caussa, quia etiam, ante cibum acceptum sentitur in Vẽtriculo grauitas, morsus, prout varia est humorũ natura, dum fiunt vomitiones, & deiectiones, ipsa excrementa apparent plurima, vel sincera, vel cibis commista, & post excretionem Coctio meliùs perficitur.

At si intemperies sit Cruditatis caussa, vel signa excrementorum non ad sunt, vel quanquam adsint, & excremanta educantur, Coctio tamen non euadit melior.

Signa Distinctiua.

Distinguetis aũt intẽperiẽ frigidam humidã à sicca frigida hoc modo: quia in frigida humida totũ corpus, & partes ad hypochondria spectantes sunt bene corporatæ, adest sputuũ copiosũ, patiẽtes sunt propensi in somnũ, læduntur à refrigerãtib. & humectantib. iuuãtur à calidis & siccis, cõtra verò in frigida & sicca intẽperie Vẽtriculi partes, & totũ corpus est emaciatum; idcirco ęmulantur isti marasmũ senilem, atq; ideo dicuntur laborare hectica Ventriculi; sitiunt, nihil tamẽ, inæqualis sit intemperies; nã vt antea dixi, cũ de- *Hectica Ventriculi.* fectu calidi, humidi adest abundantia excrementosi succi, vt propterea exsiccati nũ sitiant, imò & fre-

frequenti sputo vexentur et hoc modo cognoscetis inæqualem intemperiem in passiuis. A

In actiuis verò cognoscetis, quando Os Ventriculi est calidum, fundus est frigidus, quia etsi adsit inconcoctio, neque adsit macies corporis, patientes tamen laborant siti & inappetentia cùm tamen Ventriculus frigidus plus appetat, quàm contra qui fiergo frigidus existens atque sius adsit, argumentum est inæqualis intemperiei inter os & fundum. B

Cognoscitur etiam intemperies inequalis inter tunicas refrigeratas, & humores calidos, quia Coctio non fit, aut imperfecte fit, & tamen patientes sentiunt oris amaritudinem, morsum Ventriculi vertiginem, excrementaque per vomitum & aluum eiecta simul cum cruditate bilem habeat, communitamt idipsum vobis confirmabit iecoris temperatura multo calidior.

Venenatam caussam cognoscetis esse Cruditatis causam, si non modo inconfectus maneat cibus, sed aliquando corrumpatur ad nidorem, C quandoque ad putredinem, nonnunquam ad acidam, simulq; adsint alia quamplurima symptomata ad Os Ventriculi spetantia, de quibus superius.

Vbi a. tunicæ Ventriculi nimium laxatæ & attenuata sint Cruditatis caussa, id cognosceris aut ex caussis prægressis, quia isti frequentibus copotationibus sunt dediti, aut cibo se nimium repleni, vt propter validam extentionem crassities abeat in latitudinem. accedit quòd isti quoque imbecilles habent facultates retentricem, & expultricem; vt propterea ad vomitum sint faciles, D ad reddenda alui excrementa inepti.

Prognostica.

Est omnis Cruditas magni momenti, quamcunque tandem intemperiem sequatur, dicebat Hipp. 3 in 6. Epid. primo. Ventris torpor omnium confusio. Gal. abundè 3. de caus. sympt. 1. & de cib. bon. & mal. succ. c. 14. omnia refert incommoda siue cruditas sit in tenuibus, siue in crassis humoribus ex intemperaturis tamen multo deterior est sicca, vt colligere potestis ex Galen. 7. meth. cap. 5. E

Curatio.

Curatio intéperaturarum propositarum habetur quidem apud Gal. in 7. meth. frigidę & humidæ in ca. 4; sicca verò in c. 6. Ego tamē siccitatem a frigiditate non sejungo; nam vt dicebat idem Gal. in princ. cap. 6. vbi progreditur siccitas, frigiditatem semper habet connexam, F & copulatam; Nos verò in præsentiarum loquimur de sicca ex vsu artis, quæ iam progressa sit.

Frigidam igitur & humidam intemperiem curare non licet, nisi primùm euacuatis humoribus qua vel in cauitate, vel in tunicis continentur, de eua euacuandi ratione nil amplius dicam, quia vos remitto ad lectionem præteritas. nunc itaq; erit sermo de alterantibus tantùm, tam internis, quàm externis.

VI. Alterantia

Et cum ingens sit medicamentorum sylua, conueniunt in hoc casu ex rotulis Diatrionpipereon, arom. uicum rosatum, Diaspoliticon, Diacuminum, & alia id genus. Ego taner in frigida & humida intemperie nihil pulueribus præstantius inuenio. Conficiatur ergo hic puluis.

Recipe Spicæ, Absynth. exsiccat.
Arent. sicc. an. drach. ij.
Zingib. Cinamom.
Caryoph. an. drach. i.
saccari. drach. iij.

Puluerizentur omnia & misc. dosis sit drach. i. in vino aliquo aromatico, siue simplex fuerit siue alteratum, vel absinthio, vel cariophyllis, vel cinnamomo, & nuce moscata hec enim pro maiori vel minori frigiditatis & humiditatis abundātia fortiora, vel minus fortia sunt eligenda non improbo conseruam ex absyntio, zinziber conditum, mithidraticam confectionem tempore debito. Conueniunt & aquæ thermales, salsæ præcipue, sulphuratæ, aluminosę & nitrosæ.

Extrinsecus conueniunt fomenta calidissima & sicantia aut ex vino odorato, in quo leuiter ebuliant, spica, squinanthum, calamus aromaticus, mentha, absinth. aut fiant stillicidia ex aquis medicatis iam propositis. post stillicidia verò adhibeatur hoc ceratum.

Recipe mastic. vnc. sem.
Aloes, Cinamom.
Cariopb. an. drach. i.
Ceræq. s. M. f. ceratum

Victus Ratio.

Victus ratio proportione respondeat, vtantur carnibus tantùm assis, præcipuè auium syluestrium, sit panis biscoctus, aut saltem optimè coctus. parum bibant; vinum autem sit generosum: corpus exerceant: si exerceri non possit, aut balneo digerente, aut frictione aspera vtantur: aluus sit lubrica, pilulis potissimùm alephanginis vocatis, aut hiera simplici, aut pilulis de hiera vocatis.

Curatio Siccæ Intemperiei.

Siccam intemperiem corrigit Gal. 7. meth. 6. & 7. vsu lactis asinini nuper emulcti & melli despumato conmisti, haut humano ex vbere sucto. loco mellis vos poteritis vti saccaro sint lactis ab initio vnc. iij. saccari vnc. sem. augeatur paulatim dosis vsq; ad vnc. vj. & viij. cum sacch. vnc. i. quatuor horis ante cibum post balneum, cuius meminit idem Gal. loc. cit. sit vero balneū tepidum, & mora in balneo vsq; ad moderatam caliditatem: post balneum fiat inunctio ex oleo amygdalino, post inunctionem lac exhibeatur. cæterum quibus lac non conuenit, ego præbere consueui formulas quasdam & ius, quæ præscribuntur hoc modo. Formulæ descriptio est talis.

Recipe pulpæ nucis indic. unc. iij.
amygd. dulc.
nucl. pin. macerat in lact. an. unc. ij.
cinnamomi drach. sem.
carnis caponis unc. iiij.

Contundantur omnia & cum saccaro dissolu to cum aq. flor. citri, aq. meliss. f. confect. in morsel datur drach. sem huius confectionis, & postea statim superbibant unc. vj. huius iuris.

Recipe fol. malu. rad. alth. an. M. j.
amygd. dulc.
nucleor. pin. an. unc. iij.
amyli unc. i.
menth. N. f.
cinnamom nuc mosc. an. drach. j.

Ponantur in ventre optimi pulli, & bulliant ad perfectam coctionem, & facta expressione ius seruetur ad vsum.

Pro integra Cruditatis curatione quinque sunt persunt dicenda, primò quidem de externis ad siccam & frigidam intemperiem, secundo de victus ratione in eadem, tertio de curatione Inæqualis Intemperiei, quarto de auxiliis ad Laxitatem & Tenuitatem Ventriculi, quintò de remediis aduersus venenatam qualitatem.

Externa remedia ad frigidam & sicca intemperiem multa proponuntur, oleum masticinum nardinum, omenta animalium his oleis imbuta, catelli parui super Ventriculum impositi, manus pueri impolluti, & alia id genus; sed tria sunt præcipua, primum rasura panni purpurei imbuta oleo nardino & masticino, secundum est Stillicidium ex oleo; oleum verò sic paratur. *Stillicidium.*

Recipe ol. amygd. dulc. lib. ij.
commun. lib. iij.
mastic. nard an. unc. ij.
vini alb. odor. unc viij.
absint. menth. an. M. f.
cinamo. nuc. mosc.
caryoph. an. drach. i.

Hæc ponantur in sindone, & bulliant in prædictis oleis & vino ad consumptionem vini & facta expressione oleum seruetur ad vsum: fiat hoc stillicidium per 10. aut 12. dies, mane & vesperi, actu calidum, ieiuno ventre per horam vnam plus minus deinde statim superponatur aut omentum, aut rasura purpurea oleo imbuta vel hoc ceratum.

Recipe Ladani, mastic. an. drach. ij.
ol. ex nuc. mosc. drach. i.
cera q. s. M. f. cerat.

Picatio Tertium est Picatio quæ hunc in modum administratur pix liquata, oleo masticino aut nardino commixta, picatio calens extenditur super corium adhibetur Ventriculo, & statim adhibita remouetur, atque iterum calens apponitur, & sic vicissim tollitur, vsque quo rubor in carne excitetur. Quantum possit hoc medicamentum ad attractionem alimenti, ad restaurandam substantiam deperditam, docuit Gal. 6. de tuend. valetud. 2. 14. meth. 14. & singulatim in intemperie frigida & sicca 7. meth. 7.

Victus ratio.

IN hac intemperie circa victus rationem hæc potiora vobis sunt notanda, vt cibus paulatim præbeatur; nam Hipp. 2. aph. 7. inquit, quæ longo tempore extenuata sunt corpora, sensim sunt reficienda alterum est, vt cibi sint humectantes, moderatè calorifici, sed multi alimenti & pauci excrementi; ideirco præter omnia lactis genera, emulsio amygdalarum dulcium, & fercula ex farina amyli, & hoc lacte, modico addito cinnamo, & saccaro primas habent huius nutritionis partes, de vino illud vos moneo, ne in sicco Ventriculo austerum vinum vnquam concedatis; quanquam enim Gal. 7. meth. 6. hoc concessisse videatur, ibi loquitur de sicca intemperie absque frigiditate, quæ propterea non est progressa; nam vbi adest calidum innatum adest quoque humidum substantificum: vbi verò humidum substantiale deficit, necessariò deficit & calidum in quo casu nihil perniciosius adstrictoriis, quæ reliquum humiditatis depascuntur, vt idem Gal. monuit 7. meth. 7. ideo consultum est in his casibus, ante omnia cibaria copiosam præbere patientibus potionem aut iuris optimi, aut lactis, aut emulsion. amygd. dulc. vt tunicæ exsiccatę, & à liberali hoc potu humectatę extendi possint, & reliquia cibi probè conplecti, non tamen laudo Garciæ Lopii Lusitani consilium c. 4. lib. de varia rei med. lect. qui docet, hunc post vini liberalem esse debere. Vinum, auditores, ieiuno ventre præcipue exsiccatis conuulsiones infert. hoc docuit Gal. comm. 21. par. 2. aph. *Notanda circa Victum.* *Large Vini potio damnatur*

De Inæquali Intemperie.

QVod pertinet ad Inæqualem Intemperiem, si fuerit inter fundum & os, vt fundus sit frigidus, os calidum facilis est sanandi ratio, & ea quidem duplex: primo vt in principio mensæ exhibeantur calida, in fine frigida & austera, secundo vt parti anteriori ventris calida adhibeantur medicamenta, posteriori autem circa 12. vertebram frigida, ibi enim est os Ventriculi.

Quod si Inæqualitas sit inter tunicas & humores, vt humores sint calidi, tunicæ verò frigidæ, quod contingit iecore admodum feruido, primum calidum humorem educere oportet aut vomitu, aut deiectorijs, quæ tamen cale faciant, & bilem simul expurgent. Talis est hiera simplex, tale rhabarb. aloë, potio ex absinthio, purgant bilem, & tunicas calefaciunt.

Si inæqualis sit Intemperies ratione passiuarum qualitatum, vt tunicæ sint siccæ, ex defectu humidi substantifici, & tamen abundet humor pituitosus excrementitius, hoc opus, hic labor, in hac curatione ante omnia humores in cauitate contenti placidis medicamentis sunt educendi, quæ humectent moderatè calefaciant, & sint potius alimentalia, quàm medicamentosa: Talis est manna, mel. viol. solut. cassia, myrob. chebuli, quorum vnus vel alter, dummodo ex illis sit, qui in Syria conditi non Venetijs; cognoscetis autem Venetijs fuisse conditum, si percussus emittat sonitum, sin minùs conditus fuit in Syria.

Purgato Ventriculo necessarium deinceps ipsum humectare simul & siccare id ego vario modo præstare consueui: primum quidem dum lac exhibeo, in ipso lacte infundo quinque vel sex guttas olei, aut ex aniso, aut ex fœniculo, aut ex cinamomo, vel si adsit suspicio luis Veneręq, ego impono oleum ex ligno sancto ad guttas 5. vel 6. si lac locum non habeat, in iure, cuius memini in præterita lectione, addere consueui aut radicem chinæ, aut salię, aut aliquid ligni Indici, si oleosum fuerit, apud me multo melius est, quàm china vetus, & cariosa. aliquando vsus sum sanguine porcino calente destillato, misto cũ aliqua portiuncula aq. cinamomi: hæc. n. omnia humectant, nutriunt & simul exsiccant.

Ad proportionem verò internorum medicamentorum externa quoque debent esse sicciora, atq; ideo si picatio administretur, ipsi pici dissolutę poteritis addere, vt etiam consulit Aetius, aliquid piperis & pyrathri.

Victus ratio.

VIctus quoq: ratio nutriens quidem esse debet, & humida, sed siccantibus permista. hoc casu locum habet illud meum ferculũ, quod soleo parare ex flore farinæ hordei, & ex saccaro puluerizatis, in olla positis, & in furno vsq; adeo exsiccatis, vt crustosa euadant: vnc. j. huius pulu. in lib. j. aut iuris optimi, aut emulsi. amygdalæ, est ferculum in hoc casu aptissimum.

Laxitatis tunicarum Curatio.

SI laxatæ sint tunicę, tota curatio consistit in medicamentis adstrictorijs vel calidis, vel frigidis, vt laxitas sit connexa vel frigiditati vel caliditati.

Sunt materiæ calidę adstrictoriæ: absynthiũ, spica, squinanthum, calamus aromaticus mastix, aloe, olibanum, thus. Frigidæ autem citonia, rosę, granata, sorbe, agresta, rhibes, & alia. Ex his poteritis vos componere medicamenta.

Curatur vitium inconcoctionis venenatæ autheriaca, aut mithridatica confectione.

DE DEPRAVATA CONCOCTIONE Cap. XVI.

PRauæ Coctionis quanquam Auicen. 13. tertii t. 3. c. 2. & cũ eo recentiores quidẽ quatuor constituant differentias primam ad nidorem, secundam ad acidum: Tertiam ad putredinem, quartam ad extraneam qualitatem; quia tamen omnes tandem ad duas rediguntur, nos cum Gal de duabus tantùm loquemur, de ea scilicet, quæ fit ad Acidũ, & de illa, quæ ad Nidorẽ, Fit vtraq; hæc corruptio, aut læsa facultate, aut ex erroribus externis. Læditur autem facultas vel ex morbis instrumentariis, & communibus, de quibus antẽ abunde dictum est, & idcirco hos omnes præter mittendos censeo; aut labefactatur ob intemperies, de quibus in præsentia erit sermo.

Et primùm quod spectat ad Acidã corruptionem, hanc semper fieri ex intemperie frigida docuit Gal. 3. de caus. sympt. c. 1. primo de loc. aff. 1. quanquam frigiditatis nomine non intelligit integnem lapsum intemperaturæ frigidæ; ex hac. n. fit cruditas, sed imminutum, & imbecillum calorem propterea dicebat loco citato, frigidam intemperiem ne quidem aggredi ciborum coctionem; imbecillum autem calorem alterare quidẽ, sed imperfecte, ideo in Lienteria ructus acidus est optimum signum. Hipp. 6. aph. 1: quia hic ructus indicat natiuum Ventriculi calorem in Lienteria deperditum jam reuiuiscere. *Ructus acidus cur in Lienteria bonus.*

Corruptio autem ad Nidorem, dum fit ex intẽperie, semper sequitur intemperiem calidam & siccam. ideirco dicebat Arist 4. met. cap. 2. sect. 1. quem sequitur Galen. 4. in 6 epid. 25. 8. meth. 5. 2. de alim. facul. 6. Nidorem fieri à calore vstiuo. *Corruptio Nidorosa.*

Vtraq; tamen hæc corruptio fit etiam ab erroribus externis. & dum fit sermo de Acida, error est vel in excrementis, vel in alimentis. in excrementis, quando vel ex propria natura sunt acida, vt est pituita acida, melancholia acida in Ventriculo contenta, aut quando habent naturam austeram, quæ à caliditate transmutatur in acidam & hoc notate propter ea, quę infra dicentur. hoc fit in melancholia naturali, quę ex propria natura potiùs est austera. Auicena inquit, esse saporis Pôtici, idest austeri; ex vstione verò fit valde acida, vt docuit Gal. 3. de locaff. 7. li de atra bile, c. 3 lib. de plenitud. 11. atq, passim. *Super Ponticus*

Ex alimentis pariter fit corruptio ad Acidũ, peccantibus illis vel copia, vel qualitate. Copia, quando natiuum calorem, etiam si validum, suffocant, vt docuit Gal. com. 22. lib. 2. acut. peccant Qualitate quando sunt aut nimis frigidi, atq humidi, vt vina tenuia, fructus humidi cucurbitæ, oleta frigida, aut quando facilè putrescunt, vt lac, ptisana, & alia id genus, aut quando sunt saporis austeri, vt sorba mespila, cytonia, quę ex vlteriori coctione in acidum saporem mutantur. & quãquã Gale. 4. simpl. c. 8. austerum scribat mutari in acidum ex augmento humidi, non tamen negare potest, id etiam fieri accidente calore, qui, vt antea diximus, melancholiam exustam scribit fieri acidam à calore vstiuo, & fructus etiam quotidie inspicimus æstiuo tempore ex austeris & acerbis in acidos mutari non tantùm propter humiditatis incrementum, quãtum propter aeris caliditatem. ex his colligite corruptionem ad Acidum in Vẽtriculo neque vnico modo fieri, neque ex vnica caussa, atque ideo iure Alexan. Tral. lib. 7. cap. 16. affirmasse, corruptionem ad Acidum ex intemperie calida fieri, & aliquando sanari refrigerantibus.

Qui super hac quæstione aliquid dixerunt, fuere Valles lib. 6. controuers. 8. qui hoc tantum docet, acidum saporem non fieri ex intemperie frigida, sed tantùm ex calore debili, qua ratione putat se omnes ambiguitates soluere. Sed decipitur, quia corruptio ad acidum in lacte, in vino exili tenui, & similibus, quæ modicam habent caliditatem, aut facilè putrescunt, non fit à calore imbecillo, sed à calore valido surripiente calidum innatum vel lactis, vel ptisanæ, vel alterius corporis similis.

Hoc etiam dicit Auerr.3.collig.16. In cuius sententiã venit Christoph. à Vega com.11.lib.2. de diff febr.qui inquiunt, saporem acidum à calido in huiuscemodi casibus non per se, sed ex accidẽti fieri quia ex accidẽti caliditatis maior surripit minorem; sed neq; hæc solutio sufficit; quãdoq; enim, vt antea significaui, calor immodicus Ventriculi cibos conuertit ad acidum, quando scilicet aut copiosiores sunt, quàm cõueniant, aut saporis acerrimi, & austeri; in huiusmodi enim casu, si calor non esset validus nulla prorsus fieret mutatio sed ex vehementia caloris id quod est copiosum, acerbum, & austerum, mutatur in acidum: itaq; si quispiam à vobis quærat, vtrum sapor acidus frigidam sequatur intemperiem, an potius frigidam, & calidam, opus est distinctione; est enim quæstio dubia; duobus.n. modis potest intelligi aut enim quæritur, vtrũ sapor acidus sit semper in subiecto frigido, aut quæritur vtrum caussa saporis acidi effectiua sit semper frigida.

Ad primum quæsitum resolutè dicendum, omnem saporem acidum, quatenus est acidus, esse in subiecto frigido, nunquam in calido. Aciditas semper soboles frigiditatis, hoc docuit Gal. 4.simpl.8.12.13.15. dixi autem quatenus est acidus, aduertite, quia in vno & eodem subiecto adest aliquando aciditas, & acrimonia, vt in aceto acerrimo, in melancholia exusta, in quo casu sicut aciditas sequitur frigiditatem, ita acrimonia caliditatem, mistumq; illud est inęqualis intemperaturæ, vt de aceto docuit Galen. tot.lib.3 simpl.& de melancholia 4.aph.22.23 & alibi.

Ad secundum quæsitũ alia est responsio. Caussa effectiua saporis acidi, si sermo fit de Ventriculo, potest esse frigida, potest esse calida, & calida agens per se, & ex accidenti: est frigida respectu cibi temperati & moderati: est calida agens ex accidenti in cibo facilè putrescibili, vel qui ex propria natura modicam habeat caliditatem: est calor intensus agens per se respectu cibi & potus copiosi, pinguioris substãtiæ, præcipuè austerę & acerbæ, eadem est ratio corruptionis ad Nidorem.

Nam corrumpitur cibus ad Nidorem aut ex excrementis, aut ex alimentis ex excrementis vel abundantibus vel deficientibus, abundantes sũt biliosi, vel atrabilia res, qui sua caliditate alimentum exurunt, & in Nidorem vertunt, defectus humorum est pituitæ defectus, defectu pituitæ est caussa conuersionis ciborũ ad nidorem, puto nobis insinuasse hoc Gal.3.de nat.facul.c.7.quando

Quæ ad Concoctionẽ conferant. proponens ea omnia, quæ ad Concoctionem cõferunt, bilem, calorem, spiritum, totam Ventriculi substantiam, præter cętera pituitam proponit. Ego libenter ex aliis intelligerem, quomodo pituita conferat ad concoctionem.

Quomodo Pituita conferat ad Cõctionẽ. Auditis meam sententiam. Coctio in Ventriculo est elixationis species. Elixatio non fiat absq; humido; Pituita igitur confert ad Coctionẽ tanquam materia humida, ex qua fit elixatio, vt propterea deficiente pituita facillimum fit cibos cõuerti ad Nidorem, neq; quisquam dicat, potulẽta accepta gerere vicem materiæ humidæ; sagax enim natura ideo fecit Ventriculũ pituitæ promptuarium, vt si aliquando aut deficiat potus, aut iusto parcior fit, alimenta non exurantur, quę facillimè exuruntur, si pauciora assumantur quàm conueniat, aut calidiora & sicciora, vt acria & aromatica, aut dulciora, vt mellita, idcirco Gal.1. de diff.feb.4.hydrias (placentulæ erant ex melle, sesamo, & farina paratæ apud antiquos) aliaq; id genus mellita, & oua frixa, vel pinguedine, aut oleo, aut butyro in sartagine cocta, & raphanũ, aliaq; id genus in Nidorem verti scribit.

Ex proximè dictis duo statim colliguntur: primum est, Corruptionem ad Nidorem vt plurimũ fieri sine calida Ventriculi intemperie, quãdo scilicet oriatur ex proprietate ciborum, qui vel ex pręparatione, vel ex propria natura, vel ex coquẽdi modo, vt frixa, facilè in Nidorem cõuertũtur alterum est, quomodo fiat aliquando corruptio ad putredinem. Fit hęc aut ex intemperie calida humida, de qua verba faciens Gal.8.meth.7.dicebat, illã vix absq; putredine stare posse. Fit quoq; ex ciborum natura qui facile putrescunt, lacticinia, & fructus, & alia id genus humidiora.

Signa.

Cognoscitur autem facilè omnis hæc Corruptio: ad Acidum quidem ex ructu acido; ad Nidorem ex ructu nidoroso; ad Putredinem ex anhelitu fœtido; præterquàm quòd corruptioni Nidorosæ consueuit succedere ephemera febris, vt docuit Gal.8.meth.c.5. Corruptioni ad putredinem succedit putrida; hoc colligi potest ex Gal. 5.in 6.Epid.51.quando dicit Hipp. rigor ex superiore ventre; febrijs ex interiore.

Caussæ autem sic inter se distinguuntur: nam si error fuerit in alimentis assumptis, ipsimet patientes, referũt, nũquid in corruptione ad Acidũ, vel plus nimio se repleuerint, an acidũ cibũ, aut potum, vel putrescibilem, vel frigidũ atq; humidum, aut deniq; austerum vel acerbum pręsumserint, sicut qui Nidorosum eructant interrogati referre possunt, vtrum oua frixã, aut hydrias, vel raphanum, vel quid tale nidorosum acceperint.

Quòd si error sit in excrementis, acida cognoscuntur ex Canina Appetentia ex iuuamento ciborum calefacientium, & medicamentorum, ex vomitu vel pituitoso, vel melancholico acido; sicuti biliosa deprehendũtur ex amaritudine oris, cardialgia, siti, vertigine, inappetentia, vomitionibus, & deiectionibus biliosis.

Quòd si fiat Nidor pp pituitæ defectum, necessariũ est, aut istos admodũ frugaliter & temperanter viuere, aut frequentibus vomitionibus, vel deiectionibus ventris esse deditos, præterquàm quòd neq; exspuunt, sed perpetua siti vexantur *Nidor ex Pituita defectu.*

Quando autem hęc corruptio intemperiem sequatur frigidam, ex carentia sitis cognoscitur, ex appetentia valida, ex iuuamẽto calidorum, & ad differentiam erroris externi vnusquisque cibus, etiam moderatus & optimus, ad acidũ vertitur.

Sicuti in calido Ventriculo adest inappetẽtia sitis, iuuamentum à frigidis, & cibi concoctu faciles vertũtur in Nidorem, difficiles verò optimè mutantur; nam, vt dicebat Galen.1.de loc.aff.4. 2.de alim.facult.6.in calidis bubula caro meliùs

concoquitur, quàm alia edulia melioris succi, & A facilioris concoctionis.

Distinguetis autem calidam & siccam intéperiem à calida humida; quia calida sicca præter sitim totum corpus est extenuatũ: Venæ quidem sunt amplæ, & nigro sanguine refertæ, deficit tamen carnosa substãtia, eo quia ex chylo exusto sanguis exustus generatur, a quo carnes ab horrent, hinc Hipp. 4. in 6. Epid. 25. Ventriculo calidi carne frigidi.

Calidi & humidi neque sitiunt, bene habituati sunt, & cibum facile ad putredinem conuertunt. B

Prognostica.

Est tamen omnis hæc Corruptio mala, quanquam illa, quæ fit ad Nidorem, sit deterior; nam Acida est sine febre; Nidorosa inuehit ephemeram, & propterea quæ ad Putredinem, deterior est Nidorosa, quia generat febrim putridam deinde malitia cuiuscunque corruptionis hinc patet, quòd ex omni corruptione fiat macies corporis, aliique plures in corporis ambitu, ac determinatis partibus morbi, de quibus meminit Gal. 3. de caus. sympt. cap. 1. C

Curatio.

In præsenti curatione non erit sermo de emẽdando errore externo, siue in alimentis, siue in excrementis, non in alimentis, quia hic non est ex vsu artis: neque in excrementis, quia supra multoties docui, quomodo omnia excrementa siue in cauitate, siue in tunicis contenta expurgari debeant, itaque de remediis ad corrigendas intemperies erit tantùm sermo, neque de omnibus sed tantùm de frigidis, quia in præcedenti lectione calida proposuimus medicamenta. D

Itaque hoc vnum moneo, antequam aggrediamini curationem intemperatuiç calidę, ex qua fit Nidor, vel Putredo, si fortè illa corruptio adhuc persistat, ante omnia amouẽdam esse: tollitur autem, si propensionem habuerit ad intestina, vel clysteribus vel deiectoriis, deiectoria autem sint medicamenta frigida, vt syrup. ros. solut, tamarindi cassia. E

Notatio.

Nolo vt hac in parte sequamini Galenum, qui 8. meth. 5. in hac corruptione ad Nidorem vtitur diatriopipereo simpl. & primo de loc. affect. 4. in eadem vtitur potione ex absinthio, aut hiera, excusandus tamen est Galenus, vel quòd mitiora nõ habuerit, & frigidiora; vel quòd respexerit ad corruptionem ad Nidorem factam ex errore externo, non ob intemperiem calidam ventriculi. Quòd si natura ad superiora propensionem habeat, vomitu educatur hæc corruptio, deinde alteranda est intemperies calida, quando siccitati fuerit connexa, aũt sero caprino, aut aquã bordeacea, aut, si macies vrgeat, iure pullæ alterato cichoraceis, & hordeo, aut lacte asinino. Acta frigida prohibet. Refert enim Gal. 7. meth. F

8. quendam hac intemperie calida & sicca laborantem ex potu frigido in difficultatem deglutitionis incidisse, & eandem obijsse: propter quam caussam exteriora quoque admodum frigida suspecta sunt; vel quia Ventriculi caliditatem & robur exsoluant, vel quia, vt docet Galenus loc. cit. septum transuersum refrigerent, & anhelitus difficultatem inferant: itaque Ventriculo quanquã calido nihil actu frigidum apponatur, sed siue oleum rosaceum administretur, siue molinum, aut simplex, aut succo lactucæ, vel cichorei commistum, tepida potiùs, quàm frigida administrentur: neque intermittantur, ea quæ robur conseruant. vt oleum mastic. aut de absinthio.

In calida & humida vno verbo conueniunt omnia alimenta, cibaria, potiones, quæ saporem habent vel austerum, vel acerbum, vel acidum; hæc enim omnia refrigerant, exsiccant; præterquàm quòd conueniant etiam pulueres ex terris medicatis, vt terra lemnia, aut samia, puluis testarum buccinarum, cochlearum, cornu ceruinum, margaritę pręparatæ; hæc enim omnia refrigerant, exsiccant.

Victus ratio.

Atque ad proportionem respondeat quantitas cibi, qui in calido siccoque ventriculo sit copiosior: In calido & humido sit tenuior.

DE ALVI FLVXIBVS.

Conuerto iam sermonem meum ad Fluxus Alui, & communem Medicorum sententiã secutus omnes ad tria capita redigam: Lienteriã scilicet, Diarrhœam, & Dysenteriam; nam sub Lienteria Cœliacam passionem complector, sub Dysenteria Tenesmum, sub Diarrhœa omnes Fluxus Hepaticos.

DE LIENTERIA. Cap. XVII.

De Lienteria autem primò erit sermo, quæ Leuitas Intestinorum dicitur, sicuti Cœliaca Affectio Ventralis Vocatur.

Differentiæ Lienterię, & primo de legitima.

Est autem Lienteria duplex, Legitima, & Spuria. Legitima *est celer deiectio alimenti assumpti, non mutati, ex imbecillitate retentricis fundi & inferioris orificij Ventriculi, atque intestinorum superiorum, est celer deiectio alimenti*, quia alimentum, simulatque ingestũ est, deiicitur, & ideo nullam subit mutationem, sed eundem colorem, odorem & substantiam retinet, in quo differt à Cœliaca Affectione, in qua alimẽtum deiicitur quidem, sed aliquo temporis spatio retentum, & aliqua ex parte alteratum, diximus hoc fieri *ex facultate retentrice inualida*; quanquam enim cibus non mutatus videatur pertinere ad vitium facultatis alteratricis, nihilominus, vt docuit Gal. 6. de loc. aff. 16. aph. 1. lib. de

Definitio.

de diff. sympt. 4. non ideo deijcitur non mutatum, quod facultas alteratrix sit inualida, sed quia decenti tempore non retinetur, est itaque vitium retentricis, & retentricis orificij inferni Pylori vocati, nam sicuti ex imbecillitate superioris fiunt Supinitas, Subuersio, Nausea, Vomitus, ita ex imbecillitate inferioris fit Lienteria. hoc colligitur ex Gal. 3. de nat. facult. 5. addidi imbecillitatem retentricis intestinorum, secutus Galen. 3. 22. 2. in 1. Epid. 55. atq; alibi pluries, vbi Lienteriæ caussã intestinorum leuitatem seu imbecillitatem proponit. quicquid in hac parte And. Laurent. sentiat controuers. 18. libr. qui putat, intestinis nullam esse communem vim retentricem.

Caussa Imbecillitatis Retentricis Facultatis.

REdditur verò hæc Facultas imbecillis, aut ex intemperie frigida & humida, sed præcipuè humida laxante, & dilatante Os Ventriculi Infernum, ac membranas intestinorum, & Ventriculi, aut ex errore externo, qui vel in excrementis vel in assumptis est, in excrementis pituita frigida humida, quamquam Gal. 5. aph. 22. & 6. aph. 1. acidam quoque proponat. Quę tamen ad Lienteriam faciendam mihi apta esse non videtur, habet enim facultatem adstrictoriam, qua ratione sicuti in superno orificio Famem Caninam excitat, ita constringendo inferiorem celerem deiectionem prohibere potest. Accedit, quòd si Hipp. 6. aph. 1. Ructum Acidũ proponit tanquam futurum salutis argumentũ Lienteriæ; ergo sequitur acidum humorem non posse esse caussam Lienteriæ, quando superueniente huiusmodi Ructo humoris Acidi indice, iam salus est propinqua.

Pituita Acida ad Lienteriam inepta videtur.

Est quoque error in assumptis vel medicamẽtis vel alimentis: medicamentis lubrificantibus, frequenter vsitatis, vt Cassia, &c. alimentis pariter, frequenter vsitatis in prima mensa humidis, & facilè putrescibilibus, vt lacte, & fructibus horaeis, aut nimium oleosis, & pinguibus; & hactenus de Lienteria Legitima.

Error in Assumptis.

De Lienteria Spuriæ differentiis & caussis.

SPuria verò duplex est. Vnã quidem est *excretio alimenti inconfecti, sed admodum tarda ob vitium facultatis alteratricis,* Altera est *deiectio celera quidem alimenti non mutati, sed ob vitium facultatis expultricis.* Prima differentia sequitur Cruditatem Ventriculi insignem; vbi enim cibus post 10. vel 12. horas in Ventriculo non transmutatur, aut vomitu eijcitur, vel per inferiora, si per inferiora, potest vocari Lienteria, sed Spuria, & ratione Formæ, & ratione Caussæ, ratione Formę quia non est celeris deiectio: ratione Caussę, quia non sequitur retentricem inualidam, sed alteratricem. Altera differentia Spuriæ Lienteriæ est tantùm spuria ratione Caussæ. fit enim deiectio alimenti non mutati, & celer, sed fit à facultate expultrice irritata huius meminit Gal. 3. de caus. sympt. 2. 6. aph. 1. Expultrix autem irritatur vel ab excrementis, vel ab alimentis: ab excrementis salsis, biliosis, atrabilariis: ab alimentis verò acribus, aromaticis, salsis, amaris: quandoque etiam à medicamentis vel deleteriis, vt est Antimonium, vel nimis frequenter vsitatis, pręcipuè in puluere acceptis; puluis enim facilè in membranas impingitur, & perpetuum facit irritamentum.

Hæ verò caussæ tunc fortius agunt, cum vlcus in interiore Ventriculi tunica, aut intestinorum fuerit, cui vlceri ad sanitatem perducto succedens cicatrix, quando magna fuerit, vna & pręcipua est Lienteriæ caussa, vt quemadmodũ scribit Gal. 6. aph. 1. veteres quidam existimarint, nullam esse aliam Lienteriæ caussam, quàm nimiam tunicæ interioris læuitatem ex cicatrice inductam.

Signa.

COgnoscitur facilè Intestinorum Læuitas, si cibi & potiones impermutata excernãtur sicuti Cœliaca affectio contra distincta cognoscitur ex excrementis aliqua ex parte mutatis, valde humidis cum sonitu, flatibus & fœtore eiectis Legitima Lienteria sic contra distinguitur à Spuria, quòd in Legitima fit celerrima deiectio, & sine morsu: in Spuria aut parua est deiectio, aut fit cum morsu, rursum Lienteria, quæ fit simplici intemperie, cibum habet immutatum, sed sincerum & impermistum. quæ fit ex præsentia pituitæ, habet deiectionem alimenti humidiorem, spumosam & pituitæ commistam, quæ fit ex alimentis, sola ægrotantis relatione comparari potest: quæ verò Spuria est propter vitium concoctionis, habet quidem cibum immutatum nullo humori commistum, sed non nisi post multas horas deiectum; illa, quæ fit ex morsu ab humoribus salsis, biliosis vel atrabiliariis, præter alia signa superiùs proposita habebit alimenta his humoribus permista; & si adsit vlcus, simul cum alimentis sanies, & sanguis effluit, & dolor sentitur in Ventriculo: quòd si fuerit cicatrix, necessario vlcus præcessit, & hęc species Lienteriæ est insanabilis.

Prognostica.

EXcepta Lienteria, quam parit cicatrix, quæ curam non recipit, cęteræ curantur quidem, sed si diu perseuerarint, ad maciem totius corporis, aliquando ad Hydropem, aut saltem Cachexiam deducunt.

Curatio.

IN curanda Lienteria & Cœliaca affectione distinguendæ sunt differẽtię, & caussę, & quod ad differentias pertinet, tractanda est primo Legitima, deinde Spuria: quoad caussas, cùm Legitima fit vel ex copia humoris pituitosi, vel ex intem-

tempestate humida, agendũ primò de humoribus. A Humores isti vel in Ventriculo continentur, vel in intestinis: si in Ventriculo, vomitu sunt purgandi, vt voluit etiam Rhases; nam euacuatio per superiora maximè facit ad retentionem alimenti reuulsis n. humoribus ad superiora, os Infernum paulatim adstringitur & roboratur. paretur autem Vomitorium ex drach.i. pulueris slari in iure, vel ex decocto raphani in eodem iure simul cum oxymelite. sed si pituita fuerit extra Pylorum, in ipsis intestinis, per inferiora est deucienda, atque ad hanc vnam respexit Hipp. B & cum eo Gal. in comm. 12. par. 4 quando dixerunt, Leuitatem Intestinorum ex pituita per inferiora curandam esse. Cæterùm in eligendis subductorijs medicamentis video Medicinæ scriptores, quantum ego censeo, longè à scopo aberrare.

Imbecilla, vt dixi, in huiusmodi affectibus est facultas Retentrix, & Ventriculi, & Pylori, & Intestinorum; neq; eni sola pituitæ præsentia posset Lienteriam facere, nisi etiam substantia solida consimilem suscepisset intemperiem. itaq; C omnia medicamenta relaxantia, vt cassia & mana, & omnia electiuè purgantia, vt colocynthis, quam proponit Rhases, & Elleborus, quẽ proponit Auic. & alia omnia hujus farinæ suspecta sunt, vtpote quæ humores ad locum imbecillum ducant, & fluxionem magis concitant. quid igitur agemus? Auditores, si vobis suppetat aquę Tectuanæ copia, vel alterius salsæ potabilis, hac tuto vtemini. Pituitam subducit, Ventriculum & intestina calefacit, & exficcat, atque simul adstrĩgit. in defectu aquæ Tectut. accipiantur myrob. D chebuli cõtriti ad drachm. ii. misti cũ oxym. simpl Hiera quoque simpl. vsque ad vnc. sem. in hoc casu administrari potest. Cæterùm clysteres existente materia in intestinis, satis superque pituitosum succum deducent, & si medicati fuerint, simul adstringent: poterit autem autem clyster sic parari.

Recipe puleg. Origan.
Calamentan. M. i.
Spica. Squinant. an. M. sem.
Coriand. prępar. drach. ij E
f. decoct. secundum art. deinde
Recipe dict. decoct. lib. i.
Hieræ pro clyst. vnc. sem.
Mell. ros. vnc. iij.
Ol. laur. mastic. an. vnc. i. M.

Sed major est difficultas de pręparantibus. Auditores hęc qualiacũq; fuerint sũt mea inuẽta; nã ex vna parte scriptores proponunt pro crassa materia multam, mel ros. oximel. at verò hæc omnia, quæcunque incidunt, aluum subducunt, atq; ideo suspecta sunt. sunt ergo illa eligenda, quæ F incidant & simul calefaciant, exficcent atq; atq; adstringant. Inter cætera probatur acet. scillitici syr. de mentha, de absinth. sed præ cæteris omnibus laudatur vel sal theriacale, vel sales extracti ex pulueribus stomachicis, calorificis, vt esset sal extractum ex absinthio, ex mentha, spica, & si quispiam propter difficultatem extractionis salium non facile habeat hæc in promptu, lixiuia tamẽ facilè parare poterit ex cineribus horum medicamentorum, quantum possint lixiuia ad abstergendum & exficcandum, docuit Gal. ex Asclepia de 2. de antidotis ca. 7 qui ad venena ex spongijs comparata probat lixiuium ex cinere sarmẽtorum vitis præparatum. at si lixiuium ex cinere sarmentorum vitis potest abstergere humorum crassitiem, cur non poterit idem pituitam abstergere, præcipuè vero si paretur ex cineribus stomchicis, si comburatur absinth. mentha, coriandrũ spica, squinanthum, pulegiũ & calament; ex quibus omnibus lixiuium in hũc vsũ parari potest: sit autem dosis vnc. i. siue simplex præbeatur, siue mixum cum aceto scillino, aut syrupo dę mentha. aut simili. Post abstersionem, & euacuationem calefaciendus est Ventriculus, medicamentis tamen adstrictorijs, & inter cætera mirificè facit drach. i. pulue. coriandrorum, quotidie exhibita tribus horis ante cibum ex vino aliquo odorato. idem facit miua cydoniorum composita theriaca, mithridat: & quando fluxio sit vsque adeo immodica, vt vires deficiat, præbendæ sũt antidoti opiatæ, vt philonium ad drach. sem. cùm enim somnus conciliatur; cibus retinetur, atque sic concquitur.

Interim extrinsecùs adhibendum est emplastrum ex crusta panis, cerata varia calorifica, prę cipuè medicamentum ex pice, addito pipere, & pyrethro, cujus anteą memini.

Curatio Spuria Lienteria.

Sed si spuria fuerit Lienteria, & quidem fiat ex humoribus, acribus, aut salsis, hi quoque ante omnia sunt educendi, vomitu potissimùm ex aqua & oleo, deinde verò alterandi non quacunque ratione, sed medicamentis, quæ etiam adstringant; idcirco aut prębeatis serum chalybeatum, aut in eius defectu lac ipsum chalybeatum: conuenit autem summopere vsus ipsius chalybis in puluere hunc in modũ accomodati.

Recipe Saccar rosat. vnc. ij.
Chalyb. prap. in acet. drach ij.
Coriand: præpar. drach. i.
Trochis. de spod. drach. sem.
Syr. myrt. q. s.

M. f. mixtura mollis, dentur drach. ii. trib. hor. ante cibum.

Interim extrinsecùs fiant fomenta, & inunctiones frigidæ, & adstrictoriæ, de quibus memini superius

DE DIARRHOCA. Cap. XVIII.

Lienterię succedit Διάῤῥοια, quam Latini Alui Profluuium vocant; *estque deiectio frequens, copiosa, liquida, materia excrementitię* Definitio. *dixi frequentem, copiosam, & liquidam,* vt ostenderem conditiones prorsus oppositas conditionibus naturalis excrementi, quarum meminit Hipp. 2. progn. 13. dixi autem, esse *deiectionem materię excrementitia,* ad differentiam Lienterię Dysenteriæ, & Fluxionum Hepaticarum, in quibus excernuntur humores alimentales.

Causæ.

Causæ.

FIt autem hęc de [illegible] facultate expultrice [illegible] quæ Ventriculi [illegible] [illegible] Gal. [illegible] 3. [illegible] hoc [illegible] Ventriculo generatur [illegible] non distribuitur, vel [illegible] humorum, vt [illegible] fit Fluxus alui, meminit Gal. 3. aph. com. [illegible] De caussis generatim [illegible] plura non dicā audistis in superioribus capitibus de Cruditate & seq. quas ob caussas varię in Ventriculo generentur humores [illegible] ex [illegible] & ex erroribus externis, tam in excrementis, quæ [illegible] neque hæc amplius [illegible] non distribuuntur excrementa, quando aut suppressum est lotium aut sudor, aut [illegible] vel propter [illegible] obstructionem, vel propter [illegible] siue ex [illegible] siue ex ætate [illegible] non [illegible] & [illegible]. Fluxio autem fit vel per [illegible] attractionis, vel [illegible] attrahuntur humores [illegible] Ventriculo aut caliditate aut dolorem & [illegible] Fluunt autem propter robur partis mittentis, quæ pars potest esse cerebrum [illegible] lien, vena [illegible] totius corporis, & articuli. Gal. [illegible] meth. 11. ex his patent etiam mediatæ caussæ, Differentiæ inter quas præcipua est Diarrhœa Critica, vel symptomatica.

Signa omnis generis.

DIarrhœa cognoscitur ex dictis, sed contra distinguitur [illegible] a Fluxu Hepatico, propter diuersam curationem. Cognoscitur autem contra distincta a Fluxu Hepatico, quia in hoc cùm calidum innatum [illegible] ignem patiatur, labem, corpus necessario reddi [illegible] cachecticum, oculi [illegible], facies est pallida, pedes sunt œdematosi, excrementa sunt magis fœtida, varia quam in simplici Diarrhœa, & hoc habet proprium, vt noctu augeatur, interdiu imminuatur facilè etiam distinguentis materias excuntes. sed distinguendi sunt loci patientes; nam si primario Ventriculus laboret, præter Diarrhœam alia plura sunt symptomata, cruditates frequentes, [illegible] & si nihil relata, si fluxio fiat ex cerebro, nares, & genitura sunt humidiores H[ipp]. 6. aph. 11. [illegible] patientes sunt paludi, balbi. Hipp. 6. aphor. 32. Balbi alui profluuio maximè capiuntur excrementa sunt spumosa. Hipp. 7. aph. 30. quibus excrementa sunt spumosa, iis ex capite fit defluxio, accedit capitis grauitas, sopor. si fiat ab articulis, cognoscens, quia isti antea doloribus & cruciatibus articularibus laborarunt, & per superuenientem Diarrhœam sanati sunt & liberati.

Idipsum dicendum de cæteris omnibus cutaneis affectibus. nam si quis laboret scabie, lepra, impetigine, aut alio simili affectu, & superueniat Fluxus alui, cum quo omnia hæc recedant, argumentum est Fluxionis a cute ad intestina, vno

[illegible] Galenus septimo method. 11. vt do[illegible] modum [illegible] quo in[illegible] Fluxio, inquit, semper considerandum esse [illegible] plethoricum vel cacochymicum, num supp[illegible] sit aliqua cósueta euacuatio per hæmorrhoidas, vterum, & nares; nunquid de[illegible] aut lien, vel alia pars similis laboret

Verum vero Fluxio sit Critica, an potius symptomatica dicernetis ex conditionibus alias propositis ex Gale. desumptis 1. aph. 2. & vlt. 4. aph. 2. vt scilicet talia deiiciantur qualia oportet, & cum tolerantia. Cæterùm vt hac in parte certiorē habeatis regulā quatuor memorię sunt māda da, quę in excrementis oportet considerare. I. Quantitatem. II. Qualitatem. III. Tolerātiam IV. Concoctionem; nam si longe superet Quantitas cibi assumpti quantitatem, aut magnam significat cacochymiā vt propterea dixerit Hipp. 6. aph. 64. paucam fluxionem paruum morbum, magna magnum significare. aut eadem copia, vires deficiet, docente Hipp. 2. progn. 14. & Gal 1. ad Glauc. 14. & 1. de diff. 7.

Qualitas Hipp. in 2. progn. à text. 14. vsque ad 23. varia proponit alui excrementa tanquam mala, fœtida, spumantia, crocea, liuida-nigra, &c. cū tamen non semper sint mala. Dicebat enim idē Hipp. 4. aph. 47. Excretiones in febribus nō intermittentibus liuidæ, fœtidę omnes malæ; si rectè prodeant omnes bonæ, quasi dicat, aliquando Critico modo expelli posse. Et proterea deiectiones biliosas scribit idem Hipp. aliquando sanare sorditatem aurium 4. aph. 28. aliquando sanat Fluxus Alui lippitudinem, vt colligitur 6. aph. 17. aliquando sanat Leucophlegmatiam 7. aph. 29. vt proterea non tantùm Qualitas sit cōsideranda, sed ipsa, vt dixi, etiam Tolerantia: & propterea in phthisi Fluxus Alui etiamsi non sit admodū copiosus, neq; praui coloris, sicuti in alijs, semper malum est, 5. aph. 14. pariter scribit Hipp. 6. aph. 16. Pleuriticis Fluxum Alui superueniētē malū esse; inquit tamē Galenus, in Pleuritide & Peripneumonia tunc tantùm esse malū Fluxū Alui, quando ex magnitudine inflāmationis iecur pariter inflāmatū, trāsmitti biliosa excremēta; sed si absque inflammatione hoc fiat etiā in Pleuriticis & Peripneumonicis Fluxus Alui iuuare potest, non tantùm reuulsionis ratione, quantū quòd aliquando natura ipsa inuenit viā purgandi Pleuritim & Peripneumoniam per Aluum.

Quarta conditio est Concoctio: morbo in iudicationem eunte, excrementa fieri compactiora consistensia minùs fœtida, melioris coloris significauit Hipp. vnico aph. 14. s. 2. sed pluribus 2. progn. 15. & 16. vt propterea sicut Diarrhoeam Criticam omnino sinere oportet, ita Symptomaticam sanare necessarium sit.

quatuor.

Quatuor considerāda in Deiectionibus.

quātitas

qualitas

Tolerantia.

Fluxum

Cōcoctio

Curatio.

IN tractandis Alui Fluorib. nihil facilius quā haurire intentiones, nihil dificilius quàm illas explere. Fluxus enim Alui Criticus, & moderatè fluens, cum virium tolerantia, naturę est permittendus; qui verò excedit supprimendus; qui deficit adiuuandus.

Qui

Qua autẽ ratione Immodicus Fluxus sit supprimendus, & Deficiens iuuandus, non est facilè intelligere.

Immoderatus Alui Fluxus duobus modi intelligi potest: aut enim vires deiicit, & syncopẽ inducit: aut duntaxat imbecillitatem aliquam, seu corporis extenuationem, lassitudinem, vel quid tale infert.

Si vires deiiciat, vnicuique constat Fluxum statim esse supprimendum, vel adstrictoriis, vel opiatis, vel validè reuellentibus, de quibus in tractat. de Syncope ex Fluore Alui, ad quem locum vos remitto.

Sed si quantitas exeuntis copiosa quidem sit, non tamen syncopen inducat, non statim confugiendum ad adstrictoria, non ad opiata, & reuulsoria varia à scriptoribus proposita, quę si indistinctè administrentur, omnia sunt periculosa, imò lethalia: oportet itaque illum, qui rectè Alui Fluxum sit curaturus, ante omnia distinguere locum, ex quo fit fluxio; deinde verò & causã. itaque nos idipsum facientes, incipiemus à Fluxu Sthomachico, idest ab illo, qui fit communicata materia ab ipso Ventriculo, vel primariò humorẽ generante: vel à cerebro suscipiente: in hoc casu ante omnia conuenit ipse vomitus, reuellitur enim materia, & euacuatur per locum decentem, vt propterea in hanc rem scripserit Hippoc. 6. aph. 15. in longis Alui Fluoribus superuenientem vomitum Fluxum sanare: debent autem vomitoria minime oleosa, aut pinguia esse, sed, vt antea dixi, sufficiet drach. i. puluer. rad. asari in iure, cum, vel sine oxymell: & facta euacuatione, si humor generetur in Ventriculo, calefaciendus est Vẽtriculus: docui modum calefaciendi in Cap. de Cruditat. Si fluat ex capite, est reuellenda materia ad nares, ad suturas, per frictiones, pectinationes, smegmata, pulueres calidos, vel attractorios, vt calamenthi, maioran, ireos, aristolochiæ, sinapi, piperis & pyrethri: & si inueterata sit cerebri affectio, reuellenda est materia per cauteria, vel occipiti vel brachiis infixa, exsiccandumque omni ratione caput.

Materia in mesaraicis cõtenta improbantur. Vomitoria. Sed si materia in mesaraicis contineatur, neque conueniunt vomitoria, neque adstrictoria neque reuellentia ad vrinas, neque reuellentia ad ambitum corporis.

Non sunt tentanda Vomitoria, quia ex Gal. & Hipp. 4. aph. 12. intellexistis, quæ sunt in intestinis, non sunt euacuanda per vomitum: at materię istę aut continentur in intestinis, aut in venis magis distantibus, quàm sint intestina à Ventriculo; ergo multo minùs licet hanc materiam attrahere ad Os Ventriculi violenter. Confirmatur quia antequàm ducatur ad Ventriculum, debet duci in Intestina: at intestina Fluxu laborantia sunt imbecilla, ergo ipsa suscipient Fluxionem, & sic Fluxus augebitur, tertio hæc quæ in uenis cõtinentur, siue lienis, siue in sima iecoris, aut aliis proprinquis partibus, necessariò sunt calida, putrida, corrupta, vnde multo minù conuenit ea per os ventriculi educere, quod nobile & sensibile est quàm per intestina ignobilissima, quòd si quis Hipp. obiiciat 6. aph. 15. dicentem Alui Fluxum Vomitu sanari, & Gal. in eod. com. qui scribit, docere nos naturam quid agendum sit in Fluxibus Alui: Respondeo, hanc sententiam de Fluxu Stomachico & Cerebrali intelligendam, non de aliis, propter caussas dictas, & dicendas. *Obiectio soluitur.*

Adstrictoria. Neque conueniunt Adstrictoria; nam si materia praua, & corrupta iam circa venas istas est collecta, quid præstabunt adstrictoria? Fluxionẽ quidem impedient, sed in parte, vbi humores sũt vel tumorem, vel obstructionem aliquam excitabunt, hoc potest colligi ex Galen. 13. meth. 14. qui in principio inflammationum iecoris prohibet adstrictoria, ne retentis humoribus inflammatio augeatur.

Diuretica. Neque conueniunt Diuretica, hoc videbitur paradoxon, quia Galen. 5. meth. 3. & 13. method. 11. docet laborantibus Intestinis humores ducẽdos esse ad Vrinas; & propterea scribit Hipp. 4. aph. vlt. Mictus plurimus paucam significat Deiectionem: ex quo colligimus, diuersionem humorum ab Intestinis ad Renes Fluxum Ventris sanare, hæc tamen sententia mihi non probatur, & rationem desumo ex Gal. 7. meth. 11. qui vniuersalem tradens rationem curandarum Fluxionum apertè docet, nunquam esse deferendos humores à partibus minus momentaneis ad magis momentaneas. Hoc stante vos ipsi considerate, qualisnam ex his duabus partibus sit magis momentanea an in testina, quæ sunt ampla, & copiã ac qualitatem humorum absque insignis molestia sustinere consueuerunt, an potius Iecur, Venæ, Renes ac Vesica ipsa, quę omnes partes sunt nobiles, angustis viis præditæ, vt & colluuies, & acrimonia, aut Calculos, aut Vlcera, vno verbo aut Dysuriam, aut Stranguriam gignere possunt & eo potissimùm, quòd humoribus vltra gibbã iecoris partem existentibus datum est intestinũ ipsum, tanquam locus ad purgationem accommodatus, Gal. 11. met. 19.

Attractica ad Ambitum corporis. Neq; ducendi sunt humores ab his loci in Ambitũ totius corporis, quandoquidẽ non possunt à mesaraicis in ambitum corporis transmigrare, nisi per Iecur, & Venas communes, hoc autem est trãsferre materiam ex locis minùs momentaneis in nobiliores; & propterea Gal. 4. de tuen. val. 6 in abundantia crudi succi, circa primas vias cõsistentis, apertissimè prohibet, vsum omnium attrahentium foras; at si prohibet vsum attrahentium foras in simplici qualitate, multò magis prohibebit in corruptione succorum, itaq; existentibus humoribus circa has partes, neq; Vomitoria, neque Adstrictoria, neque Diuretica, neque Attrahentia ad Abitum corporis conuenire possunt.

Multo minùs accipienda est omnium ferè cõmunis sententia, qui locis, à quibus Fluxio incipit, quanquam nobiles fuerint, ad reuulsionẽ faciendã cucurbitulas adhibent, vt si à Iecore fiat Fluxio, adhibent cucurbitulas Iecori; si à Liene, Lieni, error sanè maximus, quia non modò retinet materiã ibi congestam, sed ex proprinquis partibus aliam ducũt, & trahunt, contra quã præcepit Galen. 7. meth. 11. & suadet ratio. Quid igitur agendũ in huiuscemodi casibus tria sunt præstanda: primò euacuanda est materia per *Tria in Alui Fluxib. præstanda.*

Aluum,

Aluum, aut clysteribus, aut medicamentis adstrictoriis. secundò, si tenuis fuerit, & calida, incrassanda, & refrigeranda: tertiò expugnandi sunt morbi, propter quos materia augetur. Medicamenta sunt. Myrobalani ipsi; si materia fuerit aquea, exhibeantur hos bolos.

Recipe Myrobal. chebul. contrit. drach. ij.
Coriand. præp. drach. sem.
Specier. hier. drach. i sem.

M. & cum syr. myrth. aut de menth. f. boli.

Si fuerit calida.

Recipe Rhabarb. el immat. drach. i.

Non ipsum rhabarbarum torrefactum propono, quia hoc amisit adstrictionem.

Mirob citrin. contrit. drach. i.

Cum syr myrth. aut succo plantag. f. boli & deaurentur.

Clysteres in materia calida debent sic componi.

Recipe Fol. plantag. M. j.
Hordei torref. p. j.

Bulliant vel in aqua, vel in sero chalyb. deinde

Recipe præd. seri lib. i.
sacchari rub vnc. ii.
Butyri vnc. iij.

Quòd si fuerit frigida, parentur clystere ex vino chalybeato, aut aliqua aqua medicata, vel aluminosa, adm isto ipso sacharo.

Facta Euacuatione, si materia sit calida, tenuis incrassanda refrigerantibus, vt oriza, alyca, pedibus vitulinis, cute, cerebro, atq; cæteris vnctuosis etiam emplasticis. Conuenit in hoc casu lac chalybeatum, aut coctum cum aq. plantag. hoc modo.

Recipe lact. lib. i. sem.
aq. plantag. lib. sem.

bulliant vsq; ad consumt. lib. i. Dentur deinceps lact. prædicti vnc. vi. quatuor hor. ante cibum.

Quòd si materia sit tenuis frigida, poteris exsiccari hoc puluere.

Recipe Thur. masculi
mastich. an. drach. i.
coriand. præp.
cymin torref. & pulu. an. drach. i. sem.
caryoph. cinnam. an. drach. sem. M.

Datur drach. vna ex vino aliquo odor. & subadstring.

Hæc quidem exsiccant, & moderatè adstringunt, sed non sanant vitia partium: verùm remedia, quæ sanant, proponemus infra.

Procuranda Diarrhœa facta à fluxione venarum communium, ante omnia distinguere oportet: vtrum fluant humores propter vitium attractricis, an potius propter laxitatem, & amplitudinem viarum, vel propter robur partis mittentis, irritatæ à copia, vel ab acrimonia.

Si fluant ob vitium attractricis facultatis, amouenda est caussa attractionis, quæ erit vel dolor, vel calor in Ventriculo, & Intestinis, atque ideo calor est refrigerandus sero aut aqua hord. vel aliis stillatit. frigidis, aut aq. naturalibus ferratis, acidis. Dolor & mordicatio sanari debent epiceraticis, lacte, iure pingui, clysteribus ex ptisana a

A ex eod. lacte, & aliis propositis i tract. de Cholera.

Quòd si fluxio fiat propter venarum laxitatē aut amplitudinem, adstringendæ sunt partes ad Ventriculum & Intestina attinentes, externis & internis.

Extrinsecùs fiat hoc Fomentum:

Recipe Fol. labrusc. cort. granat.
Balaust. Rosarum.
Hypocist. an M. i.

Bull. in suff. quant. aqu. & acet. & facta express. f. foment. cum spongiis, quæ adhibeantur calidæ

B regioni totius Ventriculi, & Abdominis, & subla. tis spongiis adhibeatur hoc ceratum.

Recipe Pulu. rosf. drach. ij.
corall. rubeor.
trochisc. de spodio an drach. i.
Mastic. Caryoph. an. drach. sem.
Ceræ q. s. M. f. Ceratum.

Intrinsecùs in caussa calida paretur hic Puluis

Recipe corall. rub. rosf. rub.
flor. granat. an. drach. ij.
Coriand. præp. drach. i.

C Puluer. & detur ad drachm. vnam.

In caussa frigida accipiatis cyminum torrefactum, thus, myrrham, styracem, masticem, coriandros, pariter puluerizata ad drach. i.

Sed si fluxio fiat existente plenitudine, aut cacochymia in venis communibus, hic labor est. Primò quidem in hoc casu omnia Adstrictoria sunt suspecta propter rationem superiùs adductā quod scilicet prohibeatur fluxio a parte nobiliore ad ignobiliorem; nam si retineatur materia in venis communibus, necessario putredini, & fe-

D bus periculosæ certum imminet periculum.

Neque conueniunt Expurgantia eandem materiam per Aluum, quia iam supponimus plus iusto fluere, qua scilicet materiam alimētalem, quę in Ventriculo & Intestinis continetur, secū ducit.

Neque etiam conueniunt Vomitoria duplicem ob caussam: primo quia materia, quæ in venis continetur communibus, antequam attrahatur ad Ventriculum, peruenit ad Intestina, quę cum sint imbecilliora, ipsa potiùs suscipient fluxionem quàm Ventriculus; alia est ratio, quòd

E scilicet non liceat per partem vsque adeo tenuē tem prauos humores educere, idcirco Gal. 11. meth. 9. loquens de euacuanda materia in venis communibus contenta, inquit per Vomitum illam non esse educendam, nisi sponte sua ad Os Ventriculi impetum habeant.

Quid igitur agendum? dicam liberè meam sententiam, in hac venarum plenitudine ante omnia laudo aliquam sanguinis missionem. *Sang. missio in Venarũ plenitudine.*

Scio statim aliquem dicturum, Galen. hoc prohibuisse 1. ad Glauc. 14. acut. 1 16. cui satisfacie-

F mus infra: nunc dicam, propter quas caussas venæ sectionem collaudem in Diarrhœa. *Obiectio*

Primo conuenit venę sectio, quia partem illius materiæ, quæ in venis continetur, simul cum sanguine educit; sunt enim humores omnes simul mixti, & persectam venam omnes simul expurgantur, vt docuit Gal. 4. aph. 2.

Præterea hæc sanguinis missio reuellit ab intestinis absque periculo; neque enim materia, quæ

euacuatur, in aliam locum transfertur, sicut plerǽque reuulsiones faciunt. A

Tertio. Hęc venæ sectio expugnat caussam augentem ipsum humorem, qui confluit ad intestina; nam in plenitudine adest intemperies calida humida, Venæ sectio refrigerat & siccat, atq; ideo Gal. noster 7. meth. 11. in omnibus Fluxionibus ad Ventriculum inquit corpus ipsum aut vacuandum, aut purgandum per euacuationem intelligens sanguinis missionem, quam contra distinguit à purgatione, clariùs 5. meth. 3. in Fluxibus Alui ad reuulsionem inquit ducendos esse humores ad vterum. Ego vero quosnam humores voluerit Gal. duci ad vterum, non est profectò existimandum, voluisse Gal. duci ad vterum bilem, pituitam, aut atra bilem, quia excitaretur morbus multo deterior, quàm Diarrhœa, minus malum est, vt fluant isti humores per Intestina, quàm per vterum, & tamen Galenus consulit reuulsionem faciẽdam ad vterum nihil aliud vult Gale. Auditores, quã illud ipsum, quod docuit 7. meth. 21. Fluxiones, s. ad ventrem aliquãdo ferri propter suppressos mẽses, aut hæmorrhoidas, aut membrum mutilatum, aut aliam suppressam excretionem, in quo casu Fluxus curatio est reuocatio mensiũ, apertio hæmorrhoidum, deniq; excretionis consuetæ: ita quòd non est vsque adeo timenda sanguinis missio in Diarrhœa, quando adest venarum plenitudo, vel cum suppressione; vel sine suppressione consuetæ excretionis: & ideo Auic. 16. tertii tract. 2. cap. de Diarrhœa ex vitio lienis scribit, si opus fuerit missione sanguinis in hac Diarrhœa mittendum esse sanguinẽ, quod habet à Rhase in diuisionibus: si licet id facere in Diarrhœa melancholica ex liene, licebit etiam in biliosa, vel atrabilari cum plenitudine totius corporis.

Galenus explicatur. C

D

Obiectio Soluitur.

Ad Galenum loc. cit. dico, prohibuisse venę sectionem in Fluxu Alui consequẽte magnitudinẽ febris alicuius acutæ, de hoc loquitur 1. ad Glau. c. 14. loquitur. n. ibi de febriũ accidentib. inter quę est Fluxus Alui, itaq; Alui Fluxu incipiente cũ febribus ipsis, neq; ego facilè suadeo sectionẽ venæ, cùm natura in febribus ipsis siue critico modo expellat, non est impedienda, siue symptomaticè, non est irritanda, aut vlterius agitanda, & hinc dicebat Hipp. 1. aph. 20. Quę iudicantur, & iudicata, &c. sed extra febres alia est ratio, cũ non sit necessum id fieri critico modo, sed, vt nũc supponimus, deponente natura plenitudinem totius corporis, quę continuò fouetur à calida & humida intemperie in hunc imbecillẽ locum, vt si plenitudo non minuatur, si intemperies non alteretur, Fluxus nunquam cessabit; atque ideo 4. acut. 116. inquit Fluente Aluo sanguinem non detrahes, quia si post sectam venam perseueret Fluxus Alui, vires deficiuntur. Sic ego facio hãc consequentiam: si secta vena cesset Fluor Alui, ergo secanda vena in Fluxibus; na cessante Fluxione, vires conseruabuntur; sed sic est, quòd in plenitudine venarum persectam venam, facta reuulsione, euacuatione, & alteratione intemperaturæ augentis materiam Fluxus, debet cessare Fluxus Alui, ergo conuenit venæ sectio. E

Pro curando Alui Fluxu ex cacochymia in venis communibus subsistente, nil accommodatius remediis diureticis, & in cutem ducentibus, quæ simul & semel intemperiem corrigant venarũ; nam quod spectat ad Diuretica, si materia fuerit acris, siue bilis flaua, siue atra, duci poterit ad vrinas aut emulsione seminum melonum, aut aqua capill. Vener. cuscutæ graminis endiuiæ aut sero capr. aut aquis medicatis naturalibus frigidis, Villensibus in agro Lucensi, Calderianis in agro Veronensi, aut Virginis in Patauino agro, omnibus tandem, quæ habeut mineram, vel ferream, vel æneam, vbicunque reperiantur.

Diuretica frigida.

Quòd si humor sit frigidus, Diureticis expurgandus est calidis, vt decocto asari, apii, petrosel. fœnic. asparagi, rusci, ononidis, aut aquis naturalibus medicatis, sulphuratis, aluminosis, & nitrosis aut tandem decoctionibus salsæ, saxafras radicis chinæ, rad. cãnę, seu arundinis, quę omnia partim ad vrinas, partim ad corporis ambitum humores ducunt, licet multo accommodatiora sint ad ducendam materiam in corporis ambitum carduus benedict. tormentilla, iuniperus, &c.

Diuretica calda.

Cęterum debent etiam in hunc vsum Exteriora administrari remedia in cutem attrahentia, & simul alterantia: & in Fluxu quidem bilioso & atrabilari nil præstantius est balneo aquę dulcis tepido, alterato, violis, hordeo, fol. vitis, salicis, malua, althæa, &c. sicut in caussa frigida balneũ conuenit calidum, vel ex aqua sulphur. aluminos. aut nitrosa, vel ex dulcibus, sed alteratis, saluia, rore marino, iunipero, origano, calamentho, &c. calidis marino: ineundem vsum veniunt frictiones asperæ, inunctiones calidæ ex oleo, chamomel. aneth. liliorum alborum: faciunt etiam hoc ipsum dropaces, seu cerata attractoria, sinapismi; & in Fluxibus inueteratis, & contumacibus etiam vesicantia remedia. Hac ratione reuellitur materia, & simul etiam alteratur temperamentum partis humorem generantis.

Attrahẽtia ad cutem externa.

Sed si Alui Fluxus imperfectus fuerit quæritur: quid tum sit agendum.

Digladiantur inter se Medicinæ scriptores, & adhuc sub Iudice lis est: num Fluxiones istæ siue in ventrem, siue in alios locos, cum imperfectæ fuerint, sint iuuandæ.

Gal. 1. ad Glauc. 14. generalem videretur cõstituisse regulam in Alui Fluxu, etiamsi nõ fuerit pro multitudinis ratione, nil esse innouandum & illos, qui aliquid tentare voluerunt, vel sanguinẽ mittentes, vel aluum subducentes, in grauiora discrimina patientes subduxisse.

Ego tamen nolo, vt huic axiomati acquiescamus, sed totam hanc litem per quasdam conclusiones nunc à me proponendas volo vos facile dirimere.

Prima Fluxum verè symptomaticum licet imperfectum nunquam tamen esse iuuandum ratio est quia verè & propriè symptomaticus Fluor ille est, in quo educitur materia quæ morbum non facit, quæ longè est à morbi natura aliena; at cùm in morbis ea non excernuntur quæ morbum faciunt, morbum non iuuant, & vires deiiciunt. Gal. 4. aph. 47. dicit Excreationes, quę morbum

[illegible] temporis sunt exiguæ, & quia sit A
[illegible], vt quimodo Excretiones fiant i[n]
[illegible] principijs, hinc factum est, vt Gal.
[illegible] Excretiones in principijs facta
tanquam inutiles, & periculosas nec admittendas
[illegible] id habet 1. de cris. 84
aph. [illegible] &c. sed datur Excretio etiam
in principijs, quæ morbo est proportionata, in qua
talia deijciuntur qualia oportet, hæc vocatur symptomatica
ratione temporis, quia est in principio
non est symptomatica ratione excuntis, quia talia
deijciuntur qualia oportet: hæc igitur, si imper- B
fecta, iuuari poterit, quod vult Aetius serm 9. cap. 35
Trall. lib. 8. c. 5 vt recentiores omittam, colligitur
autem hoc ipsum ex Gal. com. 5. 3. in 1. Epid. quo
in loco cum vidisset Hipp. quinto die iuuisse caput
Methoni, vt sanguinem è naribus imperfecte
fluentem iuuaret, scribit hoc exemplo nos docuisse
Hipp. Excretiones imperfectas etiam in principijs
esse iuuandas, quod & ratio suadet; nam quæ
iuuare debet, necessariò & qualitatem, & quantitatem
habere debet proportionatam, vt nò solùm
talia deijciantur, qualia oportet, sed etiam tanta, C
quanta oportet. vnde dicit Gal. 1. ap 23, sicut qualitas
qualitati, ita quantitas quantitati respondeat:
idcirco cùm talia deijciantur, qualia expedit,
quanquam in principio, dummodo imperfecta
sit, purgatio adiuuari debet. Confirmatur, si enim
principio licet materiam turgentem educere,
materia turgens non tantùm est illa, quæ ad
Excretionis loca mouetur, & tamen nullo modo
educitur, sed etiam est illa, quæ tendit ad Excretionis
loca, & incipit excerni, sed non tantù, quàtum
expedit: igitur omnino est iuuanda. D

Ad Galenum, qui prohibet hæc fieri, dico, prohibuisse
illum, quia suo tempore benigna remedia,
& facultate adstrictoria prædita non inueniebantur,
sed omnia erant venefica, vt idcirco
natura citra periculum iuuari non potuerit. Nos
habemus autem hæc benigna, vt est elect. lenitiu
diaca. hol diasebest. cassia, Thamarindi, syrup. ros
quę omnia tutò administrari possunt.

Tertia conclusio: si Excretio Critica fuerit, sed
imperfecta, aut sit in die critico principali cum
omnibus signis optimæ crisis, ex Gal. 1. aph. 20. E
tunc licet imperfecta videatur, non est tamen iuuanda;
fieri, enim vix ac ne vix quidem potest,
quin natura cum omnibus optimæ crisis signis
in die decretorio præcipuo integram faciat Excretionem.
si autem dies decretoria principalis
non sit, aut omnia crisis signa absoluta, & perfecta
non adsint, tunc considerandum, vtrum adsit
aliquid periculi Fluxionis materiæ ad partem
principem, quę vel faceret, vel augeret inflammationem,
in quo casu etiam in die critico licet nobis
naturam iuuare. F

Ratio est; cùm enim non omnia sunt perfectę
crisis signa, & quò sępe fit euacuatio, incipiunt
augeri symptomata, indicium est plus materiæ
fluere ad partem nobilem, quàm ad vias excretionis;
ideoque iuuanda natura.

Quòd si nil vrgeat, permittatis vt transeat dies
crisis; in sequenti natura iuuetur, sequendo
Hipp. & Gal. consilium 1. aph. 21.

DE DYSENTERIA. Cap. XIX.

CVm Fluxionum, quas Hepaticas dicunt, alia sub Diarrhœa, aliæ sub Dysenteria contineatur, primùm nunc de Dysenteria dicendum; Latini Intestinorum Formina vocant, nunc autem Dysenteriæ nomine propriam accipimus, ad differentiam Hepaticæ, & aliarum, & de quib. infra

differentia.

DIstinguitur hæc multis modis, & primum ratione loci: nam in quinque superioribus intestinis Δυσεντερία vocatur; in vltimo verò, seu recto nomen mutat, & Τεινεσμὸς vel Tenasmus, vel Tensio vocatur.

Rursum autem distinguitur Dysenteria siue in vna, siue in alia intestinorum parte in Fientē & Factam. Fiens est, in qua sanguis non educitur, vlcus nondum adest: Facta verò semper est cum vlcere.

Fientis três sunt species: in prima excernūtur tantum humores mordaces, sed cum torminib. vehementibus ad differentiam Diarrhœæ, in secunda aut excernitur abrasa pinguedo, quando vlcus fit in intestino crasso, aut excernitur mucus intestinis adhærens, quando affectus est in tenuioribus intestinis; in tertia excernitur tenuis pellicula, ἐπιξυσμὸς dicta. De his tribus meminit Gal. 6. de loc. aff. circa init. 4. aph. 26.

Facta verò Dysenteria triplex est: in prima erroditur interior intestini tunica pręter epidermidem erosione tamen superficiali, vt sanguis tantum excernatur: in secunda portio interioris tunicæ simul cum sanguine, & sanie educitur: in tertia & interior & exterior tunica iam corrupta & separata est. meminit harum differentiarum Gal. 4 aph. 26 & 6. de loc. aff. 2. circ. init. 4. de vs. part.

Et hęc vltima differentia alias quoque constituit Dysenterię species, scil. Malignas, Depascentes, Sordidas, interdum Callosas.

Caussæ.

DYsenterię caussæ aut Essentiales sunt, aut Per consensum, aut Externæ.

Essentiales sunt aut abscessus disruptio in intestinis facta post intestinorum inflammationē, aut est ruptio; vel anastamosis, vel erosio venarū intestinorum ab acri, & calido sanguine in venis Intestiniorum existente.

Per consensum fit ex humorum fluxione, siue sint salsi, siue biliosi, cuiuscunque speciei, siue atrabilares, atque ideo, siue confluant ex cerebro, & ventriculo, siue ex iecore, & liene, siue ex toto corpore. Auicenna in hac parte inutili quadā, vt reor, vsus est diligentia 23. 3. tr. 1. cap. 2. qui tempus proponit, in quo humores isti exulcerationem in intestinis facere possunt; dicit enim bilem id facere 14. diebus, salsam pituitam 30. melancholiam 40. falsa est propositio. Dysenteriæ multæ primo, aut 2. die incipiunt à bile flaua vel atra, à pituita salsa.

Ex-

Externę caussæ sunt potus aquę ... vsus salitorum, & acrium immodicus, aliumque remedij venefici, aut valenter purgantis, seu sit antimonium, seu colocynthis, quæ in clysteribus imposita plerunque faciunt eiusmodi exulcerationes.

De Tenesmi caussis, & differentijs.

EX iisdem caussis fit Tenesmus Legitimus, datur enim & Spurius, isque duplex est, vnus per essentiam, per consensum alter; cùm enim Tanesmus Spurius nil aliud sit, quam frequens deiiciendi cupiditas, hęc interdũ fit ab hæmorrhoidibus intumescentibus, interdum à constrictione intestini, propter eiusdem refrigerationẽ, siue refrigeratio facta sit ex insessione super lapidem, seu aquæ frigidę; aliquando fit hic conatus ex vermiculis rectum intestinum vellicantibus; non rarò fit à stercore indurato; interdum etiã à lapide in intestino existente: & licet Galen. 6. de loc. affe. 2. nunquam se vidisse dicat calculum ex intestinis eiectum, alij tamen viderunt, vt Ant. Beniuen. de admirand. c. 9. Auic. 16. 3. tract. 2. c. 3. Fernel. lib. 6. pathol. 9. Ego verò non vnicum, sed plurimos simul, & per plures dies vidi lapillos per intestina eiectos in quodam fabro Patauino, qui spatio 8. vel 10. dierum post longam alui suppressionem, & ingentes ventris dolores, partim vsu clysterium acrium, partim aliorum remediorũ multos eiecit lapillos magnitudine nucis auellanæ, coloris flaui, vsque adeo duros, vt vix infringi potuerint. Fit Tenesmus spurius etiam consensu, compressione scilicet facta aut ab vtero, vesica, aut è vasis seminalibus aliqua ratione tumescentibus.

Hist. lapidũ per intestina excretorum.

Signa Dysenteriæ.

NOn est difficile Dysenteriã in genere, atque illius species iam fientes, & factas distinguere. Distinguendi autem sunt loci, Verum scilicet exulceratio sit in superioribus, aut magis in inferioribus intestinis; nam vlcus in superius potione curatur, in inferiis aut clysteribus, aut suppositoriis: sic verò distinguentur; nam si morbus sit in intestinis gracilibus, labitur appetentia, adest febris ingens, sitis, oris amaror, dolor supra vmbilicum, & excrementa educuntur aliquo temporis spatio, postquam tormina patientem vexarint, & ipse sanguis, aut sanies confusa & cum alijs alui excrementis prorsus admista est, sanguis item in maiori copia educitur & abrasio est tantùm muci, non pinguedinis & abrasio pelliculæ, seu membranę admodum parua & exigua, si verò contra exulcerata sint intestina crassiora, dolor est infra vmbilicum, & cum primum tormina incipiunt, ægri deiiciunt, quæ deiiciuntur a sanguine sunt separata: sanguis est in minori copia, febris aut nulla est, aut parua, tunica, si qua abradatur, satis ampla, & crassa esse consueuit, & ante illam pinguedo excernitur. Ego quatuor vidi Dysentericos, in quibus in dies excernebantur portiones intestini tã magnę, vt ipsę excederent mensuram trium, vel quatuor digitorum; & duę mulieres quæ hoc morbo laborarunt, sanatæ sunt, duo viri ambo defuncti.

Signa Tenesmi.

VErsabar circa distinctiua signa Dysenterię & proposui hactenus, qua ratione superiorũ intestinorum Vlcera ab inferneis distinguantur: & quia inter inferiora intestina est rectum, quod peculiarem patitur exulcerationem, & passionẽ Tenesmum vocatam, igitur antequam pergam, eius diagnostica, & distinctiua caussarum signa proponenda sunt.

Dignoscitur ex assidua deijciendi cupiditate.

Caussæ verò inter se sic distinguuntur.

Si enim fuerit vlcus, sanies, aut simplex, aut cruori commista, interdum cum muco, interdũ cum alijs humoribus, educitur.

Si fuerint Hæmorrhoides tumentes, nil pręter naturale excrementum excernitur, quod tamen cum labore, & difficultate emittitur. Igitur dolor, calor, tumor, & circa sphincterem insignis adest angustia, interdum sanguis copiosus erumpit, tũcque deijciendi desinit cupiditas. *Hæmorrhoid.*

Si fuerint Vermes, adest potiùs titillatio, & pruritus, quàm vera dejiciendi cupiditas, & cùm excrementa excernuntur, vermiculi excrementis adhærentes apparent. *Vermes.*

Si fuerit Lapis, aut fex indurata, nil omnino excernitur nec remedia aliquid iuuant, nec iniecti clysteres possunt recipi. *Lapis.*

Si fuerit externa frigiditas, primũ ex relatione cõparari poterit, deinde ipsi patientes frigiditatis & adstrictionis sensũ in ea parte se habere dicũt. *Frigus extern.*

Si fiat hæc passio per consensum vel ab vtero, vel à vesica comprimentibus, deterius habent ægri quando supini decumbunt, quàm si fuerint proni minùs enim comprimitur intestinum. *Consensus ab vter. & vesic.*

Signa differentiarum Dysenteriæ.

IAm verò distinguendæ sunt Dysenteriæ differentiæ à genere & caussis desumptæ. & de speciebus quidem Dysenteriæ, quę est in fieri, nil est dicendum. Vnaquæque species ex superiùs dictis distinguatur: Prima quia sentiunt tantùm tormina cum morsu. Secunda quia excernitur vel mucus ex superiis, vel pinguedo ex inferneis intestinis: Tertia quia pelliculæ, epidermis, simul cum excrementis educuntur.

Tres verò species factæ Dysenteriæ sic distinguuntur. In prima sanguis tantùm excernitur; In secunda cum sanguine sanies: In tertia intestinorum portiones ...

Sed quia secunda, & tertia alias habent differentias, ... etiam sunt distinguendæ. Vlcus enim neque sordidum, neque admodum profundum, nec putrilaginosum, neque depascens, aut callosum saniem emittit albam, non fœtidam, boni coloris, rubro sanguini mistam, non admodum copiosam, cum pauco dolore, sibi ipsi ęqualem, sine febre, aut exigua, & sine prauis symptomatibus.

Vlcus .a. sordidum multam habet saniem varii coloris fœtidam; & si putrilaginosum fuerit, febrem habet coniunctam, & praua symptomata; excernuntur intestinorum portiones, & si fuerit depascens, inæqualem emittit puris portionē, interdum multā, interdum paruam: & si fuerit callosum, caret dolore ad differentiam illius, quòd nec callosum est, nec fluxione tentatur: Quæ fluxio cognoscitur ex qualitate humoris exeuntis. Si enim sit pituita salsa, simul cum torminibus, mucus excernitur; præcessit, vel adhuc adest salsa destillatio.

Si sit bilis flaua, vel atra, color flauus vel niger vtrumq; humorem declarabit.

Multū verò ad curationem refert distinguere, num fluxio fiat per intestinorum venas, an per cauitatem: Si enim per venas, dolores sunt maximi, deiectio exigua; si per cauitatem, deiectio est multa, dolor & exulceratio leuis.

Confert etiam ad curationem nouisse, vtrum vlcus factum sit ex rupto abscessu post intestini inflammationem. Cognoscitur autem quia de repente nulla præcedente alui fluxione sanies, & sanguis corruptus erumpit, præcessitque febris & insignis intestinorum dolor.

Prognostica.

PRognostica huius mali à Genere desumūtur, Loco affecto, & Caussis. A Genere quidem quia sicut exulceratio superficialis, & benigna, si rectè tractetur, facile ad curationem tendit; sic è conuerso malignum vlcus, depascens, & callosū, profundum, sordidum, putridum, non modò ægrè sanatur, sed plerunq; nullam admittit curationem. Hinc Hipp. 4. aph. 26. dicit, Dysenteriam esse lethalem, in qua veluti carunculæ exeant. Per *carunculas* autem intelligit quidem intestinorum membranas, quę carnis formam non habent, sed tamen *carunculas* vocauit, quia educta portio vsque adeo crassa carnē æmulatur. Tunc enim indicium est intestini exulcerati circa tunicam internam & externam, quam exulcerationem dicit incurabilem Gal. 4. de vsu part. 4. (6. 7.) Si interna enim tantùm separetur, curationem admittit, vt nos propria experientia comprobauimus. De hoc ipso vlcere putrilaginoso loquitur Hipp. 6. aph. 3. In longis intestinorum difficultatibus inappetentia, & febris malum: ex his enim duobus signis, febre scilicet superueniente, & inappetentia ostendit Hipp. vlceris magnitudinem, & putredinis malignitatem.

Quoad Locum, semper, cęteris paribus, deteriora sunt vlcera tenuium intestinorum illis, quę occupant crassiora:

Quoad Caussam effectiuā Hipp. duas videtur innuisse lethales Dysenterię caussas, melancholiam scilicet naturalem, & atram bilem, de naturali melancholia meminit 4. aph. 22. de atrabile 4. aph. 24. cum dicit: Dysenteria si ab atrabile inceperit, lethale. Ne autem decipiamur, hæ duæ sententiæ limitationem patiuntur cùm & ex melācholia naturali, & atra bile, habita temporis ratione, possit fieri Dysenteria salutaris, dicebat Hipp. 6. aph. 48. Lienosis Dysenteria superueniēs bonū est sermo de melācholia naturali critico modo expurgata, Dysenteriam faciente, quæ si diu nō duret, vtilis est; si enim diu duret, etiam in Lienosis, vel ad Hydropē, vel ad Lienteriam perducit, teste Hipp. 7. aph. 45. de atra bile verò idem auctor docet 7. aph. 5. Difficultatem Intestinorum furori superuenientem bonum: at furor fit ex atra bile; igitur & ex atra bile fit vtilis Dysenteria.

Sed quid dicemus ad illud Hipp. Dysenteria ab atra bile exitialis, vbi Gal. in comm. rationē reddit, quia est quasi cancer intestinorum, & sicut cancer externis in partibus est insanabilis, sic etiam in internis.

Solutio est, atram bilem fluere ad intestina vel per venas & arterias, vel per cauitatem. Si illud, cancrum facit, estq; insanabilis, si hoc, sanabilis.

Duo notanda.

DYsenteriæ prognostica, vel ad bonum, vel ad malum protulimus superiùs; duo adhuc supersunt: vnum prænuntiatiuum futuræ Dysenteriæ, quod sumitur ab Hippocr. 7. aphor. 23. dum dicit: post synceram deiectionem Intestinorum Difficultatem subsequi, *per synceram deiectionem* flauam, vel atram bilem intelligit. Alterum prognosticum quod spectat huc, desumitur ex 7. aphor. 28. Mulier vtero gerens superueniente Tenesmo abortit, quæ sententia sano modo intelligenda est, Prægnantibus enim ob duas caussas fit Tenesmus absq; abortus periculo Prima hemorrhoidum tumor: dū enim intumescunt hæmorrhoides, frequens deiiciendi cupiditas succedere consueuit. Secunda caussa est vteri tumor ex grandiore fœtu intestinum comprimente. Ex his caussis non fit abortus; sed tūc tantùm, cum tenesmus fit ex vlcere, in quo casu & propter dolorem, & propter inflammationem vlceris connexam, & propter vigilias, & frequētem surgendi motum vires deiiciuntur, & debiliores redduntur, vt tandem abortus fiat.

Curatio.

DVplex est curatio: Vna Coacta: Canonicā altera. Illa respicit symptomata potiùs, quā morbum, aut caussam: hæc primo ad caussam, & morbum dirigitur, subinde ad symptomata. Loquemur primo de Coacta. Symptomata sunt aut in intestinis tenuibus, aut in crassis: in illis dolor & aliquando insignis sanguinis fluor; ideo ratione doloris opus est anodynis, vel stupefacientibus; ratione sanguinis vel adstrictoriis, vel agglutinantibus, vel opiatis. In intestinis infernis est dolor, & circa rectum intestinum est molesta illa, & frequens deiiciendi cupiditas His omnibus, cùm vires deiiciant, primo occurendum; non tamen omnino caussa, & morbus spernendus, ideoq; occurrēdum externis, & internis, vel assumptis vel iniectis per inferiora.

Assumpta conueniunt, vbi tenuia laborant intestina: Iniecta verò vbi laborāt crassiora, ex Gal. 5. de locis affect. 2.

Incipio ab iniectis, clysteribus scil. qui pro varietate materiæ fluentis varii fiant oportet.

Si igitur Dysenteriæ materia sit pituita salsa, vtendum clysteribus epiceraușticis quidem, sed abstersoriis: nam si pituita salsa, quę humor crassus est, solis epiceraușticis tractetur, adhærebit intestinis, & pro tempore iuuabunt quidem Clysteres, sed paulo post maior subsequetur noxa; Ideo sic fiat Clyster,

Recipe Iuris intestinor aut
capitis castrati vnc. viij.
saccari rub. vnc. ij.
M. f. clyster.

Si fuerit bilis, vel tenuis est, & facilè, & frequenter dejicitur, aut crassior est, vt etiam atra bilis, vt propterea modica illius quantitas educatur

Si fuerit tenuis fluxus, & facilis ad exitum, opus est clystere epiceraustico incrassante non abstergente, vbi mirifice facit

Decoctum ex *cap. castrat. additi*
etiam Pedibus aut castr. aut vituli cum
Butyr. & adipe capræ ad vnc. i.

Adipem Capræ dicit Gal. 11. simpl. c. de pingued. non ideo eligi in Dysentericis, quod maiorem habeat vim epiceraușticam adipe suillo, sed quia statim concrescit, & intestinis promptiùs adhæret, vt sit instar straguli prohibēns materiam acrē exulcerare. in eadem classe est ptisana hordeac. iniecta, succus orizæ, alycæ, emulsio sem. melon. & papau. albi, simul cum aliqua portione farinæ amyli. Idem pręstat lac in hac tenui materia chalybeatum, addita semper caprini adipis portione, vel in maximis doloribus vng. rosa. quod mihi magis placet quam oleum, sicut etiam infrigidans vnguentum in lacte dissolutū ad drach vi. vel vnc. i.

Sed si crassa fuerit materia siue flaua siue atra bilis, nec facilè educatur, hic epiceraustico addēdum saccharum rub. ad vnc. i. sem. nec accipiendum lac chalybeatum, sed vtimini potiùs ptisana hordeac. quàm alyca, oriza, vel amylo: Hæc intrinsecùs, tanquam iniecta pro doloribus crassioris intestini sufficiant.

Ad quorum porportionem respondeant externa, ideoque inungendus venter oleo ros. lintei, vel omenta animalium hoc oleo imbuta super abdomen retineantur.

Possunt etiam fieri fritaliæ ex ouis simul cum ol ros. & si flatus adsint, admisto etiam masticino:

Ad frequentem verò dejiciendi cupiditatem, si ex frigida caussa oriatur, vel pituita mucosa, vel insessione super lapide &c. varia conuenient remedia. Ego autem vti soleo tabula aut nucis, aut cupressi calefacta apud ignem, & illita vel butyro, vel adipe caprino, cui insideat æger. Idē facit sacculus plenus floribus thapsi barbati, vel mentastri etiam calefacti. Mirificè etiam prodest aut pix, aut resina prunis imposita, vt fumum recipiat locus affectus. Quidam experti sūt, plus hic præstare funem pice oblitam, accensam & suffumigatam. Prodest & euaporatio facta ex decocto brassicæ, pulegii, calamenthi, menthastri, origani, chamomeli, anethi.

Venetiis doctus sum à piscatoribus oua squati ... piscis cartilagineí exsiccata, & in puluerem redacta per modum suffumigii administrata hunc conatum statim curare. Non tamen prætermittantur, vbi adsit pituita intestinis adhærens, Clysteres quidam abstersorii moderatè calefacientes vt qui fiunt ex decocto mentastri, sisymbrii, flor. chamomel. & anet. in vino, addito vel saccaro, vel modico melle rosat.

Quòd si acris potiùs sit materia, hæc dimittatur, & accipiatur potiùs suppositorium vel ex adipe hircino, vel ex butyro. iniiciantur clysteres epiceraustici (de quibus supra) sed in modica quantitate.

Assumpta verò proportione respondeant iniectis. Nam in præsentia pituitæ salsæ dentur iura alterata cum malua, endiuia, soncho, hepatica, plātagine.

In pręsentia vtriusq; bilis nisi febris valida vrgeat, nil præstantius lacte. Hoc verò vbi nimium fluat aluus, aut coctum præbeatur, aut chalybeatum. Chalybeatum verò plerunq; est ingrati saporis, igitur melius ęst vti lacte decocto. Coquitur autem vel sine aqua, vel cum aqua, illud ad tertiam partem consumatur, hoc verò ad consūptionem medietatis.

Recipe lactis lib. i.
aq. plantag. aut sonch. vnc. vi.
& coq. ad consump. mediet.

Hoc lacte non modo dolores sustuli, sed incipientes Dysenterias sine alios auxilio sanaui.

Quòd si non nimium fluat aluus, aut lacte nō chalybeato vtendum, aut sero caprino, aut aliqua aq. stillat. & maximè commendo emulsiones semin. frigid. non tantum melon. aut cucurbit: sed etiam papaueris albi. Possunt enim præberi vnc. vj. & viij. harum emulsionum quatuor horis ante cibum.

Imò & ipsi Cibi medicamentis proportione respondeant, vt vim habeant Epiceraușticam, seu sint fercula ex amylo, aut panatellę cum emuls. sem. vel melon. vel papauer. albi, aut succo orizę, aut alycæ, pedes vituli.

Quòd si his non cedat dolor, vel fluxus sanguinis adstringentibus non cedat, de quibus infra, ad opiata tandem confugiendum est. Opiata.

Et per superiora quidem potest præberi aut

Sacch. rosat. vnc. sem.
sem. hyoscia m. contus. drach. i.
M. f. boli.

Aut prębeatur *Pill de Cynogloss. drach. sem.*
aut *Requiei Nicol drach. sem.*

In clysterib. verò potest incoqui, aut hyosoyā. aut semen. papau. aut. mandragoræ. Verbi gratia.

Recipe fol. hyosoyam. M. s.
pom. mandrag. incisor. n. 1.
sem. papa. alb vnc. i.
bull. in iure pingui, & fact. expres.
Recipe dicti iuris vnc. viij.
Butyr. vnc. ij.
seui hirc. vnc. i. M. &c.

Curatio Canonica.

In canonica seu regulari Dysēteriæ curatione primo caussæ incumbendum est, dein morbo.

& cùm Caussa possit esse vel pituita salsa, vel bilis flaua, aut atra, quomodo vnúsquisque ex prędictis humoribus, cum ad aluum fluxerit, tractãdus sit, dictum est in Diarrhœa; quod caput in curatione Dysenteriæ cum fluxione semper est aduertendum; ibi enim omnia proponuntur præcepta, quæ ad euacuationes spectant, ad reuulsiones, ad deriuationes, per vomitum, per vrinas, per sanguinis missioné, per vniuersam cutim, vel os, & nares, aliasq; partes tentandas. Hoc tantùm repeto in pręsentia. In Dysenteria ex pituita salsa à capite defluente cautè agendum circa adstrictoria remedia; cùm enim huiusmodi Dysenteriæ vltra 14. & plures dies protrahantur, non desunt ex Medicis, qui putant vltra 14. diem adstrictoria tutò administrari posse. Sunt autem in magno error. Dysenteria enim ex pituita salsa tamdiu perdurare potest, quamdiu capitis intemperies salsam pituitam gignens, eandemq; ad intestina demandans. Itaque elapso anno duos curaui ęgros, qui in Ophthalmiam, & contumacissimos dolores articulorum inciderant, ex importuno vsu remedii adstrictorij administrati in Dysenteria ex pituita salsa. Igitur in hoc casu (quæ docui iterum repeto) reuellendus est potius humor ad nares, ad occiput, aut sincipiut Cauteriis, Sinapismis aut Cucurbitulis; alteranda cerebri intemperies; tunc verò adstringentibus vtendum.

Alterum moneo circa sanguinis missionem. In Dysenteria non quidem omni, sed in cruenta, & in corpore plethorico, tantùm venæ sectio cõuenit. Igitur neque in Dysenteria ex pituita salsa nec in ea, quæ fit à syncera bile in corpore admodum bilioso, multo minùs in ea, quæ fit post disruptum abscessum, conuenit venæ sectio, cum ea, quę fit disrupto abscessu, sit ne fluxione, ideoq; reuulsionem non requirat.

His igitur de Caussa breuiter præmonitis ad morbum transeundum.

Curatio Vlceris.

HIc verò est Vlcus, & hoc vel superficiale, vel profundum, hocq; vel sordidum est tãtum, vel etiam putrilaginosum, & callosum.

Superficiale sanatur solis remediis adstrictorijs refrigerantibus, & agglutinantibus, vel iniectis, vel impositis, vel assumptis. Iniiciuntur clysteres, qui aut fieri possunt ex succo semperuiu. plantagin. rosar. portulacæ, aut ex decoct. prunellorum syluest. labruscæ, myrtillorum, rhois rubei, hypocistidos, balaustiorum, gallarum, nucum cupressi. Incoquuntur hæc in vino austero; & si sanguis multus exeat: potest accipi vinum granat: & his succis, vel decoctis licet etiam addere pulueres agglutinantes, v.g. in vnc. vi. decocti potest imponi vnc. i. aut amyli, aut tragacanth. Neque improbo adstrictorios pulueres seu rosarum, seu acaciæ, aut balaust. Quòd si quis morsum timeat, recipiat terram Lemn. aut Samiam, aut Cornu cerui vstum: exsiccant sine morsu & moderatè adstringunt.

Imponuntur suppositoria, eaq; in vlcere intestini recti. Parantur autem ex iisdem pulueribus boli Armeni, Rosarum, terre Lemn. exceptis

A syrupo rof. de rof. siccis, aut mirtino, aut succo plantag vel portulacę, vel consolidæ.

Assumentur verò trochisci varii adstrictorii, vt sunt trochisci de spodio, de terr. sigil. de Charabe: datur drach. i. In hac re longior non ero, videantur remedia apud Gal. ex sententia Andromachi 7. de comp. per. loc. c. 5. & lib. 9. c. 4. & c. Cęteros scriptores omitto, confidens potiùs in hoc puluere, quàm in pill. aut bolis, quos aliquando in Dysenteria integros, & immutatos deiici in excrementis vidi. Pulueres autem vlcerato loco

B meliùs adhærent.

Recipe ossis sepiæ vst. pulu. drach. ij.
spongiæ pice imbutæ, & in ollula vsta & in cinerem reductæ.
Cortic. ouor. pellicul. ablata interiore & puluerizz. an. vnc. sem.
Margar. præp.
Bol. Armeni an. drach. i. M.

Dosis huius pulueris est drach. i.

Certo vobis polliceor, hunc puluerem recentes omnes Dysenterias, nisi fluxio admodum vr-

C geat, licet valde cruentas, statim sanare. Datur autem in lacte, vel chalybrato, vel cocto, aut in aqua polygoni, vel alia adstrictoria, & refrigeratoria.

Si Vlcus sit sordidum, hæc omnia non modò sũt suspecta sed perniciosa: augẽt enim vlcus, & interdum alia inducunt symptomata. Opus igitur est abstersione; ad quam iniiciuntur clysteres vel ex mulsa, vel ex aqua hord. cocta cum integro hordeo, cum aliqua furfurum, aut parientariæ portione, addito vel melle rosato, vel sacch. rubr. (Non habenda est ratio morsus & doloris, vt quando dolor vrgeat, dimittatur,) mell. ros. aut

D mulsa. Imò si calor ingens adsit, abstersio fiat sero caprino, ptisana hordeacea, modico sacchare adiecto. Si dolor non vrgeat, & sensus non sit exquisitus, licet ascẽdere ad aliquã aquã vel nitrosam, vel salsam, vt est Tectucian. quę siue simplex, siue melli mista in abstergendo primas habet partes.

Duo notanda.

E DVo autem hic moneo: Primum vt quando ad abluenda vlcera magna capitur clister, quantitas, maximè si rectum intestinum non laboret, sit saltem lib. i. & semis.

Secundum est: In valde sordido vlcere vnico clysteri non acquiescendum, sed duo, interdum tres, vnus post alium iniiciendus; deinde verò statim siccante clystere iniecto vtendum modicæ quantit. qualem superius pręscripsimus vel ex vino, vel ex succo pulueribus adiectis.

Quòd si Vlcus putrilaginosum, & callosum his abstersoriis non cedat, ad fortissima deue-

F niendum Iniiciantur itaq; clysteres, aut ex aq. marin. aut ex infus. oliu. ex muria, ex piscium salsedine vel simplici, vel mista, vel cum aqua Thectucii, aut alia ifirmioris facultatis. Neq; mirandum, ad hæc tandem veniendum esse; Callosum enim vlcus, & putridum, nisi quamprimùm mundetur, & putredo superetur, intestinũ perforat, & tunc de salute actum est. Igitur in his casibus

casibus Medici permiscent clysteribus vnguent. Ægypt.ad scrup.i.vel drach.sem. & Galen. 9. de compos.per loc.proponit trochisc.ex charta combust.pastillos Andronis & Basiolis,qui recipiunt auripigmentum,& alia caustica ad superandam putredinem, & demendos callos.Sublata sorditie,agendum siccantibus,& sarcoticis,idest medicamentis carnẽ generantib.de quibus supra dixi.

A

Sed si in superioribus intestinis fuerint hæc Vlcera,& assumptis per os opus sit,nihil præstantius est aqua Tectuc.melle rosa.mista. Si hæc non adsit,componatur lixiuium ex cineribus vlceri,appropriatis,quæ putredini resistant,vt est scordiũ, dictamnus, tormentilla, scabiosa , aristolochia , scobs ligni Indici,salsa &c. Huic lixiuio addatur mel ros,

B

Post abstersionem ad cicatrizandum valent pulueres propositi. Conficiuntur & quædam olea vt est illud ex perforata,quod oleum rubrum dicitur.Datur vnc.sem.in iure.Est etiam optimum oleum,quod balsamum vocant,sed artificiale est. Dicitur Venetiis oglio delli Spagnoli.Dosis est à drach.i.ad drach.ii.

C

His accedat victus ratio proportione respondens.Et hæc de Dysenteria.

DE FLVXV HEPATICO. Cap.XXI.

ACcuratissimã de Hepaticis Fluxionibus tractationem aggredior,idque duplici de caussa.Primo,quia video hanc partem à paucis Scriptoribus esse tractatam. Secundo,quia vno & eodem tempore docebo modum curandi Hepaticas Fluxiones,& varia Iecoris vitia.Ante omnia autem dicendum,quid nomine Hepaticę Fluxionis intelligatur , Interdũ enim hoc nomine quispiã intelligere potest vnamquamq; Deiectionẽ ex Iecore factã,siue ex morbo siue ex errore externo, hanc acceptionem excludimus.Fluxus.n.qui fiũt ob errorem externum,facultatem iecoris expultricem irritantem,non sunt Hepatici,ideoq; siue chylus acris & mordax,siue bilis ob meatus fellei obstructionem,seu humores à toto corpore,renibus,vtero ad iecur transmittantur , & deinde ab eiusdem facultate expultrice detrudantur,nõ est Fluxio Hepatica.Alio modo hic Fluxus sumitur pro omni illo,qui Iecoris morbum sequitur, siue morbus sit cum imbecillitate, siue non , & hæc etiam acceptio reiicitur;Nam omnis Fluxio, quę fit absque Iecoris imbecillitate,siue sequatur intemperiem,tumorem aut vlcus, ad Diarrhœã refertur,non ad Hepaticum. Itaque Fluxus Hepatici nomine illum intelligo,qui semper necessario præsupponit imbecillitatem Iecoris.

D

E

Definitio.

HVius Fluxus talis potest colligi definitio : *Fluxus hepaticus deiectio est materiæ variæ ex Iecore imbecillitate laborante.* In hac definitione primùm partes sunt explicandæ, deinde ceendum,quomodo hæc definitio distinguat Fluxum Hepaticum ab alio fluxu.Tres sunt definitionis partes: Materia exiens , Locus ex quo , & Caussa immediata propter quam.

F

Dixi materiam exeuntem esse diuersam,estq; vel Simplex,vel Composita.Illa habet septem differentias:Prima materia chylosa. Secunda ichorosa.Tertia biliosa.Quarta melancholica.Quinta sanguinea. Sexta purulenta. Septima pituitosa . Compositam seu mixtam materiam redigo ad tria capita,ad deiectionem colliquatiuam,ad vlcerosam,& ad innominatam. *Materia*

Locus,ex quo fluit materia,est quidem Iecur, sed quia in hoc varię sunt partes,gibba scilicet & concaua,fellea vesica,vasa & caro,nomine Iecoris non intelligimus vesicam felleam; nam educatur humor biliosus, fellea vesica obstructa, siue inflammata,& intemperata absque alia Iecoris intemperie,erit Diarrhœa,non Fluxus Hepaticus neq; intelligimus vnam tantùm Iecoris partem aut gibbam aut cauam,sed vtramq; non necessariò quidem vtramq; eodem tempore, sed modò Gibbam tantùm,modò Cauam,modò vtramq; : deniq; intelligo,nomine Iecoris materiam in vasis contentam,non in spatio inani,quod est inter membranam & carnem, nec in carne tantum , sed in vasis ipsis. *Locus.*

Caussæ propter quam fit imbecillitas,seu immediatæ nomine intelligo impotentiam facultatum naturalium ad agendum.Quid autem nomine *facultatum & impotentiæ* intelligendum, & quæ sit caussa huius impotentiæ dicamus.Nomine facultatum omnes quatuor naturales intelligo,maximè verò Alteratricem: vnde Gal. 8. de comp.per loc.6.eos vocat Hepaticos, qui alteratricem facultatem habent vitiosam. Subinde tamen etiam intelligo Attractricem Expultricẽ, & Retentricem , nam ex his etiam fieri Fluxiones Hepaticas testatur Gal.loc.cit. & 3. de caus. sympt.2.Nomine impotentiæ intelligitur triplex vitium,aut abolita facultas,aut diminuta,aut deprauata , licet deprauatio ipsi potiùs alteratrici , quàm aliis conueniat. *Causa immediata.* *Hepatici qui dicanturr à Galeno.*

Caussa imbecillitatis.

AT quæ est huius impotentiæ caussa ? Est morbus in intemperie,sed quia etiam dantur morbi in intemperie Iecoris, ex quibus fiunt Fluxiones, quæ tamen Hepaticæ non sunt , postulat hic locus , vt doceamus , quare Iecur ex intemperie , & magis est , ex inflammatione , abscessu , vlcere , interdum dicitur imbecillum, interdum non, hoc potest colligi ex Gal.8. de comp.med.per loc. c. 6. circ. init. Item 5. de loc.aff.7 vbi proponit inflammationem,& alios Iecoris tumores cum imbecillitate, & citra hãc: Ideo docet idem Galenus propriè & per se eos tantùm dici Hepaticos, qui intemperie laborãt, non tumoribus:quasi dicat,posse tumores in Iecore subsistere , iecur autem non esse imbecillum. Tota difficultas posita est in partis cognitione,ad quam spectat præsertim sanguificatio ; tunc enim Iecur dicitur laborare imbecillitate , quum præcipuum Iecoris instrumentum sanguificationi dicatum intemperie laborat. Igitur videndum,quodnam sit præcipuum sanguificationis instrumentum . Antiquam fuisse video de

hac re disputationem. Nã & Gal. tempore, quod colligitur 6. de plac. Hipp. & Plat. 8. disputabatur An præcipuum sanguificationis instrumentum esset caro Iecoris, an venæ? Vbi aperte Gal. & 4. de vsu part. 12. cui omnes fere subscribunt, venit in hanc sententiam: *Carnem Iecoris esse præcipuum sanguificationis instrumentum.* Ratio est: quia hæc substantia nullã habet in corpore similem: at propria actio debet fieri à proprietate partis: addit: finem alterationis esse assimilationem at verò sanguis non assimilatur venis, quę albæ sunt, sed assimilatur carni Iecoris, ego præcipua alteratio sit à carne Iecoris.

Caro Iecoris sanguificat. instrum. ex Gal.

Hæc tamẽ sententia licet sit Galeni, vt liberè dicam, mihi nõ probatur, & ante me illam reiecit etiam Vesalius l. 3. anatom. c. i. & 5. Ioubert. 1. de cad. parad. 4. Schenkius in disput. de sanguific. instrum. Hi omnes censent, primam & præcipuam sanguificandi vim in venis esistere. Ratio est, quia illa debet esse præcipua actionis pars, in qua magis viget calidum innatum: at viget in parte seminali, quales sunt venæ, non in carnea, quę fit ex sanguine: Item: Actio fit per contactum: Iecoris caro non tangit chylum, sed venæ. Item sanguificatio non est tantùm humoris rubri generatio, sed etiam generatur bilis flaua, atra, pituita, serum. Igitur licet tribuamus parenchymati, id est, carni Iecoris, vt rubro, officium rubrificandi sanguinem, non tamen possumus tribuere facultatem generandi tot diuersos humores. Igitur Galenus qui hoc vidit, sibi aliquod contradicit, vt 1. de nat. fac. ca. 4. venis vim sanguificandi tribuit, & confirmatur hæc sententia, quia ex eiusdem opinione 4. de vsu part. 2. venæ mesaraicæ habent aliquam vim mutandi chylum in sanguinem, & tamen sunt sine carnea substantia. Igitur venis tribuenda est prima ratio sanguificationis.

Opiniõ aliorum

His sic stantibus conclusio erit: Tunc Iecur laborare imbecillitate, cùm intemperies obsederit ipsa vasa, vt propterea, etiamsi aut membrana iecoris, aut caro, aut vesica fellea intemperie laborent, vel quocunq; tumore aut vlcere, modò intemperies venis non sit communicata, erit morbus Iecoris sine imbecillitate.

Cùm vasorum intemperies sit imbecillitatis Hepaticorum caussa, videndum nunc, quæ & quotuplex sit intemperies illa, & quomodo Hepaticæ Fluxiones ab aliis distinguantur.

Est autem hęc intemperies vniuscuiusque speciei simplex, & composita, semper cum materia, vt pro sui diuersitate diuersas faciat fluxionis differentias. Est item aut primaria, aut secundaria. Illa, quæ ex obiecto improportionato seu chylo, seu humoribus ad Iecur fluentibus, & in vasis contentis statim inducitur. Secundaria verò, quæ succedit ipsi carni Iecoris intemperatæ. Est item interdum sola, interdum cum aliis connexa morbis, & variis tumoribus, vlceribus, obstructionibus. Est item aut benigna, aut maligna; hanc intelligo, quæ ex venenata producitur qualitate, de ... suo ... diuturi sumus.

Distinctio Fluxus Hepatici ab aliis Fluxibus.

HIs sic declaratis iam patet differentia Fluxus Hepatici à reliquis omnibus: quæ in tribus consistit, In Materia, Loco, & Caussa. In materia, quia Fluxus Lotiui, chylosi, colliquatiui, sanguinei splendidi, & alii, nec ad Diarrhęam, nec ad Dysenteriam spectant.

Ratione loci distinguuntur ad differentiam eorum, quæ fiunt ex cerebro, ventriculo, intestinis, liene, renibus, vtero, venis, & toto corpore; hi enim semper fiunt Iecore laborante.

Deniq; caussis distinguũtur, quia sola imbecillitas, quæ sequitur vasorum intemperiem, quęcũque illa sit, est caussa Fluxus Hepatici, nã alii omnes morbi & intemperies sine hac imbecillitate communes faciunt Diarrhœas, non Fluxus Hepaticos.

Quòd si quæratur, qui fieri possit, vt Iecoris caro sit inflammata vel intemperata, & vnę adeo propinquę eandem non subeant intemperiem, cùm ab ipsa carne tangantur? Respondeo, in tẽperie carnis Iecoris proxima vasa statim quidem alterantur, non tamen ita facilè alterata sunt. Aliud est mutari, aliud mutatum esse. Si caro sit calida aut frigida, etiam venæ calefiunt, aut refrigerantur, non tamen sequitur; ergo sunt intemperatæ; nec sequitur; igitur sunt in calefacto esse, vt in ephemera febre & putrida; in his enim spiritus & humores sunt in calefacto esse, solida alterantur, non tamen dicuntur propriè intemperata, alias febris esset hectica, eadem est ratio intemperię venarum.

De caussis mediatis.

EX his intelligitur, quàm multiplices possint esse caussæ mediatæ fluxus Hepatici; tot enim sunt, quot sunt species intemperiei, morborumq; in mala compositione, & vnitatis solutione, quos omnes hoc loco recensere superuacaneũ duco. Igitur generalia paucis expediens statim me conferam ad Chylosum Fluxum.

Signa diagnostica Fluxus Hepatici in genere.

CIrca generalia duo tantùm dicenda de signis 1. de Diagnosticis, 2. de Prognosticis: Cognoscitur hic Fluxus in genere acceptus duobus maximè signis. Primo, quia noctu copiosior est, quam interdiu, quia sequitur imbecillitatem, at vbi facultas est imbecillis non exsurgit ad expulsionem noxii nisi cum fortior est, vt tempore noctis: tunc enim calor concentratur non distrahitur ad varia officia. In reliquis igitur Fluxibus, vbi facultas non est debilis, quocunque tempore fit materię noxię expulsio, in Hepaticis noctu magis propter hanc caussam. Secundum desumitur à proprietate excremẽtorum simul cum continuitate dictionis, cũ materiæ illę, de quibus supra, sunt om... ad Iecur aliquo modo spectantes, & ... ...llitas est supponẽda

pro-

Prognostica.

OMnis Hepaticus Fluxus omniũ deterrimus est, nunquam etiam potest esse criticus. Fit enim vt dixi, non ex irritata expultrice, sed semper ex imbecillitate facultatis: Sed vt rem intimiùs penetremus, species aggrediamur.

De prima specie Fluxus Hepatici; seu Fluxu Chyloso.

CHylosus Fluxus est materia iam in ventriculo confecta excretio, sed diuersa ex iecore imbecillo. B Per chylum non intelligitur toto illa materia, & substantia, quæ in ventriculo conficitur; sic enim corpus citò tabesceret; sed pars intelligitur modò paucior, modò maior. Est varia, quia chylus interdum excernitur albus, prout in ventriculo conficitur, interdum mutatus vel ad rubeum, vel ad flauum, & cinereum: interdum corrumpitur & fętidus euadit, interdum spumosus, & pituitæ mistus educitur.

Locus affectus.

C LOcus affectus duplex est; interdum sunt mesaraicæ, aliquando concaua Iecoris pars igitur huius exeretionis caussa interdum est obstructio, vel tumor in mesenterio, interdum Iecoris vitium.

Differentiæ.

VNde hic Fluxus duplex dici potest: Legitimus, & Spurius. Hic fit ex mesaraicis: Ille D ex Iecore.

Caussæ Legitimi.

IEcur autem est in caussa huius Fluxus, quia vt colligitur ex Gal. 8. de comp. per loc. 6 facultas attractrix non fungitur suo munere. Nõ fungitur autem, aut quia sit impedita ab obstructionibus, aut tumoribus partis concauæ: aut quia intemperies vsq; adeo valida, vt ipsum attractricis robur dissoluat. E

Signa distinctiua.

EX hac caussarum varietate varij etiam insurgunt Chylosi Fluxus propositæ differentiæ. Albus enim deijcitur chylus, & immutatus, cùm mesaraicæ impediuntur: Mutatur ad rubrum, aut alium colorem, cùm impedimentum sit in Iecore. Item si obstructę sint mesaraicæ, chylus quotidie, & parum excernitur: Vbi vitium est in Iecore, & aluus supprimitur per quatuor aut plures F dies, postea confertim chylus ille putridus, & in colore mutatus educitur. Item vbi Iecur non attrahat chylum propter obstructionem, chylus nullam habet admistam pituitam vel spumam. Quòd si non attrahatur propter frigidam intemperiem, redditur spumosus, & pituitosus: Vrinæ sunt crudæ, color totius corporis pallidus, & cachexiam pituitosam præ se ferens.

Prognostica.

ESque hic Fluxus omnium maximè periculosus: Nam si Chylus in Iecur non fluat, nec sanguificatio potest fieri, & tandem fit tabes.

Curatio.

CVm Fluxus Chylosus magna ex parte fiat ab obstructione, ideo pro illo curando, versabimur magna ex parte in superanda Iecoris obstructione; nam licet interdum fiat ab intemperie frigida, quæ imbecillam reddit facultatem attractricem, hoc tamen rarius est, & huius intemperiei curatio in alium locum referenda. Nunc autem id tantùm dico, quod ad Fluxum Chylosum spectat ex infirmitate attractricis factum, necessaria esse auxilia quędam chylum attrahentia & impellentia. Illa quidem sunt exteriora, & quędam Iecori adhibentur: alia verò toti corpori Iecori apponuntur cucurbit. non scarificat. fiunt frict. asperæ, aut siccæ, vel oleo aliquo calorifico, vt est de spica, de absynthio, laurino, &c. Toti corpori pro attractione conueniunt balnea aq. cal. frictiones etiam; Denique picatio, illinitio facta per picem. De hac operatione plura lib. de phœnigmis. Impellũt autem chylum ad Iecur omnia diuretica calida, radices asparagi, fęniculi, apij, petroselini, vina generosa, alba, aromata. Hæc de attrahentibus, & impellentibus satis.

Curatio obstructionis à materia frigida.

TRanseo ad obstructionis curationem, vbi primò docendum, quid non sit agendum, deinde verò, quid sit agendum. In huiusmodi Fluxu quantumuis diuturnus fuerit, nunquam conueniunt aluum supprimentia, seu adstrictoria, seu incrassantia, seu opiata, tam interna, quàm externa.

Docet enim Auicenna, & est rationi consentaneum eos, qui adhæc confugiunt, obstructiones augere, imò ex obstructionibus tumores excitare dicit, sicq; nũquam Chylosum Fluxum sanare Relinquatur igitur hæc omnia, & pro præsentis fluxus curatione tantùm morbo, & caussæ incũbendum. Caussa est crassus, & multus humor, qui extenuandus, educendusq; est. Morbus est obstructio ex eodem humore crasso, viscido, & lento facta, qui etiam attenuandus, incidendus, & abstergendus. Euacuatio in hoc Fluxu omnium cõsensu vomitu fieri debet. Materia enim antecedens, *Vomitus* quę obstructiones auget, est chylo commista, & in ventriculo augetur, igitur ducenda vomitu, qui paratur aut decocto puluer. rad. asari. Dosis drach. j. in vnc. viij. vel x. iuris: & si quis addiderit vnc. ii. vel. vnc. iii. oxymellis ad incidendum, non erit sine ratione.

Euacuetur etiam clysteribus: neque verò eligendi sunt clysteres lenes, quales in Dysenteria, *Clystere* aut Diarrhœa biliosa, sed sint medicati, vt possint electiuè à mesaraicis, & à concaua Iecoris parte ducere. Fiat igitur decoctio abstergens ex Parietaria, Mercuriali, Beta, Furfuribus.

Addantur

Polypod. drach. iii. vel. drach. iiii.

& decoctioni addatur

Elect. lenitiu. vnc. sem.

Mell. rof. vnc. iii.

olei chamomil. vnc iii.

Quòd de clysteribus dico, dictū velim de medicamentis per os assumendis. Licet Fluxus adsit non sunt negligenda Purgantia. Tota enim curādi ratio in superandis obstructionibus est posita: Debet tamen hæc purgatio sensim & paulatim fieri tum propter vires, tum ob naturam obstructionis. Hoc enim apud vos sit perpetuum, vasis iecoris quocunque modo impeditis aut ab obstructione, aut à tumore, nunquam licere vti purgante valido, præsertim in magna dosi accepto. Igitur dicit Galenus 13. meth. 11, in oculorum incipientibus inflammationibus vnica die purgante valido inflammationem tolli posse. Quod si quis, inquit Gal. fecerit in Iecoris inflammatione, maximum producet malum. Humores enim trahuntur a toto corpore in ipsum iecur, & cum transire nequeant, inflammationem & obstructionem augent. Igitur eligantur purgantia per epicrasin, & alternatim vtendum purgantibus & aperientibus.

Dico vobis, quo ordine has obstructiones ego curarim? Statim ab initio, si Vomitus non præcesserit, ex hibeo leniens, seu sit mel rof. seu Elect. Lenit, in bolo. Deinde tribus diebus vtor vnc. *i.* oxymel. simplic. & vnc. i. de beton. Tertio institúo has pilulas.

Recipe pil. aggreg. dracb. i.

de trib. cum. rhab.

mastic. an. drach. i. sem.

cum aq. beton. f. pil. 12. deaurentur.

Alternis diebus hora 1. ante cœnam duas pilulas præbeo: sequenti autem mane præbeo alias duas ex sequentibus.

Recipe Trochis. de Eupat.

de Rhab. an. drach. ii.

cum Aq. Agrimon. f. pil. 12. deaur.

Post duas has pilulas, præbeo statim syrupū aperientem, & si temperatura calidior sit.

Recipe syr. de cichor. ex descript.

Nicol. Florent. vnc. i.

Syr. acetos. simpl. vnc. sem.

decoct. Cuscut. Agrimon.

Cichor. Rad. graminis vnc. ii.

M. pro syrupo

Si frigida sit temperatura.

Recipe Syr. bizant. cum aceto

de quinq; radicib.

de Eupator. an. vnc. sem.

Decoct. rad. apij, petrosel. fœnit.

Puleg. orig. Agrim. vnc. iij.

M. pro Syrupo.

Cùm fuerint consumatæ omnes pilulæ cum syrupis, tunc remedia exteriora aggredior, & interna fortiora.

Exteriùs vtor hac inunctione

Recipe ol. amyg. dulc. & amar. an. vnc. i. sem.

Si temperamentum sit calidius,

Addo *succ. cichor.*

aceti an. vnc. i.

Agrim. Absynt. an. M. s.

Bull. ad succi & aceti consumt. f. expressio.

Si frigidum sit temperamentum, relinquo acetum. & loco aceti, accipio vinum aromaticum. Interdum hoc cerato vtor:

℞. Ammoniac. dissol. in acet. acerr. vnc. i.

Agrim. Spic. Absynth. an. drach. i.

Cer. q. s. M. f. Ceratum.

Intrinsecùs autem tunc præbeo aut drach. *i.* opoponacis confectam in tribus pilulis, & est fortissima remedii materia ad obstructiones: Aut vtor mei electuarii ex chalybe drach. ii. vel. iii. de quo in tractatu de affecto Liene.

In quibusdam, qui pilulas, & bolos auersantur accipio guttas quatuor, aut quinque olei ex ammoniaco, aut ex calchanto, modò temperamentum non sit valde calidum. Præberi potest oleum vel in vino, vel in aqua stillat. aperiente. In quibusdam vtor iure columbi sic parato.

Recipe rad. apij. petrosel.

fœnic. asparg. an. vnc. i.

ligni sassafras. drach. i.

Infundantur in aq. lib. vj. Imponantur in ventre columbi. bulliant, & in fine decoctionis, Adde

Puleg. Orig. Tragorig.

Thym. Agrimon. an. M. s.

Facta express. ius seruetur ad vsum

Dosis sit vnc. vi.

Et si cui minus arrideat Ius, & temperamentum sit valde frigidum, paretur vinum album forte, in quo infundantur infra scripta.

Recipe rad. iam dictarum an. P. 1.

Calamenth. Asar.

Puleg. Orig. an. M. i.

Anis. Fœnic. Dauci an. vnc. i.

Absynth. Pont. Agrim. an. M. s.

Infundantur in dict. vino, ebuliant leui ebullitione, facta vini colatura dentur vnc. iij.

Et si quis hoc potiùs destillato vti velit, id etiam fieri poterit, erit iucundius, & citius penetrabit.

DE CETERIS FLVXVS HEPATICI SPECIEBVS. Cap. XXII.

VT breui methodo omnes Hepaticos Fluxus complectar, ad quatuor capita eos redigā. Ad iecoris frigidam intemperiem: Ad calidam: Ad abscessus vel vlceræ, & Ad proprietates venenatas.

De Fluxionibus frigidam iecoris intemperiem consequentibus.

FLuxus ex intēperie frigida prodeūtes sūt tres: Lotiuus, Pituitosus & Innominatus. Vt facile intelligatur horum Fluxuum discrimen, poteritis illos comparare, & conferre symptomatibus quæ fiunt ex ventriculi cruditate. Nam sicut ex frigida ventriculi intemperie interdum, fit exquisita cruditas, interdum imperfecta coctio; aliquando

quando prauà coctio,ad acidum: ita in Iecore ex intemperie frigida interdum fit concoctio, interdum imperfecta coctio, interdum conuersio ad extraneam qualitatem: & ex sublata coctione fiunt fluxus pituitosi, qui sunt vel aquei vel pituitæ crassioris,& spumosæ. A

Fluxus Aqueus

Cùm autem dico sublatam esse Iecoris coctionem,non intelligatis illã esse vsq; adeo abolitã, vt nil sanguinis generetur: est enim falsum;neque enim absq; sanguinis aliqua generatione diu superesse posset, sed hoc intelligendum,magnam chyli partem in succum crudum,vel aquosum vel pituitosum conuerti. B

Fluxus Lotiuus.

Ex infirma coctione fit Lotiuus fluxus.Nam nil aliud est hic Fluor,quàm materiæ aquosę deiectio,quæ colore ęmulatur aquam,in qua carnes nuper mactatæ fuerint ablutæ.Est signum facultatis alterantis quidem,sed imperfectæ.

Fluxus innominat.

Fluxus autem innominatus comparatur corruptioni ad acidum factæ in ventriculo; nam hic Fluxus est materiæ pituitosæ, aut ichorosæ, siue ęmulantis naturam carnis, siue non,retentæ diu in iecore,vt propter retentionem corrumpatur, altereturà suo naturali statu,& quosdã suscipiat colores inexplicabiles. Nam prout pituitę vel ichoribus in Iecore retentis admisceatur aliqua portio vel sanguinis, vel bilis,vel melancholiæ, fiunt medij colores inter fuscum,liuidum, pullum,qui sunt inexplicabiles. C

Signa earundem. D

FAcilè cognosci possunt ex iam dictis differentiæ Fluoris ex frigida intemperie facti Cęterum hæc ipsa intemperies facilè notatur, si vrinas inspiciamus,quæ omnino crudæ sunt,albæ, tenues,vel contentis carentes,vel crassam subsidentiam habentes.Ex colore totius corporis pallido palpebris inflatis,facie subtumida,pedibus, & cruribus œdematoso tumore tentatis,carentia sitis,abundantia sputi,valida appetentia, somno longo & profundo stupore & torpore totius corporis. E

Lotiuus fluxus licet facilè ex colores cognoscatur,distinguendus tamen à virulento. Hic enim virulentus,vt audietis infra, interdum fit exsudante ichore rubeo & cruento,ex magnis inflãmationibus. Interdum fit ex Vlcere.Distinguitur Lotiuus ab vtroq; hac ratione: Primo quia Lotiuus copiosus est,Virulentus paucus. Secundo,Lotiuus ad differentiam vlcerosi est impermistus. Vlcerosus enim habet saniem crassam, & sanguinem quandoq; nigrum commistum.Tertio,Lotiuus est Chronicus ad differentiam virulenti ex inflammatione:nam ichor, qua exsudat è magnis inflammationibus tunc tantùm excernitur,cum inflammationes sunt in statu,& antequam rumpatur abscessus: igitur breue illud excretionis spatium. Accedit quòd lotiuus aut est sine febre,aut cum febre admodum lenta,& minimè periculosa,ad differentiam virulenti. F

Prognostica.

HI omnes Fluxus sunt signa magnę imbecillitatis Iecoris,quęlideo transit facilè in Cachexiam & Hydropem,& ideo statim occurrendum.

Curandi ratio.

ET pro curatione,quod dixi de Hepatico Chyloso,idem repeto de Fluxionibus nuper explicatis nullam vnquam supprimentibus esse tractãdam,sed caussæ tantùm & morbo occurrendum. Igitur quod ad euacuantia spectat, siue sint Vomitoria,siue Clysteres, aut Medicamenta, idem sit iudicium,eadem ratio,quam proposui in Chyloso Fluxu. Quia verò morbus est frigida intemperies,hanc calidis alterare oportet. Alterantia verò sunt interna,& externa:Illa sunt decocta, aquę medicatæ,vel destillatę,electuaria,trochisci, pulueres, rotulæ. Ex decoctis probatur ius Galli antiqui, cuius præparatio in hac intemperie sic fiat.

Recipe absint.Pont.
Iunc.odor.spic.an. M.j.
Origani
Dictam. Scordij Cretic.an. M.ß.
Cymin. Anis. Sesel.an.vnc.ij.
Myrrh.Costi, Caß. ligneæ:
Cinnam.Caryoph.Nuc.mosc an.drac. ij.

Imponantur in ventre galli flagellati & euiscerati. Bull.ad perfect.carnis coctionem:facta omnium express. detur hoc ius ad vnc.vi singulo mane per dies 20.

Maximè conducunt aquę Thermales sulphuratę,salsæ,& aluminosæ,vt sunt multę Italia, & Germania. Ex destillatis aquis illæ sunt in hac parte efficacissimæ,quas Theriacales vocant.Dabo vobis formulam.

Recipe absint.Pont.spicæ.
Cal.aromatici,an.M.ij.
Orig.Salu.Rorismar.
Calam.mont.Scord.Cret.
Dictamn.an. M.ß.
Myrrh.Caß lign.
Cinamo.Garioph.an.drach.ij.

Infundantur hæc in vini albi potentis lib. xij. per 3.dies: deinde destillentur facta destillatione adde

Therlac.
Mithrid.conf.an.vnc.I.
Croci drach.i.

Iterum destillentur,& huius aq.destillatę detur vnc.sem.4.hor.ante cibum.

Potest etiam ipsamet Theriaca,vel Mithridatica confect.ad drach.i.in eundem vsum accipi.

Ex trochiscis omnium optimi sunt Cyphoides, vel cyphicos, à Galeno descripti ex sententia Adromachi 8.de comp.loc.7.& sanè componuntur ex calidis & siccis,robur Iecoris conseruantibus. Ex rotulis conuenit Diacalamenthum, Diacyminum, Aromaticum rosat. Cariophyllatum, Diagingiber. Item olea destillata ex Cinam.Aniso. &c.

Conducit etiam mirificè vinum generosum cum

cum infusione absinth cinam. caryoph.& zingiberis, vt est vinum Hippocraticum.

Extriusecus autem applicentur cerata calorifica & siccantia, vt est

Recipe Serapin.vnc.sem.
myrrh.drach.ii.
synap Cinam.an.drach.ii.
Croci scrup.i.
Cer.q.s. M.f.Ceratum.

Ad proportionem cerati potest fieri Inunctio.

Recipe ol.de absinth.
de spic.an.vnc.i.
vin.arom.vnc.ii.
Cinam.Nuc.mosc.an.drach.i.

Bulliant simul vsq; ad vini consumt. & facta express.seruetur pro inunctione iecoris.

Victus ratio.

His respondeat victus ratio, quę sit calorifica, & exsiccans. Igitur vtantur potius carnibus auicular.montanar. Condiantur cibaria aromatibus,& modico sale. Bibant vinum generosum album,sed parum: Exerceant corpus. Non immergantur multo somno. Abnegent venerem prorsus,& balneis vtantur medicatis,vel ex sulphuratis aquis, vel ex dulcibus,sed alteratis pulegio,calamento,origano,& cęteris calidis.

DE FLVXIBVS, QVOS CALIDA IECORIS PROCREAT INTEMPERIES. Cap. XXIII.

TRanseo ad Hepaticos Fluxus ex calida intēperie: Sunt autem in quadruplici differētia; Quidam Biliosi, alij Melancholici, alij Sanguinei, alij Colliquatiui. Habet autem quilibet eorū varias species. Biliosus enim Fluor aut est bilis pallidæ & flauæ, aut ceruleæ, vel croceæ, aut æruginosæ, Melancholicus etiam aut est melancholiæ naturalis, quę nigra est sine splendore, aut exustæ, quæ interdum splendida, aliquando liuida & cinerea. Sanguineus, Lotiuo excepto, de quo iā diximus,& Virulento seu Vlceroso, de quo dicemus infra, duas habet species; prima, quæ propria est Fluxus Hepatici, in qua sanguis excernitur niger, sed splendidus; altera est impropria, in qua floridus & rubicundus sanguis excernitur, tamen in copia magna. Dicitur impropria, quia fit citra Iecoris imbecillitatem, vt audietis. Colliquatiuus etiam duplex est, vnus proprius, alter improprius. Ille quidem est excretio substantię rubeæ cęteris humoribus mistę, quæ nil aliud est quàm humidior Iecoris caro, à calore eliquata. Improprius fit vitio totius corporis per febres ardentes & pestilentes, in quo primum colliquantur ichores, secundo humores in venis contenti, tertio pinguedo, & caro vniuersi corporis colliquantur.

Caussa.

FLuunt quidem omnes hę differentiæ ex caliditatis abundantia, sed hoc discrimine, vt quędam species sequantur intemperiem simplicem; aliæ intemperiem cum obstructione, quædam intemperiem cum siccitate coniunctam. Sequuntur autē intemperiem simplicem Fluxus Biliosi, Pallidi,& Flaui,& Melancholiæ naturalis. Sequūtur calorem cum obstructione Crocei, Cęrulei, Aeruginosi, Atrabilares omnes,& Sanguinei nigri, splendidi; nam in omnibus his Fluoribus pręter Iecoris caliditatem accedente obstructione, humores prædicti retinentur. Igitur si retineatur pallida, vel flaua bilis, ex vlteriori vstione fit Cęrulea, vel Viridis; Si retineatur melācholia naturalis, ex vstione transit in Ciņeream, in Atram bilē splendidam. Pariter si retineatur sanguis melancholiæ mistus, vt vel in ambitum corporis, vel in lienem libere transire non possit, vlteriùs incalescit,& ratione malancholiæ coniunctæ splendorem contrahit, teste Galen.3.de caus.sympt.2 & 5.de loc. aff. 7. Ex intemperie autem calida & sicca fit Fluxus Colliquatiuus; ex quo, Auditores, potestis colligere, nonnullas ex prædictis Fluxionibus esse simplicus,& continuas, alias mistas,& interpolatas.

Simplex & continua est biliosa, pallida & flaua; cùm enim non adsit obstructio,& semper sit eodem modo imbecillitas, Fluxio etiam est vniformis.

Cęteræ fluxiones, quæ intemperiem sequuntur cum obstructione, & mistæ & interpolatæ sunt.

Mistæ quidem; nam vno & eodem tempore potest exuri Bilis, melancholia,& sanguis.

Interpolatæ sunt omnes, quia eo tempore, quo propter obstructionem humores retinētur, aluus videtur adstricta,& ego in praxi hoc obseruaui, aliquando in his casibus adstringi aluum hōmodo per dies, sed heb domadas etiam, succedente deinde larga & putrida excretione.

In colliquatione non vnus excernitur humor non sola colliquatio, si tantùm sermo sit de proprio Fluxu Colliquatiuo; imò verò illa caro Iecoris colliquata semper admiscetur aut bili flauæ, aut atræ.

Ex quibus facilè intelligitur, cur in pluribus Hepaticis adsit etiam Tenesmus: Hoc enim dico, quia id multiplici experientia obseruaui Hepaticos scilicet bilem vel flauam uel atram deiicientes tenesmo uexari. *Cur Hepatici Tenesmo sæpe laborent.*

Ratio est clara; Humores enim isti sunt iam calidi & acres vt facilè exulcerationem inferre valeant.

Signa distinctiua differentiarum.

IAm potestis absq; vllo labore signa colligere. Primum quidem signa differentiarum harū Fluxionum non sunt valde obscura. Nemo non propriis oculis intueri poterit, verum hęc vel illa bilis flaua excernatur, an potius humor niger citra splendorem, qui est melancholiæ naturalis, an potius cinereus, vel admodum splendidus, vt est bilis nigra vsta. Pari ratione distinguitur sanguis qui propriè Hepaticus dicitur, ab impropriò ex nigredine & splendore; nam qui Hepaticos sequitur, niger & splendidus est; alter verò clarus

& rubeus. Et quia, vt docuit Galen. 5. de sympt. caus. c. 2. hic qui non proprius est, fit à facultate expultrice Iecoris valida; non ab imbecillitate, igitur necessariò sequitur insignem corporis plenitudinem, siue hac fiat ex membro mutilato, siue ex suppressis mensibus, seu aliis consuerit sanguinis Fluoribus, siue ex neglecta exercitatione; perseuerante autem victu pleno. A

Colliquatio Hepaticorum propria in hoc ab impropria distinguitur, quòd propria colliquatio non sit admodum copiosa, neque sit substantiæ ichorosæ, sed duntaxat biliosi humoris lentorem & crassitiem quendam obtinentis simul cum rufo colore, & insigni fœtore ob carneam colliquationem bili commistam, vt docuit Gal. 8. de cōp. per loc. 6. B

Signa diagnostica calidæ Iecoris intemperie, &c.

EX his etiam iam innotescunt huius intemperiei calidæ signa. Colliguntur enim ex prædictis deiectionibus: Item ex siti, oris amaritudine, nausea, inappetentia, vomitu bilioso, vrinis rubris, splendidis. C

Et si obstructio adsit, coniungitur interdum Ictericus color, plerunque & cachexia biliosa, in qua corpus fit pruriginosum, impetigine scabie, aut Lepra refertum.

Si adsit siccitas in Iecore, præter cætera signa, aderit etiam macies totius corporis.

Prognostica.

IDeoque grauissimus est hic affectus, vtpote qui non modò deducat ægros ad malum habitum, sed quod vobis mirum videbitur, aliquando deducit ad Hydropem, & tandem ad mortē, Sedulò igitur curationi incumbendum.

Curandi Præcepta.

IN Curatione igitur primum materiæ incumbendum deinde ipsis morbis, quos tres præcipuos esse diximus, simplicem intemperiem calidam, quæ refrigerantib. est tractanda. Calida cū obstructione, quæ est tractanda refrigerantibus & aperientibus. Tertia quę est calida & sicca, quę tractanda est refrigerantibus, humectantibus & nutrientibus.

Quod ad materiam spectat, vt breui me expediam à Fluxu sanguinis Hepatico impropriio, qui fit ex robore facultatis expultricis irritatę à copia hic curatur primo, secta vena in cubito, & semel et bis, si neque menses, neque hæmorrhoides sint suppressæ; nam in hoc casu aperiendæ venę inferiores, prouocandi menses & hæmorrhoides: imperandus est tenuis victus, & in quantitate & in qualitate ciborum, vt ea tantùm sumantur, quæ exigui, vel inferioris sunt nutrimenti: Exercenda verò potissimū sunt eorum corpora. Quòd si quæ caliditas remanet, nunc audietis, quomodo sit corrigenda; nam quod ad materiam vel biliosa ... F

Iecoris intemperie fiat vel rarò, vel nunquam phlebotomiam conuenit, quia in Fluxu Hepatico etiamsi calor abundet externus deficit tamen innatus, & missio sanguinis hunc defectum auget. Altera est caussa, quia venę sectio ducit humores, qui tantum circa Iecur subsistunt, in ipsas venas. Galen. autem summopere abhorret à venę sectione, cum humores in Iecore existentes in venas deduci possunt. Neque aliam ob caussam præcepit Galen. 3. de loc. aff. 7. & lib. de cur. per sang. miss. c. 10. In melancholicis dum secatur vena, inspiciendum esse sanguinem, & si ruber fuerit, statim claudendam esse venam, quia voluit nos monere succum, melancholicum in Iecore contentum, sed in venis non distributum, non posse vacuari per sectam venam, & quia hi humores abundant potissimùm circa concauam Iecoris partem; neque enim adesset Fluor alui, nisi natura humores ad concauam partem depelleret, Docuit Gal. 7. method. 11. & 13. meth. 16. humores in caua Iecoris parte existentes per aluum esse educendos.

In Fluxu Hepatico ex intemperie calida, dūmodo non adsit Colliquatio, aut Fluxio Cruenta necessaria est Purgatio maiori ex parte intestina, ob caussam superiùs dictam, antequam superentur morbi. Hæc verò purgatio paulatim fiat, & præcedat alterantium vsum; sed etiam alterationis tempore aliquando hæc ipsa sunt repetenda. Debent autem esse admodum temperata, & ex mitioribus accepta, vt v.g. esset Rhabarb. ad drach. i. in puluere acceptum, vel cum vnc. i. sacchari ros. vel cū vnc. sem. succi endiu. aut cichor. Si quis bolum accipere nolit, vtatur rhabarb. infuso in sero caprino, chalyb. & præparato cum acido limonum, aut cum omphacio, s. agresta, Clysteres etiam molles idem præstabunt; fiant autem ex decocto hordei cum vnc. iij. ol. viol. & totidem sacc. rub. Non recuso, vt si aliquando natura partem horum humorum per lotium deponere videatur, medicamentis Diureticis adiuuetur, modò sint frigida, aut temperata, ita vt vno & eodē tempore vrinas moueant, & calidam intemperiē tollant; in qua classe erit idem serum caprinum, in quod infundatur radix filicis, graminis, pentaph. capill. Vener. recens, cui etiam addantur emulsiones, seminum frigidorum vel melon. vel cucurbit. Placent etiam Aquæ naturalis refrigeratorię, vt est nostra aqua Virginis, Caldertianæ Veronens, Villenses: D E

Si humidior fuerit temperatura calori connexa, refrigerantibus siccantia misceantur. Valent in hoc casu succus cichor. & endiu. condensatus, aut clarificatus admisto puluere vel santal. vel ros. sar vel margarit. præp. vel cornu cerui, spodii Gal 8. de comp per loc. 8. laudat Endiu. & Cichorium in puluerem redacta. Dosis succi densati sit vnc. sem. puluerum, drach. ii. Succi autem clarificati vnc. iii. iiii. & vi. Puluerum eadem sit dosis.

Possunt etiam ipsi pulueres in aqua stillatit. præberi, seu sit aqua endiu. sonchi, aut cichorii. Possunt redigi in pilulas cum aliquo ex prædictis succis.

... quod accipio ex Gal. cum scopus

pus fuerit etiā mouendi vrinas hęc remedia saccaro, aut melle esse excipienda; nam ideo ait Asclepiades remedium ex cichor aut endiu. loco citat. propositum vrinas mouere, quia melle exceptum. Idem esto iudicium de saccaro. A

Alterum moneo etiam; In valde humida intemperie satius esse vti ipsis pulueribus, quàm alia remedii forma, vel si quid præter puluerem præbendum sit, habeat etiam vim refrigerantē & siccantem, in qua classe est succus ribes, granat. limon. arantior. acid. berberum. Hęc enim omnia refrigerant & exsiccant. B

Tertium etiam diligenter notandum, vt cum Fluor iam antiquus fuerit, his frigidis remediis admisceantur quædam calida; nam vbi adest iecoris imbecillitas, adest defectus calidi innati, licet abundet ascititius: Igitur innatum calorem conseruare oportet, vel absinthiob, vel spica, vel cal. arom. refrigerantibus addito.

Extrinsecus Iecori applicentur remedia eiusdē facultatis non tamen actu frigida, quicquid hac in parte Rhas. 8. continentis suaserit: nam in iecoris imbecillitate actu frigida facilè calorē innatum possunt exstinguere, vt Hydrops succedat. Apponantur igitur lintei madefacti in succ. Endiu. Cichor. addito limonum succo, aut acetos. c. speciebus triium santal. & modico oleo ex absinth. C

Curatio Obstructionis à Materia Calida.

QVòd si adsit Obstructio simul cum caliditate, aperienda est obstructio vel temperatis vel refrigerantibus, nunquam prætermissis euacuantibus per interualla repetitis & in tali casu licet nil pręstantius sit ipso rhabarb. maturo exhibito singula hebdomade semel aut bis ad drach. i. cum saccar. ros. qua vnica materia auxilii scio plures Hepaticos ex obstructione sanatos, nihilominus possunt etiam concedi pilul. de tribus in ead. dosi & tempore. D

Quod ad aperientia spectat, eligantur temperata, vt est Capillus Vener. Polytrichum, Pentaphyl. Cuscuta, Radix Graminis & filicis, Agrimon. Beton. Addantur etiam Cichoracea, quæ aliquam in se amaritudinem continet, & idcirco abstersoria vi pollent. Accipiantur etiam ea quæ à tota substantia prosunt, & tamen obstructiones sanant. Duo proponit Gal. 8. de comp. per loc. 9. Cochlearum carnem & pulmonem lupi tantùm pulverizata & exhibita ad drach. i. vel ii. Alii addunt lumbricos terrestres exsiccatos, & in puluerem redactos. Forte quia Galen. 11. simpl. c. de lumbric. scribit, illos vrinam ducere. Sed præceteris in hoc casu laudo vsum chalybis præparati cum acet. acerr. & mistum cum puluere agrimoniæ, filicis, graminis, cichorii, siue exhibeatur in puluere, siue excipiatur succo cichorii, aut alia simili. E F

Extrinsecùs autem vtantur inunctione emolliente & digerente; sed absque calore. Hec erit bona.

Recipe Ol. amyg. dulc.
rosat. compl. an. vnc. i. sem.
amyg. am. r. vnc. i.
succi cichor. Acet. an. vn. ii.
Agrimon. Absinth. an. M. s.

Bull. ad succi & aceti consum. f. expressio.

Curatio Fluxus Colliquatiui.

DEniq; si fiat Fluxus Colliquatiuus, nō opus est euacuantibus. Tametsi enim purgatur materia aliqua ex parte biliosa, cuius portio retinetur in Iecore, attamen plus potest carnis colliquatio ad prohibendum remediorum istorum vsum, quàm ipse biliosus humor retentus ad indicandum.

Ideo si hic humor negotium faciat, educatur clysteribus mollibus ex lacte & saccaro, ex ptisana hordeacea, ex saccaro aut lacte ipso equino, aut asinino, quod simul & semel expurgat, & colliquationi prospicit: ideoque cum dabitur vobis huius lactis copia consulo, vt nullum aliud eligatur remedium internum ad Fluxum Colliquatiuum pręter hoc lac.

Illud autem moneo, quod sicut ad subducendam molliter aluum magis probatur equinum, & asininum, ita ad renutriendum Iecur magis probatur caprinum aut ouillum, nisi adsit obstructio.

In lactis defectu, vtamini hoc iure.

Recipe far. amyl. vnc. ii.
Gumm. Arab. Tragacant. an. drach. ii.
Nucleor. pini. Amygd. dulc.
sem. melon. mundat. an. vn. i. sem.
Hord. mund. P. i.
cochlear. absq; testis. n. viij.
Plantag. Endiu. an. M. s.

Ponantur in ventre pullæ. bull. ad perfect. carnis coctionem, facta omnium expressione dentur iuris vnc. vij. vel vnc. viij. singulo mane per plures dies.

Abstineant verò ab omnibus acidis, & austeris, & ideo non accipio Hollerii consilium, qui in Fluxu Colliquatiuo probat vsum ribes, & aliorum acidorum.

Refrigerant quidem, ed siccant; nunc autem opus est humectatione.

Ideo extrinsecus etiā conuenitunt balnea aquę dulcis, & omnes cibi sint humectantes, quales etiam Hecticis præscribuntur.

Non improbo, vt in Fluxu Colliquatiuo ichorum & humorum qualis fit in febr. pestiferis, vtamini refrigerantibus acidis; Tunc enim non adest partis solidæ exsiccatio, exsiccatio excrementa pars solida nil patitur.

DE FLVXV ALVI VLCEROSO AVT VIRVLENTO. Cap. XXIV.

ALui Fluxum, quem explicandū suscipimus, vel Vlcerosum, vel Virulentum vocabimus. Est autem materiæ dejectio interdum tantū ichorosæ, interdū mucosæ, serosæ, purulentæ, sanguineæ, & carnosæ interdum. Ichor autē qui excernitur, vel est ruber, vel flauus, vel viridis, vel liuidus.

dus, albicans, mistus Sanies etiam vel alba est, vel flaua, vel viridis, vel æruginosa, vel quasi amurca olei, fœtida, aut non fœtida. Sanguis est concretus, aut nigricans, liquidus, interdum fœtidus: Caro interdum est rubea, interdum obscurior, in minutas tamen distincta portiones. A

Caussæ, vbi agitur de Inflammatione, Abscessu, Vlcere Iecoris & Mesenterii.

Fiunt omnes hę excretiones ex triplici affectu: Inflammatione, Abscessu, & Vlcere. Ex Inflammatione ichor tantùm excernitur, Dicebat Gal. 5. de loc. aff. 7. omnem inflammationem, quæ duro operculo non regatur, ichorem exsudare, qui loturam carnium ęmulatur: idem scribit 4. aph. 47. & 1. aph. 12. Ex Abscessu disrupto euacuatur, ichor primum albus, dein ruber, postea sanies varii coloris, vel simplex, val sanguini mista, interdum cum carneis portionibus. Ex Vlcere idem fit. B

Nomine Inflammationis intelligitur Legitima, quæ fit ex sanguine, & Spuria, siue fit erysipe lacea, siue fit melancholica, siue œdematosa. C

Non dico esse œdema, quia Gal. 4. de præsag. ex pul. 8. Iecur œdema non sustinere docet, cùm sit membrum sanguificationi dicatum. Abscessus nomine intelligo illum præcipuè, qui post inflammationes fieri cousueuit; nam duplex est Abscessus: I. cum inflammatio suppuratur; suppuratio enim est transitus inflammationis in abscessum. II. fit incipiendo nulla præcedente inflammatione, idque dupliciter, vel decumbente confestim materia ab vno in alium locum, vel paulatim in aliquam capacitatem transeunte. Hoc secundum genus abscessus magna ex parte duram habet materiam seuo, aut pulti, aut calci similem, proprio obducta folliculo seu membrana densa, vt propterea excretioni sit inepta, vt docet Gal. 2. ad Glauc. 7. qui etiam 14. meth. 12. ait, hòs abscessus esse vel in genere Atheromatum, vel Steatomatū, ideoque sunt isti sine febre, quia densa includuntur membrana, de quibus dicit Hipp. 6. aph. 14. Vbi suppuratio in corpore non innotescit, id fit propter puris crassitiem, vel propter folliculi densitatem. De eodem abscessu intelligendus Galen. 2. de loc. aff. 9. cùm ait, abscessum Iecoris esse sine febre, loquitur de istis, quos Atheromata & Steatomata vocant, quos plerunque in cadaueribus sectis repertos esse Reald. Columb scribit lib. 15. Anatomiæ. D E

Abscessus autem, qui post inflammationes relinquitur, ille est, qui disruptus euomit multiplicem materiam ichorosam, purulētam, sanguineā & carnosam. Est autem hęc materia varia pro abscessus varietate. Varietas autem est in materia, in facultate, & in loco affecto. F

In materia, quia vbi inflammatio sit legitima & consequenter sanguis syncerus abundet, transmutatio erit in abscessum puris albi. Sic cum spuria inflammatio, redolet colorem humoris sanguinei misti, flauum scil. viridem, aut liuidū.

Ratione Facultatis fit etiam colorum mutatio; nam si facultas alteratrix, vbi iam sanguis extra venas exiuit, fit vsque adeo debilis, vt illum in pus mutare nequeat, tunc conuertitur in grumos, aut paulatim corrumpitur, & nigricans, & fluidus euadit, teste Hipp. 6. aph. 20. Sanguis vbi in aliquam secesserit capacitatem, vel suppuratur, vel putrescit.

Quòd si alteratrix facultas fit deprauata, vel ratione caloris intensi, vel ratione venenatæ qualitatis, sanguis etiam in prauum pus mutatur, viride, fœtidum, vel alterius coloris, & praui odris teste Gal. 1. de differ. febr. 6. Hipp. 1. progn. 32.

Tertia caussa est substantia affecta. Nam si abscessus sit inter membranam, & membranā partis magna ex parte est album pus, sed si substātiam solidam afficiat tunc colorem substantiæ recipit, ideoq; prauum pus efficitur. Locus autem, in quo fiunt hæ inflammationes, vel abscessus, & vlcera, duplex est, aut Mesenterium, aut Iecur.

Et ex Mesenterio quidem fiunt improprii Hepatici Fluxus; ex Iecore autem proprii.

Nomine Mesenterij intelligenda non solùm pars illa, per quam chylus in Iecur transit, sed aliæ omnes Mesenterii partes, sicut etiam nomine Iecoris intelligitur pars sima & gibba; interdum vtraque simul, in quibus fiunt inflammationes & abscessus. Atq; in his partibus aliquando fiunt in membrana Iecur vestiente, interdū inter mēbranam, & carnem in ipsa iecoris substantia, vt ideo quando per abscessus carnea excernitur substantia, semper excernatur ex Iecore vlcerato, cuius portiones aliquando per intestina deiectas simul cum sanguine & sanie ego ipse bis iam obseruaui. Carnis excretæ per intestina propter Iecoris vlcus meminit Auic. 13. 3. tr. 4. c. 1. & 16. Nicol. Floren. serm. 5. c. 6. & 12. qui ibi scribit, se quendā vidisse, qui 100. portiones Iecoris vnico die emisit. & postridie obiit. Idem confirmat Matth. de Gradib. part. 2. sui com. in Rhasin. c. de fluxion. Gordon. part. 5 cap. de Flux. Hepat. Valesc. de Tharant. in declarat. Fluxus Hepatici. Prętерquàm quod ex recentioribus doctissimus Mercurial. Id confirmat in epistola quadam impressa in libr. 2. epistolarum Cratonis, Et si quis modum quærat, nō est adeo difficilis. Multo difficilior est exitus infantis ex vtero. Difficilior est egressus calculi duri ex vrinario in vesicam. Natura enim parat sibi vias, vt sanguis grumosus, aliquando exeat ex substantia callosa ossis fracti, vt docuit Galen. 5. method. 8. Multo melius potest Iecoris portio mollis per cō munes canales, per masaraicas scilicet ad intestina transire. Neque enim ibi sunt valuæ, vt quidam Anatomici falso imaginati sunt. Hæ sunt differentię & caussæ Fluxionum Virulentarum, ex quibus fiūt, & ęducuntur.

Signa.

Signa propositarum Fluxionùm magna ex parte desumuntur ex signis demonstrantibus affectiones, ex quibus prodeunt. Sunt autem affectiones Inflammatio, Abscessus & Vlcus: igitur versabimur in harum signis.

Signa.

Signa Inflammationis & reliquorum Tumorum.

A

Quod ad Inflammationem, ea sunt proponenda, quæ differentias, Genus, & Locos affectos demonstrant.

Cognoscitur itaque Inflammatio ex febre cõtinua, quæ tamen exacerbationes continet, ex siti, ex dolore, & tumore circa illam partem, vbi est Inflammatio.

Si sit Legitima, adest pulsatio, vrinæ rubræ, corpus plethoricum, venæ inflatæ, lingua etiam colore rubro suffunditur.

B

Quòd si erysipelacea sit inflammatio, adest febris ardentissima, lingua scabra, nigricans, vrinæ splendidæ & igneæ, vigiliæ intensæ, calor admodum mordax, exacerbatio febris cum rigore, excrementa alui omnia acria & biliosa.

Si œdematosa sit inflammatio (non dico esse œdema, Iecur, n ex Gal. 4. de præs. ex puls. 4. œdema nõ sustinet) sed si inflammatio sit cũ pituita, febris est minor, continua tamen, vrinę crudiores calor mitis, lingua exsiccata quidem, sed albicans & lentorem quendam præse ferens; alui excrementa pariter pituitam præ se ferunt.

C

Quòd si melancholia sanguinis sit admista, ex habitu corporis melancholico, ex imaginationibus melancholicis, & excrementis facilè colligitur. Quod ad locum spectat, si Inflammatio sit in Mesenterio, febris est minor, quàm si fuerit in Iecore, dolor est obtusus, & tumor tactui apparet circa mediam ventris regionem, & vt plurimùm Fluxus sequitur Chylosus.

Quòd si Inflammatio sit in Iecore, & febris, & omnia symptomata sunt grauiora, & tumor, & dolor in dextra parte hypochõdriorum sentitur, & ad distinctionem Inflammationis musculorũ abdominis, Gal. 5. de loc. aff. 6. circumscriptam habet rotunditatem, quæ manu comprehendi potest. Tumores enim musculorum nunquam rotũdi sunt. Item si tumor sit in parte gibba, adest tussis sicca, & dolor, qui costis mendosis magna ex parte consentit, nam, vt dicit Gal. loc. cit. in plerisque Iecur nothis illis costis est alligatum; adest etiam difficilis spiratio; & si maior fuerit Inflammatio, contrahitur cingulum.

D

Quòd si fuerit in parte sima, adest insignis inappetentia, nausea, vomitus, & biliosa deiectio, sitis sit maior, & aliquando Fluxus Chylosus.

Quòd si hæc omnia simul reperiantur, Inflammatio totum Iecur occupat.

Et quia inflammata materia potest contineri aut in membrana, aut inter membranam & carnem, vel in ipsa carne, si sit in membrana, dolores sunt ingentissimi, nemine etiam partem tangente, rigores etiam maximi fiunt. Neque tamen fluxus alui subsequitur, sicuti nec subsequitur ad materia inflammationis collectam inter membranam & carnem, quę cognoscitur, quia tunc dolor est minor.

E

Sed si fuerit in carne, dolor est obscurus, & nisi locus comprimatur, non dolet, & tamen febris est maxima, & alui fluxus necessariò succedit: nã inflammatio est adeo venis propinqua, vt illa reddat imbecilliora.

F

Signa Abscessus.

Quod spectat ad Abscessum, huius signa in varias classes debent distingui; quædam enim futurum Abscessum, quędam fientem ostendunt; aliqua iam facti, quędam iam disrupti indicia sunt.

Cognoscitur igitur Futurus Abscessus, si videatur Iecoris Inflammatio, nec remediis, nec phlebotomia, nec purgationibus, spontaneis, neq; tenui victui cedere, imò dolor, tumor eo tempore perstare, & augeri, Inflammatione ad statum tẽdente, vt testis Hipp. 2. prog. 52.

Fiens Abscessus tribus cognoscitur signis: Febre, Rigore, Pondere. Cùm Inflammatio ad statum peruenisse videtur, & tunc rigor, qui per multos dies non apparuerit, iterum reuertitur, febris augetur, dolor in pondus transit, certum est signum suppurationis fientis, teste Hipp. 2. prog. 38. Fit enim hoc tempore rigor, quia ab incipiẽte pure irritantur membranæ Iecoris; augetur febris, nam ex 2. aph. 47 dum pus fit, dolores & febres exacerbantur. Fit pondus loco doloris, quia in inflammatione materia est dispersa: in Abscessu tota in vnum locum colligitur, vt docuit Gal. com. 58. 2. progn.

Factus autem Abscessus cognoscetur ex sensu ponderis perseuerante, ex amplo Iecoris tumore, ex febricula continua, sed horis vespertinis exacerbata sensim, ex rubedine maxillæ, & auris e directo exsistẽtis parti Abscessum faciẽtis, & si diu duret Abscessus, paulatim superuenit Cachexia, tumor pedum ac totius corporis, ac tandem Hydrops.

Disruptum Abscessum non est difficile cognoscere, quando disruptio fiat ad intestina, vt fieri docet Hipp. 1. progn. 41. Imò interdum potest etiam hæc materia ad ventriculum transmitti, de qua inquit Hipp. 7. aph. 8. A tuberculi introrsum ruptione vomitio fit, & animi defectio. Sed non semper pus per venas mittitur ad ventriculum & intestina, imò interdum purgatur per vrinas, teste Nic. Flor. ser. 5. tract. 5. c. 29 Interdum disrupta Iecoris membrana transit in peritonæi capacitatem, teste Aetio, & Gal. lib. de inequal. intem. 3 Interdum, præcipuè si Inflammatio sit in parte gibba, communicatur materia diaphragmati, & pulmonibus, vt tussi educatur; Sic duos vidi, Venetum quendam, & Patauinum, qui ambo ex Iecoris Abscessu in parte gibba in Abscessum etiã inciderunt septi transuersi, & dextri pulmonis, euacuato sanguine, & pure per tussim. Sectio ipsa defunctorum post mortem facta indicauit. Interdum hæc materia inter membranam, & carnem collecta facit tumorem in regione dextri hypochondrii e directo partis laborantis, per quem feliciter loco aperto sanies educi potest, ego ipse sum expertus, & feliciter successit. Hoc colligitur ex Hippoc. primo quidem in genere 1. prognost. 40 cum ait, eos Abscessus, qui foras desinunt, si sunt fastigiati, & acuminati, latis esse meliores: speciatim verò de his ait, 7 aph. 45 Inflammatione Iecoris laborantes, & quibus facti sunt Abscessus, si incidantur, vel vrantur, & pus albũ

exeat,

exeat,sanari;si verò vt amurea olei,interire. Loquitur de Abscessibus foras prodeuntibus,& tumorem in cute facientibus. Præter cętera, quæ ruptum Abscessum ostendunt, est etiam sanies, sanguis corruptus,interdum substantia solida in dies exiens,signa relicti Vlceris. Disruptus enim Abscessus tandem in Vlcus abit.

Sed quia nō omnes Abscessus Inflammationē sequuntur,imò verò fiunt aliqui incipiendo,habentque propriam membranam,in qua meteria continetur:hi ægrè cognoscuntur, si tamen sanguinem contineant,vel concretum,vel liuidum, at non suppuratum,antequā rumpantur (& ego expertus sum) habeat hęc signa: Febrem inferūt paruam, continuam, inæqualiter exacerbatam, quæ menses & annos durat, habetq; connexam inappetentiam,anxietatem, & quasi pondus circa fundum ventriculi:consueuerunt deliquia animi per interualla succedere. Cùm autem disrūpitur hic Abscessus,effluit sanguis,vel liuidus,vel concretus in quo distinguitur ab alijs deiectionibus eruptis:febris statim desinit,restituitur appetentia, omnia deniq; desinunt symptomata. At si Medicus nō cautus sit de implenda illa cauitate, in qua sanguis ille continebatur,post aliquot menses locus ille iterum sanguine repletur: & sic fit noua talis sanguinis deiectio:idque pręsenti anno bis obseruaui in duobus Nobilibus, quorum vnus elapso anno hunc Abscessum habuit,& hoc anno in eundem incidit: Alter ante quatuor annos hunc Abscessum habuit,& singulis annis rediit eadem excretio,sicut & hoc anno Sed satis de diagnosticis.

Prognostica omnium.

IEcoris Inflammatio tripliciter desinere consueuit: aut Digeritur, aut Suppuratur, aut Induratur.

Si digeritur fit Fluxus sanguinis narium,quo iudicatur;Si suppuratur,suppuratio vario fit tēpore pro materiæ varietate, loci, & facultatis. Pro varietate materię;nam si sanguis fuerint legitimus, suppuratio fiet circa vigesimum diem, si fuerit bili mistus,14.die Erit autē ab augmēto post septimum diem ab augmento febris,& a nouo superueniente rigore.

Si Spuria sit Inflammatio,fit interdum suppuratio tantùm sexagesimo aut quadragesimo,aut octuagesimo die,à die,quo rigor & febris rediit, teste Hipp. 2.progn 57. Transit autem Inflammatio in scirrhum aut quando habet multum pituitæ,& melancholiæ admistum,aut cum indebito tempore refrigerātibus & internis & externis tractatur. Sicut verò & quæ induratur, deducit petientes ad hydropem,sic quæ sui magnitudine & caliditate ad suppurationem tendit,magna ex parte interficit, & malignæ inflammationis signum est ipse singultus de quo ait Hipp.7. aph. 17. Inflammatio Iecoris,&c.

Quod ad Abscessus spectat,hi etiam aut rumpuntur aut in alium locum transeunt. Illi vel boni,vel mali cognoscuntur ex quatuor conditionibus. Boni sunt, qui foras potiùs,quam intro rumpuntur. Secunda,ex iis qui foras erumpunt [illegible] acuminati; non autem plani, & lati. Tertia desumitur ex pure: si enim hoc fuerit album,est bonum signum: si rubrum,& qualis est amurca olei, moriuntur, teste Hipp. 7. aph. 45. Quarto salutaris Abscessus est,qui fit concoctione: Vnde & vrinæ,& pulsus, & alui excrementa sunt contemplanda. Quòd si faciat decubitum Abscessus,distinguitur bonus à malo tribus conditionibus. Prima,vt fiat ad partes inferiores multum à Iecore distantes,vt circa articulum,genu, vel pedes,teste Gal. 3. in 1. Epid. 1. Secunda conditio est,vt fiat à directo partis laborantis, vt in dextro crure. Hoc testatur Hipp.& Galen. 2. in 6 Epid. 13. & 14. Tertia conditio,vt hic decubitus fiat concoctione, Hipp. 2. progn. 67.

Vlcera autem Iecoris semper sunt insanabilia Nam potest quidem,vt dixi, sanari Abscessus in Iecore consistens, modò sit factus inter membranam & carnem,illæsa carne,& cùm membranam,seu folliculum sibi parauit. Vbi autem corrupta est caro,rarissimum est sanari. Scio referri à scriptoribus varias eorum historias,qui vulnerati circa Iecur,tandem conualuere; Sed alia est vulneris,alia vlceris ratio. In hoc enim præter cōtinui solutionem adest etiam substantię corruptio. In vulnere autem non necessariò substantiæ putredo iungitur. Sed de signis hactenus.

Curatio dictarum Affectionum, ac primùm quidem Inflammationis.

DVm transeo ad curationem dictarum affectionum, versabor imprimis circa auxilia & materias auxiliorum, quæ Inflammationem expugnant; deinde ad Abscessum, tertio ad Vlcus descendum.

Inflammatio quidem prima fronte facilem videtur habere curationem Consueuerunt.n. Inflāmationes in principio tractari reuellentibus & repellentibus in augmento partim repellentibus partim digerentibus: in statu autem solis digerentibus. Sed quantum distet Inflammationis Iecoris curatio ab omnibus reliquis, mox intelligetur. Nunc autem ad reuellentia descendo, quæ sunt aut vomitus, aut clysteres, aut medicamenta, aut variæ sanguinis missiones.

Vomitus quidem tunc tandem conuenit, cùm ventriculus fuerit plenus: nec enim in Iecoris Inflammatione licet ad ventriculum attrahere validis vomitoriis materiam à toto corpore Sic nūquam licet vti remediis purgantibus ab initio, dicebat Gal. 13. meth. 11. se vnica die cathartico maximas oculorum inflammationes sanasse; quòd si quispiam, ait. in Iecoris Inflammationibus id facere ausus fuerit, mirum in modum Inflammationem augebit.

Igitur sint tantùm Lenientia: Cassia cum Thamarindis; Syrup. rosatus solut. serum caprinum cum eodem syrup. ros. Diaprunis simplex, electuarium de sebesten, simplex sine scammonio.

Clysteres etiam sint leues ex decoct. viol. hord. maluæ, sacc. ol. viol. & cassia extracta confecti.

Quoad sanguinis missionem: Vbi neque hæmorrhoides neq; menses sint retenti nihil pręstātius secta in cubito vena, vel cōmuni, vel iecoraria dex-

ria dextri lateris, quæ vt dicit Gal. 13. meth. 11. statim reuellit & inflammationẽ deriuat. Quòd si vires non constent, aut diuidatur sanguinis missio in duas vices. Cùm enim vires constant, liberaliter sanguis est mittendus; imò quidam consulunt ad animi deliquium: & sanè si error hac in parte committatur, qui in principio est leuissimus euadit maximus; nam siue sanguis non mittatur, siue minus, quàm decet, mittatur, Inflãmatio augetur, & ob hanc solam caussam in Abscessum transit. Quòd si sanguis in magna copia mittatur, vnica die desinit Inflammatio, vt verè Medicus dicere possit se febrem iugulasse. Sed si vires non permittant, aut diuidatur sanguinis missio in duas vices, aut aperiatur saluatella. Quòd si hæmorrhoides sint suppressæ, aperiantur: Si menses sint suppressi, & instet purgatio, aperiantur primò venæ inferiores, mox durãte malo etiam superiores.

Quòd si nullus sanguinis missioni detur locus, adhibeantur cucurbitulæ, non tamen vt aliqui volunt scapulis & dorso. Hoc enim esse Inflammationem Iecoris ad pulmones, & corducere, sed apponantur natibus & lumbis.

Neque alię reuulsiones, frictiones, ligaturæ, balnea, aquæ calidæ extremis partibus adhibita, negligantur.

Suadent itẽ aliqui, vt sanguis ex naribus mittatur dextris, quòd videamus naturam iudicare Iecoris Inflammationem per fluxum sanguinis nariũ, vt docuit Gal. 3. de Cri. 3. Sed aliud est loqui de Inflammatione incipiente, aliud de iam facta. Illa enim non iudicatur fluxu sanguinis è naribus. Hoc iudicium, si debeat esse vtile, fit in statu. Consulo igitur, vt si natura eo tempore hũc locum petat & imperfectè, adiuuetur: in principio autem non suadeo, vt hęc pars irritetur, & sanguis sic in cerebrum feratur.

Repellentia sunt vel interna, vel externa. Illa si rite administrari debeant, debent omnia respicere Inflammationis formam, locum, tempus, magnitudinem, & partis officium. Formam quidem nam si Inflammatio sit legitima, aut Erysipelacea, audacter statim in principio vtendum remediis refrigerantibus, & eo magis, cùm Inflãmationis etiam obstiterit magnitudo. Licet enim hæc remedia possint aliquam Iecori obstructionẽ inferre, nihilominus maius est periculum cui occurrimus per frigidæ potionem, quàm damnum, quod subsequitur; nam si non dentur hæc frigida aut tabes subsequitur, aut Inflammatio aucta in Abscessum abit. Ideo Gal. 10. meth. 6. ad hoc respiciens frigidę potionem commendat.

Sed item Locus est considerãdus. Locus enim vel est pars sima, vel est pars gibba. Si illa, refrigerantia nullo modo debent esse adstrictoria. Si enim adstringãt locum Inflammatum, indurabitur materia, & adstringetur porus felleus, & retentibilis in Iecore augebit Inflammationem. Si inflammata sit gibba, adstringentia non improbantur. Habent enim vim prohibendi fluxionem à parte gibba ad simam, sicq; illa ab Inflãmatione praeseruabitur.

Denique partis officium est considerandum, quod commune est toti corpori: ideo permiscenda sunt ea, quæ Iecoris robur conseruant, licet calidiuscula fuerint, vt absinthium, spica, vel aliud, sed modica proportione.

Igitur in his casibus, exsistente scilicet Inflammatione Erysipelacea, aut syncera, eaque magna, & in gibba, post sectam venam & exhibitum leniens medicamentum, præbeatur aut.

succi endiu. cichor.
depurator. an. vnc. iij.

Infunde in prædictis succis absinthii comam vnam, & pot. patienti prębe; aut

Recipe Endiu. Portul.
Plantag an. vnc. iiij.
Syr. de Berb. aut Rob. de Rhib.

Vel ℞. *Seri capr. aut aq hord. lib. i. vel. ij.*
Syr. de acetos. cit; aut acetos. simp.
aut succ. Limon: vnc. i. M.

Quòd si Inflammatio sit pituitosa, vel melancholica, abstinendum ab adstrictoriis & admodum refrigerantibus. Igitur.

Recipe Syr. acet simp. vnc i.
de cich. simpl. de capill. ven. an. vnc. sem.
Aq Endiu. Cichor.
Bettonic. an. vnc i. M.

Exteriora ad proportionem interioribus respõdeant. In his enim pariter obseruãda Forma, Locus, Magnitudo, Tempus Inflammationis, Officiũ, & Situs partis inflammatæ. Forma quidem & Locus, quia si Inflammatio sit Erysipelacea, vel Legitima, sed in parte concaua. Tempus præterea quia si fuerit in principio principiante, absq; cõtrouersia conueniunt refrigerantia, & actu & potentia. Sed si magna sit Inflammatio, aut sit in gibba parte, refrigerãtia actu & impermista sunt omnino suspesta; nam indurabunt Inflammationem, quæ tandem in scirrhum degenerabit. Exteriora remedia, in principio Inflammationis Iecoris actu frigida, in duobus casibus tantũ administrari possunt. Primus est, si Inflammatio sit erysipelacea, dicebat Galen. 13. meth. 8. in Erysipelate scopum refrigerandi superare scopum digerendi cùm contra in Inflammatione contingat, & idẽ Gal. in seq. c. 9. de reprimẽtib. in principio principiante administratis verba faciens, ait, hęc partẽ ipsam euacuare, quia materiam adhuc in vasis existentem ad vicinas partes propellunt, sed vbi transierit hoc principium, & vbi Inflammatio nõ sit erysipelacea, reprimentia debent habere tres conditiones Prima, vt sint actu tepida; Secunda, vt sint musta illis, quæ sunt tenuium partium & penetrationem habeant, vt acetum, aut succus limonum & arantiorum. Tertia, vt habeant eorũ mistionem, quę partis robur conseruent, licet fuerint calida. Igitur supra dictum est in administratione, horum remediorum considerandum esse & situm partis & officium.

Nam ratione situs, quia iecur est satis profundum (habet enim musculos, peritonæum, & alias superpositas partes) propter hanc caussam sunt necessaria remedia tenuium partium; quia verò sanguificat per toto corpore, conseruat dum est illius robur quibusdam remediis adstrictoriis. Igitur Gal. 13. meth. 15. miscebat aquã, in qua ebullerat

lerat cytonium cum oleo, in quo efferbuerat ab- A
finth. deinde illa vtebatur in pricipio Inflammationis. Si huic remedio addatur acetum, etiam penetrabit. Loco illius potest substitui.

Recipe Olei de cyton. vnc. i.
de absinth. vnc. sem.
Succ. cichor. vnc. iij.
aceti vnc. i. sem.

Et erit remedium in principio Inflammationis accommodatum. Quòd si haberet Inflammatio aliquid pituitosi vel melancholici, relinquatur oleum de cyton. & eius loco. B

Recipe ol. ros. complet. vnc. i.
ol. de absinth.
ol. camomel. an. vnc. sem.

Accedente ad augmentum Inflammatione, augenda paulatim sunt digerentia. Igitur augenda est olei chamomelini quantitas, & loco succi cichorii accipiatur succus agrimoniæ, aut fiat decoctum ex cichor. endiu. flor. chamomeli, anetho & meliloto, & in vnc. vj. decocti imponantur.

Acet. vnc. ij
Ol. ros. compl. Chamomel. an. vnc. i. C
de absinth. vnc. sem.

Intrinsecus aût si Inflãmtio sit in parte sima, pergendum est in vsu remediorum aluum subdũcentium, ideoque alternis diebus, aut præbenda cassia, aut seri capr. lib. ii. cum vnc. iii syr. ros. solu.

Vel. Si Inflammatio sit pituitosa, accipiatur mellis ros. solut. tantundem, aut in bolo Electuarium lenitiuum. Quòd si æger remedium sæpe repetitum fastidiat, vtendum clysteribus fortioribus, qui recipiant.

Decoct. polypod. Epith. Senæ D
Elect. lenit. drach. vi. vel. vnc. i.
Mell. ros. vnc. iij.
Ol. tantund. M. f. clyst.

Si Inflammatio sit in gibba, sæpius diuretica sunt miscenda & administranda, atque ideo si præbendum, sit serum, quod valde probatur, fiat diureticum: infundantur illo Agrimon. Pentaph. Capil. Vener. radices filicis, gramin. Misceantur emulsiones seminum frig. aut si non adsint serũ, fiant decoct. herbarum prædict. compositarum. Sicuti autem in partis Simæ Inflammatione li- E
cet conueniant expurgantia, non tamen prorsus negligenda sunt diuretica, ità in Inflammatione partis gibbæ licet magis diuretica conueniant, nõ sunt, tamen negligenda, quæ aluum subducunt molliter.

In Statu audacter ad exteriora digerentia veniendum, ad fomenta ex decoct. melilot. anethi, chamomeli, seminum lini, fœnugræci, cymini, pulegii, orig. thymi, aut ad emplastra, maximè, quod fit ex meliloto.

Intrinsecùs verò pro parte gibba sunt eligẽda F
calida diuretica, vt est apium, daucus, &c. Sicut in parte Sima laboranti opus est deiectoriis: tunc fortioribus licet vti Rhabarb. & Agarico; nam Gal. 13 meth. 15 vtebatur etiam Elleboro: neque improbo elleborum, aut aliud medicamentum in cibo, Dabat enim Gal. ellebor. in ptisana, & à quibusdam accusatur, sed perperam.

Nam hoc medicamentum in ptisana minus calefacit, faciliùs ad Iecur perducitur, vasa ipsa permeat, & dum attrahit humores, ab Inflammatione præseruat, quia leuis ptisanæ humiditas partes illas humectat.

Illud quoque hoc in loco obseruandum cuius meminit Galen. loc. cit. hoc tempore status nunquam omittenda esse adstrictoria. Pugnat quidem hæc intentio & obseruatio cum intentione & operatione communi omnium Inflammationum; nam in statu solis digerentibus vtimur, sed ratione habita officij Iecoris, semper necessaria sunt adstrictoria, vt conseruetur robur partis: atque ideo hoc tempore admiscẽtur absinthium, spica, aut quid tale. Et quod ad victus rationem pertinet, sicuti in principio, & augmento victus debet esse tenuissimus, imò tenuior, quàm in Pleuritide, quãdoquidem cum totum alimentum per Iecur transeat; Pleura autem illam recipiat tantũ alimenti portionem, quæ pro sui nutritione est necessaria; ita maior est error, qui committitur in Iecoris Inflammatione, quàm qui in Pleuritide: Itaque si vires constent, aut sola ptisana, aut sola panatella cum muls. sem. melonum vsque ad septimum sunt detinendi. Si cadant vires, ouum quãdoque porrigendum, aut cochlear. destillati ex pullo. Potus verò sit, aqua hordei, aut alia destillata; sed in statu, quando est scopus Inflammationem digere, cibus debet quidem præberi exiguus; sed tamen poteritis patientibus præbere vinum; præcipuè autem in Inflammatione partis Gibbæ & ratio est, quia vinum est valde diureticum, maximè album, & minimè dulce, aut crassum. Et cũ hoc tempore Galen. proponat diuretica, quæ sunt calida vsque ad tertium gradum; multò magis potest conuenire vinum album tenue, & in moderata quantitate exhibitum.

Curatio Abscessus.

SEd si Inflammatio videatur in Abscessum abire, omittenda sunt digerentia exteriora, omittendum est vinum, relinquenda omnia purgantia, omnia diuretica, sed liberaliter nutriẽdi sunt. Nam ex copioso assumpto cibo calor naturalis augetur, & facilius sanguis in pus mutatur.

Adiuuanda tamen est suppuratio extrinsecus imposito empiastro de meliloto cum additione butyri recentis, & axungiæ suillæ; intrinsecùs autem summo mane præbendum est iusculum pingue, cui incoxerit malua, althæa, passulæ, caryciæ.

Et vbi facta sit suppuratio, disrumpendus est abscessus, si exteriùs appareat, phlebotomo, aut ruptorio, si non appareat, saltem compressione, agitatione ac motiones illius partis: Vbi disrumpitur Abscessus, videndum est, quo natura tendat; nam per illum expurganda locum est sanies, ad quem natura inclinat. Vidi aliquando Abscessum Iecoris, in quo transmissa est materia ad ventriculum, vt is patiens vnica die lib. xx. puris exercuerit. Adiuuandus ergo est vomitus, si ad Ventriculum materia tendat; Si ad intestinis proterpat, vtendum Clysteribus, aqua Testutiana, aut aliis medicamentis melle

rof.commistis. Abstergendum deinde est Vlcus A aqua hordei,aut sero caprino,aut aqua aliqua medicata,qualis esset B. Virginis,aut Calderiana mista cum melle rosato.Loco istarum potest etiam accipi aqua virgæ pastoris,aq. siliquae fabarum: possunt fieri decoct.ex amygdal.amaris contusis, excruo,lupinis,corticibus fabarũ.Quibus õnibus admiscetur mel.rof.simplex. Hæc omnia detergunt,& vlcus mundant. Quod deinde siccatur aut adhibitis aquis salsis, & aluminosis,aut decoct.rosar.pilosellę,plantaginis, consolidæ, myrtillorum cum puluere Boli Armeni,Terrę Sigilla B tæ,Lemniæ,cornu cerui vsti,santal.rubeorum.

DE FLUXU VIRULENTO SEU VENENATO. Cap. XXV.

INter tam varias Fluxionum differentias,nulla est,quæ maiorem Medico aut ignominiam, aut dignitatem,atque vtilitatem comparare possit,quàm Fluxus venenatus.Ignominia quidem, quia si communiter tractetur,omnes ex inopinato moriuntur. Dignitatem,& lucrum, si debito C modo curetur:Non est autem Fluxus Venenatus specie aut forma distinctus à reliquis iam propositis,sed caussa tantùm,& more Caussa,quia est venefica:More, quia malignus est : Idcirco licebit vobis affirmare Fluxum hunc Veneficum esse cuiuscunq; generis & speciei.Potest esse Lienteria, Diarrhæa,Dysenteria, qualem nunc in Vngaria vagari audio,& Fluxus Hepaticus, & in genere, & in specie. Hinc Gal. 4 aph.21 & lib.de atra bile c.2.mentionem faciens illius Fluxus,qui vagabatur in pestilentia sui temporis, inquit excre- D menta fuisse vel flaua,aut rufa,tandemq; nigra, & 13.in 3.Epid. 57.cùm scribit Fluxum Colliquatiuum esse proprium pestilentium,per Colliquatiuum intelligit Colliquationem humorum, ichorum, carnis,& pinguedinis,cuius etiam meminit 8.de comp.per loc.6 & 3.de caus. symp.3 & 5 de loc. aff. 7.

De Caussis.

HIc igitur humor & Fluor habet pro proxi- E ma caussa maleficam qualitatẽ seu proprietatem aut toti corpori,aut illi parti inimicam,vnde incipit.Ideo potest hic Fluxus vel à toto corpore,vel a iecore,vel liene ventriculo,aut cerebro, vel ab intestinis originem habere prout malefica hęc proprietas huic vel illi parti aduersetur; Hæc verò proprietas interdum à prauis succis intra corpus generatur,interdum ex morsu venenato inducitur, quandoque ex remediis deleteriis assumptis, vel ex pestilenti aere indicitur. F

Signa.

COgnoscitur facilè,atque ex his potissimùm. Breui admodum vires omnes deijcit, cadit appetentia,excrementa, quæ effluunt,sunt valde fœtida,aeria & mordacia,cum dolore & labore excreta,frigescunt extrema,liuet totum corpus, pulsus fiunt interdum tardi,languidi,inequales, superuenit timor sine caussa,palpitatio, lipothymia,fiunt patientes ad motum valde imbecilles, vigiles,& interdum delirantes.

Prognostica.

PErniciosissimus est hic Fluor, plurimos necat 4.aut 7 die,aut ad summum 14 Igitur,vt dixi,summa opus est diligentia.

Curatio.

IN curatione igitur duo sunt notanda: 1 eo omnia,quę ad Fluxum spectant ab omni veneno separatum 2.venenum ipsum respiciendum. Quid agendũ sit pro curãdis Alui Fluoribus absque veneno,supra dictũ est abundè.Sed ad expugnandam hanc luem veneficam, duobus solùm est opus auxiliis. Attrahentibus in cutem,& Alterantibus, nil his est præstantius: Primo, quia fit decens reuulsio ab intro ad extra.Secundo,quia attrahitur venenum in partem ignobilem,in cutem scil.Idcirco nullam aliam proposuit curandorum venenorum rationem Gal.lib.de art.cõst 19 & 5 simpl. 8 quàm per attrahentia,& alterãtia.Sed dicet quis:Si in Fluxibus curandis adsunt scopi desumpti à materia,à caussis,& affectionib. absq; veneno:præterea verò habemus ex alia parte scopos à veneno desumptos cuinam primo incumbendum? Opus est hac in re contemplari modum,& morem Fluoris:nam si videatur Fluor esse velocis motus,id quod docebit constitutio,& pręterea sit valde malignus,statim pugnandum est contra venenum:si fuerit chronicus & minus malignus,vt det aliquas inducias,primo communibus scopis satisfaciendum.Demus igitur Fluorem esse acutum,& mali moris,statim veniendum ad attrahentia,& alterantia.

Attrahentia,vt docet Gal.loc.cit.vel attrahũt à tota substantia,vel caliditate: Proprietate substantię,attrahunt omnia venenata:Ita tamen corrigantur,vt sint apta quidem ad attrahendum, non tamen ad corrumpendum corpus:vnde dicit Gal.5 simpl.18 hæc debere esse media inter venenum,& corpus. Applicentur igitur hæc attrahentia proprietate substantię & caliditate, inter quæ primum locum habent Vesicantia:Scio statim aliquem dicturum Fluxum posse esse Colliquatiuum,acrem,calidum, quare non licere vti igneo remedio:sed caussa huius Colliquationis inquirenda,& caloris:nam venenum ipsum præter occultam qualitatem,& proprietatem, habet etiam vim calefaciendi,colliquandi,putrefaciendi,vt si venenum nõ statim educatur,frustra omnia adhibeantur.Igitur etiam in fluore calido & colliquatiuo modò fit cũ veneno,licet vti Visicãtibus,Sinapismis,balneis aq; calidę,cui incoquatur malua,bismalu.althea,chamomelũ,anethũ, melilotus.Rarefaciũt enim cutẽ, humectãt corpus,& à profundis partibus ad extimas ducunt. Debilioribus,qui non sustinent balneum,fiãt frictiones,inũctiones ex oleis calorificis,chamomel, & aneth,

& aneth addito nitro aut sale. Inungantur etiam A extremæ partes, & Cor, & Perinæum oleo alexipharmaco, vt est illud de Scorpion. Matthiol Cura viç, aut Mag. Ducis Hetruriæ: Vel in huius defectu accipiatur Theriaca, aut Mithridatum, & dissoluantur cum portione aquæ vitæ, & illinatur locus in capro, & supra clauiculas, in regione cordis & perinæi. Si robustus sit æger, non displicet sudorem aliquo modo excitare, aut vesicis aqua calida plenis, cui incoquatur pulegium, scordium, calament. dictamus, iuniperus, saluia, rosmarinus, chamomelum, aneth. & melilot, aliaq; B eiusmodi vel calida, vel relaxantia. Hæc partim calore attrahunt, partim proprietate substantiæ.

Non displicent alia attrahentia: Cucurbitulæ scil. vel scarificatæ, vel non, sed in variis partibus affixæ, brachiis lumbis, natibus, coxis, & cruribus non autem scapulis, ne in thoracem materia ducatur. Alterantia verò sunt pariter vel occulta proprietate donata vel manifesta.

Inter alterantium occultas proprietates quædam sunt, quę adhęrent subiecto calido, aliæ verò frigido: Hac in parte opus erit iudicio Medici, C vt materiam fluentem, caussasq; morbos contépletur: nam si omnia ad calidum conspirent, id quod in Venenatis Fluxibus maiori ex parte obseruabitis, agendum alexipharmacis refrigerantibus, vt sunt cornu vnicorni, cerui, margaritę pręparatæ, bolus armen. terra Lemnia, aut Silesiaca, quę pręberi possunt cum succo limonum, aut citri, aut aranciorum, aut granatorum, aut rhibes: Sed notandum, quod Fluxu Venenato magna debet esse quantitas remediorum, & sæpius repetita. v. g Detur summo mane ante cibum, aut drach. ii. terr. Lemn. aut margar. præpar. aut cornu D cerui. Succi verò dentur vnc. iiij. & vj. & quando sitiunt ęgri, simul cum succis detur aqua proportionata vel oxalid. vel oxylapath. vel sonchi, vel aqua mea cordialis; & bisquouis die his vtendú, nam periculum est in mora, ideoq; quam primú fortibus, & repetitis remediis agendum. Nil pręstantius erit aqua mea cordiali.

DE ICTERITIA. Cap. XXVI.

Postulat hic locus, vt de Icteria loquamur; E cùm enim fiat Icterus magna ex parte ab obstructionibus, & duris tumoribus: duri autem tumores & obstructiones relinquantur aliquando post Inflammationem, rationi consonum est post sermonem de Inflammationibus, quæ digeruntur, vel suppurantur, de Scirrhis verba facere, quę interdum inflammationi succedunt: occasione autem Icteritiæ tractabimus etiam de Scirrho Iecoris. Vocatur hic affectus Icteritia, vel Icterus, Morbus regius, vel Arquatus.

Definitio. Et nil aliud est, quam *prauus totius corporis* F *color*. Per *Colorem* triplicem intelligo Flauum, Nigrum, & Viridem, modò licèt propriè sumpta Icteritia sit mutatio coloris in Flauum, vt docet Gal. 2. de loc. aff. 9. vt ideo Aurigiuosa affectio etiam dicatur, nihilominus impropria Icteritia & Nigrum, & Viridem habet colorem. Nomine aut *totius corporis* intelligo vniuersam cutem & oculorum membranas, adnatam, & corneam, vt propter vitiosum corneę colorem patientes putent omnia externa obiecta esse illius coloris quem obtinet cornea.

Locus affectus.

Locus præcipuè affectus sunt meatus vesicæ felleæ: Dico meatus in plurali numero propter Fallopium, qui putauit vnicum esse vesicæ fellę meatum, contra quam sentiant alii Anatomici, & ostenderit Andreas Laur. 1. controuers. contro. 35. qui omnes duplicem statuunt ductum, vnum per quem bilis ingreditur vesicam felleã, alterum per quem egreditur, & ad duodenum transmittitur.

Caussa.

Caussa affectionis est triplex: aut nimia bilis quantitas, quæ tota in vesica fellea recipi nó potest, aut est impedimentum viarum, quæ recipiunt, vel deponunt bilem ad intestina, aut est robur facultatis expultricis.

Augetur Bilis vltra modú vel ex caussa interna, vel ex caussa externa. Ex interna calore ingéti Hepatis siue cum febre, siue citra febrem; magna tamen ex parte est cum febre, & ea quidem valida.

Externa caussa sunt medicamenta, aut morsus venenati: Medicamenta quidem duplicem ob causam bilem augent, vel quia cum sint calida, iecur calefaciunt, vel quia cum habeant vim expurgandi bilem, non possunt illam expurgare, in quo casu, vt docet Galen. 8. simpl. 16. medicamétum transmutatur in bilem.

Morsus venenatus idipsum facit, quando venenum sit calidum, vt morsus viperæ, quem facere Icteritiam docet Gal. 5. de loc. aff. 7. *Morsus Viperæ Icteritiã facit.*

Impedimentum varium vel fit ex obstructione, vel ex compressione, vel subsidentia, vel coniuentia, vel ex adstrictione.

Et obstructio fit à crassis, lentis, & pituitosis humoribus: quandoque à calculis, quos plerunq; inuentos esse in vesica fellea Ictericorum, docuit multorum sectio, & huius meminit Antonius Beniuen. de admirand. c. 3. Cœl. Rhodig. lib 4. c. 17. Cardanus 8. de variet. 44. Interdum fit hæc obstructio à vermibus, qui possunt ex intestinis in ipsum porum felleum se insinuare.

Flatus etiam interdum distendens intestina meatum occludit. Compressio fit à tumoribus, siue sint inflammationes, siue tumores duri. Et de inflammationibus satis dictum est.

DE SCIRRHO IECORIS.

Tumores autem Duri, qui Scirrhi vocantur, aut sunt Exquisiti, aut Spurij. Exquisiti quidem sine sensu, spurii verò cum aliquo sensu & dolore.

Fiunt omnes ex vna ex tribus caussis simplicibus, vel ex his complicatis. Simplices caussæ sunt

sunt exsiccatio,impletio,congelatio;sed congelatio in internis partibus locum non habet. In iecore locum habent impletio,& exsiccatio. Impletio sola in Scirrhis,qui fiunt vel ex humore pituitoso,crasso,viscido,& lento, aut ex melancholico,vel ex his commistis. Siccatio sola locum non habet,sed mistam cum impletione. A

Fiunt autem Scirrhi ex siccitate & impletione post Inflammationes, siue admota sint medicamenta nimium digerentia,calida,sicca,aut nimium adstrictoria,quæ partes tenuiores exprimunt, relinquuntq; partes crassas. B

De alijs Icteris caussis.

FIt subsistentia in poris fellis, cum atrophiam patiuntur,sicut fit conniuentia,si præcesserit vlcus; Partes enim vlceratæ,dum se ipsa tangũt, coalescere consueuerunt. Denique adstrictio fit vel ab assumptis, vel admotis frigidis, & stipticis,vt sunt mespila,sorba,cydonia,granata,& alia id genus.

Fit etiam Icteritia ob robur facultatis expultricis, transmittentis bilem à profundis ad extimas partes. C

De Improprijs Icteriæ Speciebus.

EX his,quę dicta sunt de Propria seu Flaua Icteritia,potest colligi caussa, & locus affectus Nigri & Viridis Icteri.

Caussa:Fit enim Niger ex melancholia:Viridis autem ex viridi humore, qui dupliciter generatur,vel ex mistione bilis flauæ cum melancholia, vel ex adustione bilis flauæ. D

Locus affectus in Ictero Nigro,aut est Liens,qui non recipit melancholiam,vel ad ventriculũ non transmittit,aut est Iecoris calor exustus, vel obstructio partis simæ,& mesenterij, per quas partes melancholia ad lienem non transmittitur.

Signa.

ICteritia est notissima; nec minus facilè est species distinguere ex colore Flauo, Nigro, & Vridi. E

Distinguendę sunt caussæ,& loci affecti.

Si igitur fiat Icterus ex nimia iecoris caliditate,cognoscitur,quia non modò cutis,& vrina bile inficiuntur,sed etiam intestina, & ventriculus bilioso abundant succo,id quod in obstructione compressione,& alijs caussis impedientibus non contingit,in quibus alui excrementa cinerea,vel albicantia semper sunt. Propterea canina vocantur,quòd æmulentur stercus canis comedentis ossa. Accedit,quòd in Icteritia ex nimia ecoris caliditate,adest febris maxima, insignis inappetentia,nausea,oris amaritudo,vomitus,& biliosa deiectio. F

Excrementa alui ictericorum similia canum.

In impedimento facto propter obstructiones, aut nulla est febris,aut non vehemens,quia humores obstruentes sunt magna ex parte crassi,& frigidi,qui non facilè putrescunt. vnde dicebat Galen. 8 de comp.per loc.6.materias obstruentes iecur in calidis citiùs quidẽ;in frigidis seriùs putrescere. Cognoscitur etiam obstructio,quia paulatim fit Icterus,& sensim augetur,& non est insignis grauitatis sensus, neque dolor: Per quas conditiones partim distinguitur à flatu distendente,& a tumoribus comprimentibus; nam Icterus ex flatu fit subitò,& subitò etiam recedit. Distinguitur autem obstructio a tumoribus,quia tumor habet sensum grauitatis. De signis inflãmationis nihil dico. Iam superius de iis dictum.

Signa Scirrhi.

SIgna Scirrhi præter pondus sunt hęc. Si fuerit in gibba,adest tussis sicca, difficilis spiratio, difficilis decubitus in latus oppositum, iuguli contrastio,& nisi Hydrops accesserit (accedit autem ferè semper) ad manum patet,tumor rotundus,circumscriptus,durus,renitens,cum,vel sine sensu,prout exquisitus,vel spurius fuerit. In parte sima cognoscitur ex Fluxu Chyloso, de quo supra.

Materia Scirrhi facilè colligitur ex temperamento,habitu corporis,ætate,sexu,vita ante acta, vel excrementis per aluum,& per vrinas eductis. Sed maximum erit Scirrhi argmentum diuturnus Icterus cum Cachexia & Hydrope.

Signa Adstrictionis, & relinquarum caussarum.

ADstrictionem facilè cognoscetis, si patienter in Icteritiam incurrerint post vsum adstringentium.

Subsidentia cognoscitur ex atrophia, coalitu vlceris præcedentis. Denique cognoscetur Icteritia ex robore facultatis expultricis facta,si habuerit conditiones expulsionis criticę: hac conditiones expressisse videtur Hippoc.4 aph.64. vbi ait Icteritiam in 7.vel 9.vel 11.vel 14.factã salutarem esse, nisi dextrum hypochondrium durum sit. Vnde in aph.62.ait Icteritiam ante septimam malam esse Hæc Hipp.sententia sic absolutè prolata veritatem non videtur habere,quod & ratione,& auctoritate confirmatur. Ratione quidem; nam si in tertianis febribus aliquando bilis ipsa vtiliter transmittitur in tertio,aut quinto die, cur etiam non poterit Icterus vtiliter fieri ante septimum? Igitur Auerr. 4. collig. 43. ex propria sententia, & Auenzoar. ait: In suis regionibus Icteritiam ante septimam esse salutarem,quod videtur audire Nicol.Florent.serm.5. tr.6.c.4. Et Brasauol.cum.62. 4.part.aph. Imò idem Hippocr.4.acut.81.ait Icteritiam ante septimam cum Rigore factam salutarem esse. Vt concilietur hæc contradictio nil meliùs facere potest,quam hæc additio Rigoris, scilicet facta ab Hippoc.loc.cit. nam vbi Icteritia fit cum Rigore,est argumentum bilis non admodũ crassæ, nec alteri humori commistę,sed syncerę,tenuis, & velociter motæ. Dicebat.n.Galen.2.de symp. caus.æ.Rigorem fieri ex tali bili tenui,& velociter mota: cùm ergo talis fuęrit, potest morbum soluere,quia potest esse concocta ante septimum

Hipp. cum Auerr. conciliatur.

Sed

Sed quoniam communiter bilis illa, quæ facit A Icteritiam, solet esse crassa, vt propter crassitiem non possit extra cutim pelli, vt docuit Gale. 5. de locis 7. in fine, & quatenus crassiuscula non potest concoqui ante septimum, ideo non est vtilis; sed illa, quæ Rigorem facit, tanquam tenuior, vtiliter transmittitur.

Signa locorum affectorum.

LOci affecti in Icteritia sic distinguuntur: Cũ B fuerit Niger Ictericus, si fiat vitio Lienis, Icteritia est magis nigra, quàm si fiat vitio Iecoris tantum: Item Lien est tumidus, vel obstructus. Si fit Icteritia Viridis, distinguitur illa, quæ ex feruore iecoris, fit ab ea, quæ sequitur affectum & Iecoris, & Lienis: quia si fit ex Iecore tantùm, aderunt signa feruoris iecoris, & inflammationis quando autem fit ex vtroque membro, potest esse Icteritia sine febre; & in illa priore affectus est acutus; in hac secunda chronicus. Prior Icteritia C est vsq; adeo lethalis, vt ad summum 14. interficere possit; Secunda verò concomitatur interdum toto vitæ tempore; vt etiam insanabilis illa est, quæ fit ex Scirtho consummato, quę sequitur lapidem in folliculo bilis contentum, quæ producitur ex coalescentia, seu carne adnata, & ex folliculi attrophia.

Quæ fit critico modo, salutaris est, & magnos etiam morbos subleuat.

Quæstionis explicatio.

VTrum autem salutaris sit tantùm post septi- D mum, an etiam ante septimum, superius dictum est. Dictum enim interdum ante septimum salutarem esse posse, dummodo syncera fuerit bilis, non autem pituitæ mista, & cum vitium robores; hęc enim etiam ante septimum interdum vomitu, & deiectione critico modo expellitur: Igitur per modum crisis Auriginosum affectum efficere valet.

Obiectio.

NEc vos perturbet Galen. auctoritas 1. in 3. e- E pid. 5. Vbi ait, nullum abscessum, neque etiam Aurigiuosum, ante concoctionem salutarem esse.

Solutio.

VEra enim est hæc sententia de iis omnibus affectibus, qui iudicantur per abscessus, vel per excretionem abscessui similē Abscessus enim F iudicant morbos longos, & ex frigidis humoribus factos: at Icteritia non debet propriè nominari inter abscessus.

Instantia.

SCio quidem posse aliquem cum Galeno dicere, ideo numerari inter abscessus, quia fit ex bile crassa cum pituita mista; si, enim esset sincerabilis, excerneretur per cutis meatus, non autē retineretur sub cute.

Responsio.

HIs enim respondeo, bilem retineri sub cute, vt faciat Icteritiam tres ob caussas; vel ex natura crassioris bilis ob pituitæ mistionem; vel ex densitate cutis; vel ex infirmitate facultatis expultricis. Si igitur fiat Icterus ex materiæ crassitiæ, vera est Hippoc. & Gal. sententia, ante septimum malum esse, quia materia non potest concoqui ante septimum; sed si bilis sit syncera, retineatur tamen ob cutis densitatem, vel quia facultas non possit illam in vaporem agere, tunc fit Icterus ante septimum salutaris, quia materia potest esse concocta, licèt expultrix facultas, vel ob sui imbecillitatem, vel ob vias impeditas, non possit illam per cutis meatus educere. *Alia Quæstio declaratur.*

Alia Quæstio declaratur.

SCribit Hippocr. 5. aphor. vlt. Ictericos non esse flatulentos. *Icterici non sunt flatulenti, & quare.*

Qui locus maximam variis intulit ambiguitatem: Ego propria experientia id testari possum, me multos Colica vexatos ex flatus abundantia vidisse factos Ictericos, & recedente Icteritia iterũ laborasse Colica, ita vt Icteritia sanaret Colicam, & hęc illam, idque vnica die. Obseruaui enim in quibusdam patientibus, quibus dolores Colici durarunt 10. vel 12. dies, Icteritiā superuenisse Post 3. aut 4. diem à Colica, & per illum diem patientem fuisse leuatum, sequenti die redeuntibus doloribus, cessabat Auriginosus color, & sic vicissim vidi factũ in eodem ægro ter, aut quater. Ex quo inueni caussam (ni fallor) quare dixerit Hippoc: Ictericos non esse flatuosos; nam si superueniente Ictero cessabat dolor Colicus ex flatu productus, igitur detinebat flatus: igitur vera Hipp. sententia: Ictericos non esse Flatulentos. Quęret aliquis, quæ sit caussa, cur Icterici nō sint flatuosi, aut cur Colica correpti euadant Icterici & statim liberentur. Ad primum respondeo, requiri ad flatus generationem duplicem caussam, Materiam, & Efficientem. Materia est pituita, aut melancholia. Efficiens ēst calor modò moderatus, modò immodicus; tunc enim immodicus calor flatum generat, cum multa suppetit pituitosa materia. Hinc dicebat Gale. 12. meth. 8. in Doloribus Colicis remedia calida, si inueniant multam materiam, flatum & dolorēm augere. Bilis igitur si ad intestina mittatur, suo calore copiosum eleuat flatum, si retineatur in iecore, nullam; hinc superuenit Icterus, & desinit Dolor Colicus.

Si quęratur: Cur retinetur hæc bilis in iecore, vbi adest Colica ex flatu.

Respondeo: Vbi dolor Colicus est vehemens, distenditur non tantùm colon, sed etiam duodenum: at in duodeno est meatus bilem ad intestina deferens; vbi distēditur intestinum, meatus occluditur, sicut etiam distenta vesica vrinaria, occluditur vesicæ meatus, quo occluso succedit Icterus. Hoc succedente non fluit bilis, non generatur nouus flatus, prior digeritur, & sic dolores leuantur. Interim duodenum intestinum

subsidet, quia non ampliùs distenditur: hinc de- A nuo bilis transmittitur, & sic cessat Icterius, & denuo succedit Colices.

Curatio Icteri.

ICteritiæ curatio distinguenda est in duas partes: in prima de Ictero Symptomatico: in secunda de Critico agendum est. In Symptomatico tria sunt agenda: primo superandi sunt morbi, ex quibus fit Icterus: secundo expurgandi humores, illorum morborum caussæ: tertio educendus B humor in cutem diffusus, Icterum faciens.

Curationis exordium a caussis sumendum, in qua parte moneo, ne quosdã Recentiores audiatis, inter quos est Rondelet, qui in omni Icteritia respiciũt vnicum humorem biliosum, licet loquatur de curatione affectus, & caussæ facientis Icterum. Non placet hoc consiliũ, quia si Icterus fiat ex nimia iecoris caliditate, laudo quidem, vt omnia medicamenta vnicam bilem respiciant: idipsum quoq; agendum si Icterus sequatur inflammationem: sed cùm Obstructi, vel Scirrhus non C exquisitus sit in caussa Icteritiæ, ante omnia crassus ille humor purgandus, qui obstructionem, vel tumorem facit. Hanc esse Galeni sententiã potestis colligere ex lib. de purg. medic. facul. & meliùs lib. de natur. facult. cap. 13. vbi dicit, medicamentũ ad Ictericos purgans bilem non debere exhiberi ante purgationem illorum humorum obstructionem facientium, & propterea ante omnia vtendum esse abstergentibus, incidentibus, attenuantibus, vt viæ aperiantur. Igitur in præsenti casu dum materia sit crassa, vtendum D vomitorijs, nec iis leuibus quidem. Licet enim ascendere ad florem genistæ, ad succum raph. ad puluerẽ radicis asari, cum oxymelle, & iure.

Clystere etiã sint fortes, qui recipiant aut hieram vel simplicem, vel diacoloquintidos, mel. rosat. & decoctiones detergentes ex vtraq; Aristolochia, Centaurio, semine cartami, atq; aliis, de quibus dicendum in tractatu de Colica.

Medicamentum etiam sit phlegmagogum, sed vt supra dictum est, paulatim & sensim, donec obstructiones superentur. Et quod alias dixi E iterum dico, vicissim sunt præbenda purgantia, & lenientia.

Inter illa, quæ valenter deobstruũt, omnes Scriptores laudant aquam destillatam ex raphano. Potens quidem est hæc aqua, sed maximũ vidi experimentum in ipso succo, quem Ictericus quidem iam factus hydropicus accipiebat ad vnc. iii singulo mane, & sanatus est ab Icteritia antiquissima, & contumacissima; cui succo si admisceatur vnc. i. oxymel vel simpl. vel compositũ, aut scyllit. erit fortius. Laudatur secundo loco puluis Erina F cii terrestris, cuius meminit Gal. 11. simpl. Datur drach. i. vel ii. in aq. stillat. aut cuscutę, aut cardui benedicti, aut menthastri, aut chelidoniæ, quam aliqui cęteris præstantiorem putant. Hollerius ait, se maximum vidisse experimentũ in puluere lumbricor. terrest. cuius supra memini. Datur etiam drach. i. vel drach. ii. Fortissimæ etiã sunt pilulæ de bdellio, vel de opopanace intelligo simplices, v.g.

Recipe opopon. aut bdell. scrup. ij.
Fiant pil. & dentur cum aq. stillat. dicta vel raph. vel chelidon.

Si velis cõponere has pilulas, erunt fortiores.

Recipe myrrh. Opop. Bdel. an. drach. i.
Limatur. chalyb. præp. cum acet. drach. i ß.
spic. Cal. arom.
Radic. Ireos an. drach. ij.

Puluerizentur & cum succ. raph. f. massa pil. Dosis scrup. i. vel drach. i.

Versabar in curanda Icteritia ex Obstructione, & hactenus dictum de auxiliis pharmaceuticis tamen purgantibus, quàm aperientibus internis. Nunc pauca quædam supersunt de externis; plura autem de phlebotomia.

Quod autem ad Externa remedia spectat, ea conueniunt, quorum facta est mentio de Fluxu hæpatico, siue sint fomenta, seu emplastra, seu olea, seu cerata.

De sanguinis missione in Ictero ex obstructione.

QVod pertinet ad sanguinis missionem, licet videam hoc tempore in omni Ictero venæ sectionem probari, hoc tamen præceptum nunquam inuenio à Galeno relictum fuisse. Liber enim de Ictero Gal. inscriptus, in quo venæ sectio probatur, spurius est, nec alibi (quod sciam) procurando Ictero phlebotomiæ meminit, sed purgationis tantùm, vt patet primo de natur facult. c. 13. & lib. de purg. medic. facult. Accedit, quòd cum idem Galenus 4. de tuend. valet. 4. generalia dederit præcepta, in cacochymiis sanguinem non esse mittendum. Icterus sanè insignem videtur præ se ferre cacochymiam: Adde, quòd si Icterus fiat vel ex obstructione crassorum, lentorum, ac viscidorum humorum, vel à Scirrho comprimente, vel à coalescentia, conniuentia, aut lapi de Vesicca Fellea contento, nunquam phlebotomia curabitur.

Scio obstructiones, quæ ex sanguinis copia fiunt, phlebotomia superari; sed obstructio crassorum humorum nunquam secta vena curari potest. Ad hanc respiciens Gal. 2. meth. 14. dicit. Venæ sectionem nec putredinem, nec obstructionẽ sanare. Cùm igitur ita res sit, non sunt vulgares medici imitandi, vt quibuscunq; Ictericis statim phlebotomia administretur, sed diligenter morbus, & caussa contemplanda. Caussa quidem; nam si multus, & crassus sanguis abũdet, qui vel obstructionem augere potest, vel calidam iecoris intemperiem, aut inflammationem facere, vel augere, statim aperiatur vena semel, bisue. Si vires non sustineant sectionẽ venæ maioris, aperiatur saluatella, vel hæmorrhoides. Quod verò ad affectum spectat, si sit calida iecoris intemperies inflammationis initium, hanc etiam ob caussam statim aperiatur vena.

At si non adsit plenitudo, nec legitima, nec spuria, & morbus ipse sit vel Obstructio ex crassis humoribus, vel à Scirrho compressio, vel Coalitus, aut Conniuentis, aut lapis, abstinendum à venæ sectione,

Non

Non improbo hac in parte quorundam consilium, qui in obstructione crassorum humorum laudant phlebotomiam, vbi iam lenti, & crassi humores attenuati,& detersi fuerint: igitur potiùs in morbi progressu,quàm in principio.

Quòd si Icterus factus sit ex remediis,aut alimentis adstrictorijs,& purgatio & phlebotomia erit superflua. Apertentia sunt suspecta. Tota curatio, vno verbo, consistit in pinguibus & dulcibus.

Dubium.

VIdetur hæc curandi ratio valde contraria esse ipsi Icteritiæ,quæ maxima ex parte attenuantibus,& incidentibus indiget. Pinguia vero & dulcia potius incrassant & obstruunt.

Solutio.

EST tamen hoc Galeni consilium 1. de tuend. san. 14. Et rationi consonum est; nam quæ adstricta sunt à frigidis,siccis,& stipticis,dilatantur calidis humidis; atq; emplasticis, quali sunt dulcia,& pinguia; igitur in hoc casu nihil aliud agendum, quàm præbere summo mane aut ius pingue,aut cum butyro,in quo malua & althæa coquantur,addita modica spica pro conseruando iecoris calore,& portione sacchari,

Ad proportionem cibi omnes respondeant.

Quòd si facta sit Icteritia ex Conniuentia,ob siccitatem caliditati coniunctam, cū eodem Gal. loc.cit. vtendum frigidis & humidis,qualia proposita sunt pro intemperie calida sicca iecoris, serum caprin.cum emul.sem.frigidorum,lac asininum &c.

Quòd si adsit suspicio Coalescentiæ ex carne adnata,insanabilis putatur affectus: si tamen recens fuerit, interdum superatur frequenti vsu succi limonum,addito puluere cornu cerui.

Si fuerit Lapis in vesica fellea,est etiam insanabilis nil tamen oberit,experiri aliquam ex illis aquis,aut succis,vel aliis medicamentis, quæ putantur lapidem frangere posse. Si enim frangunt lapidem renum,etiam vesicæ felleæ calculum infringent.

Quòd si calida iecoris intemperies fuerit Icteritiæ caussa,hæc erit alteranda, vt supra dictum est,siue cum, siue citra inflammationem. Hoc tantùm moneo, non esse accipiendum illorum consilium,qui exterioribus remediis actu frigidis & adstrictorijs vtuntur supra iecur;nam impediunt transitum bilis à iecore ad totum corpus,sicque erysipelaceum affectum pro intemperie excitabunt.

Quòd si bilis augeatur propter qualitatem venenatam,siue morsu inflictum sit venenum,siue intrinsecus assumptum, curandi ratio in alexipharmacis posita est: Ita tamen,vt si assumptum fuerit venenum,vomitu statim deiiciatur multo oleo exhibito,vel communi,vel amygd.dulc. ad vnc. viii. vel x. deinde statim præbeatis theriacam,& alias antidoto; nam & Galen. 5. de loc. aff. 7. seruum Imperatoris curauit Ictericum propter viperæ morsum exhibita Theriaca. Consulo A autem, vt temperetur medicamentum conserua rosarum,vel violarum, aut superbibatur serum caprinum,vel aqua stillatitia frigida. Quidam laudant admistionem succorum adstringentiū cum Theriaca,aut succum granat.vel.berberis, vel rhibes: sed hæc adstrictoria non laudantur; prohibent enim,quo minùs alexipharmacum in totum corpus distribuatur.

Superatis igitur iecoris morbis,tunc accedendum ad vitiatum cuti colorem superandum, quod fit medicamento aut cholagogo,aut exter-B nis remediis sensibiliter & insensibiliter vacuātibus. Quod spectat ad remedium purgans,modo vires constent,potest eligi validum; sic enim dicebat Gal.lib.de purg.med.facult.& 1.de nat. fac. 13. Superatis morbis Iecoris,vnico remedio Icteritiem sanari posse. Igitur aut detis hoc medicamentum,

Recipe elect.de succ.ros.dracb.iij.
Diacathol.vnc.i.
M.f.boli.

Aut si potionem malit:

C *Recipe rhabarb.elect.dracb.i.sem.*

Infundantur in ser.capr.aut aqu.cuscut. Facta expressione,adde

syr.rof.sol.vnc.iii.
Elect.de suc.ros.dracb.i.s.M.

Exteriora auxilia, quę sensibiliter vacuant, sunt aut cucurbitulę,aut cornicula scarificata, aut sudatoria,siue humida,siue sicca. Laudo tamen humida, maximè balnea detersoria. Immergatur corpus in balneum alteratum lupinis,hordeo,furfuribus,lapatho, eruo, amygd. amaris,
D malua,chamomelo,anetho,& ex his confricetur cuti. Laxant enim poros, detergunt, & cutim mundificant.

Idem faciunt insensibiliter frictione asperæ, inunctiones ex oleo chamomel.anethino, admisto salis modico. Et pro capite & oculis conueniunt masticatæ,sectio venæ sub lingua,& faciei lotiones ex aqua,& aceto, in quibus prędicta sī ebullierint.

Putant aliqui superari Icterum sola inspectione Regię Auis, Charadrius dictę. Alii etiam
E referunt se vidisse vnica die sanatam Icteritiam apposito iecori eo pisce viuo, quem omnes ferè Nationes Tincam vocant.

DE CACHEXIA, ET HYDROPE. Cap. XXVII.

INter Icteritiam & Hydropem medius est quidam affectus,quem Græci Καχεξίαν vocant, Latini Malum Corporis Habitum,cuius caussas & curationē iam non propono,quia coincidunt cum Hydropis curatione & caussis; nil enim a-
F liud est Cachexia,quàm Hydropis initium, & propterea, quatenus est initium Hydropis, est tumor quandoque totius corporis, sed minor, quàm in Anasarca: interdum est tumor pedum, & faciei tantùm,vt in Ascite,& Tympanitide, inchoantibus. Habet tamen Dachexia præter tumorem etiam vitiatum cutis colorem diuersum pro diuersitate Icteritiæ. Datur enim cum colore albo,cuius meminit Galen. 1. de alimen.facult. 8

Datur etiam Cachexia cum colore flauo, viridi, A liuido, & nigro, vt docuimus in cap. de Ictero. Sed præter colorem, & tumorē habet Cachexia alios quoq; affectus cutaneos, & externos, vt impetiginem, antiquam scabiem, vlcera phagedenica, præcipuè in cruribus, aut crustosa, venas varicosa, gingiuas corruptas, maleq; olentes, & corruptum sanguinem, & ichorem eructantes, vt ideo Cachexia cum liuido, ac nigro colore, & prædictis affectibus omnino illum imitetur affectum, quem Balduin. Ronseius, & Ioan. Gell. & Salomon Albertus descripserunt sub nomine Scorbuti, quem referunt B ad magnos Hippocratis Lienes, de quibus meminit 2. de morbis.

Caussæ.

CAussę, vt dixi, cuiuscunq; Cachexiæ sunt cōmunes Ictetitiæ, & Hydropi. Igitur cum de Icteritia satis dictum sit, ad Hydropem descendamus.

De Hydrope Ascite Exquisita.

HYdrops aut Propriè, aut Impropriè sumitur Propriè *est tumor ventris inferioris ex humore seroso, genitus ob Iecoris refrigerationem*. Dixi hāc esse propriam Hydropem, cùm Hydrops ab aqua denominationem sumat. Igitur ille tantū erit Hydrops proprius, in quo colligitur, aqua ad Tympanitidis differētiā, in qua colligitur flatus, & Anasarcæ, in qua totum corpus intumescit ex pituita. Colligitur id ex Gal. lib. de atr. bil. c. vl. & 4. aph. 11. qui Tympanitidem ait, ob tumoris D similitudinem, quam cum Ascite habet vocari Hydropem, cùm tamē proprius Hydrops sit aquę collectio. Cęterùm dicta definitio non modò explicat præcipuum Hydropem, sed etiā præcipuū, qui has tres præcipuas cōditiones continet. Prima vt materia tumorem faciēs sit simplex aqua. 2. vt locus, in quo cōtinetur, sit inane spatium illud inter intestina, & peritonæum. 3. vt hæc aqua generetur in Iecore vel primariò, vel secūdariò refrigeratio. Si igitur detur Hydrops aliam materiam continens, vel sit in alio loco, vel sine refrigeratio E ne Iecoris fiat, erit improprius & spurius. Refrigeratio autem Iecoris cū vel primariò, vel secūdariò fiat, si fiat primariò, quatuor modis contingit, 1. vel à frigore positiuo, siue sit aquę potus, aut niuis, vsus olerum, & fructuum frigidorum, frequens vsus opiatorum remediorum, siue frigiditas extrinsecùs accesserit ex aqua, aere, aut niue, aut fomento frigido Iecori adhibito. 2. vel ex suffocatione: hanc Hydropis speciem significauit Hipp. quando 6. aph. 12. scripsit Diuturnas curāti hæmorrhoidas, nisi vna quæpiam seruetur peri- F culum aquæ inter cutem, vel tabes impendet. Meminit etiam Gal. partim in eodem com. partim 2 de nat. fac. 7. vbi docet, ex suppressis hæmorrhoibus, ac mensibus suffocato calore Hydropē subsequi. 3. vel refrigerato calore propter alterius caloris præsentiam natiuam humiditatem absumentis, sicut inflammatione Iecoris in ardentissimis, & malignis febribus contingit. Huius meminit Hipp. 1. prog. 11. & 12. Gal. in commento. Ibi enim fit sermo Hydropicorum ex morbo acuto, & Iecoris inflammatione. 4. vel fit ex refrigeratione, post immodicas vacuationes vel sanguinis, vel alterius generis Gal. 2. de nat. fac. 8. Hipp. 4. in 6. Epid. 11. dum ait, post sanguinis excretiones Aquam inter cutem succedere. Fiunt hæc omnia refrigerato Iecore primariò.

Secundariò verò refrigeratur, cùm aut Pulmones refrigerati sunt, & Hydropem patiuntur. Datur enim Hydrops Pulmonis, vt dictum est. Inducitur etiam frigiditas refrigerato Ventriculo, Intestinis, Mesenterio, & Liene. Vnde Lien refrigeratus & Scirrhosus, etiam si propria ratione citra Iecoris vitium non faciat Hydropem, vt docet Gal. 4. de præsag. ex puls. c. 9. tamen communicata Iecori affectione succedit Hydrops ipsi Lienis Scirrho, vt Gal. ait 6. de loc. aff. 1. Vide Gal. 3. de caus. symp. 1 & 5. de loc. af. 7. & 4. acut. com. 11 Et si quis ambigit de illa Hydropis specie, quę fit ex morbis acutis, legat Auicen. 13. 3. trac. 4. c. 13 Auer. 3. collig. c. 21. & Cardan. com. ad 2. progn. C sup. 12 & 3. tex. Al. Trall. lib. 9. ca 3. Nicol. Flor. Sermon. 5. tr. 4. c. 25.

Si quis quærat modum, quo colligitur hæc Aqua, breuiter dico: In Hydrope legitimo colligitur per transsudationem; quando enim serosa humiditas copiosa in Iecore genita peruenit ad gibbam Iecoris, antequam ingrediatur emulgētem, vaporis modo transsudat extra Iecoris mēbranam, sicq; in Abdomen secedit.

De Hydrope Ascite Spurio.

SPurius Hydrops tripliciter dicitur: ratione Materiæ, Loci, & Caussę: ratione Materiæ, quia interdum simul cū Aqua adest etiam Flatus & hoc fit plerunq; secundo, quia interdum in ea parte continetur Pus propter magnum aliquem abscessum: interdum fit ex Sanguine, & est casus rarior. Hoc fit disrupto aliquo magno vase, in parte gibba Iecoris, vt docet Columbus lib. 15. confirmat Vesal. lib. 5. c. 9. Deniq; fit Hydrops Spurius ex humorum colliquatione, cùm scilicet per febres ardentes colliquantur, & serosites, & humores, qui in venis sunt, in Abdominis capacitatem secedunt. Hæc Colliquatio interdum facit Fluxū alui, de quo dixi; interdum copiosos vrinę fluores; interdum tendit in hanc capacitatem, & fit Hydrops mistus ex seroso humore, ex pinguedine, & aliis colliquatis humoribus. Huius Hydropis meminis Galenus 3. de Caus. sym. cap. 2, in fi.

Spurium Hydropem ratione loci factum dupliciter intelligo; aut enim Spurius est quia fiat Aquæ congregatio in aliis locis, quàm in Abdominis capacitate, vti in Capite, vbi fit Hydrocephalus, aut in Pulmonibus, vel Vtero, vel Scroto: interdum in aliis determinatis locis: vnde Mont. cons. 165. viderit Hydropem in Brachio, & Gutture. Alter Hydrops Spurius ratione loci est is, in quo materia Aquosa continetur in Abdo- *Hydrops Brachii & Gutturis.*

Abdominis capacitatæ, sed vesicis quibusdam includitur, quas Græci ὑδατίδας vocant. Harum meminit Galen.comm.5 57.aphor. earumdem meminit Aretæus 2.de caus. & signis diuturnorum. Fernel.6.path.8. Cordęus com.5.ad 1 Hipp. de morb.mul. Atq; sectione corporum, & propria inspectione hoc obseruauit Vesal.lib.5.cap.9.in muliere Augustana. Tertio datur Hydrops Spurius, quia Aqua colligitur absque refrigeratione Iecoris.

Caussæ autem sunt quatuor: Primo quia immodicè augetur serum in corpore, vel ex nimio potu, vel ex vsu olerum, & fructuum frigidorũ. Secundo, quia serosa humiditas non potest transmitti ad renes, non transmittitur autem, vel quia pars Iecoris gibba sit impedita, aut à Scirrhoso tumore, aut insignis obstructione, vel aliquo lapide circa initium venarum emulgentium concrescente: aliquando autem non transmittitur, quia Iecoris membrana vel disrupta est, vel rimis scatet, per quas ichor facilè in capacitatem Abdominis transit: Fit ruptura ex vlcere: Rimæ verò ex ingenti siccitate: Interdum & vena disrupta non bene coalescens prębet hunc ichori aditum: quas caussas nouit Fernel.loc.cit. qui in hoc tantùm est damnandus, quòd putauit vel omnẽ Hydropem, vel saltem plures hoc modo fieri disrupta scilicet membrana, aut rimosa exsistente, vel vasculo imbecilli, cùm tamen rariores sint hæ caussæ & omnium frequentissimè colligantur Aquæ per transsudationem.

Itaque neque illos audio, qui dicunt, transfundi Aquam ruptis vasis vmbilicalibus; nam, vt optimè docet Andreas Laurent.lib.1.c.8. experiẽtia comprobatum est, sectis, aut ruptis vasis vmbilicalibus, quæ & Iecur & vesicam suspendunt, cõcidere has partes, & mortem statim subsequi. Tertio colligitur etiam Aqua sine refrigeratione Reninibus serum non recipientibus, vel quia nõ attrahunt, vel quia Obstructi, aut Scirrhosi, aut Calculo affecti sint. Interdum potest etiam fieri Hydrops non transmisso sero ad venas, & ambitum corporis. Hactenus de omni differentia, & specis Hydrops Ascitis.

De Tympanide.

Definitio. Tympanites autem est etiam *tumor ventris inferioris ex Flatu*, si de Legitimo Hydrope sit sermo. Nam Spurius Tympanites simul cũ Flatus Aquam habet admistam. Hic Flatus in Exquisito Hydrope continetur in Abdomine, & generatur ex caloris imbecillitate Iecoris, & Ventriculi. *Tympan. Spurius ex Vermibus:* Tympanites Spurius datur, in quo omnino Intestina Flatu extenduntur, nil humoris cõtinentia propter Vermium copiam, qui surripiunt alimentum. Hunc Hydropem obseruaui in Nobili Patauino decem annorum, qui statim mortuus est cum tumore ventris Tympanitidem æmulante, & secto corpore omnia intestina Flatu erant plena citra vlla excrementa: In Ventriculo autem 33, vermes conspecti sunt, & multi sesquipedales.

A

Signa Ascitis Exquisitis.

Hydrops Ascites facilè cognoscitur ex Ventris Tumore cum fluctuatione, insigni grauitate, cũ crurum & pedum œdematoso tumore.

Si fiat ex caussis refrigerantibus, aut nulla, aut modica est sitis, adest cibi appetentia, carẽt febre, vrinæ crudę sunt, propensique sunt ad somnum. Sit refrigeratio fit ex suffocatione, retẽti sunt menses, aut hæmorrhoides, & aliæ id genus excretiones; & sicut ex refrigeratione positiua sensim fit Hydrops, sic suffocatione subito fit, vt ex Inflammatione; sed in Inflammatione adest febris acuta, & alia à nobis proposita signa, cùm ageremus de Iecoris Inflammatio. Quæ etiam proponuntur à Gal. tanquam Hipp. intepretẽ 2.progn.2.& 3. Vbi proponit Hippocr. signa Hydropis ex Inflammationis partis Simæ Iecoris. In textu.a tria propria Inflammationis partis Simæ Iecoris. In tex. proponuntur signia Inflammationis partis Gibbæ Iecoris.

Quòd si fiat ex Inanitione, præcesserunt caussę inanientes, immodici sanguinis fluores diuturni alui fluxus, vomitus &c. Corpus extenuatur, & fere tabidum redditur.

Signa Ascitis Spurij.

Quod si Hydrops sit Spurius, & primo ratione materiæ, quia mista sit aqua cũ flatu, minor est grauitas, & venter percussus fluctuat cum sonitu, crura intumescunt tumore melliore, quia pressus cedit, ac citò reuertitur. Si materia sit purulenta præcesserunt signa inflammationis, quę transierit in abscessum. Si fuerit sanguinea, nullum habeo euidentius signum, quàm quòd proposui in enarratione historiæ præcedẽti lectione, quod scilicet momento temporis corpus plenum sanguine, & sine vllo ventris tumore, in hydropem incidat exinanitis venis, corpore tabefacto. Si fiat ex colliquatione materię congregatio, pręcessit febris maligna sine fluxu colliquatiuo, & sine vrinis crassis, & copiosis, factusq; est hic quoque Hydrops momento temporis. Gal.3.de caus. sympt 2. Cognoscetis autem contineri materiam in capacitate Abdominis, sed Vesicis inclusam ad differentiam illius; quæ nõ habet Vesicas, duobus signis: Vbi adsunt Vesicæ, Tumores sunt inæquales, etenim Vesicę sunt multę, neq; omnes eiusdem magnitudinis. 2. Vbi adsint Vesicæ, si Hydropici stent, inferior abdominis pars prope pubem non admodum intumescit, imò magis intumescit superior: si Aqua si extra Vesicas, Tumor est æqualis, & si stent patientes, pondus augetur in infernis Abdominis partibus.

Spurius Hydrops ratione caussarum sic cognoscitur: Si factus sit ex nimio potu, vel vsu fructuum, & olerum, facile ex relatione hoc poterit comparari. Si retineatur serum ex scirrho, aut ob strustione Icoris ante hydropem, aderunt signa obstrustionis, & scirrhi, de quo suo loco: & in ipso Hydrope adest tussis sicca, & difficilis spiratio, comprimente tumore septum trãsuersum & pulmones. Si rupta sit Iecoris membrana, præcessit ab-

sit abscessus vel vlcus. Si ad sint rimæ, præcesserũt caussæ exsiccantes ipsum Iecur, inflammationes erysipelata, febres ardentes Pariter si aliquod vas sit ruptum, vel imbecillum, præcessit vel vomitus, vel deiectio cruentia: Si Renes sint in caussa, cognoscetur, quia vel suppressa, vel magna ex parte impedita est mictio, vesica tamen tumida non existente. Quòd si vitio totius corporis id fiat, vel densatum, vel adstrictum est vniuersum corpus à caussa frigida, vel medicamento adstrictorio.

A

Signa Tympanitidis.

B

Tympanites facilè cognoscitur, quia percussus venter resonat in modum typani, pedes intumescunt, sed flatuoso tumore, qui pressus cedit, sed foueam non relinquit. Sunt prætetea hi meliùs colorati, non febricitant, palpitationes patiuntur, rugitusque, & extensiones validas.

Prognostica singulorum.

Est omnis Hydrops periculosus, sed Tympanites in hoc tantum creditur periculosior Ascite, quia non curatur sectione: In reliquis Ascites multo periculosior est: imò verò qui fit ex Scirrho confirmato ex membrana iecoris disrupta, aut lapide impediente transitum seri ad renes, est prorsus insanabilis. Periculosus est Hydrops, cui superuenit Tussis, vt docuit 6. aph. 35. & 7. aph. 49. quia communicatur Aqua Pulmonibus aut quia propter auctum Iecoris tumorem pulmones cõprimuntur. Fluxus tamen alui Hydropicis superueniens salutem afferre consueuit, si credimus Hipp. 6. aph. 14. Dico, si Hipp. credimus, quia nõ omnis Fluxus Hydropicis superueniens est vtilis, sed aqueus tantum; nam si fiat fluxus vel biliosus, vel chylosus, argumentum est obstructionis, & imbecillitatis Iecoris.

C

Curatio Ascitis Legitimi.

Versabor in præsentia in curando Ascite Legitimo, qui scil. ex Aqueo humore produci tur: nam de Purulento hactenus dictum est occasione curationis abscessuum. De Sãguineo nihil est dicendum tanquam deplorato affectu. Legitimus itaq; Ascites duo requirit auxiliorum genera: quædam Aquem humorem educunt; alia morbos sanant: dicendum primò de euacuantibus Aquam: hæc sunt Chirurgica, vel Pharmaceutica.

D

Et Chirurgica quidem sunt aut Scarificatio, aut Vesicatorium, aut Setaceum, aut Cauterium, aut Paracentesis.

Scarificationes. Scarificatio quidem ex sententia Asclepiadis proponitur tantùm circa suras prope malleolos: iubet tamen vt profunæ sint, sicut & venæ sectio vt commodè vniuersa Aqua sensim euacuari possit. Quòd si propter nimiam profunditatem nimis copiosè Aqua educatur, tunc vulnuscula linimento aliquo obturanda, & bis in die aperienda. Cæterùm Leonides, referente Aetio, concors cum Hipp. probat Scarificationes non modò circa suras, sed etiam circa fęmora, & scrotum, & brachia. Alex. Ben. lib. 15. de curand. morbis, cui alij quoque adhærent, laudat has Scarificationes supra ventrem sub vmbilico in eodem loco, in quo fit Paracentesis. Multiplici experimento comprobatum est Scarificationes istas mirificè Hydropicos iuuare, & Aquam sine virium dispendio educi: Sed sicuti Scarificationes Abdominis ac Scroti absq; periculo administrari possunt, ita Scarificationes Fęmorum, ac Crurum in maximo œdematoso tumore, in summa caloris innati refrigeratione, periculosæ sunt, & in gangrænam facilè desinunt. Itaque consulo, vt cum calor sit valde languidus, ab his abstineatis.

E

F

Eadem est ratio Vesicantium, & Cauteriorũ. *Vesicantia, & Cauter.* Vbi enim tumor œdematosus non sit magnus, & calor innatus validus, valde prosunt & Vesicantia, & Cauteria cruribus & coxis adhibita, sed in infirmitate caloris hęc quoque transeunt in gangrænam.

Quod pertinet ad Setaceum; infigi solet Setacium in Scroto, quando Aqua fuerit repletum. *Setaceũ.* Sic enim paulatim tota Aqua educitur.

Idem dico de Paracentesi, qua potest fieri in tribus locis: In Scroto, quando fuerit tumidum. *Paracentesis.* In Vmbilico, quando promineat: Prominet autẽ aliquando, vt nõ modò secari in extremitate, sed etiam facilimè ligari possit: ita, vt expeditissima sit hæc sectio, & via ducendi aquam in Hydropicis, quando adsit Vmbilici dilatatio. Tertius locus est sub Vmbilico per quatuor digitos circa regionem musculorum rectorum.

Disputarunt antiqui, vt potestis legere apud Cælium Aurelian. 3. pass. tardar. c. 8. Vtrum deberet fieri hæc Sectio. *An fieri debeat.* Rationes hinc inde multæ sunt, sed pro parte negatiua, cui adhęrebat Erasistr. & Tessalus, infirmæ admodum sunt, facile solui possunt. Soluuntur autem, si in Sectione illę seruentur conditiones, quas affabre descripsit Ambros. Paræus lib. 7. sui mag. operis. cap. 12.

Prima est: vt non Secentur deplorati, acutè febricitantes, valde imbecilles, Scirrho Iecoris exquisito tentati. Hi non sunt secandi. *Conditiones seruãda in Paracent.*

Pręterea, dum fit Sectio, debet fieri ex opposito partis magis affectę: Si Iecur sit magis affectum, fiat Sectio in parte sinistra: Si Lien primò affectus fuerit, magis secetur pars dextra.

Aquam neque totam simul, neque maxima copia euacuabimus; nam vt dicebat Hipp. 6. aph. 27. Qui vruntur, aut Aquam inter cutem &c. Cuius rei experimenta habentur apud Brasauel. in comm. huius loci, apud Arnaldum Villanouã. 3. Breuiar. c. 30.

Cętera attinentia ad hunc modum incidendi legatis apud Paræum.

Educitur autem Aqua pharmaceuticis auxilijs sensibiliter, & insensibiliter. Sensibiliter aliquando per Vomitum, frequentius per Aluum, nonnunquam per Vrinas.

De Vomitu exstant aliquot exempla, pręsertim *Vomitus* ap. Forest. lib. 19. obser. 29. cuiusdam Hydropici, qui mari iter faciens, superueniente vomitu, sanatus est. Aetius quoque procurando Hydrope Vomitoria,

mitoria proposui. Mihi profectò sunt aliquo modo suspecta validora Vomitoria: Primò, quia si Vomitus ex voto non succedat, posset disrumpi peritonæum: Posset quoque impetus Aquę superiores partes petentis suffocationem inferre. Nã in Hydropicis, vbi est ingens Aquæ copia, pulmones & septimum transuersum vsque adeo angustantur, & ad superiora ita comprimuntur, vt nullus amplius videatur thoracis locus.

Euacuantia. Itaq; meliùs est, vt euacuetur Aqua per aluũ. Euacuatur à tribus modis: Vel assumptis, vel Clysteribus iniectis, vel linimentis exterioribus.

Assumpta multa proponuntur In primis autẽ pro agrestibus celebratur succus sambuci, vel florum, vel corticum radicis: succus ireo, vel radicis recentis, vel florum: dosis est vnc. ij. Quidam probant Gratiolam vocatam: datur in puluere ad vnc. sem. cum vnc. ii. vini & scrup. i. cinnamomi. Alii eodem modo præbent sem. ricini, vulgo vocatur Girasoli. Alii multum confidunt in Peplo, quod vulgo dicunt Esulam Rotundam. Laudant quoque lac Tithymali ad 7. guttas in 7. ficubus, vel carycis. Est medicamentum Hipp. 4. acut. Alii laudant Thymelæam, vel Chamelæam, quã Arabes vocant Mezeron: Sunt hæc pręstantissima: sed tandem nil pręstantius Elaterio. Idcirco ego hoc frequentissimè vtor: dantur grana duo, vel tria illius Elaterij, quod extrahitur ex Cucumere per simplicẽ punctionem, nam succi expressi ex Cucumere dantur etiam gran. vi. vel vi j; sed extracti per punctionem duo vel tria grana satis superque purgant. Permiscentur in scrup. i. vel ii. pilul. alephang. Datur singulis tribus, vel quatuor diebus, & intermedio tempore ad præparandas vias, ad roboranda viscera potest exhiberi oxymel scylliticum, syrup. de quinque radic. simul cum duabus pil. hoc modo confectis.

Recipe trochisc. Cyphoid. drach. ij.
de rhabarb.
de eupat. an. drach. i.

Cum syr. de 5. rad. Formentur pil. 12. & deaurentur.

Sic paulatim Aqua educitur, & viæ exobstruuntur, ac viscera roborantur.

Quemadmodum in robustis corporibus purgatur Aqua per Ventrem assumptis medicamentis, ita in minùs validis educi potest aut Extrinsecus admotis, aut Clysteribus.

Extrinseca. Quę Extrinsecùs adhibentur, sunt vel Simplicia, vel Composita. Inter simplicia sunt variæ Tithymalorum species, succus Ebuli, succus Mezerie, succus Cucum. Agrestis, Ireos, & Sambuci. Componuntur autem medicamenta vel ex his succis, vel ex pulueribus harum plantar. addita Colocynthide, Agarico, Scammonio. Excipiuntur autem melle, vel felle taurino.

Clysteres. Clysteres pariter componũtur vel ex decoctis harum plantarum, tithymali, pepli, siue esulæ rotundæ, sambuci, & aliorum iam dictorum. Conuenit autem omnium maximè in Hydrope vsus medicamentorum per Vrinas purgantium.

Diuretica. Multa Diuretica proposuimus in tract. de Ictetitia, & Obstructione; quędam adiungã efficaciora. Sunt autem Composita, aut Simplicia: inter composita est Dialacea, & Diacurcuma: datur drach. i. ex vino aliquo odorato, vel simplici, vel alterato cum radicibus quibusdam, Diureticis. Præstantissimum putatur oleum destillatum ex baccis Iuniperi: dosis drach. sem. vel scrup. ii. in eodem vino, aut decocto Diuretico. Scribunt quidam, casu inuentum esse, puluerẽ Bufonis terrestris seu Rubetę Hydropẽ sanare. *Puluis Bufonis.* Cùm enim mulier quædam proprium maritum extinguere tẽtaret diuturno Hydrope laborantem hoc puluere exhibito, bis tantùm superueniẽte vrina copiosa illum integræ sanitati restituit. Hoc quidẽ scio, & experientia cõprobapi, Lacertas Virides, quas vocãt Stelliones, exsiccatas, & in puluere exhibitas liberaliter vrinas mouere. Omitto Lumbricos Terrestres, & carnẽ Erinacei Terrestre siccatam, & puluerizatam, cuius mentionem fecimus in superiorib. lect. Valet etiam summopere ex sententia Dioscoridis vrina impolluti pueri. *Vrina Pueri Im[polluti].* Arabes probant vrinam Cameli; sed materiæ auxiliorũ iniucundæ destillari possunt. Itaque si quis in Vrina pueri infundat radices diureticas apij, petroselini, fœniculi, asparagi, Rusci, pręterea asari, si simbrij, &c. destilletq; in alembico, & præbeat vnc. iij. videbit optimum experimentum proeducendo sero. Inueni in libello manuscripto mei Auũculi, ad Hydropicos tanquam secretum propositam esse aquam destillatã ex omnibus visceribus castrati, ita tamen, vt omnia intestina primùm diligenter emundentur, deinde verò admisceantur diuretica proposita. Hęc aqua potest quidem vnicuique Hydropi prodesse, maximè verò illi, cum quo febris coniuncta est, maciesque totius corporis. Omitto oleum ex calchano, oleum ex ammoniaco, quorum antea memini. Auctor libri 4. acut. t. 122. ad Hydropicos laudat tres cãtharides exhibitas, abiectis tamẽ alis, & pedibus: *Cantharides.* Galenus tamen in comm. vocat eos temerarios, qui vel vtuntur solo ventre abiectis alis, & pedibus, vel vtuntur pedibus, & alis, abiecto ventre: inquit enim, priores excitasse abscessum, vltimos accessum, cui mors successit. Hoc scribit Galenus, quia existimat, vnam partem esse alterius antidotũ, vt propterea interius integræ exhibeantur cantharides, ne uesicam exulcerent, & abscessum faciant. Hoc docet Gal. 2. de antid. 7. ubi addit, antidotum cantharidum esse Terram Lemniam, vel nucleos pini. Recentiores quidem, inter quos est Guido de Gauliaco, ad deuitandam exulcerationis suspicionem prębet cantharides exustas, & in cinerem versas, qui subiungit, gummi cerasorũ esse antidotum, cantharidum. Dantur duæ, ad summum tres, vel in iure vel in vino aut simul cum gummi cerasi, vel cum terra Lemnia, aliquo liquore excepta. Hæc de Diureticis.

Insensibiliter Vacuantia. Insensibiliter autem educiter materia Hydropicorũ Sudoriferis, aut Linimentis, vel Fomẽtis, Oleis, Emplastris, & Ceratis. Quoad Sudorifica, sunt stufæ communes, balnea aquar. calid. decocta ex herbis calorif. Iunipero, calamentho, origino, scordio, dictãno, alijsq; id genus. Proponunt nõnulli, tãquam efficacissimũ remediũ, vt patientes super tabulam positi imponãtur in furno post extractum panem, ita tamen, vt caput sit extra furnum.

furnum. Laudatur etiam modus sudandi per vesicas bubulas, aut porcinas, aut cucurbitulas magnas decoctis sudorificis repletas. Digerunt aquã insensibiliter primum quidem emplastra, confecta ex cochleis contusis cum suis testis. Scribit Aetius, hęc ventri Hydropicorũ adhibita non antea cadere, quàm totam absumpserint Aquam. Ego summopere laudo, vt istorum corpora impo nanter vsque ad regionem thoracis in magno tritici aceruo optime exsiccato: Dicebat Gal. 1. de nat. facult. 14 fortiorem esse vim tritici ad Aquã attrahendam, quàm sit ipsius solis. Dantur & alia paratu facilia, inter quæ est stercus caprinum vrinapueri exceptum, & mistum cum sinapi, pipere, pyrethre, cymino, semine rutæ, baccis lauri cõtusis, & in puluerem redactis. Laudant nonnulli spongiam acqua calcis imbutam. Moneo, Auditores, hoc medicamentum propter vim calorificã & siccantem vsque adeo indurare partes cutis, vt etiem si aliquid ab initio absumatur, progressu temporis tamen humoris digestionem & resolutionem impediant, & prohibeant. Atq; ideo Medici ante vsum digerentium laudant, vt diligenter totus venter confricetur ad rarefaciendã cutem, & aperiendos poros. Et ego hoc facio nõ simplici calido linteo, sed oleo illo resolutiuo, quod conficitur ex radice bryoniæ, cucumeris syluestris & ruta: Affundo partem olei calidi super media abdominis regione, & iubeo, vt confricẽt totam abdominis regionem per quartam horæ partem, deinde adhibeo aliquod emplastrum digerens. Si quis voluerit vti Cerato, poterit sic componere.

Recipe Resinæ pineæ vnc. i.
Ammoniaci.
Bdellii an. vnc. sem.
Sulph. ignem non experti, i. e. nigri.
Alum. an. drach. iij.
Sinap. Euphorb. Pip. an. drach. ij.

Dissolu. gummi cum vino optimo, adduntur pulueres & resina, & cum cera f. Ceratum.

Hæc quidem valent potissimum ad educendã insensibiliter Aquam.

Flatus Digerendi Modus.

Pro Flatu educendo magis conueniunt sacculi parati ex sequentibus pulueribus.

Recipe Cymin. vnc. ij.
Anisi, Fœniculi an. vnc. i. sem.
Dauci, Seseli an. vnc. sem.
Bacc. lauri sem. rut. an. drach. vi.
Pip. Pyret. Sinap.
Sulphur viui an drach. ii.
Puleg. siccat. Calamenth.
Spic. Absinth. an. M. f.

M. f. pulueres imponantur sacculo, & ventri applicentur. Humidum Fomentum sit paretur.

Recipe Fot. malu. rad. alth. an. M. ii.
Sem. Lin. Fœnugr. an. vnc. iiii.
Flor. Chamomel.
Aneth. Melilot. an. P. i.
Anis. Fœnic.
Bacc. Lauri, Rut. an. anc. i.

Fiat decoct. in suff. vini quant. Facta express. seruetur decoctum pro fomento.

Ratio curandi Morbos, qui gignunt Hydropem.

PRo sanando Ascite non tantùm caussæ incũbendum materiali, sed etiam effectrici, morbis scil. propter quos Aqua colligitur. Tametsi verò ferè omnium inualuerit opinio, Hydropẽ calidis remediis tractandum, quòd fiat ex intemperie frigida, tamen aliter nobis faciendũ, & considerandæ sunt refrigerationis caussæ; nã si fuerit frigiditas positiua, audacter calefaciendum Theriaca, Mithridatico, Trochiscis Cypheos, Iure galli antiqui, repleti herbis, seminibus & aromatib. calidis, Rotulis ex aromatico rosato. Caryophyllato, ex Diagingibere, olei destillatis ex cinamomo, ex caryophyllis, vinis medicatis, vt maluatico, in quo infundatur absinthium, caryoph. cinamomum: vno verbo omnia calida & sicca conueniunt, vt non defuerint, qui aquas etiam thermales intrinsecus dederint: & nunc audio mirificè celebrari Spadenses aquas. Ego verò, quod ad potum aquarum thermalium spectat, valde timidus essem, propter timorem ne retinerentur. Quidam profitetur, se Hydropicos curasse solo rhabarbari vsu singulis diebus cum passulis masticati. Si hoc medicamentum non moueat aluum, est valde vtile. Nam iecur calefacit, exsiccat obstructiones aperit, & visceri robur addit adstringendo. Quod si expurgat bilem, vt notauit Auic. tollitur frænum ipsi Aquæ, quod deinceps iecur magis refrigerat. Ideo prohibet Auic. in Hydrope vsum medicamentorum bilem expurgantium.

Quòd si frigiditas fiat ex suffocatione, occurrendum caussæ suffocanti, euacuatione scilicet quandoque sanguinis per sectam venam, vbi recenter suppressi sint menses, vel hęmorrhoides.

Vbi inflammationis adsit suspicio conueniũt refrigerantia ex sententia Auic. quem plurimi sequieuntur quinimo idem in caussa calida probat vsum granat. aq. alKeKeng. serum lactis, aliaque id genus frigida. Conueniunt hęc in principio Hydropis ex inflammatione; non autem in Hydrope confirmato post inflammationem; neque debent syncera exhiberi, sed roborantibus commista, absinthio Pontico, spica, trochiscis de rhabarb. de eupatorio, quorum dentur scrup. ii. ante serum, vel illas aquas frigidas, aut detur rotula vna Diarrhodonis Abbatis.

Quòd si refrigeratio fiat ex pabuli defectu, ex siccitate, cum suspicione febris hecticæ, tunc conueniunt humectantia; Et ni ego fallor, cùm Auic. in Hydrope lac camel. & caet. commendauerit sine distinctione; existimo respexisse illum ad hanc Hydropis caussam, ad defectum caloris, ex defectu humidi substantifici. Igitur si nobis occurrant Hydropici hectici, sicuti occurrent post euacuationes Aquæ, audacter præbeatis lac caprinum, vel asininum; nam camelarum nõ habemus. Aliquando faciatis lac deiectorum, ad-

dito Elaterio; interdum Diureticum additis aliis diureticis: interdum simplex præbeatur; ita tamẽ vt non corrumpatur in ventriculo, admisto scil. mello, aut sacchar, aut modico salis, vel præbentes ante lac scrup. i opoponacis.

De Scirrho Iecoris, & Obstructione nihil dico, quia partim dictum est, partim dicemus in tract. de Scirrho Lienis.

Victus ratio.

Medicamentis proportione respondeat victus ratio: nam in frigido positiuo conuenit maluaticum, vel aliud generosum album, in pauca tamen quantitate: Eligantur potius cuculæ, quàm aliæ carnes, & repleantur ventres auicularum petroselino, aniso, cinamomo, pipere. Scribit Nicol. Flor. serm. 5. tract. 5. c. 25. se quendam Hydropicum vidisse sanatum vsu Alaudarum, quibus frequenter cum petroselino vescebatur, modico maluatico contentus.

In cęteris caussis cibus & potus debent proportione respondere medicamentis.

De Leucophlegmatiam, seu Anasarca.

Sed quod ad Leucophlegmatiam spectat, quæ ὑποσαρκίδιον ἀνάσαρκα, & ὑπόσαρκα dicitur: Hæc, si Gal. & sequacibus credimus, vnica est, tumor scilicet œdematosus vniuersi corporis, 3. de caus. sympt. 2. Talis est, ait, Leucophlegmatia toti, quale œdema vni parti. Sed si ad Aretæum respiciamus, hic tumor vniuersi corporis est duplex. Vnus quidem est ex pituita iam expositus, quem ipse vocat λευκοφλεγματίαν: Alter ex sanguine colliquato, & conuerso in ichorem quẽdam tenuem, cuius ratione totum corpus intumescit tumore flaccido, modo nigro, modo sublíuido: Vocat hanc speciem Ἀνάσαρκαν.

Gal. 4. acut. 111. improbat illos, qui quatuor species proposuere Hydropis, atque Leucophlegmatiam ab Anasarca distinxere. Sed tamen vnus homo cuncta non videt. Ego libenter Aretęo adhęreo, qui ante triennium habui nobilem mulierẽ Asylanam, laborantem hoc Hydrope liuido, subnigro, cum tumore totius corporis, & duob. vlcerib. phagedenicis circa vtrumq; malleolum, antiquis & maximi, ex lienis scirrho cum imbecillitate iecoris. In hoc tamen differo ab Aretæo, qui puto, hunc nigrorem, vel liuiorem totius corporis non fieri, vel non semper fieri ex colliquatione: quandoquidem si ex colliquatione fieret hic affectus, esset cum febre ardente; at verò hæc patiens quam ego vidi, laborabat hoc Hydrope absq; febre: itaque existimo illius caussam duplicem esse: Imbecillitatem alteratricis, atque etiam retentricis carnium, & vasorum totius corporis, est intẽperies alteratricis carnium quia non concoquunt alimentum, ideo redditur tenue & aqueum, est imbecillitas retentricis vasorum, quę tunc sanguinem tenuem continere non possunt, hinc effunditur extra venarum orificia in substantiam carneam eodem modo, quo fiunt effusiones, siue Ἐκχύματα, de quibus Galen. lib. de tumor præt. nat. c. 18. meminit.

Caussæ.

Itaq; cum tot sint differentiæ Leucophlegmatię certum quoque est, caussas esse diuersas: Nam in priore, quæ alba est, generatur pituita in corpore, vel ex intemperie frigida, vel ex sanguine pituitoso confluente. Confluit verò pituitosus sanguis, quia in iecore talis producitur ex intemperie pariter frigida. Frigiditatis caussas iam intellexistis in Ascite.

In altera specie nigra adest quidem refrigeratio totius corporis, vbi nulla adsit febris; potest tamen aliquando contingere, id quod scribit Aretæus, vt ex febre ardente colliquetur sanguis. Et sicuti colliquatio, vt docuit Gal. 3. de caus. sympt. 2. aliquando tendit ad intestina, quandoq; facit Ascitem, nonnunquam tendit ad vrinas; ita aliquando potest retineri in toto corporis ambitu & facere hanc Anasarcam Nigram. Ego tamen maiori ex parte puto hoc fieri ex impuro sanguine, partim melancholico, partim ichoroso. Melancholico, quia non potest recipi in liene scirrho obdurato. Ichoroso verò, quia iecur à copioso affluxu & qualitate humoris melancholici refrigeratum est.

Signa.

In proponendis Leucophlegmatiæ signis breuis ero: quandoquidem diagnostica ex dictis patent. Quando enim vniuersus corporis ambitus œdematis formã susceperit est Leucophlegmatias albus. Quando autem color fit liuidus est vel niger cum tumore totius corporis, constituemus Hydropem Leucophlegmaticum, quem Aretæus Anasarcam vocat.

Cognoscetis autem, hunc Hydropem fieri ob intemperiem ambitus totius corporis, si nulla sit affectio circa imum ventrem, nullum sit Ascitis vel Tympanitis signum, & initium. Quòd si cõiungatur principium Ascitis cum Leucophlegmatia, certũ est argumentum fieri tunc Hydropem vitio Iecoris vel primariò, vel secũdariò lęsi.

Prognostica.

Itaque sicut, quando Leucophlegmatias fit ex intemperie totius corporis absque vitio iecoris, omnium facillimæ curatur, vt Arabes hac in parte rectè senserint, hanc speciem Hydropis cęteris leuiorem, & tutiorem esse; ita quando ex vitioso Iecore ortum duxerit periculosus est affectus, imò omni Hydrope periculosior. Hanc ob caussam scripsit Hipp. 4. acut 111. Leucophlegmatiam si fieri aggreditur, statim interficere. Sed Gal. hæc verba (*si fieri aggreditur*) sic explicat; si progressus sit morbus, quasi dicat Gale. si cum toto corpore simul patiatur Iecur.

Curatio.

Huius affectus curatio posita est, vt Ascitis sanatio, in materiæ euacuatione, & alteranda frigida intemperie. Materiæ euacuatio fit vel chirurgia, vel pharmacia. Chirurgia quidem in illa

illa specie, quæ fit ob menses & hæmorrhoides, retenta, in qua licet venam secare, inferiorem tamen, vt docuit Galen. loco citato comm. 111.4. acutorum, qui hoc accepit ab Hippoc. in illo text. Est verò tunc tantū facienda sanguinis missio, cùm calor est suffocatus, non autem dissolutus. Præterea in principio, non autem vel in incremẽto, vel in statu affectionis. Hoc tamen tempore expedit vti purgationibus medicamentisq; insensibiliter euacuantibus & digerentibus. Purgationes sint per vomitoria, & ea quidem valida neque enim in hoc casu peritonæi disruptio imminet. Medicamenta pariter aluum subducentia, crassam pituitam respicere debent, non aqueam materiam.

Itaque si vires constent, nõ improbo gran. iiij. vel. v. antimonii. Laudo quoque radicem Bryoniæ, cuius vsu deploratissimum Hydropicum vidi sanatum Sanauit autem illum mulier exhibendo puluerem bryoniæ in placenculi quibusdã oleo frixis, dabatque drach. i. pulueris. Incoquebat hæc mulier etiam Bryoniam in oleo, & præbebat vnc. ii huius olei. Excitato vomitu & deiectione ventris, hic pristinæ sanitati est restitutus. Ego verò vbi calor sit imbecillis abstineo à fortioribus medicamentis, & sic curationem instituo, qua ratione plurimos Leucophlegmaticos sanaui. Primò præscribo has pilulas.

Recipe pil. aggregat.
de hier. cum agar an. drach. i.
alephang. drach. ii.

Cum syr. de Agrimon. f. pil. 12. & deaurentur.

Harum pilularum exhibeo drach. i. alternis diebus. Die autem intermedio præbeo duas ex sequentibus.

Recipe trochisc. Cyphoid. drach. ii.
de Rhabarb.
de Eupator. an. drach. i.
cum syr. de 5. radic. f. pil. xij. & deaurentur.

Post pilulas statim præbeo hunc syrupum.

Recipe Syr. de quinq; radic.
Syr. Bizant. cum acet.
de absynt. an. vnc. sem.
Decoct. absint. spic. menth. sicc.
cuscut. puleg. orig. vnc. iij.
M. pro syrupo.

Vbi satis superque corpus expurgatum fuerit, ad Exteriora transeo, quæ materiam inibi exsistentem digerant quorum multa sunt, vt inunctio ex oleo rutaceo, irino, costino, chamomelino cui admiscetur vinum aromaticum, & aqua ardens, & pulueres calidi hunc in modum,

Recipe Olei rut. de costo.
Chamomel. an. vnc. i.
Aq. ardent.
Vin. arom. an. ℥. sem.
Sinap. sulphur.
Alumin. an. drach. i.

Bull. simul ad consumpt. vini, & aq. & hoc oleo confricentur membra tumida.

Idem præstabit oleum chamomelin. multo sale commistum. Fortius erit lutum aliquod digerẽs, aluminosum, nitrosum, & salsum, qualia sunt montis Ortoni, & S. Petri. Nihil fortius est arenatione, & insolatu, vt scilicet sepeliantur corpora Hydropicorum in arena maris vsque ad regionem thoracis. Si cui minùs placeat hoc remediũ audiat Nicol. Florent. qui in eundẽ vsum accipit cineres: & sanè hi quoq; valentissimè exsiccant. Non improbantur balnea aquæ thermalis: in quorum defectu accipi poterit aqua marina, vel communis, sed alterata sulphure, sale, alumine, cineribus quercus, herbisque calidis, origano, dictamno, iunipero, lauro, saluia, roremarino. Interim roboranda sunt viscera: Et si quidem Iecur fuerit refrigeratum, ita calefiat, sicut docuimus in hesterna lectione.

DE SCIRRHO LIENIS. Cap. XXVIII.

QVod si factus fuerit hic Hydrops ex Scirrho Lienis hic sanandus est. Fit autem Scirrhus vel post inflammationem, vel incipiendo. Post inflammationes quidem, si nimium digerentib. & exsiccantibus tractatæ fuerint; Incipiendo fit vel ex melancholica materia naturali, vel ex adusta, vel ex pituita, vel pluribus humoribus mistis Hinc Hipp. lib. de inter. aff. 5 constituit Scirrhosi Tumoris differentias pro diuersitate materiæ, ex qua fit Scirrhus.

Signa.

NEq; verò difficilè est hunc tumorem aut cognoscere, aut distinguere; nam est vsq; adeo magnus aliquando, vt totam Abdominis regionẽ complectatur, & vt dicebat Aretæus, inferat suspicionem affecti peritonæi. Adest prętereа tussis sicca, pondus maximum, difficilis decubitus in vtramque partem quidem, sed maximè in dextram.

Exquisitus, prȩter insignem duritiem, sensu caret; Neq; nos decipiat sensus cutis superpositæ, cuius ratione vnusquisq; in ea parte compressus sensum retinet.

Distinguuntur autem caussę sic inter se; nam si fuerit inflammatio præcedens, præfuit etiã febris maxima, dolor in parte sinistra, sitis, pulsus durus, & frequens. Si fuerit materia melancholica naturalis, adest timor, & męror continuus, nisi successerit Hydrops; vbi enim Hydrops Scirrho succedit, quantum fit ratione Scirrhi, non fit ampliùs melancholia. Aqua enim prohibet quo minùs nigri vapores generentur, & eleuentur. Corpus in hac caussa fit lucidum, nigricans. Idcirco nigra Icteritia laborant. Si fit melancholia adusta adest similiter timor, & mæror, sed cum aliqua rixa & furore. Cutis totius corporis vel impetigine afficitur, vel vlceribus variis, vel liuoribus, gingiuæ computrescunt, & eroduntur, sanguinem putridum euomunt, anhelitus fętet, fiuntq; frequẽtes sanguinis eruptiones rarissimæ, & admirãdę, non modò ex ore & naribus, non tantùm per inferiorem ventrem, sed etiam per vrinas, & quod magis est, per aliquas corporis partes, in quibus nullum est foramen, exeunte sanguine per poros illius partis. Ego tres obseruaui notabiles historias. Vnam in quodam nobili Patauino, cui sanguis excernebatur ex Vmbilico. Alteram pariter

N. B. Historias admirandas.

in

in Nobili Patauino, qui hanc habebat effluxionē per scrotum Tertiam in Nobili Germano, cui excernebatur sanguis per ligamentū illud, quod est subglandę pudendi. Et isti omnes laborabant Scirrho Lienis ex denso humore cum signis propositis ad differentiam illius, qui fit ex humore pituitoso inquo corpus laborabat Leucophlegmatia vel alba Cachexia cum sopore, vrinis crudis, atque aliis signis abundantis pituitę.

Prognostica.

Est quidem omnis Tumor Lienis magnus morbus, sed Scirrhosus Exquisitus insabilis est: non exquisitus ægrè admodum sanabilis, & plerunq; ad Hydropem deducit, non quidem propria ratione 4. præsag. ex pulſ. 9. sed communicata Iecori affectione 6. de loc. aff. 1. deducit quoq; totum corpus ad tabem. Hipp. de loc. in hom. à quo accepit Gal. 2. de nat. fac. 9. Vbi Lien efflorescit, ibi corpus contabescit.

Fiunt autem excretiones quædam in Lienosis aliquando criticæ, aliquando symptomaticæ; fiunt autem vel per aluum, vel per fluxum sanguinis narium. Dicebat Gal. & cum eo Hipp. 6. aph. 48. Alui fluxum splenicis superuenientem salutarem esse, addatis vos, nisi modum excesserit; nā diuturnus & copiosus, est periculosus, & lethalis, vt docuit Hipp. 6. aphor. 48. Quod ad fluxionem sanguinis pertinet, certum est fluxiones illas, quę fiunt per loca indecentia, de quibus memini in lectione præterita, symptomaticas esse omnes, & nullius frugi: Quæ verò fiunt per locos docentes, si modum seruauerint, iuuare possunt. Hinc dicebat Gal. 6. in 6. Ep. 8. hæmorrhoides sanare Lienem induratum. Fluxus etiam ex naribus, dummodò fit ex parte sinistra, vtilis est, qui verò ex opposita, noxius est, doctissimus Hipp. 3. prorrhet. 33. & 2. in 6. Epid. 12. & 13.

Quod dicit Hipp. 2. in 6. Epid. 42. Destillationibus tentatos minus Lienosos fieri, sic Galenus interpretatur; de illis tantùm esse intelligendum qui totam expurgant humorum colluuiem per caput. Etenim fieri potest, vt pars huius destillationis in Lienem decumbat, & Scirrhum faciat. Et ego sanè plurimos vidi Scirrho laborantes destillatione pariter tentatos: imò verò hodie habui exemplum cuiusdam puellę, quæ & destillatione & Scirrho lienis simul tenebatur.

Curatio.

Transeo igitur ad curationem 3. Pro curando Lienis Scirrho primū versabimur in fonte chirurgico, mox in pharmaceutico, & diætetico.

Quod ad Chirurgiam Gal. lib. cur. per sang. miss. c. 16. laudat sectionem venæ, miraturque antiquos, qui in hoc affectu eam omitterent. Ego vtrunque fieri posse existimo; quum enim scirrhus iam totum corpus vitiauerit, adsitque principium Cachexiæ & Hydropis, prætermittenda venę sectio, imò verò quęcūq; sanguinis missio. Vbi reliquæ corporis partes integrum seruent robur, secanda est vena in cubito sinistro, si vires constent, in manu sinistra, si minus firmæ fuerint. Neque verò vos deterreat ratio quorundam doctissimorum virorum, qui dicunt, vires magis deiici ex sectione saluatellæ, quam ex secta cubiti vena, quia propter facultatem aquę calentis dissipantur spiritus. Etenim dissipantur magis spiritus, vbi secatur amplum vas, quam vbi secatur minimum. Accedit quòd non necessariò mittitur sanguis ex saluatella in aqua calida. Gal. 3. de anatom. administ. c. 5 dum ex aliorum sententia laudat hanc venæ sectionem, ait, tamdiu vas esse detinendum apertum, vt sanguis vltra non procedat, sed paulatim desinat, seu deficiat. Id verò fit sine aqua calida, & propterea lib. cur. p sang. miss. 26 non ampliùs ex aliorum sententia, sed ex propria scribit Gal. æquè Splenicis conferre saluatellam sectam, atque venam in cubito. Neque vos decipiat text. Latinus, qui legit negatiuè, nam Græcus codex caret negatiua. Sed qui voluerit plura de hac disputatione, legat Hieronymum Araldum: Item Ioseph. Valdamium.

Vena Sectio.

N. B.

Præter sectam venam aperiendæ sunt hæmorrhoistes, cùm, vt antea dixi, tantopere iuuent induratum lienem.

Et, vt me expediam à fonte chirurgico, in hac classe sunt quoque Vesiccatoria mirificè cōmendata ab Aetio & Paulo. Apertæ autem diu detinendæ sunt vesicæ, & cum occludantur, nondum sublato Scirrho, denuo repetenda vesicantia.

Vesicantia.

Idipsum dico de Cauteriis, quæ non modò affigenda sunt, vt cōmuniter fieri consueuit in cruribus: Sed in liene indurato nil præstantiùs, quā inurere in 4. aut 5. locis super ipso liene. Proponuntur vstiones ab ipso Aet. Ego illas libenter suadeo, qui propria experientia omnium vtilissimas comprobaui. Omitto quædam leuiora, quæ potiùs videntur superstitiosa, vt est incisio venę post aurem sinistram, & illitio lienis cum sanguine illo educto: est remedium Archigenis propositum à Galen. 9 de compos. loc. cap. 2 Omitto nunc etiam periculosissimam illam apertionem, qua vtebatur religiosus quidam proximis annis Patauii, cuius meminit Cardanus 8 de variet. 44 Est aūt appositio securis acutissimę super charta quandam Lieni apposita, quę securis percutitur malleo ligneo fortissimo, neq; tamen cutis inciditur.

Cauteria.

Remedium temerarium.

Pharmacia.

Sic leniatur aluus.

Recipe Syr. de polypod. vnc. iii.
mell. ros. solut. vnc. ii.
decoct. cord. cum drach ii. sen. q. s. M.

Præparentur humores triduo hoc syrupo;

Recipe Oxym. comp.
Syr. bizant. cum aceto.
de beton. an. vnc. i. M.

Post tres dies vtantur hac purgatione.

Recipe Cort. elleb. nig.
Agar. trochisc. an. drach. i.

Infund. in decoct. cordial. F. express. addo

Syrup. de polypod.
mell. ros. solut. an. vnc. ii. M.

Postea præbeo hos syrup. compos. alternatim; Primum quidem.

Recipe

Recipe Syrup. de quinq; radic.
bizant. cum aceto.
oxym scill. an. vnc. sem:
Decoct. cortic. radicum capparis.
Cetrach. Agrimon.
Myricæ Meliss. Fum. vnc. iij. M. pro syr
Sequenti die hunc accipiant.
Recipe Syr. de pom. comp.
de fumo terr. compos. an. vnc. i.
Decoct. Epithy. Mesu. vnc. iii. M. pro syr.

Accipiunt isti per x. dies. Et interim Lieni ad mouendum est medicamentum emolliens, quod potest sic parari.

Recipe Mucilag. rad. alth.
Sem. lini an. vnc. ii.
Puluer. Bryon.
radic. cyclam.
cucum. sylnest. an. vnc. ii.
Farin. sem. lin. vnc. ii
Ol. de Capp. Pingued. gall.
Axung. suil. an. vnc. i.
Aceti parum. M.

Absolutis syrupis si corpus sit validum repetenda est potio cum elleboro nigro: Sin minus, præbendum est ius aut galli, antiqui, aut columbi in cuius ventre incoquatur Epithymum, Sena, Polypodium cum aliis herbis in priore syrupo descriptis, & ante syrupum conuenit præbere medicamentum aliquod attenuans incidens, & aperiens. Ex facile parabilibus esse illud:

Recipe Chalyb. præparati cum aceto.
Ammonica an drach. sem.
Pulu. citrach.
Tamarisc. an. scrup ij.

M. & cum acet. scyll. f. pil. viii. aut boli iv. & præbeantur ante syrupum.

Quidam laudant splenem aselli, vel equi exsiccatum, & pulerizatum ad drach. i. siue ii. vel simpliciter, vel cum puluere tamarisci, aut cum chalybe, aut corymbis, seu ramis hederę. Vide Gal. 9. comp. loc. cap. 2. Ego verò cum toties expertus fuerim meum electuarium exchalybe illud vobis communicabo. Moneo vero vt post emollientia exteriora vtamini fortioribus attenuantibus & digerentibus, vt sunt suffumigia ex lapide molari seu pyrtide, insperso aceto, in quo bullierint, Bryon, Cucumer syluestre, Althæa, Myrtha, radix ebuli, semina lini. Et post suffumigium adhibeatur hoc Ceratum:

Recipe i. Ammon. Bdell. an vnc. i.
Sinap Piper.
Myrrha Cetrach } *an. drach. i.*
Cort. rad. Capp.

Dissolue gummi cum aceto; addantur pulueres cum Resina & Cera. f. Ceratum.

Electuarium est tale.

Recipe Fol. sen. vncc. iij.
Epithym. Polyp. an. vnc. ij.
Tamarind. vnc. i sem.
Myrobal. omnium vnc. i.
Pulp. flor. Cass. vnc. ij sem.

Bull. hæc in aqua Borrag. Agrimon. & Cetrach. an. lib. ii. vsq; ad consumpt. mediet. deinde colaturæ adde Sacch. fin. lib. ii. bullianq; simul in prædicto decocto vsque dum crassescat, in fine adde sequentes pulueres.

Mastich. Rub. tinct.
Rasur. ebor. Glycyriz.
Fœnugr. Capil. Vener.
Calam. arom. Anisor.
Fœnic. Siler. montan.
Nigel. Petrosel. Eruc.
Vrtic. Lactuc. Endiu. an. drach. ij.
Schenanth. Eupator.
Tamaris. sem portul.
Nuc. mosc. Macis.
Cinnam. Caryoph.
Spic nard. an. drach. i.
Limatur. chalyb. sem. lin. vnc. i. sem.
M. f. Electuarium.

Dosis est à drach. i. vsque ad iiii ex vino aliquo albo, & post electuarium adhibendum est exercitium aut in imbecillioribus corporibus frictio super Liene.

DE MORBIS INTESTINORVM, AC PRIMVM DE VOLVVLO. Cap. XXIX.

IAm sermonem meum conuerto ad Intestinorum vitia; Cùm enim de variis fluxionibus antea fuerit sermo, in præsenti tria Intestinorum potiora vitia proponemus Voluulum, Colicum & Lumbricos. Incipiemus autem a Voluulo, qui Græcis Εἰλεὸς dicitur, Arabibus passio Iliaca, Latinis Intestini Tenuioris passio.

Differentiæ Voluuli.

IMplicata erit hæc tractatio, nisi distinctio quædam adhibeatur. Idcirco ante omnia illud notandum, Voluulum duplicem esse, vnum Legitimum, alterum Spurium.

Legitimus est *integra alui adstrictio, dolorosa, & laboriosa, ex Ilei Intestini tumore.* Dicitur *integra adstrictio*, quia in hac passione nihil prorsus per inferiora excernitur, tametsi acris clyster imponatur, vt docuit Gal. 7. aphor. 10. Dicitur *dolorifica, & laboriosa*, quia vt scribit idem Gal. 6. aph. com. 44. & 1. in 3. Ep. 6. hic affectus habet connexum dolorem & intestinorum tormina, ac vomitionem ipsam. Multa alia connectuntur Voluulo symptomata, de quibus meminit Hippocr. & Galen. 7 aphor. 10. vt vomitus fecum, desipientia, cõuulsio. Addebat idem Hippoc. 2 in 5. epid. 6. refrigerationem extremorum, sed hæc nõ sunt pathagomica Ilei, sed constituunt Voluulum lethalem. Locus affectus est Ileon intestinum, vt voluit Gal. 6. aphor. 44 & 3 de caus. sympt. 2. *Definitio.*

Causa Legitimi Immediata.

CAusa proxima est aut, eiusdem intestini inflammatio, aut abscessus, aut tumor scirrhosus. Aliam non videtur cognouisse Gal. causam, propter quam integra consequatur alui constrictio, quam tres iam propositas. Ratio est, quia verba facit de Ileo Legitimo inã Spurius alias habet

bet causas. Ego tamen Legitimum Voluulũ alias quoque causam habere inuenio,nempe tenuioris intestini prolapsum in scrotum propter rupturã peritonei. Hic Voluulus si quisalius est omnium maximè lethalis, si quam primùm intestinum in proprium locum non reponatur. Hactenus de Legitimo.

De Voluulo Spurio, & quot modis talis dicatur.

SPurius Voluulus multis modis potest dici talis. Primò ratione exeuntium, quia aluus non sit omnino adstricta: idcirco Hippocrat.2.in 3.Epid.5.dum refert casus mulieris Voluulosæ, scribit paucas fuisse deiectiones etiamsi quidam existiment legẽdum esse (nullas.) Est quoq; Spurius ratione symptomatum,quia neque dolor adest,neque tormina,neque Vomitus. Hoc docuit Galen.in comment.7. part.aphor.10.qui inquit Vomitum non consequi omnem Voluulum,sed periculosum duntaxat. Deficit etiam dolor,quia si neque adsit inflammatio,neque humor acris, neque flatus distendens,supprimuntur feces absque doloribus,& torminibus. Tertio est Spurius ratione loci; nam potest fieri hæc adstrictio ob vitium intestini vel coli,vel recti. Hinc Galen.2.in 3.Epid.6.videtur sibi contradicere,qui concedit posse Voluulum fieri,& in tenuibus,& in crassis intestinis,quod negauerat in cõment.44.aphor. 6.partic.sed ibi loquitur de Spurio:& propterea 3.aphor.22.vbi loquitur in vniuersum de omni Ileo,inquit,fieri ex inflammatione intestinorũ, neque tamen dicit illa tantùm esse tenuia. Denique est Spurius ratione causæ,quia hęc excremẽtorum mora potest fieri non tantùm ex inflammatione,abscessu,& scirrho,quemadmodum Legitimus,sed fit vel ex facultate læsa,vel impedita,vel ex errore externo.

Causa Spurii tertio modo accepti.

FAcultas,quæ læditur,vel est expultrix,vel retentrix. Expultrix læditur ex intemperie vsque adeo frigida,vt iam sensus stimuli sit sublatus Læditur quoque vbi vsque adeo laxa,& humida sunt intestina,vt constringi non possint. Si enim non constringuntur,feces non comprimũtur,atque ideo Gal.5. in 6.Epid.28.qui agnouit intestina ideo expellere,quia constringuntur,loco facultatis expultricis meminit facultatis constrictoriæ: quando enim hæc suo non fungitur officio retinentur excrementa.

Retentrix quoque facultas est causa retentionis excrementorum,vbi nimium suo officio fungitur propter frigiditatem,& siccitatem,quæ sequitur adstrictionem,siue frigoris externi siue ciborum & potuum,quæ pariter facultatem obtineant adstrictoriam.

Impediuntur hæ facultates aut compressis intestinis,vel constipatis,vel obstructis, vel coalescentibus,vel subsidentibus. Compressio fit à tumoribus partium vicinarũ. Hac ratione Mesenterij,Pancreatis,Omenti,Vesicæ,Vteri,Renum magni tumores compressis intestinis excretiones retardant:Et quamuis Galenus in commen.44.adhor.6.part.non videatur accipere ex tumore,vesicæ,vel vteri Voluulũ fieri,loquitur tamen ibi de Voluulo tãtũ Legitimo;neque enim negat,quod experientia docet,hos tumores excretionem alui motum retardare. Constipatio fit à tumoribus in ipsismet tunicis intestinorum factis. Obstructio verò fit à materia,quę est in cauitate intestinorũ, quæ est aut fex indurata,aut lapis,aut lumbricorum copia,aut flatus extendens cum pituita crassa. Subsidentia fit aut ex intestini siccitate,aut ex refrigeratione insigni,aut ex nimia adstrictione, de qua antea dixi.

Coalescentia verò fit post intestinorum vlcera parte vnius intestini adhærente alteri parti.

Error externus est aut nimia medicamentorum,aut alimentorum acrimonia, aut defectus acrimoniæ. Est nimia acrimonia,quãdo in intestinis inferioribus adest vlcus valde sensibile, ad quod si perueniat facultas vel cibi vel medicamẽti acris,statim constringitur intestinum,& sicuti tunc fit naturalis excretio,cùm superior intestini pars constringitur,sic è conuerso,quando constrictio incipit ab intestino inferiore,omnia per superiora reiiciuntur, vt propterea scribat Galen.3 de caus.sympt.2. Clysteres aliquando vomitu eiectos. Et Matth.de Grad.2.part.com. ad 9. lib. Rhas.in cap.de Ileo scribit se vidisse Voluulosum quendam,qui non modò clysteres,sed etiam suppositoria filo alligata sursũ trahebat,& vomebat.

Alter externus error,propter quem excrementa alui retinentur,est defectus acrimoniæ, vel in humoribus,vel in alimentis. In humoribus quidem,si bilis à vesica fellea in duodenum intestinum non transmittatur; In alimentis autẽ,quãdo non accipiuntur salsa,acria,aromatica,sed dũtaxat insipida,oleosa,& pinguia. Ex quibus dictis iam licet colligere,& mediatas quasdam causas, & solutiones quorundam problematum.

Causa Mediata.

CVm dictum sit inter cęteras Voluuli causas esse induratas feces aliquando etiam lapidosas: hæc impensa siccitas duplicem habet causam,videlicet aut vsum ciborum potionum, & medicamentorum exsiccantiam,aut intemperiem,quæ est vel in intestinis,vel in iecore,renibus,& toto corpore. Et in intestinis quidẽ est calida, & sicca, agitque exsiccando; in iecore autẽ renibus,& toto corpore est quidem calida,sed agit attrahendo tenuiorem,& humidiorem excrementorum partem,hinc mictio, & sudor abundant,vt propterea dixerit Hippoc. 5. aphor. vlt. Mictus plurimus paruam significat egestionem; nam excremẽtis exsiccatis aluus redditur pigra.

Solutio quorundam Problematum.

EX his potestis colligere solutionem cuiusdã quæsiti, cui occasionem dedit Hippocrat 2.aphor.

2. apor. 20. cùm inquit: Quibus aluus in iuuentute lubrica, in senectute siccescit: contra verò, quibus in iuuentute adstricta est, in senectute humescit. Patet solutio ex dictis. Nam iuuenes ideo aluum habent lubricam, quòd bilis multa continuò defluat ad intestina: ingrauescente ætate, deficit calor & bilis, idcirco aluus adstringitur. Contra in iuuentute aluus plerunque est adstricta propter iecoris, & renum caliditatem, quæ humidiorem fecum partem absumit: in senio deficit calor, & non fit tanta suctio; idcirco aluus est humidior.

B Patet etiam solutio alterius problematis, Cur scilicet cùm reperiantur tot viri & mulieres, quibus aluus adstringitur per 10. 12. 20. & plures dies, non tamen omnes vomitu tententur, imò pauci, & illi quidem potissimum circa quartum aut quintum diem à suppressione alui, vt in Legitimo Voluulo contingit.

Causa huius problematis triplex est: Locus, affectio, & materia. Locus, quia si intestina tenuia sint affecta, vomitus facillime succedit: proxima enim sunt ventriculo, & cibus acceptus, & potus C cùm non possit transire citò, cogitur retrocedere: sed si crassa intestina vitiantur, non vsque adeo facilis est vomitus. Secunda causa est affectio: nam si intestina laborent aliquo affectu, cum quo adsit torpor, & stupiditas, siue sit frigida intemperies, siue paralysis, siue fex dura, aut lapis, vel coalitus, vel scirrhus, aut atrophia, non necessariò sequitur vomitus. Sed quando sensibilis sit affectus, tum excrementa affectionem irritant, coguntq; intestinum ad constrictionem, cui subsequitur impulsio ad superiora, vti vos docui ex D Gale. 3. acut. 9. de caus. sympt. 2. Tertia causa est materia; nam si sit mordax, excitat vomitum, si caret morsu, nullus est vomitus. Idipsum dico de copia; nam vbi multa congeruntur excreméta, sua mole & pondere cum per inferiora deiici non possint, irritant, & expelluntur per superiora: Non irritant, si pauca sint.

Obiectio.

E Sed video ingeniosum aliquam dicturum; Vbi aluus adstringatur per 20. & plures dies nũquid multa sint excrementa? Et tamen vomitus non necessariò sequitur.

Solutio.

Dico non necessariò multa esse, quia plerunq; colliquantur excrementa, transeunt in vrinas, & sudores, & sputum, vt propterea ego aliquẽ obseruarim, qui singulis octo diebus semel tantùm, & parum deiiciebat perpetua destillatione, & frequenter spuria angina tentatum.

F *Signa.*

Signa Voluuli seu Ilei ex dictis patẽt, & Legitimus quidẽ cognoscitur ex retentione excrementorũ, integra quidẽ post primos dies; nam primis diebus aliqua portio eorum excrementorum, quę in inferioribus intestinis continentur, educi potest. Atque ideo Hippocr. 2. in 3. Epid. 6. in casu illius mulieris Voluulosę refert excrementa fuisse pauca: Vomitus adest, dolor, tormina, & febris acuta sitis, & progrediente morbo refrigeratio extremorũ, sudor totius corporis, vomitus fecum, conuulsio, & desipientia, fetor anhelitus, eructationes flatus, & vaporis exeuntis ex toto corpore. Sunt hæc signa Legitimi Voluuli ex inflammatione.

Signa Spurij.

Spurius autem qui fit ex intemperię frigida & paralysi cognoscitur, quia nullus est excrementorum stimulus, nulla est deiiciendi cupiditas, etiamsi excrementa vsque ad imum intestinum descendant, nullus est vomitus, nec dolor, nec sitis.

Quòd si adsit tumor scirrhosus tactu percipitur: si fex sit indurata, aut præcessit vsus siccantium, aut adest calida, & sicca intemperies, minimusque plurimus ac sudor, & quæ educuntur caprinum stercus æmulantur.

Quòd si fiat ex defectu bilis, excrementa sunt cinericia: si ex nimio morsu, adest vomitus, qui dolorem sequitur, & intestinorum tormina.

Coalescentiæ, & Atrophiæ signa non propono, quia casus sunt insanabiles.

Prognostica.

Insanabilis etiam antiquus scirrhus, periculosissimus autẽ est Voluulus ex inflammatione, qui plerunque in septimo, aut quarto interficiat, præcipuè verò, si stercus euomatur, aut fœtat anhelitus, & æstus, vel ambitus totius corporis, vt docuit Gal. in 3. prorhet. 66.

Curatio.

Prætermissis Voluuli causis insanabilibus, coalescentia, scilicet atrophia, scirrhoq; exquisito, siue cõfirmato, versabor in præsentia in quatuor præcipuè causis: inflammatione scilicet, humoribus acribus, & veneficis, prolapsu intestini, & fecum duritie.

Et quod pertinet ad inflammationem, necessarium est partim quidem ad morbum, & causam respicere; partim verò ad symptomata, &c.

Quod igitur ad morbum, & causam pertinet, tractatur inflammatio circa initia reuellentibus, & repercutientibus. Inter reuellentia primum locum obtinet venæ sectio. Arabes consuluerunt, vt venę sectio fieret ex pedibus & brachiis. Mihi magis placet, vt in magna plenitudine secetur potius vtraq; superior vena dextri, & sinistri lateris. Prę cęteris post sectã venã laudo hirudines venis sedalibus appositas. Hæc. n. sanguinis missio nõ tantũ reuellit; sed etiã à parte inflãmata educit. In eundẽ vsum cucurbitulę conueniunt scarificatæ, & non scarificatæ infernis partibus affixæ, frictiones, ligaturæ, vesicantia, balnea aquæ calidæ. Balneum verò toti corpori admistratum minimè laudo, tametsi Rondeletius illud probauerit

uerit. Nam frigidum intropellit humores, Calidum fundit & colliquat, illosque ad locum affectum procliues reddit, vt etiam notauit Gal 12. method. cap. 3.

Ad reuulsionem faciunt etiam Clysteres, vt excrementa in crassis intestinis contenta educātur, & à loco inflammato retrahantur. Laudant nonnulli acres clysteres. Dicunt enim inflammationē, quæ est in superioribus intestinis exacerbari non posse, sed decipiuntur; nam in Volvulo cum motus intestinorum incipiat ab infernis ad superna, vt propterea aliquādo, sicut notauit Matth. de Gradib. etiam suppositoria vomitio ne reddantur, verendum etiam est, ne clysteres ascendant, quod docuit Gal. aliquando etiam fieri 3. de caus. sympt. 2. sint itaque molles & inflāmationem incipientem respiciant. Propterea fiat decoctio ex plantag. hordeo, malua, violis: addatur decoctioni oleum viol. cassia extracta, & inter mittatur vsus sacchari, & mellis.

De Vomitoriis videtur aliqua dubitatio. Nam si voluulus inter reliqua symptomata habet vomitum illum lethalem, stercoris scil. non videtur vomitus irritandus.

Conuenit tamen circa initia inflammationis tantùm, quando scit, in ventriculo, & superioribus intestinis multa sint collecta corrupta, atque acria excrementa, quę ad inflammationem transmitti possunt; nam si humores in his primis viis non redundauerint, periculosus est vomitus.

Et ne idem pluries repetere cogar, eadem erit curatio Voluuli facti ex humoribus acribus; Nā si in ventriculo, & intestinis propter praua alimēta, aut medicamenta fuerint cōgregati, hi quoq; vomitu sunt purgandi. Quòd si fluat à Iecore, vel toto corpore, reuellēdi sūt, vt antea docuimus

Vomitoria verò debent esse placidissima, & epicerastica. Idcirco nihil meliùs aqua hord. & oleo amygdal. dulc. Aqua etiam simplex tepida mista cum oleo communi pro pauperibus erit vtilis.

Si acris hęc qualitas fuerit posita in materia venenosa, laudat Aet. Theriacam post vomitum, cui adhærent omnes posteriores. Ego verò Theriacam, aut aliā alexipharmaca tunc tantùm laudo, cùm venenum fuerit frigidum. In calidis enim venenis vtamini potius lacte, aut sero misto cum aqu. acetosæ cum terra Lemnia, aut alio alexipharmaco, sed refrigerante. Hæc de reuulsione.

Repellentia medicamenta sunt externa, & interna. Extrinsecus commodè loco dolenti apponitur aut lana, aut spongia vino acerbo, & oleo, vel rosaceo, vel violaceo, vel melino, seu de cytonio imbuta, aut parabitis succum plantaginis, lactucæ, semperuiui, admisto modico aceti, & per linteos, aut spongias aptabitis loco inflāmato.

Intrinsecus cōueniunt & Clysteres, & Assumpta, quæ facultatem habent reprimendi. Sint facti Clysteres ex succis, aut liquoribus iam dictis excepto aceto. Per Os circa initia prębeatis serum caprinum alteratum foliis plantaginis, portulacę rosatum: Conuenit saccharum rosatum.

In augmento addenda sunt quædam Digerentia, vt Chamomelum, Anethum, Melilotus, semen lini, fœnugręci. In fomentis externis, & internis medicamentis, in statu vtendum digerentibus. Extrinsecus emplastro ex meliloto. Intrinsecùs autem iure aliquo, aut columbi, aut pullis, in cuius ventre bulliant passulæ, carycæ, pulegium, fœnugræcum, chamomelum & alia id genus digerentia.

Pro Symptomatis aliqua etiam sunt agenda, & quia feces retinentur in principio inflammationis, satis est medicamenta frigida, & inflammationem reprimentia prębere. Talia erunt cassia, diaprunis simp. & sine scammoneo, diasebestē simp. syrupus rol. solut. serum caprin. In maxima copia. Vbi vera inflammatio est aucta, hæc nihil prosunt, fortioribus est agendum. Conuenit itaque aut Electuar. de succo rosar. vel Electuarium rosatum Mesue ad vnc. sem. cum drach. iij: cassię: aut etiam conuenit oleum amygdal. dulciū cum granis iiij. vel v. diagridij in modico saccari rosati, aut in conserua ex cytoniis, aut accipiatis Diaprunum cum scammonio.

Licet enim in hoc casu omnia potiùs tentare, quàm permittere vt feces per superiora educantur. Idcirco licet etiam ascendere vsq; ad Antimonium, & Elaterium, quæ in modica quantitate ad iiij. vel v. grana in vino, in quacunque meteria patienti præberi possunt.

Nec quispiam obiiciat, Inflammationem prohibere hæc; nam inflammatio facta tractatur calidis, & digerentibus. Itaque hęc, quanquam calida, non obsunt, & plus nocet copia excrementi retenti, quàm medicamentum si purgauerit. Idcirco non de fuere celebres Medici, qui in deploratis his casibus in vsum acceperint hydrargyrū, quod suo pondere quàm primùm aluum ipsam mouet. Eandem ob causam clysteres acręs hoc tempore cōueniunt; & ratione dolorum licet vti emplastro extrinsecùs, confecto ex farina seminis lini, mucilagine altheæ, oleo amygdalarum dulc. butyro, & luteis ouorum. Et quando aluus non respondeat medicamentis propositis, huic emplastro addetis medicamenta, quæ aluum subducūt, Succum bryonię, succum cucumeris syluestris colocynthidem, & alia in tract. de Hydrope dicta. Hac ratione tractanda est inflammatio etiam in testini in scrotum prolapsi.

Quò tamen si fuerit absquè inflammatione, & duritie, statim reponendum est, addito cerato constrictiuo & conuenienti subligaculo. Si sit induratum, emolliatur fomento calido ex decoct. maluæ, althex, sem. lini, fœnugræci, chamomeli, & meliloti. Et si fuerit repletum flatu apponantur flatum digerentia, vt cyminum, anisum, ruta baccæ lauri, seseli & alia id genus.

Quando Ileos ex induratis fecibus factus sit, primùm quidem emollientia, deinde verò euacuantia sunt administranda; sed quia, vbi multùm feces fuerint induratæ, vt quasi in lapidem transierint, emolli tio necessitati satisfacere non potest: in eo casu accipiendum Hippocratis consilium 2. de morb. propositum, vt scilicet per follem fabrilem in recto intestino impositum

situm inflentur & dilatentur intestina;statim verò post inflationem injiciatur Clyster emolliens. A

Recipe Ol.comm.vel amygd.dulc.vnc.viij.
Decoct.malu.alth.
Sem.lin.Chamomel.lib.i.
Butyri vnc.iiij. M.

Studendum autem, vt clysterem detineant; propterea consulit Hipp.vt inferius orificium lana obturetur, deinde in Balneum imponantur, siue balneum sit ex aqua emollientibus alterata, siue sit ex oleo.

In imbecillioribus autem sufficit ventri apponere vesicam bubulam oleo,& decocto emollien te semiplenam,aut emplastrum emolliens. B

Si sponte emollitæ feces deiiciantur,nihil aliud agendum,sin minùs, aut acri Clystere, aut medicamento forti vtendum. Horum formam partim proposui, partim verò proponam in sequenti tractatione de Colica.

Sublatis fecibus,studendum ne iterum indurentur; id autem fiet sublatis causis: & si causa frigiditas fuerit, & siccitas propter vsum scilicet adstringentium conueniunt oleosa,& pinguia in cibo,& medicamentis. Vt ego aliquando similē curaui stipticitatem præbendo singulis diebus. C

Ol amygd.dulc.vnc.i.
cum facc.fin.vnc.sem.

Sed in eundem vsum facit Cassia,manna,lac cum saccaro,serum,& alia id genus.

Quòd si pigra sit aluus propter defectum bilis aperiendę sunt obstructiones meatus fellei,attrahenda est bilis ad intestina.Nil pręstātius in hoc casu vsu frequenti rhabarbari. Eo vti possunt patientes,aut puluerizato & admisto cum modico Cinamomi & Saccari. hoc modo. D

Rhabarb.drach.i.
Cinam.gr v.
Sacch.drach.sem. Detur in vino aut iure:

Aut possunt masticare Rhabarbarū cū passulis

Quòd si nimia Iecoris caliditas feces exsiccet agendum refrigerantibus,& humectātibus,internis,& externis,(ero aquis, succis balneo potissimùm aq.dulcis.

Deniq;si pigra sit aluus,propter nimiam frigiditatem,& quasi paralysin,calefacienda sunt intestina medicamentis fortissimis,Theriaca,& Mithridato,Castoreo,Oleo ex Calchāto ad v.vel vj. guttas exhibito,vel in iure,vel in vino albo odorato.Reliqua prosequemur in tractatu de Colica. E

DE DOLORE COLICO. Cap. XXX.

HAnc affectionem vocat.Celsus lib.4.ca.13. Passionem Intestini Plenioris:ante Celsum ignoro vtrum aliquis Medicus Colici Doloris mentionem fecerit.Hoc quidem scio apud Hipp. nullibi Doloris Colici mentionem esse factā. Video prętereà Celsum lib.4.c.13.dixisse,Dioclem Charistium affectionem Intestini Tenuioris χόρδαψον vocasse: cuius vocis quoque meminit Gal.6.loc.aff 2.dixitq;Voluulum nōnullis Chordapsum vocari: Passionem verò Crassioris Intestini,Coli scilicet inquit,Dolorem vocari:Ileum alii vocarunt χόρδαψον: Sed quicquid sit de nominibus, *Colicus Dolor est tristis sensatio Intestini Coli cum retentione excrementorum*, & quatenus hæc affectio habet excrementa retenta,conuenit cum ileo,cuius retentionis causas iam retulimus neque illas repetam. F Definitio

Locus affectus:

NOmine autem Coli Intestini Dolentis intelligo membranas ipsas,tam internas,quàm externas.

Caussa:

FIt hic Dolor èx solutione vnitatis. Soluitur autem vnitas à pluribus causis;propterea etiam plures sunt Doloris differentiæ. Aliquando est flatus vel cauitate contentus,vel membranis inclusus:quandoque est humor multus, aut fex copiosa;nōnunquam humor acris,& mordax,vel salsus,vel biliosus: sunt aliquando vermes;nonnunquam Lapis inuentus,colicos dolores acerbissimos effecisse legitur. Auctores sunt Fernel.lib.6 pathol.10.Anton.Beniuen.de admir.cap.9. Hollerius in schol.ad cap.41.de morb.inter. Est nōnunquam Inflammatio:Sed hac diximus in cap. de Voluulo siue de Ileo.Istæ materiæ que Dolorem faciunt,vel generantur ex cruditate ventriculi,vel colliguntur,vel quia adstringitur aluus, vel quia transmittuntur,vel à capite, vel à toto corpore,vel ab alia parte determinata.

Signa.

VIdetur quidem hic Dolor cognitu facilis; est tamen difficilis.Habet enim maximā affinitatum cū doloribus Renum,vt propterea confiteatur Galenus 2. de loc. aff. 4. se dolorem Colicum existimasse esse Nephriticum.Sic tamē distinguuntur:Dolor Colicus aliquādo est supra regionem renum,habet vomitus potiùs simplices,quàm varios,aluus medicamentis,aut clysteriaus non respondet, & si quę excernuntur spumosa sunt,quasi bouina stercora,& aquæ supernatant;mobilis est aliquando Colicus Dolor: Cōtra verò in Nephritico vomitus sunt varij,pituitosi,biliosi,nonnunquam sunt supra vmbilicū,& exiniectis clysteribus, deiiciuntur feces naturales,nec tamen subleuantur patientes, præterquā quod ab initio tenues emittunt vrinas,postea verò crassas,& fabulosas.

Causæ Doloris sic distinguuntur:Si fuerit flatus Dolor est tensiuus,murmurationes & rugitus multi venter est inflatus,& percussus resonat in modum tympani.

Si fuerit pituita,facilè cognoscitur ex habitu, & temperamento patientis,ex vita anteacta, ex vrinis,crudis alui excrementis, spumosis albicantibus,&c. vitreis viscidis: in quo casu proprietas etiam Doloris humorem docet;Est enim dolor,vt docet Galenus 2. loc. affect. 5. perforatiuus

rfuus. Dicunt patientes se quasi palum quendam intestino infixum sentire. Et hæc doloris species illa est, quę Galenum decepit; nam dolor hic vsque adeo fixus speciem calculi præ se ferebat.

Si dolor fit ex biliosis humorib. Dolor est mordicatiuus, adest sitis, amaritudo oris, alui excrementa sunt biliosa, quandoq; febris adest, pręcessit vsus aut dulcium, siue sint saccharata, siue mellita, aut acrium, & aromatum.

Prognostica.

HIc affectus multiplicem habet exitum; nam qui fit ex flatu aliquando desinit in Hydropem. Est sententia Hippocratis 4. aphorism. 11. Diuturni dolores circa vmbilicum in Siccũ Hydropa desinunt. Qui fit ex flatu, vel pituita superueniente febre sanatur, ex eodem Hippoc. 6. aphor. 40.

Permutatur quandoque in Paralysin. Hoc notauit inter cæteros Paul. Æginet. lib. 3. ca. 18. & lib. 8. c. 43. 13. Post Æginetam Recentiores plurimi illud ipsum obseruarunt: Et tametsi Paulus existimauerit illam Colicam, quę desinit in Paralysin ex biliosa materia fieri. Recentiores tamen inter quos est Erast. lib. 4. suarum disput. cont. Theophrast. Paracels. existimarunt, fieri ex pituita colliquata, & attenuata, quia hic affectus frigidis regionibus, vt Germaniæ, & Britanniæ cõmunis sit. Denique desinit hic affectus in Arthriticam: quinimo mutuo aliquando se excipiunt hæ passiones Arthritis transit in Colicam, & Colica in Arthritidem. Hoc docuit Hippoc. 4. in 6. Epid: 3. Ex quo loco etiamsi non colligatur nomen Colicæ, colligitur tamen affectio. Nam scribit Hippocrat. ille in colum dolebat superueniente arthritide meliùs habebat.

Curandi leges:

PRo curandis Colicis occurrendũ est & causæ & symptomati. Cùm autem Causa sit vel calida, vel frigida: De calida nihil ampliùs dicam in præsentia; tota enim hæc curatio colligitur partim ex curatione Voluuli ab inflammatione oborti, partim verò ex iis, quæ dicta sunt de intestinorum torminibus, siue incipiente Dysenteria hoc vnum in præsentia repetere sufficiat: Colicum Dolorẽ refrigerantibus quandoq; tractari, idque fecisse Gal. 12. meth. 7. qui adolescentem Colica biliosa tentatũ sanauit ptisana, succo granatorum, aliisque refrigerantibus, & adstringẽtibus. Idipsum colligere licet ex Paulo lib. 3. c. 43. qui Colicam proponit Epidemicam in conuulsionem aut paralysin desinentem, quæ fœliciter curabatur frigidæ potu, intybo, cichorio, vno verbo, refrigerantibus.

Transeo igitur ad frigidam materiam, quę vel corpulenta est, vel flatuosa. Et corpulenta quidem, siue vitrea sit, siue mucosa, & crassa, sanatur attenuantibus, incidentibus, abstersoriis, euacuantibus, calorificis & siccantibus. Flatuosa verò digerentibus.

A Circa vsum Attenuantium accipiendum est Galeni consilium 12. met. 7. ne scil. præsente copiosa materia valida attenuantia, vel intrinsecùs vel extrinsecùs omnia accipiantur.

Nam humorem attenuatum in flatum vertunt, sicq; dolorem augent. Hanc ob causam in consulationibus meis sæpe dixi flatum à colore fieri non modò magno, sed etiam imbecilli. e. g. si pituita multa abundet; tunc enim flatus gignuntur; sint itaque attenuantia Oxymel, vel simplex, vel compositum, admisto etiam scillitico,

B syrupo de betonica, de mentha. Prębeantur verò hi syrupi sine diluto; nam si dilutum ex calorificis conficiatur flatum augebit.

In Clysteribus pariter admiscendum mel rosat. ipsum oxymel in eundem finem, & quando morbus dat inducias per duos, vel tres dies administranda sunt hæc præparantia: postea verò euacuandus est hic humor.

C Euacuatur autem fœliciter aut vomitoriis aut clysteribus. Vomitorium verò sic paratur:

Recipe Pulu. rad. asar. drach. i.
Oxymel. vnc. iij. M.

Prębete in Iuris vnc. vj. vel vnc. viij.

Sit Clyster talis:

Recipe Pulp. colocynth. in petitia ligat. drac. i.
Flor. chamomel:
Aneth. Melilot. an. P. i.
Puleg. Rut. Calamenth. an. M. sem.

f. decoct. secundum art. facta express.

D *Recipe Præd. decoct. lib. i.*
Hier. pro clyst.
Benedict. an. vnc. sem.
Mel. rof. Ol. rut. an. vnc. iij.
M. & f. clyster.

Possunt quoque medicamenta præberi per Os & si humor Leuioribus possit educi laudo supra modum, vt fortia dimittantur. Experiamini itaque vtrum sola hiera simplex, & mel rof. solut. possint id prestare.

Dabitis ergo *Spec. hier. vnc. sem.*
cum *mell. rof.* f. boli.

E Deinde superbibatur *Mell. rof. solut. vnc. v.*
Dissol. cum portione *Iur. alterati cum sem. cit.*
Sed quia difficilimum est Colicos Dolores patientes leuioribus purgare, idcirco ad Fortio deueniendum.

Scio quidem Leonhardum Fuchsim 2. paradox. parad. 14. improbasse purgantium vsum in Colica, forte quia vidit Gal. 13. meth. 11. prohibentem medicamenta purgantia in intestinis laborantibus: pręterea, quòd videat eundem Gal. 12. meth. c. 7. in Colica vsum fuisse hiera tantùm

F picra ex simplici aloe & aromatibus facta, additque neque Paulum, neque Aetium aliis medicamentis vsos quã mitioribus & recentiores hunc purgantium vsum ab istis communiter vocatis Practicis accepisse.

His non obstantibus existimo aliquando purgantia valida esse necessaria; nam in Colico Dolore duo hæc plerunque connectuntur Dolor, & Alui adstrictio insignis, vt neque clysteres validi, neque Lenitiua etiamsi copiosa possint aluum subducere. Quid igitur tunc agendum?

dum? Estne exspectandus Voluulus? Si in Voluulo, in quo vires sunt imbecilliores, nemo purgantium vsum recusat, cur in Colica, vt præseruetur patientes à Voluulo, non conuenient purgantia? Profectò conueniunt, sed in materia frigida. Deceptus est Fuchsius, quia fortè legit Pauli, & Aetij tantùm sententiam de materia calida, nó frigida; nam Paulus loquens de frigida proponit Catapotia, Euphorbium, Scammonium accipientia. Aetius in eodem casu laudat hierá Archigenis. Quomodo ergo asserit Fuchsius Paulú, & Aetium nunquam in Colica purgantia adhibuisse? Quod etiam subiungit hunc vsum esse a Practicis acceptum, ostendit illú aut non legisse, aut oscitanter legisse Arabes, apud quos omnes inuenientis probari Diaphœnicon, Electuarum Indum, hieras magnas, pilulas purgantes, validas. Itaq; accipienda sunt purgantia. Et ego, vt ingenue dicam, vno die plures Colicos seruaui medicamento frequenti.

Recipe Diaphæn. vnc. sem.
Spec. hier. vnc. iij.
M. & cum sacc. f. Boli.

Non tamen improbo illos, qui admiscent, aut cum oleo amygd. dulc. aut amar. trochiscos Alhandel ad gr. v. vel vj. aut præbent pilulam ex his confectam: postea dant vnc. iiii. olei amarat. & vnc. ii. dulcium. Quòd si ad euitandam fluxus suspicionem accipiamus Rhasis consilium, vt scilicet purganti medicamento aliquid opij adijciamus, hoc non improbatur. Exempli gratia; Si volueritis præbere diaphœnicum cum hiera addatis Philon. Rom. aut recent. Theriacę drachm. sem. Hæc autē purgatio aliquando pro dolorum magnitudine, & cōtumacia secundo, & tertio est repetenda, interposito duorum dierum, vel triū interuallo, quo tempore clysteribus & pręparantibus est agendum.

Euacuata magna ex parte materia, flatus est discutiendus. Discutitur internis, & externis. Ex internis assumptis nihil præstantius Electuario ex baccis lauri: datur vnc. sem. Hera simplex, si quotidie ad drach. j. ex vino aromat. absinthio etiam alterato accipiatur, multum prodest. Iuuat Diacyminum, Diatrionpipereon, Aromaticum rosatum, Theriaca antiqua. Pro agrestibus allium summopere facit, laudaturq; à Galeno in illo 12 meth. cap. 8. Omitto ius galli antiqui, cuius mentionem feci in super. lect.

Imponuntur suppositoria, quæ sic parentur.

Recipe Cymn. anis. dauc. an. drach. sem.
Spec. hier. drach. i.
Mell. q. s. m. f. suppos.

Fortius agunt Clysteres, qui sic componūtur;

Recipe Semin. cartam. vnc. sem.
Cymin. Anis.
Fœnic. Dauc. Sesel an. vnc. i.
Sem. lin. fęnugræc. an. vnc. ij.
Ruc. Bacc. lauri an. drach. vi.
f. decoct. s. art. deinde
Recipe decoct. dicti lib. i.
Hier. pro clyst. drach. vi.
Elect. de bacc. laur. vnc. sem.
Ol. rut. laur. an. vnc. i. M.

Loco decocti quidam, & benè accipiunt vinū maluat. alii vrinam pueri, & profectò iuuat. Quādoque mirificè iuuant Clysteres, aut ex solo oleo vel rutac. vel laurino, aut addito castoreo, pipere, pyrethro ad drachm. i. pro singulo. Extrinsecùs multa proponuntur. Mihi hæc sunt familiaria. Primum quidem fomentum ex furfuribus miliariis, calfactis in vino odorato. Est medicamentum facilè parabile, & præstantissimùm, quo vnico, vt ingenue dicam, Colicos ex flatu curare consueui. Fæliciter quoq; adhibetur calidus cini in scutella linteo contecta. Valet mirificè cucurbitula magna vmbilico apposita, quam dicit Halen. in illo 12. meth. cap. 8. effectum facere in cantationi similem. Sunt quoq; fomenta humida ex decoctis similibus illi, quod proposui pro clystere. Sed inter cętera vidi etiam momento temporis Dolores curatos ex glomere fili crudi calentis impositi ipsi ventri. Sed qui plura voluerit aduersus flatuosam materiam legat Gal. 9. de comp. per loc. c. 4. à quo accepit Aet. & Rhasis.

De Symptomatis, hoc est Doloris ipsius per se curatione.

Symptoma, vt symptoma, Dolor scilicet, tribus modi. superari solet: Anodinis, stupefacientibus, & agentibus à tota substantia.

Inter Anodina sunt fomenta, quæ per spongias, aut vesicas bubulas ventri adhibentur ex decocto maluæ, althęæ, chamomeli, melilot, seminelini, & fęnugręci, aut ex oleis chamomelino, amygdalino, & anethino. Adhibeantur quoq; omenta his oleis imbuta. Fiunt etiam fritagiæ ex ouis, butyro, & oleo camomelin. vel anethino.

Fortiora adhuc sunt balnea totis corpori adhibita, herbis & prædictis seminibus alterata.

Fiunt quoq; emplastra ex farin. seminis lini, fęnugræci, addito butyro, pingued. anatis, anseris, atq; oleo amygd. dulc. & chamomelino.

Si hæc non iuuent tunc stupefactoria conueniunt. Et de calida quidem materia nulla est dubitatio. De frigida existimant quidem Græcos in frigida materia opiata non admisisse; sed, ni fallor, decipiuntur; quando enim Gale. 9. de comp. med. per loc. c. 4. commendat Philonis compositionem, inter cętera inquit, illam recipere medicamenta, quę crassos, & viscidos humores incidere, & attenuare possunt, atq; ideo Colicis omnibus opitulari; calidi enim humores attenuantibus, & incidentibus non egent. Itaque si vehementia Doloris vrgeat, etiam in frigidia materia ad opiata confuguiendum est. Vtitur Galen. 9. de comp. loc. ca. 4. 12. meth. 8. opiatis & intrinsecus, & extrinsecùs, & assumpti, & impositis, vel iniectis in sedem.

Assumuntur autem vel scrup. ii. vel drac. i. Philon. Rom. loco iam cit. descripti, aut tantundem theriac. recentis. Fit quoque suppositorium ex lana, quæ imbuitur sapa, in qua dissolutum sit opium, aut fiunt clysteres, qui recipiunt decoctum papaueris albi, hyoscyami, mandragoræ, aut in

in decocto, præced. lect. descripto, dissoluuntur opij gran. ij. vel iij aut drac. sem. Philo. Rom. aut recē- A tis Theriacæ. Ceterùm sicut in causa calida opiata sanant symptoma, & causam, quia calidum succum refrigerant, & tenuem, ac mobilē incrassant, & immobilem reddunt; ita frigidam materiā lædunt, & ad excretionem ineptam efficiunt. Itaq; statim corrigēda opij malitia epoto Castoreo ad drach. i. vel in potu vel in clystere.

Extrinsecùs vmbilico apponi possunt hæc opiata, succo tamen Limonum, vel aceto acerrimo permista. B

Neque prætermittantur illa, quę à tota substantia prodesse creduntur, vt est intestinum Lupi alligatum, vel ad drach. i. in puluere exhiberi. Laudatur quoque eiusdem Lupi stercus exsiccatū, & puluerizatum, & coxæ appensum, aut accipiantur ossa, quę in eodem stercore reperiuntur. Laudant alij Galeritam vocatam vstam, & in cinerem redactam ad drachm. i. Plura vide apud Aetium, & Gal. lib. 9 comp. loc. 4. & Holer. cap. de Colica. C

Victus Ratio.

Qvod ad victum spectat, hoc tantùm moneo: In Colica ex succis biliosis tenuem victum obesse, qui alioquin in frigida materia est apprime necessarius.

DE LVMBRICIS. Cap. XXXI. D

Lvmbricos inuenio Galen. aliquando Ἑλμινθας vocasse, nomine scil. communi ad Longos, & Latos Lumbricos, vt 13. meth. 17. & 19: aliquando autem Helminthos nomine solùm Teretem intelligit Vermem.

Differentia.

Antequam Vermium naturam & caussas explicem, quàm breuissimè eorum differētias vobis proponere decreui, vt sine difficultate apud Arabes & Græcos versari possitis. Quandoquidē si ad Hippoc. & Celsum respiciamus duæ sunt differentiæ; si ad Galenum tres; si ad Auic. modò tres, modò quatuor. Facilè componuntur Scriptores. Vermium duæ sunt differentiæ; alii enim sunt Longi, alij Lati dicuntur, de quibus Hippocr. quarto de morbis. Hos Latos Hippocr. 3. Aphor. 26. vocat Ἀσκαρίδας, ita vt Lati, & Ascarides apud ipsum sint vna species: sed isti Lati aliquando includuntur membrana, nonnunquam sunt disiuncti, & nulla inuoluti membrana. Quādo membrana inuoluuntur, hæc membrana aliquando circūdat omnia intestina, & isti Vermes sunt exporrecti secundum longitudinem huius membranæ, ita vt videatur vnus morsu alium complecti, & sic constituunt vnum corpus, quod aliquando excedit longitudinem 5. & 8. & 10, & 12. & plurium cubitorum. Et ego semel vnū vidi, qui decem cubitos excedebat. E F

Imitatur autem hic Vermis in figura & longitudine & planicie vittam, vt propterea vocetur Græcis hic Vermis sic compositus modò Ταινία modò Κειρία, modò ἕλμινς πλατεῖα idest Lumbricus Latus, qui non differt à prioribus Ascaridibus, nisi quatenus illi Ascarides sunt sine mēbrana, & disiuncti; isti verò includuntur in hac membrana, & mutuò se tangunt. Gal. 3 aphor. 26 tertiā adiunxit Lumbrici speciem, sicuti & 14. method. 17. 18. & 19. Aliquando hic Latus Vermis disrumpitur, & excernuntur per intestina frustula, quę æmulantur semina cucurbitæ. Nam Vermiculus inclusus est in portione membranę, propterea videtur quarta species Vermis, quem Arabes vocant Cucurbitinum, at non est quarta species, est Lumbrici Lati portio, & Lumbricus Latus conflatus ex membrana & Ascaridibus: Propterea sicuti dicebam duæ tantùm primæ sūt Vermium differentiæ, quæ tamen & tres, & quatuor dici possunt. Dixi primas, quia Vermis Longus multas habet sub se specialissimas species. Dantur enim Vermes Longi, qui habent pedes; alij villosi sunt; quidam habent caput cum cornibus, vt potestis legere apud Marcel. Donat. lib. 6. ca. 26 Hieron. Taurinum in suo de Lumbric. ca. 13. Trincauel. lib. 9. ca. 10. Ant. Beniu. lib. 9. de ad mirand. cap. 2. *Vermis Cucurbitinus.*

Caussa.

Lvmbricorum propositæ differentiæ suas habent causas, & generationis locos, tam in genere, quàm in specie. In genere quidem Vermiū sunt causæ materiales, & efficientes.

Materialis quidem putrida pituita, non quidē mucosa, aut vitrea propter insignem frigiditatē, neque acida propter eandem causam, quicquid in oppositum sentiat Nicol. Flor. & alij, qui ex acida pituita Paruos Vermes gigni putant. Id autem faciunt, quia cùm putent, sed falsò, vt dictū est, quatuor esse Vermium differentias, (Volunt enim vnamquamque ex propria pituitosa materia oriri) quatuor constituunt pituitæ species, Insipidam, Dulcem, Salsam, Acidam, ex quibus quatuor etiam inquiunt fieri Vermium species: sed sicuti falsum est plures esse quàm tres Vermium species, ita falsum est ex acida pituita Vermiculos gigni.

Causa efficiens est calor triplex. Innatus partis seu loci Putredinalis, Qui educitur ex materia putrescente, & Ambientis, qui cœlestis dici potest. Causam omitto finalem; dixit enim Auic. ideo genitos esse in corpore Vermes, vt superfluitates intestinorum absumerent, & corpus à putredine vindicarent. Locus sunt Intestina. Non inficior etiam in ventriculo gigni posse: & quamuis Galen. 5. de loc. aff. 5. locum generationis Vermium dixerit esse Intestina, & 2. acut. 54. 24. ait ex intestinis in ventriculum ascēdere, loquitur de hac triplici Vermium specie; non tamen negat, quin Vermes alterius formæ, & figuræ & in ventriculo, & in aliis plerisque corporis partibus gignantur, vt ipsamet docuit experientia. *Causa finalis Vermium ex Auic.*

In specie: Vermes, qui Flaui sunt, ex materia pituitosa bili commixta oriuntur, sicuti Nigri ex permistione succi melancholici, Rubri ex partici-

cipatione ichoris sanguinei Villosi ex admistione pinguis, & vnctuosæ materię, de quibus in lib. de Plica. Hac verò ratione facilè conciliatur Oribasius cum reliquis Medicinæ scriptoribus; ipse enim solus censet ex materia biliosa, melancholica, & sanguinea Vermes gigni. Si arbitretur absque pituitæ fundamento Vermes gigni posse, decipitur: sed si id tantùm velit misceri alios humores cum pituita, non est à ratione alienum.

Locus etiam facit vermium distinctioné; nam Parui in recto intestino generantur: idfit, vt scribit Auic. quia putrescens materia ob continuum excrementorum exitum in multas diuiditur particulas, tot verò fiunt Vermes, quot sunt particulæ humoris putrescentis distinctę. Latus Lumbricus fit in intestinis crassis in tota coli longitudine. Eius tamen generatio est ex membrana intestini interiore separata, & abrasa, vt voluit Hipp. 4 de morb. cui adhærent Paul. & Aet. sed gignitur illa tunica ex pituita intestino adhærente, & paulatim extincata.

Teretes Lũbrici in gracilibus intestinis producuntur, atque ideo facilè ventriculum petunt. Horum numerus oritur. Auic. auctore, ex separatione materię putrescentis. Fit autem hæc separatio propter iecoris attractionem, sicuti enim quotidie chylus pituitosus generatur, ita quotidie iecur partem huius chyli ad se trahit (loquor auté nunc de crudo & pituitoso) portio autem in intestinis remanet, quæ putrescens in Vermem transit.

De Causis Mediatis.

EX his colliguntur causæ mediatę; Vel enim augent pituitam, vel calorem, sed putredinalem. De augentibus pituitam nihil dicam in pręsentia; omnes enim causę, quas diximus ventriculi cruditatem parere, siue sit intemperies frigida, siue morbi instrumentarij & communes, siue externus error in cibo & potu, & aliis rebus nõ naturalibus, dum pituitam augent, possunt Vermes etiam generare, si calor putredinalis accedat. Idcirco in pueris à dentitione ad pubertatem plurimi fiunt Vermes, quia augetur cruditas, & propter abundantiam calidi humidi facilè putrescit. Hinc dulcia, & pinguia putantur vermes gignere, non quòd propriè hæc sint materia (quanquã, si in multa copia accipiantur, possunt euadere materia) sed quòd magna ex parte ad Vermium productionem concurrunt, vt quæ augent calorem humidum putredini idoneum. Idcirco in febribus etiam putridis facilè gignuntur vermes: Ipsi tamen non generant, quicquid hac de re scribat Hippocrat. 4. de morbis, qui Lũbricos teretes parere scribit.

Signa.

IN proponendis Vermium signis vniuersalia omittam, & in specificis tãtum versabor; Qui enim habet signa specierũ, habet etiam generis.

Lumbrici igitur Parui cognoscuntur ex titillatione, & pruritus, ex tenesmo, quem circa rectum intestinum faciunt. Pruritus est quandoq; ita ingens, vt etiam animi deliquium vel conuulsioné inferat; Apparent verò in excretis fecibus illi Vermiculi plerumque.

Latus verò Lumbricus cognoscitur ex ingẽti fame, quæ ad differentiam famis factæ ob humores acidos, nõ habet vomitum connexum à cibo, & ad differentiã illius, quæ fit ab inanitione corporis, est sine corporis macie. Hi igitur cibi maximã portioné ingerunt neque euomunt, neq; grauitaté, aut anxietatem vllam sentiunt; imò paulò post assumptum cibum iterum esuriũt, pluries in die comedunt, & nisi comedant, in animi deliquium incidunt, dicuntque sentire grauitatem & anxietatem circa Iecur, Ventriculum, & Renes.

Vermes autem Longi cognoscuntur ex multiplici animalium, vitalium, & naturalium functionũ læsione. Læduntur functiones animales, quia fiunt conuulsiones, epilepsiæ, somni profundi, deliria, quandoque somni perturbati, vt in somno quandoque surgant, clament, nonunquam dentibus strideant, labyum verò moueant, quasi cibum assumerent; oculorum palpebræ in dormientibus sunt semiapertæ, tinnitus aurium, facies mutat colores; quandoque valde rubent maxillæ, paulo post pallescunt, dormientibus saliua exsiccatur; vigilantibus ex ore profluit: pulsus sunt valde parui, & inęquales myuri, seu deficientes, cordis palpitationes fiunt, lipothymiæ, syncope; adest oris fœtor, inappetentia, nausea, vomitus, singultus, dolor, & anxietas, venter totus inflatur in modum tympanitidis, & sicut in Lumbrico Lato quæ deiiciuntur, liquida, & spumosa sunt, sic in Lũbrico Tereti exsiccata apparent; imò aluus adstringatur: numerosi enim Vermes excrementa omnia assumunt, & quia nauseam & vomitum pariunt, patientem non permittunt vti alimento.

Prognostica.

ET hac de causa multi moriuntur: aliquando fit, vt vermes ex alimenti defectu non tantũ ascenderint ad os ventriculi, imò ad gulam vsq; vt per os & nares exierint, sed etiam interdũ, teste Paulo, & Trincauelio, quod & ipse obseruaui in quodam puero Veneto, perforant totam abdominis regionem, & per illam excernuntur parté aliquãdo tamé pauci, & minores, vt scribit Auic. iuuant corpus, quia superfluitate absumunt, sed hoc dictum intelligendum est extra febres. Nam in febribus, si in principio appareant, sunt signa insignis malignitatis, fugiunt enim à malignis humoribus, & tunc viui excernuntur; in augmento verò mortui educi consueuerunt, & isti sunt insignis malignitatis indicia, quæ potuit ipsum Vermem extinguere; sicque conciliantur inuicem Paulus & Aetius; Paulus enim, cũ quo sunt Arabes, scribit Vermes mortuos esse deterius signum, quam viuentes, Aetius scribit oppositum. Conciliantur, vt dixi, quia intelligendi sunt de varia temporum excretione; nam si in declinatione morbi educantur, bonum est signum, vt docuit Hipp. 2. progn. 17.

Præseruatio.

DVm sermonem conuerto ad materiam medicam, loquar primùm de præseruatione, deinde verò de curatione. Preseruatio à Vermibus in duobus est posita: Primo quidem in celebranda optima coctione. Secundo in abluendis detergendisq; pituitosis excrementis, quę in intestinis colliguntur: Primum caput aliàs copiosè, ni fallor, absoluimus. De secundo dicam pauca. Eligenda sunt in alimentorum vsum, quæ pituitam incidunt, & detergunt. Inter hæc est primū panis à furfuribus non probè mundatus, syncomistus propterea vocatus, sale, & feniculo conditus, sunt omnia salita, præcipuè verò oliuæ, & cappares, acetum omnibus modis conuenit in acetariis, & condimentis, sicut & alia acida, vt succus limonum, & aranciorum. Idcirco conuenit, vel syrupus acetosus, vel iulep acetosum: In eūdem vsum faciunt acria, pręcipuè verò cœpam illam Ascolonium vocatum. Omnes Medicinæ scriptores laudant etiam vsum sinapis, dummodo febris non adsit. Cætera, quæ ad victum pertinēt, possunt colligi ex capite de Cruditate.

Curatio.

TRansèo iam ad curationem. Distinguitur curatio primo ratione loci, & specierū Vermium.

Nam Parui Ascarides, qui sunt in intestino recto, curantur potissimùm insessione, illitione, & suppositoriis. Insessio fit in lacte: Illitio fit ex butyro, aut simplici, aut melli commisto: Suppositoria fiunt pariter vel ex melle, vel ex butyro. His enim dulcibus, & vnctuosis libenter adhærēt vermes. Fortius est suppositorium ex Larido; Quidam laudant etiam suppositoria facta ex resina aliqua, aut visco, vt Vermes abhorreant.

Latus Lumbricus curatur medicamentis euacuantibus, aut tantùm interficientibus. Euacuantibus quando non adsit fluxus alui: Interficientibus cùm adest fluxu. Euacuantia sunt vel Clysteres, vel Medicamenta. Clysteres in Lato Lumbrico debent esse acres, & valentissimi cōtra quā fieri oportet in Longis Lumbricis, qui à Clysteribus acribus irritati ventriculum petunt, & praua inferunt symptomata Sed in Lato Lumbrico nullum est periculum: idcirco fiant clysteres ex decoctis interficientibus, & educentibus Vermes, gratia exempli potest fieri Clyster talis:

Recipe Lupin drach. i.
Dictamn. alb.
Scord. Cret.
Absinth. marin. an. M. i:
Marrub.
Hyssop. Matricar.
Colocynth. in petitia ligat. drach. i.
f. decoc. s. a. & facta express.
Recipe dict. decoc. lib. i.
hier. diacolocynth drach. ij.
Mell. ros. Ol. camom an. drach. iiij. M.

Quę assumuntur, debent quoque valida esse; neque enim Latus Lumbricus ad dulcia mouetur aut à lenientibus educitur. Conueniunt itaq; hieræ magnæ, pilulæ fortes de hiera cum agarico, cochię, & alia electuaria, quæ Colocynthidē recipiunt. Quidam habent pro secreto huinc puluerem.

Recipe rad. filic. fœmin.
Costi amari an drach. ii.
Corallinæ, quæ est muscus marinus,
Matricar. Scord. Cretici.
Dictamn. alb. Absinth marin an. drach. i.
Aloes Turbith. an. drach. s.
Colocynth. drach. ij.

Puluerentur omnia, & addatur saccharum ad pondus omnium. Huius pulueris ratione ætatis detur drach. sem. vel drach. i. vsq; ad drach. ij. aut in bolo excepto puluere cum melle, aut in vino, vel iure.

Sed si alui fluxus adsit, neque clyster, neque medicamenta hæc locum habent. Idcirco tunç tantùm agendum vel euacuantibus, quę fluxum non augeant, vel interficientibus Vermes. Quæ euacuant præsente fluxu absque periculo sunt aquę thermales, pręcipuè salitæ, siue tectucianæ, seu id genus aliæ. Iuuant & alię, sulphuratę, aluminosę, & nitrosę; neque enim tantùm subducunt, verùm etiam propter aquę copiam Vermē intestino adhęrentē emolliunt, & separant, quòd si aquarum copia non adsit, agendum interficientibus.

Quę interficiunt, amara sunt vel acria, vel austera, vel salsa, vel acida. Sed in Lumbrico Lato, in quo pituita multa abundat, nihil meliùs amaris. Gal. 14. meth. vlt. ad Lumbricum Latū laudat filicem fœminā. In eundē vsum faciunt amygd. amaræ, præcipuè persicorum, absinth. illud marinum, scordium, costus, & alia quæ proposui in puluere.

Ad Lumbricos Teretes conueniunt pariter vel euacuantia, vel interficientia, & hæc omnia vel sunt interna, vel externa.

Nota.

ANte omnia illud moneo non placere mihi illud Galeni, & aliorum consilium, vt Vermes Teretes primùm interficiantur, postea educantur; siam, vt intellexistis, quæ interficiunt, aut amara sunt, aut acria, aut acida, & austera. Itaque amara, & acria suo calore lædunt, & Vermes iā necatos in putredinem agunt, qui etiam sponte sua putrescunt: austera & acida pariter adstringunt; in Vermibus autem adstrictione non est opus, si aluus vltra modum non fluxerit. Sed concedamus amara, & acria Vermes interficere, & nō officere; nonne melius est, si id fieri possit, quamprimùm Vermem educere, quàm illum necare, & postea medicamentum exhibere, quod illū educat? Dicunt isti: vbi mortuus est, faciliùs educitur: hoc plerunque falsum est; nam euacuatio per triā medicamentorum genera fieri solet, aut per quædam dulcia, & lenientia; aut per agentia à tota substantia; vel per purgantia valida. Leniētia dulcia mortuos Vermes non educunt, dulcia ideo educunt vermes, quia alliciuntur, & simul cum

cum esca illa dulci, quæ aluũ soluit, educuntur. A Quæ agunt à tota substantia indiscriminatim, & viuos, & mortuos ducunt. Validiora autem purgantia sunt amara, ita vt vno & eodem tempore & interficere, & subducere possint. Frustra ergo præmittuntur purgantia necantibus.

Quæ ergo leniendo subducunt sunt Cassia, Manna, Mel ros. sol. Diaprunis. Sed præ cęteris omnib. celebratur Diasebesten, & experientia comprobatum est his fructibus, quos Myxaria vocant, vermes summopere delectari: eandem ob causam nonnulli concedunt oleum amygd. dulc. B quod lubricando agit.

Quæ agunt à toto substantia sunt Cornu ceruinum, Cornu vnicornu, Terra lemnia, Lumbrici terrestres exsiccati, & puluerizati.

Purgant autem electiuè Agaricus, Turbith, Colocynthis, Bryoniæ radix, Cucumer syluest. quæ omnia aliquando sunt necessaria ad debellãdos multos, & malignos Vermes. Possunt autem in pueris paruis hæc saccaro inuolui: propterea nunc in vsu est semẽ santonici saccaro incrustatum. Possunt etiam eodem modo saccaro condiri semen brassicæ, Corallina seu muscus marinus. Ego etiam pueris pituita abundantibus fœliciter plerisque exhibere consueui trochiscatum C agaricum in placentulis saccaro cõfectis vel cum iulep acetoso. His etiam pueris possunt propinari in panatella pilulę paruæ ex aloe, aut rhabarb. in iisdem placentulis.

Sunt qui existimant Argentum viuũ Vermes subducere multò meliùs, quã alia medicamenta.

Plebeiæ mulieres vtuntur etiam & feliciter duobus cochlearibus lixiuii, & vno olei omphacini, & multum iuuat ad subducendos Vermes. D

Clysteres in his casibus semper debẽt esse molles, sine oleo, & sale, sed duntaxat ex lacte sacc. & butyro. Quòd si adsit fluxus alui, cùm euacuãtia non conueniunt, vtendum, vt dixi, interficientibus: & si febris adsit prætermittenda acria, & amara; eligenda verò acida, & austera, vt succus limonum, citri, arantiorum, rhibes, granatorum, rosarum, rhois rubri, semen plantaginis, & ea, quæ agunt à proprietate.

Denique extrinsecùs quoque conueniunt interficientia, & subducentia, siue sint epithemata, E quæ fiunt ex foliis Persici, & Absinthii conspersis aceto acerrimo super tegula calente, aut sint linimenta: Horum multæ sunt formæ, sed vnica mihi familiaris.

Recipe Myrrhæ, Aloes an. drach. i. ſ. }
Fell. bouin. Succi limon.
vel *Acet. acerr. an. q. ſ.*
M. & fiat Linimentum.

Imponatur autem & in parte ventris anterioris, & circa duodecimam spinę vertebram. Omitto Theriacam, oleum Monachorum S. Iustinæ, F & alia apud auctores.

DE PROCIDENTIA ANI. Cap. XXXII.

CVm de Intestinorum affectibus hactenus dictum fuerit, antequam ad Renũ, & Vesicæ affectiones descendam, decreui eos affectus explicare, qui Ani vocantur.

Cùm autem circa hanc partem musculi sint, & venæ, idcirco varia contingunt symptomata, & morbi, alii proprii musculorum, alii venarũ, alii totius partis. Ad musculos pertinet Procidentia Ani seu intestini recti, siue exitus Ani, & Inuoluntaria fecum excretio. Ad venas verò duo affectus, alter spectat ad nimiam sanguinis excretionem, alter ad nimiam sanguinis retentionem. Ad totam partem pruritus, rhagades, condylomata, thymi, ficus aliaque vlcera & fistulæ, de quibus nolo prolixiùs dissere, partim quòd in tractatu de Morbis Muliebribus de quibusdam dicatur, & quòd potiùs ad chirurgum pertinent, & denique quia restant absoluendi alii affectus, qui sunt maioris momenti. Itaque in pręsentia agam de Ani exitu, & de affectibus Venarum Sedalium.

Quantum ad Procidentiam, est morbus in quo Intestinum ipsum excernitur extra proprium locum, & pro arbitrio non potest intromitti. *Est ergo Procidentia Ani inuoluntarius quidam exitus, & impedita retractio intestini ob imbecillitatem.* Hoc vitium fit muscu lorum affectu, qui duo sunt in Intestino Recto, & ij quidem recti, quibus demandatum est hoc officiũ. Vbi hi sunt aliquo modo affecti, contingit hic affectus, afficiũtur paralysi, imbecillitate, & aliquo tumore. *Prociden tis Ani quid.*

Paralysis potest contingere in vertebris, & ipsismet musculis affectis. Gal. libr. 1. loc. aff. c. 6. in fine inquit, contigisse puero, qui vtebatur artificio piscandi, &c. Fit etiam imbecillitas ex aliquo affluxu humoris pituitosi, & in pueris frequentissimè. Ex tumoribus denique, dum extendunt musculos, sunt in caussa, vt vbi intestina iã extra missa sunt, indurentur musculi, vt non possint intrare rursus. Habuistis naturam & caussas. *Caussæ.*

Quantum ad Exitum Inuoluntarium excrementorum, propriè pendet ex vitio musculi orbicularis, quem sphincterem vocant. Potest similiter vel paralysi affici, vel imbecillitatem incidere, vel vlcus acquirere. Paralysis patet ex caussis iam propositis: similiter imbecillitas contingit propter intemperiem partis, affluxum humoris pituitosi: tertia caussa magni momenti, quando non potest retrocedere. *Caussæ exitus inuoluntarii excrementorũ*

Cùm ergo hæ sint caussæ, ad Signa me conuerto: Sunt vnicuique conspicua. Si fiat propter paralysin, certissimum est, in hoc casu nullum esse excretionis sensum, nec caloris, nec acrimoniæ. *Signa.*

Si propter consensum vertebrarum, pręcessit ictus, aut alia violentia externa, & simul cum lęsione huius partis aderit etiam læsio in omnibus propinquis.

Si fiat propter affluxum humoris pituitosi, cognoscitur, quia intestinum, vbi foras propendet, laxum est, repletum mucore pituitoso, & facilè intromittitur. Si propter aliquem tumorem, tactu & visu deprehenditur. Si inflammatorius, dolor insignis cum rubore: si absq; inflammatione, nõ admodum insignis, & absq; rubore.

Quan-

Quantum ad inuoluntarium exitum excrementorũ: paralysin cognoscetis propositis signis; imbecillitatem, quod excrementa quidem retinentur, sed vix tamen: Vbi soluta vnitas intestini, minimè retinentur excrementa. Si præcessit fractura, patientes referent. Si exulceratio, notę apparebunt.

Prognostica. Omnes isti affectus sunt difficilis curationis. Procidentia, quæ non potest amplius intromitti, difficilior, quam quæ potest. Exitus excrementorum inuoluntarius, quando sequitur fracturã, aut incisionem, est prorsus lethalis. Qui verò ex mollitie, aut humiditate, omnino potest curari.

Curatio. Curatio igitur varia est pro varietate caussarum.

Quantum ad paralysin, paucis me expedio, quia pertinet potiùs ad tractatum de Paralysi proprium. Si resolutus sit musculus sphincter, seu alii duo glandibus est agendum ex castorio, sinapi, sagapeno, euphorbio. Exempli gratia.

Recipe sinapi drach ß.
euphorb. gr. vii.
castorij
piperis an. scrup. j.
Mellis scyllit. q. s.
M. fiat suppositorum.

Poteritis inungi hoc suppositorum aliquo oleo ex castoreo, ex piperibus, vel aliqua portione mithridatii, aut theriaca.

Insessiones ex aquis thermalibus etiam prosunt.

Si facta sit propter nimiam corporis humiditatem, habita totius prouidentia, oportet deuenire ad localia, quæ habent vim calefaciendi intestina, intromittenda rursum, & prohibenda, ne rursus labantur, vt

Recipe absynth.
menthæ an. M. j.
rosarum M. ß.
coriandri præparati vnc. ij.
garyophyll. scrup. j.
myrrhæ
thuris an. drach. ß.
gallarum non perforat. drach. ij.

Bulliant in vino nigro austero, & fiat expressio: foueatur intestinum huiusmodi lotione, & postea intromittatur hac ratione.

Accipiatis flor. tapsi barbati M. j. ligentur isti in syndone, & bulliant in s. q. aut vini prædicti, aut etiam aquæ elect. Postea ea ipsa syndone poteritis paulatim intestina intromittere, & denique statim spongiam in vino austero, cum herbis propositis decocto, vel in sequenti, quod magis est, imbutam adhibere, vt

Recipe fol. labruscæ
rhois rubri an. M. j.
capul. glandium
nucum cupressi an vnc. ij.
corticum granat.
hypocystid. an. M. ß.

bulliant in vino austero, f. expressio, spongia intingatur, & apponatur sedi.

Vt corroboretur intestinum, conuenit suffumigatio ex seq. puluere

Recipe cortic. pinearum vnc. j.
myrrhæ
thuris
picis colophoniæ an. vn. ß.

puluerisentur omnia; & hic puluis super prunas mittatur, & circa podicem recipiatur. Vtuntur nonnulli senecta serpentis exsiccata, & puluerisata, ex sententia Aetii.

Si prolapsum sit intestinum propter inflammationem tumorum, reuellentia & mollientia conueniunt.

Quantum ad reuulsionem, fit per venæ sectionem, cucurbitulas scarificatas, & non scarificatas, & per tenuem victum.

Foueatur pars hoc decocto,

Recipe fol. maluæ M. ij.
hordei p. j.
rad. altheæ vnc j.
sem lini vnc. iij.

bulliant in s. q. aquę ad consumtionem medietatis, & fiat expressio, f. fomentum.

Nimia tamen refrigerantia, & astringentia in hoc casu non conueniunt: Sufficit vti anodyno, & mediocriter refrigerante, sale fuit propositum.

Quinimo linimentum huius conditionis,

Recipe mucilag. psyllij
sem. cydo. an. vnc. j. ß.
olei amygd dulc. vnc. ß.
viol.
pinguedin. gallinæ an. vnc. ß. M.

Vbi facta sufficiens emollitio, ea ratione, quã proposui, Intestinum intromittatur. Itaque de hac re sufficiant hæc: Nam quæ ex fractura, vt supra dictum, est insanabilis: Quę verò non, huic insessio in aquis thermalibus potest magnum cõmodum præstare, nec solùm insessio, sed & potus harum, quibus solis nuper sanaui quendam religiosum.

DE HAEMORRHOIDIBUS. Cap. XXXIII.

VEnio modo ad alium affectum, qui pertinet ad venas. Venæ Sedales Hippocrati & antiquis Mariscæ vocantur. 3. in 6. epid. text. 37. quanquam & Hæmorrhoidales vocantur, potius ab affectu, quàm propria substantia. Huiusmodi venę duo affectuum genera incurrunt, nimiam sanguinis effusionem, & nimiam huiusmodi retentionem. *Mariscarum duæ differentiæ.*

Propterea apud Aetium duę Mariscarum differentiæ inueniuntur, quarum alias vocat cæcas, alias apertas. Per cæcas intelligatis, quæ in tumorem eleuantur, per apertas, quæ sanguinem copiosum effundunt.

Omnes istæ venæ excitari solent ex aliqua sanguinis fluxione: in apertis, sanguis ipse, qui fluit, excernitur. in cæcis, retinetur. Qui confluit sanguis, aliquando est sanguis pituitosus, melancholicus, naturalis, mixtus ex rubro, naturali, & melancholico.

Vbi confluit absque excretione, constituit quatuor differentias, in quibus nihil excernitur. *Hæmorrhoidum quatuor differentiæ.*

Primas

Primas vocant Hęmorrhoides Vesicarias,secundas Morales,tertias Verrucarias,& quartas Vuales. Sumserunt has denominationes apud Arabes ex colore,& forma,quam contrahunt.Nam in prima specie tument instar vesicularum piscium. Secunda est,quę vocantur Morales, quę sic dicunt propter figuram,& colorem mori.Nã æmulantur fructum mori nigri,& excitantur ex sanguine naturali. Tertia est Verrucalium.Istę excitantur ex fluxione sanguinis atri,melancholici,sunt minores,quàm Morales. Quarta differentia est Vualium, quæ æmulantur grana vuæ rubræ,partim ex naturali,partim ex melancholico sanguine. Itaque fiunt Hæmorrhoides cœcę in hac differentia quadruplici. A B

Quod si excernatur sanguis, nominantur venæ apertæ. Excernitur autem per anastomosin, vel per diæresin:non dico per diapedesin excerni. Anastomosis fit vel ex Quantitate,vel Qualitate sanguinis,vel vtraque caussa.

Ex quantitate,quando nimium abundat sanguis in corpore. Gal. in libr.de ven.sect. adu. Erasistrat.ca.5 in fi. prætcrea etiam sect.5.aph.33 vbi scribit Hippocrates,menstruis deficientibus sanguis ex naribus fluens,bonum: Inquit Gal. in comm.quòd quidem sit necessarium eum,qui singulis mensibus euacuatur,sanguinem,&c.vide locum,non est sermo de excretione sanguinis melancholici,sed illius, qui solet excerni per menses. C

Fit etiam ex praua qualitate,quando sanguis est valde adustus,biliosus,melancholicus,vel nimis aqueus.

Remotiores caussas potestis sponte intelligere. Ex quibus patent etiam loca,per quę hic sanguis excernitur: Nam potest excerni per tria genera venarum: vnum pertinet ad ramum venæ cauæ,alterum ad venæ portæ,aliud ad venæ portæ,quæ iam inserta est in lienem. D

Quòd ex vena caua, patet ex sect.5. aph. 22. lib.de ven.sect.c.5.sed clariùs ex sect.6.11.12. 21.lib.2.ad Glauc.c.8.& lib.6.de loc.aff.c. 1.

Aliquando tamen potest fieri, vt hic sanguis non possit permeare iecur,teste Galen. lib. 3. de caus.sympt.c. 2. Tertio loco per ramulum descendentem in intestinum restum, cum. 6. in 6. epid.text.8. E

Ex his quę dicta sunt,satis constat,starias esse Hæmorrhoidem,& cœcarum, & apertarum differentias,quarum aliæ desumuntur à figura ipsarum,si de cœcis sit sermo:aliæ à substantia sanguinis,à loco,per quem excernitur,& caussis propter quas,si de fluentibus.

Ex his etiam alia colligitur differentia Hæmorrhoidum : alię sunt verè symptomaticæ,aliæ propriè criticæ. Communi autem nomine etiam symptomaticæ dici possunt,quam rem alias etiã explicaui ex Gal,lib.de sympt.differ.cap.vlt. F

Et propterea hac ratione omnis fluxus sanguinis hæmorrhoidum potest dici symptomaticus toto genere præter naturam; sed tamen vt plurimum contingit, fluxionem quæ dicitur symptomatica,secundùm totam qualitatem esse criticam ratione temporis.

His sic statutis de differentiis,venio ad signa. Hæmorrhoidum cœcarum aliæ sunt externæ, alię internæ.Externæ propriis oculis cerni possunt, vbi squamis piscium similes appareant ex sanguine bilioso; Vbi verò fuerint internæ , deprehenduntur primo ex dolore,secundo ex difficultate egerendi fęces,prætcrquam quòd si clysteres iniiciantur,vel digitis tumor deprehendatur. *Signa cœcarum.*

Apertę Hęmorrhoides deprehenduntur quidem ex sanguine fluente,sed quia fluit aliquando ex intestino recto,aliquando ex aliis, vt thymis, oportet aliquam differentiam proponere. Si ex intestinis excernatur, fit semper cum aliqua excoriatione,& maximis torminibus,& nõ effunditur in magna copia. Contra vbi sanguis est Hęmorrhoidalis,semper est excrementis permistus;Aliquando verò fit vt post excrementa aperiantur venæ sedales, & sic sanguis succedit. Si ex thymis,in tali casu vobis inspicientibus partem manifestè apparebunt,huiusmodi excrescétię,in cacumine sunt crassiores,in profundo tenuiores,exit magna sanguinis copia. *Apertarum.*

Oportet etiam distinguere caussas huius excretionis. Si enim excernatur per diæresin,semper aderunt etiam fluores mordicatiui,& simul cum sanguine excernitur portio saniei.

Vbi nihil tale accidit,& sanguis sit floridus , signum est,quod per anastomosin. Prætcrea cognoscetis,quòd per anastomosin,ex insignis corporis plenitudine.

Cognoscetis autem excretionem fieri ex illis venis,quę ortum ducunt à vena caua, quòd sint magis interiores,quàm quæ à vena portę,& hinc fit,vt sanguis,qui confluit ex liene,vel vena portæ,constituat potiùs Hermorrhoides cœcas.

Cognoscetis etiam affectiones , propter quas excernitur sanguis;nam si admodum ater, coniiciendum est maximam copiam adesse,iecoris caliditatem,& obstructionem.

Quòd si pituitosus,aqueus,& tenuis,ex vitiata alteratrice facultate iecoris,& aliquando etiã totius corporis.

Si excernatur sanguis propter insignem acrimoniam,est valde ruber,& excernitur cum rubore,& subitò,& omnes habent iecur præcalidũ, habitum corporis gracilem,& multa abundant bile.

Quantum ad signa,quæ distinguunt sanguinẽ criticè excretum à symptomatico, duo sunt præcipua,tolerantia pientis,& excretio humorum , quæ est proportionata humoribus in corpore redundantibus.

Prognostica alia sunt ad bonum, alia ad malum. Ad bonum desumuntur ex sanguinis qualitate,si excretus fuerit valde nigricans,fœculentus,solet potiùs prodesse.In hunc sensum Hipp. sect.6 aph.11. Hemorrhoides superuenientes insanis,& nephriticis curant. Circa nephritin est dubitatio,nunquid reuera voluerit nephrin , an phrenitin,vt alii legunt? Ego non inficior, Hæmorrhoides superuenientes phreniticis, magnũ posse afferre iuuamen : sed posse de nephriticis intelligi,ratio persuadet;nam venæ sedales renibus admodum sunt propinquę.Videte Hollerũ in schol, *Prognostica.*

in scol. de Hæmorrhoidibus.

De melancholicis certum est ex lib. 6. de loc. aff. c. 1. & multis aliis. Possunt etiam alios morbos curare, vnde Hippoc. 3. in 6. epid text. 37. eos, qui Mariscis tentantur, à multis morbis immunes esse asserit.

Quando huiusmodi fluxio est immodica, magna affert incommoda, Gal. libr. 2. de nat. fac. c. 8 si verò hæc tam grauia mala non succedunt decolorati. Et hæc sunt prognostica ab Hæmorrhoidibus cæcis, seu retentis.

Nam vbi ex consuetudine fluxerint, & postea B claudâtur, magna mala insuerunt: succedit enim aliquando tabes, aliquando hydrops sect. 6. aph. 12. Succedit autem hydrops ob nimiam caloris suffocationem.

In curatione primùm versabor circa cæcas, deinde circa apertas. Quantum ad cæcas, cùm sanguinem copiosum, aliquando etiam prauum contineant, necesse est eum aut reuellere, aut deriuare, aut ab ea parte euacuare, & expiare ab illo succo, qui illum efficit: deinde vitium, per quod fit hic sanguis, corrigere. C

Quantum ad primum, in huiusmodi casu cósiderandum in primis est, numquid huiusmodi cæcas Hæmorrhoides necessarium sit prouocare, an sanguinem istum repellere, & reprimere. Ex vna parte multi, auctoritate Hipp. sect. 4. aph. 25. moti, existimant minimè conuenire apertionem. Scribit Gal. in fin. non esse assuefaciendum ei, quę fit per Hæmorrhoidas, euacuationis, ex quo videtur colligi, quod dictum est. Sed tamé ex alia parte certum est, naturam hunc sanguiné copiosum per has partes euacuare. Primum est D auctoritas Gal qui sect. 5. aph. com. 33. inquit, nó sanguinis euacuationé per nares tantùm, verùm etiam quę per Hæmorrhoidas fit bonam esse: Similiter in lib de ven. sect. adu. Erasistr. c. 5. & lib. 9. meth. med. c. 5. vbi proponit curationem synochi, in qua necessarium est sanguinem copiosum euacuare, inquit Gal. antequam euacuetur sanguis per venę sectionem, esse perpendum, núquid Hæmorrhoides fluant.

Itaque in maxima sanguinis plenitudine, est contentus sola sanguinis euacuatione, quæ fit per E Hæmorrhoides. Ergo vbi natura habet aliquam ad hanc partem propensionem, dum abundat sanguis, ego consulo, vt mittatis ex hac parte. Auctoritas supra allata non est contra nos. Cùm sermo est de assuetudine, non de vna, sed pluries repetita est intelligenda: Itaq; statutú sit, mittédú sanguinem aliquando per has partes. Dico aliquando. Si enim contingat, hunc, in quo fit huiusmodi sanguinis effluxio, periculum incurrere nimiæ excretionis, in tali casu minimè consulo, mittatis per hanc partem, sed regellatis. Sed F quando hęmorrhoides nunquam talia intulere pericula, hydropem scil. cachexiam, &c. potest fieri, vt sint adiuuandæ.

Adiuuari autem possunt variis modis, primo secta vena inferna, vel cucurbitulis scarificatis partibus infernis adhibitis. Alter modus est per quasdam frictiones. Possunt enim fricari hæmorrhoides omnibus rebus asperis, folio ficus, buglossæ, parietariæ, linteolo aspero: aperiuntur etiam quibusdam linimentis: & hic modus est facilior, possunt adhiberi illinitiones. Linimentum potest fieri ex felle aliquo vel bubulo, vel taurino, cum oleo confecto ex amygd. dulc. Item ex succo cæpæ cum isto oleo vel cum felle. Item colocynth. infusa in ol. amygd. amar.

Si his non apertiantur, quidam solent aperire phlebotomo, sed existimo, quod melior modus sit per hirudines.

Sed si contingat istas hæmorrhoides admodum dolere, vt non possint tractari remediis apertientibus, propterea tantùm dolori consulendum est. Multa sunt: aliqui accipiunt medullam panis, & intingunt lacte, aliqui in iure pingui, & apponunt tepidum, aliqui accipiunt maluam coctam in oleo amyg. dulc. alij imponunt caput lactis, & immiscent aliquando aliquam portionem lithargyri, vel cerussę. Sed his pretermissis, habeatis linimentum, quo ego vtor felicissimo cú successu, vt

Linimentum.

Recipe mucilag. psyllij
sem. cydon. an. vnc. j.
ol. de chrysomel. vel ros. completi vnc. ij
pingued. gall. vnc. ß.
vitell. ouor. nr. ij. imponantur in mortarium plumbeum, agitentur cum pistillo plumbeo per tres horas sub sole, & f. linimentú. Habet vim emolliendi, sedandi dolorem, & ex parte Hæmorrhoides exsiccandi.

Hactenus de aperiendis cæcis Hæmorrhoidibus fuit sermo, nunc de illis prorsus occludendis.

Quomodo occludendæ hæmorrhoides fluentes.

Si sanguis ex Hæmorrhoidibus moderatè fluat, & talis qualis debeat, nullo eget auxilio: Si autem nimium exsuperet, contra.

Quantum ad naturalem sanguinem, impediri potest remediis reuellentibus, refrigerantibus, incrassantibus, stupefacientibus, tam externis, quá internis.

Reuellentia.

Reuellentia multa sunt, inprimis venę sectio ex vena superiore cubiti, vel ex secta saluatella, quod mihi magis probatur, prima die ad vnc. ij. vel iij. sequenti ad totidem.

In hac classe sunt cucurbitulæ scarificatę, & non scarificatæ, scapulis, & lumbis, interdum ipsi iecori, & lieni, aut vtrique parti, appositæ. Ligaturæ, quinetiam supernarum partium, & frictiones.

Remedia refrigerantia.

Quantum verò pertinet ad remedia refrigerantia, ista sunt instituenda, quando effunditur sanguis ex Hæmorrhoidibus, naturalis tamen, & benignus, propterea decoctum ex portulaca, plantagine, polygono, equiseto, mille folio, endiuia, soncho, epatica, &c. Omnes istæ decoctiones, quia refrigerant & sanguinem incrassant, prosunt. Si addatis astringentia, vt myrtos, rosas, cortices granatorum, rhoen rubrum, gallas, &c. magis erit ad rem. Vbi autem hęc non proficiunt, efficaciora sunt pulueres, & pilulæ ex adstringentibus cum aliquo ex decoctis propositis, pulueres boli Armenę, terræ sigillatæ, imo omnes aliæ terræ possunt vsum adstringendi præstare, illarumq; dosis erit a scrup. j. vnc. j.

Simi-

Similiter trochisci confecti ex huiusmodi ter A ris, spodio, carabe, cum succo aliquo proposito in pilulas redacti. Poteritis etiam accipere conseruam rosarum, ex cydoniis, sorbis, & addere aliquos pulueres ex adstringentibus: quinimo syr. de ribes, myrtinus, rosatus, de rosis siccis, de portulaca cum decoctis prædictis.

Vbi verò neque hæc sufficiant, ad opiata est deueniendum, vt philonium ad drach. ß. requiẽ Nicolai a scrup. j. ad drach. j. istis addenda, quæ B habent vim incrassandi sanguinem, vt oriza, alica, ista conquantur in aliqua aqua naturali ferrata. Laudo etiam, vt in acetariis vtantur portulaca sine aceto tamen, loco cuius accipiatis omphacium.

Ad victus rationem pertinent omnia, quæ habent vim incrassandi, vt sunt cerebella, pedesque animalium gelatina vocata.

Externa Exterius inungendæ partes, quæ ad lumbos, & renes pertinent, refrigerantibus, & adstringentibus; mihi placet vt æger perpetuò super dictas par C tes contineât linteolos madefactos in succo portulacæ cum aceto & pulueribus adstringentibus.

Localia sunt varia: In primis fomenta ex decoctione rerum adstringentium in vino aliquo admodum austero, cui incoquatis ea omnia, de quibus paulò ante memini. Præterea cortices nucum inglandium, capulas glandium; imò possunt ipsi pulueres inspergi venis, sanguinem effundentibus. Laudo illud Galeni libr. 5. meth. med. capit. 4. quod conficitur ex thure, aloe, al- D bum. oui; vt accipitur thuris drach. j. aloes drach. ß. puluerisantur & subiguntur albumine oui, excipiuntur pilis leporinis, & imponuntur Et si priùs vtamini lotione, erit adhuc efficacius.

Si non proficiant, veteres efficaciora proponunt, vstionem scil. & sectionem: vstionem igne actuali & potentiali. De hoc modo sermonem habuit Hippocrat. seu auctor libri de Hæmorrhoidibus circa principium, potestis locum legere.

Sed quando etiam hæc operatio nihil proficeret, non præter rationem esset, vbi Hæmorrhoi- E des externæ, & valde apertæ, si ignis etiam eidẽ, quæ fluit, adhiberetur.

Vstio. Ducor in hanc sententiam, quia video, Hippocratem eo loco & posteriores Medicos vsos esse medicamentis escharoticis, flore æris vsti, melanteria, chalcitide, recentiores arsenico rubro aqua illa fortissima, ol. ex sulphure, chalcantho &c. Si itaq; hæc prosunt, pari ratione proderit & ferramentum ignitum.

Quod dixi de vstione, dico etiam de sectione, F quanquam à nullo hanc factam viderim: superioribus temporibus, nempe ipsius Hippocratis, erat frequentissima.

Est dubium, vtrum in secandis, vel vrendis hæmorrhoidibus omnes debeant prorsus claudi, vel vna relinquendæ, quia Hippocrates sect. 6. aph. 12. inquit, diuturnas sananti hæmorrhoides, si non vna seruetur aperta, periculum est futuræ hydropis, aut tabis. Cui sententiæ adhærentes Gal. Paulus Aegineta, & omnes Arabes existimãt, quòd non ex toto supprimendæ. Vnus

Dubiũ. Vtrum omnes debeant occludi.

Aetius inter omnes aliter interpretatur, & omnes intercipiendas contendit, ac propterea auctoritatem Hippocratis sic interpretatur: Si patiens non mutet victus rationem, congruum est, aliquam ex Hæmorrhoidibus relinquere apertam. Verùm si prorsus mutet victum, omnes sunt supprimendæ. Legatis Hippocratem: 4. acut. in com. vlt. proponitur curatio Hęmorrhoidum, vbi apertissimis verbis scribit, vnam esse relinquendũ &c. vide locum.

In hac tamen difficultate dico, vbi sanguis, qui excernitur, sit naturalis & probus, in hoc casu existimo considerandum, num, patiens ex mutatã victus ratione, possit moderatum sanguinem generare, nec ne. Si possibile, possunt Hæmorrhoides omnes adstringi, nulla omnino relicta. Sed vbi excernatur sanguis vitiosus, prodiens ex insigni complexionis vitio, difficile est omnes reprimere absq; insigni corporis noxa: Talis ergo erit curatio Hæmorrhoidum, ex sanguine copioso, seu benigno.

Si effluat melancholicus, biliosus, aqueus, necessariũ est, corpus ab hoc vitioso succo ex purgare, & ideo à sanguine melancholico, melancholiam educere.

Sed adest difficultas, quandoquidem fluentibus Hęmorrhoidibus, vt vires aliquo modo deiiciant, si prębeatis medicamentum, periculum est, ne sanguis maioris copia profluat. Ideo quidam ex Hippocr. sect. 6. aph. 47. de promunt, non solùm aloen, sed omnia medicamenta posse Hæmorrhoides aperire, & per consequens etiã melanagoga. Ideo idem Hipp. 4. acut. text. 115. inquit, & Lege locum.

Sed tamen, cùm non possint curari, nisi emendetur huiusmodi vitium, est necessaria euacuatio. Verùm quia fieri potest per benigna & efficacia, consulo vt adstringentia eligatis, præsertim in principio, vt sunt myrobalani cum cassia.

Facta hac expurgatione, est deueniendum ad ea, quæ possint vitium corrigere, propter quod hic sanguis prauus generatur.

Ideo curatur vino, theriaca, castorio, omnibus deniq; medicamentis calidis & siccis.

Idem dico de medicamentis instituendis pro pituita & bile.

Quæ fit ex sanguine pituitoso, requirit localia corroborantia, & exsiccantia Hæmorrhoides. Accipiant vinum generosum, saluiam, mentham hyssopum cum aliis adstringentibus.

Et hæc de vitiis Intestinorum, & Ani dicta sufficiant. Sequuntur affectiones Renum, & Vesicæ.

DE RENVM ET VESICAE AFFECTIBVS. Cap. XXXIV.

FRequentissimos, & ægrè admodum sanabiles Renum, & Vesicę affectus pertractandos suscipio, quos omnes vt breui methodo perstringa ad Vitiam Mictionem referam, seu redigam,

De

De Mictione Deprauata.

VItiatur autem Mictio vel quia deprauata est, vel quia sublata, aut diminuta. Deprauatur autem Mictio vel ratione Substantiæ, vel ratione Quantitatis, aut Temporis, aut Modi, aut Symptomatum, aut Loci.

Ratione Substantiæ, quando excernitur Vrina vel cruenta, vel purulenta, carunculis & squamulis referta, vel arenosa, & cum calculis, aut cum pilis, aut vermibus, aut alia substantia consimili.

Ratione Quantitatis, quando plus excernitur, quàm oporteat; nam si minus excernatur ad diminutam pertinet Mictionem, non ad deprauatam.

Ratione Temporis, quando debito tempore non retinetur.

Ratione Modi, quando excernitur guttatim.

Ratione Symptomatum, quando educitur cũ summo dolore, & ardore.

Denique ratione Loci, quando euacuatur per aliud foramẽ quàm per illud, quod est in glande.

Me expediam in præsentia à praua Mictione ratione Quantitatis, & Temporis facta.

DE DIABETE Cap. XXXV.

MIctio Deprauata ratione Quantitatis, & Temporis potest sub Diabetis nomine comprehendi, dummodo duplicem cõstituamus Diabeten: Legitimam vnam; Spuriam alteram.

Est autem *Legitima Diabetes excretio rei potulenté prorsus non mutatæ in Odore, Colore, & Sapore per vias lotij.*

Spuria Diabetes, quam Arabes Multitudinẽ Vrinæ appellarunt, *est excretio vrinæ in tanta copia, quæ longè superat quantitatem rei assumptæ humidæ.*

Caussæ legitimæ.

VEra Diabete fit, vt optimè Galenus docuit 6. de loc. aff. cap. 3. ex facultate Renum attractrice importunè opus suum efficiente; Læditur tamen subinde etiam attractrix venarum totius corporis, iecoris, & oris ventriculi. Læduntur etiam expultrix, & retentrix Renum.

Porrò læditur primo, & per se facultas attractrix; nam vt fiat Diabetes, requiritur hic ordo, vt Renes importunè sugant serositatem in venis contentam; venæ iam exsiccatæ attrahunt à iecore; iecur pariter inanitum sugit ab ore ventriculi. Os tandem ventriculi exsiccatũ multã requirit potionem, quam assumptam statim dimittit in Renes, non quòd primo, & per se læsa sit retentrix ventriculi, & intestinorũ; nã si adesset vitiũ retentricis, fieret Lienteria. Est enim, vt dicit Gal. loc. cit. Lienteria nõ tantùm cibi, quãtùm potus non mutati deiectio. Si ergo res potulenta statim ducitur in Renes, & emittitur per lotium, nõ est referenda causa in lubricitatem ventriculi, & intestinorũ, sed in importunam iecoris, venarũ & renum attractionem. Idcirco hæc affectio cũ primum incipere videtur, est iam in statu; Quãdo enim potus immutatus educitur, multò antea venæ totius corporis, & iecur fuerant inanita, & exsiccata. Sed ipsi patientes non possunt principium, & augmentum cognoscere, quia hæc attractio est opus naturale, & dum sit in venis tàm iecoris est sine sensu indigentiæ; propterea corporis molestiam non infert; Contra quàm in lienteria contingat, quæ non potest esse in statu, nisi cognoscatur principium; est autem principium à cœlica affectione, & ab humida excrementorum deiectione.

Attractrix Renum importunè fungitur suo officio propter solam caliditatem, vel cùm materia, vel sine materia. Idcirco Auicennam hac in parte non recipio, qui Diabetem fieri scribit ex frigida Renum intemperie, retentricem facultatem debilitante; nam vbi fit tanta frigiditas, quæ retentionem vitiat, desinit omnis attractio: at sine attractione nunquam fit vera Diabetes. Læditur autem cum attractrice expultrix, quia irritatur. Irritatur autem vel à copia tantùm, vel à copia, & acrimonia rei potulentæ; sicut attractrix læditur, vel ex intemperie absq; materia, vel cũ materia salsa, vel biliosa in Renũ substantia imbibita, & impacta, siue hæc fluat ex iecore, aut à capite, vel cerebro, aut à toto corpore. Retentrix autem debilitatur, quia & venæ emulgentes, & Vasa Vrinæ propter seri copiam amplian tur.

Caussa Spuriæ.

SPuria Diabetes est Mictio admodum copiosa atq; ideo fit ex errore in cibo, & potu. Est autem error vel in quantitate potus, vel in qualitate, vt cùm bibuntur vina admodum diuretica, aut aquæ consimiles aut cùm cibi sunt admodũ serosi, aut diuretici: Augetur quoq; vel suppressis alui excremẽtis, vel constipato corporis ambitu, vel colliquatis ichoribus, & humoribus in toto corpore, aut denique ex nimia iecoris refrigeratione. Et hoc animaduertite, quia à nemine notatum est, quod sciam, iecore refrigerato Diabetẽ fieri. Ratio persuadet; nam si fiat Hydrops, cur non possit fieri Diabetes? Quando iecur aquam gignit, non est semper necessarium, vt illã transmittat in capacitatem abdominis, & Hydropem Ascitem efficiat; potest transmittere ad Renes.

Hinc puto Galenum, & alios vocasse hunc affectum ὕδρωπα εἰς ἀμίδα i. Hydropem ad matulam; quanquam alij veram Diabetem à nimia siti διψακὸν vocarint; alij à nimio potu Siphonem.

Signa.

FAcillimè distinguitur Spuria Diabetes à Legitima; nam in Legitima præter quam quòd excernitur

cernitur potus in odore, colore, sapore, immutatus: accedit etiam corporis arefactio, & sitis immodica. In Spuria Diabete, Vrina, aut colorē obtinet proprium, aut saltem est aquea: & si fiat ex errore in cibo & potu id habebitis ex relatu patientis: sic etiam sit fiat ex aluo adstricta, aut ex suppresso sudore. Quę verò fit ex colliquatione primo quidem cognoscitur ex febre, deinde ex vrinis crassis, & oleosis. Quæ fit ex refrigeratione iecoris, habet signa Hydropis.

Prognostica;

VEra Diabetes est semper periculosa deducitque patientes, vel ad febrem marasmoden, vel saltem ad marasmum senilem: sed eos, qui intemperanter bibunt, deducit etiam ad iecoris obstructiones insignes, fluxus hepaticos vniuscuiusque speciei, & tandem in iecoris inflammationes, vt ego obseruaui in quodam nobili Veneto, qui hoc morbo laborauit, qui cùm multum supra modum biberet, citò omnia excernebat: tandem ex hoc morbo quem diuturnum satis habuit, obiit anno ætatis suæ 43. Laborauit autem toto vitæ suæ tempore hoc morbo; nam in prandio bibebat triginta quatuor phialas vini.

De Vrina Incontinentia.

QVia maximam habet cum Diabete affinitatem Vrinæ Incontinentia idcirco antequā curationem Diabetis aggrediar, paucis incontinentię Vrinæ causas aperiam. Nunc autem Incōtinentię nomine illam tantùm complector, quæ fit sine acrimonia.

Differentia, & Causæ.

ESt autem duplex: Quędam Nocturna tantū quædam Diurna & Nocturna. Prior pueris familiaris esse solet, & ex somni dūtaxat profunditate proficiscitur; in quibusdam verò adultis, sequitur musculi constrictorii imbecillitatem. Imbecillitatis causæ sunt intemperies frigida & humida. Quod si incōtinentia sit Diurna, & Nocturna, quandoque fit ex primaria Vesicę lęsione, quandoque ex secundaria. Primaria est eiusdem musculi intemperies proposita, de qua meminit Gal. 4. de loc. aff. 4. cuiusdam Piscatoris exēplo, qui ex mora in aqua frigida in Vrinæ Incontinētiam inciderat. Quandoque fit ex paralysi, aut ruptura eiusdem musculi, siue sit propter vulnus relictum ab extractione calculi, siue propter vlcus erodens.

Quæstio.

DVbium est: Vtrum laxatis fibris transuersis corporis Vesicæ fiat Vrinæ Incontinentia, vel ne? Ego cum Laurentio sum, qui censet hāc fibrarum laxitam ad Incontinentiam facere. Frustra enim constitutæ essent, nisi ad retinendam Vrinam facerent, idque consultò fecit natura, ne rupto, aut resoluto musculo constrictorio tota simul flueret Vrina; nam etsi fluat resoluto musculo; retinetur tamen aliqua pars, si fibræ proprium robur conseruent: Per consensum, & secundario emittitur Inuoluntariè Vrina, vbi Vesica comprimitur, vel à luxatione vertebrarum, vel à tumore hæmorrhoidum, intestini recti, vteri, & abdominis.

Signa Causarum.

COgnoscitur facilè affectus; & causę sic distinguuntur: nam si sit intemperies, excernitur quidem Vrina Inuoluntariè, sed aliqua ex parte retinetur, neque abolitus est excretionis sensus.

In paralysi effluit sine vllo sensu.

In ruptura ita excernitur Inuoluntariè, vt patientes sentiant illam proximè exeuntem, sed non possunt retinere, præcessitque incisio propter calculi suspicionem.

Compressio si fiat, oportet obseruare vtrum laxata sit vertebra: vtrum adsit tumor, vel dolor circa rectum intestinum, aut circa vterum, & infimam abdominis regionem.

Prognostica.

HÆc incontinentia si paralysin & rupturam sequatur, insanabilis est; quæ verò sequitur intemperiem non difficilè curatur.

Curatio Diabetis.

DE materia & auxiliis nunc dicam, primùque de Vera Diabete erit sermo. In qua parte cogor recedere à Græcorum omnium, Arabum, & Recentiorum sententia. Primum quidem certum est distribui hanc Diabetis curationem in euacuationem, reuulsionem, alterationem, & constrictionem.

De Sectione Venæ.

QVod ad euacuationem & reuulsionem pertinet, scribunt omnes, si morbus sit in principio, secandam esse venam; sed iam dictum est ex sententia Gale. 6. de loc. aff. c. 3. hunc affectū quādo nobis videtur principio, esse iam in statu, & cùm est in statu, totā humiditatem serosam, quæ in venis, iecore, & ventriculo continebatur, iam esse assumptam; alioquin neque sitis, neq; attractio rei potulentæ impermutatæ fieret. At verò in hoc casu corpus iam est gracile, exsiccatū:

Sanguinem mittere venis iam exsiccatis consultum esse non duco. Neq; quis obiiciat: Euacuato sero relinqui sanguinem in venis. Fateor relinqui sanguinis portionem: sed vbi deficit serum, necessariò deficit & sanguis: nam serum ideo admiscetur sanguini, vt illum in omnes corporis partes distribuat: tolle serum, tollitur distributio. Adde quòd cùm magna pars sanguinis fiat ex repotulenta, si id, quod bibimus, statim excernitur per lotium, non potest verti in sanguinem.

Itaque in Vera Diabete nunquam conuenit sanguinis missio, quicquid sentiant alii.

De Vomitu.

PRoponit Aetius in praesenti casu Vomitum factum post largam aquae potionem statim ab ipso potu. Haec operatio mihi nullius frugi videtur. Quid confert hic potus statim assumptus & reiectus, nisi vt os ventriculi refrigeret, & humectet, deinde, si quis est, humorem euacuet? Sed affectionis essentia, & origo non est in ore ventriculi. Iam vos docui ex Galeno Renes esse illos, qui liquorem appetunt, & importunè trahunt, os ventriculi ex accidenti, & secundariò afficitur: itaq; hic Vomitus nihil iuuabit partem affectã.

Si quis dicat: In ventriculo salsam pituitam contineri, quę in Renes delapsa affectionem augeat: In eo casu vomitum admitto; de hac autem re Aet. ne verbum quidem.

Si quis dicat: hunc Vomitum reuellere etiam biliosum humorem à Iecore in Renes fluentẽ, nihil dicit; nam potus frigidae statim eiectus non potest bilem à Iecore in Renes fluentem reuellere, vel in ventriculum ducere, & expurgare.

Itaque vnico casu excepto, cùm scilicet abundantia pituitę salsae est in ventriculo, Vomitus hic non probatur. Dixi (hic Vomitus) nam si vtamur aliquo Vomitu appropriato ad attrahendos humores in ventriculum vel salsos, vel biliosos, vt diuertantur à Renibus, hoc facilè cõcedo. Idcirco vel aqua hordei cum succo raphani, vel cũ puluere asari, vel simili probatur.

De aliis Auxiliis Euacuantibus, & Reuellantibus, &c.

IN eundem vsum laudo clysteres, & medicamenta aluum subducentia, sed benigna, ne extenuatum corpus magis exsiccetur. Talia sunt cassia, tamarindi, manna, syrupus, & mel rosat. solut. diaprunis, diacatholicon, electuar. lenitiuũ, & alia huiusmodi: Aretaeus hanc sententiam Aetius, & Arabes accipiunt. Laudant quoque vsum medicamenti Sudorifici, vt diuertant materiam à Renibus in corporis ambitum. Sed haec quoque operatio mihi suspecta est; etenim vel in corporis ambitum ducere volunt serositatẽ iam in iecore contentam, aut rem potulentam nuper ebibitam: Serum perfectum in Diabete non possunt educere, quia in venis non adest, cum sint exsiccatae, in iecore non sit, igitur attrahent rem immutatam potulentam scilicet. In iecore enim serum non retinetur, sed multo deterius est potiones immutatas distribui in omnes venas, & totum corporis ambitum, quàm statim per lotium educi.

Sudorifica.

Itaque haec operatio Sudorifica mihi suspecta est. Quod pertinet ad Diuretica seu vrinas mouẽtia, consentiunt omnes nullo modo, quę vrinas mouent in hoc affectu conuenire, neque frigida, neque calida. Sed si sunt affecti Renes salso & acri humore imbuti, qui fieri potest, vt impacta materia expurgari possit, nisi medicamentis vrinam mouentibus vtamur? Prohibet quidem Galen. 13. method. cap. 11. ne in affectis Renibus moueamus Vrinam: sed hoc tantùm intelligit, non esse ducendos humores, qui albi sunt, in illum locum. Nullibi tamẽ docuit, impactum humorem per eundem locum non esse ducendum.

Diuretica.

Itaque premissa reuulsione, & euacuatione per aluum quaedam Diuretica frigida, & humida, subinde abstersoria, & epicerastica conueniunt. Sunt haec primo serum lactis, in quo, vbi opus est abstersione, incoquatur hordeum cum cortice capparis, & siliquae fabarum: si opus sit maiore abstersione, addatis etiã amygdalas amaras, aut lupinos, aut eruum; nam haec valenter detergunt. Facta detersione, opus est & refrigerare, & demulcere humoris acrimoniam, id praestat vsus lactis asinini. Post vsum lactis conueniunt quoq; frigida, & adstrictoria, vt vasa dilatata adstringãtur, quales sunt aquae ferratę, aquae destillatae ex polygono, symphyto, consolida, portulaca, plantagine, aut ex decocto rosarum, acaciae, myrtillorũ, aut ex succis granatorum rhibes, berberis. Haec proponuntur quidem ab Arabibus, sed sine distinctione, quae tamen si tunc exhibeantur, cum Renes materiam adhuc vitiosam continent, affectum augebunt, non autem curabunt.

Notandum.

DEnuum moneo de Cydoniis, quod est memoratu dignum; Scribit enim Auic. Diabetem facere, & tamen frigida sunt, & stiptica; neque apud vllum inueni scriptorem, Cydonia habere hanc facultatem, nisi apud Ioan. Pascalium, qui scribit in sua methodo de curandis morbis ca. 50 Alfonsum Neapolita. Regem per vsum Cydoniorum in Diabetem incidisse. Conueniunt & balnea aquae dulcis, & linimentã super Renes, quę habent vim refrigerandi.

Et cibi frigidi, & crassioris succi, vt alyca, & oriza, pedes, & cutes animalium, & cerebrum; vno verbo incrassantia.

Contra verò in Mictum Inuoluntario propter refrigerationem Vesicę & musculi, conueniunt insessiones in aquis thermalibus, aut fomenta ex vino generoso, in quo bulliant calamenthum, origanum, thymus aliqua portio sinapis, & castorei, fiatq; inunctio post fomentum ex oleo costino theriacae admisto.

P DE

DE PVRVLENTA, ET CRVENTA MICTIONE. Cap. XXXV.

INter Prauas Mictiones est quoque Purulenta, & Cruenta; Vtraq; verò fit aut ex Renibus aut ex Vesica. Nomine autem *Renum* complector etiam Vasa Vrinaria, & *S*eminaria. Nomine *Vesicæ* & corpus Vesicę, & Collū, & Penē cōplector.

Aliquando autem fit ex partibus supra Renes vt iecore, liene, thorace, venisq; totius corporis: Hoc docuit Gal. 6. de loc. aff. 4. confirmaruntque posteriores Medici plures, vt Marcellus Donat. B lib. 4. histor. mirab. c. 25 HoIler. & alii plurimi. Pus enim vrinæ mistum duas ob causas excernitur, vel rupto abscessu, vel facto vlcere, & sicuti abscessus plerunque sequitur inflammationes; ita vlcus fieri consueuit vel ex calculo, vel ex humoribus acribus, & salsis, vel ex assumptis cibis, potionibus, & medicamentis id genus, vt propterea scribat Matth. de Gradib. *9.* ad Almansor. par. 2. commen. 18. se quendam vidisse ex immoderato allii vsu in vlcerationem Renum incidisse.

Sanguis autem vel excernitur per diapedesin C vel per anastomosin, vel per rupturam, aut colliquationis modum, aut denique per erosionem, de qua iam dictum est. Diapedisis fit aut aperto aliquo vase minore propter tenuitatem, & raritatem vasis, aut fit propter eiusdē sanguinis tenuitatē.

Fit verò sanguis tenuis, vbi iecur fuerit infirmum gignatque ichorosum sanguinem. Renes pariter infirmi ob intemperiem frigidam, dū nō segregant serum à sanguine vrinas istas emittūt, quę loturam carnium æmulantur. Huius affectus meminit Galen. *6.* de locis aff. c. 13. Et quamuis D Fernel. lib. 3. suę pathol. c. 13. nunquam putauerit sanguinolentam reddi Vrinam ex infirmitate altera tricis iecoris, nisi etiam Renes sint affecti: nihilominus ratio est in oppositum; nam sicuti illæsis intestinis fit fluxus hepaticus lotiuus; ita illęsis Renibus potest fieri Vrina, quę loturā carnis æmulatur. Hinc puto docuisse Galen. 1. ad Glauc. 7. in quotidianis exquisitis, in quibus copia pituitæ in toto corpore redundat, Vrinas aliquando rubras esse, non aliam ob causam, vt cōsiderauit Martin. AKaKia in cōm. eius loci, quàm E ob infirmitatem alteratricis iecoris non separato sero à sanguine.

Anastomosis fit magno aliquo vase aperto, vel à sanguinis copia, vel ab acrimonia, vel ab vtraquē causa.

Ruptura fit vel à causa externa, vel interna, Externa est casus, percussio, vulnus, saltus, Interna est flatus copia, sanguinis impetus.

Colliquatio fit à causa calida, vel cum inflammatione, vel citra.

De causis erodentibus iam dixi: idcirco ad si F gna conuertere sermonem oportet.

Signa.

PRimò distinguendum est Pus, & Sangius ex locis supra Renes constitutis exeuntia, ab ex-A cretione facta ex Renibus, vel infra Renes.

Primum quidem si Pus & Sanguis ex locis supra Renes exeat, aderunt signa istius loci affecti. Nam si thorax fuerit, præcessit pleuritis, vel peripneumonia, vel adest empyema: si sit iecur, pręcesserunt pariter signa inflammationis, & abscessus iecoris. Quando autem effluit sanguis, vel ex iecore, vel toto corpore, habet quosdam determinatos circuitus modò mensium, modò hebdomadarum, corpus est plenum, suppressi sunt mēses, aut hæmorrhoides, & sanguis excretus est adeo Vrinæ mistus, vt non subsideat.

Quòd si fiat ex Renibus Puris aut Sanguis excretio, permiscetur quidem Pus, & Sanguis cū Vrina, sed paulò post mictionem, vtrumque hoc corpus subsidet: præterquam quod si Pus ex Renibus excernatur, aderunt signa abscessus, vel vlceris Renum.

Sunt autem signa abscessus grauitas, & dolor circa lumbos, horror quidam, febris lenta. horis vespertinis exacerbata, & dum rumpitur abscessus, multum puris effluit ad differentiam vlceris, & hæc expurgatio menses, & annos durat sine interuallo ad differentiam Puris excreti ex partibus supra Renes.

Quòd si fiat ex vlcere, adest dolor maximè ab vsu acrium, & solidorum. Pus est mistum magna ex partes cum Sanguine; interdum tamen nec Sāguinem habet admistum, neque præcedentem. (potest enim Pus excerni vlceratis Renibus non præcedente Sanguine) Gal. 4. aphor. 75. scribit in Renum exulceratione tunc demum excerni Sanguinem, cùm vas aliquod magnum, aut Renū caro fuerit erosa; sed in superficiali abrosione si quid sanguinis excernitur, non statim necessariò per lotium purgatur: potest igitur in Pus verti antequam educatur. Sed pręterea vlceris Renum certum est signum, cum Vrina carunculatū ejectio, quas scribit Gal. loc. cit. se nunquam vidisse; primo tamen de loc. aff. & sexto eiusd. 4. concedit illas cum lotio excerni posse.

Si Pus excernatur ex Vasis Vrinariis, in modica admodum copia educitur, & dolor est insignis pertingens ab ilio ad pubem vsque.

Si vlcus sit in Vesica, sanies quę excernitur, statim post mictam Vrinam subsidet, & valde fœtida est, habetque aliquid mucoris, & squamulæ, quæ sunt vesicæ portiones, simul cum Pure excernuntur, & dolor ad pubem pertingit. Hæc vidit Hipp. 4. aph. 81.

Si ex Collo Vesicæ Sanguis vel Pus effluet, sem per præcedit vrinam, & quando ex collo vesicæ egreditur, maximum facit in pricipio mictionis ardorem, rubicundus est.

Qui fit ex Pene, effluit etiam citra mictionē; maximè verò exacerbatur tempore coitus.

Denique qui Sanguis educitur è vasis seminalibus nō nisi post immodicam Venerem apparet.

Hęc sunt signa distinctiua locorum, & demōstratiua Vlceris cuiusque partis, iam facilè apparent signa Diapedesis, Rupturæ, Anastomosis, Colliquationis.

In Diapedesi Vrina est similis loturæ carniū, & si fiat ex imbecillitate ie oris est tenuissima, & post mictionem non subsidet.

Si fiat ex Renibus, non est adeo tenuis, & subdet. Hipp. 4. aph. 76. 77. Gal. ibidem in comm.

Si sit Anastomosis, cognoscitur ex plenitudine corporis, amplitudine, & tensione venarum, & quia excretio est cum iuuamento suppressi sunt menses, vel hęmorrhoides, vel membrum aliquod est mutilatum. Vnde Arateus 2. de causa & signis diuturno. tertio. in his casibus retentionem vrinę cruentæ varia parere symptomata, vt morbum comitialem, &c.

Si fiat ex Ruptura, quando hæc habeat causas extrinsecas, facilè cognoscitur. Si causa sit intrinseca signum ruptionis proposuit Hipp. 4. aph. 78. Quicunq; sponte Sanguinem Mingunt, his in Renibus vena rupta est. Gal. in cōm. illud (*sponte*) interpretatur (*repente*) Nam reuera in nulla alia causa, aut modo sanguis multus effluit nisi in rupta vena. Rumpitur autem *repente* Iure igitur scribit Hipp. Qui sanguinē repente, &c.

Colliquatio cognoscitur ex vrina crassa pinguedini mistra, obscura, quæ in fundo, vt notat Gale. 4. aph. 76. habet sanguinis portiones exsiccatas, & induratas instar granorum orobi, aut erui, & adest insignis calor circa Renes, aut febris ardens,

Prognostica.

Estque pessimum hoc vitium citò interficiēs sicut aliæ omnes causæ præter anastomosin potiùs chronicæ sunt; & vlcera depasto Renum corpore insanabilia fere sunt. Ex ruptura magnū imminet periculum propter sanguinis grumos, qui circa vesicam concrescunt; nam & Vrinam prohibent, & ipsi grumi venenatam acquirunt qualitatem. 6. de loc. aff. 4.

Curatio.

Curatio Mictus Sanguinis & Puris varia est pro causarum varietate. Si gitur fluxerit Sanguis per diapedens, & ex apertione minoris vasis ob intemperiem calida, curatur refrigerantibus & adstringentibus. Galen. 5. meth. 6. de hac meminit: Talia autem sunt aqua, aut succus polygoni plantaginis, portulacę, rosarum, rhois rubri, hypocistidis, &c.

Si diapedes ex refrigerato Iecore, aut Renibus fiat, eadem est curatio quæ Hydropis ex intemperie frigida. Oportet enim serosum humorem purgare, vel aluo, vel sudore; deinde Iecur, Renesq; calefacere, pro qua re vide tract. de Hydrope.

Si fluat Sanguis per anastomosin, videndum an fluor sit criticus, an symptomaticus: si illud, vtrum habeat circuitus necne; si sit criticus, & circuitus non aderit, permittendum est opus naturæ; interdum enim vtiliter Sanguis per hos locos expurgatur, vt etiam Pus, vt docet Gelen. de Pure in Thorace contento 6. de loc. aff. 4. Si habeat circuitus, tempore quidem accessionis non est impediendus hic Sanguinis motus; nam, ait Aretæus 2. de signis & caus. diutur. 3. ex huius Sanguinis adstrictione sequitur lumborum dolor, grauitas, dolor capitis, epilepsia &c. Consulo tamen, vt interualli tempore omni ingenio tentetis Sanguinem hunc, aut reuellere, aut deriuare, minuere, partes tum mittentes, tum suscipientes refrigerare, & adstringere; nam Sanguinis per Vrinas purgatio, licet sit critica, est tamē periculosa. Potest enim hic Sanguis circa Vesicam in grumos abire, & præter alia mala symptomata, Ischuriam inferre.

Igitur ad reuulsionem conuenit venæ sectio in cubito, cucurbitulæ partibus supernis affixæ tā cum scarificatione quàm sine scarificatione, ligaturæ, frictiones, lotiones magnæ aqua calente factæ. *Vena Sectio.*

Ad deriuationem conuenit Hirudines apponere venis sedalibus. *Cucurbit. Hirudines*

Quæstio.

Dubium est: Vtrum in sanguinis Mictum propter suppressos menses liceat venam in pedibus secare? Videtur, quod sic, nam secta vena inferna menses iuuat; ex alia tamen parte trahit ad Renes & Vesicam, consultum enim nō est Sanguinem ducere ad locum affectum.

Ego sic rem decerno: Vbi vterus magnū habeat fluoris obstaculum, obstructionem veterem scirrhosum tumorē, vel callosum, nunquam aperiendæ sunt venæ infernæ in suppressis mensib. Sanguinis enim cum ad inferiores partes irruperit, effluet potiùs per patientes loco, Renes scilicet & Vesicam, quàm per obstructos, compressos, & densatos. Si possit Medicus aliis medicamentis vteri impedimenta superare, tunc sectio infernarum venarum conuenit: Sublatis enim impedimentis facile sanguis ad consuetas redibit vias & venas. Vbi enim non possunt tolli impedimēta, laudo vt ipsis venis hęmorrhoidalibus Vteri sanguisugę affigantur.

Ad euacuationem illam conueniunt quæ auminuunt plenitudinem, aut tollunt humores acres, qui sunt causa apertionis venarum. Tollitur plenitudo & per se, & per accidens. Per se cum sectis venis, vt dictum est, tum medicamentis purgantibus, quæ varia sint pro temperamenti varietate. Minuitur verò per accidens tenui, & attenuante victus ratione.

Igitur in Anastamosis ex sanguinis copia interdicuntur omnia dulcia, multi alimenti, vt carnes, oua, & grossum vinum: Conceduntur autem pi-

sces humidi, fructus, olera frigida, aquæ chalybeatæ potus. A

Si humores sint acres, euacuandi sunt refrigerantibus cassia, tamarindis, syrupo ros. solut. sero, &c. Refrigerantia interna sunt idem serum, aquæ distillatæ, sonchi, endiuiæ, nymphea, plantaginis, aquæ medicatæ minerales, ferreæ.

Extrinsecùs conueniunt balnea ex aq. dulci, aut simplici, aut herbis frigidis alterata, aut fomentum ex succis semperuiui, solatri, plantaginis, portulacę admisto aceto. Debent hæc omnia frigida administrari. Nam omnia medicamenta frigida B sunt calefacienda exceptis iis affectibus, in quibus sanguis aut fluit, aut fluxit. Adstringentia iam dicta sunt in diapedesi: Nunc autem formulas quasdam proponam vt modum administrationis habeatis.

Poteritis ergo medicamentum sic componere;

Recipe Succ. hypocis. densa drach. ij.
f. boli deaurati. Dein
Recipe aq. pol ig. plantag. an. vnc. iij. misce

Dentur primo boli, mox aquæ bibantur. Aut.

Recipe Crochis. de charab. drach. i.
cum succ. plantag. f. pil. 3. de aurat.

quibus superbibantur dictæ aquæ: aut
Succ. equiset. plantag. an. vnc. i. s. M.

Idem præstabit pulueris lapidis hæmatidis vnc. i. cum succis vel aquis propositis. Ex facile parabilibus est puluis mori rubri immaturi, florũ granatorum, cubebarum, glandium, corticum ouorum, abiecta interiore pellicula. Horum quiduis ad drach. i. exhibitum cum aquis vel succis valentissimè adstringit. D

In Fluxu Symptomatico etiam fluxionis tempore agendum, atque ideo omnia reuellentia, deriuantia, euacuantia, & alterancia tam interiora, quàm exteriora conueniunt, vt supra de his medicamentorum generibus est dictum. Hoc vnũ notandum, cuius Gal. 5. meth. 6. meminit, ne frigida exteriora parti læsæ adhibeantur corpore ad huc pleno; sanguinem enim ab externis locis ad internas partes pellunt, & fluxiones augent. E In relinquis eadem est curandi ratio, quæm nuper proposuimus.

In Ruptura opus est etiam reuulsione, & deriuatione: postquam cõueniunt agglutinantia tam interna, quàm externa;

Intrinsecus prębeti poterit hoc medicamẽtũ:

Recipe Tragacant. gum. Arab. an. drach. i.
Farin. amyl. drach. ij.
Succi consold.
mille. fol. an. q. s.

formentur boli & dentur drach. ij. F

Postea superbibant patientes eiusdem succi con solidę, aut mille folii, aut equiseti vnc iij.

Extrinsecùs conuenit hoc genus linimenti,

Recipe Farin. volatil. molendin.
Fulig. furni an. vnc. i.
Boli armen. sang. drac. an. drach. ij.
Album. ouor. n. iiij.
Succi consolida.
portulac. an. q. s.
plantag.

M. Est sæpius probatum.

Deniq; si fluat Sanguis, vel Pus propter vlcus, primùm est vlcus abstergendum, deinde siccandum, & cicatrice implendum: Et si causam habeat, causa tollenda est siue sit calculus, siue humor acris, & salsus. Vlcus quod est sine causa, illud est, quod relinquitur post ruptum abscessum: Hoc quia est sine dolore, & valde sordidum, abstergentia valida requirit: idcirco præmissa corporis purgatione vniuersali statim transeundum ad valida abstersoria.

Recipe Hordei non decort. lib. s.
Amyg. amar. lupin. an. vnc. s.
Caryc. ping. nu. viij.
Cort. rhab. drach. ij.

f. decoct. ad consumpt. medietatis, deinde.

Recipe prædict. decoct. vnc. vi. quando vlcus sit in Vesica, *aut vnc. iiij.* cùm fuerit in Renibus. C

Mell. ros. simpt. vnc. ij. vel vnc. i. s. Misce.

Vbi Vlcus sit in Vesica, non modò augetur dosis decocti; verùm etiam per syringam iniiciuntur abstersoria medicamenta; sed tentandum priùs est, vt Vesica ab Vrina purgetur, & quàm paucissimum bibendum est sitque potus semper abstersorius, saltem aqua hordacea. In Vesicam verò consulit. Auic vt ad abstersionem etiam lixiuium ex cinere quercus paratum iniiciatur. Hæc verò facienda quando Vlcus sit sine dolore.

Quòd si fiat ex Calculo, oportet primo Calculum superare medicamentis, quę illum educunt, qualia sunt lapis Lyncis, lapis Iudaicus, vitrum combustum, & lithospermum. Non conueniunt illa, quæ erodunt lapidem, quia erodũt & vlcus: Neq; conueniunt vera Diuretica, quia calida & sicca in tertio Vno verbo illa conueniunt, quæ vias laxant, acrimoniam temperant, & minores Calculos subducunt. Tale est decoctum ex capillis veneris, ex agrimonia, ex plãtagine, ex halicacabo, &c. de quibus suo loco, & infra.

Si sint humores acres, agendum abstersorijs, & epiceraśticis, & nihil pręstantius lacte, aut equin. aut asinino, aut camelino. Probatur & serũ cum emulsione frigidorum. Probantur & aquæ destillatę ex siliquis fabarum, ex semine maluæ ex semine alKeKengi: Imò verò ipsę emulsiones seminum frigidorum, & maiorum, & minorũ ad vnc. iii. & iiii. mirificè conferunt: Deinde consolidandum vlcus, vbi adsit copia aquarũ ferratarum, quales sunt Villenses Calderianę, Nostræ Patauinę Virginis, &c. nil pręstantius istis: In defectu istarum confugiẽdum ad aquam stillatit. plantaginis, portulacę, nymphęæ, solatricum tro chiscis de spodio, terra sigillata, de carabe.

Quia aliquando in his Vlceribus Ardor Vrinę est vsq;

est vsq; adeo ingens, vt patientes nunquam somnum capere possint, coganturq; sæpissime mingere, in eo casu ad demulcendum ardorem, & dolorem, qui fit potissimùm ex Vlcere Colli Vesicæ, conuenit exteriùs hoc emplastrum. A

Recipe Mucilag. sem. malu. psyll. an. drach. ij
Ol. ros. compl. vnc. iij.
Succ. plantag.
Emuls. sem. papa. alb. an. vnc. ij.
Farin. hordei M. 1.
Lactis q. s. M. f. emplast.

Intrinsecùs verò per syphonem iniiciatis emuls. eiusdem papau. albi cum oleo viol. & nenupharino. B

De Praua Mistione ratione Substantiæ.

PRaua etiam dicitur Mictio ratione Substantiæ, quando in Vrina, aut pili, aut vermes, aut gypsea, vel crystallina quædam materia educitur aut deniq; cùm Arenulæ, aut Calculi apparent. Primum affectum Græci τριχίασιν, Latini Capillitium vocant, eo quòd in Vrinis pili apparent qui capillorum longitudinem æmulantur. C

Horum materiam cēsuit Gale. 4. aph. comm. 76. esse succum pituitosum tantùm. Fernelius tamen, cui adhæret Christoph. à Vega in cōment. de vrin. c. 4. vult esse materiam quoq; seminalē.

Idcirco etiam de loco est aliqua controuersia; nam Gale. loc. iam cit. concors cum Hipp. in illo aphoris. vult gigni hos pilos in Renib. 6. loc. affe. 3. mutauit sententiam, & dicit produci in venis. Actuarius, cui hac in parte adhæreo, lib. 1. de vrin. ca. 1. inquit fieri in Vasis Vreteribus. Fernelius autem, & Vega, qui existimarunt fieri etiam ex semine, dicūt quoq; gigni in Vasis Seminariis D

Causa efficiens est calor exsicans, & condensans vel pituitam, vel seminalem materiam.

Vermes autem, quos per Vrinam eductos ego aliquando vidi longos admodum in quodam Clarissimo ex Familia Cornelia, habent eandē materiam cum pilis, sed à calore partim putrido, partem natiuo, & cœlesti in animal viuum conuersam.

Gypsea substantia, qualem ego semel vidi in quodā religioso quotidie excretam in ea copia, vt ipse posset efficere 4. & 5. pilulas magnitudine illarum, quæ scrup. i. pōderare solent, albissimas, habet pro materia gypseam pituitam, quæ aliquando in nodosa arthritide apparere consueuit. E

Materia autem, quæ crystallum æmulatur est pituita vitrea.

DE ARENVLIS, ET CALCVLO. Cap. XXXVI.

TRanseo iam ad Arenulas, & Calculum. Arenulę vel fiunt in Renibus, vel Vesica: Vtraq; verò habent suas causas, materialem, & effectiuam, tam proximas, quàm remotas. Dicam primùm de Arenulis Renum. F

Harum materia proxima vel est externa, vel interna. Externa est potus aquæ sabulosæ, aut vsus conchiliorum, sabulum in se continentium. Interna causa est vnusquisq; humor in corpore consistens, bile & melancholia non exceptis. Nā etsi bilis, & melancholia syncera in magnum nō possint transire Calculum; possunt tamen exuri & in cineres verti, qui deinde nihil aliud sunt, quàm Arenulę: Crassior enim cinerum pars Arenularum formam continet, leuior, & tenuior nō quidem sub sidet, neque fundum petit, sed circa fundum in modum corporum atomorum innatat. Hinc experientia obseruabitiś per febres potissimùm circa finem, & hęc corpora atoma, & Arenulas apparere.

Itaque harum causa efficiens semper est calor exurens.

Locus autem quandoque sunt venę, vt plurimùm Renes.

Lapis autem in Renibus concrescit, aut minutis his Arenulis concrescentibus, aut primo & per se ex disposita materia. Coniunguntur Arenulę, & quia retinentur in Renibus, & quia glutinosū habent succum, illas inuicem connectentem. Retinentur in Renibus, vel ex causa naturali, vel nō naturali, vel præter naturam. Naturalis est angustia ipsorum Renum, & Vasorum Vrinaliū, quæ est in causa, vt morbus fiat hæreditarius. Nō naturalis est durities, & siccatio in Renibus, & Vasis Vrinalibus contracta propter senium. Hinc Gal. 5. de tuend. val. 8. & 3. aph. vlt. Lithiasin inter seniles affectus connumerat. Causę præter naturam sunt intemperies frigida, humores omnes comprimentes, obstructio, coalescentia post vlcus vasorum, atrophia.

Agglutinatio in Renibus &c. retentis Arenulis fit ab humore viscido.

Hic quoq; suas habet mediatas causas, quarū aliæ humorem generant, alię illum ad Renes deducunt, quædam deductum retinent. Generant verò intemperies vel frigida, & humida, siue sicca ventriculi, & cerebri, vitiataque coctio propter errores externos. Inter quos præcipui sunt cibi crassum, & viscidum succum generantes, vt caseus, lacticinia, placentulę, pisces crustati, cartilaginei, partes animaliū cutaneæ, & cartilagineę, vsus leguminum, fabarum, præcipuè potus vini crassi dulcis, aquę impuræ.

Vnum hac in parte, quod mirabile videtur, silentio præterire nol o, aquas nonnullas quę extra corpus nunquam gignunt Lapides in potu acceptas statim in Lapides concrescere. Eas verò quæ extra corpus Lapides gignunt durissimos in potu assumptas Arenulas mundare, & Lapides sanare.

In prima classe exempli gratia est Aqua Padi In secūda classe Aquæ Thermales plurimę. Causam esse puto, quòd aquę Lapidē generantes nūquam illum gignant nisi retineantur: Retinentur verò cùm corpus inueniant foraminibus plenum: talia autem sunt putrescentia corpora. Vbi igitur aquæ istæ Lapidosum succum continentes in foramina illa intruduntur, & retinentur, totum corpus saxeum reddunt. Hinc licet vnicuiq; videre folia putrida, fructus, & vermes

lignaque marcida in saxum conuersa: imò verò in humanis corporibus inuentus est aliquando Ren in Lapidem conuersus propter hanc causã. Quòd si non retineantur aquæ istæ, tenuis sunt substantiæ, præterlabuntur, secumque Arenulas ducunt. Aquæ verò, quę extra corpus Lapidem non faciunt, sunt crassæ substa: t æ lutosamq; materiam continent, quæ extra corpus propter aquæ frigiditatem, & humiditatem exsiccari, & in Lapidem verti non potest. In humano autem corpore pars tenuior percolatur crassior remanet, & à calore siccata in lapidem vertitur.

A

Causæ, quę mouent materiam ad Renes sunt vel impellentes, vel attrahentes, vel suscipientes.

Impellentes sunt omnia calida; imò verò omnia tum propria, tum impropria Diuretica: Impropria intelligo frigida. Attrahunt verò calor, & dolor Renũ. Suscipiunt denique Venæ Emulgentes iusto ampliores redditæ, siue à natura, siue propter immoderatum potum, vsumque frequẽtem Diureticorum.

Retenta igitur hæc materia glutinosa in Renibus si inueniat arenulas illas simul iungit, hincque sit Calculus. Si verò adsint Arenulæ, hæc ipsa materia à calore Renum siccata in Calculũ transit.

Est autem materia hæc viscida aut pus, aut pituita. vt docuit Gal. 1. in 6. Epid. 6. Sunt autẽ pus & pituita vel syncera, aut aliis humoribus mista vt melancholiæ, bili, ac sanguini, vt propter hanc causã Lapides alij sint coloris fusci, alij flaui, alij rubri. Non quòd sola melancholia bile, aut sanguine possit concrescere magnus Calculus; sed quia humor viscido varia mistione miscentur. Dico, varia mistione, quia quandoque præualet humor siccus ipsi glutinoso, & tunc materia Lapidis dicitur lutosa, aliquando præualet pus, aut pituita cęteris humoribus, & tunc propriè dicitur succus crassus.

De Arenuli Vesicæ.

NOn dissimili ratione generantur Arenulę & Calculi in Vesica; aliquando enim Arenulæ in Renibus genitæ, aut in potu, & cibo assumptæ transmittuntur in Vesicam; aliquando verò primario illis concrescunt. Id quidem negauit Fernelius, qui existimauit, nullam esse primariam generationem Arenularum in Vesica, sed prima rudimenta ex Renibus esse; deinde verò paulatim succrescere vitiosum humorẽ viscidum illis Arenulis, & sic magnum fieri in Vesica Lapidem. Sed explosa est hæc sententia, & summa cum ratione à Rondelet. 1. de morb. intern. c. 42. ab Holler. in schol. ad c. 48. lib. 1. de morb. internis.

De Lapide Vesicæ.

VEsicæ lapis non vnico tantùm fit modo, vt censet Fern. 6. pathol. c. 13. sed. tribus pręcipuis: Vnus est, quando ex Renibus aliqua Arenula crassior in Vesicam succedit, & descendit, cui paulatim viscidus humor succrescit, & iuxta positione partis post partem in magnum transit Calculum. Et hæc est Fernelij sentia.

Secundus modus est multis Arenulis, siue ex Renibus decidentibus, siue in Vesica genitis materia aliqua viscida exceptis, & conglobatis.

Tertius modus est ex materia crassa, siue illam luto similem esse dicamus, siue crasso succo; fit inquam Calculus ex hac materia in Vesica retenta & exsiccata. Retentionis causa est triplex: Angustia orificij Colli Vesicæ: Concauitas eiusdem, & Frigiditas. Angustia Colli Vesicæ est causa propter quam faciliùs in Viris, quàm in Mulieribus, & magis in homnine, quàm in brutis animantibus Lapis generetur. Mulieres enim rarò admodum Calculum congregant propter Colli Vesicæ breuitatem, & latitudinem.

B

Eandem ob causam scribit Arist. 10. problem. 42. problem. humanum genus Calculo esse obnoxium; non autem bruta animantia, eo quòd orifi cium Colli Vesicæ in homine angustius sit; & quamuis Galen. 3. in 6. Epid. 15. hanc reprobasse causam videatur, qui scribit, in Pueris Calculum vesicæ non fieri, quòd Orificium Vesicę angustium habeant.

C

Intelligendus est Galenus non absolutè, sed in comparatione ad Viros, quasi dicat, Pueros nõ ideo Calculo laborare quòd Orificium Colli Vesicæ magis angustum habent, quàm viri; non tamen negat quin absolutè humano generi angustum fuerit constitutum Ceruicis Vesicæ Orificium.

D

Secunda causa est Concauitas; nam cùm multa secedat materia in Vesicam propter sui amplitudinem, necessarium est etiam partem aliquam semper retineri; quæ verò crassior faciliùs retinetur, quàm tenuis.

Tertia causa est Frigiditas: Frigiditas enim Vesicæ est causæ, quare substantia illa ex sero, & crassis humoribus permista, quæ à Renibus in Vesicam tota simul confusa transit segregetur; nam sicuti vbi calor abundat, confunduntur, & commiscentur crassa corpore cum tenuibus, ita euanescente calore, quod crassum est subsidet, quod tenue, supernatat. Hinc ratio, cur in Pueris frequentissimè fiat Calculus Vesicæ; ratissimè autem Renalis manifesta est. Scribit autẽ Cardanus comm. 26. 3. aphor. se in Puero semel tãtũ Renalem Calculum obseruasse. Ratio est, quia cùm Pueri abundent calido innato, Renesq; habeant molles, tota illa crassa substantia, quæ ad Renes transit sero permista facilè per partes illas molles ad Vesicam tendit, contra quàm in Viris contingat, vt in supriori lectione docuimus. Cũ verò est in Vesica, propter loci frigiditatẽ, vt docuit Gale. in 6. Epid. 15. separatur crassũ à tenui, & tenue mingitur, crassum verò in Calculũ abit. Hinc scribit Hippocr. loc. cit. post Mictum Pueris

E

F

Con-

Concretio;quasi Calculum dicat fieri ex materia A crassa,quæ in Vesica relinquitur post Mictionem partis tenuioris.Ex quo discursu, Auditores, potestis colligere,non fuisse Galeni sententiam, vt quidam existimarunt,Lapidem in Vesica fieri à frigiditate tanquam à causa exprimente tenuiorem humoris partem,& crassam relinquēte: hic enim est effectus frigiditatis positiuè ingentis, qualis in viuente corpore non adest. Frigiditas ergo Vesicæ ad separationem materiæ, & retentionem eiusdem facit non autem exsiccationē.

Exsiccatur hæc materia à causa calida,vt abūde docuit Hippocr.t.11.com.2 de natur.human. B & cōfirmauit Gale.in comm.13.eiusd.lib.in fin. Et hactenus de causis immediatis tam materialibus,quàm effectiuis.

De materialibus mediatis dictum est in pręcedentibus lectionibus;nunc de mediatis effectiuis Sunt autem illæ,quæ calorem Renum & Vesicę augent,sunt cibi,& potus acres, salsi,amari,aromatici,motus,Venus,balnea aquæ calidæ inunctiones,fomenta,& emplastra, somnus, seu decubitus in dorsum.Vt omittam causas præter na- C turam,inflammationes scilicet,& alia id genus.

De Differentijs Calculorum tam in Renibus. quàm Vesica.

Differentiæ Calculorū variæ sunt, partim desumptæ à quantitate continua,& discreta. Continua,quia alii sunt lapides magni,alii parui,alii mediocres.A' discreta,quia quandoque vnus est,quandoque plures,duo,aut tres.

A'Colore,quia alii sūt fusci,flaui,rufi,cinerei. D

A' Figura,quia nonnulli sunt triangulares,aut cum multis radicibus,nonunquam oblongi, aliquando rotundi,quidam durissimi sunt,alij friabiles.

Quoad Locum,ex his,qui in Renibus fiunt, alii in cauitate,alii in Renum substantia impinguntur.Ex his, qui sunt in Vesica, nonnulli in Cauitate Vesicę,alii in Collo,quidam in medio canali,nonnulli impacti in eiusdem colli Vesicæ carnosa substantia. E

Calculi Renalis signa Diagnostica.

Signa Renalis Calculi proponūtur ab Hippoc. 1.in 6.Epid.6. Horum vnumquodque nihil per se concludit.Primum est *Dolor*; at Dolor fit etiam ex flatu,inflammatione,& vlcere.Secundum est *Vomitus* pręsertim à cibo; sed Vomitus nō semper in Calculosis succedit,sed tūc tātùm, cùm membrana Renū distenditur,aut irritatur; tunc enim fit Vomitus compatiente ore ventriculi, propter communes neruos sextę coniuga- F tionis. Tertium signum, *Emictio Arenularum* addatis *rubearum* ad differentiam Arenularum Vesicæ, quę albę sunt: hoc quoque signum fallax est,quia,vt docui in pręcedente lectione,quādoque emittuntur Vrinę arenam in se continentes propter solam vstionem humorum in venis factam: accedit quòd plerunque Calculus adest, & tamē Arenulę non mingūtur,vel quia Calculus genitus fit ex pure,vel quia substantia crassa, quæ non potuit Renes transire,statim in magnū Lapidem fuerit conuersa: Quartum signum est *Mictio Cruenta*:Sequitur hęc Mictio ad Calculū tantùm asperum.Lęuigati enim Calculi Mictū non efficiunt Cruentur. Quintum & vltimum est *Stupor cruris* Hic Stupor nō fit in omni Calculo,sed duntaxat magno, atque illo, qui vsque adeo Renes extendit,vt neruos,& musculos cruris motorios comprimat.

Addunt nonnulli *Dolorem Testiculi* ea parte, qua Lapis est. Quidam etiam fieri dicunt *Lotij suppressionem*:Non autem supprimitur, nisi Renes ambo magno laborent Calculo. Itaq; plura simul contemplanda sunt signa: & si vir assuetus Arenulas emittere non ampliùs illas reddat, doloremq; Ilei incidiat,cùm aliis signis propositis,tum certum ęst Calculi signum.

Signa distinctiua.

Ab hoc autem,qui est in Vreteribus,Renalis Calculus sic distinguitur; quia hic prohibet,quo minùs patientes flecti possint: at lapis Vreterum prohibet erectionem corporis: prætera dolor ex Calculo in Vreteribus est longè maior,& exorditur ab Ileo,& ad pubem tendit,neque diu perdurat.

Calculi in Vesicca Signa Diagnostica.

Lapis autem in Vesica habet alia multa signa, sed valde dubia. Proponitur *Frequens Mictio*: at Frequens Mictio potest etiam fieri ex vlcere,aut ex acrimonia humoris,vel eiusdē salsedine.Si proponatur *Difficultas Meiendi*,difficultas ex aliis multis fit causis vt grumo sanguinis pure,materia viscida,carne adnata, pręterquàm quòd maior Calculus non facit vrinę suppressionem; non enim magnus Calculus facilè ascendit,& si ascendit,non potest ingredi Collum Vesicæ. *Mictio Arenularum* proponitur ab Hippocr. 4.aphor.39.tanquā signum Lapidis Vesicæ. Hoc quoque tunc veritatem continet,cùm assuetus ad Mictionem Arenularum,quæ albæ sunt,nō ampliùs illas mingas,sed tenues reddat vrinas:& si puer fuerit,habebit illa signa,quæ proponit Gal. 1.de loc.affect.1. vt scilicet scalpant frequenter glandem pudendi, quasi pruritu tententur, vt propterea facilè, & frequenter illis erigatur pudendum,sed paulò post flaccescat,& si Calculus fit minor,supprimatur vrina. Et suppressionis causam fuisse calculum cognoscetis experimēto a Galeno proposito,vt scilicet pueri supino ventre collocati,& elatis cruribus agitentur: si post agitationem expeditè mingant,certum est Calculum fuisse impedimento, sin minùs syringa deturbandus est calculus: & ipsamet syringa in Ve-

in Vesicam imposita maiores etiam Calculi faci- A lè sentiuntur, dummodo non sint multo muco obliti, aut membrana obducti, in quibus casibus nihil valet syringa; Cognoscuntur autem ex grauitate, & præcipuè dum scalas ascendunt: & si sedant, & percutiantque pedem ad terram, sentiunt pondus circa Vesicam. His quoque aluus est adstricta, & adest ani procidentia: & in pueris immisso digito in anum calculus facilè sentitur.

Prognostica Singulorum. B

EX Calculis, Renales Parui minùs periculosi sunt quàm magni. Contra verò Calculi Vesicæ quo maiores eo faciliùs curantur, & minus periculi continent tamen magni, qui in Renibus sunt extrahi non possunt, tametsi Ambros. Parçus lib. 24. sui magni operis c. 19. scribat sagittarium quendam Renali Calculo tentatū, & morti damnatum experiundi gratia apertum esse in loco è directo doloris, ac fęliciter curatum: Sed C est rara auis: Minores autem Calculi Renales non difficili negotio atteruntur, & dissoluuntur.

In Vesica autem difficillimè, & cum Parui fuerint frequentius Collum Vesicæ ingrediuntur, Vrinam prohibent, vlcera, & dolores, atque ardores ingentes inferunt: maiores verò quiescunt in fundo, vel si aliquando ascendant, vrinam nõ prohibent, atque ideo, vt antea dixi, minus molesti sunt, quàm parui. Hanc ob causam non libēter accipio Pauli sententiam, qui lib 6. c. 6. scribit eos, qui magnum habent Vesicæ Lapidem sectio D nem melius sustinere, quàm illos, qui habēt paruum, eo quòd illi, qui magnum habent Calculū doloribus & inflammationibus frequētibus sūt assueti. Ego experientia obseruaui, & ratio illud persuadet minores calculos plus irritare Collum Vesicę, plus molestiæ inferre, quàm maiores. Imò verò maiores aliquando multo muco obliti adhęrent Vesicę, vt propterea vna ex parte magis periculosi sint, altera ex parte minùs periculosi. Periculosiores sunt, quia extrahi non possunt, nisi laceretur vesica: minùs periculosi sunt, quia im- E mobiles iacent, ideoque ex concussione neque pruritum, neq; frequentem mictionem faciunt, neque ampliùs Vrinam impedire possunt, vt ego duplici experientia probaui in duobus Venetis Clarissimis, quorum vterque diuturno vexatus Vesicæ Calculo cum multis, & grauibus symptomatibus, adhærente eodem Calculo ipsi Vesicæ vitam per multos annos sine molestia duxerunt.

Calculi Prophylactica, idest Præseruatio. F

AVxilia sunt duplicia: Præseruatoria, & Curatiua. Versabimur autem in præseruatorijs primo.

Præseruandi ratio in hoc est posita, vt succus crassus, & viscidus vel non gignatur, vel si gignitur, ad Renes & Vesicam non descendat; vel si transeat non retineatur; vel si retinetur in Calculum non concrescat.

Ne materia crassa generetur, tentanda sunt auxilia, & pharmaceutica & diætetica.

Pharmaceutica sunt omnia calorifica & siccātia, quæ cerebrum, & ventriculum confirmare possunt, & ad optimam coctionem faciendam aptissimum faciunt. Tales sunt, aquæ medicatæ plurimæ, magnæ antidoti, decocta ligni, salsæ &c.

Quoad diætam, Aer est eligendus pariter calidus, siccus. Exercitatio, Somnus, Venus, Cibus, & Potus debent esse moderatissima. Fugienda autem sunt omnia illa, quæ crassum augere succum diximus, vt caseus, lacticinia, pisces, placentulæ, legumina, partes animalium cartilagineæ, & cutaneę, vina dulcia, nigra, & crassa, aquæ turbidæ, & sabulosæ.

Vt verò prohibeamus ne materia genita transeat ad Renes, ad alios locos est reuellenda; omnium verò maximè ad Vomitum, & profectò nihil inuenientis apud Medicinæ scriptores magis celebratum ad Præseruationem lapidis, quàm est Vomitus ipse, qui in his, qui temperanter vixerūt bis tantùm in mense fieri debet post cibum: in intemperantibus debet fieri, & semel, & bis in hebdomada. Diuertitur quoque ad intestina, & per clysteres, & per medicamenta.

Clysteres hoc tempore Præseruationis sint minimè calidi; nam ex calore Renes quoque incalescunt, & materiam attrahunt; non sit tamen vsque adeo leues, vt ad se materiam trahere nõ possint: ideirco fiant ex decocto maluarum, hordei cum vnc. iiii mellis rosati, & drachm. i. Electuarij lenitiui, aut vnc. sem. benedictæ, vel diaphæniconis. In magno Renum feruore cum vnc. i. cassiæ extractæ, & vnc. iii. olei violacei.

Quoad medicamenta debent Nephritici habere aliquod medicamentum familiare, quo excrementa per intestina ducantur. Namqui aluū habent lubricam, & Diarrhæis vexantur, Arenulis, & Calculo non laborant. Itaque vtantur frequenter, aut melle rosato solut. ad vnc. iiii. vel. v. aut pilulis vel masticinis, vel de hiera cum agarico, vel de agarico Mesues, vel aggregatiuis, dum modo non componantur vel pilulæ, vel alia medicamenta cum Diureticis. Hoc dico, quia plures *Nota cautionem.* hoc tempore sunt, qui habent formulas quasdā medicamentorum, quæ aluum subducunt, & simul diureticam obtinent facultatem.

Quando est sermo de medicamētis materiam diuertentibus, nullo est opus diuretico.

Et propterea illi etiam malè agunt, qui pręseruationis tempore, & ad reuulsionis scopum vtuntur cassia. Cassia enim deiectoria est, & diuretica; propterea in hunc finem diuertendi non est accipienda.

Et in hac parte accipio Valeriolæ sententiam, qui lib. 6. Enar. Med. enarr. 9. damnat vsum medicamentorum diureticorum, purgantibus admi

florum pro hac intentione.

Diuertenda quoque est materia, potissimùm si ex capite defluxerit, ad os nares.

Cauteria vel in occipite, vel quod magis est

Cauteria. in brachiis infixa consulo, vt, quando cętera non prosunt, retrahatur materia ad articulos. Facillimus enim est transitus doloris Nephritici in Arthriticum, & Arthritici in Nephriticum, est que minus malum Arthritide tentari, quàm Nephritico. Dolor enim Articularis propter molestiam in vitæ discrimen non adducit, sed Nephritis, & Vesicæ Calculus propter multos labores, B & eos quidem indeficientes, miseros patientes necant: itaque diuertatur materia ad Articulos frictionibus, balneis, frequentibus inunctionibus calidis, sinapismis, & vesicantibus.

Victus Ratio.

IN eundem vsum debet institui victus ratio, in qua sit hoc commune pręceptum, vt nullo vtantur Diuretico neque proprio, neque improprio. C

Notandum.

SVnt qui præcipiunt frequentem vsum raphani, petroselini, fœniculi, vini albi, vno verbo omnium diureticorum. Hęc præseruationis tempore, quando materia non fluxit ad Renes perniciosissima sunt. Si iam fluxerit (id quod declarat grauitas Renum, & dorsi, vrinæque crassiores) consultum est dureticis vti. D

Therapeutica Calculi, id est Curatio.

SEd in eo casu, dum curarę volumus, & materia iam decidit, Diureticis præmittatur reuel lentia, siue Vomitus, siue Medicamentum, aut Clyster, postea que, si Renes sint valde calidi, agendū E medicamentis euacuantibus humorem per vrinam, quæ frigida sint, vt sunt emulsio seminum frigidorum, aqua plantaginis, alKeKengi, seu solatri, halicacabi.

Si materia sit valde crassa, & frigida, eligēda sunt potiùs calida, sed non tantùm siccantia, verùm incidentia, vt est Oxymel scilliticū ad vnc. i. sem. cum decocto pollij montani, saxifragæ, ononidis, chelidoniæ, matricariæ, & aliorum, de quibus dicam infra. Hæc quoque faciunt ad euacuandas Arenulas, si quæ fuerint genitę, pręcipuè F verò quando illa admisceantur, quæ vias dilatare possunt, vt est decoctum ex folijs, seminibus, & radice althęę, & maluarum addito butyro.

Quòd si caliditas ea sit, quæ humorem exsiccet potiùs, quàm natura crassi & lenti humoris, fugienda sunt hæc calida, & omnia attenuantia, A & potiùs refrigerandum est corpus, & Renes.

In hoc casu conuenit venæ sectio vel ex Cubito vel ex Pedibus: ex cubito ad Reuulsionē; ex Pedibus ad Deriuationem. Conuenit alteratio per aquas thermales frigidas, ferratas scil. vel per serum caprinum, vel per emulsiones iam dictas, aquasque stillatitias plantaginis, florum nymphęę, alKeKengi. *Venæ sect.*

Extrinsecùs quoque Balnea in hunc vsum veniunt aquę frigidæ, vel emplastra, vel linimenta ex succis semperuiui, nymphęæ, portulacæ, plantaginis, aut inunctiones ex vnguento rosato, vel infrigidante, vel Gestationes super dorso ex ipsissimet foliis nymphææ Hęc, vt dixi tunc administranda, cùm Renes pleni non sunt, sed tantùm alterare calidam intemperiem cupimus: nam si adsit grauitas in dorso, aut dolor aliquis, signum materiæ præsentis, hæc frigida non conueniunt.

Medicamenta à Medicinę scriptoribus proposita pro Calculosis sanandis non modò multiplicia sunt, verùm etiam vsque adeo contrarium inter se facultatum, vt quando sine distinctione proferuntur, facilimum sit inexpertum medicū in illorum administratione peccare.

Itaque non expectetis à me in præsenti lectione ingentem medicamentorum syluam, sed accuratam tantùm distinctionem omnium.

Pro sanandis Calculis duo sunt pręcipuè scopi vnus vt Grandior Calculus vel atteratur, vel molliatur: Alter, vt iam Paruulus, vel mollitus, & attritus quamprimùm educatur. Totam hanc doctrinam paucis cóprehendit Hipp. 1. in 6. epid. 6. illis verbis: Quiescere non conducit, sed mouere cibis nō replere, sed iuuenes veratro purgare, poplitem seccare, vrinarijs mundare ettēnuare, mollire.

Loquemur primum de Attenuātibus, quæ duorum generum esse putantur. Quædam enim atterunt Lapidem in superficie, quia cum aspera sint cortici exteriori lapidis confricata illum abradūt & comminuunt. In hac classe reponuntur, Lithospermum, Lapis Iudaicus, Vitrum combustum, Cortex oui, ex quo iam ortus sit pullus, & alia id genus aspera. Hæc vt ingenue dicā, mihi nullius vidātur frugi, quandoquidem si vsque adeo aspera ad locum lapidis perueniant, vt ipsum possint erodere, multo facilius erodent, Venas, Iecur, & Renes, præterquam quod hæc vsque adeo comminuta, & in puluerem redacta exhibentur, vt non possint sua asperitate durum Calculum corrodere: Hæc itaque imaginaria mihi videntur. Sunt alia atterentia tendium pertium, quę poros, & angustos Lapidum meatus penetrare possunt; Penetrando autem vnam partem ab alia diuidunt, valentque hæc potissimùm in Lapide genito, & cōflato ex multis arenulis; facilè enim hæc attenuātia se insinuant inter Arenulam, & Arenulā, & sic Lapidem dissoluunt. Talia sunt quàm plurima temperata, de quibus meminit Gal. 5. simpl. 13. Inquit enim ea, quæ callos, & Renū duritiea attenuare debent, moderate calida esse debere, ne nimio calore humorem exsiccent, corpusque magis

gis indurent Talia sunt radix aspparagorum, brusci, graminis, pentaphylli, capilli veneris, terebinthina, mel aut simplex, aut saltem in oxymellite vel mulsa, vel alia ratione præparatum.

Molliunt autem Lapidem omnia humida, dummodo sint tenuium partium. Non est necessarium, vt quæ molliunt sint frigida humida; nam etsi Aristot. 4. meteor. voluerit ea, quæ indurantur à calido sicco, molliri debere frigidis humidis, nihilominus frigiditas non est necessaria, quia calor, qui exsiccauit, iam euanuit, & corpus durum est redditum: quod actu exsiccatum est, actu quoque humectandum, siue humectatio fiat cum materia humida, siue temperata; non tamen omne humidum mollit Lapidem, sed illud tantùm, quod tenuium est partium, atque ideo arctissimos Lapidis poros ingreditur: Talia sunt quædam simplicia, & ea frigida, succus limonum, citri aranciorum, oxalidis, & acetum. Alia verò à Medicis componuntur, & iure optimo. Vbi enim non possint omnes istæ intentiones in simplici medicamento reperiri, debent simul coniungi. Itaque parantur aquæ variæ, quę recipiunt medicamenta tenuium partium, atq; simul humida, vt penetrare possint, & mollire: Talia inuenietis apud varios varia. Ego tamen vobis descriptionem dabo illius aquæ, qua vtor feliciter ad frangendum lapidem, & proprium de illa bis exprimentum feci.

Recipe succi raphani lib. iij.
limon. lib. ij.
acet. alb. lib. ſ.
Succ. pimpinel.
beton.
Saxifrag.
Parietar.
fruct. alKeKang:
alth. arbor. an. vnc. vj.
Rad. petroſel.
Fœnic.
Acori.
Enul.
Beton.
Agrimon.
Gentian.
Ireos.
Florent. an. vnc. ſ.
Sem cucumer.
Petroſ. Macedo.
Portulac.
Ocymi.
Caryophyllat. an. vnc. ʒ.
Fol. & flor. viol.
Thapſi barbati:
Scolopend.
Bugloſſ. an. M. j.

Infundantur infundenda in prædictis liquoribus in quibus dissoluantur.

Mell. deſpum. lib. ij.

Et omnia deinceps ponantur in alembico & destillentur.

Ego, auditores in eadem destillatione ponere solebam Therebinthinam, sed quia oleum therebinthinę supernatabat, & qui accipiebant in primis diebus habebant totum oleum, Ego nunc temporis præbeo aquam separatam ab vnc. ij. ad vnc. iiij. cum drach. ſ. vel vnc. j. olei ex Therebinthina. Aqua ista, vt potestis videre, non tantùm est composita ex attenuantibus, & mollientibus, verùm etiam ex his, quę augent serosam humiditatem, & quæ illam secernunt à sanguine, & quæ dilatant vias, vt facilè Calculus egrediatur, quæ omnia sunt necessaria, quia vbi serum non sit multum, aut viæ adstrictæ, difficilimum est Calculum exire. Paucis ergo intellexistis, quibus atteri aut molliri possit Lapis.

Loquamur nunc de illum educentibus. Educitur Lapis medicamētis, & externis & internis; externa aut illum attrahunt è Renibus in Vesicā aut vias dilatant. Attractio fit aut manu inuncta oleo aliquo calido, quæ incipiat fricare locum dolentem, & paulatim descendens vsque ad pubam. Idem pręstant cuçurbitulæ pari ratione appositæ, vt scilicet primo apponantur loco dolenti proximè, & sicut descendit dolor ita descendat cucurbitula. Multum certè præstat hoc remedium ad mouendum Lapidem. Hoc facit omnis corporis motus, ambulare, equitare, vehicurru, fodere, & remigare. Hinc Hipp. Quiescere non conducit, sed mouere.

Quæ Vias dilatant, sunt emplastra confecta ex parietaria, ex malua, althęa, ex seminibus lini cocta cum butyro, oleo amygdalarum dulciū, pinguedine anatis, & anseris. Idem pręstant omenta pariter oleo amygdalino, pinguedine & butyro illita; Et si angustia augeatur ex flatu admiscendum est oleum chamomelin. anethin. rutaceum. Si augeatur ex humorum crassitie, addenda sūt ea, quæ attenuant, vt succus raphani, feniculi, apij: Facienda fomenta, quæ vel per spongias, vel vesicas loco dolenti admoueantur, quę recipiant decoct. maluę, althęæ, seminum lini, & fænugręci, polij, montani, saxifragiæ, ononidis, parientariæ, eringij, pulegij, nepitæ, raphani, & radicum diureticarum.

De Balneo.

EX his quoque Balneum parari potest, in quo sedeant patientes vsque ad vmbilicum, quod maximè valet ad digerendos flatus, atque ad attenuandum humorem, sicuti balneum ex simplici oleo, vel vesicæ eodem, imbutæ Renibus, & Vrinariis Vasis adhibitæ plus valent ad dilatandas vias.

Ad hunc scopum valent quoque venæ sectio in pede, cucurbitulæ, & frictiones partium inferiarum. Hæc enim omnia Lapidem mouent.

Intrinsecùs autem exhibenda sunt illa, quę Lapidem propellunt, & vias dilatant. Propellunt Lapidem omnia vomitoria, omnia, quæ sternutamentum mouent, omnes clysteres validi, &

modi-

medicamenta deiectoria. Hinc Hippoc. iuuenes veratro purgandos esse. Dum enim fit ille conatus vomendi, compressis partibus, vbi est Calculus fit eiusdem compressio. Subducta autem aluo exeuntes humores per intestina propter loci vicinam pariter mouent Lapidem, sed propter aliam causam iuuant quoque hæc purgantia, quia scilicet primo diuertitur materia, & sic nouo humore non affluente, Lapis faciliùs educitur: deinde verò inanitis intestino, & vasis ipsis amplius habet Calculus spatium ad exeundũ, quàm vbi & venæ sunt turgidæ & intestina repleta, hinc fit, vt Doloribus Nephriticis tentatis à clysteribus alui fecese ducentibus mirificè iuuentur; quia Lapis non compressus minorem facit dolorem. Denique impellendus est Lapis diureticis, quibuscunque siue proprijs, siue improprijs. Impropria appello ea, quæ augent serosam humiditatem in corpore, aut ipsamet serosa sunt, vt propter quantitaté serosæ humiditatis per Loca Vrinaria transeuntis Lapidem secum ducant. Hinc factum est, vt semina melonum, & alia omnia semina frigida, & plantaginis, imò, vt scribit Aetius, portulacam quoque & serum multum, & aquæ thermales plurimæ quotidiam experientia videamus Arenulas, & Calculos secum educere. Idipsum faciunt ex accidendi vera Diuretica quatenus scilicet separant serum à sanguine vt Galen. 5. simpl. 13. & sic Renes ipsi multum attrahentes serum vna cum sero Lapidem excernunt, Hinc Hipp Vrinarijs mundare.

Omitto ea, quæ existimantur à proprietate iuuare, vt est sanguis hircinus præparatus: sanguis vulpinus præparatus: corium leporis vstum, & in cinerem redactum: Auis Trostragolu, Lapis Lincis, Iudaicus, & alia plurima. Auis autem Troglodyns communiter Tremulus vocatur. Vbi verò Lapis magnus in Vesica, sectione opus est, de qua ne verbum, quia hoc Chirurgis relinquo.

DE STRANGVRIA, DISVRIA, ET ISCHVRIA. CAP. XXXVII.

Mictionis Vitia, quæ nobis adhuc tractanda supersunt, vnico excepto ad tria capita rediguntur; imo verò ad duo omnia reduci possũt. Ad tria quidé videlicet ad Stranguriam. Dysuriam, & Ischuriam. Ratio autem est, quia Disuria, vt notauit Gal. in com. 48. 7. par. aph. significat duo: Ardorem scilicet, vel Dolorem in emittenda Vrina, & difficultatem. Itaque quatenus significat Ardorem, vel Dolorem potest reduci ad Stranguriã, & quatenus Difficultatem ad Ischuriam. Hinc Gale. 6. de loc. aff 4. & 3. de caus. sympt. 2. Dysuriæ non meminit etiam si Vitiatæ Mictionis differétias omnes exponere profiteatur.

Est igitur Strangurìa Mictio praua, & ea quidé duplex. Vna quidem in qua frequéter, & parum mingunt patientes, cuius meminit Gal. 5. aph. 58. aut est Vrina guttatim effluens, idque fit dupliciter: Vel inuoluntariè, vel volentibus nobis mingere tantùm. Si inuoluntariè fiat, reducitur ad Vrinæ Incontinentiam; si tunc tantùm, cum quis per electionem mingit, ad Stranguriã pertinet. Ischuria nihil aliud est quam Vrinę supressio vel integra, vel imperfecta. Dixi ad has differérias ferè omnia Vitia redigi. Excipio enim prauam Mictionem ratione Loci, cùm scilicet quispiam non mingit per glandis foramen, sed aut per foramen in pene factum, vt vidistis superioribus diebus in puero, aut per foramen in collo Vesicæ, aut per pubem, vidi ego nobilem Venetam, quæ mingebat per vterum facto vlcere, & fistula ab vna in aliam partem.

De Mictione per Locos, & partes huic Excretioni non destinatas.

De hoc Affectu pauca sunt nobis dicenda, quandoquidem si foramen glandis iã sit occlusum non simplici membrana, sed excrescente carne obductum, curatio omnino impossibilis quicquid dicant illi de incisione, de perforatione facta ferro ignito. Sunt omnes fabulæ: nam qui proposuere, vel non sunt experti, vel si experientiam fecere non bene res successit. Vbi verò apertum sit foramen, spes est salutis, incumbendum est sanationi vlceris, vel fistulæ, per quam excernitur Vrina, & profecto diligente Chirurgo bene procedit hæc operatio. Et ego duos vidi, qui foramen habebant in inferiore parte pudendi, per quod mingebant, ambos sanatos. Fuerunt hi Illustrissimus fœlicis memoriæ Iacobus Malatesta, alter Illustrissimus Andreas Mocenicus, qui adhuc viuit; Operationem chirurgicam non propono, sed statim transeo ad Stranguriam, & Ischuriam.

Causę Strangurię.

Fit Strangurìa vel ex errore externo, vel ex morbo Vesicæ. Error Externus est Vrina, vel acris, vel multa. Acris vel propter bilem admistam, vel propter pituitam salsam, vel denique ob materiam purulentam: hinc Hippoc. 5. aph. 58 Stillicidium Vrinæ fieri scribit Renibus purulentis. Ex copia fit Stillicidium, vel criticè, vel symptomaticè. Criticè expurgante natura humorum colluuiem per vrinas, de qua Stranguria loquitur Hippocrat 2. in 1 Eph. 8. quando inquit Vrinæ Strangutiosæ non Nephriticę. Et in tex. 41. eiusdem libri loquens de ægrotis illius constitutionis, inquit eos sanos factos, quibus Stranguria successisset. Fit & ex morbo Vesicę. Morbus autem vel est essentiam, vel per consensum. Essentialis est vlcus, inflammatio abscessus inæqualis intemperies, & flatus distendens. Hæ omnes

omnes causæ faciunt Mictionem, vel paulatim, & frequenter redditam, vel stillatim, sed cũ maximo dolore, vt propterea aliquando connumerentur inter causas Doloris, seu Ischuriæ, vt 7. aphor. 48. Aliquando inter causas Stillicidij, vt 3. aphor. 16. Per consensum verò fit Stillicidiũ Vrinæ compressa Vesica ab Vtero, vel Intestino recto inflammato, vel alio tumore effecto. Vtriusque causæ meminit Hipp. 5. aph. 58.

Causa Ischuriæ.

ISchuria verò, quæ est Vrina Suppressio, dupliciter fit, vel vacuá vesica, vel plena. Si vacua est Ischuria impropria, vt notauit Gale. 3. de caus. sympt. 2. Cùm enim retinetur lotium, vel vitio Emulgentium, vel Renum, vel Vreterum: & causa retentionis est, vel attractrix facultas harũ partium extincta, vel sopita propter frigidam intẽperiem: vel est morbus in via, siue obstructio, aut conniuentia, aut compressio, aut coalescentia; & siue obstructio fiat à Calculo, pure, pituita, crassa grumo sanguinis, vel carne adnata.

Quòd si retineatur Vesica plena, tunc propriè dicitur Ischuria. Retinetur autem, vel extincta facultate Vesicæ sensitiua, proptre neruorum, qui in corpus Vesicę inferuntur, paralysin. Dico neruorum, qui in corpus Vesicæ inferuntur, non in musculum constrictorium, quia vt docuit Galenus 6. de loc. affect. 4. illius nerui resolutio est causa Incontinentiæ Vrinæ. Cùm autem Vesicæ corpus amittit sensum, vt idem explicat loco citato, non sentit Vrinæ copiam, quam in se continet, idcirco nunquam mouetur id illam reddendã. Aliquando amittitur facultas constrictoria Vesicę nimium distentis fibris ipsis, constrictionem efficientibus: id verò contingit, vt Galen. loc. cit. ijs, qui vltra modum Vrinam retinere voluerũt, vel quòd essent in conuiuio, vel alio in loco. Retinetur etiam quandoque propter morbos in via, qui sunt illi met, de quibus antea mentionem feci, obstructiones, humores;

Signa Stranguriæ, & Ischurię.

ISti affectus ex dictis facilè dignoscuntur, sed causas affectionum, & loca distinguere oportet.

Si fiat Stillicidum ex Vrina biliosa, pręterquã quòd aderunt signa temperamenti calidi, & sicci, Vrinæ quoque erunt rubræ, aut subrubrę, admodum splendidæ, & contentum simile habebunt. Inæquale verò faciunt Vrinę Stillicidium prout modò plus, modò minùs biliosi humoris, illiusq; vel acrioris, vel minùs, acris cum Vrina miscitur.

Pituita salsa tanquam crassa, & viscida facilè dignoscitur, quia in fundo residet, & sublata aliquo ligno tota simul eleuari potest, ad differentiam puris, quod residet quidem in fundo, sed magis album est, quandoque etiam sanguini cõmistum, neque sibi ita cohærens.

A

Multitudo seri si faciat Stranguriam facilè distinguitur à priore; nam in priore Vrina guttatim excernitur: in multitudine seri sæpe mingunt patientes, sed non multum: & si multitudo fit ex colliquatione, adest febris ardens, & pinguedo supernatat. Si fit purgatio vniuersi corporis, adest quidem febris, sed colliquatiua, & excretio fit cum tolerantia, & febris imminutione.

B

Quòd si Stillicidium fiat ex Vlcere Vesicę, iã habuistis signa.

Si ex Inflammatione, aderit dolor continuus, calor ingens circa pubem, rotundus tumor in eadem parte, difficilis excrementorum alui deiectio, refrigerata extrema, febris continua quidem sed quę eodem die multas habet exacerbationes, & horrores: toties enim videtur horror inuadere, & febris augeri, quoties nouum confluit serum in Vesicam. Confluit autem sæpius in Vesicam inflammatam quàm non inflammatam. Loci enim calor ad se trahit pluries, itaque exacerbari videtur.

C

Abscessus cognoscitur ex præcedente inflammatione, quæ vsque ad septimum diem resolui non potuit, imò verò eo tempore nouos habuit horrores & febris incrementum, sicuti quando desinit in tumorem durum, tumor persistit, sed indolens; impedimentum tamen augetur.

Flatus facilè cognoscitur, quia si comprimatur locus Vesicę, rugitum & flatum sentiunt patientes in tota ab dominis regione, & à flatum digerentibus subleuantur.

D

Inæqualis Intemperies difficilis est cognitu: Si deficientibus signis aliarum affectionum qui spiam stillatim mingat, & cum dolore, referenda est causa in inęqualem intemperiem.

De tumoribus Vteri, & Intestini hoc tantum dico, quòd hac ratione possint deprehendi: nam si tumor sit in Recto Intestino, quando patientes decumbunt in latus, meliùs mingunt, quàm in dorso; sicuti si Vteri sit tumor meliùs proni, quã supini mingunt. Alia signa in aliis locis videatis.

E

Multum interesse signa proponere distinctiua suppressi Lotii Vesica Vacua, vel potiùs Repleta.

Vbi enim Vacua sit Vesica, tangenti pubem, locus apparet flaccidus, & inanis, nullum adest Vrinæ irritamentum, & si quis syringam imponat, frustra imponit. Præterea serum illud supra Renes retentum febrem efficit continuam cum sopore, nausea, vomitione, sialismo, ventris fluctuatione, sudore fœtido, & cachexię initio.

F

Quòd si causa suppressionis supra Renes fuerit Inflammatio, febris est acuta, dolor ingens, qui non modò ad dorsum pertingit, verùm & Vreteribus, & Vesicę communicatur, testiculus partis inflammatę contrahitur, stupor cruris quandoque succedit, quãdo scilicet inflammatio vergit potiùs ad musculos exteriores, quàm ad partes interiores. Lotium antequam supprimatur, rufum,

rufum, & rubeum redditur, cui supernatat pinguedo: & ad differentiam pinguedinis supernatantis propter colliquationem totius corporis, vt docuit Galen. 7. aph. cóm. 35. concors cũ Hippo. loc. cit. multa excernitur simul. Nam in colliquatione ex toto pauca, & paulatim decidit. Cęteras causas colligere potestis ex hactenus dictis de Mictus Sanguinis, & Puris, de Capillitio, ac de Renalibus Calculis. Quod si fiat propter Infirmitatem attractricis facultatis, paulatim fit Suppressio Vrinæ, lotium est tenue, & crudum, insignisque est refrigeratio circa Renes.

Quòd si Vesica sit plena, facillimè deprehenditur ex tumore rotundo, & quia, excepta Suppressione facta propter neruorum Paralysin, irritantur ad Mictionem; nec tamẽ actionem explere possunt. *Dixi excepta neruorum paralysi*, quia in hoc casu Vesica neque pondus, neque acrimoniam Vrinæ sentit; atq; ideo si quis manu comprimat Vesicam, Vrina excernitur.

De signis Inflammationis iam dixi.

Quòd si sit Obstructio, vel ex Grumo Sanguinis, vel ex Pure, vel ex Crassa Pituita, vel ex Calculis, cognoscetis, quia Suppressio subito fit, & sine febre, & imposita syringa non modò tollitur impedimentum, verùm etiam cognoscitur causa obstruens; nam ipsi syringę adhæret, vel sanguis, vel crassa pituita, vel pus, quæ etiam simul cum Mictione excernuntur.

Si fuerit Caro, precessit vlcus, præcipuè illis, qui gonorrhæa venerea laborarunt, & syringa ipsa caro facilè deprehenditur.

Prognostica.

SVnt omnes istæ affectiones, & causæ magni momenti: Et si Vrina Supprimatur Vacua Vesica paucissimi euadunt, nisi quàm primùm lotium educatur. Ego duos vidi: vnam Monialem, alterum Nobilem Venetum, quorum prima vndecima obiit, alter quarta die.

Quòd si Supprimatur Plena Vesica, minùs malum est, nisi Vesica Abscessu, aut Inflammatione laboret; tunc enim syringa locum non habet; nam si in Vesicam inflammatam syringam imponatis, inflãmationem augebitis. Idcirco primo lib. de loc. aff. 1. cap. in casu simili scribit se ab impositione catheteris, idest syringæ abstinuisse.

Si fuerit Abscessus (res experientiam obseruata, quam tamen scriptam à nemine inuenietis) vbi imponitur syringa in Abscesu Vesicæ, ingreditur syringa inter membranam, vbi factus est abscessus, & sic nihil excernitur: non Pus, quia ingredi foramen non potest, non Vrina, quia syringa non peruenit ad concauitatem Vesicæ.

Curatio.

TRanseo ad Curationem: & quia ex iam declaratis de Mictione Sanguinis, Puris, Arenularum, & Calculorum facilè potest haberi curatio Suppressionis Vrinæ ex Calculo, pituita, Pure, & Sanguine Ex his quę diximus de Mictu Inuoluntario patet curatio Suppressionis Vrinę ob Paralysin, vel Refrigerationem Vesicæ, & Renũ: idcirco in præsentia versabimur in Inflammatione Renum, & Vesicæ, & in curanda Ischuria ex grumoso sanguine.

DE INFLAMMATIONE RENVM ET VESICAE. Cap. XXXVIII.

INflammatio igitur Renum, & Vesicæ habet quædam remedia communia; quædam verò propria. Communia sunt, quæ ad Reuulsionem & Deriuationem pertinent; Propria sunt localia.

Ad Reuulsionem pro vtroque loco inflammato facit Venæ Sectio in cubito dextro, vel sinistro, prout dextra vel sinistra pars magis laborauerit: Et quamuis Auicen. videatur voluisse, sinistram basilicam in his casibus semper esse secãdam eo consilio, vt docuit Nicol. Florent. ne materia in iecur trahatur, sunt nugæ; nam sectio venæ in cubito non trahit materiam in Renibus existentem, multo minùs in Vesia, sed prohibet, quo minus sanguis fluat in eum locum. Inquem vsum faciunt cucurbitulæ scarificatæ, vel non scarificatæ humeris, & brachiis appositæ, frictiones, ligaturæ supernatum partium, maximè verò Vomitus, qui in hoc casu quotidie, donec inflammationis augmenti signa adsint, tentandus est. Potest & reuellere vsus hirudinum ad hæmorroides, vel vno verbo, sanguinis missio per venas sedales, seu fiat frictione aspera, seu alio ingenio. Hinc ait Hippocr. 6. aphor. 11. Nephriticis hæmorrhoides superuenientes bonum: sed & clysteres ab initio refrigerantes ex decoctione hordei, violarum, & plantaginis cum cassia & oleo viol. mirificè valent, sicuti etiam medicamenta aluum subducentia facultate frigida, vt cassia, thamarindi, syrupus rosat. solut. diaprunis simplex &c.

Ad Deriuationem facit venæ sectio in poplite. Hinc Galen. 13. meth. 11. loquens de Inflammatione facta, cui conuenit deriuatio, huius tantùm sectionis venarum infernarum mentionẽ facit, sicuti etiam in 6. partic. com. 36. & 7. part. aphor. cum. 48. Vbi illa verba Hippocr. *secare verò inferiores venas*, interpretatur in Affectibus Renum secandas esse venas inferiores, sed, vt dixi, loquitur de Deriuatione tantùm: nam lib. de rat. cur. per sang. mis. cap. 14. scribit Renes iuuari secta vena, & superna ad Deriuationem. Hactenus conuenit Inflammatio Renum cum Inflammatione Vesicæ in auxilijs.

Quod spectat ad Localia in quibusdam differunt: primo in externis; Vesica enim inflammata etiam circa initia non admittit impensè frigida: est enim corpus frigidum, facilè stupescit, & si præ-

si præter impedimentum facultas etiam contra- A ctoria stupescat, actum est de mittendo lotio. Quòd si retineatur, Inflammationem auget: sed nec acetum Vesica sustinet, cùm nerua sit, vt sustinent Renes. Ideirco satis est circa initia loco dolenti imponere linteum oleo violato, aut rosato completo imbutum, admisto succo limonum.

Pro Renibus autem potestis parare linimentū ex succo solani, semperuiui, plantaginis, portulacæ cum aceto: Conuenit vnguentum infrigidans Gal. rosatum Mesues, admistum succis istis.

Prętetea differūt in materia interna, quia vbi B Vesica sit Inflammata, augenda est quantitas liquoris, quia exhibentur ad refrigerandā partem Inflammatam: Sunt autem emulsiones seminū frigidorum, vel maiorum, vel minorum, prout inflammatio magis legitima, vel spuria, erysipelacea, tempusque anni ætas iuuenilis, & temperamentum calidum, ad sustinenda maiora frigida sufficere possunt. In quo casu semina ista dissoluenda sunt cum aquis stillatit. plantaginis, solani nymphææ, semperuiui, & violarum. Conuenit seserum his herbis alteratum, aut emulsionibus ad C mistum; conuenit aqua hordacea. Scribunt Arabes, in Vesicam Inflammatam iniiciendos esse per syringam liquores istos frigidos; sed si non licet syringam imponere, vt educatur Vrina, multo minùs licebit hos locos irritare, vt liquores iniiciantur, quos ignoramus; an ingredi possint nec ne, & si ingrediantur, an educere possint, nec ne. Itaque ab his abstinendum.

Sed dicet quispiam. Præceptum illud exhibendorum medicamentorum, quę ad Renes & Vesicam pertingunt, partibus istis inflammatione af D fectis esse contra Hale; qui 13. meth. cap. 11. pręcepit diuertendos esse humores à Renibus, & Vesicas inflammatis; non autem eo ducendos.

Sed nihil concludit hæc ratio: Loquitur Galenus de Veris Diureticis, quæ duplici nomine lædunt. Primo, quia calida & sicca sunt. Secundo, quia separant serosam humiditatē, quæ in venis reperitur, illamque in Renes deducunt: Hęc verò serositas acris est, secumque acres ducit humores, hinc valde noxia. Sed hæc frigida relata vero quæ carent in commodo, Inflammationem demulcēt, & serum in venis augent, idque alterāt.

In augmento tam intrinsecùs quàm extrinsecùs addenda sunt digerentia.

Intrinsecùs capillus veneris, cymbalaria, polytricū m, pentaphyllum, radix graminis.

Extrinsecùs oleū chamomel. aut anethin. vel fomentum ex rosis, plantagine, addito anetho, & chamomelo.

In Statu, si Inflammatio ad Resolutionē tendat, extrinsecùs vtendum fomentis non modò ex pulegio, chamomelo, anetho, & meliloto, verùm etiam calamentho, origano, sisymbrio, polio montano, fœnugræco, lini seminibus. Conuenit emplastrum de meliloto.

Et intrinsecùs omnia verè Diuretica calida, & sicca intertio.

Quòd si in Abscessum transeat Inflammatio, suppurantia sunt adhibenda, quæ parantur ex radicibus althęæ coctis, & per cribrum traqsmissis, ex folijs maluæ coctis, & contusis addita farina seminum lini, pinguedine anatis, & anserina, & sapa, aut decocto althææ, maluę, fœnugræco, & seminum lini.

Disrupto abscessu, quid agendum docui in tractatu de Mictu Puris.

De Grumo Sanguinis.


Denique in Retentione Vrinæ ex Grumo Sāguinis, si fuerit supra Vesicam, dissoluendus est Hrumus illis ipsis rationibus, quę putantur Lapidem confringere; nam quæ Lapidem molliunt etiam Grumos attenuant, vt

Succus limonum
Oxymel scilliticum
Acetum scilliticum
cum decoctione radicum diureticarū.

Si fuerit Grumus in Collo Vesicę, aut deturbandus per syringam, aut attenuandus iniecto pariter oxyimelle scillitico, vel limonum succo cum prædicto cecocto.

Finis Pars Secunda.


HER-



HERCVLIS SAXONIÆ PRÆLECTIONVM PRATICARVM PARS TERTIA

IN QVA AGITVR DE AFFECTIBVS MVLIERVM.

DE VITIIS CONCEPTIONIS. Cap. I.



E Mulierum affectionibus priuatim apud vos verba faciam, auditores nobilissimi, omissis inutilium quæstionum disputationibus quç de seminis officio, facultate, ac generationis loco inter Philosophos ac B Medicos excitantur. Illud vnum proponam, vt vos ipsos tam in arte cognoscendi, quam muliebres affectus curandi doctos facere possim.

Idcirco cum mulieribus a natura vterus singulatim sit datus, singulares cõsequenter ex hac parte sentiunt affectiones, quæ tametsi plurima sint, morbi scilic. ac symptomata, nobis, quibus est resolutiua methodus, placet a symptomatis incoare; ab his verò ad morbos transibimus.

Quanquam enim symptomata sint omnino plurima; quæ tamen ab actionibus desumuntur C læsis, omnium sunt pracipua.

Actiones autem vteri aceteris omnibus partibus segregatæ, & consequenter peculiares duæ sunt, conceptio scil & partus. De conceptionis vitiis primum dicam, mox vero & de partu vitiato.

Conceptionis vitia sunt in triplici differentia; nam aut imminuitur, aut tollitur concipiendi facultas, atq; hic affectus communi nomine sterilitas vocatur: Aut depranatur conceptio, ad quam pertinent mola, & prodigiosi ac portentosi om- D nes conceptus.

DE STERILITATE. Cap. II.

Quid sterilitas. QVod pertinet ad sterilitatem, est difficultas, vel impossibilitas concipiendi in muliere A per ætatem disposita, semen recipiente ex virili concubitu.

Dixi, difficultatem & impossibilitatem, vt nõ illas tantum comprehenderem: quæ nunquam concipiunt, sed & illas, quæ ægre, & cum difficultate.

Addidi, in muliere, vt excluderem hoc tempore sterilitatem ex parte seminis virilis.

Per ætatem disposita, quando quidem neq; ante 13. annum, neque post quinquagesimum sterilitas dici potest, quanquam mulieres non cõcipiant. Non ignoro quidem puellarum referri historias, quæ nono suæ ætatis anno conceperunt, vt legitur apud Sauonarolam lib. 6. suç practic. rubric. 6. cap. 21. & apud Syluium in com. de morb. muliebr. cap. 1. Scio, pariter legi apud Plinium lib. 7. cap. 14. Corneliam Volusiam Saturninam post annum 62. peperisse: Quinimo Valescus de Taranta in suo Philonio lib. 6. cap. 12. sexagesimo septimo ætatis anno aliam peperisse scribit. Ceterum hæc quasi portentosa, & extra naturç ordinem fiunt.

Addidi in muliere semen virile recipiente, per semen intelligens quidem tam virile, quam muliebre. Neq; enim Aristotelis sententiam accipio, l. 1. de gen. animal. c. 20. vbi semen mulieribus esse negauit. Iis enim inesse semen aliqua vi formatrice prçditum, vasa ostendunt seminalia, & præter ea testes & delectatio in coitu, nocturna pollutio, albæ materiæ effusio, ac symptomata ex semine retento producta. Non tamen volo, vsq; adeo necessariam esse ad concipiendũ muliebris seminis effusionem, vt etiam sine hac non possint concipere. Nam præter Aristotelis testimonium l. 1. de gen. animal. c. 19. & lib. 2. de gen. animal. c. 4. ego quoq; profiteor, me a mulieribus fide dignissimis accepisse, conceptum illis absq; vlla delectatione factum esse *Mulieres habere semẽ.*

Itaq;, quanquam hæc duo videantur inter se pugnare, ad conceptum concurrere quoq; semen muliebre, conceptumq; fieri absq; seminis muliebris

liebris effusione, non pugnant tamen. Nam si aliquando contingat, vt mulier, vel simul cum viro, vel paulo ante, vel post semen non effundat, fit tamen, vt ipsummet semen virile iam vteri partibus inhærens, semen muliebre etiam absq; delectatione perinde ad se trahat, sicuti etiam sanguinem trahit. A

Itaq; semen vtrumq; concurrit, neq; tamen in mulieribus pollutio, & delectatio in ipso concubitu est necessaria.

Dixi etiam semen recipiente ex virili concubitu, vt euellerem Auerrhois fabulam illius mulieris, quæ profitebatur se in balneo aquæ calidæ ex relicto semine concepisse: fabula est: Potuit quidem mulier in balneo concipere, sed ex congressu. Ac hac ipsa particula euellendam quoq; eorum sententiam volo, qui putant ex incubis dæmonibus mulieres non modò compressas fuisse, quod apud D. Augustinum, & D. Thomam est certissimum, sed etiam prægnantes relictas esse: hoc tanquam impium & à religione alienum ego prorsus reiicio, hac in parte Iacobi Ruffi sententiam secutus lib. 5. de hom. gen. c. 6. quamuis sciam historias non deficere earum mulierum, quæ certo putarunt se ex dæmonibus concepisse, quarum partus omnino suppositituos fuisse putandum: quandoquidem neque ex dæmonibus semen excernatur; & si alienum semen susceptũ in vuluam ad concipiendũ inferre possent, multa sane mala & incommoda, alioquin minime concedenda, succederet. B C

An ex dæmonibus fieri conceptio possit

Talis igitur est sterilitas. Cuius caussæ aliæ sũt Immediatæ, aliæ Mediatæ. Immediatæ facile patebunt ex conceptionis definitione, quæ a Galeno l. 1. de sem. cap. 4. his verbis est prodita; Conceptio est comprehensio seminis in vtero (addatis caussam finalem) ingenerationem hominis. Per comprehensionem autem tria intelligere oportet, attractionem scil. seminis ex ceruice in vteri cauitatem, eiusdem retentionem, distributionemq; ad singulos vteri parietes. D

Caussæ sterilitatis immediatæ

Quid cõceptio.

Comparabat Galenus materiam seminis illi materiæ, ex qua conficiuntur bellaria, vel crustulæ, vel placentulæ: Vterum vero illi ferro igni to, super quo extenduntur & fiunt. Sic semen, vt conceptus fiat, distribuitur in singulas vteri partes, & quasi placentula in membranam concrescit, & consequenter apponitur singulis venarum & arteriarum orificiis, vt propterea possit & semen muliebre, & sanguinem attrahere: dũ hoc potest facere, clauso, vteri ore, spiritus in semine inclusus, incipit huc atq; illuc moueri, partesq; seminales effingere, hicq; est conceptus. E

Itaq; steriles erunt illæ mulieres, quæ non possunt semen effusum in vterum trahere, aut attractum retinere, aut retentum distribuere ad singulas vteri partes. F

Mulieres steriles.

Quod si distribuatur, & alimentum non possit attrahere, hac etiam ratione conceptus non fit. Et hæ sunt caussæ immediatæ.

Mediatæ vero sunt illæ propter quas semen in vterum trahi non potest. Hæc autem facultas frustratur suo officio aut propter imbecillitatem, aut propter impedimentum.

Caussa mediata

Imbecillitas sequitur omnem vteri intemperiem, siue sit naturalis, siue aduentitia.

Impedimentum est aut in collo vteri, aut in ore nempe caro adnata, callus, coalescentia vel naturalis, vel relicta post vlcus, membrana, tumor vel scirrhosus, vel alterius generis: naturalis oris vteri constrictio, eiusdem ad latera distorsio, deniq; compressio a nimia pinguedine facta, auctore Hippocr. sect. 5. aph. 46.

Attractum semen non retinetur vel ex imbecillitate facultatis, vel ex impedimento, vel ex impedimento, vel ex obiecto. Et imbecillitas quidem intemperies, vt dixi, sequitur, præcipue vero humidam. Impedimentum erit ex tumoribus in corpore vteri, ex vlcere eiusdem, ex cicatrice relicta post vlcus, quæ nimiam in parte reliquit læuitatem. Oportet enim ad hoc, vt vterus retineat, illum aliquam habere asperitatem, & quasi plicas. Idcirco cicatrix vlceri superinducta ob nimiam leuitatem, retentionem prohibet. Idipsũ facit oris vteri laxitas, siue sit naturalis, siue contracta ex partu difficili, ex abortu, ex manibus obstetricis, aut speculo intromisso.

Deniq; ex obiecto non fit retentio, si semen sit vitiosum, acre, & vtero infensum.

Non fit etiam distributio, aut ex infirmitate facultatis alteratricis vteri propter morbos iam dictos, aut quia semen fit liquidius.

Vltimo loco non attrahitur sanguis ad vterũ, quando vel deficiat ob atrophiam, vel ob alias purgationes per nares, aut per hæmorrhoides, vel ex inedia, aut quando impediti sint loci ex tumoribus & obstructionibus, vel quando vitiosus & impurus fuerit sanguis.

Hæ sunt potiores sterilitatis caussæ, de quibus omnibus singulatim nobis est agendum: nam caussas istas superare nihil aliud erit, quam methodo resolutiuo singuli singulos vteri morbos inuenisse, & methodo curasse.

DE MORBIS, OB QVOS SEMEN VIRILE IN VTERVM NON REGIPITVR. Cap. III.

VT autem singulas sterilitatis caussas, & tractare, & congruis remediis superare possimus, ad tria capita omnes illas redigam: quorum primum continet omnes affectus, propter quos semen in vterum recipi non potest: Secundum illos continebit, propter quos receptum semen non retinetur: Tertium versabitur circa illos morbos & symptomata, propter quæ semen retentum infœcundum euadit, vteri parietibus non adhærens in fœtum non conuertitur. Et in prima classe multi tractabuntur, & ceruicis, & vteri morbi. Siquidem semen non recipitur in vterum, si coitus exerceri commode non possit: non potest autem, quando vteri ceruix, aut constricta, aut

aut obstructa, aut coalescens fuerit. Si constringatur, affectus iste Græcis, vt Paulo *lib.6.capit.72.* & Gal. *lib 9. de comp. med. sec. loc. c. 6.* dicitur φίμωσις, qui sane est duplex, naturalis scil. & aduentitia. De vtraque paulo post dicam. Constringitur præterea ex fissuris in conformatione aliqua exsistentibus; Græci ῥύαδες vocant; κονδυλώματα etiam verrucæ, & ἀκροχορδόνες, atque intumescentes hæmorrhoides idipsum præstant.

Obturant etiam meatum inflammationes, atq; illæ potissimum, quæ iam in scirrhum transierunt.

Sunt præterea alij duo affectus, nympha scilic. & cauda. Nympha Græcis dicitur κλειτορίς, estq; vitium non modo inuenustum, verum etiam conceptioni incommodum.

Coalescentia similiter, quæ fit ex vlceribus perperam curatis, sterilitati etiam vna ex præcipuis caussis esse solet; quod facit etiam nimia oris vteri apertio.

Denique non recipitur semen in vterum ob nimiam vteri frigiditatem.

DE PHIMOSI. Cap. IV.

Caussa phimosis ascititia.

Itaque hac in parte agemus de Phimosi, rhagadibus, verrucis, & thymis, condilomatis, nympha, & cauda, tumoribus induratis, coalescētia, vteri distorsione, & frigida intemperie. Incipiā a phimosi, quæ duplex cum sit, ascititia, & naturalis; Ascititia fit ex caussis externis, ex vsu medicamentorum adstringentium, vt decocto pincarū, rubei, myrtillorum, quibus vtuntur obstetrices, vt iam deploratas virgines iterum ostendant, sed facile curatur. Igitur de caussa hac nihil aliud dicam. Adstringitur ex caussa ascititia etiam, quando post inflammationes, aut vlcera, vel tumor, vel calor adnectitur, aut coalescentia, de qua dicam postea.

Caussa naturalis.

Hymenæum non omnes virgines habebant.

Naturalis autem fit ex membrana; vocātur istæ mulieres, teste Ætio *li. 16. c. 93.* non perforatæ, nihil aliud est hoc vitium, quam subcrescens quædā membrana, atque illa quidem eodem Ætio, vel prope summa ceruicis vteri labra (intelligetis autem vltra foramen vesicæ, alioquin enim mingere non possent) aut fit in media ceruicis vteri parte, aut prope os vteri. Hæc est mea sententia, quicquid sentiant Arabes: ac communiter obstetrices hymē siue hymeneum vocant: non tamen in omnibus virginibus reperitur, imo in paucis, & monstrosæ potius illæ sunt vocandæ, quę talem membranam habent, quam quæ sine hac sunt. Testes huius rei sunt præstantiores rei anatomicæ professores: Vesal. *lib.5.* Columb. *lib.10.* Ambros. *lib.23. cap.42.* Andr. Laurentius *lib.2. hist. mir. c.15.* & alij complures huius rei indagatores, qui vnam vel alteram, ex centum septem cum hac membrana inuenerunt.

Itaque cum hæc membrana sit monstrosa, habet tamen latitudinem aliquam: nam quædam est in medio perforata, alia nullum habet foramē. Et siquidem perforata menses debito tempore effluunt: Si tamen concipiant, tempore partus maximo vitę periculo pariunt. Posse autem illas concipere, quanquam sint obturatæ, docuit Ætius *lib. 16. cap. 92.* Quod si foramen non adsit, summum imminet periculum tempore eruptionis mēstruæ. Sanguis enim in vteri cauitatem effusus maxima infert symptomata; quod scribit Arist. *libr. 4 de gen. animal. cap. 4.* & confirmat Paræus ex sententia Ioannis Vuieri *lib. 23. qui est de gen. homin. capit. 43.*

Signa.

Huiusmodi affectus occultam satis habet notitiam; siquidem non possunt innotescere, nisi aut mensium, aut coitus tempore: quandoquidem, vt dictum est, vel menses non erumpunt, vel coitus perfici non potest.

Signa mēbrana.

Ceterum ad membranam dignoscendam, non satis est, menses non erumpere: nam plerisque non habentibus membranam, menses deficiunt, sed oportet symptomata ea superuenire, quæ sanguinē iam in vterum effusum, retentum tamen demonstrant; talia sunt tumor vteri, qui ementitum præ se fert conceptum: dolor lumborum & pubis, cibi fastidium, vomitus, febris, ingens præfocatio vteri, sudor frigidus, vt aliquando auctore Auic. partes extremæ liuidæ euadant.

Cognoscetis autem membranam esse in summa ceruicis vteri parte, & ita non modo cōceptus, & menses impediri, verum etiam coitus, præterquam quod diligenti inspectione patebit.

Quod si in media sit parte, conceptum similiter adimit & menses, coitum vero non prorsus.

Si prope os vteri, tollit conceptum & menses, coitum non.

Illud tamen obseruandum hic est, mulieribus etiam φίμωσιν patientibus, menstruas aliquando fieri purgationes, non tamen ex vtero, sed venis ceruicis vteri hæmorrhoidibus dictis; & sic scitur phimosis ex caussa naturali.

Signa non naturalis.

Quod si præter naturam, vt tumor durus post inflammationem, præcessit inflammatio, & tumor digitis pressus facile percipitur. Si fuerit caro adnata vel coalescentia, necessario præcessit vlcus, cuius signa suo loco audietis.

Curatio.

De curatione phimosis, quia tota chirurgica est, & optime explicata, partim a Paulo, *lib.6. ca. 72.* partim ab *Ætio lib. 16 cap. 93.* a quibus acceperunt Auicennas, & ceteri omnes, ego nihil dicā, sed ad eos vos remitto.

DE RHAGADIBVS ET CONDYLOMATIS. Cap. V.

Quid rhagades.

Transibo itaque ad alios affectus, quos dixi conceptum impedire: & primum quidem ad rhagades & condylomata. Sunt rhagades, vt dixi, *scissura ceruicis vteri cum maxima constrictione ex humoribus salsis & nitrosis illuc confluentibus.* Condylomata sunt *plicæ seu rugæ interioris tunicæ vteri in tumorem durum eleuatæ:* Ideo ex sanguine partim melancholico, partim pituitoso productæ; vt non defuerint, qui putarunt, vt Iohannes de Vigo, condylomata posse inter hæmorrhoidum species connumerari.

Quid cōdylomata.

Curatio.

Ex his duobus affectibus condylomata curantur emollientibus, moderate reprimentibus, &

refrigerantibus: Rhagades emollientibus, moderate reprimentibus, & siccantibus.

Idcirco in condylomate conuenit adhibere vel insessionem, vel spongiam imbutam in decocto altheæ, maluæ, sem. lini, plantag. fœnugræci, parietar. &c. & post fomentum vtantur pessario hoc linimento intincto;

Linimentum pro condylomatis.

℞. *mucilag. sem. malu.*
psyllij an. onc. j.
pingued. anser.
anat. an. onc. ß.
ol. ros. onc. j. ß.
vitell. ouor. nr ij. *M.* f. linim.

In rhagadibus autem licet vti fomento ex decocto scabiosæ, fumariæ, lupulorum, rosarũ, maluæ, & altheę, hordei, lapatij &c.

Post quod vtamini hoc linimento;

Linimentum pro rhagadib.

℞. *lytharg subtil. puluerif. onc.* ß.
ceruss. in aq. ros. lotbæ dr. ij.
ol. ros. complet.
succ. vermiculor. siue semperuiui minor. an. q. s. M. f. linimentum in mortario plumbeo, agitetur cum pistillo plumbeo.

DE VERRVCIS. Cap. VI.

Sed si impedimentum sit ex verrucis, siue thymi sint acrochordones, vel verrucæ pensiles & minores, siccantibus sunt curandæ; inter quæ est auripigmentum, puluis Sabinæ, aut simplex, aut mixtus cum portione stercoris bouini recẽtis. Idem præstat succus cucumeris syluestris, lac tithymali &c. Fortiora sunt oleum ex chalcantho, ex sulphure, aqua fortis, capitella vocata, &c.

Dum tamen hæc aguntur, partes circumstãtes oportet munire aliquo defensiuo idoneo, vt succo portulacæ, aut oleo.

Quod si maiores fuerint, curantur solo instrumento chirurgico, incisione sc. ligatura, atque igne actuali; quam tamen curationem ego hic non recensebo, quia a scriptoribus, vt dixi, recte ac integre fuit tradita, quos consulere poteritis.

DE NIMPHA ET CAVDA. Cap. VII.

Ex affectibus, qui ideo sterilitatem faciunt, quia seminis attractionem prohibent, remanent adhuc nympha & cauda, coalescẽtia, tumor durus, mala vteri situatio, obduratio a pinguedine, & deniq; frigida vteri intemperies, de quibus singulatim agẽdũ. Et primo de nimpha & cauda.

Nympha quid.

Est igitur nympha incrementum præter naturã cuiusdam partis in extremitate superiori pudendi muliebris, quam Auicennas *fen. 21. l. 3. ca. 21.* virgam vocauit, Albucasis *2. chir. ca. 71.* tentiginem dixit posteriores Anatomici, nescio quam ob caussam, partem hanc, tanquam ipsis incognitam, omiserunt. Fallopius inter neotericos, primus hanc partem antiquis cognitam iterum dilucidauit, vt videre est apud illum *in suis obseruationibus anatomicis*, vbi agit de pudendo muliebri, vocatque A hanc partem κλιτορὶν, vel κλιτορίδα, vt propterea satis mirari non possim Columbum, qui *lib. 11.* seipsum profitetur huius partis inuentorem, cum tamen ante illum Fallopius etiam, & ante illum antiquiores huius partis naturam & vsum inuenerit. Est enim hæc pars sicuti & pudendum virile partim quidem membranosa & cartilaginea, partim etiam musculosa, habetq; in extremo glãdem, & in mulieribus ad Venerem incitatis perinde ac viris erigitur. Hæc itaque nonnunquam in magnam excrescit molem, vt non desint mulieres, quæ viri officium quandoque subire possint, quas puto proprie fricatrices antiquitus fuisse vocatas.

Quid cauda.

Cauda vero est *carnis incrementum præter naturam, quod os ipsius vuluæ occupat*, & aliquando B in tantam excrescit molem, vt quasi cauda extra promineat.

Quomodo nympha a cauda differat.

Distinguuntur hæc duo inter se, quia & cauda vniuersum fere foramen occupat, est tota carnea, non erigitur, delactationem non infert, & tota est præter naturam. Nympha vero, vt dixi, quando fuerit parua, naturalis est, omnibus contingit. & in superiore tantum vuluæ parte reperitur, atque ea quidem interna prope orificium meatus vrinarij, vbi labia inuicem committuntur.

Curatio.

Tota curatio est chirurgica & exacte descripta, partim a Paulo *libr. 6. capit. 71.* partim ab Ætio *4. tetrab. 4. cap. 103. & 104.* a quibus accepit Albucasis *2. chirurg. capit. 71.* Itaque ad hos confugiatis auctores.

C

DE COALESCENTIA. Cap. VIII.

Qvod pertinet ad coalitum, hic vel est Integer, vel Non integer. Vbi integer est, scalpello est diuidendus, deinde tenta statim imposita tentandum, ne labra iterum coalescant.

Quod si aliquod relinquatur foramen, quanquam angustum, imponenda sunt illa, quæ paulatim foramen amplius reddant: hoc præstant spongiæ siccæ in modum turundæ impositæ, radix gentianæ, medulla cannæ ex soncho. Possunt etiã fieri fistulæ ex stanno vel plumbo, quæ, vbi caro fuerit duriuscula, corrodentibus illineantur medicamentis, vt paulatim caro ipsa absumatur. Hanc ob caussam conuenit fistulam illinire vnguento D Ægyptiaco, aut conficere linimentum tale:

Linimentum.

℞. *auripigm. dr.* ij.
lapid. sarcophagi dr. j.
mell. q. s. M. f. linim.

Si cruenta reddatur pars, blandioribus linimẽtis vtendum ex seuo hircino, & cerussa, & oleo rosaceo compositis, tum ad corrodẽtia redeundum, ita tamen, vt fistulæ indies crassiores, & ampliores reddantur.

Quando autem foramen debitæ fuerit amplitudinis, siccantibus & cicatrisantibus vtendum, de quibus in tractatu de Vlceribus vteri dicam.

DE

DE TVMORE DVRO. Cap. IX.

QVod si tumor durus muliebre pudendum occupet, pessi sunt imponendi ex seuo, butyro, medullis, atque oleis emollientibus confecti. Forma pessi poterit esse talis;

℞. sem. malu.
lini an. dr. ij.
butyri recent.
seui hircini an. q. s. dissoluantur hæc in olla noua, & additis seminibus fiant pessaria s. a.

Fiunt autem hæc pessaria hunc in modum, formatur ex papiro forma pessarij, deinde imponitur papirium in aquam frigidam, calens vero materia proijcitur in illam formam; nam sic coagulatur in formam pessarij.

Qui ignorauerit hunc modum, poterit pessulos conficere ex lana, aut lino, & emollientibus illinire, vel adipe anseris, anatis, mucilagine psyllij, & sem. maluę, oleo amygdalino &c. sic enim paulatim tumor ille emollietur.

DE NIMIA PINGVEDINE. Cap. X.

STerilitatem ex nimia pinguedine obortam curabit corporis extenuatio. Extenuabitur corpus purgationibus, sanguinis missione, exercitio, frictionibus, inedia, vigilijs, curis, & denique consuetorum excrementorum euacuatione.

DE MALA VTERI SITVATIONE. Cap. XI.

QVod si fiat sterilitas ex mala vteri situatione, hunc affectum vocat Auicennas vteri declinationem, Paulus capit. 77. auersionem, vel declinationem. Quæ declinatio fit, vel in latus dextrum, vel in sinistrum, ad posteriora & anteriora; fit quoque ad superiora & inferiora, sed de his loquemur infra; nam pertinent ad alias caussas.

Caussa. Mutationes autem propositæ propriè seminis receptionem impediunt.

Malæ huius situationis caussa nulla est alia, quã eorum ligamentorum repletio, ad quam partem vterus inclinat. Ideo dicebat Ætius, declinationis vteri ad partem dextram caussam esse repletionem vasorum, quæ ad iecur pertinent; alterius vero ad sinistram repletionem vasorum lienis. Vtcunque sit, siue repleantur vasa tantum, siue vasa & ligamenta simul certum est, his in vna parte repletis, siue cum inflammatione & tumore, siue citra ea, vterum in eam partem inclinare, quod docuit Gal. *lib. 6 de loc. aff. cap. 5.*

Et mediatæ huius repletionis caussæ magna ex parte sunt menses retenti.

Signa. Facile cognoscitur mala vteri situatio, nam perita obstetrix digito imposito os vteri distortum inueniet.

Ceterum sine hoc experimento cognoscetis vterum in dextram, vel sinistram inclinare partẽ, quia mulier cogitur in eo latere claudicare, in eaque

A parte frigiditatem, stuporem, torporem ac tremorem sentit. Quinimo, quod ego propria experiẽtia obseruaui, non tantum crus, verum etiam humerus & brachium eiusdem lateris tremore & stupore laborant. ¶ Quod si inclinet in partem posteriorem, fæces supprimuntur, aut difficulter egerũtur; desiderium tamen eijciendi est fere perpetuum, & tunc deterius habent, cum sedent, aut supinæ decumbunt.

Quod si declinet ad partem anteriorem, tumor apparet in regione pubis, vrina supprimitur, vel cum difficultate emittitur.

Est affectus magni momenti: nam præter sterilitatem, infert etiam vteri præfocationem, & aliquando ad suppurationẽ tendit, vt propterea Hip. *sect. 5. aph. 47.* scripserit, si vterus in coxam inclinãs Prognostica.

B suppurauerit, emmotum esse necessarium, per *Emmotum* intelligens id, quod nostri chirurgi turundam linimento obductam ex filo vel lintheo paratam vocant: Nam ἔμμοτον Græce nihil aliud significat, quam linimentatium; quasi dicat Hipp. vlcus esse vsq; adeo profundum & fistulosum, vt egeat eiuscemodi longo liniamentario, quod optime intellexit Galenus, quanquam doctissimus Mercurialis, præceptor meus, & alij ante illum perperam Gal. accusauerint, quasi Hip. sententiam hoc modo non intellexerit. ἔμμοτα.

Sed iam ad curationem accedamus.

Curatio. Curatur hic affectus primum quidem vniuersali totius corporis purgatione, in qua, etiamsi mẽses essent suppressi, ego cum Ætio venio in hanc sentẽtiam, conferre ante omnia venæ sectionem, quæ ex

C partibus fiat superioribus; hac enim ratione fit retractio humoris fluentis a parte. Deinde vero secãdæ etiam sunt venæ inferiores, partis tamen oppositæ illi, ad quam vterus inclinat. Quinimo eidem parti apponendæ sunt cucurbitulæ, adhibende frictiones & ligaturæ, inunctiones calidæ, dropaces, & sinapismi: Tentandum quoq; digito obstetricis paulatim os vteri inuertere; illiniatur autem digitus ol. amygdalino, in quo dissoluatur moschus. Apponatur quoq; cucurbitula in inguine opposito partis retractæ. Venæ sectio.

Affectę autem parti apponantur fomenta digerentia ex pulegio, conyza, satureia, calamentho, dictamno, valeriana cum seminibus fœnu græci & lini. Adhibeatur ceratum ex galbano, & serapino, admixtis costo, galanga, & pipere.

D Et si vterus declinet ad posteriora, consulit Ætius, vt obstetrix imposito digito in anum oleo aliquo intincto vterum propellat ad anteriora, quod ipsum faciet pessarium, & clysteres frequentes non modo in intestinum, verum etiam in vterum iniecti, qui omnes debent esse calidi & digerentes. Sed quia horum syluam habetis infra, propterea de hoc affectu finem faciam.

De Frigida & Humida Vteri Intemperie, deq; eius Hydrope & Inflatione. Cap. XII.

FRigida & humida vteri intẽperies oĩbus quidem huius partis facultatibus est noxia, maxime vero attractrici: Idcirco de hac tanquã illa, quæ

sterilitati est admodum infensa, accurate nunc dicendum est. Nomine autem frigidę & humidæ intemperaturę cum Galeno *in com. aph. 62. sect. 5.* intelligimus excedentem: nam moderata, si semen virile calidius ac siccius exceperit, fœcunda euadit: excedens vero nulla ratione a virili: semine emendari potest. Est autem potissimum talis, quando multam habuerit pituitosæ materiæ copiam, quādo etiam vterus, vel hydrope, vel inflatione fuerit affectus.

Et quanquam hydropicę mulieres fuerint innuptæ vtero gerentes: Hæ aut non laborant hydrope ex vtero, aut si fuerit hydrops vteri conceptus ante hydropem fuit factus. Posse autem hydropicas mulieres vtero gerere, docuit me præteritorum mensium historia: nam curaui mulierem iam triennij hydropicam, ascite potissimum laborantem, quæ præter cetera omnia remedia septies absque noxa elaterium accepit ac sustulit, & tamen duobus mēsibus ab absoluta purgatione puellam enixa est viuam, & debito tempore in lucem editam.

Quid hydrops vteri. Hydrops igitur vteri nihil aliud est, quam tumor ex aqua in vtero contenta. Continetur autem hæc aqua, Ætio auctore 4. *tetrab. quarto capit. 79.* Et ratione non in ciuitate vteri; quicquid enim sentiat Mercurialis, impossibile est, aquam in cauitate vteri contentam, ore adhuc patente nulla ratione excerni. Verior est Ætij sententia, illam in mēbranis, seu vesicis quibusdam contineri, quasi in proprijs folliculis, sicuti etiam plerunque continetur in alijs, ex peritonæo hydrope laborantibus.

Caussa generationis hydropis. Generationis caussa est, vel potus aquæ, vsus olerum & fructuum, menses suppressi, in mulieribus potissimum frigidioribus: In illis etiam, quibus vrina, aut sudor, aut vomitus præter consuetudinem sunt retenta.

Quid vteri inflatio. Vteri autem inflatio tumor pariter est vteri ex flatulenta materia, quandoque in tunicis, aliquando in capacitate contenta.

Scio autem aliquem statim dicturum, si continetur flatus in vteri capacitate, & non excernitur, cur etiam aqua contineri non poterit? Dicam hac in re vobis meam sententiam, atque vnius affectus caussam vobis aperiam, quem, ni fallor, nemo ante me cognouit. Noui ego duas nobilissimas mulieres Patauinas, ambas temperamenti pituitosi, quæ cum in ementitum cōceptionis suspectum incidissent, inflatione ventris tentari cœpere, aucta est inflatio in modum conceptus vsque ad nonum mensem, nono mense incipientibus partus doloribus vocatæ sunt obstetrices, aduenientes, partus hora grandes erumpunt flatus, venter detumescit, partus denique fuit ipse flatus. Puto in his casibus illud contigisse, quod aliquando scribit Gal. in Arist. vt probet, semen virile materiam esse fœtus, inquit Gal. si semen virile non esset materia fœtus, ergo retentum in vtero conuerteretur in flatum, extensiones, & dolores excitaret. In istis mulieribus hoc Galeni argumentum locum habet, semen retinetur, sed propter nimiam vteri, frigiditatem & humiditatem non potest esse fœcundum: interim clauditur os vteri, quasi factus sit conceptus, mittitur materia ad vterum, quæ tanquam pitui-

A tosa continuo in flatus cōuertitur: Sic in dies vterus magis intumescit: tempore partus aperto vtero flatus erumpunt. Sed audiatis aliam rem mirabilem in hoc casu: flatu iam euacuato nobiles istæ mulieres antea infœcundæ statim conceperunt, & post nouem menses peperit vtraq; filium, aliam nō puto huius fuisse caussam, quam, quod ex diuturna otis vteri occlusione calor naturalis validior redditus, vniuerso iam flatu euacuato vterum reddiderit calidiorem.

Caussa. Sed quicquid sit de hac re, certum est, flatum in capacitate vteri retentum occluso ore vteri retineri, occlusionis caussam esse, vel iam dictam, vel, vt voluit Ætius grumum sanguinis, vel crassam pituitam, vel callum, aut carnem, vel distorsionem, aut aliam similem caussam.

B *Signa hydropis.* Omnia hæc mala habent easdem caussas, ac fere eadem signa. Nam hydrops vteri cognoscitur ex tumore cum fluctuatione declinante potissimū muliere in latus, vēter in eam partem secedit, suppressi sunt menses, color faciei est pallidus, oculi subtumidi, quinimo & crura & coxæ œdematoso intumescunt tumore. Signa caussarum ex patientis relatione innotescunt.

Signa inflationis. Inflatio similiter ex tumore cognoscitur. Sed nō fluctuante, potius rugiente, ac si percutiatur vēter, resonante, crura & coxæ, faciesq; ipsa non intumescunt, sed aliquando palpitationes hinc inde discurrentes apparent, ad hæc consequitur ea signa, quæ frigidam & humidam vteri intemperiem testantur, videlicet coitus abominatio, fluxus mensium alborum, sitis carentia, sputi abundantia, C somnus, torpor, & ignauia, menses deficientes, aut si appareant decolores.

Curatio. Curandæ omnino sunt quam primum istæ affectiones, & ad arcendam sterilitatem, & ad comparandam mulieri valetudinem, quæ alioquin per hos affectus absque vitæ periculo esse non potest.

Curabitur autem, si ante omnia & vniuersum corpus, atque adeo ipse vterus expurgetur. Secundo, si singulæ partes calefiant & siccentur: Tertio, quod pertinet ad sterilitatem, & exhibeantur agentia a tota substantia.

Vniuersalis purgatio fiet hunc in modum:

Bolus purgans totū.
℞. *spec. hier. simpl. dr. ij.*
el. lenit. dr. vj.
diaphœnic. dr. ij M. & cum sacch. f. bol.

Aut poteritis præbere *dr. ij spec. hieræ*, & statim D post hunc potum

Potio.
℞. *mell. ros. sol. onc. iij.*
mann. el. onc. ij.
aq. rorism. q. s. M. f potio.

Syrupus præparās. Præparandi sunt primo humores, qui in primis vijs sunt idcirco absque dilutis, vt
℞. *oxymel. compos. onc. j.*
syr. de menth. onc. ß. M.

Sanguinis missio. De sanguinis missione aliqua videtur dubitatio: nam, Paulo & Ætio exceptis, ceteri omnes in frigida & humida vteri intemperie venæ sectionem prohibent: nihilominus si humiditas & frigiditas non sit naturalis, sed aduentitia, ex insessione in aquis frigidis, aut ex aere frigido, vel cibis & esculentis frigidis inducta,

totum

totum vero corpus a natura calidum & humidū sit constitutum, in hoc casu ad reuulsionem humorum fluentium, & vt calida medicamenta tutius admoueantur, vena superior secari potest.

Bolus purgans. Facta præparatione purgandum est corpus hoc medicamento,

℞. *hieræ Pachi, vel diacolocynth. dr. ij.*
el. lenit. onc. ß. M. & cum facch. f. boli.

Syrupis deinde iam propositis addendæ sunt decoctiones. Neque vos perturbet Hippocratis auctoritas 3. *acut.* 39 qui inquit, acetum vero esse inimicum, vt propterea desistatis ab oxymelle, vel simplici, vel composito: acetum enim vtero iā exsiccato est inimicum, humentiori vero & pituita referto, non est inimicum. Dabitis ergo hunc syrupum;

Syrupus præparās.
℞. *oxymel. scyllit.*
compos.
syr. de cortic. citri. an. onc. ß.
decoct. artemis.
senecionis
puleg.
satureiæ
calament.
dictam.
origani onc. iiij. M. pro syrupo.

Vomitus. Interim habenda est ratio consuetudinis mulierum. Nam si vomitum habeant consuetum & facilem, vomitibus sunt purgandæ, vel a cibo, vel ab accepto oxymelle, & radicularum decocto.

Quod si facile non possint euomere, repetenda est proposita purgatio.

Post vniuersales has purgationes vterus singillatim, siue pituita, siue aqua, aut flatu sit refertus, erit expurgandus.

Ratio euacuandi pituitam ex vtero. Vt autem pituita ex vtero educatur, sic est procedendum. Primo quidem ad crassos humores attenuandos, decoctio talis est paranda, cuius fumus, vel per cannam, per arundinem, vel per fistulam stanneam, aut plumbeam in vterum recipiatur;

Suffumigium.
℞. *puleg.*
calamenth.
origan.
thymi
satureiæ an. M. j.
rad. tithymal. p j.
colocynth. interior. onc. ß.
cymin.
anis. an. onc. j.
euphorb. onc. ij. f. decoct. in s. q. aut aquæ thermalis, aut salsę, aut vini albi, & facta expressione f. suffumigium.

Clystyr vterinus. Ex hac ipsa decoctione poterit fieri clystyr vterinus, accipiendo prædicti decocti onc. iij. oxymel. simpl. aut scyllit. onc. j. Ab imposito clystere statim imponendum erit pessarium hoc;

Pessariū.
℞. *euphorb.*
sinap. an. onc. ß.
pulp. colocinth. dr. j.
salis scr. ß. excipiantur aut melle, aut pulpa caricarum optime contusarum, aut succo cyclaminis. Hoc pessarium debet in vtero diu re-

A tineri, nisi tamen mordacitatem inferat, in quo casu lacte, aut ol. amygd. illinendæ sunt partes muliebres, tam diu in his insistendum, quam diu appareant signa pituitæ in vtero abundantis.

Ratio expurgandi aquam ex vtero. Quod si in vtero potius aqua contineatur, vt in hydrope, ad hydropem expugnandam, fortioribus medicamentis opus est. Et primum quidem circa vniuersales purgationes, præter hieram diacoloc. conuenit etiam vsus elaterij. Exempli gratia; ℞. *hec. hier. simpl. dr. j. elater. gr. iiij.* M. f. bol. conuenit vomitus vel Post, vel Ante cibum. Dicebat Ætius 4 *tetrab.* 4. *ca.* 30. in multa humiditatis abundantia vomitum mulieribus, etiam ante cibum, excitandum. In hydrope ergo vomitus parabitur. Ex vomitu autem, præter euacuationes, iuuamentum aliud quoque maximum exspecta- *Bolus.* *Vomitus.*

B tur, quod scil. si aqua intra vesicas vteri contineatur, ex impetu vomitus disrumpuntur vesicæ, vt facilis deinde fiat excretio. Præter vomitum autē & expurgationē, conueniunt etiam diuretica & sudorifica, & inter cetera probatur mihi bolus iste;

Bolus diureticus.
℞. *terebinth. Laricinæ onc. ß,*
sem. cimini
apij
fœnic. an. dr. j. M. f. bol. accipiantur singulo mane quatuor horis ante cibum. Placet quin etiam ius columbi, in quo ebullierint radices apij, petroselini, fœniculi, rusci & asparagorum. Præterea vero pulegium, carduus benedictus, dictamnus, &c. sudorifica: fiantque frictiones calidæ & validæ. Administrantur Laconica & stuffæ.

C Interim autē aqua ex vtero, sequētibus euacuetur medicamentis, & primum quidem clystere; vt

Clystyr vterinus.
℞. *rad. tithymal.*
mezereon. an. p. j.
cortic. interior. samb. vel illius flor.
rad. bryon.
cucum. syluest. an p. ß. bull. in s. q. vini, aut aquæ thermalis,
vel salsæ, & facta express. ℞. *dicti decocti onc. iiij. f. clyst. vter.*

Pessariū. Ab iniecto clystere imponendum est huiusmodi pessarium;

℞. *coccocnidij gr. vj.*
elat. gr. iij.
euphorb.
sinap. an. scr. j.
mel. q. s. M. f. pessarium.

D Interim quoque inungendus est vterus oleo illo resolutiuo, quod, vt alias docui, fit ex radice bryoniæ, cucum. syluestr. & ruta: Inunctio autem facienda est saltem per mediam horæ partem, confricando continuo vteri regionem, semper nouum affundendo oleum. Sic quoque aqua, si in vesicis contineatur, facile poterit excerni: Et vt facilius succedat, laudo, vt hæc operatio fiat plena adhuc vesica. Quinimo, si possent mulieres sustinere, congruum esset eo ipso tempore clysterem imponere ex decocto paulo ante descripto, quandoquidem distenta vesica & intestino, & compresso abdomine, tandem aquam erumpere est necessarium.

Expurgata aqua & flatu, incumbendū deinde est

est medicamentis siccantibus calorificis, atque à proprietate fœcunditatem conciliantibus, quæ etiam flatus discutiũt, & idcirco vteri inflationem sanant. Sunt hæc interiora & exteriora. Dicã primum de localibus, mox de internis.

Localia. Localia sunt fomenta, insessiones, euaporationes, suffumigia, pessi, cerata, emplastra, inunctiones, cucurbitulæ, sinapismi, & dropaces.

Fomenta autem, insessiones, & euaporationes possunt fieri ex vna eademque materia, quæ erit talis.

℞. phu seu Valerianæ
meu
calamenth.
Insessio. *artemis.*
senecion.
satureiæ
puleg.
dictam. an. M. j.
anis.
fœnic.
dauc.
sesel. an. onc. ij.
cymin. onc. j. incidenda incidantur, terenda terantur, bul. *in s. q. aq. thermal. vel salsæ, vel vini,* f. fomentum, insessio, vel euaporatio.

Iuuant quidem etiam aquæ thermales simplices, sulphuratæ potissimum, & aluminosæ, his tamen additis sunt fortiores.

Olea accommodata sunt, ol. rutaceum, cheirinum, liliorum alborum cum aromatibus. Ceratum sit tale;

Ceratum. *℞. Galban. onc. ß.*
castor. dr. ij.
costi
galang.
zodoar. an. dr. j.
sinap. dr. ß.
ceræ
resinæ an. q. s. M. f. ceratum.

Cui si addatis maiorem portionem sinapi, ac præterea piper & pyrethrum, euadet dropax.

Si etiam accipiatis caricas contusas & misceatis cum sinapi, conficietis sinapismum, qui vtero erit vtilis.

Suffumigia. Suffumigia autem ex siccis fiunt pulueribus, quę administrari quidem possunt in vtero frigido & humido, non tamen flatibus multis referto, si Ætio credimus, *tetrab. 4. serm. 4. cap.* 78. Ratio, vt puto, est, quia suffitus aromatum petit caput. Vbi autem multi sunt flatus, simul cum suffitu, etiam flatus ascendunt, imminet vertigo, vel aliud maius malum.

In inflatione ergo vteri abstinendum a suffumigijs. Parantur autem in hunc modum;

℞. thur.
myrrhæ
lign. aloes
cyper. an. dr. j. terantur ac excipiantur styrace liquida, & fiant formulæ dr. j. quarum vna super prunis locis muliebribus subdatur.

Possũt etiam fieri cum trochiscis ex *gall. mosch. cum trochisc. cyphoid. &c.* Qui voluerit habere

A simplex, poterit quoque ex tẽpore parare pulueres myrrhæ, thuris, cinnamomi, & garyophilorũ.

Pessarii. Conueniunt etiam pessi in inflatione quidem tales;

℞. nitri
cymini
anisorum
ameos an. dr. ß.
syr. de artemis. q. s. M. f. pessar.

Quod si scopus fuerit potius calefacere, pessi erunt tales;

℞. costi
cassiæ ligneæ
carpobalsam.
cinnamomi
charyoph. an. dr. ß.
B *moschi*
ambr. an. gr. iij.
styrac. liquidæ q. s. M. f. pessi parui, qui pro diuitibus sunt præstantissimi.

Intrinseca. Pro pauperibus potestis dimittere moschum & ambram, & pulueres melle excipere.

Intrinsecus autem conueniunt quidem omnia calorifica & siccantia, sed quæ etiam a proprietate substantiæ fœcunditatem iuuant. Inter hæc sunt aquæ thermales, & apud nos celebres & fructuosæ Apponenses nostræ in agro S. Petri, Immutinẽses aquarij nuncupatæ præstantissimæ habentur.

Præter has est decoctum gallinæ obstetricibus vsitatissimum, recipiunt pinguem gallinam euisceratam, in ventrem eius ponunt nucem moschatam, zinziber, galangam, cinnamomum, garyo-
C phyllum & piper, coquunt ad perfectam carnis coctionem, facta forti expressione præbent huius iuris quotidie onc. vij. vel viij.

Celebratur etiam vsus aureæ Alexandrinæ ad dr. j. vsusq; mithridatij, valet illud vinum hypocraticum, & apud omnes celebratur illud, quod vocatur muscatellum, mihi tamen magis placet rubeum quam album, hoc dico, quia muscatellum est album.

A tota substantia iuuantia. Valent quoque rotulæ variæ, vt diagalanga, diaspoliticum. Et denique ex iuuantibus a tota substantia est coagulum leporinum, & vterus leporinus siccatus, & in puluerem redactus, datur dr. j. singulo mane ex vino odorato: hæc conserua habetur etiam pro secreto ab obstetricibus;

Electuarium. *℞. conserv. fl. rorismar. onc. iij.*
D *ex cortic. citr. onc ij.*
coagul. leporin.
vter. lepor. exsic. & pulu. an. dr. iij.
rad. satyrion. dr. j. *M. f. el.*

Possunt etiam ex his pulueribus, qui a proprietate conueniunt, fieri electuaria & tabellæ.

De Morbis, ob quos semen receptum non retinetur in vtero: Et primùm quidem de Lapide vteri,
Cap. XIII.

Plerunque fit vt virile semen in vterum quidem trahatur, attractum tamen ad receptionem non retineatur.

Caussæ

Caussæ vero, propter quas non retinetur, aliæ sunt rariores, aliæ frequentiores.

Rariores sunt, lapis & lumbrici in ciuitate vteri exsistentes.

Frequentes sunt vteri procidentia, debilitas, paralypsis, oris vteri nimia amplificatio, inflammatio, abscessus, tumor durus, vlcus, & cicatrix, fluxus immodici, aut mensium, aut alterius materiæ, adhæc gonorrhœa, & mensium stillicidium. De singulis singulatim agetur.

Caussa. Et ad lapidem vteri, quod spectat, cuius meminit Ætius *4. tetrab. quarto, capit. 98.* fit lapis in vtero ex illis ipsis caussis, ex quibus in liene, pulmonibus, cerebro, alijsq; huius generis partibus, concrescente scil. crasso & viscido humore, partim ex propria viscriditate & crassitie, partim ex calore exsiccante.

Signa. Cognoscitur digito imposito in anum. Cum enim vterus intestino insideat, facile digito lapis sentitur.

Curatio. Curatio fit per extractionem, euacuatis primũ per clysterem in intestinis fæcibus, debet autem esse emolliens ex decocto maluæ, altheæ, & sem. lini, addito ol. amygd. imponuntur duo supremi digiti in intestinum, quibus lapis ipse ad os vteri comprimatur, altera manu ventrem ad interiora reprimere oportet. Vbi iam lapis ad os vteri ipsius expressus erit, vel digitis, vel instrumento accommodato extrahatur.

DE LVMBRICIS VTERI. Cap. XIV.

LVmbrici quoque in vtero exsistentes, seminis retentionem impediunt. Hos aliquando excretos ex vtero vidit Garzias Lopius *in sua de varietate lectionum, cap. 13.*

Caussa. Generantur autem ex materia etiam pituitosa putrescente.

Signa. Cognoscuntur ex materia exeunte putrida, fœtida, pruritu, titillatione matricis, ac seminis retentione in vesica.

Curatio. Exstinguuntur autem iniectis clysteribus in vterum ex decocto graminis, seminis brassicę pulpę colocynthidis, addito succo limonum, oxymelle scyllitico, &c.

DE PROCIDENTIA VTERI. Cap. XV.

CEterum frequentiores, vt dixi, impeditæ retentionis caussæ sunt aliæ iam dictæ, vt primum vteri procidentia, siue prolapsus, vel descensus vteri.

Fit hic prolapsus quadrupliciter: aliquãdo descendit vsque ad mediam ceruicem vterus, nonnunquam vsque ad os vuluæ, vt appareat quasi pila, aliquando decumbit in femur, nonnunquam vsque ad genua: Quanquã inter recentiores Mercurialis hoc negasse visus fuerit: Experientia tamen est in oppositum.

Fit huiusmodi prolapsus, vel caussis internis, vel externis.

A Internæ sunt aut laxantes, vel impellentes. Laxantes, aut Ligamenta, aut Os vteri. Laxantur ex paralysi, cõsequenter ex nimia imbecillitate, quod dico propter Ætium, qui in tribus diuersis capitibus agit de his, de debilitate scilicet in 73. de paralysi in 75. & de procidentia in 76. cum tamen curatio vnius procidentiæ, sit etiã curatio alterius. *Caussæ internæ laxantes.*

Fit quoque prolapsus ex vteri nimia laxitate, ab amplitudine, siue naturalis fuerit, siue ex nimio humore, aut humida fluxione contracta, vel ex partu difficili.

Caussæ aũt impellentes sunt flatus ipsius vteri. *Caussæ impellentes.*

Externæ vero caussæ sunt extractio secundinæ, aut fœtus mortui, aut lapidis, clamor, ponderis eleuatio, atque aliæ consimiles caussæ. *Externæ.*

Cognoscuntur facile tres vteri procidentiæ, videlicet, quæ ad Femur, ad Coxam, & ad Os vuluæ descendit; Quarta autem digitis est exploranda. *Signa.*

B

Sed quia æmulatur durum tumorẽ, distinguitur procidentia a duro tumore, quia in procidẽtia tumor non est semper vno & eodem modo, muliere semper in dorso decumbente, tumor non adest: si in ventrem decumbat, tumor adest aliquando maior, aliquando minor, nonnunquam in dextera magis, aliquando magis in sinistra.

Et si fiat prolapsus ex intemperie humida, fit sine dolore, in temperamento humido, constitutione humida, cum fluxu muliebri, præcipue vero materiæ albæ.

Si ex paralysi, vterus semper vno & eodem modo est prolapsus, in intemperie aliquando magis & minus prolabitur.

C Si fiat ex amplitudine oris vteri, fit absque dolore, absque fluxu albæ materię, in temperamento etiam calido & sicco: præcessit autem vel partus vnus difficilis, vel plures, vel extractio secũdinarũ.

Quod si fiat ex flatu, vterus tumidus, & venter percussus resonat, fitque procidentia cum dolore.

Caussæ externæ ex relatione ipsius patiẽtis patebunt.

Est hic affectus, non modo propter sterilitatem magni momenti, sed etiam propter mulierum valetudinem & vitam. Pręterquam enim, quod frequens prolapsus impedit menses, hystericas infert passiones, aliquãdo etiam vterum ipsum ad sphacelum deducit. Ideo occurrẽdũ debitis remedijs. *Prognostica.*

Considerandum autem in curatione ante omnia venit, an procidentia sit antiqua, an recens: Si D antiqua, an pendeat extra vuluam vterus, an potius intra vuluam contineatur. Si antiqua procidentia neque vterus extra vuluam propendeat, sed hæreat in orificio vuluæ, veluti pila, inprimis molliendus est, secundo, in proprium locum reponendus. Tertio, adstrictorijs, & caussam amouentibus vtendum. *Curatio.*

Emollitur fomento facta ex decocto fęnugræci, sem. lini, maluæ, altheæ, aut in aqua, si vterus sit calidus, aut in vino dulci albo, si frigidior.

In maiore duritie adhibendum est emplastrum sequens.

℞. far. sem. lini onc. iij.
mucil. psyll.
sem. lini an. onc. ij. *Emplastrũ emolliens.*

pinguéd. gallin.
anat.
ol. amygd. dulc. an. onc. j.
decoct. supra præscriptæ q. s. M. f. emplastrum.

Vterum manu oleo amygdalino inuncta reponere oportet sensim ac blande, documbente muliere in dorsum cruribus diuaricatis, vt in proprio loco retineatur, adstrictoria, repellentia ad superiora sunt administranda.

Adstrictoria dorso adhibentur & vuluæ.

Emplastrum adstringens. Dorso hoc fiat emplastrum.
℞. *album. ouor. nr. iiij.*
succ. moror. immatur. vel syluestr. onc. iij.
tragac.
amyli an. onc. ß.
farin. volat. molend. onc. ij.
bol. armen. onc. j. M. f. emplastrum, quod ponatur supra dorsum, in latitudine vnius vlnæ.

Vuluæ autem spongiam adhibeatis in vino rubro madefactam, in quo bullierint rosæ, myrti, acacia, hypocystis, malicorium, balaustia, nux cupressi, & capita glandium.

Potestis pilam vnam ex lana conficere, & in hoc decocto imbutam in vuluam immittere.

Placet consilium Hippocratis, *libro secundo, de morb. muliebrib.* vt accipiatur pomum granatum ex adstringentibus, in medio proferetur, & coquatur in vino adstringente, sicq; coctum indatur locis muliebribus ad restituendum vterum in suum locum.

Suffumigia. Adiuuabunt eandem intentionem suffumigia ingrata vtero adhibita, vt quod fit ex stercore bouino, caprino vel exsiccato, & super prunas imposito, vel in aceto, aut decocto adstringente ebullito. Suffumigium quoque ex cornu bouino, caprino, vel ex vngulis idipsum præstare potest.

Attrahunt vero vterum ad superna, & retinent in suo loco odoramenta grata, ligaturæ superiorum partium, cucurbitulæ mammis appositæ.

In plethoricis venæ sectio & purgatio per aluũ, & diuretica, auctore Hippocrate, *libro secundo, de morb. muliebrib.* faciunt etiam ad retentionem, & ad præseruationem, ne amplius procidat.

Et hæc est curatio procidentiæ vteri, qui adhuc non sit gangrænatus.

Curatio, si vterus extra propendeat. Si vero vterus ita excidit, vt coxæ, vel genu incumbat, & iam gangrænetur, nullum aliud remedium scio, quam vt excidatur totus vterus. Sed dicetis, potest ne hæc operatio muliere superstite fieri? Potest sane: Præter experimentum, quod habui Venetijs, vbi quædam ancilla ipsa sibi vterum amputauit, quod in nimis laboribus sæpius procidisset, sunt quoque testimonia aliorum scriptorum, vt Pauli *lib. tertio cap.* 72. Ætius 4. *tetrab.* 4. *cap.* 76. Alzarabij *tract.* 20. *cap.* 7. Auenzoar. 2. *de Isir. tract.* 6. *cap.* 4. Auicen. 4. *in* 4. *cap de extractione sagittarum.* Syluij *in comm. quos edidit de morbis muliebribus, cap* 7. Nicolai Akakiæ *lib.* 4. *de morb. muliebr. cap.* 5. & denique Carpensis *in comm. de affectibus vteri*, vbi profert duos casus excisi vteri procidentis salua patiente, quorum altera fuit sub patris, altera sub referentis manibus. *AKakia.*

DE INFLAMMATIONE VTERI. Cap. XVI.

Si quid est, quod seminis retentionem, & consequenter conceptum prohibere possit, illud sane est vteri tumor & vlcus. Ex tumoribus autem tres sunt, qui mutuo se consequuntur, inflammatio scil. scirrhus, & abscessus, vt propterea Ætius 4. *tetrab.* 4. de hoc triplici tumore in tribus diuersis capitibus, continuata serie mentionem faciat, ab inflammatione incipiens, deinde ad scirrhum, mox ad abscessum transiens.

Inflammatio autem vteri, siue sit legitima, siue spuria, idest, siue ex syncero sanguine, siue bilioso, pituitoso, melãcholico, vel atrabilari fieri consueuit, aut per modum attractionis, aut per retentionem vel impulsionem. *Caussa.*

Et attrahuntur quidem humores, vel ex casu, percussione, difficili partu, extractione secundinarum, aut fœtus mortui, vsu calorifici medicamenti, aut dolore vteri.

Retinentur humores suppressis mensibus, aut puerperis.

Impelluntur autem ex robore partium supernatum, iecoris, lienis, cerebri & cordis, atq; adeo vniuersi corporis, pręcipue vero, si consueta excretio aliqua, vel ex hæmorrhoidibus, vel naribus, vel alia consimilis sit suppressa.

Congeritur materia aut in tunica vteri exteriore, vel interiore.

Præterea aut est in fundo, aut prope os vteri, vel in parte anteriore, vel in postica, quandoque in latere dextro, nonnunquam in sinistro.

Cognoscitur inflammatio ex dolore, calore, febre vehementi & ardente, præcipue vero, si fuerit legitima: Quinimo, si fuerit erysipelacea, infert dolores vehementissimos, vigilias, delitia, conuulsiones aliquando. Pituitosa autem & melancholica inflammatio symptomata habet mitiora. *Signa.*

Si fuerit in fundo vteri, trahitur vterus ad superiora, dolor & tumor est circa regionem vmbilici.

Si sit in parte inferiore, tumor apparet circa os vteri, digitoque explorari potest, menses omnino retinentur. Si fuerit in parte anteriore, superuenit stranguria, vrinæ stillicidium.

Si in posteriore, supprimuntur feces, & adest quasi tenesmus.

Si in lateribus sit, in ea parte, vbi adest tumor, adest etiam cruris imbecillitas, stupor, refrigeratio, torpor, & claudicatio.

Est sane periculosissimus affectus, & qui non modo conceptionem, verum etiam fœtum iam conceptum, imo matrem ipsam extinguat. Quãquam autem hanc rem sub iudice reliquerit Gal. *sect.* 6. *aph. comm.* 43. vbi quærit, an sit perinde lethalis inflammatio vteri sicuti Erysipelas? *Prognostica.*

Ego doctus experientia testari possum, vteri inflammationem, & matri, & infanti esse lethalem, quia obseruam Venetijs in clarissima matrona, nem-

nempe Principis Ciconiæ coniuge, quę inflammatione vteri tentata, in 8. mense primo fœtum extinxit, deinde vero etiam ipsa interijt. A

Salutaris tamen inflammatio est ea, quæ ad resolutionem tendit. Quæ vero in scirrhum conuertitur, tametsi non interficiat, morbum tamen reddit diuturnum. Quæ transit in abscessum, ancipitem habet euentum, vt intelligetis in capite de Abscessu, venio ad curationem. Vteri inflammatio, sicuti & ceteræ inflammationes ab initio tractanda est reuellentibus & repellentibus: Deinde vero partem reuellentibus, partem digerentibus, consequenter deriuantibus: in fine vero solis digerentibus.

Curatio.

Quod ad reuellentia pertinet, statim ab initio secanda est vena in cubito, si & rationem, & auctoritates sequi velimus. Ratio primum id persuadet, quia omnis fluxio incipiens est retrahenda a loco ad quem fuit: Ergo in principio inflammationis vteri facieda est retractio ad superiora. Probatur consequentia, quia ex Galeno *lib. de cur. rat. per sangu. miss. cap.* 18. cum membra corporis in duas diuidantur præcipuas partes, in superiora, & inferiora, laborantibus inferioribus, pro reuulsione trahendum est ad superiora: laborantibus superioribus, trahere oportet ad inferiora. Sed vterus est ex partibus inferni, auctore Galeno *loc. cit.* Ergo retractio facienda est ad superiora.

Reuellentia. *Venæ sectio.*

Alia ratio est, in inflammatione vteri non sunt mouendi menses; Ergo in principio talis inflammationis secare oportet venas superiores. Probatur consequentia, quia venæ inferiores mouent menses. Antecedens probatur, & ratione, & auctoritate. Ratione, quia, si moueantur menses, trahitur sanguis ad locum inflammatum, non est necessarium, vt secta vena inferna, sanguis, qui trahitur ad vterum, expurgetur. Quinimo compressis iam ex inflammatione vasis, retinetur. Propterea Ætius 4. *tetrab.* 4. *capit.* 83. *in fin.* inquit, *in inflammatione vteri abstinendum esse ab omnibus auxilijs, quæ mouent menses.* Sed quid infero Ætium, habemus Galenum ipsum *libr.* 13. *meth. med. cap.* 11. qui in inflammatione & vteri, & partium aliarum infernarum, ab initio, inquit, retrahendam esse fluxionem ad partes distantes. Et omnino periculosum esse vtero inflammatione laborante menses ipsos promouere, vel quouis modo sanguinem ad vterum ducere. Ideo idem Galen. qui in affectibus vteri videtur summopere diligere sectionem venarum infernarum, vt postea intelligetis, quando opus est reuulsione, inquit, venas infernas non esse secandas, sed potius supernas *lib. de cur. rat. per sang. miss. cap.* 19. *circa fi.* inquit, fluentibus mensibus propter aliquam venarum erosionem, non sunt secandæ venæ inferiores, sed superiores. Pariter fluente sanguine ad excitandam inflammationem, in principio facienda est retractio per superiora. Huic sententiæ Galeni adhærent Ætius. Paulus, Auicennas, & reliqui omnes probati auctores. Sed qui quærunt modum, proferũt Galeni loca, ex quibus videtur colligi, laborante vtero, secãdas semper esse inferiores, aut poplitis, aut malleoli: hoc docet Galen. *libr.* 13. *meth. med.* *cap.* 11. *lib. de trem. palpit. &c cap.* 5. *& lib. de cur. rat. per sangu. miss. cap.* 18. *&* 19. in affectibus vteri secare oportet venas, quæ habeant cum vtero coniugium, quales sunt venæ poplitis & malleoli: nam qui alias, inquit, secauerit, potius nocebit, quam iuuabit. Istæ omnes auctoritates intelligi debent, aut de affectu vteri absque inflammatione, vbi adest scopus prouocandi menses, aut de inflammatione iam facta, in qua scopus est, deriuare, non amplius reuellere. Quod verum sit, videatis Gal. *ll. cc. lib.* 13. *meth. med. capit.* 11. in affectu vteri, inquit, in principio capitis retrahendum esse sanguinem ad partes ab vtero distantes, neque ducendum sanguinem per locum affectum: In fine vero eiusdem capitis inquit, in affectu vteri secandas esse venas infernas. Putatis ne Galenum fuisse ita barbarum, vt voluerit in eodem capite sibi ipsi contradicere? In principio loquitur de reuulsione; paulo post, de deriuatione. Quod verum B sit, videatis illud *caput* 18. *libr. de curand. rat. per sanguin. miss.* vbi inquit, renibus affectis, in principio secandam esse venam in cubito; in inflammatione iam facta, secandam infernam. Imo vero inquit, magis iuuatur vterus ex hac sectione, quam renes; at de qua sectione loquitur? De deriuatoria, an de reuulsoria? loquitur de deriuatoria, de illa, quæ facta est in renibus, iam actu inflammatis, in quo casu secamus venas infernas. Quando autem non adest inflammatio, & scopus sit prouocandi menses, in hoc casu ego quoque amplector Galeni consilium, vt sub tempus menstruę purgationis aperiantur venæ inferiores, minime superiores. Dico, *sub tempus menstruæ purgationis*, quia C alijs temporibus in maxima corporis plenitudine ego sequor Ætium, vt primo secentur venæ superiores, & sub tempus menstrui inferiores. Est igitur pro reuulsione ab initio secãda vena in cubito.

Retrahendus etiam sanguis alijs ingenijs, vt cucurbitulis mammis affixis, ligaturis, quando inflãmatio facta sit post abortum, post extractionem secundinæ, post largam purgationem.

Sed si fiat inflammatio propter suppressos mẽses, & quando incipit inflammatio, & tunc etiam immineant menses, res est difficilima, sectio venæ in cubito omnino est facienda. Quandoquidem, etsi sanguis retrahatur, is tantum retrahitur, qui propter sui copiam tensiones venarum potest efficere, & consequenter vasa magis obstruere.

D Facta hac missione, & impedito aliqua ex parte fluxu, datur locus etiam mittendi sanguinis per venas infernas. Et ideo, quod pertinet ad reprimentia, de his quoque est dubitatio. Nam sicuti certum est, in inflammatione facta post largam aliquam purgationem, reprimentia conuenire, ita si fiat cum suppressione mensium, imminet periculum, ne constrictis vasis, & sublata prorsus purgationis via, inflammatio augeatur. In hoc igitur casu mihi non placent reprimentia, loco eorum vtamini anodynis & temperatis. Nam in suppressis mensibus fluxio fit angustatis vijs; & dolore excitato; anodyna igitur dolorem curant, & quatenus temperata vias dilatant.

Reprimẽtia.

Idcirco extrinsecus laudo inunctionem factam cum

Extrinseca.

cum ol.rof.compl.mixto cum adipe, anatis vel anſeris, & ij. vel iij. vitellis ouorum. Et ſi inflammatio ſit prope os vteri, peſſarijs hoc liniméto intinctis vtendum. Si ſit in alijs partibus, extrinſecus adhibendum eſt linimentum.

Vbi vero menſes non immineant, ad reprimendum humorem conuenit poſca, vinum acerbum, in quo ebullierint roſæ, citonium, myrtus, &c.

Digeſtia. In augmento inflammationis incoquere oportet fœnugręcum & melilotum in aqua communi, huic decocto deinceps addere *farinam hordei, fœnugræc. cum ol. roſ. compl. & chamomelino.*

Si linimentum non ſuſtineant, poteritis accipere ol.roſ.compl. mixtum cum ol. chamomelino & anethino. Ætius laudat etiam & fomentum, & balneum, & euaporationem ſimul factam ex his, quæ moderate digerant, vt eſt chamom. aneth. melilotum, fœnugræc. ſem. lini.

Progrediente morbo aſcendere licet ad pulegium, calamenth. & origanum, vt tandem tota curatio ſit poſita in digerentibus, inter quæ ſummopere laudatur vſus emplaſtri ex meliloto, aut hoc ceratum,

Ceratum.
℞. *ammoniac.*
galban. an. onc. ß.
diſſoluantur in vino generoſo, deinde adde
myrrhæ
ſpicæ an. dr. j.
cer. q. ſ. M. f. cerat.

Purgãtia. Inſiſtendum interim in deriuantibus medicamentis, per inteſtina ſcil. clyſteribus, ac purgationibus, per medicamenta leniora, vt eſt caſſia & ſyrupus roſatus.

Vomitus. In his vero, quæ ſunt faciles ad vomitum, facienda eſt reuulſio per vomitum. Mouendę etiam ſunt vrinæ, præcipue diureticis frigidis, & tota victus ratio ſit tenuis, qualis in omnibus inflammationibus. *Victus ratio.*

DE SCIRRHO VTERI. Cap. XVII.

Cauſſa. INFLAMMATIONI, quæ vel nimium refrigerantibus, vel importune digerentibus tractatur, ſuccedit ſcirrhus, qui tamen, vel ex paulatina congeſtione, vel ex pituitoſi, aut melancholici ſucci fluxione etiam excitari ſolet.

Pars affecta. Locus autem, in quo fit ſcirrhus, eſt illemet, in quo & inflammatio, pars ſcilicet vteri ſuperior, inferior, antica, poſtica, dextra & ſiniſtra, interior, exterior.

Signa. Cognoſcitur præterea ex tumore dolente abſq; febre, cruditate, grauitate, & refrigeratione, cui ſucceſſu temporis œdematoſus ſuccedit tumor, ſupprimuntur menſes, præcipue, ſi ſcirrhus ſit interior: nam in exteriore, neque neceſſario ſupprimuntur menſes, neque neceſſario impeditur conceptio, ſed in ſeptimo, aut octauo menſe abortus ſequitur. Noui ego ciuem Venetam, quæ laborans vteri ſcirrho iam multos annos, ter concepit, & in octauo menſe abortum bis fecit. Tertia autem vice circa illud tempus exſtincto fœtu, ipſa quoque interijt.

Prognoſtica. Eſt propterea affectus & lõgus, & periculoſus.

Curatio. Curandi ratio poſita eſt primum quidem in totius corporis prouidentia, deinde vero in localibus, primum emollientibus, deinde digerentibus & euacuantibus.

Purgatio. In totius corporis prouidentia, omnibus, ſi vires conſtẽt, neceſſaria totius corporis purgatio per medicamenta, quæ humorem melancholicum, & præparent & expurgent.

Sectio autem venæ, cuius meminerunt Ætius & alij, non eſt in omnibus neceſſaria, ſed tantum in illis, in quibus ſanguis abundat, præcipue vero melancholicus, ſiue talis fiat ex iecore generante, ſiue ex liene non expurgante, in quo caſu aliquando ſecanda eſt vena dextri lateris, quandoque ſiniſtri, nonnunquam primo dextri, deinde etiam ſiniſtri, prout ſcilic. vtrumque viſcus tumore & obſtructione laborauerit.

Emollientia. Habita totius prouidentia ad emollientia eſt confugiendum, ſunt hæc linimenta facta ex butyro, pinguedinibus, oleo amygdalino, &c. Hoc linimentum mihi maxime placet.

Linimentum.
℞. *mucilag. ſem. malu.*
lini an. onc. ij.
pingu. gallin.
anatis
butyr. rec. an. onc. j.
medull. crur. bou.
ol. amygd. dulc. an. onc. ß.
cer. par. M. f. linimentum.

Si adhibeatur hoc linimentum ſuperpoſita lana ſuccida, erit efficacius: Sicuti quoque efficax eſt illud vnguentum, quod ex pinguedine lanarũ confectum officinis œſypum vocatur.

Apud nos celebrantur luta S. Bartholomæi, & S. Helenæ, quæ adhibentur bis in die per horam vnam vel alteram, poſtquo imponi ſolet ſimile ceratum; vt *Ceratum.*

℞. *ammon.*
galban. diſſol. in acet. acerr. an. onc. ʒ.
terebinth. onc. ß.
ſem. malu. dr. ij.
cer. q. ſ. M. f. ceratum.

In eundem vſum veniunt fomentum ex decoctis maluarum, altheæ, ſem. lini, quæ decoctiones etiam in vterum infundantur.

Vbi tumor eſt interior, & poſt infuſiones, imponuntur etiam linimenta peſſarijs illita, de quibus in præcedentibus facta eſt mentio.

Facta emollitione digerendus & euacuandus eſt humor.

Digeſtia. Digeritur fomentis, emplaſtris, ceratis, de quibus in capite de Inflammatione iam declinante verba feci.

Ceterum, quia hæc ſunt leuiora, euacuatio ſenſibilis quandoque eſt neceſſaria, talis fit per veſicantia, per cucurbitulas ſacrificatas aut ventri, aut lumbis adhibitas, prout humor fuerit, vel in antica, vel in poſtica parte.

Tandem his non conferentibus, ad actualia cauteria eſt deueniendum, quibus ego bis ſumma cum felicitate in his caſibus ſum vſus, tres adhibui vſtiones ſub vmbilico, duabus mulieribus vtero laborantibus, quarum vtraque eſt curata, diu autem

autem aperta detineri debent vlcera, imposito globulo, sicuti in alijs cauterijs consueuimus.

DE ABSCESSU UTERI. Cap. XVIII.

Signa. Ceterum inflammationem non scirrhus modo, sed & abscessus consequitur. Cognoscitur autem abscessus primum quidem. Si inflammatio præcesserit, febrisque mitior reddita post 14. aut 20. diem grauior reddatur, horrore vel rigore superueniente exacerbato dolore ac tumore in maiorem molem aucto, quibus succedunt vigiliæ, dolor capitis, præcipue circa oculorum radices & quasi manuum conuulsio, pulsus admodum parui & fere aboliti.

Signa loci. Signa loci, in quo est abscessus, sunt communia signis inflammationis. Definit abscessus in vlcus: neque enim curatur, quando magnus fuerit, nisi disruptione. Disrumpitur autem aliquando in partem posteriorem, vt sanies etiam transmittatur per rectum intestinum, quod obseruaui elapso anno in nobilissima muliere Patauina, in cuius ædibus ego nunc filiam curandam suscepi.

Aliquãdo expurgatur per partem anteriorem, vt proferet vesicam, in quo casu sanies aut excernitur per lotium, quandoque etiam facta fistula vesicæ, & vteri lotium cum sanie expurgatur per vterum.

Et hæc, nobilissimi auditores, non sunt somnia, sed omnia a me experta, præterquam quod etiam ab Ætio referantur.

Aliquando etiam disrumpitur abscessus, & sanies colligitur in capacitate abdominis inter intestina & peritonæum, vbi colligitur alias materia hydropis.

Aliquando disrumpitur ad cauitatem vteri interiorem, quandoque ad vtrumque locum, sicuti dicebam factum esse in ista nobilissima Patauina, quæ habuit abscessum partim per vteri collum, partim per intestinum rectum.

Prognostica. Est affectus sane periculosissimus, qui, quando abscessus fit inter tunicam & corpus vteri, facile sanatur. Sed iam depascatur corpus vteri, desinit in vlcus lethale, & nunquam sanabile.

Curatio. Curatio abscessus, antequam disrumpatur, perficitur medicamentis suppurantibus, & abscessum disrumpentibus. Nam illius curatio post disruptionem est curatio vlceris, de qua postea.

Suppuratio igitur, & disruptio tentari possunt decoctis & insessionibus; factis in aquis, in quibus ebullierint caricæ, passulæ, liquiritia, malua, bismalua, & semen lini. Linimentum quoque ex caricis & pinguedine anatis vel anseris, admixto melle & fimo columbino, bene facit ad hanc intentionem.

Vtile etiam est medicamentum, quod paratur ex nigro sapone, mixto cum butyro, pinguedine anat. & fimo columbino.

Inijciuntur etiam in vterum decoctiones similes, & imponuntur pessaria prædictis linimentis imbuta.

Extrinseca. Quæ vero extrinsecus adhibẽtur, aut dorso, aut pubi, vel vtrique parti applicari debent.

Adiuuanda etiam est disruptio, manu comprimente regionem vteri, aliqua corporis agitatione, clysteribus, qui non modo recipiant decoctiones iam dictas, verum etiam colocynthidem, aut medicamenta id genus. Ætius cap. 86. in abscessu, qui sit sensibilis prope os vteri imposito speculo imperat sectionem, modum videatis apud illũ. disrupto abscessu diluendus est locus, si facta sit disruptio ad cauitatem vteri, iniecto clystere ex aqua hordei & melle, ex sero caprino cum melle, ex mulsa, ex aqua chalybeata, cum melle rosato. Facta elutione incumbendum est sanando vlceri, de quo nunc dicere aggredior.

DE VLCERIBUS UTERI. Cap. XIX.

Differentia Vlcus vteri multas habet differentias: quoddam enim est superficiale, aliud profundũ aliud internum, aliud externum, quoddam cum inflammatione, aliquod citra hanc: Est quoddam depascens, quasi herpes excedens, aliud non depascens, est cancrosum, & non cancrosum.

Caussa. Fiunt omnia hæc vlcera, vel post abscessus disruptos, vel ex nimio & frequenti coitu, præcipue vero infecti seminis lue Venerea ex partu & abortu difficili, extractione secundinæ, denique ex fluxione acri & maligna, gallica, & non gallica, vel ex toto corpore, vel ex iecore, liene, & cerebro.

Signa. Cognoscuntur; vlcera ex dolore punctorio cum excretione aut ichoris, aut puris, vel vtriusque, quandoque cum sanguine, aliquando sine hoc, cũ fœtore. Et si vlcus sit inflammatorium, dolor est ingens cum febre continua: si sit cancrosum, præter dolorem & febrem adsunt vigiliæ perpetuæ, corpus euadit cachecticum, affectus est diuturnus, excernuntur simul cum ichore & sanguine, aliquando etiam carneæ portiones, id quod ego iam bis obseruaui, semel anno elapso in nobilissima matrona, ex familia Lemninaria, cuius caruncculas excretas plures ex vobis viderunt. Alias etiã cum essem iunior, vidi carnem excretam a muliere septuagenaria, & cum esset aliqua inter excellentissimum Paternum, & me altercatio, post obitum mulieris, permittente filio, qui nunc est Medicus Venetus, aperto cadauere, inuenta est vteri portio ad magnitudinẽ oui separata ab vtero reliquo, simul cum sanguine grumoso.

Si vlcus sit in collo vteri, præterquam quod digito explorari potest, & dolor ex iniectis statim sentitur, excretio etiam puris & sanguinis est frequens. Si vlcus sit in corpore vteri, neque dolor adest ex iniectis, neque excretio admodum frequens.

Vlcerum, quæ vtero contingunt, quædam sunt superficialia & munda; quædam profunda & sordida, alia cum inflammatione, alia citra eam: nonnulla sunt depascentia & cum fluxione, quæ preprie Νόμαι vocãtur; alia sunt citra fluxionem, & depascentia. Denique alia sunt cancerosa, alia vero non. Signa omniũ & curatio est proponenda.

Super-

Superficiale vlcus & mundum est sine febre, cum dolore modico, cum fluxione tantum ichoris, non fœtida: Contra vero sordidum & profundum emittit pus crassum, multum, & graueolens cum febre lenta.

Inflammatorium autem habet febrem, dolorem, & ingentem calorem connexum, vt propterea mulier nec blandum quidem medicamentorum contactum sustineat.

Depascens vlcus cum fluxione cognoscitur similiter ex dolore ingente, ex augmento ichoris & putris indies facto, ex fluxione muliebri, siue alba, siue citrina, viridi aut alterius coloris.

Cācrosum vlcus est cum tumore duro inæquali, venis turgentibus & nigricantibus, cum dolore ingentissimo, febre continua, linguæ perpetua ariditate, vigilijs, mutatione corporis ad cachexiam, quæ omnia sunt communia cancro, etiam non vlcerato.

Vlcerati autem cancri propriæ sunt fluxio liuida, rufa, quandoque cruenta, grumosa, & non grumosa, ichorosa semper graueolens, cui aliquādo succedit carnea excretio, vt vobis alias significaui.

Prognōstica. Sunt omnia hęc vlcera mulieribus valde infensa, non quod tantum sterilitatem inferant, verum etiam, quod, vbi profundiora & cācerosa fuerint, ipsas etiam miserabiliter exstinguant.

Curatio vlceris superficialis & mundi. Dicam & breuiter, quid in quacunq; differentia sit agendum.

Si vlcus fuerit mundum & superficiale, solis tractatur siccantibus: & si fuerit in collo vteri, ad siccationem satis erit insessio in aliqua aqua thermali, aut in decocto rhois rubri, myrtillorum, hypocystidis, acaciæ, plantaginis, rosarum, malicorij ac prunellorum syluestrium.

Maneāt autem in balneo diuaricatis cruribus, elatis genubus, ac demissis clunibus. Inijciantur in vterum per syphones vterinos & ipsa, quando vlcus fit in cauitate vteri: Illud autem vos moneo, vt huiusmodi syphones fistulam habeant vsque adeo longam, vt possit ingredi os vteri. Etenim iniectio in ceruicem, morbo existente in vtero, nullius est frugi.

Efficaciora autem fient hæc medicamenta, si prædictis aquis vel decoctis pulueres adijciantur siccantes, vt est bolus Armena, lapis hæmatites, spodylon, pompholyx, plumbum vstum, lythargyrum, cerussa, carta combusta, de quibus si non omnibus, saltem pluribus meminit Gal. *libr.9.de comp.med.sec.loc.cap.penult.*

Curatio vlceris profundi, ac sordidi. Ceterum si vlcus fuerit profundum & sordidum, ante siccantia requirit detergentia: fit detersio aut aquis thermalibus, melle rosato commixtis, aut decocto aristolochiæ, matricariæ, scabiosæ, ireos, oliuæ, addito tamen ipso melle rosato.

Facta detersione similiter ad pulueres siccātes, & decocta proposita est confugiendum. Et si propositi pulueres non videantur sufficere, alij fortiores in eorum substituantur locum, vt trochiscus oliuæ, trochiscus Andronis, Basionis, dissoluti in vino aliquo austero, cui sint incoctæ herbę, & reliqua adstringentia iam enumerata. Valet quoque

Manna thuris. puluis minutissimus thuris, quem Græci vocant mannam thuris.

Curatio vlceris cum inflammatione. Quod si vlcus sit cum inflammatione, incumbendum primo est inflammationi, reuulsionibus factis per vomitoria, per venæ sectionem in cubito, deriuatorijs, per medicamenta aluum subducentia, per diuretica, per hirudines venis sedalibus affixas, ac victu tenui, & eo quidem frigido. Inflammatio deinde singulatim illis medicamentis est lenienda, de quibus diximus superius, postea vero pus abstergendum, deinde vlcus siccandum & cicatrisandum.

Curatio depascentis. Sed si fuerit cum fluxione & depascens, fluxionem inprimis auertere oportet, vt nunc dictū est, vomitu, medicamento aluum subducente, diureticis, sudorificis, cauterijs brachijs affixis, purgatione capitis & per os, & per nares; pręcipue si fluxio fiat ex cerebro. Exsiccanda quinēt est fluxio decocto chinæ aut salsæ: Et si fuerit Gallica, etiam decocto ligni Indici. Deinde vero localibus agendum. Circa localia, si fluxio fuerit admodū acris, agēdum est statim epicerausticis, nempe iniectione lactis, aut muliebris, aut vaccini, potissimum chalybeati, & si adsit sordes, onc.iij. lactis addere oportet onc.j.sem.mell.rosati. Si sit vlcus profundum, lacti & melli addere oportet dr.ij. pulueris ireos.

Ceterum si fluxio non sit acris, sed ichor quidā valde humidus, cohibendus est potius siccantibus & actu, & potestate. Dico, *actu & potestate*, quia Ætius in huiusmodi casu consulit, vt inijciantur pulueres nullo ichori commixti: nam si ichoribus misceantur, neque ita facile siccarent, neque fluxionem compescere posset. Idcirco accipiatur rubrica, cyminum, lupinum, absynthium, cerussa, & imponantur in linteo attrito, & comburantur vel in ollula, vel sub prunis, puluis deinde in vterum inijciatur.

Sed non est ita facile huiusmodi puluerem in penitiores vteri partes inijcere. Et ego, qui diu & multum laboraui in curando vlcere nobilissimæ matronæ anno elapso, visa difficultate, paraui cānulam ferream, longitudinis sex digitorum vtrinque perforatam, quæ aliam excipiebat, ita conuenienter adaptatam, vt in compressione vnius in aliam, nullus aer posset retrocedere. Priorem itaq; ego replebam puluere, deinde imponebam aliā, quæ habebat ferrum solidum mobile cum stupa, & facta violenta compressione illius ferri in cannulam puluis exsufflabatur addistans. Oportet tamen hoc animaduertere, vt, antequam puluis insuffletur, linteolus mundus hinc inde intra vteri partes mittatur, ne in ingressu cannulæ aliqua humiditas in foramen ingrediatur, alioquin prohibet, ne puluis possit exire. Hac ratione optime siccari possunt huiusmodi fluxiones.

Siccata fluxione, si aliqua sit sordities, abstergenda est, deinde vero etiam vlcus siccandum. Et quia in vlceribus depascentibus sordes valde adhæret, opus est etiam abstersorio validissimo. In hoc casu ego feliciter vsus sum aqua Tetutiana, mixta cum vnguento Ægyptiaco. Qui caret hac aqua, vtatur decocto supra præscripto ex aristolochia,

A chia, iride &c. neque vereamini vnguentum Ægyptiacum, quanquam recipiat squamam æris: nam vt sum pluries expertus, mundat sine morsu.

Post mundificationem siccantia quoque validissima sunt eligenda: & propterea conuenit cum aquis, vel decoctis propositis etiam puluis præcipitati. Si pessarium possint sustinere, conuenit linimentum ex vnguento rosaceo, & præcipitato in ceruicem vteri inditum.

Quod si volueritis ascendere ad præcipitatum, conficiatis linimentum ex lythargyro; plumbo vsto, carta vsta, cerussa & tutia, lapide hematitide, addita cera & modica portione olei rosacei.

Ceterum hæc in ceruice vteri valent quidem, sed si vlcus fuerit in cauitate vteri, qua nam ratione siccabitur? Iniectiones puluerum & liquorum per syphones, insessiones in aquis thermalibus, & B decoctis siccantibus probantur quidem, sed non sunt plerunque satis, vtinam sufficerent. In his casibus omni ingenio vti oportet.

Suffumigia ad vlcera exsiccanda in cauitate vteri.

Suffumigia ad vlcera siccanda, præcipue vero penitiora sunt præstantissima, sed in ijs rite administrandis neminem adhuc, vt ingenue dicã, puto modum esse assecutum. Accipiatis materiam suffumigij, & ponatis super prunas in ollula: Si ollula non habeat operimentum, & prætere a longam fistulam, quæ ingressa in vterum fumum ipsum ducat ad vlcus, illud suffumigium nihil præstat. Sed si recipiatur per fistulã, breui admodum temporis spatio durat. Experiamini cum primum prunæ consumserunt, quæ cito consumuntur, fumus nihil amplius agit, scio quidem posse fieri euaporationes ex decoctis siccantibus, quæ diu durant, C sed illæ euaporationes, quanquam potentia siccæ cum sint actu humidæ, non perinde prosunt, sicuti suffumigia ex siccis. Ego videns hanc difficultatem, paraui aliquando candelam ex cera, thure, ac cinnabari, quam accensam imponebam sub fistula concaua lati oris extra vterum, sed angustioris in vtero, quæ fumum emittebat exsiccantissimum: sed hæc quoque dum esset remota a fistula, fumum emittebat hinc inde. Cum esset sub fistula, ita accendebat illam, vt ab vtero patientis non posset sustineri. Itaque tandem ego animo concepi hoc genus suffumigij teretis & oblongi, quod dum accenditur, flammam non emittit, sed tãtum rubescit, quasi pruna, & paulatim consumitur, paulatimque fumum edit, & hoc bene successit, Paratur autem hunc in modum;

℞. *styrac. liquid.*
calamit.
ireos
thuris an. onc. j.
belsoin. onc. ß.
myrrhæ
croci an. onc. ij.
cinnabar. onc. j. ß.
laudan. onc. ij.
carbon. salcis lib. j. *M. f. pulueres.*

Et cum aqua vitæ formentur formulæ vnius digiti longitudinis, quarum singula accensa, durabitur per horam integram, semper fumum emittens.

DE CANCRO VTERI.
Cap. XX.

Tametsi vteri cancer, siue vlceratus, siue non vlceratus, nullo ingenio ad sanitatem produci possit, in quem sensum scripsit Hipp. *sect. 6. aph. 38.* occultos cancros, melius esse non curare; Curari enim citius intereũt, nihilominus quædam sunt administranda, quæ illum, qui adhuc non est vlceratus, vlcerari prohibeant: exulceratum vero a sordibus expurgent, & humiditatem exsiccent, dolorem denique leniant, præstari hæc possunt, partim totius corporis prouidentia partim etiam localibus.

Totius prouidentia habetur sectis in cubito venis, vbi vires constent, vtriusque brachij, dextri, & sinistri. Aperiendæ etiam sunt hæmorrhoides, excitandi fonticuli in partibus superioribus. Conueniunt frictiones frequentes, ligaturæ, cucurbitulæ supernis semper partibus adhibitæ, vomitus in assuetis, & ijs quæ facile vomunt, semel saltem in hebdomada est imperandus. ¶ Interim opus est etiam medicamento, quod frequenter atram educat bilem, tale æstiuo tempore est serum caprinum ad lib. j. vel alteram epotum, cui addatur dr. j. epithymi, polypodij, & senæ. Conuenit etiam cassia ad onc. sem. vel dr. vj. bis saltem in hebdomada exhibita.

Electuarium.

Hyeme parari potest Electuarium, quo ego frequenter vtor in hanc formam;

℞. *epithymi*
polypodij an onc. iij.
fol. sen. onc. vj.
myrobal. indor. onc ij.
fl. borrag.
buglos. an. p. j. *bull. in s. q aq.* Et facta expressione, adde prunor. damascen. lib. ij. bull. in prædicto decocto, extrahantur nuclei, & pulpa, per setaceum transmissa, iterum bulliat lento igne in prædicto decocto, addendo fl. cass. rec. extr. onc. vj. vsque ad moderatam consistentiam: postea adde sacchari fini q. s. M. & f. Elect. cuius dosis erunt dr. vj. vel onc. j.

Victus ratio.

Victus sit humectans & refrigerans: Idcirco conceditur lac & lacticinia, conceduntur pisces, fructus humidi, olera frigida. Potus autem sit, vel aqu. hordeacea, vel tenue vinum. Somnus omni- D no concilietur vel emulsione amygdalarum dulcium, vel semine papauer. albi. Quibus non proficientibus (nam dolores aliquando sunt vsque adeo vehementes, vt non permittant miseras patientes somnum capere) etiam confugiendum est ad opiata.

Localia.

Quod pertinet ad localia, si cancer nõ sit exulceratus, vt prohibeatur exulceratio, conuenit hoc linimentum.

Linimentum.

℞. *ol. rosa compl. onc. ij.*
succ. solani
plantag. an. onc. j.
cerusf.
lythargyri an. dr. ij. agitentur hæc omnia in mortario plumbeo, cum pistillo plumbeo, per

per horas quatuor, fiatque linimentum, quo inungatur locus dolens.

Ad mulcendum dolorem efficacior est malua, aut in lacte cocta, aut in mulsa, mixta cum oleo de vitellis ouorum cum rosaceo completo. In eundem vsum bene faciunt mucilagines cydoniorum & psyllij, oleo rosaceo commistæ, additis duobus vitellis ouorum & si hoc quoque agitetur in mortario plumbeo, erit efficacius.

Quod si exulceratus sit cancer, vt recte docuit Gal. *sect.6.aph.comm.*38. abluenda saltem est sanies: Idcirco infundendi sunt in vterum, aut serũ caprinum chalybeatum, aut mulsa facta ex aqua hordei & melle; aut ex aqua ferrata, vel plantaginis, vel portulacæ, cum melle, aut coctis, aut mixtis.

B Extrinsecus autem conueniunt illamet liniamenta, quæ cerussam, tutiam, ac lythargyrum recipiant, si addatis herbam illam Robertianam puluerisatam, hæc quoque putatur prodesse, sicuti & oleum ex plumbo. Non desunt, quæ vtantur linteis mundis, qui semper detineantur in puluere ireos, Et hęc sufficere volo de vlceribus vteri.

DE ALBIS MENSIBVS. Cap. XXI.

De cicatrice, conceptionem impediente, nihil dico, quia est affectus insanabilis.

Transeo ad alios, qui, vt antea dicebam, seminis prohibent retẽtionem. Sunt autem fluxus muliebris, gonorrhœa, mensium stillicidium, & abundantia mensium. Sicuti enim in terra humida & aquosa defluunt, ita & in prædictis symptomatis virile semen non retinetur.

Quid sit. Incipiam a fluxu muliebri, quem Gal. *lib.3.de caus.sympt.ca.*4. ῥοῦν vteri vocauit, mulieres vocant albos menses. ***Est fere perpetuum ichorum omnium, atq; plurimum humorum profluuium.*** Dixi, *fere perpetuum*, quia raræ admodum sunt, quæ aliquam non habent diem ab hac excretione immunem. Dixi, *ichorum omnium*, quia, auctore Gale. *l.c.* excernitur quandoque ichor sanguinis, pituitæ, bilis, & melancholiæ. Dixi autem, *fere* omnium humorum. Nam sanguinem excipio, de quo erit sermo in tractu de Stillicidio, & Abundantia mensium.

Caussa. Caussa huius fluxionis, vel est ex parte Vteri, vel ex parte Obiecti. Ex parte vteri intemperati secundum totam substantiam, vt propterea augeat varios istos humores, pręcipue autem crudos & pituitosos.

Patitur etiam ratione vasorum, quæ, vt dicit Gal. *lib.de sympt. differ.cap.vlt.* quandoque sunt hiantia, quandoque erosa, vt non possint huiuscemodi ichores continere.

Est error in obiecto, quando corpus abundauerit aut ichoribus, aut humoribus, & humores quidem, si fuerint pituitosi, excernuntur vel ex cerebro, vel ex ventriculo, vel ex toto corpore, laborãte aut intemperie humida cum frigiditate, in quo casu pituita est acrimoniæ expers: aut cum caliditate, in quo casu retinet acrimoniam.

A Excernitur etiam bilis, & melancholia ex deprauata sanguificatrice, vel ob intemperiem calidam & siccam, vel ob retenta excrementa; præcipue vero ob induratum lienem, vel obstructionẽ meatus fellei: aut ex qualitate ciborum, potionum & medicamentorum acrium.

Ichores similiter, auctore Galeno *l. c.* augentur vel ob vitium alteratricis, vel expultricis, vel retẽtricis: Alteratricis, quæ sanguinem generet aqueũ & tenuem, vt in Cachexia & Hydrope: Expultricis imbecillæ, quę non expellat serositatem, aut ad renes & vesicam, aut ad ambitum corporis: propter vitium retentricis nimium validæ, vel ex intemperie, vel ex renum, aut cutis adstrictione: nã densata cute & renibus occlusis, serum ad vterum transmitti consueuit.

Caussa mediata. Mediatæ caussæ pertinent ad ætatem: nam seniores facilius hac fluxione tentantur: ad temperamentum, quia humidiores his subijciuntur, sicuti & otiosæ, crapulis deditæ, ac frequenter oleribus humidis, fructibus, atq; alijs id genus vtẽtes.

Signa distinguentia menses albos a gonorrhœa. Habetur hic affectus ex sola patientis relatione. Distinguitur autem a gonorrhœa; quia in gonorrhœa materia, quæ excernitur, est magis densa, minime viscida, magis alba, in minori portione excernitur cum maiore patientis incommodo. Distinguitur etiam a pure, quia pus est magis fętidum, habet quandoq; sanguinem admixtum, & excernitur cum maximo dolore.

Fluxio autem muliebris tunc tantum excernitur cum dolore, cum fuerit vel salsa, vel biliosa, vel atrabilaris, qui quidem colores in linteis apparent, præcipue vero locis, & in vmbra siccatis.

C Cognoscetis autem ichorem sanguinis, quia est ruber sicuti lotura carnium: biliosum, quia flauus, & sic de singulis.

Cognoscitur fluxus, qui fit ex vtero primario affecto, quia perpetua est fluxio vnius tenoris, neq; insignis est quantitas rei excretæ, adest dolor lumborum & pubis, inflatio & rugitus, lassitudo partium infernarum, quãdoq; etiam tumor œdematosus; & hæ difficilius concipiunt, quam aliæ ex fluxione laborantes.

Quod si fluxio fiat ex cerebro, caput est graue, sunt somnolentæ, consueuerunt q; antea copiosas habere narium, aut oris purgationes, quæ quãdoque superueniente fluxu muliebri desinunt, quãdoque persistunt.

D Cognoscetis fieri ex toto corpore, si adsit lassitudo, corpus sit plenum, vita otiosa.

Si ex ventriculo, aderunt signa imbecillitatis ventriculi, quæ alias retulimus.

Si ex iecore intemperato, habuistis signa harum intemperaturarum.

Si ex renibus occlusis, desunt vrinę.

Si ex cutis densitate, desunt sudores, cutisque fit densa & arida.

Prognostica. Malus hic est fluor, non ob id tantum, quod conceptum impediat, verum etiam, quod, vbi fluxio sit acris, vlcera & vteri cancros infert: Si non sit acris, progressu temporis potest inferre cachexias & hydropes. Aliquando tanto impetu excernuntur humores, vt etiam syncope succedat, id

quod

quod refert Gal. aliquando factum esse *l. de præcog. ad Posthum. cap.* 8. in vxore Boetij, in quem sensum scripsit Hipp *sect. 5. aph. 56.* a fluore muliebri conuulsionem, & animi defectum superuenientem malum esse.

Curatio. Cum muliebris fluor aliquando ex vteri intemperie, nonnunquam autem ex errore externo proficiscatur, vt dici solet; ideo duplex est etiam curandi ratio. Aliquando enim satis fuerit vtero abunde euacuato, frigidam & humidam illius intemperiem corrigere, quod satis hactenus, ni fallor, factum est in tractatu de Sterilitate ex intemperie frigida & humida.

Nunc itaque versabimur in curãdo fluxu muliebri, qui fit expurgante se, aut vniuerso corpore, aut partibus quibusdam determinatis. Perficitur itaque hæc curatio reuulsione, deriuatione euacuatione, & totius, & partium, alteratione intemperaturæ partis generantis, & denique adstrictione vasorum vteri.

Reuulsoria. Quod ad reuulsionem, facienda est in rubro fluore per venæ sectionem in cubito, si vires sustineant, vel, si infirmiores fuerint, appositis dorso & scapulis, ex Ætij sententia, cucurbitulis: in alijs fluoribus pallidis, flauis & albicantibus, considerandum, an cacochymia sit exquisita, an notha: nã in exquisita abstinendum a quacunque sanguinis missione, Galeno auctore *lib. 4. de san. tuend. cap.* 4. In spuria poterit mitti sanguis parce tamen, &, vt voluit Ætius, repetenda potius erit venæ sectio, aut paulatim detrahendus sanguis.

In antiquo casu spernendi non sunt fonticuli, supernis partibus affixi, brachijs scil. & illud tunc maxime, cum fluxio ex cerebro ortum duxerit: Non prætermittantur frictiones, ligaturæ, & dropaces, vel sinapismi.

Et quod ad vomitoria pertinet ijs, quæ vomitioni fuerint assuetæ, vel saltem quibus facile vomitus excitetur, omnino est imperandus, vel ab assumto cibo, vel ab assumto oxymelite & iure, fiatque saltem semel in hebdomada.

Euacuantia. Euacuatio per medicamenta fiat deiectoria, &, si fluxio sit ichorosa, statim ab initio purgans conuenit medicamentum. Dicebat Gale. *lib. quos & quando purgare oporteat*, serosus humores ab initio esse statim purgandos, etenim nullam subeunt coctionem.

Si itaque corpus sit robustum ac multo abundet sero, præcipue vero densata cute, & occlusis renibus, conueniunt ea ipsa medicamẽta deiectoria, quæ hydropicis administrãtur; de quibus omnibus, quanquam publice sim locutus, hoc tamen tempore, illud tantum dixisse sufficiat, elaterium in his casibus, ad gr. iij. cum scr. j. pill. alephang. egregiam posse operam præstare. Quod si declinatores fuerint mulieres, satis erit serosum humorem, manna ipsa expurgare, sed ante mannam, quam dabitis ad dr. iiij. præbere debetis dr. ij. specierum hieræ.

Interim, quia, vt dixi, aqueus humor non præparatur, non est opus syrupis incidentibus, nisi forte cum seroso humore crassus etiam abundet. Deficiente autem crasso humore satis erit in diebus, A in quibus purgans non acceperint medicamentũ, loco syrupi decoctionem exhibere exsiccantem, aut calidam, aut frigidam, prout est intemperies; Ideo in frigida intemperie conuenit decoctio ex absynthio, ex spica, calamo aromatico, squinãtho, mentha sicca, & ante decoctum præbeatis bolum ex olibano, thure ac styrace confectum. Iuuabit etiam mirandum in modum dr. j. specierum hieræ, aut scr. ij. pilularum alephanginarum, quæ, vt dixi, singulis diebus ante decoctum exhiberi possunt.

Quod si ichor fuerit calidus, exsiccari debet exhibito succo limonum, vino granatorum, rob de ribes. Pulueres autem conuenientes, erunt bolus Armena, terra Lemnia, margaritæ præparatæ, corallium &c. frigida & sicca.

B Alternatim vero post tres, aut quatuor dies repetenda sunt euacuantia, vsque quo & venter minus appareat tumidus, & fluxio minuatur: tunc enim locus est medicamentis, quæ etiam vrinas, & sudores moueant, quæ consequenter renes occlusos, & cutis densitatem aperiant.

Mouentia autem vrinas in caussa frigida, debent esse vere diuretica, vt apium, asarum, & cetera id genus, quę tametsi possint etiam menses mouere, nihil tamen afferunt incommodi, quandoquidem serosam ac tenuiorem sanguinis partem ducunt ad vrinas; Sanguinem vero iam a sero depuratum, ducunt ad vterum, quod nobis non est fugiendum, qui illud tantum optamus, vt serosam sanguinis humiditatem alio diuertamus. *Diuretica calida.*

C Quod si intemperies sit calida, mouentia vrinas, sint temperata aut frigida, vt est capillus Veneris, adiantus, polytrichon, agrimonia, cuscuta, pentaphyllon, cichoracea omnia, & omnia etiam semina frigida, maiora, & minora. Hæc etiam possunt ad cutem diuertere. Adiuuanda tamen est materiæ per cutim purgatio frictionibus, aut panno aspero, aut manu oleo aliquo illita: vel, quod fecit Galenus in Boetij vxore, *libr. de præcogn. ad Posthum cap.* 8. melle peractis. *Diuretica frigida.*

In agrestioribus corpore existente subtumido pituitosa cachexia tentato, conuenit insolatus, longa sub Sole æstiuo mora, subaurratio, illutatio totius corporis, facta per luta medicamentosa, balneum aquæ sulphureæ.

D Iuuat quin etiam sudor excitatus, aut vi laconici, aut cucurbitarum, aut vesicarum, quæ sint repletæ decoctionibus sudorificis: deriuant hæc omnia, sicuti etiam clysteres, & potissimum acriores.

Si fluxio ex cerebro fuerit facta, purgandum quoque erit cerebrum, & per os, & per nares.

Quod si contingat materiam esse crassiorem, incidenda est, & attenuanda illis syrupis, de quibus supra. *Curatio fluxus facti ex cerebro.*

Interim incumbendum est alterandis partium intemperaturis: Et si sit frigida & humida, iam docui, quibus aquis thermalibus, decoctis sassafras & ligni, iure galli, magnis antidotis, rotulis, ac pulueribus, vinisque medicatis, vtẽdum sit, ad superandam huiuscemodi intemperiem.

Quod si ad calidius vergat, corrigi poterit potu aquarum,

aquarum, quæ, vel æneam, vel ferream habeant mineram, & vt ingenue dicam, quod ipse sum expertus, plures curaui hoc flubre calido laborantes potu aquæ Virginis ad quindecim, vel viginti dies exhibito. Qui carent istis aquis medicatis, vtantur sero chalybeato. In defectu seri accipiant aquam portulacæ, nymphex, plantaginis, virgæ pastoris. Vtantur etiam illis pulueribus frigidis & siccis, de quibus paulo ante verba feci.

Adstrictoria. His peractis deueniendum est ad adstrictoria, quæ, mea sententia, nunquam locum habent, nisi corpore iam sic diligentissime euacuato, & ad adstrictoria præparato; vel quando ob nimiam fluxionem patiẽtes animo deficiant; in quo casu tam diu vtendum est adstrictorijs, quam diu vires reficiantur. Si enim importune & ante tempus ad adstrictoria quis confugiat, mulierem necessario, vel ad hydropem, vel ad vlcera vteri, vel hystericas affectiones deducet.

Itaq; non possum satis mirari totam fere Medicorum syluam, qui ad fluores muliebres proferant secreta, & ea quidem omnia adstrictoria, quibus humoris fluentis impetus compescatur. Mihi sane, vt dixi, adstrictoria non probãtur, nisi vt venæ vteri, iam ex longa fluxione imbecilles, constringantur, & tunc tantum, cum iam præmissis reuulsionibus, euacuationibus ac corroborantibus propositis fluxio fere ex toto desierit: Tunc igitur ad corroborandum vterum quædam extrinsecus, alia intrinsecus connumerantur. Extrinsecus potissimum omnium auxilium est balneum ex aceto, in quo sedeat mulier vsque ad vmbilicum. Est adhuc fortius, si in aceto incoquantur cortices granatorum, acacia, myrtus, balaustium, hypocystis, gallæ immaturæ, & cetera adstrictoria. Qui voluerit medicamentum hoc mitiore quodam modo administrare, poterit vti tantum pedum lotione ex eodem aceto facta, dummodo tamen mulier operto diligenter vase vaporem illum in vterum excipiat.

Balnea.

Valent quoque in hoc casu pulueres in vterum iniecti, & inter ceteros video probari apud Ætium puluerem factum ex spongia, pice liquida imbuta, vsta, & in puluerem redacta.

Pulueres.

Possunt etiam fieri pessaria ex districtorijs confecta, de quibus dicemus in tractatu de Mensibus nimium abundantibus.

Pessarij.

Extrinsecus, si balneum illud non placeat, non desunt linimenta, emplastra, & inunctiones.

Ceterum, quia Ætius videtur tantum medicamenta frigida adstringendi facultate prędita proposuisse, vos monitos esse volo in fluxu muliebri frequentiora debere esse auxilia adstringẽtia cum caliditate, quam cum frigiditate. Ratio est clara, quia fluor muliebris frequentius est albus cum frigida intemperie, cum totius corporis cachexia, quam sit calidus, & cum vteri intemperie calida. Itaque in hoc casu insessiones fieri debent in aquis aluminosis, salsis & nitrosis, aut in vino acerbo, in quo bullierint spica, absynthium, squinanthus, calamus aromaticus, vel fiant emplastra ex albumine oui, recipiente puluerem thuris, olibani, styracis, spicæ &c.

A His omnibus accedat victus ratio, & quia, vt dixi, plerunque laborantes fluxu muliebri, sunt pituitosæ & frigidæ, ideo conuenit victus tenuis & attenuans; quod etiam fecit Galenus in curanda illa nobili Romana, *lib. de præcogn. ad Posthu. cap.* 8. qui ipsam auiculis montanis alebat, ac denique omni victu exsiccante. Vinum sit in pauca quantitate, attamen generosum, potius rubrum. Corpus exerceant; fugiantque Venerem. Et hæc est curatio fluxus muliebris.

Victus ratio.

DE GONORRHOEA. Cap. XVII.

PRæter albos menses sunt quoq; alia duo symptomata, quæ ab immoderatam fluxionem, B seminis virilis retentionem impedire possunt: Γονοῤῥοία scil. & rubri menses immodice fluentes.

De Gonorrhœa autem, quæ nihil aliud est, quã *fluxus seminis inuoluntarius continuus, & absq; delectatione in mulieribus*, hoc tempore plura non dicam, quandoquidem symptomatis caussæ & curatio prorsus conueniunt cum caussis & curatione gonorrhœæ viris contingentes, de qua alias dictum est.

Quid gonorrhæa.

Illud tantum hac in parte vos monere volo, minime audiendum esse Aristotelem, aut Peripateticos, qui mulieribus semen non inesse, pluribus argumentis persuadere conati sunt: potissimum vero quod dicunt, mulieribus loco seminis datos esse rubros menses. Et quod si haberent semen, in seipsas absque viri concubitu conciperent. Præterquam C quod, vt alias docui, etiam sine delectatione concipiunt. Dico istos non esse audiendos, quãdoquidem & gonorrhœa, qua tentantur mulieres & nocturna pollutio, & delectatio in coitu, & furor vterinus, & vteri præfocatio ex semine retento, & denique vasa seminaria, & testes aperte demonstrant mulieribus semen inesse, illudque fœcundum, quicquid sentiat Albertus, atque cum eo Auerrhoes, *libro secundo collectaneorum, capite decimo*.

Lib. de gẽ. animal. c. 20. An mulieres habeãt semen.

Neque vero Aristotelis ratio quicquam habet momenti. Nam si eo, quod menses habeant mulieres, arguit Aristoteles semen deficere, licebit quoque a pari sic arguere viris plerunque fiunt sanguinis, vel ex naribus, vel ex hæmorrhoidibus eruptiones, atque istæ quidem singulis mensibus: D igitur talibus semen deficiet: at consequens est falsum, & falsum quoque antecedens. ¶ Prętera quanquam esset vera illa ratio, non tamen in omnibus esset vera. Neque enim in illis, quæ parcissime purgantur, vel nunquam: talibus enim saltem concedendum esset prolificum semen.

Ad aliud autem argumentum, quod in seipsas conciperent, facilis est responsio, facultatem illius seminis formatricem non esse vsque adeo perfectam, vt sola possit opus complere, sicuti tamen gallinæ absque mare aliquid pariunt, oua scilicet subuentanea vocata; ita & mulieres ratione proprij seminis aliquid possent parere, sed non absolutum.

DE

De Immodico Menstruorum Fluxu.
Cap. XXIII.

Immodica fluxio ratione temporis.

SEd his prætermissis, veniamus ad aliud symptoma, immodicam scil. sanguinis menstrui fluxionem. Hæc non est præter naturam ratione substātiæ, vt docuit Gal. *lib. de differ. febr. cap. vlt.* sed duntaxat ratione vel temporis, vel quātitatis, vel ordinis, vel modi exeundi.

Ratione temporis multipliciter; vt quando vel superueniant menses ante annum duodecimum, vel diu perdurent post quinquagesimum secundum. Noui ego puellam, cui menses quinto ætatis anno apparuerunt, & ordinatim singulis mēsibus prodibant, modice tamen.

Historia. Plures scio & noui, quæ decimo anno liberaliter purgabantur, sicuti & adulti, innoxia tamen ipsis fuit purgatio, sicuti etiam innoxia fuit alteri cuidam moniali, annum iam centesimum agenti, cui post longum sex mensium pruritum superuenientes menses pruritum sustulerūt, vixitque vsq; ad 103. annum cum menstrua purgatione, obijt ante tres annos. Sed hæc sunt monstrosa.

Ratione quantitatis. Est quoque importuna purgatio, quę fit in prægnantibus; propterea scribit Hippocrates *sect. 5. aphor. 60.* purgationes prægnantibus apparentes, fœtum non sanum significare.

Est etiam vitiosa purgotio ratione temporis, quæ plures dies durat, quam vires sustinere possint. Est vitiosa ratione quantitatis, quando tanta excernitur sanguinis copia, vt vires illam amplius sine noxa sustinere non possint.

Est quoq; inordinata purgatio, quæ vnico mēse, aliquādo bis, quandoque vero ter repetit, cum semel tantum fieri debeat quinimo non singulis mensibus æque abundanter, sed alternis tantum, quod voluit Aristoteles *lib. 7 de hist. anim. cap. 2.* cum scribit, mulieres alternis mensibus coacervatim purgari. De vitiosa purgatione ratione modi dicam suo loco.

Arist. lib. 2. de gen. anim. c. 4. Ex dictis puto iam vnumquemque vestrum colligere posse vitiosam purgationem proprie neque libris sanguinis exeuntis, neque certo dierū numero esse præfiniendam, sed tantum ipsarum mulierum facili tolerantia.

Hoc dico, qui tametsi moderata mulierū purgatio fit singulis mensibus facta, in iunioribus circa nouilunium, in adultis vero circa plenilunium, iuxta illud; *Luna vetus vetulas, iuuenes noua luna repurgat*. Sitque spatium trium vel quatuor dierum, in quo excernuntur sanguinis libræ tres plus minus, nihilominus habita ratione temperaturæ, ætatis, habitus corporis rationis vitæ, quædam & largius, & per plures dies; aliæ vero parcius, & per pauciores absque noxa purgantur.

Itaque tunc arbitrandum est, fluxum mēsium esse vitiosum, cum factus fuerit absque tolerantia cum pallore faciei, cum lassitudine, cum deiectione appetitus, cum principio cachexiæ, denique virium deiectione.

Caussæ fluxus ex parte vteri. Caussæ igitur huius fluxus immodici aliæ sunt ex parte vteri, aliæ ex parte ipsius sanguinis. Ex

A parte vteri, aut erosio, vel ruptura, vel fractura, aut nimia anastomosis venarum vteri. Dixi, *nimiam*, anastomosin, quia per moderatam fit naturalis purgatio; per immoderatam vero, aut propter erosionem vel rupturam fit symptomatica.

Fiunt autem erosiones, vel rupturę, aut anastomosis ex difficili partu, ex abortu, extractione secundinæ violenta, ex casu & percussione super vterum, ex nimio Veneris vsu, præcipue cum valde mentulatis, ex frequenti administratione acrium & calidorum medicamentorum, tam extrinsecus, quam intrinsecus: præcipue autem per pessaria: Et quanquam pessaria facilius mouere possint sāguinem ex venis, quæ tendunt ad os vuluæ, quam ex ijs, quæ tendunt ad vteri cauitatem, nihilominus vtraque purgatio aliqua ratione potest dici

B menstrua; quandoquidem natura, per vasa communia, eundem sanguinem, modo per vnam, modo per aliam expurgat partē; frequentior tamen, & magis consueta purgatio fit per venas, quæ ad vteri cauitatē tendunt: hac via impedita, vel propter conceptum, vel propter alias caussas; expurgatio fit per venas ceruicis vteri, quæ hæmorrhoidales vocantur; quod etiam notauit Gal. *in comm. aphoris. 60. sect. 5.* & obseruauit Realdus Columb. *l. 6.*

Sed iā caussas immodici fluxus persequamur. Inter ceteras, quæ pertinent ad vterum, est nimia quoque vteri caliditas, atque ipsa conceptio. Aliquando enim ex conceptu tanta attrahitur sanguinis ad vterum portio, vt & conceptum suffocet, & aliquando matrem extinguat; vt ego bis

C obseruaui.

Fit quoque immodica fluxio ex parte sanguinis, vel nimium abundantis, vel acris, & calidi, vel tenuis & aquosi. *Caussæ ex parte sanguinis.*

Abundat autem sanguis dupliciter, aliquando, quia plus generatur, quam conueniat; aliquando, quia tametsi plus non generetur, non transeat in alimentum partium.

Abundat autem plus iusto & ratione materiæ, & ratione caussæ efficientis. Ratione materiæ, id est, ratione alimenti cibi & potus, multi ac maximi alimenti, quibus si adiungatur otium, longus somnus, balnea, animi affectus hilares, sanguis in magnam excrescit molem.

Caussa efficiens est temperatura calida & humida iecoris: propterea eorum sententia absolute *Caussa efficiens.*

D probata, qui putant, mulieres quo frigidiores, eo liberius purgari, falsissima est: nam sanguineas mulieres, quæ sunt calidæ & humidæ, supra omnes alias purgantur; nisi sanguinis materia in pinguedinem transeat. Etenim adipis, feminis, & sanguinis menstrui materiæ, sunt eiusdem farinæ, pertinent ad excrementum tertiæ concoctionis vtile. Contra vero frigidæ & pituitosæ parcius expurgantur.

Illud tamen negari non potest, aliquando, vt paulo ante dicebam, abundare sanguinem ipsum, non quod multus generetur, sed quod non transeat in alimentum partium. Id autem fieri consueuit, quando carnium temperatura frigidior fuerit & humidior, vt quasi principium

cachexiæ appareat, in quo casu, vt recte animaduertit Galenus in *com. aph. 57. sect. 5.* sanguis iam ipsis membris grauis, excernitur importune ad vterum. Ad hanc caussam respiciens quoque Arist. *lib. 2. de gener. animal. cap. 4.* dicebat, menses fieri potissimum in fine mensis, eo quod tunc, & dies, & mulierum corpora sint frigidiora, ob frigiditatem vero non, vt antea, alimentum conficiunt: Natura itaque irritata ad vterum mittit.

Caussę cur sãguis fiat acris. Fit quoque copiosa purgatio, vbi sanguis simul copiosus, & acris euaserit, aut si non sit copiosus ex acrimonia erosionem in vasis vteri effecerit.

Hoc dico, quia sanguis quanquam acris, dummodo non abundet, aut erosionem non faciat, potius guttatim excernitur, & cum doloribus, quam vt immodicam faciat fluxionem.

Fit vero acris hic sãguis, vel ex mistione vtriusque bilis tam flauæ, quam atræ, vel ex vsu salitorum, acrium, aromatum medicamentorum calefacientium, præcipue eorum, quæ sunt venefica, vt est colocynthis, antimonium, præcipitatũ, diagridium &c.

Fit quoque acris ex diuturna in corpore, & in vtero mora, propter quam caussam purgationes puerperij sunt ceteris deteriores.

Ex quo, domini, potestis Medicorum controuersiam, quæ tamen apud me est leuis, conciliare. Digladiantur Medici, vtrum sanguis excretus, qui menstruus dicitur, sit benignus, aut malignus?

Hinc inde sunt rationes & auctoritates. Rei veritas est, sanguinem, neque putridum, neque diu retentum, neque acrem redditum ob caussas dictas, benignum esse alimentalem, excrementum vtile, tertiæ concoctionis, sicuti semen, & lac, & adeps.

Sãguis mẽstruus, vtrum peccet qualitate, an quantitate. Sed ex caussis iam dictis, quemadmodum etiã semen euadit venenum, vt omnia illa inferat mala, de quibus Plinius, Columella, Fernelius, & alij abunde dixerunt.

Denique abundant menses ex nimia tenuitate & aquositate. Fiunt vero aquei, vel ex imbecillitate facultatis sanguificatricis, iecoris, & venarum, vt in cachexia, leucophlegmatia & ascite. Aut ex errore in victu, videlicet propter assumta frigida & humida, siue sint olera, vel fructus, vel alia id genus.

Menses. Menses immodici, cum nec sola sanguinis mẽsura, nec dierum numero circumscribantur, sed magis virium imbecillitate, idcirco facile cognoscuntur, cum primum mulieres præ nimia copia, pallorem, inappetentiam, corporis grauitatem, pulsus denique imbecillitatem subierint.

Distinguendi autẽ sunt morbi, & caussæ, a quibus proficiscitur. Idcirco si fiat fluxio ob erosionẽ, præterquam quod aliquando confertim multus excernitur sanguis, fere semper etiam aliquid guttatim emittitur, & cum dolore.

Quod si fiat per rupturam, præterquam quod præcessit vel casus, vel vulnus, aut percussio, sanguis non modo coaceruatim euacuatur, verum etiam partim grumosus, partim liquidus.

Quod si fiat ex imbecillitate vasis, in hoc etiam

A casu sanguis, toto mensis tempore guttatim emittitur, sed sine dolore.

Si fiat propter anastomosin ex sanguinis nimia plenitudine, quoad vasa, corpus est carnosum, rubicundum, venæ sunt amplæ, præcessitque, imo tunc etiam adest victus plenus multi alimenti, otium & retentio excrementorum; sanguis etiam, qui excernitur, rubicundus est, & quanquam plurimus, sine insigni noxa euacuatur.

Quod si plenitudo sit ad vires, quia scil. carnes corporis sufficienti alimento non vtentes deponũt sanguinem, tanquam onus; in hoc casu corpus extenuatur, est cacheticum, frigidum, & subalbidũ, & copiosa excretio, vires quam primum deijcit.

Quod si fiat euacuatio propter acrimoniam sanguinis, primum quidem cognoscetis hunc sanguinem ex habitu corporis gracili, ex colore citri-
B no, vel fusco, ex propensione mulieris ad iram, vel melancholiam, ex vigilijs & siti, ex doloribus sub tempus purgationis apparentibus.

Quod si linteum iam seruatum inspexeritis, eo superficialiter diluto, & in vmbra exsiccato, colorem humoris abundantis cognoscetis, siue flauus, siue viridis, vel alterius fuerit coloris.

Denique cognoscetis fluxum immodicum ex sanguinis nimia tenuitate, eo, quod corpus laborat vel cachexia, vel hydrope, & sanguis exicos, aqueus & pallidus est.

Omnis fluxio immoderata, magni est faciẽda, quandoquidem ad multos & vteri, & totius corporis morbos deducit. Nam actior sanguis vlcera efficit vteri; immoderatus vero vniuersum refrige-
C rat corpus, cui non modo sterilitas, verum etiam inconcoctio, cachexia & hidrops subsequitur. Vt propterea iure Hip. *sect. 5. aph. 56.* scripserit, abũdantibus mensibus morbos fieri. *Prognostica.*

Curatio huius affectus, aliquando dirigitur ad symptoma, quando vires iam deijciat: quandoq; vero respicit morbum & caussas. *Curatio Symptomatis.*

Quod pertinet ad symptoma, vbi iam vires deijciat, tractandum est reuellentibus, adstrictorijs, & tandem etiam opiatis. Reuellentia sint frictiones partium supernatum, cucurbitulę magnæ sub mammis affixæ, ligaturæ vel supernarum tantum partium, vel quandoque etiam supernarum & infernarum, vt iure censuit Auicennas: nam hac ratione tollitur fluxionis occasio, & ex supernis, & ex infernis partibus in vterum. Præcedant tamen li-
D gaturæ supernarum, & cum soluuntur, soluantur primum infernę. *Reuellentia.*

Adstrictoria sint & externa, & interna, vel iniecta, vel assumta. Exteriora multa a scriptoribus proponuntur, inter quæ duo mihi probantur, quibus, præceteris vtor; alterum est balneum, quod isti vocant insessionem in decocto adstringente, quod decoctum debet esse varium, pro varietate intemperaturæ. Si sanguis frigidus cum intemperie frigida, balneum fiat ex vino austero, in quo bulliant alumen, sal chalcanthum, spica, absynthium, squinanthus, thus, & olibanum. *Adstrictoria.*

Si intemperies sit calida, accipiatis pro materia balnei acetum: Adstringentia sint frigida, vt gallæ, myrtus, rosa, acacia, hypocystis.

Et

Et quia in copiosa fluxione quanquam intemperies fuerit calida, refrigeratur tamen calor, expedit his frigidis aliqua calida immiscere, vt spicam & absynthium.

Emplastrum. Aliud remedium, quo ego fluxus admodum inueteratos constrinxi, est hoc emplastrum;

℞. *fuligin.*
farin. volat. molend. an. onc. ij.
bol. Arm.
sang. drac.
thur. an. dr. ß.
album. ouor. nr. ij.
succ. portul. vel plantag.
aceti an. q. s. M. f. linim. quod applicetur partim dorso; partim etiam ipsi vtero.

Inijciuntur etiam in vterum decoctiones similes ipsi balneo.

Intrinsecus autem ego vti soleo succo hypocystidis condensato, & est hac in re præstantissimus, danturque eius scr. ij.

Probantur etiam trochisci illi ex carabe, ex terra sigillata, ex spodio, ex camphora.

Pilulæ. Vtiliter parantur pilulæ hunc in modum;

℞. *rhab.*
mastich. an. dr. j.
troc. de carab. dr. ij.
succ. polygon. q. s. M. & f. pil. xij.

Exhibeantur duæ ex istis singulo mane cum onc. iij. aq. aut myrti, aut polygoni, aut portulacæ.

Vbi calidior fuerit temperatura, non improbãtur pulueres quidam frigidi & sicci, quales sunt illi, qui parantur ex corticibus chamarum, & illarum præcipue, quarum meminit Auicennas, quãdo inquit, cõuenire puluerem corticis ostrearum, quæ asportantur ex S. Iacobo.

Opiata. Sed quando hæc non proficiant, ad opiata est confugiendum, vel theriacam recentem, vel philonium Romanum, vel pilulas ex cynoglossa. Hęc sunt agenda vbi symptoma vrgeat. Nam si non vrgeat, adstrictoria prætermittãtur, nisi fluxus fiat ex imbecillitate vasorum vteri; tunc enim conueniunt adstrictoria, non minus, ac si fluxus esset immoderatus. Vbi autem importune & immodice quispiam sanguinem adstrinxerit, vlcera & cancros, inflammationesque varias non vteri modo, sed aliarum quoque partium infert.

Itaque potius morbis & caussæ occurrendum, quam symptomati. Et si morbus sit ruptura, agẽdum est agglutinantibus, hæc sunt amylum, tragacantha, gummi Arabicum, rasura cartæ pergamenæ, aloes, pili leporini combusti, qui pulueres oui candido excepti, ac succo arnoglossæ, siue iniecti, siue per pessarium immissi, vas ruptum agglutinant. Idipsum præstant decoctiones epotæ ex eodem amylo, tragac. & gummi Arabico. Interim tamen reuellendus est sanguis & cucurbitulis, &, si vires constent, secta vena in cubito, ligaturisque, vt iam dictum est. *Curatio fluxus ex ruptura.*

Quod si adsit erosio, in tractatu de Vlceribus audiuistis, qualia nam in erosione conueniant. Il-

A lud tantum dicam in præsentia, præter sectionem venæ, quæ etiam in hoc casu conuenit, quanti calidi humores a iecore in vterum mittantur, opus est etiam medicamentis vtramq; bilem educentibus, adstrictorijs tamen: propterea conueniunt myrobolani citrini & indi, fumaria, tamarindi, rhabar. immaturum: syrupi similiter sint frigidi & adstrictorij, vt myrtinus, ros. de rosis siccis, rob de ribes, syrupus de portulaca, de plantagine. Post purgationem vero conueniunt & renutrientia, & refrigerantia. Ex renutrientibus primum locum obtinet lac chalybeatum. Neque enim in fluxu sanguinis per erosionem lacte potissimum chalybeato aliquid præstantius excogitari potest. *Curatio fluxus ex erosione.*

Conueniunt quidem & aquæ ferratæ, tam in potu, quam in sessione, & serum chalybeatum, &
B alia id genus frigida, sed non renutriunt, sicuti lac.

In hoc casu fluente sanguine bilioso conueniunt quoque cibi, & potus incrassantes, vt oryza, alica, pedes vitellini, &c.

Quod si fluxio fiat propter vasorum imbecillitatem, adstringenda sunt vasa, vt dixi, si propter nimiam sanguinis copiam, detrahẽdus est sanguis ex partibus superioribus, non semel tãtum, sed bis & ter, & victus ratio tenuis est imperanda. *Curatio fluxus ex vasorum imbecillitate.*

Quod si plenitudo fuerit quoad vires, quia carnes non attrahunt alimentum, vtendum est frictionibus & inunctionibus calidis, balneis calidis, insolatu, & denique etiam picatione.

Curationem autem fluxus immodici, ob sanguinis aquositatem, partim habuistis in tractatu de Fluxu muliebri, partim habebitis in sequenti-
C bus.

DE VITIIS, QVAE AD DEPRAVATAM ALTERATRICEM PERTINENT: Et primum quidem De Furore Vterino. Cap. XXIV.

INfœcundæ, vt ab initio dictum est, euadunt mulieres, siue semen virile in vteri ceruicem non admittant, siue admissum in vterum non attrahant, vel attractum non retineant, aut denique retentum non alterent, vel alterent alteratione corruptiua. De prioribus vitijs ad ingressum, attractionem & retentionem spectantibus abunde, ni fallor, dictum est. Sequitur in præsentia tracta-
D tio de vitijs ad alteratricem facultatem spectantibus, & quando hæc vitia partim, vt dixi, pertinent ad alteratricem imminutam, vel sublatam, partim vero ad deprauatam, de prioribus nihil amplius dicam, quam quod hactenus dictum est. Etenim tollitur, vel imminuitur alteratrix ex frigida, siue humida, siue sicca intemperie, de quibus hactenus satis diximus.

Nunc itaque de vitijs, quæ ad deprauatam alteratricem pertinent, erit sermo.

Deprauatur alteratrix facultas, aut ex morbis, vel ex errore externo.

Et morbi sunt vel intemperies calida & sicca, vel morbi instrumentales, vt erysipelas, & inflammatio. De inflammatione capite 16. huius libri

egimus, vbi aliqua etiam de erysipelate fuere cõtexta: nunc tamen huius intemperaturæ calidæ & siccæ occasione, plura dicemus de attinentibus ad curationem erysipelatis, & quia furor vterinus, & satyriasis hanc ipsam habent intemperiem calidam, & siccam annexam, suntq; affectus quodãmodo erysipelacei, idcirco mihi explicandos assumam hos duos affectus, quibus cognitis & curatis, simul etiam cognitæ erunt caussæ intemperaturæ calidæ & siccæ, & erysipelatis vteri.

Quid furor vterinus. Incipiam autem a furore vterino, cuius meminit Ætius 4.*tetrab.*4 *cap.*74. & nihil aliud est, quã *ingens in mulieribus cœundi desiderium, cum delirio amatorio.* Dixi, *cum delirio amatorio*, quandoquidem huiusmodi mulieres, quæ in tantam coeundi rabiem desinunt, amentes fiunt, sed earum deliriũ totum est positum in cognitionibus & sermonibus amatorijs; & ego noui virginem in quodam cœnobio huius vrbis, quę omnibus vicibus interiecto spatio plurium annorum inter has tres exacerbationes laborauit hoc morbo; cui cum prima vice virgines illius loci, alioquin huius morbi, & consequenter symptomatum insciæ, cum carcere non prospexissent, sicuti postea prospexerunt, factum est, vt ipsa per cœnobium huc atque illuc vagata obscœna multa protulit, & tanta religione indigna, quæ tamen ad seipsam rediens castissima fuit & honestissima, & nunc temporis cum iam annũ agat 72. iã octo dies incidit in apoplexiã, cui subsecuta est paralysis linguæ, & totius partis dextræ.

Caussa. Fit hic affectus ex multo atque acri semine, ac menstruo sanguine ad vterum confluente, qui, vt aliquando docuit Hipp. *lib. de morb. virg.* cum nõ possit satis superq; expurgari, rediens ad cor & superiores partes, fatuitatem seu delirium infert.

Quia vero deliria sequuntur naturam humoris abundantis, vt propterea quædam fiant cum rixa, alia cum studio, nonnulla cum risu, prout consequuntur vel bilem, vel melancholiam, vel sanguinem; hæc quæ proprie fit ex semine spirituoso retento, infert quoque delirium, & res venereas spectans.

Augetur autem & sanguis, & semen ex cibo, & multo & multi alimenti, ex otio, cogitationibus, lectionibus, & sermonibus amatorijs. Propellitur vero in vasa seminaria, ex vsu tuberum, cardui, atque aliorum id genus, quæ flatum augẽt crassum.

Cognoscitur facile hic affectus ex his duobus iã propositis signis, delirio, inquam, rei amatoriæ absque febre, cum Veneris insigni tentigine.

Estque affectus diuturnus, qui durat, menses & annos, sicuti obseruaui in illa virgine. Est etiam periculosus, quandoquidem solent aliquãdo huiuscemodi mulieres manus sibi ipsis inferre, aut seipsas suspendendo, aut in puteos præcipitando interimere, vt non absque caussa arbitretur Mercurialis, Milesias illas mulieres, quarum meminit Plutar. in *libello de virtutibus mulierum*, quæ aceruatim seipsas suspendebant, ob tale morbi genus, ita in seipsas sæuisse.

Curatio. Curatio huius affectus posita est in medicamẽtis euacuantibus, reuellentibus ab vtero, reprimẽtibus a capite, refrigerantibus vniuersum corpus, ac siccantibus seminis abundantiam.

Quod ad euacuationem, mittendus est sanguis in hoc casu non semel aut bis, verum etiam pluries, bis saltem ex venis supernis, &, si vires sustineant, mittatur sanguis non ad vncias, sed ad libras: deinde vero secentur quoque venæ inferiores poplitis, vel malleoli.

Neq; improbatur apertio venarum sedalium: nam istæ quoque deriuant ab vtero. *Purgatio.*

Purgatio quoque per medicamenta debet fieri in hoc casu; leniatur aluus cassia cum tamarindis, vel syrupo rosato solutiuo.

Præparentur humores syrupo violato, de nymphea, de portulaca cum aquis vel decoctis accommodatis.

Expurgẽtur ita præparati infusione rhabarbari in sero caprino, addito syrupo rosato solutiuo: aut si bolum voluerint:

Bolus.
℞. *el. de succo rosar. dr. iij.*
fl. cass. nou. extr. onc. j. M. f. boli.

Si seri copia adsit, exhibeatur ad lib. iij. vel iiij. singulo die cum onc. iij. vel iiij. emulsion. sem. melon. Aut in magno furore cum onc. ij. emuls. sem. pauperis albi.

Interim adhibeatur oxyrrhodinon capiti ex aceto, oleo rosato, & succo lactucæ inuicem mixtis.

In defectu seri exhibeantur aquæ ferratæ. His deficientibus accipiantur destillatæ, vt aq. nimpheæ, violarum, plantaginis, quarum dosis fit singulo mane onc. viij.

Refrigerantia. Interim refrigeretur etiam vterus insessionibus & iniectionibus aquarum frigidarum, qualia sũt balnea ferrata & ænea, vel saltem alterata plantagine, portulaca, solano, capitibus papaueris albi, hyoscyamo, nymphea, ac ceteris id genus.

Exsiccantia externa. Probantur quoque exsiccantia, tam exteriora, quam interiora. Inter externa probantur linimenta vtero & renibus, facta ex ruta, ex castorio sub actis aliquo succo frigido.

Interna. Intrinsecus Ætius probauit medicamentum ex smyrnio & croco, quod vtrumque mihi suspectũ est, quandoquidem, præterquam quod mouent sanguinem ad vterum, feriunt etiam caput, vt de croco scribit Gal. *lib. 2. de compos. med. per loc. cap.* 1. & de smyrnio in capite de puero epileptico. Itaque minuatur semen potius victu tenui, & nullius fere alimenti, vtantur oleribus frigidis, fructibus frigidis, cucumeribus, cucurbitis, ptisana vel pulte ex hordeo, ex milio fracto, ex chondro, dimittant carnes & oua, vinumque omne, bibant aquã ferratam, chalybeatam, piscesque petrosos, caueantque consuetudinem eorum omnium, quæ possunt illas ad Venerem prouocare. Idcirco vsus etiam Veneris quanquam videatur tunc temporis aliqua ex parte furorem mitigare, plerunque tamen illum augere solet.



DE SATYRIASI SEV PRVRITV VTERI. Cap. XXV.

Quid satyriasis. AB hoc affectu hactenus declarato parum differt hic, quem Græci σατυρίασιν, Latini pruritum vteri, & Arabes priapismum vocant. Est hic quoq; affectus *tentigo Veneris, sed pruritu osa, & dolorosa, absque delirio*, quandoquidem in huiusmodi affectu cogũtur mulieres ex insigni pruritu locos muliebres continuo scalpere, ex quo dein ingens dolor consequitur. Fit hic affectus ex fluxione materiæ salsæ & introsæ ad muliebres locos.

Caussa. Augetur hæc materia vel ex putredine, vel ex assumtis cibis ac potionibus, & medicamentis calidis, acribus, & salsis. Idcirco non magis fit in iunioribus, quam in senioribus. Quinimo hoc anno ego nobilem curaui mulierem hoc pruritu laborantem, quæ annum agebat septuagesimum tertium, & postquam fuit curata, dum iam esset ruri, & promiscua vteretur viuendi ratione, incidit in apoplexiam & extincta est.

Adiuuant huiusmodi fluxionem frequentes partus, vt propterea & hæ, & aliæ mulieres, quas noui hoc pruritu laborantes fuerint valde fœcundæ.

Signa. Prognostica. Est affectus, qui sicuti facile cognoscitur, ita non facile curatur: estque non modo molestus, sed etiam periculosus. Nam præterquam quod somnum tollit, accedit etiam, quod post scalptum mulieres plerunque animo deficiant, & quædam præ molestia seipsas exstinguant.

Curatio. Curatio huius affectus requirit primo totius corporis prouidentiam, deinde vero localia quædam auxilia.

Circa corporis prouidentiam secanda est vena vel vnica in senioribus, vel duplex, vt voluit Auicennas, in robustioribus, media scil. & cephalica, vel basilica.

Purgandum est corpus ijs medicamentis, quæ salsum educunt humorem. Idcirco electuarium lenitiuum, vel rosatum cum syrupo de polypodio vsurpari possunt pro leniente medicamento.

Præparabuntur humores syrupo de fumaria, de lupulis, violato simplici, ac melle rosaceo, vel syrupo acetosæ cum decoctione hordei, fumariæ, lupulorum, scabiosæ, hepaticæ, sonchi, &c.

Bolus. Purgatio fiat per pilulas cochias præparatas, aut per huiusmodi bolum;

℞. *confect. hamech. dr. ij.*
diaphœn. dr. j.
el. lenit. communis onc. j. M. f. bol.

Si potionem voluerint, fiat sic;

Potio. ℞. *cortic. elleb. nigri dr. j.*
agar. trochisc. scr. ij. infundantur s. a. in decocto cordiali, & facta expressione, adde
mel ros. sol.
syr. de polypod. an. onc. ij. M. f. potio.

Localia. Alteretur etiam intemperies calida, vt paulo ante dictũ est, vel sero, vel aquis, aut succis varijs. Denique quod pertinet ad localia, tametsi ad

A rem pertinere possit, inũgere renes, & vteri regionem vnguentis & linimẽtis frigidis, nihilo minus localia in hoc affectu necessaria sunt, vel linimenta, vel pessaria, vel clysteres vuluæ, & vtero imposit.

Et quia hæc omnia possunt esse aut reprimentia, vt propter ea Cleopatra, a quo accepit Auicẽnas, proponat decoctiones ex rosis, ex corticibus granatorum, atque alijs id genus, possunt quoque esse remedia anodyna, atque vltimo possunt esse siccantia, & quantum ego potui propria experiẽtia comprobare, neque reprimentia, neque anodyna, neque moderate siccantia quicquam præstant in hoc affectu. Ego sum expertus balnea & frigida, & adstringentia in insessione, fotu, & clystere, nihil profecerunt. Vsus sum linimẽto ex succo

B solani, semperuiui, portulacæ, additis vitellis ouorum, ol. rosar. ac mucilaginibus frigidis, inanũ tamen omnia: his addidi pulueres siccantes, de cerussa, lythargyro, tutia, videbatur morbus moderari, sed tamen redibat. Itaque tandem coactus sum Ambrosij Paræi hac in re sententiam sequi, qui *cap. 64.* imitatus ipse quoque Cleopatram *ca. 27.* vtitur medicamentis siccantibus validis nempe lixiuio, aut aqua salsa, in qua dissoluit vnguentum Ægyptiacum, quem liquorem deinde iniicit in vterum.

Conuenit etiam pessarium ex nitro & sulphure excepto cera confecta in formam pessarij.

His non conferentibus, efficacissimum est præcipitatum mixtum, cum butyro, vel cum adipe anserino.

C Non improbatur etiam inunctio, facta ex sulphure, sale Armoniaco, & nitro puluerisatis, & cum eodem butyro commixtis.

Scio eundem Paræum proposuisse inũctionem cum hydrargyro, sed hæc tanquam minus tuta mihi non vndiquaque probantur.

De Defectu Mensium, & eorundem Stillicidio, Cap. XXVI.

ALteratrix facultas vteri sterilitatem facit, nõ ex morbis tantum, sed ex externo etiam errore. De morbis iam diximus, dicemus nunc quoque de errore externo.

Est error externus vitium, aut sanguinis menstrui, aut seminis. Est autem hoc vitium, & in quãtitate, & in qualitate.

D In quantitate quidem, si vel prorsus mẽses deficiant, aut valde minuantur, aut imminuantur, & tardius effluant: vel denique per modum stillicidij effluant.

Quocunque modo res habeat, certum est, conceptionem ipsam, vel difficilem, vel impossibilem aliquando fieri.

Quod si apud Medicinæ scriptores aliquando inueniatis mulieres, etiam non purgatas peperisse, vt apud Petrum Toletum *lib. de morb. pueror. cap. 1.* apud Brasauolam *comm. aphor. 36. sect. 5.* atque apud alios, ratio ea est, quam protulit Aristot. *lib. 7. de hist. animal. cap. 2. & lib. 1. de gen. anim. c. 19.* quia scil. in istis mulieribus tantum sanguinis confluit ad vterum, quantũ in illis relinquitur, quę ex

consuetudine purgantur. Itaque non est defectus fluxionis sanguinis ad vterum, sed est defectus purgationis exterioris. Vtcumque res habeat, certum est, quæ non purgantur, ceteris esse infœcundiores.

Caussę cur quædam post 14. ętatis annum, & ante 48. non purgantur.

Caussæ igitur, quamobrem post decimũ quartum ætatis annum, & ante quadragesimo ottauo, neque vtero gerentes, neque lactentes careãt menstris purgationibus, vel secius ac parcius habeant, aliæ sunt ex parte ipsiusmet sanguinis, alię vero ex parte vteri.

Ex parte sanguinis, qui aut non generatur in tanta quantitate, quæ superabundet nutritioni membrorum, vel si generetur, crassior sit viscidior, quam vt vteri venas possit transire. Vel denique, si probus sit sanguis & multus, ad alias cõfluat partes.

Non generatur autem ob insignem corporis caliditatem & siccitatem, siue sit ex temperamẽto naturali, siue ex aere, aut nimia exercitatione, vt propterea scribat Ætius 4. *tetrab.* 4. *cap.* 51. saltatrices & exercitatas mulieres mensibus carere. Idipsum facit inedia, victus ratio attenuans, vigiliæ, curæ, timor, & mœror, ac nimiæ totius corporis purgationes, siue per aluum, & vomitum, vrinas, vel sudores, saniem, aut tubercula in corporis cutem irrumpentia.

Generatur sanguis siue melancholicus, siue pituitosus ex cibis & potionibus, & ex intemperie tam ventriculi, quam iecoris.

Denique alio confluit sanguis, siue expurgetur per hæmorrhoides, siue per nares, aut per os. Scribit Amatus Lusitanus *centur.* 2. *curat. vigesima prima*, cuidam mulieri aliquando mẽses per mãmas effluxisse.

Diuertitur quoque sanguis in mulieribus, quæ cum antea essent graciles, fiunt carnosæ & pingues.

Ars ipsa quoque sanguinem diuertit, dum sæpius sanguis potissimum ex supernis mittitur partibus. Deficiunt quoque menses ob vitia vteri, inter quæ est mala situatio oris, vteri procidentia, sunt compressiones vasorum ex varijs tumoribus, & ex pinguedine; sunt obstructiones ex crassis & viscidis humoribus, sunt constipationes a medicamentis excitatæ adstringentibus, vt in illis, quæ, etiamsi conceperint, iterum virginitatem venditare volunt. Idipsum faciunt aer, & aqua frigida.

Supprimuntur etiam nonnunquam ex coalescentia post vlcera, & subsidentia propter nimiam vasorum exsiccationem, vt in atrophia totius corporis.

Omitto in præsentia caussas ex parte oris & ceruicis vteri, φίμωσιν scilicet adstrictionem, obturationem a carne, a membrana, de quibus diximus alias.

Istæ igitur caussæ aliquando faciunt integrum mensium defectum, nõnunquam imminutum & tardantem, quandoquidem consummata obstructio, aut constipatio, vel coalescentia, vel compressio, vel subsidẽtia, atque insignis defectus sanguinis, facit etiã menses omnino suppressos: Semiductio vero, & semidefectus faciunt imminutos. Etsi

A sanguis fuerit frigidior, facit etiam tardantes.

Et hæ sunt omnes caussæ deficientium purgationum a Galeno propositæ, partim *comm. aphoris.* 28. *&* 57. *sect.* 5. partim *libr.* 3. *de caus. sympt. cap.* 4.

Quanquam autem videatur Galenus citatis addidisse robur vteri expellentis a se sanguinem, non puto tamen hãc caussam vlla ex parte distingui a iam propositis. Vterus enim, qui sua natura appetit sanguinem menstruum, si non sit impeditus, nunquam vtetur suo robore ad expellendum hunc sanguinem. Itaque robur vteri pendet ex aliquo impedimento.

Quid stillicidium mensium.

Ex dictis possunt etiam colligi caussæ stillicidij mensium, quod nihil aliud est, quam *fluor sanguinis paulatim factus, & cum dolore, saltem magna ex parte*. B

Caussa.

Caussa vero, cur hic sanguis guttatim effluat, aut est imbecillitas facultatis retentricis venarum vteri, & tunc dolor non adest, aut est semiangustia horum vasorum cum præsentia sanguinis: qui aut irritat multitudinem, aut acrimoniam, propter crassitiem tamen vel vasorum densitatem, non potest excerni, nisi guttatim, hinc dolor excitatur.

Signa.

Huiusmodi affectus, vt cognoscantur, signis nõ indigent, ipsæ enim patientes referunt, an menses deficiant, vel ex toto, vel ex parte, an serius accedant, anque stillatim, vel non.

Distinguendæ tamen sunt caussæ, & primum distinguenda est suppressio vitiosa ab ea, quæ fit propter conceptum.

C Distinguitur autem magna ex parte morbis & symptomatis: Nam suppressio ex morbo magna ex parte habet febrem connexam, dolores circa ileum ac dorsum, ac imum ventrem, grauitatem ac stuporem crurum, dolorem capitis, melancholiam, quandoque furorem, inappetentiam, atque alia id genus plurima. Concipientibus quidem aliqua ad ventriculum spectãtia superueniunt, sed in ceteris non male habent.

Cognoscetis autem defectum fieri, quia sãguis non generetur, eo quod mulier erit gracilis, fusci coloris, hirsuta, iracunda, virili voce donata, exercitata: aut erit consumta ex aliquo morbo longo, aut febre hectica, aut tentabitur alia purgatione corporis iam dicta. Quod si sanguis fuerit nimis crassus vel pituitosus, vel melancholicus, ad ea signa est D confugiendum, quæ vel pituitam, vel melancholiam abundare demonstrant.

Quod si alio deflectat sanguis, hoc quoque vnicuique erit in comperto. Sicuti & corporis pinguedo ac carnositas præter naturam accedens.

Malam vteri situationem, quomodo cognoscere possitis, docui in proprio capite. Sicuti docui etiam signa omnium tumorum & coalescentiæ partium ad vterum spectantium.

Subsidentiam vero cognoscetis ex totius corporis atrophia. Et quod spectat ad stillicidium, si fiat ex sanguinis acrimonia, corpus est biliosum, vel atrabilare, iracundum, gracile, & dolores sub excretionis tempus vehementissimi excitantur, sangui-

sanguisque exiens admodum ruber esse solet.

Quod si fiat ex crassitie, oportet confugere ad signa demonstrantia abundãtiam vel pituitæ, vel melancholiæ.

Si fiat ex multitudine, totum corpus rubet, venæ sunt turgidæ, lassitudo, phlegmonodes, & tensiua vniuersum occupat corpus. Si fiat ob venatũ labefactatam retentricem, sanguis excretus est tenuis, aqueus, & excernitur sine dolore, & menses tempore consueto aliquanto largius effluunt.

Prognostica. Est huiusmodi suppressio non tantum verenda propter sterilitatem, quantum etiam propter mulierum varios morbos, quibus ex tali suppressione subijciuntur. Dicebat enim Hippocrates *sect. 5. aph. 57. mensibus pluribus prodeuntibus morbi fiunt, & non prodeuntibus, ex vtero morbi contingunt*, quibus addit Galen. *in com.* ex recentis mensibus excitari cancros, atque alios tumores vteri, præterea vlcera quæ suas communicant toti corpori affectiones, quarum meminit Galen. *lib. 6. de loc. aff. cap. 5.* & ante ipsum Hippoc. *lib. 1. de morb. muliebr.* scribens: *mulier vsque ad sextum iam mẽsem purgationes suppressas habens, non potest amplius ab hoc affectu liberari*. Quæ sententia absolute prolata est falsissima: nam, vt alias prætercam plurimas, ego ipse vnam curaui Venetiis, cui menses fuerant suppressi per annos duodecim integros.

Doctissimus Mercurialis hanc sententiam inquit intelligendam esse de mala tantum vteri situatione: nam transacto sexto mense non potest amplius reuocari. Quod tamen etiam est falsum: Nam ego quoq; curaui superiori anno virginem in quodam cœnobio, quæ septem iam menses ex distorsione vteri suppressionem passa fuerat, & tamen auxilio Dei & meo curabatur.

Intelligendus itaq; Hipp. de illis tantum, quibus supprimuntur menses cum prauis illis symptomatis, de quibus meminit eo loci: Quando enim symptomata sunt vsque adeo magna, ratio persuadet caussam quoque affectus esse maximã, vt transacto sexto mense non possit amplius exsuperari.

Curatio defectus mẽsium ex defectu sanguinis. Suppressorum mensiũ curatio variis pro caussarũ varietate, perficitur intentionibus & auxiliis.

Nam quæ fit ob sanguinis defectum siue consequatur calidam & siccam temperiem, siue inediam, & corporis exercitationem, duplici modo curatur, pro duplici mulierum hac passione laborantium statu. Nam si fuerint virgines ad conceptionem ineptæ, augenda potius, quam mutanda est viuendi ratio attenuans & exsiccans, vt hac ratione tantum sanguinis generent, quãtum satis est pro corporis nutritione, vt purgationibus non indigeant. Possunt enim mulieres temperanter viuentes exercitatæ potissimum etiam sine mẽstruis toto vitæ suæ tempore sanæ degere.

Quod si conceptionis sint idoneæ, in istis sanguinem vsque adeo augere oportet, vt non nutritioni tantum, sed & purgationi sufficiat. Ideo renuntiantur cibo copiosiore optimi succi, diu dormiant, quiescant, vtantur balneis, inunctionibus humectantibus, denique viuendi ratione renutri-

A toria & humectante. Neque hactenus opus est vlla sanguinis missione.

Quod si refecto iam corpore purgatio nõ succedat, trahendus tunc erit sanguis ad vterum illis ingenijs, quæ paulo post proponam. Si deficiant menses eo, quod trahantur ad alias partes, vel nares, vel mammas, aut os, aut sedem, non statim secandæ sunt venę inferiores, quod tamen video totam fere Medicorum Scholam fecisse, & facere, qui ad vnicam Galeni sententiam respiciens *libr. de curand. rat. per sangu. miss. cap. 11. & 19.* prolatam, in suppressis mensibus inferiores venas semper esse aperiendas indiscriminatim, & in quocũque casu id putant esse agendum, nullo quandoque patiẽtis commodo, imo vero maxime earum pernitie; nam si alio deflectat sanguis propter vteri callositatem, scirrhum, inueteratam distorsionem, carnem adnatam, obstructionem consummatam, quid quæso præstare potest sectio venæ inferioris? trahit quidem sanguinem ad vterum, non autem expurgat per vterum, quia talia habet impedimenta, quæ non permittant sanguinis excretionem. Auctus itaque sanguis cõuulsiones facit, ac sæuiores omnes vteri præfocationes. Satius igitur in his casibus est tam diu ab omnibus auxilijs sanguinem ad vterum ducentibus abstinere, quamdiu impedimenta sint sublata. Quod si tolli nõ possint, permittamus naturæ excretiones alias, dummodo sint per loca cõuenientia. Hæc est sententia Hippocratis, atq; etiam Galeni, *sect. 5. aph. 33.* scribit Hipp. in suppressis mensibus sanguinẽ ex naribus excerni bonum esse, subdit Gal. *in com.* in suppressis mensibus non modo nares, verum etiam alia loca accommodata posse vtiliter satisfacere huic necessitati euacuationis, inter quæ ponit venas sedales. Et propterea *lib. 3. de caus. sympt. c. 2.* vbi loquitur de dysenteria hepatica, inquit, hãc vtiliter fieri per singulos menses illis mulieribus, quæ per vterum non purgantur.

Curatio defectus mẽsiũ ex hoc quod sanguis alio trahatur.

Num sint secãdæ venæ inferiores.

B

C

Idcirco cognita impossibilitatis purgationis caussa, nunquam accedatis ad secandas venas inferiores, gratia attractionis sanguinis ad vterum: quanquam ratione deriuationis id fieri possit. Potest autem euacuatio deriuatiua ab vtero fieri absque attractione in vterum duobus modis: primo, per appositionem hirudinum venis hæmorrhoidalibus vteri, quandoquidem habent tantũ consensum cum venis, quæ pertingunt ad corpus vteri, & quia sanguis non potest purgari per corpus vteri, purgabitur per venas ceruicis vteri. Secũdus modus est, vt aperiantur quidem venæ inferiores, sed mittatur sãguis ad duas, vel tres ad summum vncias, quousque euacuetur sanguis ille, qui in venis vteri turgentibus continebatur.

D

Si quispiam acceperit Auicennæ consilium, vt scil. in hoc casu crura sint elatiora reliquo corpore, securius id obtinebitis, vt euacuetur vterus, neque tamen nouus attrahatur sanguis.

Ceterum si vterus non sit impeditus, quãquam sanguis euacuetur per regiones conuenientes, vel nares, vel sedem, expedit illum ad vterum trahere sectis ambabus venis infernis, in illis quæ sint graciliores, aut scarificatis cruribus, in his, quæ sunt pin-

pinguiores. Præterea frictionibus, ligaturis, cucurbitulis non sacrificatis, atque alijs ingenijs, de quibus infra. ¶ Quando autem impedita sit purgatio propter sanguinis crassitiem & visciditatem, legitima curandi ratio in expiando sanguine ab impuritate humoris, vel pituitosi, vel melancholici est posita.

Curatio impeditæ purgationis ꝑpter sanguinis crassitiem & visciditatem.

Expiabitur autem purgatione, & per vomitum, & per medicamenta. Vomitus, si tentandus sit, tentetur statim ab initio; progressu enim temporis habet rationem auxilij reuellentibus ab vtero: ideo purgationem impedientis.

Vomitus.

Medicamenta in humore melancholico sint aut syrupus de polypodio cum mell. ros. solut. aut mel ipsum rosatum solutiuum.

Medicamenta.

In præparatione vero est abstinendum ab omnibus decoctis, quæ habeant vim ducendi humores in vterum, augerent enim obstructiones. Satis fuerit vti syrupis incidentibus, vt est oxymel compositum, scylliticum, syrupus byzantinus cum aceto.

B

Post præparationem vero corpus valido medicamento est purgandum. Dixi, *valido*, Ætium imitatus, qui scribit, se euphorbio semel tantum exhibito in pituita, vel epithymo in melancholia purgationes statim reuocasse. Et sane ratio persuadet, vt sublata impedimenti caussa tollatur quoq; effectus. Caussa est humoris crassities, purgato humore subsequetur purgatio: mihi igitur placet vsus hieræ, aut Pachi, aut Logodionis, vel Archigenis ad dr. ij. aut electuarium indum, vel maius, vel minus ad dr. iij. vel diaphœnicon ad onc. sem. cũ dr. ij. spec. hiero, vel dr. j. pilularum fœtidarum cum dr. sem. alephanginarum.

C

Si voluerint potionem, infundantur scr. iiij. agarici trochiscati in decocto cordiali, cum dr. ij. fol. senæ. & onc. iiij. mel. ros. solutiui, pro pituitoso scil. humore. Pro melancholico infundatur dr. j. corticum ellebori nigri, in decocto pariter cordiali cum dr. ij. senæ, & dr. iiij. syr. de polypod.

Tunc tempus est administrandi medicamenta, quæ sanguinem fortius administrare possint. Et ideo prædictis syrupis addatur decoctum ex puleio, *calamentha, phu, meu, saturcia, senecione, dictamno*. Et ideo ipso tempore fiant fomenta vtero ex hoc ipso decocto, atque munctio post fomentum ex ol. lil. alborum cum aromatibus. Et post quintum syrupum repetatur eadem purgatio: quid repetita tunc locus est, & sectioni venæ infernæ, & medicamentis omnibus attrahentibus & impellentibus sanguinem ad vterum, qui ante hoc tempus hæc tentauerit, in patientis discrimen tentabit.

D

Mittatur itaque sanguis ex venis infernis, aut sacrificatis cruribus: fiant frictiones & ligaturæ, lotiones pedum ex decocto matricariæ, origani, sabinæ, rutæ, pulegij, calamenthi, meu, & asari.

Sanguinis missio.
Frictiones

Gerant quoque mulieres sub pedibus aut flores croci, aut senecionem virentem, aut sabinam. Vtatur suffitu aromatum ex trochiscis de gallia moschata, de myrrha, vel ex cinnamomo, costo, cassia lignea: nam, vt nostis ex Hipp. *sect. 5. aph.* 28. suffitus aromatum muliebria educit.

Fiant quoque insessiones in aquis thermalibus, aut decoctis propositis. Adhibeantur pessi ex lana imbuta succo Mercurialis, succo cyclaminis: & in maxima pituitæ præsentia ego feliciter vsus sum pessario, quod vno & eodem tempore menses, & adstrictam aluum mouit: composui autem in hãc formam;

Insessiones

℞. *pulp. colocynth. interioris dr. j.*
elaterij gr. iiij.
diagrid. gr. iiij.
trochisc. de myrrha dr. ß.
oxymel. scyllit. q. s. M. fiant pessaria, quę inuoluantur linteolo raro, imbuto ol. amygdalino, in quo dissoluatur granum vnum moschi, & hoc in nobilioribus. In agrestioribus potest etiam imponi absque linteo lineo.

Pessariũ.

Impellendus etiam est sanguis ad vterum decoctis, bolis, seu pilulis, vel pulueribus; Idcirco in hoc casu primum locum mihi obtinere videntur trochisci ex myrrha, quorum dosis est a scr. ij ad dr. j. Vtor etiam castorio admixto cum puluere vel pulegij, vel calamenthi, vel sabinæ:

Sit exempli gratia.
castorij onc. ij.
pulueris sabinæ
calamenth an. dr. j. M. cum syr.
capillo. Vener. formentur pil. xij. ex quibus exhibeantur iij. singulo mane, quatuor horis ante cibum, post quas superbibant onc. viij. vel x. iuris alterati cum pulegio, sabina, capillo Veneris, asaro, atque alijs id genus aperientibus. Et si ius fuerit cicerum rubeorum, erit adhuc fortius.

Pilulæ.

Quod si impedimentũ sanguinis fuerit ex multitudine, in huiuscemodi casu secanda primum est vena superior, deinde vero inferior, vel vna, vel ambæ, & quanquam hęc sententia vnicum habeat ex antiquis auctorem, Ætium scil. *cap.* 57. & ex recentioribus, quos ego viderim (cum tamen plurimos, ne dicam omnes, viderim) duos tantũ, Gordonium, nempe & Syluium, nihilominus est vsq; adeo rationabilis, vt quia aliter faciunt, tantum abest, vt moueant menses, vt potius inferant mulieribus hystericas passiones. Nam vbi suppressio oritur ex insigni sanguinis abundantia, id ipsum contingit vasis vteri, quod contingit vasis ore angusto donatis, & aqua repletis, quæ vasa, etiam si vertantur in partem perforatam, non euacuantur. Sed si in parte superiore aliquod fiat foramen, statim euacuatio fit etiam per inferiora. Hoc quotidie cernimus in dolijs plenis, hocque contingit etiam in mulieribus, quæ non purgantur ob nimiã sanguinis abundantiam, in quibus si secentur primo venæ superiores, deinde inferiores, purgatio felicissime succedit: imo vero, vt dicam, quod probaui experientia in istis, sola sectio venæ supernæ statim menses reuocauit eo ipso die, aut ad summum sequenti, quod ego secui venam in cubito mulieribus repletis sanguine, menses abundanter apparuerunt.

Curatio impedim. e ti sanguinis ex multitudine.

Tametsi multi sint vteri morbi, propter quos menses supprimuntur, cum tamen horum omniũ curatio, obstructione excepta, in superioribus fuerit proposita, idcirco versabimur in præsentia de obstructione.

In ob-

Curatio defectus mēsiū ex obstructione vteri. In obstructione autem vteri primum vniuersalis purgatio est necessaria, de qua fuit sermo in præcedentibus, quia iam absoluta, ad ea statim confugiendum est, quæ crassos & viscidos humores vteri attenuare & incidere possint. Et quia horum auxiliorum materiæ multiplices sunt, valentissimæ in hoc casu sunt eligendæ. Et quia aliæ intrinsecus, aliæ extrinsecus sunt administrandæ, oportet in hoc casu prius vti extrinsecis: ratio est, quia si prius interiora adhibeantur, non præcedentibus externis, crassam & viscidam materiam attenuantibus, ducuntur humores ad vterum, nec transire possunt: hinc augetur obstructio.

Præmissis ego vniuersalibus, vterus hoc fomēto est irrigandus;

Fomentū.
℞. *pulegij*
calamenthi
origani
sabinæ
valerianæ
dictamni Cretici an M. j.
sem. lini onc. iij.
costi
cassia lignea an. onc. j. incidantur incidenda, & contundantur contundenda, bulliantq; in s.q. aquæ: facta expressione f. fom.

Vbi per tres aut quatuor dies adhibita sunt alia fomenta, tunc conueniunt etiam intrinsecus adhibita, quæ crassum humorem ex venis deturbare possunt. Sunt hæc quidem varia. Ego tamen & familiariter vti soleo his pilulis;

Pilulę.
℞. *troch. de myrrha dr. ij.*
sagapeni
opopanacis an. dr. j. *cum syr. de capill. Vener. aut de artemis. f. pilulæ xij. & deaurentur.*

Aliquando etiam vsus sum his pilulis;

Pilulæ alia.
℞. *castor.*
pulegij
sabinæ puluerisatorum an. dr. j. M. & cum eodem syrupo formentur pilulæ x. quæ deaurentur: capiantur duæ ex istis singulo mane 4. horis ante cibum. Post pilulas vero accipiant, aut decoctum ex sabina, pulegio, senecione, nepita, matricaria, valeriana, asaro. Vel si diuturnus fuerit affectus, paratur decoctum ex infusione rad. salsæ parillæ, ligni sassafras, chinarum, cui superaddantur herbæ supradictę, & post pilulas ℞. *huius decocti onc. vij. vel viij.*

Qui apud se thermalium aquarum copiā habent, felicissimo successu ad aperiendas vteri obstructiones illi vti poterunt, in potu, balneo & stillicidio adhibito ipsi vtero.

Non obtinet vltimum locum triphera magna sine opio, aut theriaca, vel mithridatium.

Dum autem hæc administrantur, externa non sunt prætermittenda, fomenta dicta, inunctiones ex ol. cheirino, liliorum alborum, aut dropaces in hunc modum facti;

Ceratum.
℞. *galbani*
serapini
opopan. an. onc. ß.
costi
cass. ligneæ an. dr. j.
piperis
pyrethri
zedoariæ an. dr. ß.
cer.
resinæ an. q. s. M. f. ceratum.

In hunc vsum probarunt veteres etiam sinapismos & cucurbitulas, vel scarificatas, vel non scarificatas, pubi vel inguinibus adhibitas, vt attrahāt sanguinem ad vterum.

Idcirco vtiliter etiam dantur, & iniectiones & pessi: Iniectiones quidem eorū, quæ possunt crassum humorem attenuare, & eundem expurgare. Fiant ergo clysteres ex decoctis dictis pulegij, calamen. sabinæ, dictamni: quibus ad purgationem humoris addatur colocynthis, aut cucumer syluestris: dissoluatur quoque dr. j. hieræ diacoloc.

Pessi similiter fiant ex valentiori materia, quales essent isti;

Pessi.
℞. *opopan.*
serapini an. dr. j. dissoluantur in vino odorato, vt maluatico vel hippocratico, deinde adde
pulpæ colocynth.
elaterij
scammonij an. dr. ß.
mell. scyllit. q. s. M. f. pessarium longitudine vnius digiti minimi.

Vbi iam magna ex parte sublatæ sint obstructiones, cōueniunt quoque frictiones partium infernarum, balnea aquæ calidæ, sectio venæ poplitis aut malleoli, scarificatio crurum, denique omnia, quæ sanguinem trahant ad interiora.

Et hæc curatio dirigitur non tantum ad suppressionem mensium, verum etiam ad stillicidiū ex copia & crassitie sanguinis.

Curatio stillicidij ex acrimonia sanguinis. Si vero fiat stillicidium ex sanguinis acrimonia, alia est curatio; sanguinem primo purgare oportet ab humore acrimoniam inferente, deinde vero illum quoque, & in toto, & in vtero temperare. Vt expurgetur, conueniunt vomitoria ex aqua hordei & ol. amygd. conuenit purgatio præmisso leniente ex cassia, syrup. ros. sol. succedentib. syrupis viol. simpl. demum subsequente purgatione, vel per infusionem rhabarb. cum syr. ros. solutiuo, vel per electuarium rosatum Mesuæ, quod potest dari *ad dr. iij. cum dr. vj. cass. nou. extr.*

Extrinseca. Extrinsecus, quo tempore conuenit etiam venę sectio in cubito, ad refrigerandum iecur, ad retrahendos acres humores ab vtero, dummodo tamē hęc sectio fiat octo vel decem diebus ante tempus purgationis consuetæ.

His peractis contemperandus est sanguis, & in toto & in vtero: In toto, sero caprino in siccioribus mulieribus, & lacte caprino, aquis ferratis, vt aqua virginis, Lucensi & Calderiana, aqua hordei, nympheæ, portulacæ, capillorū Veneris, &c.

Vtero autem administranda sunt medicamenta acrimoniam quidem obtundentia, sed purgationem non prohibentia, talia sunt *ol. amygd. pinguedines anatis & anseris, mucilagines variæ sem. maluæ, psyllij & cydoniorum, radix altheæ et maluæ contusa, & in lacte, aut in iure pingui cocta.*

Omenta

Omenta animalium calefacta in iijsdem oleis & pinguedinibus, spongiæ vel vesicæ imbutæ decoctis maluæ, altheæ, violarum, sem. lini & fœnugræci.

In quem vsum parantur etiam iniectiones ex iijsdem decoctis aut lacte, aut aliquo iure, vel insessiones, pessi pariter ex mitioribus, vt radice altheæ contusa, & mixta cum succo mercurialis.

Vena sectio. Secanda est etiam vena inferior biduo aut triduo ante purgationem. In quem vsum veniunt frictiones, cucurbitulæ coxis & cruribus adhibitę.

Et præ ceteris omnibus victus ratio tota sit humectans, & moderate refrigerans, quibus, vt dictum est, curari potest, & mensium mora & stillicidium.

DE PRAEFOCATIONE VTERI. Cap. XXVII.

Ex retentis mensibus ac semine, nec nõ ex horum omnium corruptela non modo læditur conceptio, sed affectus etiam mulieribus admodũ frequens & molestus excitatur, quam Gale. *lib. 6. de loc. aff. cap. 5.* hystericum vocauit, Latini dicunt vteri suffocationem, vel præfocationem.

Quid prefocatio vteri. Definitur a superioribus vario modo hic affectus, placet tamen mihi, & forte etiam iure optimo, illum sic definere, quod sit ***symptoma omnium actionum ex vteri affectione***. Est symptoma *omniũ* actionum, naturalium scil. vitalium, & animaliũ, vario tamen modo ac forma. Dico, ***vario modo ac forma:*** neque enim vnica est præfocationis vterinæ differentia, sed ea quidem multiplex; vna quidem est, in qua symptomata apparent facultatis tantum naturalis: Idcirco hanc patientes præfocationis differentiam, inflationes ventris subeunt, rugitus, murmurationes, frequentes eructationes, dolores ventriculi, anxietatem, quandoque etiam vomitiones. *(Differentia. Signa læsæ facultatis naturalis.)*

Vitalis. Aliquando læditur vitalis, vt propterea hanc patientes præfocationem, non modo palpitatione tententur, verum etiam leipothymia, ac pulsibus paruis frequentibus, inæqualibus.

Animalis Quandoque læditur animalis, & ea quidem multipliciter; nam tolluntur nonnunquam motus & sensus externi, seruata tamen spiratione & pulsu ac functionibus principibus.

Datur alia species, in qua motus deprauatur, vt fiant cõuulsiones variæ crurum & brachiorum, dentium & labiorum, oculorum, atque adeo vniuersi corporis.

Omnium. Denique datur præfocatio vteri, in qua facultates omnes ad sensum saltem sunt abolitæ, vt propterea sic patientes in nulla re a mortuis distinguantur, factumque est frequenter, vt tales iam sepultæ reuixerint, & ex tumulo ad proprias ædes redierint.

Quomodo sine respiratione & pulsu viuere possint. Quod si quispiam quærat, quanam ratione istę sublato iam pulsu ac respiratione viuere possint? His satisfacit Gal. ex sententia Heraclydis *lib. 6. de loc. aff. ca. 5.* videlicet tantam esse & partium præcipuarum, & totius corporis refrigerationem, vt istis non minus, quam animalibus, quæ in latebris

A degunt, vt sunt cochleæ, & alia id genus ad tuendam vitam satis esse possit transpiratio, quę fit per vniuersum corporis ambitum (*hanc eandem quæstionem tractarunt etiam Nic. Rocheus libr. de morb. muliebr. capit. 4. Iac. Syluius fol. Gyneciorum 159. Mercurialis lib. 4. de morb. mulieb. capit. vlt. Albertin. Bottonus lib. de morb. mulieb. cap 43. & Paræus lib. 23. cap. 46.*) Cum igitur hæ & tot sint præfocationis vterinæ differentiæ, singulę quoque singulas ac proprias habent caussas, quæ tamen omnes etiamsi ex vtero initium sumant, attamen ad huiusmodi mulieris pernitiem non descendũt, quin etiam duæ aliæ concurrant caussæ, vna ex parte membri læsionem suscipientis, alia ex parte viarum, per quas vteri affectio ceteris partibus communicatur. ¶ Versemur itaque in his caussis.

B Quæ tres sunt numero, sanguis menstruus retentus, semen, atque alij quoque humores seu ichores putridi & corrupti in aliqua vteri parte contenti.

Caussa materialis. Et quod pertinet ad sanguinem, vt dixi, non satis est sanguinem menstruum retineri ad hoc, vt fiat vteri præfocatio: pluribus enim retinẽtur mẽses, paucis tamen fit hæc præfocatio. Oportet igitur & viarum latitudinem concurrere, per quas sanguis retentus præcipuis partibus communicetur, & earundem partium præcipuarum imbecillitatem, propter quam sanguinis influentis iniuriã sentiant. His tribus simul conspirantibus, fit præfocatio. Et si sanguis per venas & arterias confluat in cor, fit præfocatio illa valentissima, quæ nihil aliud est, quam syncope ex vtero.

Præfocationis actiones vitales ladẽtis caussæ. Animalis

C Si ascenderit in cerebrum, pro sanguinis varietate, varie infert symptomatæ. Nam vbi fit pituitosus, facit præfocationem cum somno, ęmulaturque carum, si sit biliosus, facit præfocationem furiosam, in qua mulieres seipsas aliquando dilaniant, vestes lacerant, crines euellunt: si sit sanguis dulcis, cogitant amatoria: Si sit melancholicus, est præfocatio cum mœstitia.

Semen pariter retentum, & hæc, & grauiora infert symptomata: nam vbi corrumpitur, & ex insigni putredine iam frigidus euaserit (euadit autem frigidius, vbi iam cessauerit illa putredo) tale semen sic refrigeratum est pessimum venenum, vt recte docuit Gal. *lib. 6. loc. aff. cap. 5.*

D Propterea vbi inuenerit partes pręcipuas debiles, illam infert pręfocationis speciem, in qua mulieres sunt mortuis similes. Totum enim corpus ex hoc frigido veneno insigniter refrigeratur.

Caussę pręfocationis quæ reddit mulieres mortuis similes. Quare hæc præfocatio rarò contingat viris, sed frequẽter viduis. Contingit autem hoc in illis, in quibus semen multũ colligitur in vteri cauitate, & hæc est caussa, quamobrem neque viris fiat præfocatio, neque virginibus frequenter, sed magis viduis. Non viris, quia semen, si in pollutionibus nocturnis effundatur, mittitur extra penẽ: in mulieribus per pollutiones nocturnas potest retineri in vtero, vbi propter diuturnam moram transit in venenum: quod frequentius in viduis, quia iam assueuerat natura ad huiusmodi transmissionem: id quod non facile contingit virginibus.

Quod si hoc semen abundet quidem, sed potius in vasis seminarijs, tunc temporis facit quidẽ

præ-

præfocationem, sed minus periculosam.

Signa præfocationis in vasis seminarijs. Si tamen sit semen acrius, fit plerunque conuulsio. Si non sit ita acre, videntur tantum animo leuiter linquere, & blando quodam sapore tentari: pulsus fiunt quidem parui, sed non admodum inæquales, manent oculis clausis, nec tamen mutatur color faciei ad pallorem, & sæpe sæpius excitantur. Cum autem redeunt ad seipsas, emittunt suspiria, & paulo post iterum incurrunt symptoma. Si contrectentur loci muliebres, effuso semine statim sanantur, vt docuit Gal. *loc. cit. in histor.* viduæ, quę multo semine effuso à symptomate est liberata.

Cur etiam contingat ijs, quæ vino ad satietatē vtantur. Ceterum, quia hic affectus fit etiam in illis, quę & largiter purgantur, & vino ad satietatem vtuntur, & fit quoque in vetulis: alia etiam est huius affectus caussa, nēpe vel flatus, vel vapor, vel humor quidam putris, & corruptus: in vtero contētus, sed per varias vias cordi & cerebro imbecillioribus communicatus: sic vbi flatus abundent, atque vterum ipsum distendant, inflatur vterus: & si communicentur flatus ligamentis vteri, aliquando trahitur sursum, fit ascensus vteri, vt recte docuit hac in re, & Plato *in Timæo*, & ante illum Hippoc. *in lib. de steril. & libr. 2. de morb. muliebr.* quanquam Gal. hoc negauerit *lib. 6. de loc. aff. capit. 5.* Ascendit, inquam, aliquando vterus tota sua mole, & substantia, vsque ad diaphragma: sicuti ego ipse aliquando sic iubentibus mulieribus tāgens inueni, neque illud est mirum: nam cum ligamenta vteri vsque adeo laxentur, vt in procidētia delabatur, quandoque vsque ad genua, cuius rei historias protuli alias suo loco, mirum nemini esse debet, si in ea ipsa ligamentorum laxitate vterus aliquando ad superiora propellatur, vel a flatibus, vel attrahatur ab odoribus iucundis, & gratis naribus adhibitis, vel a repletione ligamentorum, quæ repletio fit ex multo & crasso sanguine, vel etiam propellatur ab ingratis odoribus vtero appropinquātibus. ¶ Quandocunque igitur vterus ascenderit, præfocationes variç oriuntur. Et si communicetur flatus cordi, fit præfocatio cum palpitatione, si communicetur cerebro, fit præfocatio cum vertigine, cum tinnitu aurium, cum suffusione ex phantasmatibus oculorum; fiūt autem hæc, vbi vel flatus, vel vapor potissimum ascenderit per spatia inania, aut per venas & arterias: aliquando enim huiusmodi flatus & vapores, vel praui humores ascendunt etiam in caput per neruos ipsos, in quo casu fiunt conuulsiones variæ, & eo maiores, si cerebrum quoque multis ac frigidis fuerit refertum humoribus.

Et cum hic affectus virginibus non sit admodū frequens, vt ego experientia obseruaui, illis potissimum contingit, quæ vterum & cerebrum atque vniuersum corpus habent refertum pituita. Ego tres iam curaui virgines castissimas, quarum duæ singulis mensibus in debita quantitate purgabātur, tertia vero erat sine purgatione propter malā vteri situationem: erat enim distortus & distractus in latus sinistrum. Istæ tres cum essent deditę ieiunijs, vigilijs & orationibus, atque vterentur pro cibo fere tantum oleribus ac fructibus, &

A aqua pro potu, inciderunt in has præfocationes vteri cum maximis & frequentissimis conuulsionibus, ita vt duæ ex istis, quæ purgabantur, haberent perpetuum die ac nocte dentium stridorem: præterquam quod manus & crura in perpetua erant concussione, & aliquando aderat opisthotonos & emprosthotonos, id est, conuulsione ad posteriora & anteriora, quæ tamen omnes sunt curatæ vsu medicamentorum pituitam purgantium, calefacientium & siccantium. Vltima autem ex istis fuit hoc Mense Februarij curata in Monasterio S. Blasij. Hæ igitur sunt caussæ proximæ & immediatæ præfocationis vteri.

Immediatę itaque caussę, vt iam dicebam, tres sunt præcipuæ, sanguis menstruus retentus, semē, humoresque saniosi, purulēti, alijque omnes corrupti in vtero retenti, qui partibus præcipuis sunt B infensi, & propter viarum latitudinem, & propter partium suscipientium imbecillitatem. Propter has autem causas magnus Hippoc. *lib. 1. de morb. muliebr.* cui videntur adhærere Aristoteles, *libr. 1. de gener. animal. capit. 11.* Paulus *libr. 3. capit. 7.* Mauritius Cordæus *in comm. quos edidit in libros illos Hippocratis de morb. muliebr.* Et Fernel. *lib. 6. pathol. cap. 16.* vt alios prætermittam, fuerunt in hac sententia, vterum secundum totam suam substantiam ad partes superiores ascendere; vt propterea comprimens iecur aut diaphragma consequenter pulmones, & cor, aut ipsum ventriculum varias inferat præfocationes, cui sententiæ, vt dicebam, & ratio & experientia adstipulantur. Neq; Gal. rationes *lib. 6. de loc. aff. cap. 5.* in appositum C prolatæ quicquam roboris habent: cum enim inquit vterum dorso firmiter esse alligatum, respōdemus, hęc vincula & ligamenta non minus in recursu ad superiora, quam in prolapsu ad inferiora laxari & extendi posse. Quod etiam secundo dicit, ventriculū impedimento fore, ne vterus ascendat, itidem nihil concludit: cedunt enim partes partibus, præcipue vero viuentes & molliores: secui ego aliquando hydropicum, cuius venter continebat plusquam trecentas libras aquæ, secto corpore, neque cordis, neque pulmonum vlla apparebant vestigia: nam aquæ copia ipsum diaphragma cum pulmonibus compresserat ad iugulum. Ventriculus ipse quoque mirandum in modum compressus & angustatus reperiebatur. Itaq; si id facit aqua, poterit etiam facere vterus. *Vterum secūdum totam suam substantiā ascendere.*

D Ascendit itaque super diaphragma & sub ascensu comprimit prædictas partes, & suffocationem infert.

Ascendit autem vel attractus, vel impulsus. Attractus quandoque a venis & arterijs ligamentis repletis, vt in retentione mensium.

Quandoque vero sursum attrahitur a bonis odoribus, non quod vterus habeat odoratum, sed quod boni odores trahant ad se spiritus & calorē, vt ratione vacui per partem post partem moueātur quoque spiritus, & humores in vtero contenti, præcipue vero in illis, quæ multis aut prauis abūdant humoribus. Trahitur etiam sursum, quando appetēs fuerit Veneris, multumque calefactus & exsiccatus, in quo casu, cum per coitum satiari *Cur grati odores vterum sursū trahant.*

non

non possit, quæritans alimentum superiora petit.

Propellitur autem a prauis odoribus ipsimet vtero administratis, propter quos vasa constringuntur, excretiones retinentur, ligamenta replentur, vt propterea fiat recursus ad superiora.

Caussa mediata. Et hæc de immediatis caussis dicta sufficiant: mediatas enim facile poterit vnusque ex iam dictis in capite de suppressione mensium colligere, partim vero ex his, quæ habentur in tractatu de Gonorrhœa.

Signa. Nam quod pertinet ad mediatas caussas, istæ sunt variæ, abundantia prauorum humorum, tumores vteri varij, vlcera, & abscessus, ætas senilis, victus ratio praua, &c. Venio ad signa. Vteri præfocatio simul cum omnibus suis differentijs facile a vobis deprehendi poterit, si denuo legeritis, quæ a nobis antea dicta sunt. Sed quia illæ omnes differentiæ aliquam habent similitudinem cum symptomatis, etiam ex vtero non prodeuntibus, idcirco proponam vobis quædam signa distinctiua, primo in genere, deinde in specie.

Generalia. Generatim cognoscetis symptoma ex vtero, si suppressi sint menses, si retentum semen, vt in viduis & virginibus, si inceperit morbus tempore conceptus in vtero, aut in abortu, aut in puerperio: si vterus aliquo morbo laboret, si per singulos menses symptomata exacerbentur; si denique ex auxilijs vtero adhibitis, symptomata mitigentur & tollantur.

Signa distinguentia hunc affectum ab alijs. Distinguitur autem in specie vteri præfocatio insignis, in qua videntur mulieres mortuæ, a syncope eo, quod syncope sit breuis affectus, præfocatio perdurat aliquando horas & dies, ita, vt aliquando mortuæ existimentur. Neque experimenta ab auctoribus proposita satis esse possunt ad confirmandum, illas esse omnino exstinctas, quæ desumuntur ex speculo nitido, aut lana carminata ori & naribus adhibita, vel ex cyatho vini vel aquæ thoraci imposito: Dicunt enim isti, quod si speculum non inficiatur, & lana vel aqua non moueatur, mulierem iam esse exstinctam. Hæc, vt dixi, non sunt certa, quandoquidem ex Gale. *loc. cit. lib. 6. de loc. aff. cap. 5.* Si possunt istæ mulieres absque respiratione viuere per solam corporis transpirationem, ergo nec inficient speculum, nec mouent lanam, vel aquam. Tutius itaque fuerit illas non sepelire ante 72. horas a principio symptomatis: nam si post hunc terminum, qui est terminus circuitus omnium humorum, non reuiuiscant, actum est de ijs.

Cæterum præfocatio differt ab epilepsia, quia in epilepsia adest spuma, tolluntur functiones principes, præcipue memoria: in conuulsione propter vterum neque adest spuma, nec tolluntur sensus interni.

Differt etiam a caro, qui in caro pulsus validus seruatur, seruantur actiones principes: in præfocatione vteri pulsus semper fiunt imbecilliores, & magna ex parte principes actiones seruantur.

Cognoscetis autem præfocationem fieri ex sanguine menstruo, si fuerit hic retentus.

Differētias autem sanguinis vel biliosi, vel melancholici, vel pituitosi cognoscetis ex symptomatis. Si fiat ex semine istæ viro non vtuntur, sunt calidæ & sanguineæ, & optimis vtuntur alimētis, & emisso sanguine subleuantur.

Si autem fiat ex corruptis humoribus, istæ purgantur, viro vtuntur, patiuntur tamen, vel passæ sunt graues vteri morbos, vel pruritus, satyriasim, vel vlcera, vel abscessus, vel purgationes vteri [illegible], quæ iam sunt suppressæ. Quod si ascendat vterus, vos aliquando manibus proprijs poteritis inuenire vterum iam ascensum in modum rotundæ pilę, quem etiam manu paulatim poteritis deponere, præterquam quod aderit aliqua ex caussis prædictis. Est sane omnis præfocatio magni momenti, vtpote, quæ vel statim iuguler, vel saltem aliquando deducat ad paralysin, ad stuporem, ad melancholiam. Noui enim ego mulierem 22. annos continuos vterinis præfocationibus subiectā, quæ tandem in insignem desijt melancholiam. Dicebat tamen Hipp. *sect. 5. aph. 35.* mulieri præfocationem patienti sternutamentum quod superuenerit, bonum esse. Itaque concepta salutis spe descēdamus ad auxilia, & auxiliorum materiam. *Prognostica.*

Curatio præfocationis alia est in accessione, alia extra accessionem, & in accessione quidem opus est remedijs reuulsorijs, reprimentibus, ac corroborantibus calorem cordis, ventriculi, atque adeo ipsius vteri. *Curatio præsentis.*

Quod igitur pertinet ad reuellentia, hæc sunt multiplicia pro varietate caussæ, a qua fit præfocatio: nam si fiat ex multitudine sanguinis propter suppressos menses, conuenit venæ sectio ex partibus infernis, facta etiam tempore accessionis, neq; obstat syncope. Nam & syncope est ex suffocatione. Dicebat vero Hipp. *com. 4. acut. tex. 23. 24. & 25.* in venarum interceptionibus, vt inquit Galen. *in com.* in suffocationibus illis, siue sint apoplexia, siue syncope, quæ fiunt ex copia sanguinis, venam quam primum esse secandam. Idipsum repetit idem Hipp. *eod. com. tex. 82.* vbi inquit, tetanum & venarum interceptionem solui venæ sectione: inquit Gal. Siue per venarum interceptionem intelligamus arteriarum totius corporis motum iam abolitum, qui dicitur ἀσφυξία, siue sublatam, quæ dicitur ἀπνοία, in vtroque casu conuenit venæ sectio.

Quod si refrigeratio ex refrigerato semine, aut prauis humoribus, tempore accessionis, minime secanda est vena. Loco autem sectionis venæ, instituantur frictiones, ligaturæ cucurbitulæ, saltem non sacrificatæ, partibus infernis administratæ, adhibeantur vesicantia, præcipue intra coxas, fiāt pessaria ex medicamentis valentissimis, vt colocynthide, elaterio, myrrha & sagapeno, addita semper aliqua portione moschi, zibethi, aut ambræ. Fiant quoque linimenta ex oleo sambucino & irino, liliorum alborum cum aromatibus, in quibus dissoluātur crocus, myrrha, & portio moschi, vel zibethi. Possunt hæc odorata dissolui in vino aromatico, quale est maluaticum, & imponi in vterum, aut per turundas, aut digito obstetricis. *Vena secanda.*

Suffumigia in his casibus mihi non probantur admodum, primo, quia mulieres præfocatæ non facile *Suffumigia improbantur.*

facile accommodantur ad suscipiendum suffumigium: Deinde vero cum suffumigia debeant ex odoratis parari, imminet periculum, ne odor ille gratus ascendat ad caput, ad nares, & præfocationem augeat. Fiant quoque clysteres & suppositoria flatum discutientia, feces & humores euacuãtia, atque vterum calefaciẽtia, in quem vsum Gal. *lib. 9. de comp. med. sec. loc. cap.* 10. probauit succũ rutæ impositum in anum: vos poteritis parare clysteres ex vino odorato, ol. rutaceo cum hiera pro clystere, & melle rosato: aut parabitis suppositorium ex cymino, aniso, castorio, speciebus hieræ, melle exceptis.

Clysteres & suppositoria.

Ceratum.

Vtero quinetiam apponendæ sunt cucurbitulæ cum multa flamma non sacrificatæ: & ceratum huius conditionis; *℞. galbani onc ß. sem. pæoniæ gr. vij. zedoar. galangæ an. dr. j. costi, cassiæ ligneæ an. dr. ß.* dissoluantur gummi in vino odorato, additis ceteris in puluerem redactis cum cera & resina, fiat ceratum, quod comprehendat totum vterum, facto foramine in medio cerati, ne cõtegat ymbilicum.

Quod pertinet ad ea, quæ superius administrari debent, considerandum est, qualisnam sit præfocationis curandæ differentia. Nam si fuerit ex illis grauissimis, in quibus patientes videntur mortuę, tentandum primum illas excitare suffumigijs ex assa fœtida, ex galbano, ex sulphure accenso, aut antiquis corijs accensis, aut lichenibus equorum, aut asinorum, vel vngulis, vel cornibus, vel lucerna exstincta, vel plumis perdicis, vel (quod celebratur maxime) pilis ex capite patientis euulsis, vstis, & naribus suppositis.

Nares quoque sæpe sunt agitandæ digitis, aceto acerrimo madefactis.

Quinimo excitandum est sternutamentum, aut puluere ellebori nigri, aut nigellæ, aut piperis, & pyrethro, vel euphorbio, & sinapi; vel tandem colocynthide, & elleboro albo.

Aperiendum istis erit os, ad detinendum apertum cochleari intra os posito, aut ligno, vel alio consimili.

Interim illinendus est palatus theriaca, confectione anacardina, diasinapi, mithridatio dissoluto cum vino odorato.

Conuenit etiam in hoc casu aliquam vini odorati portionem in os, & in ventriculum infundere.

Et in hoc tantum casu mihi etiam probatur excellentissimi Horatij Augenij consilium Epistol. medicinal. epistola vltima, vt exhibeatur vinum generosum, cum nuce moschata, cinnamomo, & caryophillis, additis granis quinq; moschi, in istis, inquam, quibus & respiratio, & pulsus sunt sublati, moschus & ambra non improbantur. In alijs autem, qui sensum & motum non prorsus non amiserunt, nihil perniciosius existimo vsu odoratorum assumtorum. Nam præter probatissimorum auctorum testimonia obseruaui, plerasque mulieres incaute moscho & ambra vtentes, in aliqua confectione statim præfocatas esse. Sed vbi iam videntur exstinctæ, si odores isti possunt vterũ excitare, poterunt etiam arterias mouere, vt spes salutis iam elucescat.

Lib. 12. tomi 1.

A In his casibus probantur etiam cerata calidissima, cordi & vtero imposita; cordi, inquam, theriaca dissoluta, cum aqua vitæ, cum vino maluatico, vinum maluaticum, mixtum cum croco, & cũ aliqua portione moschi. Inunctio facta ex oleo magni Ducis Hetrurię, aut oleo scorpionum Matthioli, vel etiam oleo charebytæ.

Quod si præfocatio sensum & motum nõ prorsus sustulerit, videndum, an fiat ex humoribus frigidis: an calidis; nam si ex frigidis, conuenit præbere dr. j. zedoariæ puluerisatæ, cum vino generoso, aut duas rotulas diagalangæ.

In hunc vsum parantur etiam rotulæ ex speciebus contusis hoc modo;

℞. cinnamomi subtiliter contusi
galangæ
B *zeduariæ*
nuc. moschat.
caryophyll. an. dr. j.
sacch. dissol. in aqua melissæ q. s. Misc. f. confectio in rotulis.

Rotulæ.

Præstantissimi auxilij materia, qua ego vtor feliciter, est tryphera magna sine opio, quam præbeo ad dr. j.

His non cõferentibus, si caput videatur humoribus frigidis repletum, præter iam dicta conueniunt etiam vesicantia, post aures adhibita, aut cauterium in occipite.

Sed si materia fuerit calidior, mihi in hoc casu placet, quod probatum est a Galeno *lib. 9. de compos. med. sec. loc. cap.* 10. nempe onyx purpuræ, seu cuius operculum Arabes vocant blattam byzan-
C tinam: datur huiusmodi operculum puluerisatum aut ex aqua melissę, matricarię, pulegij: vel si magnus non sit calor, ex vino.

Fouendus etiam est ventriculus vino odorato, in quo bullierit mentha & absynthium. Et hactenus de agendis in accessione.

Extra accessionem incumbendum est caussis, propter quas fit præfocatio.

Curatio præfocationis extra accessioné.

Itaque si fiat ex retentis mensibus, docui iam, quomodo iam sit progrediendum.

Si fiat ex semine retento, videndum est, an semen retentum sit adhuc in vasis cum corpore plethorico, an potius sit collectum in vtero, & conuersum in frigidum venenum, vt etiam vasa & totũ corpus sit refrigeratum. Nam in primo casu quicquid alij sentiant, mittendus est sanguis ex vena
D inferna, & semen euacuandum contrectatione partium muliebrium, Sed vbi iam semen & vniuersum corpus factum fuerit frigidius, abstinendum est a venæ sectione.

Quod si praui fuerint humores, docui in tractatu de Fluxu muliebri, quanam ratione omnes praui humores expurgari possint, corpusque pręseruari a tota congerie, ergo ad illud caput confugiatis.

Quod si vterus ascendat ad superiora, præter ligaturas, frictiones, cucurbitulas, & cetera reuulsoria dicta, expedit etiam manu inuncta oleo odorato, vt nardino, vel de spica, vterum paulatim in proprium locum restituere; Et ne facile iterum ascendat, iubet Hippocr. *libr. de morb. muliebr.* vt

fascijs

fascijs partes supra vterum cōstringantur, interim superuis locis ingrati odores præbeantur. Intrinsecus vero aliquod ex enumeratis medicamentis.

De Superfœtatione, & Prole Numerosa. Cap. XXVII.

EGimus satis superque hactenus, ni fallor, de caussis omnibus conceptionem prohibentibus. Aggrediamur in præsentia tractationem deprauatæ conceptionis.

Hæc cum fiat multis modis, primum aliqua breuiter dicam de conceptu deprauato ratione numeri: secundo agam de conceptione deprauata ratione formæ, ad quam pertinent mola & monstrosi partus.

Quid superfœtatio. Quod pertinet ad conceptum numerosum, hic fieri solet dupliciter, aut scil. cum superfœtatione, aut sine ea. Et superfœtatio nihil aliud est, quam *secunda conceptio post primam facta*. Huiusmodi conceptionē super conceptionem, aut non cognouit Galenus, aut si cognouit, illam non concessisse visus est, vt qui *libr. 2. de cauf. sympt. cap. 3. & lib. 15. de vs. part. cap. 7.* profiteatur os vteri adeo cōstringi post conceptum, vt ne specillum acus admittat, vsque ad statutum partus tempus, neque ingressui, nec egressui dari locum. Hippoc. tamen *de superfœt.* cui subscribit Aristot. *lib. 7. de histor. animal. cap. 14. & lib. 4. de gener. animal. cap. 5.* cū quibus est etiam Auic. *fen. 21. lib. 3. tr. 1. cap. 17.* vt Rhasen & alios prætercam; isti omnes proprijs etiam ducti experimentis, superfœtationem confirmant. Et quanquam plures referantur historię, quas omnes collectas legere potestis apud Marcellum Donatum *lib. 4. historiar. mirabil. cap. 16.* ego tamē vnam vobis dicam præ ceteris omnibus singularem a me obseruatā ante annos quatuordecim Vocabar ad vxorem naturæ, quæ filiū pariebat nono mense viuum & perfectum: Octauo die a primo partu alium rudem, & non omnino absolutum; post quindecim dies iterū alios duos. Cum iam reualuisset, anno sequenti, cum iterum vtero gereret, habuit eosdem omnino partus, & singuli eorum in propria tunica erant inuoluti. Cū tertio cōcepisset, filium edidisset primo, & adhuc vterus esset filijs plenus, parere amplius non potuit. Et cum ipsa referret, se vterum habere filijs adhuc refertum, nec posse parere, tandem obijt: secuissem libenter, sed quo tempore obijt, ego erā Venetijs, ita vt obitum eius ignorarem. Ergo certissimum est, superfœtationes fieri, & aliquando fieri post tertium, aut quartum diem, aliquando etiam post primum, secundum, & tertium mensem, vt potestis legere apud Aristotelem *loc. cit.*

Historia superfœtationis.

Caussa. Caussa superfœtationis nulla est alia, quam oris vteri apertio, quo tempore virile semē denuo effunditur.

De caussa, propter quam aperiatur, est dubitatio. Quidam aiunt in omnibus vtero gerentibus statutis quibusdam diebus os vteri aperiri ad excernenda vteri excrementa; id confirmant, quia pleræque ex istis habent albas purgationes, & cum coitu vtuntur, semen effundunt, multæ etiam

A menstruas habent purgationes. Falsa tamen hæc est sententia; quandoquidem tametsi albę purgationes, & semen excernatur, possunt tamen excerni per vasa, quæ ad ceruicem vteri tendunt. Itaque accipienda est hac in parte Auicennæ sententia, sc. in illis tantum mulieribus superfœtationem fieri, & consequenter vteri apertionem, in quibus multus abundat sanguis, vterus est calidus, & semen virile appetit, & quibus tempore conceptus apparent menses.

In quibus mulierib. maxime fiat superfœtatio.

Quod si dixit Aristoteles *li. 7. de histor. animal. capit. 2.* quæ tempore conceptus, habent menses, fœtus gerere imbecillem, & qui facile intereat, loquitur de illis, quæ purgationes habent a primo mense ad vltimum; Auicennas loquitur de illis, quæ purgantur a primo ad tertium tantum mensem, quæ tanto abundant sanguine & semine, vt B non modo possint nouum semen attrahere, & nouum fœtum alere, verum etiam propter insignem sanguinis copiam fœtum suffocant, vt ad inhibēdum hoc periculum opus sit sectione venæ in cubito: id quod factum fuisse legi, sed bis feliciter sum expertus, qui prȩseruaui mulierem ab abortu missu sanguine in cubito.

In istis ergo fit superfœtatio, quę quidem, dum fœtus adhuc est in vtero, deprehendi non potest, sed cum iam fuerit ortus, vt cognoscatis, an alij supersint, inquit Auicen. inspiciendum esse infantis vmbilicum: Si enim fuerit sine plicis, vnicus est fętus, sin adsint plicæ, tot supersunt fœtus, quot sunt plicæ in vmbilico.

Signa, quibus sciri potest, an post primū editum fętū plures adhuc sint in vtero.

Quod si vel simul oriantur, vel vnus statim post C alium, cognoscetis fuisse superfœtationem, si singuli singulas habuerint secundinas, præterquam quod vnus soleat altero esse imperfectior, ac minus vitalis. Sunt autem minus vitales, quando nō dies tantum, sed menses inter primam & alteram conceptionem intercidunt. Nam in hoc casu necessarium est, aut primum, aut secundum exstingui. Quod si pauci intercidant dies, vterque seruari potest, vt de Hercule & Iphide scriptum est a Plauto & Aristot. *lib. 7. de hist. animal. cap. 4.*

Numerosus autem conceptus absque superfœtatione deprauatus dicitur, quando binarium excrescit numerum. Vterus enim etsi vna sit cauitas, duos tamen habet sinus ad duos concipiēdos partus, & propterea duo etiā vbera natura dedit mulieribus. Quæ vero concipiunt ternos aut quaternos, D iam mōstrose concipiunt. Idcirco Aristoteles tanquam rarum quoddam *lib. 7. de histor. animal.* refert, mulierem quinq; partubus viginti peperisse. Capus in Mundinum scribit, se reperisse in eadem cysti quindecim fœtus.

Numerosus conceptus.

Habetis historiam apud Albertum Magnum ex Hollandina Comitissam 160. vna vice peperisse, cuius monumentum & inscriptio adhuc exstat apud illas regiones.

Habetis item historiam Comitissæ Hollandiæ, nomine Margaretæ, Comitis Hermanni ab Henneberg coniugis, quæ ætatis suæ anno 42. Christi autem 1276. in ipso die parasceues 365. infantes, pueros ex parte vna, ex altera puellas, vno partu edidit, quorum illi Ioannes, hæ vero Elisabethæ nomi-

nominatæ, & baptizatæ fuere. *Guicciard. & Pareus in sua chirurg.*

Caussæ multiplicis fœtus. Caussæ autem multiplicationis non sunt cellulæ variæ, vt Mundinus vult, sed vt recte Auicennas, est diuisio seminis in multas partes, quod fit, vel ex parte vteri, vel ex parte viri semen eijciētis.

Ex parte vteri, cum omnes vteri partes dextræ & sinistræ, superiores & inferiores auide admodū attraxerint: tunc enim si singulatim varijs vteri venis adhæserint, varij quoque conceptus fieri possunt, vt, si vera sit illa historia comitissæ, probabile sit, ne dicam necessarium, tot fieri posse conceptus in vtero, quot sunt ora venarum, ad vterum pertingentium, & vnaquæque vena proprium semen attrahere, & conceptum efficere, ad maturitatem tamen perducere non possit.

Ex parte vero viri, est eiaculatio seminis per vices facta. Potest enim ita vicissim attrahi, sicut vicissim emittitur, vt plures fiant conceptus. At isti ad differentiam superfœtationis, siue duo, siue tres siue plures, sunt in eodem inuolucro. Et si fuerint vnius tantum sexus, sunt ambo vitales; Si vnus mas, alter fęmella, illa vt plurimum exstinguitur.

Prognostica. Vtraque hæc conceptio inter deprauatas reponitur: quia siue fiat superfœtatio, seu numerosus conceptus, rarissimum est, quin exstinguatur vnus saltem ex fœtibus, præterquam, quod frequenter accidit, vt etiam mater simul cum conceptibus intereat.

Curatio. Modus occurrendi superfœtationi facilis esset, sed mulieribus minime gratus, si cum concepissent, ab vlteriori coitu abstinerent. Si id facere nolint, & potius quiduis pati, cum superfœtationis caussa sit sanguinis & seminis copia, mittatur sanguis ex cubito, vtantur tenui victu: vt etiam in illis, quæ plura pariunt ob insignem vteri calorem, expedit ante conceptum vterum refrigerare illis ingenijs, de quibus est in calida intemperie.

DE MONSTRIS. Cap. XXIX.

MOnstrosus dicitur conceptus, non tantum ratione numeri, quantum etiam ratione formatricis, & consequentium formationem. Dicam in primis de monstris ad formam pertinentibus, deinde vero de illis, quæ referuntur ad sequētia formam.

In prima igitur classe quædam reponūtur, mea sentētia, prorsus fabulosa, alia vero realia, & quotidiana experientia comprobata.

Monstra fabulosa. Fabulosa sunt monstra hippocentauri, onocentauri, minotauri &c. siue in terris, siue in mari producantur, vt Tritones, Nereides, Syrenæ &c. fabulosa hæc, inquam, omnia sunt existimanda, vt recte docuit Gal. contra Pindarum *lib. 3. de vs. part. cap. 1.* & ante illum Arist. *libr. 4. de gener. animal. cap. 4 in princ.*

Neque enim conueniunt partus tempora, neq; alimenta, neque actionum perfectio, vt alia multa prætercam incommoda, quæ ad hanc positionem sequuntur.

Non conueniunt partus tempora, quandoquidem homo nono vt plurimum oritur mēse, equus

A duodecimo. Præterquam quod, *vt recte docuit Gal.* credibile est, vel semen humanum in vtero equæ, vel equinum in vtero muliebri, aut non admitti, aut admissum corrumpi.

Sed præterea non conueniunt in alimento; nam pars humana, pane & carnibus debet nutriri, equina fœno & zea. Præterquam quod equus tertio anno adolescit, humana pars tertio anno vix pedibus stare potest, vbera adhuc sugit.

Addo ego huic monstro, neque locum esse excretionis: humana pars non habet vnde excernat, equina non haberet vnde spiraret.

Sunt itaque, vt arbitror, nugæ omnes, quæ de hippocentauris ac similibus animalibus passim proferuntur. Neque enim me mouet hac in parte Plutarchi auctoritas in conuiuio septem sapientū,

B qui scribit, visum esse animal simile paruulum tamen inuolutum, & a quodam adolescente gestatum: forte enim allegorice hæc dicta sunt.

Et quod etiam scriptum est in vita beati Antonij Abbatis, puto illusionem fuisse dęmonicam: nam, vt docte scribit beatus Hieronymus *Homel. 7. super caput 3. Epistolar. Pauli*, non minus absurdum est, animal construere ex equo & homine, quam vitem oliuæ insertam, quæ simul vinum & oleum proferat.

His igitur fabulosis prætermissis: alia sunt mōstra in forma, rara quidem & admirabilia, quę tamen pluribus experimētis, & grauissimorum scriptorum testimonijs, tanquam realia accepta sunt. In hac classe sunt Satyri, seu Fauni & Syluani infantesque orti cum capite vitulino, hœdino, quan-

C doque elephantis, cum pedibus caprinis, rostro, cornubus & alijs, de quibus omnibus abūde scriptum est apud Iacobum Ruffium, Peucerū, Cornelium Gammam &c. qui horum omnium icones & tempora, in quibus prodierunt, abunde nobis descripserunt: talia igitur monstra, tametsi non vsque adeo infrequentia sint, raro tamen in publicum prodeunt conspectum, eo quod vix orta magna ex parte ab obstetricibus aut mulieribus partui assistentibus, statim exstinguantur. Hoc habui ab obstetrice huius ciuitatis, & a nobilissima etiā muliere factum pluries, vt tempore partus in lucem prodierit animal cum rostro & alis, quod statim per conclaue euolabat, quodque statim mulieres illud venantes culcitris, vel alijs id genus tegumentis suffocabant.

D Est monstrum Cracouiæ natum, de quo Iacobus Ruffius meminit, quod adoleuit, quod puto istis fuisse similem, quorum nuper memini.

De Satyris etiam præterquam quod scriptum est in vita beati Antonij vnum ab hoc sancto in syluis visum esse, qui professus se mortalem hominem, sicuti & ceteros. Habemus quoq; S. Hieronymi testimonium *loc. cit.* qui scribit, Alexandriæ vnum coram Constantino Imperatore viuētem productum esse, quem totus vidit populus.

Itaque cum de ipsa non sit dubitatio, quæritur, quæ sit caussa huius monstrosi conceptus. Fuerunt plerique, qui dixere, referendam esse caussam in coitum humanum cum bestijs, in mixtionem seminis humani cum semine bruti, sic scriptum est a *Caussa.*

quo-

quodam, anno post natum Christum 1543. visum esse infantem capite canino, ex coitu canis, cũ muliere ipsa sic confitente, quæ flammis etiam simul cum cane amasio viuens, data est.

Idipsum scribit Volaterranus in commentarijs Vrbanis sub Pio tertio Pontifice contigisse; quæ tamen nihilo magis mihi probantur, quam quæ de centauris proxime dicta sunt; rationes iam adduxi, quas non repetam.

Quid igitur dicẽdum? Aristoteles *lib.4.de gen. animal.cap.4.* inquit, hæc monstra, quæ oriri dicũtur capite vitulino aut hœdino, vere caput bruti non obtinere, sed tantum similitudinem cum illis habere.

Ceterum cum experientia, vt dictum est, docuerit, oriri infantes cum cornubus, cum rostris auium, cum alis & pedibus, vel auium, similiter vel capræ, non est dicendum, hęc tantum habere similitudinem. Caussa igitur est indaganda.

Concurrentia ad fœtus formationem. Vt monstri vnius cuiusque pateat caussa, videndum est, quænam concurrant ad fętus productionem, & qualia esse debeant. Concurrunt autem primo & maxime facultas formatrix, deinde instrumenta, quibus facultas illa operatur: Et hæc instrumenta partim sunt mouentia spiritualia, partim mouentia realia. Intentionalia sunt imaginatio; realia vero calor, & spiritus in semine contentus. *Duplica instrumẽta fœtum mouentia.*

Concurrit præterea materia, vtrumq; semen, & sanguis menstruus, quæ debent esse pura, temperata, optime elaborata.

Concurrit etiam vterus tanquam locus, qui debet esse bene conformatus, non histriatus, non tuberosus.

Cum igitur hæ & tot caussæ ad formationem fœtus concurrant, si fiant monstra, necesse est, aut vnam, aut plures ex istis, aut omnes a suo naturali cursu deriuari.

Quomodo fiat monstrum. Quod pertinet ad facultatem formatricem, quicquid senserit Aristoteles, qui dixit, monstra esse naturæ errata, certum est, facultatem formatricem nunquam errare, semper, quantum fit ex se, proprium finem cõsequi posse, nisi impediatur a caussis instrumentarijs, materia aut loco. Et propterea monstra sunt opera naturæ, sed naturæ degenerantis a proprio fine, vt tamen fiat id, quod est melius vt fiat tale, vel tale monstrum, quam quod materia illa indigesta, & inalterata in vtero maneat, quæ alioquin transit, vel in molam, vel in saxum, vt aliquando contigit.

Quod si aliquod producatur monstrum, concurrit ad perfectionem vniuersi, præterquã quod aliquando potest etiam proficisci ex volũtate Dei: hæc enim siue monstra dixeris, siue portenta aut prodigia, sic nominantur, eo, quod aliquid monstrent, vel portendant, vel significent. Itaq; omnis error est ex parte, vel instrumentorum, vel materiæ, vel loci.

Et quod pertinet ad instrumenta, quæ, vt dixi, duo sunt, imaginatio scil. & spiritus, vel calor; imaginatio maximam habet hac in re potestatem, vt non defuerint, qui omnem huius monstrosi conceptus caussam in solã eam retulerint. Sic enim re-

A fert Volaterranus in *comm. Vrbanis* in loco quodam de Petra Sancta, ortum aliquando infantem pilosum, & asserẽte matre nullam aliam ob caussam id esse factum, quam quod tempore cõceptus imaginem Diui Iohannis Baptistæ pelle lanuginoso obductam mente firmiter conceperit, & retinuerit.

Et sane si experientia demonstrat quotidiana, mulieres ex forti hac imaginatione fœtum iam factum varijs notis signare, pyris, cerasis, ficubus, lacte, vino &c. quid quęso mirum est, si tempore cõceptus mulier ex forti aliqua imaginatione, aut canis, aut vituli fœtum capite hœdino, vel vitulino proferat?

Quod si aliquando etiã animo concipiant mulieres, id quod frequenter fieri potest, dæmonem B turpissimum alis & rostro, pedibus bifidis, quid prohibet quo minus hæc mulier infantulum proferat cum cornubus rostro & alis? potissimum vero si materiæ dispositio accedat? accedit autem, quando semen & sanguis fuerint impura.

Nam sicuti ex hac impuritate oriuntur, pueris adhuc in vtero existentibus, oblongi capilli & vngues, ita accedente huic impuritati hac imaginatione poterit fœtus oriri cum alis, rostro & similibus.

Sed quod pertinet ad huiusmodi varias capitis figurationes, quæ æmulantur, vel vitulum; vel elephantem, vel quid tale, non est præter rationem arbitrari, id posse fieri ex spiritu in semine cõtento.

Cupio vos videre aliquando, si non vidistis modum, quo vitra conficiuntur: nam poteritis etiam C obseruare, quã ratione in vtero monstrosi conceptus fiant: dum conficiuntur vitra, si quis spiritum nimis impellat, ita materiam illam extendet, vt & longam & latam vltra debitam formam producat. Idipsum potest fieri in vtero, vbi spiritus multus reperitur, quod contingit potissimum mulieribus, quæ concipientes sunt multo vino repletæ: tunc enim ex multo illo spiritu semen vsque adeo præter naturam extenditur, vt nasum producat monstrosum, qui æmulabitur promuscidem elephantis.

Denique vterus etiam, qui male est conformatus, non minus potest monstrosum producere cõceptum, quam faciunt etiam exteriores formæ, ex cera aut gypso conflatæ, quando turpes & mõstrosæ fuerint.

D

DE MOLA. Cap. XXX.

AD conceptus deprauatos ratione formæ is etiam pertinet, qui a grauitate & pondere, quod infert, mola nuncupatur. Hic autem affectus a scriptoribus vario modo accipitur. Quandoquidem Ætius *lib.16.capit.18.* & Paulus *lib.3. cap.69.in princ.* arbitrantur, nihil aliud esse molam, quam inflammationem induratam, aut carnem vteri excrescentem. Alij etiam, inter quos est Alexander Benedictus, vteri hydropem molam vocarunt. Nos in præsentia molæ nomine carnem intelligimus, informem in vtero genitam instar conceptus. Et per carnem informem, intelligimus *Quid mola.*

rotun-

rotundam, quandoq; tamen sphęricam, aliquando oualem pisci rotundo similē, vt propterea eas omnes conceptiones, quæ sub molæ nomine a scriptoribus comprehenduntur, & tamen figuratæ sunt, nos potius reponamus sub monstris iam declaratis in præcedenti capite, quam sub vero nomine molę.

Hac ratione molam illam, quam refert Lemnius *lib.1.de occult.cap.8.* instar rapacis auis, quę infantem in vtero exsidentem exegerat, & aliam, cuius meminit Gattinaria *in sua praxi*, & Matthias de Gradibus *lib.2.pract.in c.de mola*, quæ æmulabatur ranas: has, inquam, omnes nos reponimus sub monstris.

Quid mola propriè. *Mola autem propriè accepta, caro est informis, quæ tantum viuit vita plantæ*: nutritur enim & augetur: quandoq; etiam habet sensum tactus, vt dilatetur & adstringatur. Consimilē descripsit Lemnius *lib.1.de occult.cap.8.* vrticæ marinæ prorsus æquiparandam. Aliæ autem omnes carnes sunt informes, quæ neq; dilatantur; neq; constringuntur; Et, vt dixi, aliquādo oblōgæ, quādoq; rotundæ sūt.

Caussæ. Caussæ huius molæ vario modo a scriptoribus sunt propositæ; Auerrhoes *3.collect.cap.29.* retulit, molæ caussam in vitium facultatis formatricis, & quia forte intellexit, quod a nobis antea fuit explicatum, facultatem sc. formatricē non errare, inquit errorem facultatis esse, aut ex parte vteri intemperati, aut ex parte seminis & sanguinis. Quæ cū vera sint, videndum modo, vtrum vterus, an sanguis & semen sint caussa molæ. Auicennas *fen.21. lib.3.tract.2.capit.19.* cuius sententiæ subscribunt Gordonius *parte 7.cap.8.* & auctor *lib.10.de hist. animal.* (quem puto non fuisse Aristotelem, sicuti etiam ante me recte arbitratus Theodorus Gaza, propter multa dogmata, quæ in eo continentur cōtraria legitimis dogmatib. Aristotelis) Valescus de Taranta *lib.6.* Nicolaus Rochæus *lib. de morb. muliebr.cap.7.* isti, inquam, omnes arbitrantur, molæ caussam esse mixtionem seminis muliebris, cū sanguine menstruo, non accedente semine virili.

Ceterū hæc sententia vnica & fortissima exploditur ratione, quæ elicitur ex Aristotele *li.4. de gen. animal.c.7.* videlicet, in viuipatis nihil omnino produci posse absque maris congressu; in ouiparis res est certissima. De viuiparis cēset Aristoteles, & Gal. *lib.14.de vs.part.c.17.* ea nihil parere posse absq; maris congressu. Confirmatur experientia: neque enim vlla vnquam virgo, aut viro non vtens, inuenta est in vtero molam continere.

Propter hāc caussam minus mihi probatur Mercurialis opinio, qui putat, molam ex solo menstruo sanguine absq; vllo semine generari, eo, quod cum sit caro, possit & gigni, & eo modo augeri, quo ceteræ omnes carnes.

An mola fiat ex solo sanguine absque viri congressu. Quod enim pertinet ad hanc rem, si molæ nomine intelligere velimus, omnem carneam excrescentiam, quocunque tandem modo fiat, profecto non inficior, aliquando ex solo sanguine hanc posse produci; Excrescit aliquando hæc caro mirandum in modum in vlceribus, qua ratione, vt dixi, Ætius & Paulus molam dixerint excrescentiam carnis in vlceribus.

Aliquando etiam fiunt abscessus quidam glandulosi & carnei, qui augentur & nutriuntur, habentque venas & arterias: Vidistis talem hoc mēse Octobri sublatum a Monacho ad S.Iustinam librarum viginti quinq; qui in vtero etiam posset excrescere. Sed hæc proprie non est mola: nō enim fit instar conceptus: Dictum est enim in definitione, molam esse carnem informem *instar conceptus genitam.*

Nam post congressum viri cum muliere supprimuntur menses, venterq; & mammę intumescunt eodem modo, quo prægnantibus.

Excrescentiæ autem carneæ, siue in vlceribus, siue per abscessus, absq; vllo viri congressu fiunt.

Idcirco veram molæ caussam expressit Hippocr.*1.& 2.de morb.muliebr.* quæ etiam repetit in l. de sterilitate, dum inquit, tunc fieri molam, cum multus sanguis menstruus paucum aut morbosum semen virile exceperit; vt duæ tantum sint immediatæ molæ caussæ, copia materiæ & infirmitas facultatis formatricis in semine virili. *Vera caussa immediata.*

Ex imbecillitate facultatis fiunt quædam rudimenta ipsius fœtus, formantur quædam vasa: quędam venæ & arteriæ, per quas indigesta ista moles nutritur & augetur.

Sed spiritus vitalis propter materiæ copiam & crassitiem non vndiq; diffunditur, non discurrit huc atq; illuc, vt possit & membra præcipua, singulas venas & arterias, & membranas effingere, facit tamen quod potest: Et ideo ratio Mercurialis contra hanc Hipp. sententiam nulla est, quando vt hanc reijciat opinionem, inquit, ex morboso aut infirmo semine saltem morbosum vel infirmum aliquid debere fingi. Ego enim dico, sane morbosum effingi; nam quandoque fiunt, vt dixi, rudimenta venarum & arteriarum, ex quibus nutritur caro informis, aliquando illa caro recipit formam piscis, ranæ, si vis formatrix sit validior, recipit formam serpentis, auis; vno verbo facultas formatrix, dum non est prorsus exstincta, nunquam otiatur, & producit semper id, quod melius est.

Itaq; vera caussa immediata est ista, ex qua vnusquisque etiam statim potest intelligere, cur solę mulieres, non autem bruta animantia molam patiant. caussa est ex parte viri, & ex parte mulieris. Ex parte viri, quia plerunque effundunt semen infœcundum propter frequentes coitus, id quod bestiæ non faciunt, quæ nisi habeant vasa turgida, non cōgrediuntur. Alia est ratio, quia viri congrediuntur interdum cum mulieribus vtero gerentibus, quo tēpore propter oris vteri angustiam semen in modica quantitate recipitur; & ideo a sanguine confluente suffocatur. Et hinc fit, vt nō raro sint mulieres prægnantes, quæ molas simul cum fœtu pariant. Alia caussa est ex parte mulieris, quam tetigit Arist.*l.4. de gen.animal.c.7.* & est menstruorum copia: huiusscemodi sanguinis menstrui copia facile semen potest suffocare, idque potissimum contingit, quando quispiam vtatur coitu, vel cum muliere menstruata, vel tempore mensium imminentium: nam aut fiunt molæ, aut filij tardi & stupidi, ad omnia inepti, qui vt Lem.*l.1.de occul.cap.8.* inquit, vocantur quarta luna nati, quia scil. concipiuntur tempore menstruæ purgationis. *Cur solum mulieres, & non etiam bruta molam pariant.*

Signa. Huiusmodi mola non facile cognoscitur: Dicebat Hipp.*lib.1.de morb.mul.* cognosci molam, si 4.

S mense

mense nullus sentiatur motus: Est tamen fallax signum: nam in mola flatus multi in vtero generantur, qui mouent vterum, falsiq; conceptus formam referunt. Addebat Hip. mammas intumescere, sed lac non producere; potestis vos alia adijcere, nempe ventris frigiditatem, facta comparatione cum fœtu viuo.

Adhęc vbi mulieres in latus vertũtur, cadit mola in illam partem quasi lapis, & si ambulant, maximum sentiunt pondus, os vteri non ita clauditur, sicut in vtero conceptu, & quarto aut quinto mense, quo prægnantes melius habere solent, molam habentes in deterius labuntur, extenuantur, fiunt decoloratæ, crura gracilescunt, flatus & humiditates ex vtero erumpunt, vt propterea hic affectus tandem in hydropem soleat desinere.

Prognostica. Est affectus valde periculosius: nam vbi secundum annum attigerit, si tunc excernatur, cum vitæ periculo excernitur, propter insignem sanguinis effusionem, aliquando tamen retinetur in vtero vltra quartum, quintum, decimum, aut duodecimum annum, ita vt tandem induręscat & lapidescat.

Quare interdum tã diu retineatur mola in vtero. Si quis quærat, quare tã diu in vtero retineatur? Scribit Arist. *l.4 de gen. anim. c.47.* id fieri, quia natura tentat elaborare & perficere id, quod imperfectũ est. Sed reuera hęc sñia non probatur: nã vbi fętum nõ elaborauit facultas formatrix, vsq; ad tertium mẽsem, neq; elaborat, vsq; ad sextũ vel vltra.

Itaq; dixerim ego, non eijci hãc molam, quia est fortiter acetabulis vteri alligata, sicuti firmiter etiã abscessus carnei partibus alligantur, quibus adhęrent. Et ideo ab initio huiusmodi molæ fiunt ex infirmitate caloris, vt recte docuit *l.c.* Arist. progressu a tẽporis, quando indurantur & exsiccantur, cedit calor, simul tamen, vt ego puto, cum facultate formatrice ossifica. Nam in semine illo virili, adest omnis facultas apta ad producẽdas partes similares: Inter ceteras est ossifica, in principio fœtus ossa sunt mollia, & ideo si mola excernatur ante annũ, ęrit caro mollis; vbi iam diu moratur in vtero, etiãsi ossa nõ figurentur, nihilominus exsistẽte facultate ossifica induratur illa materia, & eo magis induratur, quia a calore partes etiam tenuiores digerũtur. Hinc fit, vt mola difficile, & cum vitæ periculo excerni possit.

Deprauatio sexus. Inter deprauatos conceptus illi etiam sunt, qui pertinent ad sexum & effigiem; Ad sexum quidem dupliciter; primo, quando oriuntur infantes vtroq; sexu donati, quos Androgynos appellant; secundo, quando mulieres, aut, vt melius dicam, fœmellę in nubili ętate sexũ mutant, & in viros mutãtur, prodigiosũ hoc quoq; & portentosum hoc existimatur.

Quod ad primum, non potest caussa intelligi, nisi primum caussam habeamus simplicis sexus, tã masculini, quam fœmini. Et caussa vario etiã modo a varijs est proposita.

Nõ accipio Empedoclis sñiam, qui putauit. Mare ex calidiori, fęminas ex frigidiori fieri temperamẽto, eo quod viri sint vere calidiores mulieribus.

Nec admitto Anaxagoris placitum a pluribus receptum, mares in dextro vteri sinu, fęminas vero in sinistro semper gigni. Huius sententiæ falsitatẽ varijs brutorum sectionibus redarguit Arist. *lib.4. de hist. animal. cap.1.*

A Nec tamen placet etiã Arist. *loc. cit.* quæ videtur quoq; fuisse Gal. *lib.4. de vs. part. cap.17.* mares sc. primo, & per se a facultate formatrice productos esse, fęminas autem extra institutum & propositũ, quasi appendicem, opus minime ordinatum, sed casu creatum. Falsa sane sententia. Quæ enim casu fiunt, rara sunt, indecensque est affirmare hominem ex casuali re produci.

Andreas Laurentius Hippoc. sententiam accipit *l.1. de dieta* descriptam, sc. tam in fęmineo, quã masculo semine insitam esse facultatem formatricem, & maris, & fęminæ: vt propterea si vtrumq; semen habeat facultatem masculam præualentem, fiant heroes. Si tantum virile semen habeat masculinam præualentem, fiant quidem omnes fortes, sed illis inferiores. Si præualeat mascula in semine tantum

B fœmineo, fiant viri effœminati. Contra si fœmineũ præualeat in vtroq;, fiant mulieres heroicæ. Si pręualeat in virili, fiant viragines, quæ velint prædominari maritis. Si tantum in muliebri, tunc fiant mulieres imbecilles, timidæ.

Hæc sententia, quamuis docte expressa, non tamen explicat, quid sit masculum & fœmineum reconditum, nec ex qua fiat caussa.

Idcirco ego tandem nullam inuenio sentẽtiam, quæ mihi magis placeat, quam Democriti refutatam quidẽ ab Arist. *li.4. de hist. animal. cap.1.* sc. in semine virili inesse facultatem generandi mares; in fœmineo vero generandi fœminas; hanc facultatẽ, ait ipse, obtinent illa semina, eo quod aliqua parte decidunt ex huiusmodi membris genitalibus.

Illa igitur seminis pars, quę secedit ab vtero, ha-

C bet insitam facultatem formandi sibi simile, & cõsequenter fingendi fœminam, vt semen virile procreandi simile. Ergo vbi præualet facultas masculi, fit mas, secus, vbi fœminæ.

Placet mihi hæc sententia, quia caussam habet rationabilem, & quia potest etiam caussam reddere, propter quam similes in sexu sint dissimiles in facie aut moribus. *Cur quidã dissimiles in sexu fiãt similes in facie aut moribus.*

Nã potest fieri, vt semen ad faciendũ sexum pręualeat quidẽ, sed in ceteris partibus præualebit semen alterius Ergo poterit infans in sexu similis patri, in carnis mollitie & moribus matri similis esse.

Negandum tamen non est ad masculeitatem ad fœmineitatem concurrere etiam locum, materiam, calorem, mulieris imaginationem: quãto enim calor erit maior, eo facilior mas formabitur, vt præ-

D cipue in sinu dextro, qui calidior est sinistro, tunc etiam facilius, cum suppetat materia ad formandam penis magnitudinem: & si mulier masculi imaginem fortiter imprimat.

Caussa Hermaphroditarũ. Ex dictis patent caussæ Hermaphroditarũ; tunc enim generantur tales; primo, quando suppetit materia ad generanda membra virilia & fęminea, quę tamen sunt in triplici differentia: nam aliquando sexus masculus præualet fœmineo, ita vt eo cõmode vtantur, fœmineo nequaquam: aliæ quæ vtuntur fęmineo, masculo inepti: quædam quæ cõmode neutro, quod scribit se vidisse Columbus *lib.15.* Quidam ponunt quartum modum, eorum scil. qui vtraq; parte ęque valent. Sed hoc rarũ ac inuentu difficile est. Fiunt ergo, vt dixi, si materia suppetat; Item si facultas vtraq; in vtroq; semine contẽta tã-

tum

tum possit, vt vtraque proprium constituat sexum.

Sexus mutatio. Sed quod pertinet ad sexus mutationem, hanc sane rem ego fabulosam existimassem, nisi viderẽ, illam tot egregijs scriptoribus comprobatam: Primo Plinio *l.6.c.4.* Pontano *l.10 de reb.cœlest.* Volaterrano *in com.Vrban.* Iulio Alexādrino *de salubrib. c.14.* Amato Lusitano *cẽt.3 cur.39.* qui omnes atq; alij plurimi cum ijs testantur, puellas nuptui iã datas inter tripudia pudendum emisisse, & ex fœminis in viros transijsse. Quæ si vera sunt, nulla alia est caussa, quã facultas formatrix sopita, quæ tamẽ aliquando insurgit. Nam sicut dẽtes in vtero matris incoantur, extra vero perficiũtur, vt docuit Bartholomæus Eustachius, vt etiam anno 30. & vlterius dentes sapientiæ dicti generantur, quorũ duo mihi orti anno 34. fieri potest, vt facto genitalium viriliũ in vtero exordio, facultas hæc paulatim perficiatur & tempore sponsalium, quo sanguis & calor vehementer mouetur, mentula prodeat. ¶ Quãtum ad

Mõstra in effigie. effigiem, monstra in effigie dicuntur, quę nõ modo æmulantur faciem canis, leporis, vituli &c. sed sũt ẽt omnino parentibus dissimilia, nec dissimilia tantum in effigie, sed etiam in affectibus & moribus.

Caussa etiam istorum cognosci non potest, nisi duo primum cognoscantur, quæ attinent ad caussã similitudinis in apparẽtibus: primo in quo cõsistat effigies, secundo quæ sit caussa mutationis effigiei.

Quod ad primum, effigies non modo cõsistit in ijs, quæ necessario accidunt corporibus, verum etiã in consequentibus temperamenta. Accidũt autem corporibus magnitudo, positio, numerus, & figura seu conformatio.

Necessario accidunt colores, mollities, durities, &c. Ergo caussa similitudinis, aut dissimilitudinis tota pẽdet ex mutatione figuræ, situs partium, magnitudinis, numeri, coloris, duritiei & mollitiei.

Cum effigies in magnitudine, numero, figura, & alijs accidentibus enumeratis sit posita, consequẽter monstrosæ effigiei caussæ sunt illæ, quæ ad huiusmodi magnitudinem, situm, figuram, numerũ atque accidentia permutanda conferunt. Sunt autem hæc materia, locus, facultas formatrix, calor & spiritus, tum imaginatio.

Omitto in præsentia astrologorum opinionem, quæ mõstrorum caussam, vel aspectibus, vel signis cœlestibus tribuerint, tanquam omnium leuissimam, & satis a doctis refutatam.

Ergo quod attinet ad materiam, monstra faciet, siue superabundet, siue deficiat, mollior, duriorq; fuerit, quam expediat.

Ob materiam.

I. Nam ex multitudine, vel fiunt monstra in magnitudine aucta, seu secundum totum corpus, vt gigantes; vel secũdum caput, vt hydrocephali: seu secundum vnam capitis partem, nasum sc. oculos, aures, aut alia denique corporis partes.

II. Fiunt etiam monstra in numero, quando quispiã habet 6. digitos duplicem manum aut pedẽ, quatuor crura aut brachia, duplex caput. Albertus Magnus scribit, ortum esse monstrum, cum vndecim linguis & oculis.

Ex defectum materiæ pariter fiunt monstra in magnitudine imminuta, vel in numero deficiente.

III. Magnitudo imminuta secundũ totum in pygmæis, quorum vnus iam annos 10. per totam fertur Italiam in parua capsula, cuius nulla alia pars videtur nisi magnum caput, vocemque emittit ad modum sonoram, vel secundum partem, vt quibus, vel manus, vel pedes iusto sunt breuiores. In numero autem, quando deficit manus, aut digitus, aut oculus, aut pes, &c.

Fiunt vero monstra ex mollitie, aut duritie materiæ, quia materia nimium mollis, laxa aut fluida est in caussa, vt meatus omnes iusto ampliores reddantur: vt præterea quæ recta esse debent, incuruẽtur & flectãtur, id, quod in varijs cõtingit. Vbi vero durior, membra & meatus constrictos & angustos reddit, vt hinc nascantur filij, aliquando auribus, ore, ano, vulua aut orificio penis imperuij seu imperforati. Ex parte itaque materiæ tot fiũt mõstra. IV.

Quod pertinet ad locum, monstrosæ fiunt effigies, si contingat, vterum vel a natura, vel ex tumore aut caussa extranea illum fortiter comprimente perperam figurari, esse nimis rumosum, striatum, conchyliatum, aliaq; simili figura donatũ: vt enim in æneis, aut lapideis formis, talis est effigies, qualis est forma, in quam funduntur; ita etiam in vtero, talis plerunq; fit effigies, qualis erit vteri forma. *Ob locum.*

Inter externas caussas repono morbos, qui pueris contingunt adhuc in vtero degentibus: laborant enim infantes non minus in vtero atque nos, vt febribus, affectibus capitis, thoracis &c. ex quibus fiunt fatui, surdi, cœci, muti, gibbi, claudi &c.

Prodeunt quoque monstra ex facultate formatrice; nam si quidam morbi hereditarij, vt reuera sunt, non possunt ex alia fieri caussa, quam ex ea seminis formatrice facultate, quæ morbosam suscipit qualitatem a parentibus. Hinc plerunque fatui a fatuis, surdi a surdis, cœci a cœcis, phthisici a phthisicis &c. excitantur.

Quinimo næui quo & stigmata patrum & auorum in filios inseruntur, mancique ex mãcis vt plurimũm generantur. *Ob formatricem.*

Hæc omnia pertinent ad seminalem substantiã, in qua residet formatrix.

Sed dicet quispiam, si morbosi ex morbosis fiũt, si næui ex næuis, ergo ex omnibus partibus decidit semen, quæ tamen sententia nec accipitur ab Hipp. nec rationi consona est? Hippocrates hac in re varius esse videtur: aliquando *in libro de aere, aquis & locis, & de genitura* videtur velle semen ex omnibus partibus corporis decidere, partim ob dictã caussam, partim ex delectatione, quæ circa vniuersum corpus est, partim ex dissolutione: aliquando *in libro de genitura*, & in *lib. de ossi. natura* videtur voluisse ex capite tantum de fluere: inquit enim defluere semen per venas iugulares: confirmatur ex caluitie, quod illis potissimum superuenit, qui immoderata vtuntur Venere, exsiccato scil. cerebro & recedente a cranio. Confirmatur etiam liuore & cauitate oculorum, quæ succedunt coitum, prætereaquam quod scribit *lib. de aere* &c. macrocephalos ex macrocephalis ortos non ob aliam caussam, quã ob seminis ex capite recedentis facultatem. *An & quomodo semen ex omnibus partibus decidat.*

Omissa hac in parte Auic. sententia, qui putat ex tribus præcipue locis semen decidere; puto rei veritatem esse, semen immediate ex vasis seminarijs & testibus tantum effluere.

Caussas autem semẽ generantes, partim ex mẽbris

bris præcipuis, partim etiam ex alijs, quæ non sunt præcipuę, originem sumere. Ex membris pręcipuis fluit in testes & vasa seminaria spiritus animalis, vitalis, naturalis. Si datur ex alijs, non quidem omnibus numero, sed omnibus in specie, decidit materia tanquam excrementum inutile ratione quantitatis, quæ est materia seminis. Dico hanc materiam decidere ex omnibus partibus nõ numero, sed specie, quia cum necessariũ sit ex determinato fieri determinatum: nec enim statuarius facit statuam lapideam ex cera; Ita etiam ad formationem singularium partium similarium, ossium, venarum, necessarium est, determinatã in semine materiã reperiri, in quam decenter agat facultas formatrix, quę materia alio modo non redditur determinata, nisi quãdo ad has partes similares accesserit, & aliã ab his qualitatem susceperit, & tandem tanquam superabundans expellatur ad vasa seminaria.

Hoc stante patet caussa, cur manci ex mancis, claudi ex claudis &c. generentur, aliquando etiam non: nec enim est perpetuum, sed vt plurimum.

Contingit autem quando materia seminis decidat ab ea parte, quæ mãca est, & quia vbi pars corporis deficit, ibi alimentum magis abundat, hinc fit vt facilius pars mutilatam mittat materiam ad vasa seminalia, quam pars non mutilata, hinc etiam frequentissime morbosi ex morbosis oriuntur.

Quod si contingat vt in mutilatis materia decidat ex alia parte simili in specie, quæ tamen sit sana, infans ille poterit esse sanus, quanquam parens fuerit morbosus. Hæc obiter de loco.

Ob calorẽ, & spiritũ. Rediens ad propositum, ex facultate, vt dicebã, formatrice fiunt monstra hoc modo.

Quod vero pertinet ad calorem & spiritum, hic quoque varia producit monstra in magnitudine, figura, situ: vbi enim calor & spiritus vehementer agunt in materiam seminalem, dilatant illam, extẽdunt, fundunt, loco etiam mouent, vt variæ oriãtur figuræ etiam monstrosæ, aptissimum habetis exẽplum in arte vitriaria desumtum. Materia a vitri est valde similis materiæ seminali: vt ergo spiritus impulsus per fistulam ferream, in materiam vitri extensam, super lapidem varias efficit figuras, & si fortiter impellat, facit monstrosas; ita calor & spiritus in semine inclusus, vbi præter modũ agit, varias facit monstrosas figuras, quæ non minus cõtingunt, quãdo hic etiam nimium exstinctus, sopitus, aut suffocatus fuerit.

Ob imaginationem. Denique fiunt monstra ex imaginatione, quod potest probari, & ratione, & experientia: Ratione quidem; nam si mulier vtero gerens ex imaginatione potest alicuius expeditæ rei formam & imaginem ad vnguem fętui imprimere, vt hac ratione videantur infantes cum maculis ficus, lactis, cum prunis, carne suilla &c. nascentes, poterit etiã tempore conceptionis talem reddere infantis effigiem, qualis erit imaginatio vel mulieris concipientis, vel viri excernentis Venerem.

Nec quis obijciat, diuersam esse rationem, quãdoquidem ideo imprimantur imagines in fœtu, quod summopere illa desiderentur; nulla autẽ est mulier, quæ, etiamsi monstrosam imaginetur effigiem, illam expetat, imo abhorrebit. Nullius momenti est hæc obiectio. Tametsi enim verum sit ad imprimendam imaginem in fœtu formato opus esse ingenti desiderio; nihilominus ad faciendam effigiem tempore conceptionis non est necessario, quia ad faciendam conceptionem, vel potius ad faciendam effigiem in fœtum non concurrit multum temporis: vbi enim rem habet cum viro, si imago illa monstrosa versetur in mente, & tum fiat conceptio, concipietur etiam illa imago.

Ad imprimendam imaginem fœtu iam facto, necessarium est primum imprimi in spiritum, secundo in sanguinem, qui accedit ad nutritionẽ fœtus: ita, vt si desistat desiderium, quanquam aderit imaginatio, non signabitur fœtus.

Si quispiam quęrat, quare potius vna pars signetur quam alia? Nõ hoc fit ex simplici tactu, vt plerique putant, sunt nugæ. Quædam enim mulieres, dum vehementer rem expeterẽt, voluerunt Medicos decipere, tamen oriebatur imago in altera parte. Itaq; caussa, cur potius in vna, quam altera parte signetur, est imago partis, vbi fortiter desiderat rem aliquam: verentur enim ne in vna vel altera parte signetur fœtus. Ergo aliquando volunt vnã, aliquando alteram partem: illa vero signatur, quæ fortius in mente imprimitur, & hoc est experientia obseruatum; Propter hanc caussam scribit Cornelius Gamma *lib. de admirandis spectacul.* mulierem prægnãtem, quæ fugiebat virum, qui gladio illam in capite tentaret, enixam esse puerum cum maximo vulnere capitis, cuius caussa nulla alia fuit, quã fortis imaginatio periculi. *Quare potius vna pars in fętu signetur quã alia.*

Sed redeamus ad rem. Ex imaginatione fiunt huiusmodi stigmata in corpore. Ergo etiam menstruosæ imaginationes. Confirmat Leuinus Lemnius *lib. 1. de occult. ca. 4.* vbi scribit mulierem pręgnantem, quę summa cum admiratione quendam est intuita magnum habentem caput, puerum peperisse cum magno capite.

Habetis etiam historiam apud Aristotelem *lib. 7. de hist. animal. cap. 6.* qui scribit, mulierem albã ex Æthyope concepisse Æthyopem filium.

In eundẽ sensum scribit D. Hieronymus in quæstione super Hippocratem, mulierem a calumnia vindicasse, quæ ex albo parente filium Æthyopem susceperat ex pictura in thalamo exsistente; quod etiam Quintilianum & Alcibiadẽ fecisse legimus. Diuus etiam Augustinus *lib. de ciuitate Dei, cap. 30.* rationi dicit consentaneam esse historiam in Genesi de ouibus albis & variegatis, quę oriebantur ex industria Iacobi.

Et denique propter hanc caussam in niuosis mõtibus reperiuntur coturnices albæ, & pauones, & vulpes, & alia animalia alba, non propter aliam caussam, quam imaginationem. Ex his ergo caussis possunt fieri monstra, vt diximus.

Restaret quidem iam altera pars huius tractatus, de partu scil. (huc vsque enim de conceptione imminuta, abolita & deprauata dictum est) Verũ; quia mulieres ad huius curationem raro Medicorum opera vtuntur, hic persistimus, & ita huic tractatui finem imponimus.

FINIS.

HERCVLIS SAXONIAE

Patauini Professoris Medici Primarij.

DE FEBRIBVS.



PROOEMIVM.

Exordiũ



Nter dona, quæ Deus, & Natura mortalibus elargita sunt, nihil calore præstantius repertum est. non meo duntaxati ipsius testimonio, sed recentiorum, & antiquorum placitis sic testificatum est, vt non egeat probatione.

Quid calor.

Est enim Calor omnium rerum natura, animæ substantia, & potentia vitalis essentia, omnia recipit, fouet, perficit, tuetur.

Vegetali autem calore Mixta habẽt suum esse, plantę vitam recipiunt, animalia motũ; per calorem principes facultates exacuũtur, artes seruantur, mortalia cęlestibus coniunguntur: sine calore omnia marcescunt. Huius moderantia Sanitas, immoderãtia Morbus dicitur, in corde, & in vniuerso corpore Febris, de qua præsenti anno dicturus sum.

Est sanè speculatio omnium nobilissima, vtpote de affectibus partis nobilissimæ verba faciens, omnes difficultates, & quæstiones declarabo circa genus, causas, differentias, signa, curationem.

Est omnino necessaria. Fuit enim doctissimorum sententia, *nullum esse grauem morbum, qui febre careat, vel cum ea non copuletur.*

De hac igitur tam necessaria materia ego disputaturus, meas partes esse scio omne studium, laborem, diligentiam præstare. ad vos pertinebit frequẽtia, assiduitas, exercitatio.

Vt meum impleam munus, præter publica in priuatis locupletissimum etiam tractatum vobis communicaui de Signis & Symptomatibus putridarum: pro viribus etiam enitar, vt quæ publicè & priuatum docuero, in vsum vestrum transferam.

Ordo tractationis

Ordo tractationis erit ab vniuersalibus ad particularia. Circa vniuersalia quidem Nomen, Differentias febris. Circa particularia, primò de Ephemera, secundo de Putrida, tertiò, de pestilenti, quartò de hectica, quinto de compositis agam.

Ordo & ratio ordinis ex Auicenna desumpta sunt. Voluit simpliciores primũ cæteris A anteponere, quæ sũt Ephemeræ, propterea de his primo agit: succedũt Hecticæ, vt Gal. lib. 10. Meth. med. de his ante putridas egerit. Verùm Galenus non ad facilitatem modò, sed etiam simplicitatem perspexit.

His pestilẽtes superueniunt, quæ quadam ratione inter cõpositas numerari possunt.

Qui libri Gal. de febribus agant.

Vltimo loco succedunt compositæ. Vtar opera Auicẽnæ nostri, ita vt neque Hippoc. neque Gal. nec reliqorum Arabum recentiorũque placita prætermittam. Propterea quod ad Gal. legatis illum lib. j. ad Glauc. lib. 2. de diffe. feb. & lib. 2. de cris. quinque libros B Meth. ab 8. vsque ad 12. Ex his etenim locis & Epidemicis accidẽtib⁹, prognosticis, morborum temporibus, vniuersam doctrinam de febribus inuenietis.

Non improbo quoque vt legatis Auicennæ interpretes, vt pote Gentilem, Arculanum, Nicolum Florent. Consulo tamen, vt ab illis Quæstionibus abstineatis; neque existimo recentiores propria laude fraudandos: Trincauellij in 2. lib. de diff. febr. doctas existimo annotationes Julij Alexãd. in 1. ad Glauc. obseruat. Foresti. Quod ad Holler. Vidum Vidium, Pisonem, &c. omnes per otium legantur. His prælibatis venio C ad rem ipsam.

De Febribus in Genere.
Cap. I.

Affectus appropriatos non ẽe febres



St sermo de febribus. Febres ab Auic. inter Morbos nõ Appropriatos collocantur. Vocat affectus appropriatos illos, qui ita vnam partem afficiunt, vt læsio in illa tantum parte contingat. Morbi ergo in aliquibus non sunt appropriati, sed ita vocantur, quod D apropriatæ parti contingant. Quod id sit verum, annis elapsis in plerisque affectibus didicistis. Itaq; vt dixi, omnis morbus non ex sua natura appropriatus dicitur, sed si determinatam obsidet partem, sic nominatur, vt Epilepsia, Conuulsio, &c. ex Parte læsa, non Causa lædente; Propte-

Quid morbi appropriati.

rea Auic. in lib. 4. de morb. non appropriatis verba facit, & diuidit in septē Fen. In 1. Sermo est de febre tam in genere, quam in specie, tāquam morbo communi vniuerso corpori; in 2. de Signis; in 3. de Apostematibus; in 4. de vlceribus, & vulneribus; in 5. de Dislocationibus, & Fracturis; in 6. de Venenis; in 7. (quę non est inter medicinæ partes connumeranda) de Decoratione.

Deriuatio nominis. Venio ad primam Fen, & primum caput, in quo proponit primùm Definitionem Febris, quę Latinis à feruore denominatur, Gręcis πυρετὸς à πῦρ, quod ignem significat.

Definitio Definitur à varijs, nihilominus nulla est magis integra, quàm Auicennæ, cùm inquit; Febris est calor extraneus accensus in corde, & procedens ab eo, &c. In hac Definitione duo pręcipuè Causarum genera cōprehenduntur; Formalis siue Genus Febris. formalis Subiectum. *Definitionis explicatio.*

Loco generis omnia extant. genus hoc totum est. Febris est calor extraneus inflāmatus, qui lædit actiones. Hæc omnia sunt loco Generis, reliqua loco Subiecti.

Dicitur Calor, ad differētiam morborum in compositione mala, & soluta vnitate. Distinguitur etiam ab alijs morbis in Intemperie. Itaque est calor; sed quia Calor alius est Natiuus, alius extraneus; subdit non esse calorem natiuum, sed extraneum.

Quid nomine extranei caloris intelligendum. Dubium est apud Medicos, quid nomine extranei intelligendum; quia possumus nomine extranei intelligere extraneitatem caloris, hoc est proprietatem caloris aduersam proprietati caloris natiui; scilicet calorē, qui habet proprietatem occultam aduersam calido innato; aut possumus intelligere augmētum caloris in gradu. Nicolaus & illius sequaces vtrumque esse intelligendum affirmant: minimè autem conceditur. primò quia si sic, sequeretur omnem febrem esse pestilentē; accedit quod huiusmodi calor extraneus sufficit ad lædēdas actiones nostri corporis. Est itaque calor extraneus calor immodicus auctus supra naturalem statum. Sed quia datur huiusmodi calor immodicus etiā in temperamento naturali. Quia alij sunt alijs calidiores corde, quidam etiam patiuntur intemperiem natiuam calidam, vt iuuenes; Ideo vt Auic. contra distingueret à morbo, addit extraneū mutare Actiones Naturales. Nomine naturalium intelligit nō solum illos quatuor, Attractionē, Retentionem, Alterationem, & Expulsionem; sed omnes actiones homini conuectas siue præcedant ex intemperatura naturali, siue ab alio statu in ac mutatur, sic dicuntur. *Nicoli opinio improbatur* *Quid calor extraneus.*

Sed quia huiusmodi calor auctus aliquando mutatur ex causa non naturali, aliquando ex causa præter naturam. Ex non naturali; vt sunt ira, motus nimius, balneum vini potio, nimius cibus, &c. Auic. vidit hanc mutationem, & ideò rectè inquit febrem esse calorem extraneum.

Hinc colligitur, non referre, siue dicatis esse hunc calorem immodicum, vel præter naturam, vel contrarium naturali, vel intemperiem calidam.

Ex quo constat, huiusmodi calorem esse quidem, non tamen in fieri, sed in facto esse.

Volo etiam vos colligere, nomine caliditatis nos nō intelligere Substantiam calidam, vt nonnulli existimant, sed potius Qualitatē. quia est sermo de morbo; *substantia autem non est morbus; qualitas verò est morbus.*

Est dubium hac in parte, numquid febris sit Intemperies simplex, an composita; Alij dicunt esse simplicem, & calidam tantùm, eiusque testem citant Gal. lib. de diff. morb. cap. 5. alij simplicem siccam tantùm, non calidam. Quod Hipp. sect. 1. aph. 16. victum humidum febricitantibus conuenire scribat, nulla ætatis ratione habita. Paucis. Febris si consideretur, est intemperies calida & sicca; propterea composita. Sed si consideretur ratione subiecti, sunt aliquando calidæ, frigidæ, humidę, vt Epiala. *Num febris sit intēperies simplex; an composita.*

Ad Hipp. autoritatem quod attinet, existimo illum loqui ibi de victu, & præscribere victum liquidum, potulentum, qui facilè distribuatur; non dicere de medicamento, quod febri, vt febris est, opponatur.

Quod ad reliquas quæstiones, habebitis solutionem ab excellentissimis Theoricis.

Hactenus ergo intellexistis febrem esse calorem præter naturam, & propterea lædere actiones; actiones autem, quæ læduntur sunt primo & per se Vitales, Subinde etiam Naturales, & Animales.

Et si quærat quispiam, qualis sit læsio, Deprauata ne, an Ablata? Dico primò & per se actiones deprauari; ex accidente aliquando minui, aliquando tolli. Declarò, febris est calor: à calore actiones deprauātur. ideò necessarium, vt omnes actiones ab hac tanquam immediata causa deprauentur. Pulsus fiunt frequentiores, &c. incidunt vigiliæ, deliria, vrinę fiunt mordaces, coloratiores. Ex accidenti possunt imminui, aliquando tolli.

Primum imminuuntur, quia hic calor pręter naturam calori natiuo est aduersarius; depascitur pabulum caloris natiui: si sic, necessariò calor natiuus deficit; hinc infirmę fiunt omnes actiones.

Alio etiam modo debilitantur: quando scilicet hic calor præter naturam mouet, & fundit varios humores in corpore existentes; si pituitosi in caput ruant, solent fieri comata, stupores, &c.

Sed aliquando, vt dixi, ex accidente nonnulla vitia corriguntur. propterea Hip. aph. 40. dolorem hypochondriorum absque inflammatione incidentem à febre superuenientе solui inquit. cuius rationem adducit Gal. in com. sic igitur læduntur actiones à calore febrili. *Sect. 6.*

Hactenus

Hactenus de Genere febris. Transeo ad Subiectum.

Subiectũ febris. Duo causarum genera in Definitione Febris proposita continentur, formalis seu genus & Materialis seu subiectum. De genere dictum, succedit subiectum. Febris Subiectũ ex Auic. sententia & reliquorum duplex est, primum Principale; alterum Adæquatum.

Principale est cor. Adæquatum est totum corpus. Nomine autem vniuersi corporis intelligere oportet vniuersum corpus, simul cum corde, teste Gal. lib. de mot. caus. cap. 2. Et propterea quantumuis æger ex nimia exercitatione, aut insolatu caluerit, nisi ad cor peruenerit, febris non dicitur.

Febris non necessario tot° corporis affectus. Hæc communis sententia videtur corrigenda, vt scilicet dicamus, febrem primò & per se esse cordis passionem: ex Accidente non necessariò totius corporis. Ratio: quia ideo febris est passio totius corporis, quia cor est fons spiritus & caloris, & hic per venas & arterias in vniuersũ corpus distribuitur. si non posset distribui, esset febris, neque tamen peringeret ad vniuersum corpus. hinc fit vt aliquando febres reperiãtur absque vniuersi corporis calicitate, vt in febribus Epialis manifestum est 1. in 6. Epid. 29. ibi docet febrem quidem passionem cordis primario, per accidens tamen & in reliquis partib. nonnunquam accendi.

Ideo si cõtingat circa arterias & venas humores frigidos obstruentes reperiri, nõ necessariò totum corpus incalescit, itaque ex accidenti contingit.

Hæc igitur uidentur satis ad explicandam subiecti naturam, cum tamen nõ sufficiant: non est cor & totum corpus subiectum febris immediatum, est illud idem, quod est subiectum calidi innati, Gal. sect. 1. aph. com. 14. febris nihil aliud est quàm conuersio natiuæ caliditatis in igneam.

Proximum Subiectum natiuæ caliditatis est Spiritus, Humor, Solida substantia. Nomine solidæ substantiæ intelligo carneam & seminalem. Hoc dico proter Gal. qui libro 11. meth. c. 13. carneam uidetur à solida substantia secernere.

Hæc igitur tria sunt subiectum immediatum caloris natiui, & consequenter febris.

Subiectũ calidi innati. Hæc tria pro eorũ diuersitate constituũt etiam uariam caliditatem innatã, ut influẽs. Insita itaque duplex, insita producta ex materia seminali sanguinea constituente partem ipsam solidam; alter calor qui positus est in spiritu & sanguine, influens dicitur.

Datur tertius mixtus ex primò & secũdo, ut patet ex Gal. lib. 5. de simpl. med. fac. c. 9.

Varia nomina caloris natiui. Huiusmodi calor influens semper in partibus determinatis aliqua ratione cõtinetur, in hunc usum, ut augeat calorem istum insitum, qui postea est autor omnium actionũ; propterea Medici uaria excogitarũt natiui caloris nomina, propter ~~uarietatẽ~~ subiectorum uocarunt aereum, insitum, influentem, cælestem, aqueum, &c.

Hæc omnia ad pauca rediguntur. Vocant elementarem, quia cõstat ex elementis, ex semine, sanguine; semen & sanguis componitur ex elemẽtis: dicitur genuinus in pueris, sect. 1. aph. 14; ascititius in adultis, &c. cælestis quatenus est autor omnium operum, quæ in humano corpore fiunt.

Hac habita distinctione, conciliabitis varias quæstiones apud illos quæstionarios. Disputãt, quinam istorum sit calor febrilis, qualis calor in febribus immutetur. Rei ueritas est omnem hunc calorem aliquando mutari posse in calorem præter naturam. Ratio: tria sunt tantum prima subiecta quæ aliquando mutantur in calefacto esse, & tunc potestis dicere mutatum esse calorem natiuum in igneum, &c.

Quod si aliquis tantum ex caloribus mutatur ratione sui subiecti, ut in Ephemeris, potestis dicere, unum tantum calorem esse mutatum, scilicet influẽtem. Præterea, cum etiam quærunt Medici, nũquid in febre reperiatur vnus, an plures calores, & qui isti? Dico in hecticis unicum esse calorem eumque præter naturam, igneum. naturalis enim in igneum est mutatus.

Si sermo sit de Ephemeris, dico duos esse calores: vnum igneũ positum in spiritu ipso: alterum naturalem, qui adhuc seruatur in partibus solidis. In putridis tres sunt calores: primus in ipsis cordis humoribus mutatus in igneum. Secũdus partium solidarũ adhuc imutatus. Tertius in loco putredinis.

Hæc est doctrina Gal. lib. de inæq. intemp. cap. 1. & 5. clarius sect. 4. aphor. 37. ibi manifestissimè scribit Gal. In febribus putridis, & malignis, ubi sudores frigidi, signum potissimum esse, clarius est com. 2. in 1. epid. text. 46.

Sed hic duæ maximæ insurgunt dubitationes. Prima, contra primam resolutionem, ad febrem hecticam. Secunda ad putridas. *Dubia.*

Diximus in febre hectica esse unicum calorem, illumque præter naturam, qui fieri possit ut in hac seruetur uita? Respondetur dupliciter, primo ex Gal. lib. 1. de diff. feb. c. 9. ex distinctione febrium hecticarum. nam scribit ibidem, febres hecticas alias esse primi gradus, alias secundæ & tertiæ speciei, quæ postrema Marasmus dicitur.

Dico igitur in febribus hecticis primæ speciei roridam humiditatem habere quidem calorem hunc muta tum, sed non mutatum adhuc in summo. Itaque cum actiones prodeant à parte solida seminali, fit vt actiones naturales seruari possint.

Dicet quis, quid dices de marasmo? Respondet Galen. libro 1. de temp. capit. 3. intemperiem aut esse paruam, aut mediocrem, aut magnam. Parua potest referri ad sanitatem.

Hac proposita distinctione dico in marasmaticis esse mediocrem; si est maxima, primum mors succedit.

Secunda instantia contra secundam decisionem, quæ grauior; si enim verum sit, in febribus putridis, & Ephemeris calorem naturalem integrum seruari, sequitur huiusmodi febres nō esse morbos. Morbus enim est partium viuentium: at humores & spiritus non viuunt. Ergo &c.

Vt hanc obiectionem recentiores plures diluerent, dixerūt in febre putrida & Ephemera spiritus & humores poni in calefacto esse, solida esse in calefieri. Definiūt ex Gal. lib. de diff. febr. qui ibi vtitur hac distinctione: sed responsio hæc nō tollit difficultatem. *Morbus est quid in facto esse, non in fieri*; propterea alij dixerunt in omni febre, etiam solida poni in calefacto esse: in Ephemeris in habitudine; in alijs in habitu, &c.

Hæc responsio nihil habet veritatis. Peto enim ego quid per habitū & habitudinem intelligant. Existimo enim primū cum Gal. & ratione cōstituendum, Ephemeras & Putridas aliquando esse absque totius corporis caliditate, neque in calefieri, neque in calefacto esse. locus Gal. est lib. 3. de præs. ex pul. c. 6. maximè notatu dignus, ideoque diligēter legendus. Nam ex eo constat dari febres putridas, humorem esse calidum, vbi tamen solida substantia cordis sit nec in calefieri, nec in calefacto esse. Non igitur necessarium est febribus Ephemeris, & putridis solida esse calida. Non inficior, plerūque (nam hoc est rarum admodum) & magna ex parte poni in calefacto esse & calefieri.

Cum igitur hoc non sit necessarium, superest soluamus dubium. Ergo febris putrida non est morbus, quia nō pertinet ad partem viuentem.

Primò concedo consequentiam, secūdò nego. Dicunt primo, ergo febris putrida nō est morbus. concedo. Dicunt vlterius. *Si non, ergo non læduntur actiones*, nego cōsequentiam. Probant, quia actiones læsæ sequuntur morbum. Falsum, omnis actio læsa sequitur morbum. Verum est morbum lædere actionem; sed solum morbum, &c. falsum. Ratio, quod non solus morbus lædat actionem, est quia concurrunt non solum pars viuens, sed alia plura.

Si sermo sit de partibus naturalibus, docuit Gal. lib. 1. de loc. aff. c. 7. nihilominus partes egent facultate, materia, alimento, &c. clarius idem Gal. lib. 1. de loc. aff. cap. 6. dicit alias etiam lædi actiones ex defectu materiæ & facultatis; ita vox læditur deficiente aere, qui est materia vocis; pariter lib. 3. de sympt. causis, inquit coctionem vētriculi aliquando vitiari ex cibo improportionato: & lib. 1. de caus. puls. docuit mutari pulsum etiam ex vsu, qui est tantum augmentum caloris propter quantitatem.

A Ad propositum itaque cum facultas cordis virtus animosa non tantum ex naturalib. fiat, quemadmodū etiam ex spiritibus vitalibus, hinc fit, quod actiones possunt lędi læsis spiritibus. Ergo non valet consequentia.

Alius modus negandi cōsequentiā, quod vitium humorum aliqua ratione non possit dici morbus, dico, quod aliqua ratione humorum vitiū possit dici morbus saltem generaliter, quemadmodum ex lib. 1. colligitur, de diff. morb. c. 4. dum inquit, morbū esse immoderantiā eorum, quorum sanitas est moderantia, &c. In finitionibus medicis humorum moderantia est sanitas. Ergo humorum immoderantia est morbus. Secūdo dicebā solidas partes in calefieri posse aliquo modo morbum vocari. Et hæc est doct. Gal. lib. 1. de loc. aff. c. 2. Ibidem inquit dari morbos in calefieri. possumus dicere, quamquā partes solidę sint in calefieri, tamen semper aliquam portionem esse in calefacto esse.

B Ideo ea ratione Ephemeræ putridæ possunt dici morbus.

Vtrum autem in Ephemeris, & Putridis possint lædi solida, suo loco dicemus. Hactenus de subiecto.

Febris ex omnium sentētia cum ex genere morborum sit, idcirco accidens est. Accidentium essentia non tantum in genere & subiecto, quantum in causa effectiua consistit. Cum igitur hactenus de genere & subie-

C cto satis dictum sit, succedit sermo de causis. *Causæ febrium.* Immediata vniuscuiusq; rei causa vnica est, & febris quidē calor ipse. Idcirco tamē genus & causa efficiens in genere cōtinentur. *Mediata*

Mediata aūt huius caloris cā est multiplex, quædam proxima, quædam magis remota.

Proxima proponitur lib. 1. de diff. feb. c. 4. quæ accepta se ipso lib. de caus. morb. c. 5. reducitur ad quinque præcipua capita. Sunt hæc motus, vicinia corporis calidi, prohibita transpiratio, putredo, & assumpta calida. *Motus 1.*

Quod motus calorem augeat in corpora quocunque experientia docet.

Huiusmodi humani corporis motiones

D aliæ pertinent ad animum, aliæ ad corpus.

Ad animum, ira, timor, & mœstitia: quamquam enim & aliæ reperiantur, istæ tamen reuocant semper sanguinem ad centrum; in ira concentratur calor ad ipsum cor.

De motione corporis res est cō tantissima ex lib. 1. de diff. feb. c. 4. & lib. 5. de tu. val. c. 2.

Quantum ad viciniam pertinet, nomine viciniæ intelligo vicinitatem qualitatis, vel corporis externi & interni. *2. ad viciniam corporis calidi*

Interna vicinia duplex est ratione situs, & intelligentiæ.

Ratione situs, communicant cordi feruorem, quæ cordi sunt vicina. Ratione autem colligentiæ idipsum efficiunt reliquæ omnes partes maximè præstantiores, vt scribit Gal. com. 3. lib. c. de fract. ex ossis calcis corruptione propter consensū cordis cū illa febrem

brem continuam excitari posse. Vbi autem communicatur hic calor ratione colligentiæ, solet communicari vel per vapores, qui communicant suam caliditatem cordi, aliquando habẽt caliditatem absque, aliquando cum materia.

Auget occasionem huius caloris ex locis determinatis communicantibus suam caliditatem cordi: Calor etiam ipse natiuus cõfluens ad focum putredinis, & agens in putredinem. quod dico propter virum quendam excellentissimum, qui vt centies scripsit in suis Ep. reperiri febrem, quæ à calore natiuo proficiscatur, existimo calorem natiuum profluere in locum vbi materia est putre facta, & agere in putredinẽ. Sed quod calor innatus sit causa præcipua febris, non concedo. puto posse esse concausam, præcipuam vero causam non.

3. Prohibita trãspiratio. Ad tertiã causam, quæ est prohibita transpiratio, sentio cum Gal. lib. de diff. feb. ca. 4. Quãdoquidem natura poros insensibiles in corpore constituit, per quos potest vaporosum excrementum excernere, simul etiam aerem frigidum ad euentationẽ caloris suscipere. Si hi meatus claudantur, impeditur transitus huius vaporis. Si impediatur transitus vaporis ex sãguine benigno, datur plenitudo totius corporis; vbi hæc coaceruatur, datur occasio febrium gignendarum.

Quod si vapor iste sit admodum fumosus, acris, mordax, qualis generatur ex impuro sanguine, datur occasio generationis febrium putridarum.

Si quis petat causam, cur generetur hic vapor acris; Gal. eam docet lib. 1. de diff. feb. c. 4. dicens gigni ex cibis acribus, &c.

Generatur præterea ex ciborum corruptione, quanquam natura non sint acres.

Similiter si retineantur consuetæ excretiones, sunt in causa, quod generentur hæc acria excrementa.

Causę obstructionis pororum cutis. Causa autem propter quam vel huiusmodi meatus externi, pori inquã totius corporis, aut venæ minores occludantur, solet esse multiplex. proponuntur à Gal. lib. de caus. morb. cap. 7. In ambitu totius corporis duæ: vna obstructio, secunda subsistentia.

Obstructio ab humoribus, uiscidis, crassis.

Subsidentia autem fit ex triplici causa, siccitate, astrictione, densitate.

Siccitas fit in omnibus atrophijs, febribus hecticis, marasmis.

Astrictio à quocunque medicamento astringente, siue extrinsecus siue intrinsecus administrato.

Densitas fit ex causa frigida, siue cutis ex acqua refrigeretur frigida, aere, niue, &c. hæc in corporibus puris: plenitudinis in impuris febris causa.

De quarta causa, quæ est putredo, diligentiùs agam in tractatione de febrib⁹ putridis.

Quinta paucis etiam omninò expediri potest. nam certum est essumpta calida posse corpus multò calidius reddere, vt vinum, castoreum, confectio alKermes, &c. His coniungantur quædam causæ naturales vocatæ, quæ disponunt corpus ad febrem, vt propterea Auic. habeat proprium caput de præparatis ad febrem.

Modus quo febr. excitatur duplex. Venio ad Differẽtias, quas antequam proponam, puto vos intelligere potuisse modum, quo febris excitatur, qui duplex est; aliquando praua febris origo est ex corde; quandoq; autem opposito modo se habet; incipit calor in toto corporis ambitu, vel determinata parte, & transmittitur ad cor.

Differentiæ essentiales. Differentiæ aliæ sunt Essentiales, aliæ Accidentales. Essentiales capiuntur ab his, quæ propriam febris naturam constituunt, quæ Sunt tria; Genus, Subiectũ, Causa Effectiua.

A genere, et causa effectiua. Quantum ad Gegnus, quia genus & causa effectiua coincidũt in vnam naturam, idcirco hauriuntur differentiæ ab intensione caliditatis. propterea quædam magnæ, quædam paruę &c. teste Hipp. com. 1. in 6. epid. text. 29. & Gal. lib. 1. de diff. feb. 4.

A subiecto. Differentiæ à Subiecto desumptæ tres sunt, prout triplex est etiam febris subiectum, Spiritus, Humores, Solida.

Vbi calor primò, & per se obsidet Spiritus, quãquam nec Humores, nec solida substantia calefierent, attamen febris Ephemera nuncuparetur. Non nego quidem, reliqua etiam non accipere calorem, sed hoc dico non esse de essentia febris huius, quod Galen. exemplo aeris calidi follem ingredientis declarat.

Quod dico de spiritibus, nũc de humorib. Febris putrida est, quando humores ponũtur in calefacto esse cum putredine. Si fieri posset, vt neque spiritus, neque solida caliditatem acquirerẽt, attamen febris nuncuparetur, teste Gal. lib. 3. de præs. ex puls. cap. 5. Fingamus lebetem calidam in qua aqua imponatur frigida, res erit manifesta. putant quidam difficillimum esse, quia spiritus, & humores non sunt calidi. Non autem est de essentia vt humores sint calidi, &c.

Quod si primò & per se huiusmodi calor obsideat solidam substantiam, & non spiritos, est tamen febris hectica, vt colligitur ex exemplis, lib. 1. de diff. febr. c. 1.

Dimittamus exempla, videatis eum lib. 3. de præs. ex puls. cap. 5. est pulcherrima autoritas.

Dubiũ 1. Dicet autem quispiam: duo possunt obijci; primo si statuamus febris hecticæ essentiam in solidis, nõ in humoribus, febris Hectica non est æqualis intemperies? facilis est responsio. Ego etiam concedo *magna ex parte* æqualem esse intemperiem. hoc tamen volui probare consequi interdum, non ex necessitate.

Secundum, si in omni febre hectica humores & spiritus sũt in calefacto esse. Igitur

in omni hectica aderit febris putrida, & Ephemera. De Ephemera non est dubium, verum de putridis. Sed quando accensi sunt humores, non statim sequitur esse febrem putristam. Dixi enim paulo ante ad constituendam febrem putridam oportere, vt humores acquirant putredinem.

Essentiales, vt dicebam, febrium differentiæ à subiecto de genere, & causa proxima sumuntur: Cùm tamen genus & causa in vnum coincidant. Etenim sub caloris genere comprehenduntur. Calor autem varias habet differentias, propterea essentiales febrium Differentiæ primum erunt sumendæ à subiecto.

Itaque cum hactenus tres præcipuè sint desumptæ differentiæ febrium à subiecto proximo, Ephemeræ, putridæ, hecticæ.

Hinc etiã tres oriuntur Differentiæ ad calorẽ spectãtes; Spirituũ calor mitis, Humorũ acris, mordax, Solidorum siccus, aridus.

Hinc scribit Hippoc. febrium alias esse mites, mordaces, paruas, & aridas.

Prima differentia respondet Ephemeris, secunda putridis, tertia hecticis.

Rursum putridæ cum in hnmoribus resideant, in varias distribuuntur differentias pro humorum varietate, quia aut sanguineus, aut biliosus humor est, &c.

Si biliosus, habet calorem perurentem.

Vbi putrescit sãguis, calor etiam si primò magnus sit, tamen manui tangenti cedit.

Contra si putredo fit in humore pituitoso, vel melancholico, post primum tactum apparere solet: Hinc Hipp. alias esse statim perurẽtes, aliæ vero habent calorem cedentem, aliæ sunt post insurgentes.

Rursum qnia est Pituita, aut est insipida, aut salsa, duplex etiam oritur calor.

Ex salsa calor ita est acris & mordax, vt videatur manus tangere, quod Muriam Hipp. vocat febres salsuginosas.

Aut pituita Dulcis, quæ semper in vniuersa cute infert humorem, quas Hip. humectas vocat.

Differentiæ accidentales. Aliæ differentiæ, quæ Accidẽtales vocantur sumi solent à causis Remotis, subiectis, & accidentibus, quæ febribus connectuntur. A causis remotis, principales secundariæ, seu secundum Arabes morbi & accidentia. Antiquiores, vt Galen. sect. 7. aph. com. 42. sympt. febres nunquam vocabant, sed ab affecta parte morbum. Morbi autem dicuntur, qui ex putredine oriuntur: accidentia verò ex alio affectu in corpore, vt inflammatione, vlcere, tumore, &c.

Rursũ distinguuntur febres ratione Causæ Remotæ, quæ aut est cõmunis omnib. regionib⁹, aut propria alicui regioni, aut vaga, propter quæ aliæ sunt epidemicæ ex causa communi regioni; Endimiæ, & Sporadicæ propriè vrbis ex causa propria febricitantis.

Rursum aliç autumnales, vernales, æstiuç,
A nocturnæ, diurnæ.

Pariter accidentales à subiecto remoto, viriles, muliebres, pueriles.

Præter quas sunt differentiæ à Symptomatis. Si fit cũ maximis symptomatis, pręcipuè cum pustulis, petehijs apud Gal. 1. in 6. epid. tex. 29. uocãtur ab Hipp. febres σημεγώδεις id est, pestilentiales.

Accidẽtales deniq; differẽtię à symptomatis desumptæ sunt singultuosæ, sudorificæ, quę oẽs sub duob. generib. cõprehẽduntur lib. 8. meth. c. 1. aliæ hecticæ, aliæ schecticæ.

Hecticas intelligit eo loci, quæ diuturno tẽporis spatio non tantùm in solidis, sed alijs partibus perdurare solẽt, etiam ad differen-
B tiam schecticarum, quæ breui perdurant.

Hactenus de differentijs omnium febriũ, quando postea sermo erit de Putridis, alias habebitis differẽtias. Et hæc uolo pro generali febrium tractatione sufficere. De Signis enim, & curatione agendum singillatim.

De febre Ephemera siue Diaria exquisitè legitima.
Cap. II.

Accedã ergo ad Ephemeras. Ephemera igitur Græcis hoc nomine dicitur, quod vnicum soleat diem perdurare, horas sc. 24. est determinatio desũpta, uel ab animali, cuius meminit Ari. lib. 5. de hist. anim. *Colchicõ lethale.*
C c. 29. in fine, aut denominatur ab herba colchico, quam nonnulli Ephemeron vocant, cuius facultas est, ut si assumatur horis 24. interficiat: Ideo latini etiam diariam uocant, eo quod unum tantum diem perduret. Antequam definitio instituatur, distinguenda est huiusmodi febris.

Ephemera febris duplex est una legitima, altera spuria. *Ephemera duplex.*

Legitima subdiuiditur in duas: in exquisitè legitimam, & nõ exquisite, seu nõ exactè.

Legitima & exquisita est intemperies spirituum, quæ non perdurat ultra horas 24. ex causa catarctica recedente.

Non exquisita est feb. quæ solet perdurare vltra
D *secundum & tertium diem ex causa adhuc persistente.*

Spuria ephemera solet perdurare ad 5. 6. diem ex inflammatione spirituum & humorum ex causa permanente, precipuè ex obstructione.

Singula examinabo. *Legitima exactè est febris quæ non perdurat vltra 24. horas*, est accensio spirituum propter causam procatarcticam iam recedentem. *Quid Ephemera legitima*

Dixi esse accensionem spirituum, per spiritus intelligẽs Vitales, quidquid Nicolaus, & alij hac in re disputent, quia animales intelligunt.

Concedo equidem aliquando Animales incendi posse ex mœstitia, uigilijsque, &c. hæc tamen incensio, nisi ad uitales pertingat, nisi accedantur uitales, nunquam erit febris.

Nomine

Nomine spirituum Vitaliũ intelligo influentes non insitos. est igitur intemperies spirituum vitalium influentium.

Causa. Addidi causam esse aliquã iam recedentem. est talis, quæ pertinet ad motũ ad vicinitatem, ad adsumpta, & propterea siue ex ira, labore, uigilijsque, inũctione calida, &c. recedentibus, tamen solet hæc febris induci & durat tantum 24. horis; quia calor factus est ĩ corpore spirituoso. De his uera est Gal. sententia lib. 11. meth. med. cap. 2. quando scribit Diarias & Hecticas habere simplicem curationem, quæ dirigitur ad intemperiem: hic propriè intelligit uarias & exquisitás exacte; nam aliæ habent causam fouentem, & curatio duplex requiritur.

Signa. Pulsus. Sunt facilis cognitionis, & curationis. Cognoscuntur primum quidem ex pulsu. Pulsus lib. 3. de præs. ex puls. 5. c. & 7. in prĩcipio sunt magni, celeres, frequentes: non tamen intelligatis omnes habere hos pulsus: uerificatur de legitimis, & exactè exquisitis. Gal. li. 1. ad Glauc. c. 5. addit pulsus ephemerarũ esse pulsus carentes omni inæqualitate, omnes sunt eiusdem tenoris: hoc uerificatur de istis. nam in spurijs etiam adest inæqualitas.

Addit loc. cit. Ephemerarum pulsus habere exilem inæqualitatem. sed rectè corrigit postea lib. 1. de diff. feb. 7. In putridis systole maior est Diastole: in ephemeris opposito modo se habet.

Aliud signum pertinet ad calorẽ febrilẽ.

Calor. Tẽporia. Teste Galen. 1. de diff. feb. Est calor admodum suauis, mitis, ad differentiam putridarum, in quibus est mordax.

Prçterea vt docet lib. 1. de diff feb. c. 7. status & incrementum putridarum, differt ab his febr. quod in putridis est diuersitas inter principium & incrementum. at in ephemera tale est principium, quale est incrementum, & status est rectissimus, cito declinat.

Vrina. Cognoscitur etiam ex vrinis, *prima die vrinæ habent signa perfectæ concoctionis*.

Cognoscitur ex symptomatis, nullum habent graue symproma: & in fine adest sudor mitis, paucus, quo omnia symptomata cessant, vt dicit Gal. lib. 1. ad Glauc. 2.

Si quis voluerit singulas causas legitimæ ephemeræ distinguere, legat lib. 1. de diff. feb. lib. 1. ad Glauc. lib. 2. de cris. 12.

Signa causarum. Primum signum desumitur ab oculis, à siccitate cutis, à pulsu.

Quantum ad oculos, si ex vigilijs, & inçdia, semper oculi sunt concaui.

Si ex mæstitia, & inedia sicci, in vigilijs humidi, ex calore solis cutis sicca: ex labore pulsus magni.

Non proponam hoc loco signa permutationis, vel in putridas, vel in hecticas. quia non facilis est transitus, sed vbi agam de spurijs, hoc tractabo.

Prognostica. Si rectè tractantur & non accedat aliqua constipatio, seu densitas, lib. 10. meth. med. c. 2. vnica die curantur: nã si acquirunt Medi- A cum ignarum, incidunt in Putridas, & Hecticas.

Curatio autem facillima est: abstineant à quacunque sanguinis misione, quocunque etiam medicamento, aluus quidem lubrica tenenda, sed in cçteris nulla sanguinis missio nec medicamentum conuenit: tantum vt patientes reficiantur conuenit cibus frigidus & humidus, non tamen excrementitius, vt docuit Gal. lib. 8. meth. med. c. 2. *Curatio.*

Inter hæc est ptisana hordeacea, panatellam in omnibus casibus propositis Galn. lib. ad Glauc. 3. concedit, vt & lib. 8. meth. cap. 2. præterquam ab ira.

B Refrigerantia sunt interna, saccharum rosaceum, conserua ex floribus cichorij, iuscula alterata ex soncho, hordeo, serum caprinum.

Externa sunt balnea & inunctio, balneum sit aqua dulcis, alterata malua, folijs viticis, &c. Inunctio ex oleo dulci, quale est amygdal. Et hæc de febre Ephemera Exquisita volo sufficere.

De febre Ephemera non exquisite legitima: & Periodica. Cap. III.

EPhemeram exacte exquisitã paucis perstrixi, quod illius curatio, nisi error cõmittatur, sponte cedit. Longior ero in hac C secunda differentia, adhuc longior in tertia.

Secunda Diariæ differentia est intemperies calida, quæ perdurat vltra primum diem, accensa in spiritibus ex causa adhuc perseuerante. *De Ephemera legitima non exacte.*

Hanc speciem colligo partim ex Gal. magis ex ratione, vt intelligetis ex Gal. lib. 10. meth. cap. 2. facit triplicem Ephemerarum distinctionem.

Primum distinguit Ephemeram, in qua Causa procatarctica recessit ab ea in qua persistit.

Et rursus in qua permanet causa, duplex illi est. In vna nulla est obstructio: alia in qua adest obstructio in meatuũ penitiorum corporis, & venularum, quæ ad ambitum D totius corporis permaneãt; Quæ potius media quædam febris est, seu Synochus Imputrida, vbi datur eiusmodi febris, cuius causa non sit obstructio. Constituo ego hanc esse secundam diariam.

Dixi hanc esse intemperiem plurium dierum, ad differentiam prioris.

Per *plures dies* intelligo non solum, in qua calor perdurat per duos, tres continuos, vel in qua calor exacerbatur singulis diebus. In solis Spiritibus accensa non durat ultra tertium aut quartum diem. Veritas est ex Gal. lib. 1. de diff. febr. c. 7. qui loquens de legitimis inquit produci ex bubonibus.

Si uerò sit sermo de Differentijs Periodicarum, potest dari Legitima, quæ durat 4. 6. 8. accessiones, ut doctus sum experientia.

Dixi autem huiusmodi accensionem esse tantum

tantum in spiritibus ad differentiam Ephemeræ spuriæ.

Addidi ex causa perseuerante. Ideo febris persistit vltra secundum, & tertium diem, quia causa fouet hãc spirituum accensionẽ.

Causa permanentiæ caloris. Quod si quis quærat, quæ sit caussa, propter quam huiusmodi calor perduret vltra secundum & tertiũ diem? Duplex ea est prima, error; secunda, ex natura ipsius causæ.

Gal. lib. 3. meth. cap. 1. meminit solius erroris. inquit Ephemeras progredi: hæc est vna causa verissima.

Ex parte ægri committitur error, quando febris ex ira, & cogitatione oriatur, & patiens eligit persistere in eo affectu.

Ex parte Medici committitur error, si ægrotus, qui ex inedia, vigilijs, &c. febrem incurrit, teneatur tenuissimo victu.

Qui ipsi etiam possunt committi ex parte ministrorum, si dent quæ dare non debent.

Sed ex parte Causæ naturæ, & hoc est difficilius, duplex est causa, propter quam diu potest consistere causa febrilis; prima putredo; secunda, prohibita transpiratio.

2. Causa. Ephemeram fieri ex putredine. Quantum ad Putredinem, videtur difficile existimare, Ephemerã posse fieri ex putredine, vnde fiunt febres tantùm putridæ. Quomodo ergo dicimus nos Ephemeram fieri ex putredine? Febris Ephemera ex putredine prouenit, quando substantia putrida nõ potest ad cor vsque peruenire. Itaq; Gal. etiã lib. 1. de diff. feb. c. 7. inquit, febres Ephemeras fieri ex bubonibus, eo quod non materia putrida, sed solum vapores adsint.

Igitur causa immediata, propter quam non fit putrida, est, quia extraneus calor peruenit ad cor.

Quæstio. Cur Ephemeræ nõ fiant putridæ. Quæritur, quæ causa, quamobrem corpus putrescens non permittat humores putridos ad cor, vt inde fiat putredo? Sunt 4. causę. Prima ex parte loci. Secunda ex parte affectus, in quo est putredo. Tertia ex parte materię. Quarta ex parte ipsius putredinis.

Locus triplex. Primus, vt sit distans à corde Secũdus, vt sit admodum ignobilis. Tertius; vt non habeat venas, & arterias propinquas.

Hac ratione propter distantiam etiam si in articulis materia, fit quidem febris, sed non putrida.

Quantum ad Loci ignobilitatem; in summa cute fiunt affectiones, ex quibus febres Ephemeræ, furunculi, scabies, &c. & tamen febris non est putrida.

Tertia conditio loci, vt non habeat venas, & arterias proprias. hac ratione glandulosæ partes non facilè possunt communicare putredinem per venas, & arterias.

2 Secunda ex parte affectus, non communicatur cordi materia putrescens, si sit exilis.

3 Tertia est causa ex parte materiæ; nõ quęuis materia est subiecta putredini admodum A excellenti, sed tantùm lentè potest admodum putrescere; propterea vbi abundant in corpore humores frigidi, humidi, siue sicci, non facilè putrescunt. Ex hac causa fiunt febres ex distillatione, catharro, & magna ex parte sunt Ephemeræ.

Quod dico de Catharro, dico etiam de Melancholia.

Denique ex putredine propter humorem tantum semiputridum; hac ratione fiunt aliquando febres Ephemeræ ex lacte putrescente in mammillis.

Habetis quattuor causas propositas Ephemerarum.

B Causa ex parte putredinis, puto etiam rationabiles, & à me proxima experiẽtia comprobatas, sunt tamen etiam authoritates. Ex bubonibus, lib. 1. de diff. feb. cap. 7. ex corruptione ciborum in ventriculo habetis testimonium Auic. cap. 2. Gal. lib. 8. method. 5. Hipp. 5. in 6. Epid. 4. tex. 31. lib. 8. meth. 6.

De Ephemera ex affectionib⁹ extrinsecis, vt ex Phymate, furunculo, pustulis, scabie, est testimonium apud Auic. Fen. 1. lib. 2. c. 34 de alteris ex destillatione apud Nicol. Florent. summa 5. tex. 2. c. 29. Syluium propr. tract. de febrib. cap. 2. Et apud Forestum, obser. 6. ex vrinæ & excrementorum alui corruptione, ap. Vallesium proprio tract. de C febr. qui dubitat, num talis febris sit diuersa ab Ephemeris & putridis, annon necessariò erit aut Ephemera, quando calor eleuatur ex putredine illius excrementi, aut Putrida, quando ex illis vaporibus humores inficiuntur.

Sunt nugæ. Ex eiusmodi causis non constituntur noua aliqua species, sed tantum fit Ephemera.

Sed cùm dictum sit, magna ex parte Ephemeram fieri ex bubone, ex nauseatiua satietate, quid intelligendum per hæc? nomine bubonis inflammationem intelligo nõ tantùm, quę sub inguine, verùm etiam, quę sub axillis ad aurem, &c. ex. Gal. lib. 2. ad Glauc. D c. 1. & lib. 13. meth. c. 5 intelligo item nomine bubonis legitimam inflammationem ex sanguine prodeuntem & φῦμα, & φύγεθλον

Bubo est inflammatio ex sanguine, quæ non citò; φῦμα, quæ citò ad suppurationem tendit: φύγεθλον est spuria inflammatio. *Bubo. φῦμα. φύγεθλον*

Huiusmodi itaque inflammatio, vel legitima, vel spuria fit ex sanguine sincero fluente, vel mixto cum bile.

Huiusmodi fluxio fit propter causam internam, & externam.

Interna, propter quam confluit hic sanguis ad inguina, est praua viscerum, vel totius corporis dispositio, aut robur facultatis expultricis irritata à copia vel humoris qualitate.

Si propter prauam qualitatem, est inflammatio viscerum.

Si propter abscessum, tantum abest, vt sit

Ephemera

Ephemera, vt sint malignæ, teste Hipp. sect. A 4. aph. 55.

Si expellatur propter robur, tunc possunt fieri Ephemeræ, multo autem magis fiunt, si humor in proxima parte consistens trahatur ad inguina. potest esse in crure, vel coxa vlcus, inflammatio. solet attrahi humor ad aures, & fieri bubo.

Ex quo colligite errorem Petri Foresti in suis obseruationibus, qui deceptus ex loco Gal. lib. 1. ad Glauc. c. 2. dicit bubones ex vlcere externo magis esse periculosos. Gal. inquit esse salutares. Forestus vero bubones sine vlcere esse magis salutares.

Nauseatiua satietas. Quantum ad nauseatiuam satietatem Arabibus sic vocatã, Gal. lib. 8. meth. c. 5. dicitur B cruditas vẽtriculi, quomodo ex cruditate Ephemera fiet? an propter cõuersionem cibi in saporem acidum, vel in nidorosum, aut in substantiam putredinosam? Dubium an ad saporem acidum causa febris. Auic. dubius est, vt acida est qualitas, nunquam fit. quia non est qualitas acris, quia necessariò debet influere extraneus calor ad cor, sed aciditas videtur ex causa frigida produci. Acida qualitas, vt est acida, non est qualitas calida. Dubitatur tamen, vtrum acida ex causa calida an frigida? Videtur aliquando acidum fieri ex causa calida. Certum est ex acida qualitate non eleuari vapores calidos. C non eleuatur calor extraneus ad cor; non facit ergo Ephemeram, &c.

Fit autem ex hac corruptione, si huiusmodi vapores, vel cibi inconcocti propter nimiam exercitationem attrahantur ad cutem, cutis densetur inde, &c.

Quomodo nauseatiua satietas faciat Ephemeram. Itaque fit febris Ephemera ex conuersione cibi, aut ad nidorem, aut ad putredinem.

Itaque nauseatiua satietas potest primò, & per se Ephemeram efficere: si acida non fit primò, sed ex accidenti.

Duæ pcipuę cãę Ephemeræ sunt, putredo, & prohibita transpiratio. Inter causas, quæ Ephemeram excitare solent, sunt duæ præcipuè, Putredo scilicet, & prohibita Transpiratio, quæ etiam putridas constituit. Docui autem in præcedenti- D bus qua ratione ex putredine possit Ephemera produci. In præsentia, quomodo ex prohibita trãspiratione fieri possit docebo.

Prohibitæ transpirationis nomine intelligo impeditã halitus fumosi excretionem; & impeditam aeris frigidi intra corpus receptionem.

Huiusmodi prohibita transpiratio varias producit affectiones, prout ea varia, & habitus retentus varius est.

Quantam ad retentionem, est multa, mediocris, parua, halitus blandus, suauis, mitis, acris, & mordax. Hinc variæ affectiones.

Vbi acris & mordax halitus in magna copia retinetur, putridã; si in mediocri, Ephemeram spuriam, Synochum non putridam: si in parua, Ephemeram legitimam constituit: Blandus, si in maxima copia, facit febrẽ Ephemeram spuriam: si in mediocri, legitimam. Et si in praua, facit tantum plenitudinem, non febrem.

Interrogabit quispiam, quæ sit causa huius variæ retentionis? & quomodo hic halitus fumosus & acris possit excitari, &c.? *Qõnes.*

1 Quantum ad primum; halitum fumosum & acrem dico excitari teste Gal. lib. 5. meth. med. c. 10. in temperamentis biliosis, siccis, assumptis, vigilijs, laboribus & illis, qui inediam sustinuerunt; & ideo idem Gal. lib. 8. meth. cap. 7. vbi proponit temperamenta disposita ad febrem suscipiendam, proponit primo loco temperamentum calidum & siccum. Disponunt etiam corpus cibaria omnia calida, potissimum acria.

2 Quantum ad secundum quæsitum. Quæ causa huius variæ retẽtionis? Dico, id potest contingere ex causa interna, & externa.

Externa quando eiusmodi impedimentum fit ex causa frigida, balneo adstrictorio, aut ex sordibus. quam causam habet Auic. & præponitur inter causas mediocres; inter quas est etiam horror, vel rigor, vt scribit Gal. in illo lib. 10. meth. c. 4.

Est etiam inter mediocres obstructio. Ex causa interna potiùs multa quàm crassa, viscida, & lenta, fit obstructio ex sanguinis multitudine, & tunc est leuis; si ex crassis, viscidisque humoribus, est permanẽs, & constituit febrem diuersam ab Ephemera.

Itaque nomine prohibitæ transpirationis intelligimus halitum acutum in parua copia; aut dulcẽ in magna copia, sed à balneo, multitudine, causa refrigerante impeditum.

Ephemera ex dolore. Præter has causas proponit Auic. Ephemeram ex dolore. hanc causam puto pertinere & ad putredinem, & ad prohibitã transpirationem, quia in omni dolore continetur materia multa & calida, aut multa. Calida vel ex propria natura, vel ex putredine. Si est calida ex propria natura, vel accidente, &c. hinc fit omne febrem, quam producit dolor, vel ex putredine esse, vel ex prohibita transpiratione.

Ex materia, si sit materia putris; si non, secus.

Fit Ephemera ex dolore vel capitis vel dentium, digiti, &c. omnes isti dolores partium distantium à corde possunt facere Ephemeras propter putredinem, cuius substantia cordi non communicatur, sed solùm calor extraneus; quam veritatem exempla proposita ab Auic. ostendunt.

Causã febrium ephemerarum periodicarũ. Hactenus de causis febris legitimæ non exactè: nunc quia diximus, huiusmodi febres aliquando habere periodos, de hac re etiam agendum.

Apud Gal. non ita facile inuenietis mentionem fieri febris Ephemeræ periodicæ. Apud Auic. in duobus capitibus, in Capite de Ephemeris ex oppilatione, & in Capite de nauseatiua satietate.

Ergo

Omnem febrẽ Ephemerã poße habere periodos.

Ergo, vt dicam meam sentẽtiam, existimo A omnes febres Ephemeras ex putredine, & prohibita transpiratione posse etiam periodos obtinere. Et quia Auic. nõ fecit mentionẽ de forma periodi, dico posse habere circuitus quotidie, binis, quaternis diebus, &c.

Omnem febrem Ephemerã posse habere periodos patet cõsideranti causas periodi.

Proxima causa reditus febris est collectio excrementi illius, quod priorem fecit febrem.

Causa huius collectionis est, vel noua excrementi retentio, vel expulsio, vel attractio, vel generatio.

Causa horum imbecillitas retinentis, expellentis, &c. vt Gal. lib. 2. de diff. febr. c. 12. B testatur. pro exemplo statuamus febrem Ephemeram ex dolore articulari; fluit materia ad articulum imbecillem, & ibi incipit fluxio, incipit febris, quę post 24. horas resoluitur, materia dissipatur, persistit tamẽ imbecillitas articuli; secundo die redit alia materia, fit iterum fluxio, articulus imbecillis materiam suscipit, fit denuò consequenter febris cum omnibus signis. Idem potest fieri in oculis, inflammatione ex dolore eodem modo, atq; itidem ex affectu aliarum partium, si remoueatur etiam febris.

Quærat aliquis, cur non fiat putrida hac collectione materiæ? Dices enim febrem C hanc posse transire in putridam. Ratio; quia si febris sp esset eiusdem tenoris, fieri non posset, quin trãsiret in putridã? Dico ꝙ prior materia, quæ collecta erat, prorsus dissipata est & delitescit, quando superuenit alia.

Vidi ego exempla, vbi febris Ephemera prior planè euanuerat, antequam accederet Ephemera alia, & non transijt in putridas. Etiam ante tres annos, cum explicarem doctrinam de febribus, habui patricium Patauinũ laborantem eiusmodi febre: durabat vsque ad viginti dies, ita vt possint constitui viginti Ephemeræ.

Quia dictum est, eiusmodi periodos esse varios, quantum ad quotidianam: non dubiũ D est Cathartales exacerbari quotidie, precipuè sub noctẽ horis vespertinis; pariter fluxiones humoris pituitosi habẽt suas exacerbationes quotidie, de tertio in tertium difficiliores videntur, vt possint cõstitui. Sed inueni præclarissimũ exemplum, fieri de tertiana Diaria mentionem apud Gal. lib. 10. meth. med. c. 16. scribit ibi, ex halitu acri & fumoso retẽto sub cute, excitari febrẽ halitu discurrẽte per vniuersum corpus in magna copia: hunc motum ita validum inquit Gal. potissimùm fieri propter inediã, in illis qui habent corpus biliosum, si inediã sustineant, si à cibo abstineãt. Tertio dicit, quod in horrorem incidant. Si duabus horis post horrorem nutriantur, non possint seruari à febre. Eandẽ febrem mitem, blandam, placidam esse dicit, quæ cum sudore soluitur.

Quænam est febris blanda, quæ soluitur cũ sudore? Est Ephemera teste Gal. lib. 1. de diff. febr. c. 7. Obscuriùs hoc potestis colligere lib. 8. meth. med. c. 4. Ibidẽ cap. 3. Gal. proponit Exemplum iuuenis, quem seruauit solo cibo ante, & in accessione, sese opponens omnibus Diatritarijs. Febris autẽ qua Iuuenis laborauit Tertiana, nõ putrida erat, quia dabat Gal. cibum ante & in accessione; at in tertiana putrida ex eodem Gal. cibus dandus non est: Ergo fuit tertiana Ephemera.

Quantum ad periodum Quartanæ, habetis exemplum in illis, qui tentati sunt, qua cum liberi sunt, sentiunt postea semper in eodem die, quo vexabantur quartana, calorem præter naturam, quæ nihil aliud est, quam febris Ephemera quartana.

Ephemeræ sporadicæ, erraticæ.

Dantur denique febre Ephemeræ sporadicæ, de his non est difficultas, qui habent bubones in axillis & vlcera in pedibus, incidunt in has febres.

Signa Ephemerarum vltra diem durãtiũ.

In tractandis Ephemerarum, quæ vltra diem durant, signis, diligentia opus est. quia omnia Ephemerarum signa à Gal. & Auic. generatim proposita videtur, in his nos decipere posset. sũt hęc, pulsus magni, celeres, frequentes, æquales tamen, nec duri: Calor minimè mordax, vrinæ, quæ prima die coctionẽ pre se ferunt, declinatio post 20. horas, intermissio feb. post 24. horas carẽtia symptomatum, sine rigore & frigore incipiunt. Denique signum etiam est, quod non incipiat absque causa Procatarctica.

Et tamen in febribus, quæ extenduntur vltra diem primum, omnia difficultatẽ continẽt. Quia etiam si hæ febres primum quidem incipiant absque causis procatarcticis, illud tamen non solæ habent proprium. etenim & illa febris, quæ ex putredine aut obstructione est, incipiat absque causa procatarctica.

Preterea, habent pulsus duros, paruos, inæquales, calorẽ mordacem, horrorem, refrigerationem, nauseas, inappetẽtias, fluxus alui, dolores capitis, vigilias, quę putridis etiã conueniunt, & vrinas crudas, vel ruffas, quales in putridis. vultis hoc videre? Sumamus Ephemeras ex vigilijs, lib. 1. de diff. febr. c. 7. scribit in his pulsus fieri duros: in febre producta ex cruditate ventriculi ad acidum, scribit, eodem loco pulsus fieri duros.

Si sermo sit de pulsibus paruis, in omni Ephemera, in qua exoluuntur vires, pulsus sunt parui.

Si de inæqualibus, dicit loco cit. pulsus semper inæquales Fieri, quamquam non adsint, dum causa aliqua noxia os ventriculi infestat; sic igitur in Ephemera ex cruditate ventriculi pulsus sunt inæquales.

Si sermo sit de rigore, horrore, refrigeratione, in febribus ex bubone, horrores, rigoresq; fiunt.

Item in Ephemeris ex corruptione ad nidorem

nidorem, quando huiusmodi nidores acres vellicant os ventriculi. Hipp. 5. in 6. Epid. 31.

Pariter Ephemeræ ex retentione halitus fumosi, & acris, sunt cum rigore, horrore; lib. 10. meth. cap. 4.

Quæ ortum ducunt ex destillatione, habent refrigerationem, & horrorem adnexũ.

In febribus quæ fiunt ex retento halitu acri, ex corruptione cibi post nidorem, ex cibis acidis, ex bubone, calor est mordax.

Quo ad alia symptomata in Ephemera ex corruptione cibi ad nidorem, adest Cardialgia, fluxus alui habet annexum dolorem capitis, Catarrhum. Ergo his signis absolutè fidendum non est, sed opus limitatione, & distinctione.

Pulsus Ephemerarum, & Putridarum quomodo differant. Quantum ad distinctionem, si de Pulsibus fiat sermo: Differt pulsus Ephemerarum à pulsu Putridarum. Quia si Ephemerarum pulsus sint duri, sunt etiam æquales; Putridarum inæquales. Si pulsus Ephemerarum sint parui, sunt æquales; in Putridis parui, inæquales. Inæqualitas potest etiam coniungi in febribus, quando humor petit os ventriculi: distinguitur tamen, quod magis adest æqualitas collectiua.

Calor. Quod ad calorem, in quibusdam Ephemeris est mordax, sed nõ exurens, vt in Putridis.

Vrina. Quantum ad vrinas, in Bubonibus solent esse crudæ, imo in magna copia egeruntur sæpe teste Gal. lib. 3. loc. affec. 4. quam solent omittere, quia serosa humiditas in illa agitatione fertur ad renes. Sed facile distinguetis huiusmodi cruditatem Ephemerarum à Putridis: nam post 24. horas apparent prorsus sanæ, quod non faciunt in putridis. Similiter si in febribus quibusdam sunt ruffæ, habent quidem colorem mutatum, sed neque substantiam, neque cõtenta mutata. Rigor, horror, refrigeratio, multò mitior, breuiorque, quam in putridis. vbi & alia symptomata; & si quæ grauia, potius causa febris Ephemeræ, quam effectus sunt: Et si adsunt, ad vnicam pertinẽt speciem. In febre ex nauseatiua satietate ad ventriculum in putridis, vno eodemque modo, & caput, & iecur, & ventriculus, possunt laborare.

Signa Ephemerarum ex Procatar. Quod si quis voluerit singulas differentias inter se distinguere quod ad illas, quę ortum ducunt ex causis Procatarcticis: ex sola fere patientis relatione habentur. Præterquam quod si ortum ducat febris, exempli gratia, ex vicinia corporis calidi, ex mora sub sole, quod primò læditur caput: si propter assumpta calida maximè omnium læditur iecur, si constet sitis, inappetentia, oris biliositas.

Ex cutis dẽsitate. Si facta sit ex aliqua cutis densitate & astrictione, habetis indicium ex cute aspera.

Quantum vero ad Differentias Ephemerarum ex putredine, patebunt partim sensib. partim signis.

Signa Ephemerũ ex putredine. Sensibus, si exempli gratia Ephemera excitatur ex hæmorrhoidibus, ex inflammatione dentis gingiuæ, dolore articulorum.

A Quod dixi de huiusmodi tuberculis, dico etiam de bubone, apparebit vel sub auribus, axillis, inguinibus. Et aderit etiam inflammatio Erysipelacea.

Distinctio bubonis benigni, & pestilentis. Distinguetis autem huiusmodi Bubonem benignum à pestilenti. quia benigni statim incipiũt, cum febre prima die; pestilẽti symptomata vehementissima accedunt. & ideo si ad sit vlcus in gingiuis, fit bubo ad aures.

Signa Ephemerarũ ex cruditate. Ephemeram etiam ex cruditate cognoscetis ex ipsa eructatione. adest etiam in hoc casu nausea, inappetentia, & aliquando fluxus ventris.

Ex transpiratione prohibita. B Cognoscetis Ephemeram ex transpiratione prohibita, ex rigoribus, horroribus, lassitudine, quę vniuersum corpus infestãt: præterquam, quod si cutis astringatur præ se fert duritiem, siccitatemque.

Si propter causam internam habetis corpus plenum sanguine & lentis humoribus.

Prognostica. Omnes huiusmodi febres sunt salutares: si tamen aliquis error fiat, transeunt in hecticas, aut putridas.

Errores autem qui committuntur, sunt commemorati ex parte, exempli gratia in temperamento gracili, calido & sicco, Medicus imperat inediam, purgantia, &c.

Ex altera parte in Temperamento calido, humido, si hoc prætermittat, scilicet purgationem & venæ sectionem, exponat patientes aeri frigido, repleat cibis acribus, præbet C occasionem putridæ.

Signa permutationis ĩ alias febres, vel Hecticas, vel Putridas, non sunt vsque adeò obscura. Si siccus sit corporis habitus & gracilis, & patiens cõtinua febre laboret sine exacerbatione, plethorico, arteria sit calidior cæteris partibus circumstantibus, de hectica metus erit. Si in carnoso habitu, febris, quæ cum leui horrore vel rigore inceperit, sequẽti die fit maior rigor, & calor sit mordax, si post 24. horas nullus appareat sudor, de Putridis suspicandum erit.

Curatio Ephemerarum ex causis extrinsecis. De putridis agam suo loco, nunc de Ephemeris protensis.

Et primum quidem breuibus expedio curationem D illarum, quæ ortum ducunt ex causis extrinsecis; siue enim ex ira, vigilijs, timore, &c. quis incidit in febrem Ephemeram, curabitur victu humectante optimi succi. Cauendum a fructibus, & oleribus. Vtendum panatella, ptisana hordeacea, ouis sorbilibus, vino.

Duo distinguenda in his, videlicet Febris, quæ ortum duxit ex insolatu; & ex causis iecur calefacientibus: in his vinum nõ conuenit, quia semper dolor adest. Requirunt etiã aliam curationem, quia in his casibus præter balneum conuenit etiam balneum, & inunctio refrigerans ipsi capiti.

Qui igitur sub sole diu fuerint, debent lauari aqua, Galen. balneum administrandum lib. 8.

lib. 8. meth. c. 3. ait nisi adsit destillatio: tamē post subiūgit, in febre ex vstione, quanquam hæc destillatio adsit, possumus vti balneo, & in hoc cōueniunt etiam capiti rafrigerātia. quam sentētiam acceperunt etiā Auic. Nicolus, & alij, quæ tamē sano modo est intelligenda. videndum ne materia in capite præceps labatur ad alium locum, iecur, vel thoracem, vt lib. 12. meth. c. 3. Gal. docet.

Propterea ego non consulo, vt adhibeatur balneū, vbi distillatio cruda & copiosa.

Nec refrigerantia mihi probantur.

Itaq; sum huius opinionis, sententiā Gal. esse veram tantùm de leui distillatione, existente iam corpore ab excrementis mundo. Propterea lib. 6. de tuend. val. c. 3. in huiusmodi temperie calida vtitur similiter balneo refrigerante. sed oportet supponere materiam non esse multam.

Curatio febris Ephemeræ ex iecoris causa. Si febris ortū ducat ex Iecore, vt curetur, necessarium est extrinsecus & intrinsecus iecur refrigerare Epithematibus ex succo Endiuiæ, lactucæ, cum speciebus Diatrionsantalorum; Item aqua refrigerante, & victus ratione similiter refrigerante.

Ex bubone. Si ex Bubone fiant febres, quanquā Arabes sint prolixi in his curandis, Gal. tamē secùs facit, ita vt ātiqui irriserint Medicos, qui hāc curabant. Auic. in principio refrigerantia, & reprimētia adhibet. 3. 1. cap. 19. Quod consiliū apud me est suspectum, nam si fiūt propter plenitudinē bubones expellente viscere, materia ex mēbris principalibus, debet vacuari, nō autē retineri. Cur igitur vult bubones repelli, cum à parte interna ad externam pellantur? neque probandum consiliū, quod vult refrigerantia, & reprimentia esse ponenda in illud spatium, quod est inter cor, & inguina: operatio nullius momēti: potius pelletur calor intrò.

Si dolor ītrinsecus, sedabitis aliquo medicamēto anodyno. Si E. G. ex fonticulis aliquando imponere potestis globulū, aliquādo imitigantia dolorē, vt pro mitigādo dolore oleum de vitellis ouorum, chamæm. ad digerendum supra infusa vrina pueri.

Si ad suppurationem tendat, adiuuanda: prospiciendum cordi, & vniuerso corpori.

Si sit bubo iam factus laudo, si plenum sit corpus, vt si in inguinibus, ex pede mittatur sanguis.

Curatio eius quæ ex nauseatiua satietate facta ad saporem nidorosū. Inter Ephemerarum causas, quæ diligentem exposcūt curationem, est nauseatiua satietas, siue cruditas, vt inquit Galenus ad saporem nidorosum, de qua agendum.

Dixi autem tractādam esse nidorosæ cruditatis curationem: quia cum libr. 8. meth. med. c. 5. cruditas sit duplex ad acidum, & ad nidorem. De ea quæ fit ad acidum, non fiet recordatio.

Loquar itaq; de corruptione tātùm ad nidorem, quæ aut est coniuncta cū fluxu alui; aut sine eo: Ita. n. Gal. l. c. & Auic. distinguūt.

A Si habeat fluxum alui, tripliciter contingit, aut fluxus est moderatus talium qualium oportet, & in ea quantitate, quæ expedit: aut in minori copia, quam oportet: aut maiori copia, quam vires ferunt.

Supponatur esse cum fluxu moderato, nihil aliud agendum, quam conueniens instituenda diæta; & intus, & extra ventriculus confirmandus. *Cum fluxu alui moderato.*

In diæta tria sunt obseruanda: primum est, ne vlla ratione frigido aeri se exponāt: quia si cutis constringatur, fluxus augetur. *Diæta.*

2. Vt si huiusmodi deiectio sit admodum frequens, patientes non surgant ex cubili.

3. Vt illis cibus non præbeatur nisi cruditate magna ex parte superata. Si enim præbeatur, certissimum est corrumpi, & consequenter nouam putredinem fieri. B

Interim exteriùs fouendus ventricolus oleo Mastich. ol. de absynth. de mentha.

Intrinsecus præbeantur rotulæ ex Diarrhod. Abbat. Et sic prima species cruditatis curatur.

Sed si fluxus sit imperfectus, & minùs quam oporteat aducatur, necessarium huiusmodi motum adiuuare per inferius exhibita, & superius explicata, deinde ventriculum roborare. *Imperf.*

Quantum ad inferiora, vtendum suppositorijs, & clysterijs.

C Sed ego, vbi Clysteres administrari possunt, eos magis laudo. quia in hac cruditate cùm corrupti sint cibi, ex vna parte habent acrimoniam, & dolorem inferunt: Ex altera parte etiam multi flatus generantur. Itaq; clysteres vtrumque præstabunt.

Eritque clyster talis; *Clyster.*

Recip. *flor. chamomil.*
anethi an. p. j.
sem. fænic. vnc. j.
hord. p. ÷ bulliant in s. q. iuris optimi & facta expressione

Recip. *huius decocti. lib. j.*
ol. chamom:
butyr. recent. an. vnc. j. ÷
sacchar. rubr. vnc. iij. M. f. clyster, quali opus fuerit, quousque cruditas sit euacuata. D

Quantū ad Suppositoria lib. 8. meth. c. 5. commendauit vsum diatrionpipercon simplicis. Est compositio, vt potestis colligere apud Gal. lib. 4. de tu. val. c. 5. calida, &c. vt propterea nō videam, cur in hac corruptione ad nidorem commodet. Certum est in hac esse acrimoniam humorum, & à calidis fieri, quomodo ergo huc calidissima confectio potest commodare? *Suppositoriæ.*

Neque potestis dicere, loqui Gal. de corruptione ad acidum, quia humores hic acrimoniam habent, & sunt calidi.

Possumus dicere, inquit Auic. conuenire, quia habet vim præcipitandi humores, qui sunt in ventriculo, ad partes inferiores.

Sed

Sed si in hunc finem, mihi magis probatur materia remedij efficacior, & magis probata. potiùs exhiberem aliquam pilulam ex aloe lota cum aliquo succo refrigerante ad scrup. ij. magis placet usus Diatrionpip. ubi iam suppurata est huiusmodi cruditas.

Interim aliqua exteriùs adhibendo pro corrigēdis symptomatis. nam si dolor adsit, inungenda uetris inferioris regio oleo. Masttichino, rosaceo &c. vt & uentriculus: cibus præbendus non nisi uacuatis excrementis.

Immodicus fluxus. Si fluxus immodicus, ut superet uires. statim medicamenta astringentia externa, & interna administranda. Intrinsecus usus cōf. diacytonites, & si adsit multa caliditas, simplex; Si non, cū speciebus poteritis aliquando addere Mastich. piper. cōfectionem etiā ex herbis; neque improbādus usus ipsiusmet citonij, pyri, pomi adstringentis ante reliqua cibaria. Externa fomenta, Emplastra, olea, cerota, astrictória.

Et si insignis euacuatio, & vires deijciantur, quanquam causa calida præcesserit, nihilominus calidum innatum dissoluitur. Igitur consulo, vt in hoc casu omnia vestra Emplastra habeant aliquid aromatis.

Igitur adhibeatur ventriculo crusta panis madefacta in succo Cydon. aceto, aut vino astringente, imposito pipere, spica, puluere Mastich.

Fortius medicamentum est pulpa citonij imbuta in decocto rosarum, balaustiorum, myrtillorum, acaciæ, & huic pulpę inspergite pulueres propositos. Pariter oleum ex astringentibus & refrigerantibus, cui adde & calida: vt,

℞. ol. melini.
rosac. an. vnc. j.
de absinth.
spic. an. vnc. ß.
mastich. vnc. j.
nuc. moscat. drach ß. M.

Cerotum. Si Cerotū malueris, *℞. ol. mastich.*
melini an. vnc. j.
mastich.
aloes an. drach. j.
cer. q. s. M. f. Cerot.

Fomētū. Si fomentū fortius, *℞. balaustiorum.*
cortic. granat.
hypocistid.
acaciæ.
ros. an. M. j.
absinth.
spica an. M. ß.
coriandr. præpar. vnc. iij.
myrtill. vnc. j. bull. in vino acerbi ß. q. s.

Et facta expressione adhibeatur illud vinum calidum, vel per spongiam, vel per pannum purpura tinctum, aut lanam ipsam purpura tinctam.

Ante cibum semper detur aliquod astringens. Ego vtor expresso carnis assæ cum coriandris ex primo torculari, & inspergo carnem puluere granatorū, & cochlear vnum singulis diebus tribus exhibeo. Hoc admodum potest nutrire.

De cæteris remedijs non agitur. non mittitur sanguis, quia incurreret æger in fluxum hepaticum. Ratio est duplex; prima, quia natura est concitata, ad hæc mota ad intestina, in illis necessariò trahitur portio cibi corrupti in iecur.

Secunda: duplici afficiuntur euacuatione. & inde debilitantur vires.

Succedit alia cruditas, quæ est absque alui fluxione, in hac considerandum, an fluxio adhuc sit in ventriculo, vel intestinis.

Si sit in ventriculo, humor expurgandus vomitorij, vt est aqua hordeaceas simplex, aut cum ol. amygd. dulc. Si flatus adsint, incoquatis anethum: Si humores etiam crassi, addatis mell. rosac.

Si in intestinis, clysterijs est vtendum propositis, & medicamentis, vt sunt pil. ex aloe, quæ mihi maximè probantur. Postea corroborandus ventriculus, vt propositū, & cibandi patientes cessante cruditate.

Curatio Ephemeræ ex obstructione. Venio ad Ephemeram ex Obstructione, sed non vera; de qua in syn ocho. Aliquādo incumbendum ipsi obstructioni ex multitudine sanguinis, aliquādo tantùm obstructioni cutis, &c. hoc loco breuibus. Quæ fit ex aere frigido, balneo astrictorio, curatur omnibus, quæ possunt cutē calefacere, & mundare ab his excrementis, vt si ponantur in sudatorio, vel excitetur sudor sub stragulis, aut excitetur aqua calida; omni ratione curabitur; Sordities abstergenda strigili; aut saltem debent vti ministri panno aspero, & hac ratione potest curari febris ex densitate, & sorditie.

Vtrum vinū conueniat. Animaduertendum vtrum in hoc casu vinum cōueniat? Ex vna parte habet quidem uim penetrandi & consequenter aperiendi densitatem, & eo magis, quando densitas est ex aere frigido: nihilominus Gal. lib. 1. ad Glauc. c. 13. prohibet. Ratio; Considerauit aliquādo fieri posse, ut ex aere frigido externo tanta cutis sit densitas, ut eo quidē uinum perueniat, sed non possit aperire cutim.

Consulo itaque & ego, ut antequam prohibeatis uinum, studeatis apertione cutis: quemadmodum etiam non sunt prohibenda cibaria aperientia, nisi cutis adstrictione, & densitate sit liberata.

Idem dico de cibis omnibus acribus & esculentis: abstinēdum ab his, quæ sunt crassi succi. Propterea nutriendi sunt ægri cibo optimi nutrimenti. Hactenus de Legitimis.

De Febribus Ephemeris, seu Diarijs Spurijs. Cap. IV.

Spurias febres Diarias Galen. lib. 9. meth. med. c. 2. uocat medias inter Diarias Veras & Putridas. numquā enim fit transitus ab vno

vno extremo in aliud absque intermedio. A hoc intermedium est spuria. vocat Galenus hāc Diariam Synochum absque putredine. Dicamus ergò quid sit media ex Galeni, ex recentiorum, & mea sententia. Est febris synocha non putrida *efferuescentia spiritus & sanguinis absq; putredine ob retentū calidi effluxum.*

Quid diaria spuria. Dixi *efferuescentiam*, quia recentiores Medici inquiunt fieri ex humoribus ebullientibus, alias ex humoribus vitis.

Sanguinis nomine intelligo vel massam sanguineam, vel vnum ex 4. humoribus in vasis magnis, vel omnib. vel cordi proximis.

Intelligenda hæc plenitudo non ad vires. sed ad vasa. Sanguinis incalescit in venis maioribus, videlicet cordi vicinis.

Causa est retentus calidus effluxus.

Hic calidus effluxus est fluxus vaporosus. Halitus hic peccat potiùs multitudine, quàm Qualitate.

Quando autem dicimus huiusmodi halitum retineri, nō intelligetis omnem retineri: nō omnimoda & vniuersalis est retentio, sed maiori ex parte. Tripliciter enim retinetur, teste Gal. lib. 9. met. c. 4. & lib. 2. de diff. feb. cap. 2. Vbi primò portio est æqualis illi, quæ retinetur, fit ἀκμαστικὸς seu ὁμότονος. Secūdò, si portio sit copiosior, quàm quæ excernitur, sēper imminuitur & vocatur παρακμαστικὸς, 3. Quando plus gignitur, quàm dissipatur, fit ἐπακμαστικὸς.

Causæ interna. Causæ sunt internæ & externæ.

Ex Internis maxima causa est sanguinis multitudo, cui potest cōiungi humor etiam crassus, aliqua pituitę portio, quę simul cum sāguine facit obstructionem in toto corpore. sed ī corpore adeo repleto fit potiùs obstructio à multitudine sāguinis. ex solis enim humorib. pituitosis obstruct. nō potest fieri.

Externæ. Externæ, Si reperiatur corpus in quo constipetur cutis ex balneo adstringente cutem. sed necesse est vt corpus sit plethoricum. Recentiores, inter quos Nicolus Florentinus & Valesf. lib. 5. cōtrou. 19. cōstituunt alias ex humoribus ebullientibus, alias ex humorib. deustis: addunt bilem deustam esse in causa febris humorosæ mediæ inter Ephemeram & Putridam. quam sentētiam acceperunt ex Auerroe lib. 3. Colliget. cap. 13.

Hanc Iulius Alexander cōtra Nicol. Flor. impugnauit, & usus est hoc argumento. Febres ex Bile deusta sunt periodicæ; Sed sic est nullam febrem periodicam periodū obtinere, quàm ex sola putredine; Igitur omnis febris periodica est ex putredine. Antecedens falsum, probat authoritate Gal. lib. 10. meth. 34. quibus in locis manifeste profert exemplum iuuenis, qui febre tertiana laborauit, quem solo victu curauit.

Vidit hanc difficultatem Galen. & subiungit huiusmodi patientes curandos esse solo victu. Facit hinc syllogismum ex capite 4. vt probet dari Ephemeras ex sola inedia, qui talis est. Rigor excitatur ex materia biliosa, acri & mordaci, diffusa uelociter p ambitū corporis: In corporib⁹ biliosis sustinentibus inediam huiusmodi humor biliosus mouetur ad ambitum, & fit rigor; Ergo fit rigor absque putredine in istis. Superueniente rigore si statim non cibentur, succedit febris. Sed si cibātur, succedit quidem febris, attamen innoxia cum madore. Gal. lib. 8. meth. c. 2. loquens de febr. quæ debent habere alimentum, in febribus biliosis, vult ptisanam præberi in principio accessionis, nisi febris sit coniuncta uel cū phlegmone, uel cū putredine. Ergo datur febris Ephemera Periodica ex humorib⁹ billiosis minimè putrescētib⁹; & quia animaduertit aliquib⁹ uideri B paradoxon; subiūgit, existimasse illos medicos hanc febrem nō posse cognosci, irridet eos: Igitur datur febris ex humoribus nondum putrescentibus, quæ est Ephemera.

Hoc dixi propter Iulium Alexandrinum, qui nullam febrem periodicam concedit, quæ non sit putrida. Consequentia etiam est falsa. Potest esse putredo in Causa Antecedente, non tamen in Coniuncta libro primo de diff. febr. cap. 5.

Concludo igitur, Nicolum, Auerroem & Valle sium rectè sensisse, dari febres Ephemeras etiam ex bile exusta.

Sed quia hæc conclusio potest dupliciter C intelligi, humorales febres habere vistionē in causa antecedente & coniuncta: Nicolus diligentissimus cōcedit utrumque. & rectè.

Datur etiam alio modo febris humorosa, quando humores potiùs exusti sunt, quàm putridi. *Signa.*

Sed quando instat quis, in Gal. hac ratione esse prætermissam febrē mediam, cuius nō meminit. Ego ut tuear Galenum, existimo huiusmodi febrem biliosam ex bile adusta potiùs appellādam febrem Ephemeram legitimam non exactè. Ratio: quia huiusmodi febres ex humore ebulliente fiunt temperamentis biliosis, calidis, & siccis, in quib. D vapor non potest exhalare, & producit febrem accendendo spiritus.

Audiuistis igitur dari febres medias ex sanguine ebulliente, & humore adusto. Huiusmodi febres, si sermo sit de Synocho, habēt pulsus maximos, uehementissimos, celeres, frequentes: urinas rubras, in substātia mediocres; calorē minimè mordacem; est corpus rubicundum, & turgidas cōtinet uenas, lassitudo totius corporis tensiua ex lib. 9. meth. c. 3. & 4. Est febris, quæ si statim uena secetur, facilis est curationis: si prætermittatur, transit in putridam. Aliquando est etiam periculum disruptionis, & syncopes. *Prognostica.*

Duo sunt remedia, ex sententia Gal. lib. 9. meth. cap. 4. & 5. quibus curatur Synochus non putrida: uenæ sectio vsque ad animi deliquium, & poti o frigidæ. De quibus disserendum. *Curatio.*

Primum

Vena sectio. Primùm quidem dicam, quid agendum sit, vbi sit administranda venæ sectio, an vsq; ad animi deliquium, necne.

Si sit administranda vsque ad animi deliquium, duæ requiruntur conditiones: prima est ex parte ipsius Plenitudinis; secunda ex parte Virium.

Quantum ad primam, necessarium est, vos supponere Plethoram Legitimam quo ad Vasa, non quo ad Vires, & præualere sanguinem cæteris humoribus.

Ex parte virium oportet non tantum vires Vitales, sed etiam Animales & Naturales cuiuscumque partis constare. quod notate. non sufficit virtus vitalis. Colligitur hoc ex ipso Gal. lib. 9. meth. c. 10. loco cit. inquit Galen. missionem sanguinis vsque ad animi deliquiũ maxima inferre pericula. Hæc sunt pericula, si virtus Vitalis non constat, sub vel statim post venæ sectionem moriuntur.

Aliud periculum, quãdo virtus Animalis non constat, sequuntur Apoplexiæ, Deliria, &c. quæ est ratio? propter imbecillitatẽ animalis facultatis: aliquando inquit cachexiæ, hydropes, imbecillitates ventriculi, &c. quia facultas naturalis, vel ventriculi, vel iecoris nõ constabant: propterea his prospiciendũ.

Quæro vtrum in tali plenitudine febre nõ putrida, liceat mittere vsque ad animi deliquium.

Dum quæro causam, cur Gal. hoc fecit, non fuit imminutio plenitudinis; potuisset enim hoc facere duabus vicibus. quid igitur voluit Galen. vt scilicet propter huiusmodi immodicam vacuationem syncope superueniẽs refrigeret corpus, & superueniat excretio sudoris, vel alui, ut habetur ex lib. 9. met. med. cap. 3. sed in synocho non putrida non est necessaria.

Quantum ad aliam causam, ut refrigeretur uniuersum corpus, si euacuari una, uel altera libra sanguinis non potest, quid prohibet, cur non possit aqua hordei refrigerare. propterea non consulo ut deueniatis ad animi deliquium: magis laudo, ut multis & reiteratis uicibus sanguinis educatur; postea refrigeretis corpus alijs medicamentis.

Continentium febrium absque putredine duo præcipua remedia à Gal. sunt proposita lib. 9. met. c. 4. & 5. uenæ sectio scil. usque ad animi deliquium; & potio frigidæ.

De uenæ sectione quid sentiam explicaui, & iterum uestri gratia repetam. nam maximè ad ægrotantes, & nos pertinet.

Cur sanguinis missio ad animi deliquiũ nõ sit administrãda. Huiusmodi numquam à uobis administranda. Prima ratio; quia raro uel numquam reperiuntur illæ duæ conditiones, sine quib. numquam debet ad animi deliquium administrari, plenitudo s. legitima absque aliqua corporis cacochymia, & Humorum copia; & in hoc tempore est uictus ratio, ut excrementa crassa & pituitosa possint augeri, si fieret ad animi deliquium phlebothomia.

A Difficillimum est etiam reperiri uires omnes huiusmodi corporis usque adeo ualidas, ut nulla sit noxa: nomine uirium, animales, uitales, & naturales intelligo. lib. 9. meth. med. c. 10. ubi aliqua istarum sit inualida, non conuenit: sed dato, non tamen concesso, reperiri hæc duo, nulla necessitas coget nos ad hoc faciendum.

Si quis dicat ad imminuendam insignem hanc plenitudinem? Huic respondeo, posse idipsum fieri larga euacuatione, & posse repeti secundò & tertiò.

Si quis dicat Gal. lib. 9. meth. c. 4. ideo mittere ad animi deliquium, ut subsequatur totius corporis refrigeratio, sudoris excretio,
B alui deiectio, &c. Dico ĩ Synocho nõ putrida hæc nõ reperiri. satis est ut calor imminuat.

Quantum ad refrigerationem, si libera una sanguinis erit, aut duæ non satis sunt. poteritis deinde exhibere potum frigidum: de quo in præsentia; proposuit hunc potum Gal. loco citato. Et existimat hoc remedium præstantissimum. *Victus ratio.*

Per frigidam intelligit aquam reuera frigidam fontanalem ex fonte frigidissimo aut arte frigidam redditam. *Potio.*

Per potionem huiusmodi intelligit potũ largissimũ ad saturitatem; unico tamẽ haustu & inspiratione, ut colligitur ex 1. acut cõ. 43. Colligit Gal. ex eo textu posse etiam cõ-
C cedi aquam frigidam. an rectè colligat, uolo uos esse iudices: mihi certè non uidetur eius consequẽtiam ualere. Quidquid sit, certum est, Galenum ibi proponere potum aquæ frigidæ ad saturitatem, unica tantum inspiratione. Conditiones obseruandæ libr. 9. meth. c. 5. proponuntur, primò, ut febris non sit putrida; & si putrida, ut humores sint concocti. Ex quo potestis colligere, potionem frigidæ in Synochis non putridis posse etiam administrari in principio: in putridis oportet differre usque ad concoctionem.

Secunda conditio est, ut patientes non laborent aliqua imbecillitate uiscerum, uel alterius partis præcipuæ. *Potus frigidæ vt concedatur, quas requirat conditões*
D Tertia conditio est, ut patientes sint assueti ad frigidam, & ex assuetudine facile hunc potum sustineant.

Altera conditio est, ut patientes non habeãt corpus gracile, neque à natiuitate, neq; ex morbo. his enim qui graciles, noxia. statim enim penetrat usque ad neruosas partes.

Neque tamen existimetis Galenum sibi ipsi contradicere, qui proponit potum aquę frigidę etiam in febre Hectica lib. 10. meth. capite 5. Dico, nulla est contradictio. nam ibi nomine eorum, qui quamuis sit Hectici, sunt tamen benè habituati, loquitur de prima specie. colligatis hoc ex libro, de marcore, c. 20. ubi inquit, exhibeatur, ubi uires sunt cõstantes & corpus abundat multo sanguine. non debet decerni natura febris hecticæ, uel ex macie, uel ex diuturnitate.

Hoc non sentit Galenus locis citatis. Vult dari frigidam, ubi uires sunt robustæ. in hoc casu non adest macies. addit postea in hecticis, in quibus macies succedit, non est præbenda.

Si hæ conditiones non adsint, & tamen corpus refrigerandum, loco aquæ frigidæ fontanalis præbenda aqua simplex cocta alterata Coriādro, Mastich. absinthio, agrim. quæ respiciant partem illam imbecillem. Et si uos etiam uelitis annectere utilitatem refrigerationis, & attenuationis humorum, oxym. syrup. ex acetosa, & hoc faciendum 2. 3. & 4. diebus. Et sic his duobus remedijs curari potest Synochus non putrida.

Cibus. Quantum ad cibum, sit tenuissimus. nam in febribus corpus est refertum multo sanguine, & conuenit sola ptisana hordeacea, panatella cum emulsione seminū melonū.

Curatio Ephemeræ ex obstructione. Venio modo ad Curationem Febris Ephemeræ ex obstructione ex crassis, lentis, ac uiscidis humoribus. Hæc Febris curatur Euacuantibus, & Attenuantibus, Incidentibus, & Abstergentibus.

Euacuantia. Vena sectio. Quantum ad Euacuationem, cùm possit fieri per Sanguinis missionē, & Medicamenta, est insignis dubitatio; num in his febribus expediat sanguinē euacuare, necne? loquor de Ephemeris non putridis. Ex una parte habet Gal. 8. Met. c. 4. hæc uerba; in his febrib. etiam plenitudinis Signa nō adsint, mittendum tamen sanguinem: & addit rationem. Hæc sententia uidetur non libenter admitti ab Alex. Trall. & cæteris, qui uolunt mittendum tantùm sanguinem, quando adsunt signa plenitudinis, nō cacochymia. quod habent ex Gal. lib. 4. de tu. ual. c. 4. Et ideò Actius serm. 5. c. 64. legit, si plenitudinis signa adsint, putauit esse mendum in Gal. sed, Domini, reuera sequentia uerba ostendunt sic esse legendum. nam si sic dixisset, vt voluit Aetius, non opus habuisset reddere rōnem.

Ego itaque existimo Galeni senteutiam esse ita accipiendam, id est, si plenitudinis legitimæ & exquisitæ signa non adsunt. & ideò Gal. voluit, si legitimæ & exquisitæ plenitudinis signa non adsunt, mittendum tamen sanguinem. Debet autem mitti ex Basilica, vel communi in maiori, aut minori quantitate, prout vires ferunt. Ad Medicamenta quod attinet, conuenient quæ crassos & viscidos humores educunt; quale esset:

Potio. Recip. *Mell. ros. sol. vnc. v.*
Aq. beton. q. s. M. f. potio.

Deinde præparentur humores Syrupo hoc;

Syrupus præpar. Recip. *Oxymel. simpl. vnc. j.* ÷
Syr. de beton. vnc. ÷
Decoct. beton.
Agrimon.
Capil. vener.
pentaphyl. vnc. iiij. M. pro syrup.

Multa proponuntur calida à Galen. lib. 8. Meth. med. cap. 4. vt calamēthum, origanū, ruta, &c. Sed ista euitanda vsquequo persistit calor febrilis alicuius momenti.

Quantum ad oxymel, Alex. Trall. lib. 12. c. 1. videtur limitationē habere, vt carpat Gal. Putatis accusare Galenum, sed non accusat eum: inquit oxymelle vtendum esse in obstructionib' frigidis, pituitosis, & crassis, &c. Vbi autem humores obstruentes sunt frigidi & sicci, debent attenuari remedijs calidis, & humidis potius quam oxymelite. Sed quantū ad hanc partem, Galen. probat oxymel, non meminit humoris melancholici. Sed quamuis adesset, nō propterea credatis, quod non conueniret etiam oxymel: habetis experimentum succi limonum, in quo lapis dissoluitur quamquam durissimus; propterea oxymel mirificè prodest in affectibus lienis. Et propterea Alexandri Tral. sententia reprobanda est.

Attenuati humores expurgantur hoc modo: vt

Potio purgans. Recip. *Agar. troch. drac. j. aut drac. j.* ÷ *f infus. s. a. in aqua beton. Et facta expressione adde mell. ros. vnc. iij.*
diaphœn. drac. ij. M. f. potio.

Bolus. Aut si voluerit bolum;
Recip. *El. lenit. vnc. j.*
Diaphœn. drach. iij, vel vnc. ÷ *M. & cum sacchar. f. bol.*

Facta euacuatione, si supersint reliquię humorum obstruentium, superari debent.

Interius sunt decocta aperientia validiora, præter oxymel; decoctum, Calam. orig. rutæ, fœnic. petros. apij.

Exterius aliqua corporis frictione puluerìbus abstergentibus farina fabacea; placentulæ post conf. amygd. amar. sunt venales. Sapo quineciam lib. 8. meth. med. cap. 4. idipsum præstare potest.

Quantum ad victum, debet esse & tenuis & attenuans, sola ptisana hordeacea incoquatur radices petrosel. fœnic. apij.

Potus, aqua cocta cū fœniculo, apio, agrimon. vsquequo superatæ sint obstructiones.

Hæc est facilis explicatio febrium Ephemerarum: transeo nunc ad Putridas.

In hoc tractatu ordior primum à communibus & uniuersalibus, deinde ad particularia in uniuersum, vt primum ad definitionem putridarum, secundò, ad differentias, tertiò, versabor circa omnes causas differētiarum: proponam deinceps signa communia, & curationem communem, Deinde agam de his in specie.

De Febribus Putridis in genere. Cap. V.

Generalem febrium Putridarum doctrinam à Definitione ipsius putridæ febris exordiar. Cuius etiam occasione singula, quæ ad huius naturam pertinet, explicabuntur.

Est

Quid febris putrida. Est igitur febris putrida calor extraneus putredinalis accensus primò & per se in humoribus cordis.

Dixi esse *calorem extraneum*; quia species vnius generis necessariò participat naturam illius generis. Omnis enim febris est calor extraneus. Itaque etiam febris putrida.

Cæterùm ad differentiam febrium Ephemerarum Spuriarũ & Hecticarum diximus hanc putridam habere *calorem putredinosum.*

Et quia huiusmodi calor putredinosus potest aliquando cõtineri in materia Antecedente, non Coniuncta; exempli gratia, in aliqua corporis parte determinata, non tamen pertingit ad humores cordis, in quo casu est Ephemera ex putredine, non febris putrida: propterea diximus hũc calorem esse primò & per se in humoribus cordis. si. n. absque hoc, nunquã & nusquã erit putrida, ꝓpterea Gal. lib. 1. de diff. feb. c. 5. distinguit Ephemeras à Putridis; quia in illa neque substantia, neque vapor pertingit ad cordis substãtiam.

Neque valet obiectio eorũ, qui aliter sentiunt & existimant. Hoc concesso, in omni putrida humores putredinem continentes esse statim pestilentes, est obiectio nullius momenti. nam distinguitur Pestilens à Putridis. non ex hoc tantum, sed ex excellentia putredinis. com. in 6. epid. tex. 29. & ideo *pestilentes ortum ducunt ex putridis humoribus cordis*, vt testatur lib. 1. de diff. feb. c. 4. *sed si cõtingat, vt humores cordis fuligines tantùm putridas accipiant, tum est febris putrida.*

Dicet quis, quidnam sit hęc putredo: quæsitum maximè opportunum. neq; enim possumus intelligere quid sit putrida, nisi intelligamus quid sit putredo.

Putredo duplex. Putredo omnis in duas præcipuas distribuitur differentias: alia est naturalis, alia præternaturam.

Sed quia Putredo præternaturam percipi non potest, nisi cognita naturali putredinis essentia; de hac prius dicendum. Et quia putredo naturalis lib. 4. met. c. 2. est opposita generationi simplici, & oppositorũ vna eadẽque sit natura. Idcirco fieri non potest. vt intelligatis naturam putredinis naturalis, nisi sciatis, quid sit generatio simplex. Itaque de hac disputandum: neq; putetis aliquid dici à me per ostentationem. sunt necessaria.

Quid generatio simplex. Generatio Simplex est productio formæ mixti similaris, ex mutua actione primarum qualitatum Elementorum inter se, præualentibus tamen actiuis, præcipuè calido super passiuas.

Quid putredo naturalis. Contra *putredo opposita generationi simplici erit corruptio eiusdem formæ similaris à mutua actione qualitatum Elementorum inter se, præualentibus passiuis supra actiuas.*

Hæc est breuis dilucidatio. sed breuiter singula accuratius expendenda.

Et primò quantum ad generationem simplicem, quę sit productio formę mixti, patet A tum ratione, tum autoritate. nam est generatio; generatio est mutatio ad formam substantialem. Itaq; productio formæ substantialis non accidentalis, authoritate Arist. sc. lib. 2. de gen. & inter summa 3. cap. 1. circa finem, vbi loquitur de simplici mistione, inquit mista carnis ossis fieri ex mistione Elementorum inter se.

Itaque productio formæ mixti generatio simplex, & consequenter producitur.

Idcirco Arist. lib. 4. met. in principio inquit, generationem simplicem esse opus harum virtutum: si opus est, illæ virtutes sunt causæ operis: Ergo non genus ortus simplicis, sed causa. Itaque ortus simplex B est productio causæ substantialis.

Dicitur simplex, quia hæc generatio producitur ex mistione Elementorum, quæ sunt simplicia, ad differentiam plantarum; & animalium, quæ generantur ex mistis, sanguine; partibus similaribus. Huiusmodi autem ex Elementis simplicibꝰ propterea simplex, & quanquam Elementorum generatio sit simplicior, quam Misti; tamen distat à generatione Misti. Nam Elementa vbi generantur, semper fit corrupto altero; sed mistorum Elementa simplicia, ex quibus generantur, non corrumpuntur, sed manet integra, quamquam diuidantur in minimas partes, vt quælibet pars non possit suas vires C exercere. Exemplum in illis, quæ non sunt mista. Ignis minima pars est ignis, & est forma integra, *refracta tamen quoad vires*, nec valet scintilla vt in maiore: *refractæ vires, sed non forma.* Sed hæc obiter.

Per productionem duo possumus intelligere: vel productionem formæ substantialis in instante; vel præuiam dispositionem ad generationem formæ substantialis, Auerh. 6. Phys. Per productionem debemus intelligere vtrumq;; per formam autem intelligimus formam mixti communem & determinatam. In vnoquoque mixto est quoque forma communis, postea variæ differentiæ mistorum; singulæque habent varias for- D mas determinatas; quando dicimus ortum simplicem esse productionem formæ, genericam, & specificam intelligimus.

Ipsæ formæ quanquam aliquando videantur multiplices in misto, tamen omnes resident sub vnica, quæ est vltima cæterarum; exempli gratia, in carne hominis adest forma mixti vt mistum est, forma carnis, forma carnis humanæ: hæc specifica, quæ constituit formam carnis, exempli gratia cordis, corrupta cordis remanebit carnis, corrupta carnis forma solidi & hac mixti.

Per mixtum intelligo commune, & determinatum.

Per commune intelligo omne id, quod potest vel per se subsistere; vel si sit pars alterius, est tamẽ pars similaris: Subiectum particulare cuiusque formæ mixti sunt variæ humidi-

humiditates, quæ in mistis continentur. Nomine variarum humiditatũ intelligo vnam & eamdem humiditatem, sed vario modo gubernatam à qualitatibus actiuis. Exemplum; calor vbi regit humidum, constituit formam mixti, vt mistum est. Sed vbi dominatur peculiari modo, variæ emergunt species, alia magis determinata, &c. Itaque hæc est subiectum cuiusquam forma misti.

Causa Effectiua est actio primarum qualitatum Elementorum inter se, preualentibus actiuis. Hoc etiam scriptum est ab Aristotel. lib. 4. Meteor. c. 2. qui inquit, generationem simplicem esse opus primarum qualitatum, vt actiuæ dominentur. *sed nomine actiuarum ego non intelligo frigiditatem, sed tantùm caliditatem.* Ratio: quia (vti intelligetis, vbi erit sermo de Putredine) tunc fit putredo, & est vltimus status putredinis, quando dissoluuntur mixta, vt remaneat tantùm vltimum; quod vltimum remanens, est terra, quæ retinet in se frigiditatem.

Huiusmodi caliditas est, quæ terminat Passiuam qualitatem, præcipuè Humidam, & (quemadmodum diximus) potest variare Mixti formam ad varij caloris gradus. Communis, innatus; & alius, qui potest proprius appellari.

Ad Innatum pertinet productio formæ vt mixtum: ad Proprium, huius, vel illius formæ.

Putredo naturalis. His sic se habentibus, patet definitio *Putredinis naturalis, quæ est corruptio formæ mixti similaris, ex victoria Passiuarum Qualitatum supra Actiuas.*

Quod sit corruptio formæ, patet primò, quod est opposita ortui simplici. patet etiã ex Genere. nam si putredo est corruptio, corruptio est motus ad substantiam, &c. lib. 4. Meteor. cap. 1. tam ortus simplex quàm putredo, dicuntur etiam opera harum primarum qualitatum. Ergo istæ qualitates sunt causæ operis. Ideò inquit Aristotel. fieri corruptionem, quando id, quod terminatur, superat terminans.

Hoc dico, non tantùm propter Argenterium, sed etiam alios qui volunt, quando dicimus, putredinẽ esse corrupti calidi Definitionem per se: Errãt isti, quia tradita est propter Causam Efficientem. Ideo nõ est corruptio caliditatis, est tamen causa efficiẽs, quæ est posita loco generis: vt Eclipsis est interpositio terræ, &c. est corruptio Formæ specificæ, nõ corruptio calidi. per corruptionem verò nõ intelligo putrefactionem, sed omnia ad Formam substantialem pertinentia. nã hæc est violenta: loquimur de naturali.

Quia verò dictum est in generatione simplici plures esse formas sibi inuicẽ subordinatas; nomine corruptionis formæ misti intelligo corruptionẽ cuiuscũque Formę Misti in putredine naturali: cuius conditio, est, vt nulla forma mixti permaneat, sed omnes

A resoluantur in sua Elementa. Itaque oportet quidem intelligere præuiam dispositionem ad putredinem, quæ postea desinit in corruptionem omnium formarum.

Hinc volo vos habere interpretationẽ lib. 4. Met. vbi inquit Arist. putrefactionem fieri in his, quæ secundùm partem tantùm à propria natura recesserunt, &c. optimè per verba dicta, interpretat̃, quare dicit putrefactionem; quia scilicet putredo nõ significat propriè id, quod iam corruptum est, vltimũ terminum corruptionis, sed motum ad aliam corruptionem. igitur semper continet mixti aliquid, vbi mixtum putrescit, & continet aliquid mixti, corrupitur mixtum secun-

B dùm partem tantùm. vbi omnia sunt corrupta, mistum non amplius mistum, sed putrefactio est, quę non potest fieri, nisi separetur à varia natura. Vinum vbi uertitur in acetum, est putrefactio secundùm partem, quia non corrupta est tota forma, ut mixtum est, sed tantùm vt uinum est, seruat adhuc formam mixti humidi.

Igitur uerum est, quod scribit Aristot. Et ideò scribit etiam omnia, quæ putrescunt tandem transire in fimum & terram.

Putrefactio igitur est corruptio omnium formarum.

Si loquamur de putredine naturali, nomine mixti intelligo & mixtum commune,

C & determinatum.

Per commune intelligo mixtum per se subsistens, uel quod sit pars alterius. *Subiectũ putredinis naturalis.*

Subiectum putredinis naturalis semper est vel mixtum, quod per se natum est subsistere; aut est pars alterius, sed quæ sit separata, per naturalem interitum, uel marcorẽ illius, cuius est pars: ut quando homo moritur, est senecta; si mors sit uiolenta, tunc mixta illius corporis putrescunt potius putredine præter naturam. Ita si exscindatis ramum, & moriatur, est præter naturam, &c.

Propterea nomine misti intelligo mixtum ex propria natura subsistens, vel vt est pars

D alterius. Hanc ueritatem expressit Arist. lib. 4. met. cap. 2. inquiens *senectam in animalibus & marcorem in platis esse viam ad putredinem naturalem.* Quia vbi animal moritur ex senio, partes similares postea possunt putrescere putredine naturali.

Nomine mixti particularis intelligo humiditates misti, quæ vario modo regulantur à calore naturali. Et ideò Aristot. inquit in Definitione Putredinis esse *corruptionem calidi in vnoquoque humido.* Per Humidum interpretes uaria intelligunt. Veritas est intelligendas illas determinatas conditiones misti, per quas fit vel durum, flexibile, &c.

Explicaui hactenus naturalis putredinis genus, & subiectum: nunc autem versabor circa causam proximam, & immediatam.

Proxima & immediata Putredinis Causa est mistionis dissolutio. Sicut enim forma mixti *Proxima et imme-*

diata putredinis naturalis causa. mixti introducitur ex mistione, ita corrumpitur ex dissolutione; quod dissoluitur quando passiuæ qualitates dominantur actiuis. Sicut enim constituitur, quando actiuæ qualitates dominantur passiuis, ita tunc dissoluitur quando fit contrarium.

Hinc scribit Arist. lib. 4. met. cap. 2. fieri corruptionem, quando id quod terminatur superat terminans.

Nomine autem Passiuarum Qualitatum intelligo vtramque humiditatem & siccitatem, quia in putredine, quæ vocatur secundùm partem, tunc temporis permanet humiditas & siccitas; in misto remanet communis siccitas & humiditas, propter quam causam scribit Arist. loco cit. *quæ putrescunt fieri humidiora*, hoc est verum de mixti putrescentibus secundum partem.

Vbi autem corrumpuntur secundum totum; tunc præualet tantum siccitas reliquis qualitatibus. propterea idem Aristoteles scribit, omnia putrescentia tandem fieri sicciora.

Per Actiuas qualitates, quæ superantur à putredine, oportet intelligere caliditatem, non frigiditatem. Ratio, quia in putredine remanet & terreum & aqueum Elemētum: sed sic est quod Elementa terreum & aqueum sunt frigida, quæ non corrumpuntur: Corrumpitur itaque Actiua Qualitas ratione caloris, non ratione frigiditatis.

Neque credatis ijs, qui arbitrati sunt, huiusmodi Frigiditatem esse tantum frigiditatem Priuatiuam non Positiuam. non tamen remanet reuera hæc qualitas positiua eo modo in mixto putrido, quo in non putrido, verumetiam frigiditas patitur in putredine; sed non patitur, quia corrumpitur, sed ideo quia non terminat humidum in sicco: propterea ex parte permanet, ex parte non; relinquitur igitur frigiditas positiua.

Quæratis, quid hæc agat? adiuuat expressionem ex mixto. qua ratione dixit Aristot. putredinem esse passionē & frigiditatis propriæ, & caliditatis alienæ. Si passio frigiditas, effectus est frigiditatis: nam passio est accidens, accidens debet produci ab aliqua causa. Quomodo fit à frigiditate? in hunc modum, quem dixi.

Causa corruptionis calidi innati. Itaque vt redeam ad id, quod dixi; dissoluitur mixtum, & si petatis vlteriùs, quæ sit causa, quod passiuæ qualitates dominantur, respondeo; Corruptio calidi innati mixti. Quæ est causa huius corruptionis? Causa, propter quam recidit ex mixto, est duplex: Interna & externa.

I Interna. Interna duplex, prima propria natura caloris, quæ est vt recedat à partibus profundis & petat partes superiores, teste Galen. lib. de trem. & rig. cap. 6. Hinc fit, vt quò mista sunt solidiora, eò minus putrescant: propterea apud Aristotelē loco cit. pariter videtis ferrum, aurum, quia sunt dēsiora, etiam minus

A putredini esse obnoxia.

Secunda causa interna est separatio misti à suo toto. Vbi hæc separatur, infirmas obtinet vires.

Do exemplum, si intereat animal, reuera similaria, quæ componunt animal, obtinent calidum innatum, nō tantum à proprio temperamento, quam etiam ex influente calore. Sed lib. 5. de simpl. med. fac. c. 9. est pulcherrimus locus ex hoc duplici spiritu confici calidum innatum. Itaque vbi pars similaris separatur a toto, destituitur suo calore, hinc sequitur putredo, & propterea Aristot. loco cit. docet, *multa minus putrescere pauca: dat exemplum de mari, &c. portiuncula destituitur à* B *calore totius*. Hæ igitur sunt duæ causæ internæ.

Externa est calor extraneus ambientis. Sed animaduertite hunc calorem ambientis nō esse calorem, qui agat violenter; in præternaturali agit quidem violenter. Quid agit igitur hic? nil aliud facit, quàm quod suscipit caliditatem mixti, quæ iam sponte sua euaporat in beneficium naturæ communis. Non igitur agit violenter, sed vbi calor inuenit mistum, &c. libenter attrahit. *Externa.*

Hinc patet error Argenterij, qui contra Arist. contendit, Putredinē Naturalem esse violentam. Putauit Argenterius calorem externum esse causam proximā putredinis, C nec debere fieri à causa intrinseca. Quia vt ortus simplex fit à causa interna, ita etiam corruptio. & dicit Argenterius, dixi Arist. fieri à calore ambientis: dico genus putredinis, si corruptionis simplicis est corruptio formæ, causa ꝓxima dissolutio mixti, prędominiū est, vbi calor resoluit; calor ambientis est causa causæ, no etiam est causa proxima. Hinc fit, omnia putrescentia naturali putredine posse dici simul & semel frigidiora & calidiora. Sunt frigidora intrinsecus, calidiora extrinsecus: quia calor euolat ad circumferentiam.

Propterea cùm quæritur, num hæc corruptio calidi sit verè extinctio, an incrementum caloris? dico respectu mixti, quod Putrescit, sic; sed respectu proximi mixto, videtur D potius incrementum caloris.

Et si vlterius quæratur, vtrum recedat omnis calor proprius & innatus? dico vtrūque, vt propterea Arist. dixerit; putredo est corruptio propriæ, & innatę caliditatis. Per proprium intelligitur ille calor, a quo fit forma specifica mixti. Exempli gratia, in carne talis calor, qui constituit formam carnis. Itaque corrompitur vterque, sed primo proprius, *quia semper primo corrumpitur forma mixti, postea forma generica*,

Hactenus de causis putredinis naturalis. Superest, quid nomine caloris ambiētis intelligere oporteat. Multæ sunt sententiæ. Ego huius sum opinionis, intelligi solā aeris caliditatem, non aquæ, nō alterius corporis. *Quid nomine caloris ambientis intelligendum.*

Ratio

Ratio est, quia (vt dixi paulò ante) nunc est sermo de putredine naturali; in hoc oportet causam esse, quæ agat naturali modo: si causa præter naturam, constituit potiùs putredinem præter naturam.

Differentia inter putredinem naturalē, & prçter naturam. Ex quibus colligitur differentia inter putredinem naturalem, & præter naturam, ad veritatis differentias. Differunt enim primò Genere *nam naturalis est corruptio formæ vsque ad Elementa.* Corrumpitur Forma Specifica, & communis; nisi tamen accedat aliqua causa extrinseca. Propterea Arist. lib. 4. Meteor. c. 2. inquit: *Omne mixtum desinere in putredinem, quæ est finis omnium Elementorum, nisi accedat causa extrinseca, vt comburens.* In putredine præter naturam, de qua est sermo, non est necessarium. potest corrumpi vna causa specifica, vnum mixtum, relictis reliquis formis: potest exempli gratia corrumpi sanguis, & verti in pus: Corrumpitur sanguis, sed conuertitur in alium humorem; potest igitur corrumpi vnica.

1

2 Differunt etiam subiecto. Naturalis subiectum est, vel mistum per se subsistēs, vel pars alterius, est separatū à suo toto per naturalem interitum, vel animalis, vel plantæ. Si putrescat in toto viuente: hac ratione putrescunt humores, quia putrescunt in toto suo viuente ad differentiam, quæ non fit in mistis viuentibus.

3 Differunt præterea, quia mistum putredine naturali corrumpitur, etiamsi sit optimè temperatum: in prçternaturali corrumpuntur magna ex parte mixta perperam temperata.

4 Differunt quartò, quia in naturali corruptione omne humidum necessarium est, vt tandem desinat infimum, quod non est in præternaturali.

5 Differunt etiam causis. naturalis fit ab intrinseca, præternaturalis ab extrinseca. propterea putredo præter naturam precipuè fit ab aliqua caliditate externea per vim quandam. Quod si ab intrinseca, fit etiam violenter.

6 Differunt vltimò, quia causa extrinseca in putredine naturali est tantum aer; in præternaturali, potest esse aer, aqua, & quoduis corpus circumfusum misto putrescenti. His differunt, quæ omnia diligentiùs existimabuntur.

Breuis hactenus fui in proponenda differentia putredinis naturalis à prçter naturam, eò quod occasione eorum, quæ de humorum putredine nunc dicētur, pluribus etiam de reliquis agetur.

Quid humorū putredo. Humorum putredo potest comprehendi sub Galeni Definitione, quam proposuit his verbis lib. 8. meth. med. c. 8.

Corruptio formæ misti *Est corruptio formæ mixti, & mutatio ad substantiæ corporis corruptelam putrescentis à calore extraneo.*

Hæc Definitio & integra & perfecta est; & A quamuis possit communis existimari, & putredini naturali & præter naturam, nihilominus præternaturali magis conuenit. Ostendo priùs illius perfectionem; deinde quod magis conueniat putredini præternaturali.

Constat hæc ex tribus partibus, vt omnes accidentales definitiones; ex Genere, scilicet, proprio Subiecto, causa Effectiua. Genus est mutatio ad corruptelam substantiæ; subiectum proximum corpus putrescens; causa effectiua est calor extraneus.

Nomine mutationis ad corruptelam oportet intelligere non solum accidentium permutationem, vt Archangelus putat; sed etiam mutationem in substantia, vt paulo B infra manifestabo.

Constat ex hoc esse falsissimum, quod alij asserunt Gal. definitionem comprehendere tantùm rem mutatam; quinimo, vt obiter hoc dicam, si putredinis definitio ab Aristotele talis esset, qualem plerique existimarunt, melior esset Galeni, quam Aristotelis. Aristoteles calidum innatum primo in genere describit: si hoc verum esset, non effugeret Arist. obiectionem Archangeli. Itaque Galen. ipse quoque voluit accipere pro Genere non corruptionem calidi, sed corruptionem formæ mixti.

Subiectum corporis putrescens Zabarella increpat. Subiectū inquit nimis remotum; C sed si rem diligenter consideras, non intellexit corpus remotum; sed quod primò & per se potest putredinem suscipere, quale est mixtum, idq; similare vel dissimilare.

Dissimilare non potest accipere putredinem primò & per se, sed quia partes similares putrescunt, vt nerui, caro, &c. Ideo etiam ipsum dissimilare deinde corrumpitur.

Iam dictum est Causam immediatam corruptionis formæ mixti esse intemperātiam. Intemperantia autem cuius partis est morbus, instrumentariæne, an similaris? Profectò primò & per se similaris: Secundariò potest etiam tribui ipsi organo. Propterea D Gal. non increpandus, intelligit mixtum similare, vt mixtum est: addit à calore externo: proposuitque hanc causam, vt ostenderet, hanc Definitionem potiùs conuenire putredini præternaturali.

Sed causa huius Causæ est varia. in putredine naturali huiusmodi dissolutio venit à principio intrinseco. Igitur cum hic dicat à calore externo, voluit significare, quod definiat putredinem præter naturam.

Venio ad putredinem humorum; cùm sit putredo prçter naturam, consequenter dici potest mutatio ad corruptelam, substantiæ humoris putrescentis ex dissolutione Elemētorū ex causa extrinseca: sed tamē à causa externa debet fieri hæc dissolutio. Nomine dissolutionis ad corruptelā nō tantùm intelligenda præuia formæ corruptio, sed corruptio in fieri substantiæ. Si enim seruetur

forma

forma mixti, quamquam fiet alteratio magna, & non fiat mutatio substantiæ, non potest dici putredo. Vultis hoc videre in Gal. lib.9.met.med.c.1.2.3.4.& loquitur de synocho nō putrida; quæ fit ex sanguinis efferuescentia: nemo profecto negabit in tanta sanguinis ebullitione fieri alterationem, non tamen est putrida. vocat Gal. hanc febrem mediam inter Ephemeram, & Putridam.

Sed clariùs legatis com. aph. 17. sect. 2. in fine, vbi inquit, mutationem sanguinis comparari posse mutatione uini, inquit, quod aliquando aciditatem contrahat, nunquam prorsùs in acetum conuertatur, &c. Sic inquit contingit etiam sanguini, vt aliquando videatur accedere ad naturam putredinis. in tali casu, inquit, non est dicendū sanguinem esse corruptum, sed dicendum, esse in multitudine auctum.

Itaque recedant isti, qui existimant putredinem Medicorum esse Qualitatem tantùm extraneam. decipiuntur. Itaque putredo humorum vera est corruptio formæ substantialis ipsius humoris, quæ fit multis modis, & pro uarietate formarum humoris, & causæ efficientis.

Pro varietate formarum humoris. unusquisque enim humor habet uarias formas sibi inuicem subordianatas. Exempli gratia, sanguis habet formam sanguinis, deinde humoris, tertio mixti, ita vt possit corrumpi forma sanguinis, & maneat humor: si humor, manet mistum.

Alia causa est ex parte causæ efficientis. Causam Efficientem intelligo calidum innatum, facultatem concoctricem, quæ consistit in parte seminali, precipuæ in venis & arterijs, quæ continet humores. Dicebat Gal. com. 2. in 1. epid. text. 47. & propterea, quādo virtus ualida non permittat corrumpi, & si corrumpatur, statim natura uel ad meliorem statum reducere, uel statim supprimere corruptionem conatur, ne ulterius transeat illa corruptio ad benigna.

Contra vbi hæc facultas uenarum est corrupta, fit putredo insignis. hinc fit ut Galen. lib.1. de diff. febr. c.6. constituerit tres putredinis differentias. Prima putredo est, quæ fit superante natura. Secunda quæ fit superata natura. Tertia est media inter primam & secundam. Explico singula diligenter.

Duplex putredo. 1. Superante natura. Putredo, quæ fit prorsùs superante natura, in qua humor amittit unicam formam specificam. Sed quid contingit? Hæc statim ac est inducta, calor naturalis cōuertit hunc humorem in eum, qui non possit corpori esse noxius. Galenus ipse exēplificauit hanc rem exemplo abscessuum priuatorum.

Sed antequam progrediar, agam de obiectione Iouberti, qui in lib.2. parad. cap.2. minimè admittit huiusmodi cōuersionem sanguinis in pus fieri ex putredine, &c. addit rationes, quæ uidentur apparentes, sed tamen

A sunt nullius momēti. quod pus fiat à calore natiuo, quod species concoctionis, uerissimum; quod non fiat ex putredine, Falsissimum. Si uelit dicere pus iam conuersum in substantiā albam, non esse amplius putredinē concaderem. Ergo non sequit ad putredinem sanguinis: nego eam cōsequentiam; propterea Gal. 2. progn. com. 42. quāquam apertissimis uerbis affirmet huiusmodi conuersionem sanguinis in pus propter concoctionem, non tamen negat aliqua ex parte esse putredinem, quæ tantū in pus conuertitur, propterea quod dicitur, concoctio est impropria locutio. Si vultis hoc uidere, legatis Gal. lib.5. de simpl. mad. fac. cap.6. & 2.

B acut. 44. vera ibi concoctio duas habet conditiones. Prima, ut fiat à calido naturali. Secunda, ut materia sit apta ad uertendum in substantiam nutriti: prior potest dici cōcoctio, quæ fit à calido innato. Sed quia non potest nutri. e, ideo non dicitur uera concoctio. Cadit ergo primum fundamentum.

Quod secundò affert, omnē putredinem esse cum fœtore, confiteor omnem putredinem, dum persistit, esse cum fœtore.

Dicit pus non continet fœtorem: Non continet, quia iam mutata est substātia corporis putrescentis. stat itaque prima differentia putredinis.

C Hanc putredinem lib.11. Meth. med. cap. 9. uocat semiputredinem. loquitur de hac putredine, in qua calor natiuus superat naturam putrescentem. Vide capit. 8. artis medicinæ.

Secunda Differentia putredinis erat, in qua calor natiuus prorsùs superatur. Causa, propter quam cōuincatur hic calor, ait Gal. lib.1. de diff. feb. c.6. est duplex, insignis scilicet malignitas humoris putridi, & insignis imbecillitas venarum & arteriarum. Quocumque modo se habeat, necessariò mutatur hic humor in omnes prauas formas, & hæ antequam corrumpātur, habent omnes prauas qualitates. Materia fit viridis, nigricans, habet fœtorem. sect. 4. aphor. 1. in 6. *2. Superata natura.*

D Epid. tex. 29.

Tertia, in qua natura partim vincit, partim vincitur. Exempli gratia, humor putrescens poterit habere prauum calorem, sed non fœtorem, aut contra: vno uerbo, vult in hac media non adesse omnes prauas conditiones, aliqua semper naturalis seruatur substantia, calor, odor. *3. Inter has media.*

Ostendi hactenus ex Galen. sententia tres esse in humoribus Putredinis differentias; quarum prima est vnius tantum formæ specificæ humoris putrescentis superante natura ex toto. Secunda plurium humorum putrescentium superata natura. Tertia quæ media est partim superante, partim superata natura. Sed circa primam Differētiam volo vnum vos notare, propter quædam dubia, quę inferius inferuntur: primam differentiā,

quam-

quamquam habeat vnicam formæ humoris corruptionem, nihilominus magna ex parte deſinere vſque ad Elemẽta. hanc rem docet Gal. lib. 2. de diff. febr. cap. vlt. In humoribus putreſcentibus partem diſſolui in halitum, partem in cineres, imo inquit, partes ichoroſas ſubſtantiæ putreſcentis digeri, & in fumos conuerti.

Hinc colligitur ſubſtantiam putreſcentem diſſolui prorsùs, & tandem in propria Elementa diſtribui.

Sed aduertite hanc diſſolutionem miſti non fieri à calore natiuo per humorẽ putredinis: aliud eſt humorẽ putreſcere, & diſſolui vſque in Elementa ratione putredinis: aliud humorem putreſcere, ratione calidi innati. Quando in cineres, non eſt putredo, ſed potiùs vel vſtio vel ebullitio.

Itaque in hoc differt Tranſmutatio humoris à putredine, quia vbi putreſcũt vſque ad Elementa, corrumpuntur ob caliditatem extraneam. Et idcirco corrumpuntur vera putredine, ſecus hic tantum per vſtionem, vel ebullitionem.

Subiectũ putredinis in corpore humano. His explicatis venio ad ſubiectum putredinis in humano corpore.

Eſt hoc duplex: Commune, Proprium, & adæquatum. Remotum eſt mixtum. *Omne miſtum ſimilare in humano corpore eſt ſubiectum putredinis.* Itaque in humano corpore mixta ſimilaria ſunt Subiectum putredinis, & ex his omnibus poſſunt febres excitari. *1. Commune.*

Proximum eſt humiditas propria vniuſcuiuſque mixti.

Quantum ad ſubiectum remotum ſunt miſta. Per mixta intelligo partes ſolidas continentes, & contenta, humores, & ſpiritus amplector: quæ etiã eſt Valleſij ſentẽtia.

Nomine humorum intelligo alimentales, & non alimentales.

Per Alimentales intelligo chylum, quatuor primos humores, nec non quatuor ſecundas humiditates, vt ſunt, ros, gluten, cambium, &c.

Non alimentales ſunt adhuc alij vtiles, alij inutiles. Vtiles ſunt Pituita Dulcis ſeruata in vẽtriculo pro nutritione corporis tempore defectus alimẽti: huiuſmodi pituita eſt quidem minimè alimentalis, habita ratione alimenti, ſed tempore euadit alimentalis.

Non alimentalis, ſed vtilis, eſt Bilis, & illa quæ ſeruatur à natura ad inteſtinorum irritationem, & vt illa Melancholia Acida ad ventriculi appetitum faciendum fluat.

Sunt quoque inter humores minimè alimentales, ſed vtiles, Pituita Acida, ſemen pro generatione, lac, ſanguis menſtruus pro nutritione fœtus.

Inutiles & Excrementitij ſunt Bilis, cuius variæ ſpecies, praſſina, æruginoſa, vitellina, pallida: pituita acida, mucilaginoſa, ſalſa, vitrea.

Iſtę oẽs ſpecies excremẽtitię, ſunt inutiles.

A Similiter melancholia alia Naturalis eſt, alia præternaturam.

Per humores igitur hos omnes intelligo.

Ex quo colligitur, non abſque ratione antiquiores (vt Athenæum, Attalum) maximi nominis apud Galen. Medicos, exiſtimaſſe omnes febres eſſe Putridas, quã ſententiam non auſus eſt impugnare: Excipit tantum Ephemeras. Ratio eſt in promptu; quia nomine humorum putreſcentium intelliguntur etiam ſecundæ humiditates, vt ros, gluten, cambium, quæ vbi putreſcũt, pertinent ad partem ſolidam. Et hac ratione febres Hecticæ poſſunt dici putridæ.

Sed quia excipit Ephemeras, hoc diligenter cõſiderandum. B Sententia Gal. poteſt dupliciter intelligi; vel quod Ephemera numquam poſſit eſſe putrida; vel quod magna ex parte abſque putredine. Hoc ſecundo modo ſententia eſt vera: prior verò falſa.

Ratio falſitatis conſtat experimẽto, quia dãtur febres Peſtilentes Ephemeræ, quę vnica die interficiũt, quales fuerunt febres illæ Britannicę ſudorificæ, quę ſpatio 24. horarũ interficiebant. Sunt ex ſpiritibus putreſcentibus, & putredinem habent inſignem. Ratio. ſpiritus ſunt mixta. Omnia mixta ſunt putredini ſubiecta. Ideò Ariſt. lib. 4. Meteor. c. 2. dicebat, omnia Elemẽta præter ignem putreſcere, non quatenus ſunt corpora ſimplicia, C ſed quia ſuſcipiunt miſtionem alterius Elementi. Si igitur aqua & terra putreſcũt, multò magis putreſcit ſpiritus. *Quod ſpiritus poſſit putreſcere.*

Alia ratio; omnia, quæ poſſunt admittere miſtionem corporis putridi, poſſunt etiam putreſcere; ſed ſpiritus hoc poteſt. Ergo poteſt putreſcere. Maior manifeſta; Minor probatur ex Ariſt. lib. 4. Meteor. cap. 2. omnia putreſcere, præter ignem, qui non admittit miſtionem.

Neque eſt cõtradictio, quod 25. problem. inquit etiam aerem nõ putreſcere. loquitur enim ibi de aere ꝓpinquo ſphæræ ignis, de aere ſcilicet puriſſimo: inferior hic omD ninò poteſt putreſcere. Igitur cùm ſpiritus ſint miſta, conſequenter poterunt putreſcere, & dari aliquando Ephemeræ putridæ.

Subiectum itaque commune putredinis eſt omne Miſtum. *Subiectũ propriũ.*

Proprium Subiectũ eſt humiditas cuiuſcumque mixti, vt Gal. docuit lib. 11. ſimpl. c. de ſale, 3. in 3. epid. 1. Si debet fieri putredo, humiditas debet ſuperare actiuam qualitatem. quò igitur corpus humidius, eò faciliùs putreſcit. Hinc fit, vt melancholia, pili, & oſſa &c. difficiliùs putreſcant.

Quæſtio. Dubium eſt, num hæc humiditas, vt facilè putreſcat, debeat coniungi frigiditati, an caliditati? nam ex vna parte videtur, quod frigiditati, quia putridum redditur frigidius. Nihilominus vide bis Gal. ubique, ut lib. 8. Met. med. c. 7. lib. 1. de diff. feb. 3. lib. de cur. per ſang. miſſ. &c. ſtatuere corpora calida & humida

humida putredini esse obnoxia. Hæc res habet difficultatem. Quia Arist. contrarius lib. 4. met. c. 2. apertè scribit, corpora calidiora minus putredini obnoxia. Experientia etiam videtur opposita.

Non obstantibus istis, censendum est corpora calida & humida citiùs putrescere, seruatis cõditionib. propositis, loco cita. quarũ prima est, vt huiusmodi corpora cõtineantur in aliquo loco calido, & angusto; in loco frigido & aperto nõ facile putrescunt, propterea rectè sentit. Arist. loco citato.

Secunda cõditio est, vt hæc corpora non difflentur, aut ventilentur. Si hoc prohibeatur, calida & humida putrescunt. Putrescunt calida & humida, quia ista caliditas innata, quando non potest difflari, fit *sibi ipsi præter naturam, hæc ipsa caliditas agit in seipsam*, consumitque propriam humiditatem.

Ad obiectionem, de sanguine dico, citiùs putrescere quàm alios humores, seruatis his conditionibus.

Propterea si sermo fiat de locis determinatis, videbitis citissimè putrescere, si in venis communibus, vt ibi putrescit. de qua re suo loco.

Obiectiones. Hactenus de Subiecto communi, & proprio putredinis ex sententia Galeni. Sed non defuerunt nouorum dogmatum inuentores, qui artem monstris replere voluerunt. Et quia eorum autoritates alicuius sunt momenti, breuibus de his agere, & eorum rationes explodere conabor.

1. Nullũ humorẽ posse putrescere. Aliquorum est sententia nullum prorsus humorem posse putrescere, illisque duobus argumentis vtuntur. Primum est, omnes febres sunt passiones calidæ, & siccæ. Ergo non possunt fieri ex putredine. Probatur consequentia. quæ enim sunt putrida, sunt seipsis frigidiora, si putredo habet frigiditatem. Ergo febres non fiunt ex putredine.

Aliud: putrida ideo euadunt putrida, quia calor extraneus corrumpit propriam caliditatem; Ergo sequitur febres fieri non posse ex putredine. Probatur consequentia, quia multę febres fiunt ex causa frigida, vt ex obstructionibus cutis.

Respõsio. Istæ sunt rationes leuiores, quas breuibus dissoluo. Quo ad primum; nego consequentiam, dum dicũt putrida esse frigidiora. Respondeo dupliciter; aut sunt frigidiora post putredinem, vel sunt frigida caliditate innata. Secundũ argumentum magis ridiculũ. Putrida quidem ideo euadere putrida, quia calor extraneus corrumpit proprium, concedimus; consequentiam vero negamus.

Opinio igitur hæc satis est leuis, quãquam à viris satis doctis probata.

Opin. Iuberti, sanguinẽ nõ in omnibus febri. Secunda opinio est Iuberti lib. 2. Parad. cap. 2. qui putauit in febribus tantùm perniciosis & pestilentibus putrescere sanguinem tantum, in leuioribus humores nũquam putrescere, sed tantum vri. Habet rationes. 1.

A humores ideo putrescũt, quia pauci, vel extra proprium locum sunt, vel quia non mouentur, vel quia sunt in loco angusto: sed sic est, quod humores intra venas nullum obtinent ex conditionib⁹ propositis. Ergo intra venas non possunt putrescere. Minor probatur, Ergo ratione copiæ non potest putrescere. Præterea sunt in proprio loco, 3. ibi etiam mouentur; sunt enim in loco amplo, venis s. communibus, ideo non est tanta copia, vt motus eorũ impediatur. Similiter non potest impediri eorum ventilatio. *bus putridis putrescere.*

Non potest etiam putrescere extra venas. Nam si sermo fiat de synceris humoribus, in his numquam videmus humores putrescere;
B Si aliquod adest signum putredinis, contingit potiùs ratione sanguinis permisti, quã alterius humoris. Verùm Erysipelas nunquam putrescit; si non extra venas; ergo minus in venis.

Alia ratio. Huiusmodi humores extra venas non congelascunt; præterea, cum putredinis comes sit fœtor, &c. & tamen in febribus benignis fætor non adest; præterea, putredo in benignis febribus est conuersio in pus, quæ conuersio in pus est concoctio; ergo non putredo lib. 5. simpl. cap. 6.

Denique inquit, in hac benigna putredine humores conuertuntur in cineres; quod est argumentũ ebullitionis, non putredinis.
C Itaque propter has causas asserit humores nõ posse putrescere præterquam in febrib. malignis. Quæ opinio non est accipienda. Quamquam enim videatur probabilis, in sequentibus tamen refutabimus, quando erit sermo de loco vbi putrescunt.

Erat dubitatio de humoribus putrescentibus, numquid scilicet vel omnes, vel aliqui eorum siue intra, siue extra venas putrescere possint, vt febres excitent. Cùm enim decretum sit, non tantùm humores, sed solidam substantiam, & spiritus etiam putrescere posse, nihilominus fuere, qui omnia confuderint. Alij nullum humorem putrescere posse; alij omnes, excepto Sanguine;
D alij omnes excepta Melancholia &c. Ego singillatim horum sentẽtias nolui examinare, sed proposui Iuberti rationes; addam nunc alias, quæ ab ipso prætermissæ sunt, & postea omnibus satisfaciam.

Obiectio, bilem & melãcholiam non posse putrescere. Præter rationes Iuberti comprobant nonnulli Bilem & Melancholiam non putrescere, quod sint humores sicci. Ex sententia autem Galeni ad inducendam putredinem necessaria sit humiditas. Et ideò sunt, qui dicũt excepto melancholico humore omnes putrescere, eo quod sit siccus.

Sanguinem non putrescere. Alij sanguinem negarunt posse putrescere, quia sanguis seruatur pro uitæ thesauro à natura. Nituntur etiam authoritatibus Gal. lib. 2. de diff. feb. cap. 9. & lib. 2. de Cris. c. 12. sanguis, ubi corrumpitur, ratione tenuioris partis in Bilem, crassioris uerò in Melãcholiam

liam conuertitur, non autem putrescit. Itaque inquiunt, sanguis sub propria forma nunquam putrescit.

Quantum verò ad locum, audiuistis, quibus argumentis probauerit Iubertus nō putrescere in venis. Addo aliam rationem veterum, Trall.lib.12.c.2.argumētum tale est; nusquam & nūquam in venis vermes generantur. Ergo, nūquam humores putrescunt.

Hæ sunt potiores rationes, quibus antiqui & recentiores probarunt putredinem non fieri ī venis, & humores potiùs ebullire, quā putrescere. Primò cùm dicebamus humores in venis nō posse putrescere, quod sint in loco proprio, maxima copia, difflentur ꝓpter loci amplitudinē. Respōdeo, his seruatis cōditionib⁹ nūquam putredinem in corpore fieri. Sed quia multæ accedunt causæ præter naturam, cōtingit, vt possit etiam putredo excitari. Causæ hæ paulò post patebūt, quando erit sermo de causis putredinis.

Ad rationem de vermibus: non fiunt vermes: Ergo nō putredo. Nego Cōsequentiā. Primò necessarium nō est, vt ex oī putredine fiat vermis. Vinū si fiat acetum putrescit, tamen nō fit vermis. Lac, pars pomi, & pyri, si corrumpatur, &c. Ergo falsa positio.

Sed præterea dico: in putredine inter venas vel naturā superare humorem putrescētem vel superari; si superat, cōuertit substantiam illam putrescentē in materiam puri similē. Cuiusmodi trāsmutatio est proinde ac si natura generasset vermen. Nā sicut in alijs rebus putrescentibus fit vermis: ita hæc materia puri similis, quæ est quasi vermis.

Quod si contingat vt humor putrescens superet, generatur putredo ita noxia vt corrumpat animal. Itaque hoc argumentum nihil concludit.

Iuberti opin. refutatur. Quod dicit Iubertus, Putredinem esse cōuersionem in pus; & conuersionem in pus esse coctionem, respōdi superiùs. Et dixi esse quidem opus caloris naturalis; sed non sequitur. Ergo materia, ex qua genitum fuit pus, non fuit puredo. Non valet Consequentia; pus fit à calido innato; Ergo non fuit putredo.

Fœtorem nō nunq̄ esse in venis. Pariter, quod dicit de fœtore: fœtor est comes omnis putredinis: in venis non, quia non est fœtor. Dico, Domini, aliquando in venis esse maximum fœtorem, vt etiam fœtor è venis exeat; præsertim in febribus pestilentibus, vrinæ sunt fœtidissimæ: falsum itaque.

Sed dico præterea, non semper in putredine venarum esse fœtorem, quia quando natura cōuertit in materiam puri similem, cessat fœtor: fuit fœtor, sed recessit, vbi natura superauit.

Resp. ad 3. argumentum. Ad tertium Argumentum, vbi ex Gal.lib. 2.de diff.feb.cap.vltimo. pus conuertitur in cinerē; Ergo est vstio in humoribus: respondi etiam, & solutio est: putrescere in primis humorem, deinde à calido innato posse vri tenuiorem, & mutari in halitū, crassiorem in cinerem cōuerti. Itaque huiusmodi vstio fit in materia vbi non est ampliùs putredo. Itaque non valet: fit vstio in tali materia; Ergo non est putredo: potuit fuisse.

Probat deinceps humores nō putrescere extra uenas. Inquit, nō gelascunt; Ergo non putrescunt. Consequentia leuissima. *Congelascere & concrescere est passio; quæ non conuenit omni misto sicut putredo: sed passio*, ut lib. 4. Meteor. scribitur. Itaque corpora ex humido & sicco facilè cōcrescunt, quia habēt admistam substantiam crassam, cum parte terrestri; & quia sanguis in se habet fibras consequenter concrescit; reliqui, qui non habent fibras, nō possunt. Propterea nulla est Consequentia, quando addit sinceros humores non putrescere in priuatis tumoribus. Prius enim est falsissimū. Id quidem uerum est, in sinceris humorib. fieri difficulter putredinē. Videatis. Galenum. lib. 2. ad Glauc. cap. 7. in abscessibus, qui difficilem suppurationem, sed non impossibilem, inquit, &c. propterea in cancris uidebitis tandem trāsire in ulcus.

Quod Bilis putrescat. De Bile etiam dicebat Hip. sect. 7. aph. 20. Erysipelas transijsse in suppurationem: quāquam existimemus esse Erysipelas spurium, nihilominus Erysipelas ab humore prædominante. Sed demus, non putrescere, nisi ob mistionem sanguinis: in uenis semper sunt humores admisti sanguini. Satis est, illas posse putrescere intra, & extra uenas.

Ad rationem de Melancholia, & Bile. *Sunt humores sicci potentia, actu corpora humida*, & eatenus putrescunt.

Hactenus de substātia humoris putrescentis. & quanquam difficultas de sanguine, maxima omnium, dabitur cōmodior locus de synocho putrida. Intelligetis, & probabo sanguinē posse putrescere sub ꝓpria forma.

Ex his omnes puto explosas hæreses ab antiquis & recentioribus propositas.

Dico omnes. Nam Gal. lib. 2. de diff. febr. c. 1. dicit fuisse sententiam admodum erroneam, omnes febres esse ex Bile non putrida. quam sentētiā habet autor Libri de Natura humana pluribus uerbis (siue sit Hipp. siue Polybius, non tamen uidetur esse uel Hipp. uel Polybij, quia ibi fit mentio Synochi: appellatio autem Synochi tunc tēporis, quando illi uixerunt, nōdum fuit nota) sensit omnes seu magnam partem febrium ex Bile ortum duxisse, quod defendit etiam Iubertus omnium paradoxorum autor. Legatis istud paradoxon Paradox. 3. lib. 2. *Iubertus omnium paradoxorū autor.*

Non defuerunt qui existimarunt Putredinem non fieri in corde. Potest fieri, dico, in uasis communibus, determinatis extra uenas, in uentriculo &c. Intelligo omnes cauitates in humano corpore: intelligo omnia spatia inania, denique omnem locum extra venas & arterias.

Sed

Sed fit aliquando putredo etiam in ipsis cordis ventriculis primariò, & secundariò. Primario fit tantùm in febribus pernitiosis, quando vel ex contagio aeris putridi coninquinantur humores; vel si comprimuntur spiritus intra cor, ex insigni obstructione vel inflammatione pulmonum, vt non possint euentilari. Itaque siue ex aere externo, siue interna causa spiritus inficiatur, potest fieri primariò; secūdariò in quacumque alia febre: *quia nunquam potest appellari febris putrida, nisi humores cordis putredinem suscipiant.* Sed, Domini, est dubium: si humores cordis putrescunt; Ergo omnis febris erit pestilens pernitiosa, vt colligitur lib. 3. de præs. ex pul. cap. 4. Sed facilis solutio, Loquitur ibi Gal. de putredine *solidæ cordis substantiæ*, non de putredine in corde contentorum: nomine solidæ substantiæ intelligo *secundas humiditates per totum corpus distributas.*

In intermittentibus suscipiunt putredinem ratione fuliginis; in cæteris ratione substantiæ propriæ humoris cordis.

Explicaui hactenus varias humorū putredinis differentias: Exposui etiam proprium & commune huius subiectum: docui præterea locum, in quo hi possūt putrescere: Succedit in præsentia, vt de causis sermo fiat.

Causę humorū putredinis.

Difficilis est hæc tractatio, propter eorum fere omnium sententiam, qui existimant apud Gal. nullam aliam reperiri humorum putredinis causam, præter vnicā prohibitam transpirationem. Ita inualuit hæc Opinio, vt Excellētissimi etiam viri in priuatis & publicis lectionib⁹, soleant omnem putridam febrem in prohibitam transpirationem, & obstructionem referendam esse contendere. Difficile igitur propter hāc tractionem difficilem, quia apud me lōgè distat à veritate.

Refutatur eorū opinio q solā transpirationem prohibitam causā esse docent putredinis.

Qui igitur putredinis causam existimant esse transpirationem prohibitā propter obstructionem, mouentur authoritate Galeni lib. 9. Methodi med. c. 3. & lib. 11. Methodi med. c. 4. & alijs sequentibus pluribus, in his locis solùm huius prohibitæ transpirationis mentio fit. Et ratione, nam si quæ debent putrescere, sunt calida & humida, vt ex Gal. ostendimus, necessario talia putrescunt ob prohibitam transpirationem. Nam corpus calidum non potest putrescere, nisi amittat propriam caliditatem, quod non fit, nisi ab alieno calore fortiore. Hic calor non aliam ob causam augetur, quam propter prohibitam transpirationem.

Hæc sententia est contra rationem, & contra authoritatem.

Quod contra rationem, facile est probare ex Definitione Putredinis, quę siue naturalis sit, siue præter naturam, semper est *corruptio formæ misti similaris ab extranea caliditate.*

Quid putredo?

Calor igitur extraneus est ille, qui surripit calorem misti, & cōsequēter inducit putredinem. Si hic calor extraneus augetur ob solam prohibitam trāspirationem; vera est illorum sententia: verùm si etiā propter alias causas, quæ est ratio, vt dicamus, putredinē fieri ex sola prohibita transpiratione?

Quod sic, adest ratio in illo libro de causis morb. c. 5. lib. 1. de diff. feb. c. 3 *non tantū augetur ex phibita trāspiratione, sed et ex morsū, vicinia corporis calidi, assumptis calidis, & putredine.* Ergo causæ variæ & eæ quinque: Igitur & quinq; modis fit febris putrida. Legatis explicatissimis verbis apud Gal. lib. 2. de diff. feb. c. 9. cū supposuisset sāguinē putrescere, eius etiam addit causam. His itaque mētio fit nō vnius tantùm causæ, sed inquit sanguinem putrescere, quando separat ab externa caliditate, vt est motus, vicinia, &c. Authoritas Gal. lib. de inæq. intemp. cap. 7. inquit nō tantùm ex obstructione putredinē fieri, sed causis multis, quas inquit se alijs locis retulisse, quorū sunt duo; alter est citatus iam; alter est lib. de causis morb. c. 8. vbi inquit putredinem fieri ex obstructione, medicamentis putrescentibus, excrementis putridis retentis.

Vidit hunc locum Altimarus 1. parte, de feb. 33. inquit verum est Gal asserere loco cit. putredinem fieri, vt diximus: sed inquit aliud est loqui de putredine, de qua lib. 11. Methodi med. aliud est loqui de corruptione: de qua lib. de causis morb. c. 8. quæ non vera est putredo, sed corruptio tantum: propterea nomine putredinis intelligit generalem corruptionem. Sed eū hoc dixisse, mi ror; locus potest ab omnib⁹ videri Gal. proponit, mēbrum posse corrumpi ꝑpter quatuor causas, per cōbustionem, refrigerationem, sectionē, & quartò, vbi putrescit. Quid est igitur, quod dicat generalem corruptionem intelligere, si speciatim vniuscuiusque meminit. est voluntaria interpretatio.

Refutatur Altimarus.

Aliqui aliter Galenum tuentur. Cardanus 1. cōtrou. tract. 2. controu. 6. examinat hanc difficultatem. Et quia vidit loca Gal inquit, aduertite aliud est loqui de humoribus generatis, aliud loqui de generandis. Si sermo de genitis, non potest corrumpi, nisi propter prohibitam transpirationem.

Refutatur Cardanus.

Hæc opinio est falsa. si n. vera esset hæc sententia, sequeretē nunquā humorem posse putrescere à principio intrinseco. Cōsequēs est falsum, ergo etiam antecedens. Veritas lib. 1. de diff. feb. c. 3. circa finem primo loquitē de multitudine quo ad vasa, & loquens de hac inquit, huiusmodi cōstituere febrem putridā propter obstructionem & prohibitam trāspirationem, postea de plenitudine, quo ad vires, inquit humores tūc putrescere, quando non ampliùs possunt vinci ab ipsarum venarum facultate: Igitur non fit hoc loco putredo à prohibita transpiratione.

Hinc lib. de curat. per sanguinis miss. c. 5. plenitudinem quo ad vires, facillimè putredinem inducere ait, & faciliorē esse conuersionem humorum in putredinē in plenitudine quo ad vires, quam in altera. Ratio est, quia calores non reguntur à calore innato. Ergo falsum est quod dicitur à Cardano.

Nec dicat quis, quod Caprilius, qui doctissimè scripsit de febribus, inquit verum quidem est, posse humores putridos gigni absque obstructione, & prohibita transpiratione, sed isti febrem non inducunt.

Videtur accepisse ex Gal.lib.1.de diff.feb. cap.3. Cum loquitur de humoribus, qui putridi, generantur propter cibaria assumpta; inquit, quamquam illum locum non proposuerit. Sed hæc respõsio nil nisi fuga est. Verum quidem est humores, qui sunt in primis vijs, quamquam corrupti, nõ facilè febrem inducere, nisi totius fiat corporis cõstrictio. Verùm si putredo fiet propter causam propositam, poterunt excitare etiam febrem, etiamsi non sequatur obstrictio, & prohibita transpiratio; nec solum febris excitatur, sed & febris maligna. Ratio: quia humores isti, vbi putrescunt ex defectu facultatis venarum, est putredo ex illa specie, quæ fit superata natura, fit inquam quæ omnium deterrima constituit febres pestilentes.

Itaque falsum, fieri febrem, vel humores putridos ex sola obstructione, & prohibita transpiratione.

Cùm igitur hoc falsum; veritas erit, humores putrescere immediatè ex causa externa, vel causa intrinseca.

Causa putredinis externa triplex. Externa causa triplex: aer, cibus assumptus, medicamenta putrescentia.

1. Aer. Quantum ad aerem, scribit Gal. lib. 1.de diff. feb. c.3.& 4. Ex aere putrido & pestilenti, tales febres generari. fiat hæc receptio quo modo velit, siue sit ex corporibus, leguminibus putridis, siue per transpirationem, siue per respirationem: & ait, sit siue ex antro, siue ex palustribus locis, siue ex corpore putrido. Et hæc prima causa, quæ fit absque prohibita transpiratione.

2. Cibus, & potus putridus. Secunda, cibus, & potus putridus. Si quis in annonæ defectu aliorum ciborũ assumat olera, aut fructus; nam ex putrido putridum fit, teste Gal.lib.de succorum bon.& vit. lib. 1. de diff. feb. cap.3.

3. Putrescẽtia medicamenta. Tertia causa sunt putrescentia medicamẽta, quæ docuit Gal.lib.3.& 5. simpl. cap.15. Nomine putrescentium medicamentorum intelligit septicum calidum & siccum in quarto gradu, non putridum aliquod. Propterea ex hoc genere conficiuntur nostra caustica communia.

Et propterea Galenus etiam secundo acut. com. 12. prohibet frequentem vsum purgantium.

Ab antiquis vsurpata erant admodum deleteria, & caustica: habetis externas causas.

Causæ internæ. Internæ, contactus à putrido, aut intemperies humoris putrescentis, aut caliditas externa.

1. Contactus putridus. Quantum ad contactum putridi, res est clarissima, & propterea huiusmodi contactus potest fieri, vel à parte solida putrida, vel ab humore.

Parte solida quando iecur, lien, &c. tentatur eiusmodi putredine. Puto vos obseruasse in phthisicis, excitantur febres humorales putridæ.

Quod dico de parte solida, dico etiam de humoribus. Omnes humores possunt coinquinari, vt signis putredo sequatur.

2. Intemperies humoris putrescẽtis. Secunda causa est Intemperies humoris putrescentis, vbi humor quis redditur intemperatus vel humidior, vel frigidior, vel facilior est vt in putredinem transeat.

Contrahit caliditatem & frigiditatem, dum generatur.

Ex obiecto, vel concoquente facultate.

Ex obiecto, vbi generatur ex prauis alimentis, oleribus, fructibus, &c.

Ex facultate autem, quando facultas venarũ vniuersi corporis non potest dominari ipsis humorib. lib. de cur.ratione per sanguinis miss. cap.5. inquit, sicuti in vẽtriculo, vbi cibi corrumpũtur, variæ fiunt corruptiones, ad aridũ, ad nidorem, &c. ita fit in iecore, & venis, si cessat verbi gratia facultas sanguificatrix hepatis, humidiores & frigidiores fiunt humores. & alimentum cõuertit in eosdem prauos humores, qui etiã in ventriculo generantur. Legite hoc caput, quia est pulcherrimum. Ita accidit etiã in iecore, & venis, vt propterea generentur aliquãdo humores frigidiores, calidiores, humidiores.

Corrumpuntur autem geniti, quando nõ possunt regulari à calido innato partium, lib.1. de diff.feb. cap.3.

3. Calor externus. Tertia causa est ex calore externo, quando hic vincit calidum internum humoris. Nomine calidi externi non intelligo solam prohibitam transpirationem, sed omne causam, quæ habet rationem extrahendi calidum innatum ab humore putrescente, siue sit calor solis, motus, medicamenti accepti, iræ immodicæ, &c. omnes poterunt putredinem inducere per prohibitam transpirationem. lib. secundo, de diff.feb. cap. nono. Itaque hæc est vltima causa, propter quam humores putrescant, calor scilicet extraneus quicunque.

Cãę prohibitæ transpirationis. Sed si sermo fiat de prohibita transpiratione, huius causæ non aliæ sunt, quam vel obstructio ab humoribus multis, crassis, frigidis & lentis Gal.lib 9.& 11. Methodi med. Multitudo augetur ex nimio cibo, otio, suppressione menstruorum, hæmorrhoidum, intermissa alia consueta euacuatione, vel membro mutilato.

Quantum ad crassitem, & lentorem; causæ harum generantes sunt cibi frigidi, & crassi, sicci, legumina, edulia ex pasta, caseus, caro bubula, pisces crustati, quæ impelluntur in venas minores corporis, aut attrahunt.

Impelluntur propter vinum generosum, aut cibos acres, aut diuretica.

Attrahuntur, vel ob nimiam exercitationem, frictionem, balneum, insolatum quam-

quamcumque corporis motionem. Hæ sunt causæ, quæ putantur necessario efficere prohibitam transpirationem.

Præter has est etiam alia causa pulcherrima à paucis posita; non est tantùm obstructio; quandoque causa referenda est in Facultatem, & Instrumentum.

Ratio propter quam fit transpiratio. Ratio propter quam fit transpiratio totius corporis est triplex: viæ apertæ, facultas expultrix venarum, & arteriarum totius corporis, & obedientia instrumenti. Si non concurrunt hæc tria, numquam fit transpiratio. Si concurrunt tres causæ, quamobrem vnicæ tantum ad prohibitam transpirationem meminerunt, scilicet tantùm viæ nempe obstructionis? Veritas est apud Galenum, qui lib. 11. meth. med. cap. 4. apertissimis verbis inquit, prohiberi inflationem, & transpirationem, si deficiat arteriarum obedientia, quam pauci viderunt, 2, in 3. epid. tex. 1.

Propterea non tantùm prohibetur transpiratio ex obstructione, quantum etiam ex arterijs inobedientibus, & in his omnibus causis libera humorum transpiratio potest impediri.

Dicebam causas putredinis humorũ alias immediatas esse, alias mediatas. Immediatas hactenus explicaui, quandoquidem alias redegi ad externas, quasdam ad internas. Inter externas est aer putridus, assumpta putrida, & medicamenta putrescentia. Internas contactus rei putridæ, intemperies, quæ declinet ad humidum & frigidum. Est denique externus calor. Superest in præsentia, vt soluamus quædam Dubia supra prolata, & Mediatas proponamus Causas.

1 *Dubium.* Primum dubium est contra totam determinationem, qua diximus putredinis humorum esse plures causas. Galen. authorit. lib. 9 meth. med. c. 3. lib. 11. meth. med. c. 4. & seq. in quibus solius prohibitæ transpirationis meminit, à qua putredo producatur.

Respõsio. Non est difficile his locis satisfacere: non loquitur de causa putredinis, cuiusq; febris, sed de synochis, seu continentibus. Vultis hoc videre? Legatis lib. 9. meth. med. cap. 3. inquit, esse in fieri in corporibus, &c. subiungit corpora frigida & humida longè abesse ab hac febre, &c. Ego puto. verumne sit, solùm calida & humida corpora febrem incurrere, an verò etiam alia?

Hoc est certissimum, & inquit, talia corpora non incidere in febres, de quibus ibi meminit, s. synochas.

Pariter lib. 11. meth. med. c. 5. non proponit causas vniuscuiusque putredinis; inquit, quærendam esse causam cur humores putrescant in vasis communibus, hoc non est quærere causam cuiusque humoris.

Propterea isti existimarunt putredinem particularem esse causam cuiusque febris, & decepti sunt.

2 *Dubium.* Aliud dubium; Quia dictum, humores A posse febrẽ excitare, dum sint putridi, quãuis non adsit obstructio. Cõtra est Gal. lib. 1. de diff. febr. cap. 3. vbi scribit, corpora posse humores corruptos contrahere ex paucis cibis, & tamen inquit, &c vide locum.

Sed, domini, etiam hoc dubium facile soluitur. Ibi facit verba de humoribus corruptis adhuc existentibus in primis vijs, quæ siue euacuentur per aluum, siue etiam paulatim in illis vijs quiescant, siue patientes quiescãt, vt nõ attrahant humorem in totum corpus, non potest febrem efficere. Causa est, tollitur corruptio, & non consequitur febris, sed si exerceant immoderatè corpus, subsequit.

Hoc quidem verum est, sed aliud est loqui B de corruptione facta in primis vijs, aliud de putredine facta in venis, de qua sermo.

Itaque respondendum sermonem fieri de corruptione in primis uijs.

Tertium & ultimũ dubium: Quia dictum 3 est humores, qui deflectunt ad frigidum, & *Dubium.* humidum, esse aptos ad suscipiendam putredinem. Rationem attuli. Hæc determinatio cõtra Aristotelem. & Gal. 3. in 3. epid. tex. l. c. scribit ea, quæ sunt frigidiora, difficiliùs putrescere cæteris; Idq; accepit ab Aristot. lib. 4. meth. cap. 2. congelata minùs putrescere, quàm cætera.

Soluitur ita: aliud est loqui de refrigeratione naturali, & propria: aliud de uitiosa, & *Solutio.* C extranea.

Si supponamus dari corpus à natura frigidum & siccum, aut frigidum & humidum, difficiliùs putrescit, quàm calida & humida. superficies enim est magis densa.

Sed si sermo sit de refrigeratione præter naturam, aliter se res habet. ***Quando res redditur frigidior, amittit propriam qualitatem, mistumq. redditur facile ad putredinem.*** Vbi igitur mistum amittit uires, disponitur ad putredinem.

Causæ Mediatæ. Venio ad Causas mediatas, quæ sunt, propter quas humores contrahunt ĩtẽperiem, de qua dictum est, frigidam & humidam: sunt illæ etiam propter quas calor extraneus in corporibus augetur.

D Quantum ad primum genus, quædam naturales, aliæq; præter naturam.

Naturales. Ex Naturalibus est Temperamentum calidum & humidum: frigidum & humidum: Ætas naturalis, senilis; Sexus muliebris.

Cibi & potus. Ex causis non naturalibus est præcipue cibus & potus, qui multoties disponit humores ad putredinem, primò ratione quantitatis, quando plus assumunt, quàm vt possint concoquere.

Idipsum fit etiã ex qualitate, quando cibi sunt admodum frigidi, uel humidi, ut olera, cerasa, melones, pepones, cucurbitæ, cucumeres, citrulli. Cuiusmodi est etiam ipsum lac, &c. generant prauos humores.

Idipsum contingit, vbi obtineat qualitatem necessariò corpori inimicam: vt nasturtium & omnia acria.

Idipsum dico de illis, quæ difficiliùs possunt conuerti in substantiam nutriti, propter suam crassitiem, vt fungit, tubera, &c. A

Reponitur quoque inter causas istas ordo assumendorũ ciborum, vt primò esse astringentia, deinde quæ facilis corruptionis; vt prius mespila, deinde lac, ceresa, &c.

Idipsũ fit ratione præparationis, & quando cibus assumitur antequam prior sit concoctus, & exierit.

Alias plures nonnaturales Lib. 13. Fen. 3. Tract. 2. c. 2. proponit Auicennas.

Præter cibum & potum est etiam Aer, qui maximam habet vim ad excitandam putredinem. Talis est australis, pluuiosus, qualem 3. aphor. 16. Hippoc. facilè putredinem inferre scribit. B

Est etiam aer conclusus ferè immobilis, in carceribus, aut in locis, quæ occluduntur à montibus. Propterea scribit Aristoteles 13. Problem. 17. & 14. Problem. 17. eos, qui habitant in his locis conclusis, citiùs cæteris senescere & mori.

Sed aduertatis per aerem immotum, non oportere intelligere penitùs immotum, sed qui difficile potest moueri, & difflari. Sic in aliquo loco, vbi aer non perflatur, nõ putrescunt corpora. 22. Prob. 4. 25. problem. 17. Ratio est in promptu. Nam vbi prorsus immotus, nullam facit illius corporis contenti difflationem. Et ibi non opus ventilatione. C

Itaque in ruribus plenis aere mundo fructus liberè conseruatur.

Propterea etiam antiqui inuenerũt vsum lucernarum duorum, aut trium millium annorum; sicut fuit vna inuenta in agro nostro Patauino, factum per summũ artificium, vt aer neque ingredi, neque egredi potuerit.

Contingit idipsum in fructibus conseruatis in ruribus.

Aer qui lente mouetur, potest putredinem inferre.

Causæ præter naturam. Cæteræ causæ non naturales sunt, intermissio exercitiorum, retentorum excrementorum portio, Vigiliæ nimiæ, somnus, curæ, anxietas. D

Causæ præter naturam sunt omnia vitia partium principalium, quæ debent humores concoquere, siue ventriculus, siue iecur, siue lien, in quibus fiunt concoctiones.

De vitijs harum partium superiore anno egimus.

Quantum ad causas, propter quas prohibetur transpiratio, has esse partium defectum facultatis mouentis arterias, partim ipsius arteriæ vitium, siccitatem, crassitiem, duritiem, densitatem, à duritie, crassitie humorum.

Est densitas cutis ab aere, astrictio ab vsu astringentis medicamenti.

Qui igitur sæpius vtuntur cibis astringentibus, facilè possunt incurrere febres ex astrictione cutis propter prohibitam transpirationem, &c.

Quid febris putrida. Hactenus de omnibus causis putredinis; superest, vt repetam vobis Definitionem febris putridæ, vt accedamus, à quibus recessimus.

Diximus igitur, *febrem putridam nihil aliud esse, quam calorem extraneum putredinosum in humoribus cordis primariò accensum ex putredine.*

Dixi esse *calorem putredinis*, quia, vt superiùs exposui, necessarium est in quacumque febre putrida humores cordis recipere in se aliquam saltem fuliginem putridam: quæ fuligo aliquando eleuatur ex materia putrescente in ventriculis cordis, aliquando ex alio loco.

Si ex materia putrescente; vel putrescit ibi primariò, vel secundariò.

Primariò ex accepto aere putrido, aut propter prohibitam transpirationem sanguinis huius loci.

Secundariò corrumpitur, vbi putredo est in venis communibus, & magnis.

Putrescit autem humor cordis tantùm ratione fuliginis; quando humor fuerit distans à parte cordis.

Si petatis; qui sint isti humores? possunt esse, vel alimentales, vel excrementitij.

De Differentijs Simplicibus Febrium Putridarum in Genere. Cap. VI.

Absoluta Putridæ febris Definitione, ad Differentias, & earũ Causas descendã.

Putridarum Febrium Differentiæ plures quidem sunt; & quædam vniuersales, aliæ vero minùs vniuersales, imo singulares; & priuatæ. Nunc temporis, quia sermo est de Putridis in genere, versabimur circa Differentias & Causas differentiarum in genere.

Vniuersales putridarum differentiæ, aliæ simplices sunt, aliæ compositæ.

De Compositis habebimus particularem tractationem, propterea eas hoc loco intermittemus.

Quantum ad Simplices: simplices, quæ aliquã exposcunt speculationem, sunt istæ.

Febrium putridarum aliæ Continuæ sunt, aliæ Intermittentes.

Rursum ex Continuis quædam sunt continuæ Continentes, Synochi vocatæ; quædam Proportionatæ, quæ exacerbationes, & periodos continent.

Rursũ continuæ, quæ habent circuitus, & exacerbationes (Notate, quia hęc distinctio nõ ex alijs colligit) sũt in duplici adhuc differẽtia; aliæ habẽt exacerbationẽ, quãquam nullã sensibilẽ declinationẽ; altera differentia illarũ, quę etiãsi exacerbant, habent tamẽ alias exacerbationes p intensiones, siue declinationem aliquã, habent et remissiones. Colligunt ex Gal. & maximè sunt ad artem.

Quæ habent declinationes, aliquæ habent declinationes admodum sensibiles, vt depo-

deponant magnitudinem, duritiem, frequē- A tiam, & celeritatem pulsus: Aliquæ habent declinationes, sed non deponunt celeritatem, quamquam deponant magnitudinem, duritiem, frequentiam.

Prima differentia Continuarum Proportionatarum, quæ exacerbantur, sed non declinant, colligitur ex sect. 4. aphor. 43. ubi inquit Hippoc. *febres quæcunq; non intermittentes per tertiam fortiores fiunt, magis periculosæ sunt: Quocunque verò modo intermiserint, quod sine periculo sint, significant.* Hic est sermo de febribus continuis proportionatis. Sed huiusmodi sunt febres, quæ exacerbantur, absque declinatione, ut scribit Gal. in com. & nos observabitis in praxi, dari continuas exa- B cerbatas.

Hæc est una differentia.

Altera est eorum, quæ non deponunt celeritatem pulsus, quamquam deponant magnitudinem, duritiem, frequentiam.

Aliæ verò quæ deponunt magnitudinem, duritiem, frequentiam, & celeritatem, quandoque à Medicis uocantur continuæ, quandoque intermittētes. Communiter Febres Subintrantes, quæ ex sui natura sunt intermittentes, sed propter materiæ viscid itatem, non possunt ad integritatem desinere. Ex com. 1. in 3. Epid. text. 2.

Quantum ad Intermittentes, ipsæ quoque sunt aut Typicæ, aut Erraticę. C

Typicæ sunt, quæ habent certum & ordinatum circulum; suntque in triplici differentia.

Aliæ enim vocantur Tertianæ, aliæ Quotidianæ, aliæque Quartanæ.

Quæ quidem ipsæ quoque adhuc subdiuiduntur: nam aliæ simplices, duplices, triplices, quadruplices.

Rursus diuiduntur; quia aliæ Exquisitæ, aliæ Nothæ.

Si de Typicis fit sermo, cum Galeno libro secundo de differ. febr. capite octauo, sunt tantùm sex, tres continuæ & tres intermittentes. Quæ sententia fuit causa dece- D ptionis plurimorum, qui existimāt, vniuersaliter hoc esse intelligendum, nec plures nec pauciores reperiri. propterea sanguineam dixerunt nullam dari. Sed decipiuntur. Galenus ibi proponit numerum tantùm Febrium typicarum: non loquitur de illis, quæ carent circuitu, vel habent circuitus inordinatos Vultis hoc videre? Legatis locum de typis cap. 2. excipit febres Synochos & erraticas.

Præter istas differentias aliæ sunt magnæ, paruæ, acutæ, chronicæ, benignæ, malignæ, duas proposuit Galenus 1. in 6. Epid. 29.

De causis Differentiarum Simplicium Febrium Putridarum in genere: & primum de Continuarum tam Conclusarum, quàm Periodicarum. Cap. VII.

HActenus proposui Putridarū febrium præcipuas Differentias; succedit vt omnium causæ diligentissimè inquirantur. sumpto initio à Continuis tam conclusis quàm Periodicis, & Intermittentibus. Hæc diligens inquisitio magni momenti. Docet enim nos locum affectum, & causam febris Estote itaque attenti.

Communis est opinio, omnem Febrium Materiam contineri in uenis communibus: distingui a. febres Cōtinentes à Periodicis, & Conclusis hac ratione; quod in Continuis continentibus materia putrescat, in vasis omnibus uel saltē magnis cordi proximis. Accipiunt hanc sententiam ex Galeno, lib. 11. meth. med. c. 4. & 9.

Quantum ad febres continuas periodicas; eas inquiunt fieri, quia putrescit materia in venis communibus, sed à maioribus ad minores venas transmitti.

Quantum ad intermittentes, dicunt fieri, quod quamquam materia in uenis contineatur, transmittitur tamen à uenis ad ambitum corporis, putrescit propterea in eo ambitu; hinc fit Febris Intermittens.

Hanc sententiam putant se accipere ex Galeno, lib. 1. de diff. feb. c. 2. & lib. 2. de cris. c. 3. & 6. & sect. 4. aph. com. 63. in quibus locis inquit Galenus, Materiam febris Intermittentis differre à materia continuarum. Hæc est, vt dixi, communis opinio circa causam febrium omnium, quæ tamen in multis & à Galeno & à veritate dissentit.

Incipiam à febre Continente.

Primo si sermo fiat de febre Synocho cōtinente, accipio sententiam fieri ex putredine vasorum omnium, vel maximorum. Sed si dicant ita fieri; vt non in vasis determinatis, fallum. Probabo n. authoritate Galeni, & rationibus, quod etiam in vasis determinatis. *Causa febris continentis cōtinua.*

Galenus docuit hoc 1. in 6. Epid. tex. 2. circa finem. (locus pulcherrimus) fieri posse Febrem Synochum ex putredine sanguinis contenti in utero, &c. Quocunque modo fiat, inquit, fit febris continens; si fit febris ex utero. Ergo non ex vasis communibus.

Præterea 2. de fract. com. 23 Hippocrat. inquit fieri ex fracturis, &c docet rationem Galenus, quia ex huiusmodi fractura uenę disrumpuntur, & affectus neruis communicatur.

Præterea, Febris Ardens est febris Synochus, cōtinens, cōtinua conclusa, ut lib. 2. de differ. febr. c. 2. & lib. 2. de cris. capit. 6. Galenus inquit, febrem ardētem, si quis synochū vocauerit, non aberrauerit, &c. Certissimum est Febrem Ardentē reponi inter Cōtinen-

tes; tunc dico febrem ardētem fieri magna ex parte ex vasis determinatis: Ergo & cōtinens. quod testatur Galenus 4. acut. com. 1. & 12. cl:rius 1. in 1. Epid. text. 9. 1. in 2. Epid. tex. 27. & 37. febres ardentes inquit fieri ex materia putrescente in vasis, & propterea lib. 2. etiam de crisib. 7. dicebat febres ardētes malignissimas fieri; & lib. 5. loc. affic. cap. 7. inquit ardentes febres fieri ex materia putrescente in pulmonibus, & esse perinde continuas continentes.

Itaque certissimū est ardentem febrem, quæ synochus dicitur, non tam ex cōmunibus vasis, quàm determinatis fieri posse.

Habet eandem veritatem Auicen. 1. lib. 4. tract. 2. c. 41. dum inquit febrem ardentem fieri ex putredine pulmonis, &c. secutus Galenum locis tit.

Et ne quis existimaret febrem non esse continentē, capite sequenti inquit hanc habere temporum occultationem. Et ideò Galenus etiam 4. acut. com. 12. loquens de hoc casu, quem ego puto continentem, cōtradistinguit ab omnibus tertianis, necessarium ergo, esse continentem continuam.

Prima itaque hæc opinio corruit. nam fit etiam ex vasis determinatis.

Secunda opinio, continuas periodicas fieri transmissa materia à venis magnis ad paruas, peccat in duobus. Primò est insufficiens; secundò est falsa.

Quod insufficiens, probo argumentis; primò quidem non assignat causam earum Febrium Periodicarum, quas diximus habere exacerbationes, sed non declinationes. Itaque in his febribus eorum opinio locum nō habet.

Deficit secundò, quia non assignat causam circuitus febrium in febribus continuis ex inflammatione; in his materia non continetur in venis magnis nec paruis. Gal. lib. de inæq. intemp. cap. 4. inquit, quotidianam posse esse continuam, quia materia non potest transmitti, si non est in eis.

Tertiò non est sufficiens lib. 2. de diff. feb. cap. 4. inquit, quotidianam posse esse continuam propter humoris copiā & crassitiem.

Præterea falsum; quia hæc opinio non proponit causam exacerbationis, sed declinationis.

Ego ipsis concedo materiam magnā esse causam periodicarum, id est, est causa periodi. Hæc oportet docere cur postea reuertantur. Si dicant inquinamentum humoris; falsum in biliosis, lib. 2. de diff. feb. c. vlt. cineres non relinquuntur.

Si dicant, est humoris putrescentis portio, quæ relinquitur. Videamus an hoc verum. Si sic. petam quamobrem hæc materia, quę habet totam substantiam propinquam, non corrumpat eam semper; Hoc Domini, non est meum quæsitum, sed Galeni lib. 2. de diff. febr. cap. vlt. vbi inquit: *si esset in vasis communibus, corrumperet humorem vicinum.* falsa itaque hæc sententia.

Causa intermittētium.

Quantum ad intermittentes, falsa etiam est communis opinio, Intermittentes ideò fieri, quod transmittatur materia à venis ad extra venas. Primò quia hoc Gal. raro aut numquam dicat. Inueni illum dicētem, materiam febrium intermittentium contineri extra venas pluries, sed quod à venis ad extra venas, non inueni. Hoc non dico, ꝙ non possit fieri, sed quod loca, ex quibus hoc demonstrant non concludant. Loca in quibus Galenus huius meminit sunt; lib. 2. de differ. feb. cap. 2. lib. 2. de cris. cap. 3. & 6. & 1. in 2. Epid. tex. 28. & 30.

Sed præterea hæc sententia est contra Galenum, & contra rationem. Galenus in illo lib. 2. de diff. febr. cap. 5. non dicit Febrium Intermittentium focum esse intra venas, sed inquit magna ex parte. Idem lib. ad Glauc. c. 4. & 5. rarò inquit incipere absque ventriculi affectione. Itaque non semper materia continetur in ambitu totius corporis.

Fernel. lib. 4. cap. 16. etiam multas habet rationes contra hanc sententiam. 1. est efficax à varijs symptomatis: Videbitis Intermittentes, in quibus est oscitatio, fluxus biliosus; in his materia non transmittitur ad corporis ambitum. Hæc fiunt, quia materia peccat in visceribus.

Secunda ratio, in pluribus Intermittentib. vrinæ sunt omnes sanæ: sed si vrinæ sunt indicium affectuum venosi generis, debent hanc ostendere putredinem.

Tertia ratio. Præterea si in uenis; vnica venæ sectione deberet euacuari, & nulla ampliùs febris residere.

Accedit, quòd nulla esset ratio, quamobrem fierent 2. vel 3. vel 4. tertianæ.

Accedit, quòd, vt ipse inquit febres quartanæ deberent esse breuissimæ, & datur tamen, quæ perdurat duos, tres, & quatuor annos, quia humor aliunde pendet.

Itaque propter has causas, & hanc quam addo, aliquando has febres Intermittentes biliosas curari vnico vomitu.

Refutatur Fernelius.

Venio in hanc sententiam, falsam esse dictam opinionem. Sed quia Fernelius non fuit contentus hanc sententiam explodere, sed voluit probare numquam & nusquam posse in ambitu corporis reperiri, non accipio, & rationes illius sunt nullius momenti, nihilque concludunt.

Nam quando dicit materiam non posse momento temporis ad extra mitti: Dicam iam fuisse dispositam ad huiusmodi transmissionem.

Quod dicit nō momento temporis vsque ad extremas partes. Sunt nugæ; volunt tantùm transmitti ratione inordinationis, de quo egi in proprio tractatu de Rigore.

Quod etiam dicit ex Pituita Vitrea & Bile discurrēte fieri posse rigores, uerum est. Ergo

go nō transmittitur materia ad extra venas. A Nego Cōsequentiam. Cùm igitur sententiæ hæ falsæ, expendamus iam alias meliores.

Docui hactenus, Febres Continuas continētes posse fieri etiam in determinatis partibus. Deinceps ostendi Continuas Periodicas non fieri ex sola putrescente materia è venis maioribus ad minores.

Quantum ad Intermittentes protuli Fernelij sententiam cōtra opinionem communem: nuc uidendum, vtrum alia melior opinio circa has causas inueniri possit.

Quantum ad Continuas Continentes, omnes in hanc sententiam deueniunt, non aliter posse fieri, quàm putrescente materia in uenis communibus cordi proximis. B

Quantum ad Continuas Periodicas, transmissa materia è uenis maioribus ad paruas.

Iul. Alexand. in Annot. c. 4. lib. 11. Meth. & lib. 1. ad Glauc. aliam protulit sententiam, Febres Continuas Periodicas fieri etiam ex putredine humorum in uasis determinatis, uel iecoris, uel pulmonis, ut docuit Galen. in libris proximè citatis.

Quantum ad Intermittentes, quia res difficilis, uariæ existunt sententiæ.

Fernel. lib. 4. pathol. c. 19. uoluit, omnem febrium intermittentium focum esse circa uiscera & præcordia: numquam sentit fieri posse ex putredine humorum in ambitu totius corporis. C

Rationes audiuistis in præcedentibus, quę in hoc tantum ualent; posse aliquando intermittentes febres ex uisceribus ortum ducere; quod uerò propterea sequatur, Ergo non ex putredine in uasis communibus, nihil concludunt.

Purgant ergo hæc sententia cum Galeno & ratione.

Cum Galeno quia libro secundo de cris. cap. 6. & 4. aph. 63. &c. testatur febres intermittentes ortum ducere ex materia discurrente per ambitum totius corporis.

Cum ratione; quia aliquando materia putrescens potest attrahi in corpus propter insignem calliditatem, siccitatem, uel dolorem. Quid enim prohibet exsiccato corpore, aut calefacto, quò minùs attrahantur excrementa ad corporis ambitum. D

Hanc ueritatem docuit Gal. lib. 4. de cris. capit. 1.

Potest & in eodem ambitu generari, quia dantur temperamenta calidissima, & siccissima, quæ circa omnes partes biliosum succum habent.

Quod dico de bilioso, dico etiam de pituitoso, teste Gal. co. 1. in 2. Epid. tex. 20.

Propter has itaque causas reprobāda Fernelij sententia hac in parte; & ita potest in ambitu putrescere, ut Altimarus parte 2. de feb. c. 3. & 2. hunc unicum existimauerit generationis febrium intermittentiū modum; non accipit Fernelij sententiā, nec priorem, sed tantùm transmissa materia à venis ad extra uenas. Vide locum.

Sed hæc quoque opinio falsa, numquam generari febres intermittētes ex uisceribus: corruit ex rationibus, quas audiuistis. Author lib. 1. ad Glauc. 5. ubi apertè scribit fieri, uel iecore, uel uentriculo, uel liene laborante: pariter lib. 2. de diff. feb. cap. 3. inquit, plerumq; iecur & lien affici, 5. in 6. Epid. 31. fieri ex putredine humorum in cauitate uentriculi, quanquam Hippocr. dicat, explicat Galenus hunc locum.

Hinc factum est, ut Caprilius, & Iul. Alex. loc. cit. uoluerint febres Intermittentes aliquando fieri ex uisceribus, aliquando materia peccante in ambitu totius corporis. sed semper dicunt hanc materiam esse extra uenas, ut Iul. Alexand. si in liene, in substantia carnea lienis, non in uenis.

Quantum uerò ad ambitum totius corporis, inquit materia est extra uenas.

Hæc sententia est cæteris probabilior. Nō probatur in hac parte, quod uelit febres intermittentes fieri in ābitu nulla ratione consentiente putredine cum vasis totius corporis. Et ratio, cur, nō probetur, desumpta partim est ex Gal. lib. 5. l. a. c. ult. scribit quemdam iuuenem liberatū à febre ardēte transmissa materia ad ambitum totius corporis, vt subsecuta sit Icteritia. Si febris Ardens soluitur trāsmissa materia ad ambitum; quæ igitur ratio, si existente materia intra uenas? At Hipp. 4. aph. 62 & 64. scribit Icteritiā ante 7. malam; post, bonam: pariter 64. Rationem considerat Galenus, quia ante diem 7. biliosa materia nō potest criticè transmitti: transmittitur autē ad ambitum corporis: & tamen soluitur febris. Quid clarius? transmittitur à uenis ad extra uenas, & soluitur febris. non fit febris intermittens.

Accedit ratio. Nam Galenus lib. 2. de diff. feb. c. 12. lib. 3. de præs. ex puls. c. 7. ubi explicat causam principij febriū, quamobrem in principijs accessionū fiat refrigeratio totius corporis, pulsus parui, inquit causā esse, quia materia mouetur ad interiora. Si hoc uerū, materiam semper cōfugere ad uiscera. Ergo non peccat tantum in ambitu totius corporis, ita suffocat, ut etiam in principio accessionis homines aliquando moriantur.

Ostendo nunc ueram causam. Et quātum ad continuas conclusas attinet, uolo ut accipiatis primum tria fundamenta, super quæ fundatur causa febrium propositarum. *Vera causa continuæ conclusæ.*

1 *Omnem Continuarum Synocharum conclusarum causam esse Putredinem humoris alimentalis.*

Omnis febris Intermittentis causa est Humor excrementitius. *Tria fundamēta.*

Febrium Continuarum periodicarum causa aliquando est solus humor excrementitius; aliquando alimentalis, & excrementitius.

Probo hæc: Quod humor alimentalis sit causa febrium synochorum, probatur auth.

authoritate, & ratione.

Authoritate: nam humor alimentalis est sanguis acceptus pro massa omnium humorum in venis.

Itaque Auic. Fen. 1. Lib. 1. tract. 2. c. 1. inquit, & putredo quidem sanguinis facit febrem Continuam continentem.

Sed probatur etiam ratione; volunt febrem Synochum ex putredine intra venas magnas ideò fieri; quia obtinet tres cõditiones; quarum prima est, vt materia putrescẽs nunquam deficiat. 2. quia huiusmodi putredo facilè communicatur ipsi cordi. tertia, quia in venis ipsis non facilè potest transpirare fuligo putrida. Sed istæ conditiones habent locum in sanguine tantùm.

Hoc igitur stante fundamento; quando quærimus, num febres continentes fiant ex vasis communibus: Dico non tantum ex vasis communibus, quantum determinatis. Si quis quærat causam; non tantum est intemperies partis, quàm morbus instrumentalis, vel morbus communis, nempe vlcus: ita vt possit dari febris continens ex intemperie partis principalis ex inflammatione, scirrho, putredine partis. Singula probo.

Quod febris cõtinens possit fieri ex vasis determinatis.

Primum quod ex venis determinatis possit fieri febris continens, probo ratione.

Dictum est Causam cõtinentis febris esse sanguinem putrescentem, potest itaque fieri febris continens etiã ex vasis determinatis.

Est causa triplex, prohibita trãspiratio, &c. omnia hæc sunt in vasis determinatis partiũ principalium. Hoc est clarissimum. Propterea Galenus 1. in 6. Epid. 2. inquit fieri febrẽ cõtinentem ex sanguine in vtero consistente, & 2. de fract. cap. 23.

De Continentibus seu Synochis febribus duo mihi præcipua probanda proposui. Primùm, continuas febres non tantùm ex vasis cõmunibus, sed etiam determinatis prodire. Secundum, febres continentes aliquando etiam cum inflammatione, vel Erysipelate, vel abscessu, vel scirrho, vel putredine partis determinatæ ꝓficisci. Primam conclusionẽ probo 1. Febris continens oritur ex putredine humoris alimentalis; igitur potest fieri ĩ vasis determinatę partis alicuius pręcipuę.

Probo consequentiam; siquidem in his partibus abundat humor alimentalis. Ergo eo putrescente potest excitari Synochus.

Secũdò, febris continens fit ex putredine vasorum communium, vel saltem maximorum cordi vicinorum: venæ pulmonis, oris ventriculi, & iecoris sunt proximæ cordi. Ergo in istis potest excitari febris continens.

Si quis dicat non posse ex locis determinatis, quamquam uenæ magnæ cordiq; proximæ, quia iste humor non possit ita pridem putresceret, ut in uasis communibus: Probo, quòd magis in determinatis, quàm communibus possit putrescere, hoc argumento.

In uasis communibus sanguis non putre-

A scit, nisi, quia est prohibita transpiratio, uel quia uenæ obtinent intemperiem talem, cuius ratione sanguis corrumpatur. Igitur argumentor sic: in uenis determinatis potest corrumpi ex intemperie, obstructione, Erysipelate, putredine partis: Igitur plures causę concurrunt ad corruptionem in uenis determinatis, quàm in uenis communibus.

Quòd in uasis determinatis ex illis causis, ex quibus etiam in communibus, testatur Galenus lib. 5. loc. affect. cap. 7. inquit ex intemperie frigida iecoris sanguinem in eo contentum corrumpi, ex quo febris lenta, & continua, &c. Vide locum. Itaque ex parte determinata certissimum est corrumpi sanguinem.

B Quantum ad obstructionem, dubium est num ea febrem inferat necne? Ratio dubitandi est: quia 1. acut. 12. ex obstructione iecoris febrem non fieri; propterea lib. 2. loc. aff. cap. 8. inquit, ubi sensus grauitatis in hypochondrio dextro percipitur, si sit absque febre, ostendit uel obstructionem, uel abscessum ibi contineri: si cum febre, inflammationem ibi adesse. Ideò obstructio absque febre: Et tamen dixi ante, &c. Quæ est ratio? Obstructio consideratur ratione materiæ, ex qua fit, & quæ est in causa, ut sanguis in eo uiscere contentus putrescat.

C Si ratione materiæ ex qua fit, nõ es necessarium, ut obstructio febrem excitet; sed fieri potest, ut frigidi, lenti, & crassi succi, obstruant uenas totius corporis, & consequenter putrescat sanguis propter prohibitã trãspirationem. Gal. lib. 2. de diff. feb. c. ult.

Num obstructio febrẽ inferat.

Quantum ad inflammationem, quod hæc corrumpat sanguinem in parte determinata minimè est dubiũ. Quia in omni inflammatione est cõuersio sanguinis in pus; in inflammatione continetur sanguis intra; & extra uenas: Quæ extra uenas, est materia, quæ faciat putredinem, & facit febrem, quæ per circuitus exacerbatur lib. 2. de diff. feb. cap. ult. ubi scribit ex sanguinis corruptione in parte determinata duo mala sequi alterum, D &c. Non tantùm corrumpitur sanguis, qui fluit extra uenas, sed etiam qui intra lib. de inæq. intemp. c. 3. inflammationem duplicem esse ut lib. de totius morb. intemp. c. 6. inquit totum membrum corrumpi, ut fiat deinde gangræna, sphacelos, superante inflammatione facultatem membri.

Itaque certissimum est, etiam corrumpi sanguinem intra uenas, ubi potest fieri febris continens.

Hanc ueritatem colligo ex Galeno 1. in 6. epid. com. 2. inquit febrem cõtinentem fieri ubi sanguis multus in utero cõtinetur, cũ, uel citra inflammationem. Quid clarius? Concedit, & cum inflammatione hanc febrẽ fieri posse, & sanè in istis locis, ubi fit sermo de pręcipuis inflammationibus internis, nulla fit mẽtio ullius exacerbationis, 2. pgn. tex. 4.

text. 4. vbi inquit Hippoc. si caput, manus, & pedes frigidi sunt ventre costisq; calentib⁹ malum. Et Gal. in com. inquit continuus est feruor, nõ facit mentionem circuitus, Similiter 4. aph. 48. vbi scribit Hippoc. in febrib⁹ non intermittentib⁹ si partes exteriores frigidæ, interiores vruntur, & sitim habeant, lethale: inquit Galenus in com. sermonem fieri de febribus ex inflammatione viscerum. Idipsum docet 1. aph, com. 7.

Et propterea apud Galenum plurima sunt exempla febrium ex inflammatione. Ita scribit 1. in 6. epid. tex. 29. Phrenitidem habere mordacem caliditatem æqualiter per omne tempus, & totum corpus diffusum. Quid sibi vult, & per omne tempus, nisi febrem esse continentem.

Pariter lib. 5. de loc. aff. c. 3. de iecore, multa exempla 3. in 3. epid. in casu Hermocratis inquit, primò tentatum fuisse igne. Inquit Galenus nomine ignis eum intelligere febrem in com. probat ex inflammatione iecoris productam fuisse, &c. & 3. in 3. epid. per totum librum. Certum igitur est, continentes fieri etiam aliquando ex inflammatione, quæ potest corrumpere sanguinem alimentalem in venis determinatis.

Idipsum fieri potest etiam ex Erysipelate. Ideò libro secundo de cris. cap. 7. inquit ardentissimas febres malignas fieri ex Erysipelate pulmonis, oris uentriculi, iecoris, exquisitè ardentes. quorum signa 3. in 3. epid. 34. duo sunt, sitis inexplebilis, & calor exserens. Sed sic est, quod lib. 2. de cris. fit sermo de his febribus, & dicit eas ortum ducere ex Erysipelate pulmonis, aut iecoris.

Quod dico de his, etiam de abscessu, & scirrho intelligendum. Nomine Abscessus intelligo non atheroma, steatoma, Meliceriden, quia hæc febrim nullam inferunt lib. 2. loco aff. cap. 8: sed illos, qui inflammationes consequuntur. Si inflammatio in pus conuertatur, ex his febres continuæ fiunt.

Constantissimum igitur, febres continuas ex vasis determinatis fieri, & huiusmodi affectiones producere.

Obiectio. Sed uideo vos dicturus; primum quidem dubium est, ex vasis determinatis, quomodo possit fieri febris continens, quia Gal. lib. 2. de diff. feb. cap. vl. in fine, hæc uerba profert, *Febres omnes, quæ circuitus habent, ortum ducunt ex locis determinatis: quæ autem Synochi ex putredine in vasis communibus, vel maximis, & cordi proximis*; vnde uidetur colligi febrem ex locis determinatis habere circuitus. Pro responsione possemus dicere, aliud esse febres, quæ per circuitũ repetũt, ortum ducere ex locis determinatis, aliud febrem, quæ ex locis determinatis ortũ ducit, habere circuitus. Verum quidem est febrem, quæ per circuitum repetit, ortum ducere ex locis determinatis; Non autem uerum, omnes, quę ortũ ducunt ex locis determinatis, habere circuitus.

A Contra hanc negationem est iterum Galenus lib. 9. meth. cap. 5. quæ igitur solutio huius loci? *Alia instantia.*

Dico pro consideratione, Galen. nomine loci determinati intelligere illum, qui necessariò habet aliquam affectionem magni momenti, vel Erysipelas, vel Scirrhum, Obstructionem, vlcus. In istis verum est febres fieri, quæ certo ambitu redeant. quia putrescit non tantum succus excrementitius, sed etiam alimentalis.

Si excrem. putrescit, habent omnes periodum: si non; possunt fieri in parte determinata.

Alia solutio; febres continuæ sunt in duB plici differentia. Exquisita seu legitima, & spuria.

Legitimæ Continentes duas habent conditiones; fiunt ex sanguine alimentali putrescente. De his lib. 9. meth. med. cap. 3. vbi inquit febrem synochum fieri tantum in temperamento calido, & humido.

Spuriæ Continentes sunt in triplici differentia; aliæ ratione loci; aliæ ratione humoris; aliæ ratione loci, & humoris.

Hanc distinctionem febris Legitimæ, & Spuriæ colligo ex Hipp. & Gal. 3. in 3. Epid. 34. ibi Hippoc. proponit febres ardẽtes absque siti & magno calore. Galenus miratur, qui fieri possit; proprium signum est, sitire. C Et tamen inquit Hipp. &c. Itaque concludit Hip. dari febres ardẽtes legitimas, & spurias.

Idipsum dico quoque de continentibus. Dantur Legitimæ, & Spuriæ ratione loci, & humoris.

Spuriæ ex humore, quando s. sanguis in venis non est admodum probus, sed cacochymus, vel biliosus, vel pituitosus, vel melancholicus. In hoc casu fit Febris Melancholica conclusa, sed non determinat, vbi sanguis cacochymus. Talis est materia synochi, qualis est natura sanguinis: si prædominatur pituita, fit synochus pituitosa; si melancholia, continens melancholica, sed tanta melancholię copia non datur.

D Dantur aliæ Continentes pręter naturam, quæ ex nimio calore iecoris, & ventriculi generantur. sect. 4. aph. 25. loco bilis naturalis generatur æruginosa prassina. In his casibus ille sanguis est alimentalis, & tamen ita prauus, vt si ex hoc febris excitaretur, esset quidem continens, sed continens maligna, quæ excitatur ex sanguine maligno.

Idipsum fit ex prauis succis, vt colligitis ex Galen. lib. de bon. & malis succis, per totum librum.

Versabor in diluẽdis Dubijs, cùm dictum sit dari febrem ex communibus, & determinatis vasis, cum intemperie, inflammatione, scirrho, abscessu, & vlcere. Contra has difficultates primò Gal. authoritas, qui libr. 9. & 11. meth. scribit febres cõtinentes, synochos ortum ducere ex putredine in vasis & communibus

munibus, & sanguine. Et propterea lib. 9. A meth. med. cap. 3. inquit Synochum fieri ex vasis communibus. & 1. in 6. Epid. secundo, Synochum fieri ex sanguine putrescente: & tamen nos determinauimus ex venis determinatis.

Accedit, quòd lib. 2. de diff. febr. cap. vlt. & lib. 9. meth. c. 5. scribit, febres habere periodos, quæ ex locis determinatis oriantur, quia Galenus & Hippoc. febres Ardentes volunt habere circuitus. 1. in 2. Epid. 75. 3. in 3. Epid. 36. vbi pariter sermo est de Legitima ardēte. inquit eam habere accessiones, & Galenus in com. inquit mirabile est, quod habeāt accessiones: Ergo falsum febres ardentes esse continentes; nam habent exacerbationes.

Falsum quoque febres ex inflammatione esse continentes. quia vbi Hipp. 4. aph. 43. scribit febres quæcunque non intermittentes tertia die Fortiores fiunt, magis periculosæ. Gal. in com. inquit, febres ex inflammatione viscerum tertia quaque die fiunt fortiores; Ergo habent accessiones. Idem dicit Galen. sect. 1. aphor. com. 12. de Phrenitide, & Pleuritide.

Quid Galenus per uenas magnas intelligat.

Hæc sunt dubia. Primum quidem quod ad Galeni authoritatem lib 11. meth. cap. 4. Continentes fieri ex putredine vasorum in vasis communibus. Dicimus Galenum vasorum maximorum nomine intelligere etiam vasa pulmonis, iecoris, ventriculi, vteri; quæ non sunt vsque adeò parua, vt inter maxima reponi non possint.

Et ideo Hippoc. 1. in 6. Epid. 2. loquens de vtero, inquit, quibuscunque ex deperditione circa vterum & tumoribus in capitis grauitatem permutatur, in sincipite dolores, & quicūque alij ab vteris, istis octo aut decem mensibus in coxendicem finiunt, &c.

Accedit quod idem Galenus scribit synochum fieri, vel ex vasis communibus, vel ex vasis inter alas & inguina, inter quæ pulmones, ventriculus, iecur, & vterus.

Itaque has omnes partes possumus amplecti; atque hæc autoritas non obest.

Quo ad ex altera parte, non fieri synochū nisi ex sanguine. Respondeo Synochus est duplex Legitima, & Spuria.

Legitima, quæ fit ex sanguine putrefacto in vasis communibus.

Spuria est triplex: ratione loci, ratione materiæ, & ratione vtriusque.

Ratione loci; quando fiat in vasis determinatis. Dicimus cum Galeno hanc non esse legitimam Synochum; satis est, posse fieri synochum.

Est Spuria ratione materiæ, quando distat à natura sanguinis materia putrescens; quādo fit ut seruetur sanguis naturalis, uel ut fiat sanguis præter naturam.

Seruatur naturalis, quando fit sanguis biliosus, prædominante bile naturali, vel pituitosus; uel sanguis melancholicus, si tamē fieri potest. Sed datur sanguis pituitosus, & biliosus; in quibus casibus potest fieri Synochus biliosa, pituitosa.

Biliosa uocatur propriè Ardens, de qua Gal. lib. 2. de diff. febr. c. 2. quando dicit, febrem ex Bile aliam esse Continentem, aliam exacerbationes habentem.

Pariter lib. 2. de diff. febr. cap. 6. constituit febrem Ardentem continuam.

Et paulò post subiungit, siue hanc appellaueris Synochum, nihil interesse præualente pituita. Hanc Arabes uocant Laticam à latendo Gal. sect. 1. aph. 12. Succensam, seu Typhoden.

B Sed si humores distent ab humore sanguinis, sintque præter naturam, faciunt febres continentes, sed alterius conditionis. Si exēpli gratia, pituita salsa, fit febris synochus, quam uocant febrem ardentem ex pituita salsa, teste Hipp. 2. acut. à tex. sen. 13.

Potest etiam humor distare à natura sanguinis, quia ad modum malignus. Aliquando enim ex cibis, nimia iecoris caliditate, generantur succi ita praui, ut omninò maligni appellentur. partes uniuersi corporis abhorrēt ab hoc sanguine; fugiunt carnes hoc alimentum. Gal. in lib. aduersus Iulianum c. 7. inquit, in febribus pestilentibus huiusmodi humores putrescere. Dabitur itaque spuria febris ex omnibus istis humoribus.

C Est Spuria utroque modo, quando in uasis determinatis continentur isti humores multum distantes à natura sanguinis. Et si putrescant illi humores æruginosi, constituunt malignam pestilentem; si pituita salsa, fit ardens ex pituita salsa. 4. acut. 16.

De his sermo est apud Gal. com. 21. in 1. prorrhet. vbi Hipp. scribit febres ex hypochondrijs, malignæ. Inquit Gal. non omnes, sed quæ, fiunt ex affectione iecoris, uentriculi, & ex inflammatione, & appellantur acutæ; neque omnes, sed quæ fiunt ex magna inflammatione.

D Cùm dicebatur, febres, quæ ex locis determinatis ortum ducunt, habere circuitus lib. 2. de diff. feb. cap. 2. & lib. 9. meth. cap. 5. huic autoritati satisfacio; Galenum scilicet per locum determinatum patientem intellexisse, non illum, qui continet humorem putrescentem cum partis intemperie, sed qui habet uel inflammationem, uel Erysipelas, uel alium morbum communem.

Veritas loc. cit. ubi ostendit causam huius circuitus, qui in febribus apparet, semper utitur inflammationes exemplo; ubi autem inflammatio, ibi necessariò etiam circuitus.

Ardentis febris duplex significatio.

Quantum ad aliam rationem, febres ardentes ex sententia Hipp. & Galeni habere circuitus; dico ardentem febrem dupliciter accipi Lib. de palpit. & rig. cap. 7. communiter scilicet, & propriè.

Propriè pro uero & legitimo causo.

Com-

Communiter, pro omni febre biliosa.

In primo sensu amplectitur omnes febres biliosas tam Synochum, quàm Periodicas.

In secundo tantùm Synochum, seu Causum uerum.

Itaque quando scribunt causum habere accessionem, intelligunt de non uero.

Alia solutio. Febres ardentes ex locis determinatis, siue cum, siue sine inflammatione possunt habere circuitus, & istæ periodi quandoque apparebunt, quandoque non.

Aduertite. Volo accipere illud fundamentum, causam febris Cõtinentis esse humorẽ putridum: ubi igitur affectio in parte determinata, in hac preter humorẽ alimentalem colligitur tertiæ etiam coctionis excrementum. Igitur ubi partem determinatam occupat, fieri potest ut nõ tantùm alimentalis, sed & excremẽtitius humor putrescat. vbi hoc, præter continentem aderit febris, quæ per circuitus exacerbatur, & hic circuitus quandoque apparet, quandoque non apparet.

Apparet, quando putrescens materia superat quantitatem humoris alimentalis, & circuitus erit conspicuus; ubi humor alimẽtalis superat excrementum, circuitus aderit, sed non apparebit.

Quæ ratio cur humor alimentalis superetur ab excremento? contingit, quia pars, quę affecta est, non tantùm potest continere excremẽtum, quod in se ipsa generat, sed etiã propter imbecillitatem potest recipere ab illis partib' lib. 2. de diff. feb. cap. ult. Itaque fieri potest, ne læsa pars non solùm generet excrementa, sed recipiat modò ab hac, modò ab altera parte.

Vbi vi colligitur excrementum tantùm illius partis, quod est paucum, in hoc casu obscuratur periodus. quia feruor tantus, uel calor, qui exacerbatur, non potest ostendi; humor alimentalis maior. Et propterea cohibet, ne appareat periodus.

Et hęc solutio etiam satisfacit authoritatibus Galeni, in febribus ex inflãmatione fieri circuitus. non semper hoc contingit, sed quando excrementum superat humorem alimentalem.

Causæ cõtinẽtis cõtinua. Versabor in re admodum difficili, uidelicet, in proponenda causa cõtinuarũ febrium continentium, nec non periodicarum cõtinuarum & intermittẽtium. Et hactenus causam exposui Synochorũ siue cõtinentium. Quæ causa est ista? Ideò fit febris continens, seu Conclusa seu Synochus, quod putrescit humor alimentalis, ut alimẽtalis est, & idcirco putrescit ille humor in uenis cõmunib. & determinatis, seu cordi proximis antequã euadat excrementum illius partis, ubi adhuc est in loco illo, nec euasit adhuc excrementum, uocatur adhuc humor alimentalis, qui facit continuam continentem: quia egreditur humor, semper abundat, & suppeditat sp nouam materiam, quę putrescit & corrũpit.

A Nomine Humoris Alimentalis intelligo omne illud alimentum, quod generatur vel in corpore sano, vel ægro, siue sit corpus sanum temperatum, vel intemperatum; dum modo humor sit paratus, vt debeat corpus nutrire, semper dicitur alimentum. Si igitur generetur prauus sanguis, generat febrem continentem. *Quid nomine humoris alimentalis intelligatur.*

Addo hunc humorem alimentalem, quicumque fuerit, aliquando primariò putrescere in venis, aliquando secundariò.

Primariò, vbi in venis nõ continetur alius humor excrementitius: secundariò, quando alius humor excrementitius, à quo incipit putredo; de quo humore nunc loquor.

B Quãtum ad periodicas, difficilior est multo tractatio, quam superior: in hac parte proponam primo Causas Periodi in genere; intelligetis postea, quamobrẽ fiãt Periodicæ Intermittentes, & causam, cur quædam febres periodicæ sint continuæ absque declinatione: Et cur quædam harum habeant exacerbationes, cum horrore, refrigeratione; aliæ non: deinde causam, cur aliæ ex periodicis continuis habeant declinationes nõ admodum sensibiles; & cur aliæ admodum sensibiles: loquar deinceps de Intermittentibus; postmodum causam harum protensarum & breuium, & causam febrium duplicium, quia duplicium, compositarum: postea transibo ad declarandam causam periodicæ, typicæ, seu ordinatæ. *Cãæ periodicarũ in genere.* *Quid periodus.*

C Quantum ad primum, περίοδος Græcis, Latinis, sonat circuitum. Huiusmodi Periodus, seu circuitus *est tempus quoddam accessus, & recessus rerum.* Sic enim tempora anni videntur habere periodos, quod per statuta tempora recedant & redeant in humano corpore. *Cãæ periodi in genere.*

Huiusmodi reditus, & recessus dupliciter fit, naturaliter, & præternaturam.

Naturaliter in Alimentis, & Excremẽtis.

In Alimentis, quia rdo post facilem chylificationem chylus excernitur, & rapitur in iecur, & quando statuto tempore secernitur bilis, & mittitur ad vesicam fellis.

D In Excremẽtis, quia quotidiè in sanis egeruntur hora statuta: idem modus seruatur in excernenda vrina, & sanguine menstruo.

Præter naturam fit periodus, vel ratione Symptomatum, vel Morborum.

Symptomatum, tam in excremẽtis, quàm in Actionibus mutatis.

In Excrementis, quia quibusdam statutis temporibus fiunt vel vomitus, vel Diarrhæ, sanguinis fluxiones, sudores symptomatici, &c.

Ratione Actionum, quibusdam fiunt periodi Dolorum articularium, nephriticorum: alijs periodicè læduntur aliæ actiones, nempe aliquis motus.

Quod dico de Symptomatis, dico etiam de Morbis, qui habent etiam suas periodos, precipue Febres. Periodus hæc, autore Galeno est, *Quid periodus febris.*

no est, *intensionis, & remissionis febris.* Quid est hoc tempus Intensionis? nil aliud, quàm quod constet ex triplici tempore, Principio, Augmento, & Statu. Tempus Remissionis, quandoque vnicum, quandoque duplex. Vnum in febribus Continuis declinantibus. Declinatio scilicet duplex, in Intermittentibus, tempus reditus motus, in quo reditu fit quidam motus.

Quæritur, quis sit hic motus? duplex; primus localis, alter alterationis: ita vt hæc periodus sit tempus motus localis, vel alterationis humorum.

Est motus localis, præcipuè in Symptomatis, quæ pertinet ad excrementa mutata. Nā vbi debet fieri symptoma in genere Excrementorum immodicè fluentium, necessarium est naturam mouere localiter humorē, & detrudere ad locum expulsionis.

Sed nō tantùm huiusmodi excremēta immodicè fluentia supponūt hunc motum, sed & alij Morbi, Dolores articulares, nephritici, Febres ipsæ. Exempli gratia; si humor quiescat in capite, & fiat dolor, hic humor necessariò mouetur ad renes: Pariter in febri ab ignobili, ad prestantē, & sic facit febrē.

Quandoque ex motu fiunt tantùm alterationes, quandò materia iam collecta excrementitia ibi retinetur propter inflammationem, aut abscessum; retenta putrescit, corrumpitur, & ex hoc nouo motu fit noua periodus, & tamen non adest motus localis. Descendo ad causam.

Cur fiat recessus, & reditus in febribus. Quæ est causa, quamobrem fiat reditus, & recessus? Quare redit symptoma, vel febris, postea desinit? Non potest esse materia alimentalis; quia hic motus fit ab aliqua materia, quæ facultati expultrici est grauis & noxia quocumque modo, scilicet propter pondus, molem, morsum, teste Gal. lib. 3. de nat. fac. cap. 12. Ideò materia non alimentalis, quæ corpori non est infesa; Est igitur excrementitia.

Sed quia materia excrementitia alia est primæ, alia secundæ, alia tertiæ cōcoctionis, non credatis, Domini, materiam, quæ excitat periodos febrium, esse excrementum, aut primæ, aut secundæ, sed tertiæ. Hoc accipiatis tamquam primum suppositum.

Quodnam est excrementum primæ coctionis? Feces. Improbitas alimenti transit in feces; ex fecibus, vt docui aliquando, fiunt febres, sed febres Ephemeræ. Nunc loquimur de Putridis.

Febres ex excremētis primę coctionis. In ventriculo generantur primum feces, alia excrementa, pituita, aliquando bilis viridis, prassina.

Humores biliosi & salsi transmissi; sed non excrementa Primæ coctionis, sed tertiæ.

Ventriculi duplex acceptio. Ventriculus consideratur duobus modis: primo, vt promptuarium totius corporis, vt organum, in quo conficitur Chylus; deinde vt est pars nostri corporis, quæ vt aliæ, cupit nutriri.

Quādo organum commune generat propriè excrementum primæ coctionis, feces vt pars, quę nutritur, possunt generari excrementa varia, quæ tertiæ coctionis excibis, pituita, bilis, &c. nihilominus si ventriculus eo humore vteretur pro suo alimento, non persisteret ibi.

Quamobrem verò persistit? Quia ventriculus, vt debet nutriri, non nutritur ab eo, sed eum fugit. hinc fit humor excremētum tertiæ concoctionis, ideò & sanguis naturalis dicitur excrementum tertiæ concoctionis; quando nimis abundat & partes tanquam onus illum expellunt.

Excremēta secūdæ coctionis. Excrementa Secundæ coctionis sunt, vtraque bilis, flaua, & nigra, serum, succus etiam crudus.

Huiusmodi humores quatenus excremētum secundæ coctionis, sunt alimentales: Nam ex melancholia naturali alitur lie ex bile vesica fellis. Itaque ex his humoribus, aut non fiunt febres, aut non sunt periodicæ, sunt Continentes.

Excremēta tertiæ coctionis. Excrementum tertiæ concoctionis est illud, quod semper facit febres periodicas; Quodnam est hoc? Est illud, quod fit & augetur a quacumque parte corporis determinata.

Per partem determinatam intelligo non organum, sed similarem.

Excremētū tertiæ concoctionis dupl. Et ideo excrementum Tertiæ concoctionis est illud, quod generatur, quando pars hæc determinata suscipit alimentum.

Hoc excrementum duplex est, tenue, & crassum. Docet hoc Gal. lib. 3. met. c. 3. & lib. 1. de tu. val. c. 12.

Tenue, est portio illius serosæ humiditatis, quæ distribuitur cum sanguine ad omnes partes corporis, vt sit quasi vehiculū alteri.

Crassum, portio impurior, quæ relinquitur post nutritionem.

Huiusmodi Excrementa euadunt præter naturam, ratione obiecti alimenti, & ratione partis nutriendæ.

Ratione Alimenti, quando illud aut nimis superabundat, quàm partibus necessarium sit; vel quando impurum; vel quando aderit vtraque conditio.

Est multum & peccat in Quātitate, quando sanguis nimis abundat: quod fit in intermissione exercitij, &c. uni parti excrementum, alteri alimentum.

Deinde quandoque colligitur in tanta copia, ut pro uasis seminalibus sufficiat, & pro gignendo semine.

Peccat excrementum ratione Qualitatis, quando impurum generatur, quando ex prauis cibis generatur sanguis prauus: partes determinatæ hunc augebunt; si sanguis sit pituitosus, augebunt pituitam; si biliosus; bilem.

Augetur

A Augetur autem excrementum præter naturam nō ex obiecto, sed ex partis determinatæ læsione lib.3. de sympt. caus.c.2.

Partes determinatæ laborant aliquando morbo. Alimentum,quod confluit ad hanc partem, etiamsi sit probum, tamen propter hanc partem mutabitur excrementum tertiæ concoctionis.

Certum est omnes morborum motus periodicos præter naturam prodire ex motu huius excrementi Tertiæ concoctionis, vt Gal. docet lib.de caussis morborum cap.6.& lib. de cibis bon. & mal.succ.& lib.1.de diff. feb.c.vlt.ita vt omnis ratio periodi consistat in motione excrementi tertiæ cōcoctionis.

B *Causæ periodi febrilis.* Febrilis periodus tria habet causarum genera 1. est formale, de quo dictum hactenus. est autem tempus intensionis,& remissionis febris.

2. Materiale illa scilicet materia,quæ mouetur in hac periodo: quam dicebam esse excrementum tertiæ coctionis.quod excrementum tertiæ coctionis probo ratione, & testimonio Galeni.

Ratione quidem; etenim hæc materia, quæ debet periodum febrilem constituere, debet esse partibus determinatis infensa,vel propter copiam,pōdus,mordacitatem. Sed sic est, quod nulla materia excremētitia vel primæ, vel secundæ coctionis est infecta,&c. Ergo sequitur,quod illud excremētū, quod debet efficere periodum, debet colligi in parte determinata, teste Galeno libro secūdo, de diff.feb.cap.vlt.& lib. 9.meth. c.5.vbi dicit, omnem periodi causam referri debere in partes singulas determinatas, quæ generent excrementa, vel retineant.

Itaque quodcumque excrementum colligitur in fine tertiæ coctionis,est causa omnium morborum periodicorum.

Sed dicit quis: nonne etiam colliguntur excrementa morborum in ventriculo, & iecore,& primæ & secundæ coctionis? verissimum hoc, quæ sunt apta ad excitandas febres periodicas; sed illa excrementa sunt quoque excrementa tertiæ coctionis. Do exemplum, ventriculus vbi chylum generauit,necessariū est,vt probus transeat ad iecur,de quo nullus periodicus est affectus.

Si corruptus,aut statim excernitur per intestinum,& tunc nullum facit morbum: aut retinetur in ventriculo,& euadit excrementum tertiæ coctionis. Ratio, vbi retinetur,si esset bonū, deberet transire in nutritionem ventriculi, vt scribit Galenus lib. 3. de nat. fac. c. 13. Itaque totum, quod retinetur,potest esse materia alimenti ventriculi; & propterea vbi non alteratur,statim transit in excrementum tertiæ coctionis.Quia ventriculi membranæ abhorrent ab hoc alimento.

Idipsum dico de iecore, si augeat excrementa naturalia vtilia, vel mittit ad propria loca, in quo casu nullus fit morbus.

Si retinentur in iecore, pars vel totum,cōtingit iecori; quod diximus contingere ventriculo. quia retinet simul sanguinē, bilem, pituitam, quæ deberent mitti ad alia loca, quia iecur tantùm debet retinere quod ad sui nutritionem est necessarium.

Habuistis, quæ sit materia, quæ facit motum periodicum, excrementum scilicet tertiæ coctionis. Hoc quandoque colligitur in partibus determinatis, quia non potest euacuari per sua loca consueta.Prætereaq; Galen. lib.de morborum causis,cap.6. circa finem, tunc fieri inquit morborū originem, vbi retinetur excrementum,vbi loca fuerint constipata,aut nō possint excerni. Et singillatim pluribus lib.9. de vsu part.c.1. exemplo muci geniti in cerebro id comprobatur.Itaque hæc est prima causa,retentio.s. excrementi.

2. Collectio excrementi propter copiam, vel prauitatem alimenti,si fluat plus alimenti,vel sit corruptum,partes abhorrēt. Et colligitur excrementum tertiæ coctionis pro varietate partis, & humoris.

3. Causa est partis ipsius vitium. Etiamsi igitur alimentum fuerit laudabile, ex partis tamen vitio coaceruantur excrementa.

Hactenus exposuimus Causam Formalem, & Materialem periodi.

Efficiens est illa, quæ mouet excrementum tertiæ coctionis.

C Nomine motus intelligo localem, & alterationem, non statim ac collectum est, facit febrem, & alium morbum, aliquando hoc contingit, aliquando verò colligitur in corpore, & quiescit diu, & augetur.

Quando collectum statim febrem facit, necessariū est vt facilè putrescant, & vt pars, in qua colligitur, sit valdè sensibilis.

Vbi autem colligitur in corpore in maxima copia, excrementum nō est mordax, vel pars, in qua colligitur, non admodum sensibilis. Et propterea in cauitatibus corporis, vētriculo, intestinis, spatio inter intestina, & ventriculum, cauitate vteri, spatijs inanibus, in omento, mesenterio, pancreate in capa-

D citate thoracis, substantia cerebri. ābitu totius corporis, &, vt dixi, in maxima copia; qa nō est mordax. Siue igitur in locis iam dictis, siue alijs collectum moueatur ad putredinem,certū est,esse causā febris periodicę. Causa, qa hic humor, si de nouo generetur, est in loco illo,in quo generatur,aut in alium transmittitur. Vbi generatur de accessione in accessionē, fit, quia illa pars, quæ generat, & retineat excrementū, & statim putrescat, ex quo excitatur humor, & dolor, quod fit, vbi hoc excrementū facit calorē febrilem. Ex his quid fit trahitur etiam excrementum ab alijs partibus, & adhuc magis repletur.

Et ideo in hoc casu fit principium accessionis, quod vocāt tempus intēsionis, Græci παροξυσμόν, Latini exacerbationē in qua cōtinetur & Principiū, & Augmentū, & Status.

D Huiuſ-

Huiusmodi congeries ex tribus temporibus vocatur paroxismus, exacerbatio, quando materia putrescit, & lædit partem, & calorem inducit.

A

Idipsum fit, quando materia transmittitur ad aliam, vbi infert calorem, humorem, & consequenter habebit eundem statum.

Succedit huic tempori declinatio, & quandoque interuallum, quandoque digeritur, & consumitur, vel euacuatur, quando euacuari potest, quod est secundum tempus remissionis, siue cessionis à motu.

Si contingat affectionē partis, quæ excrementum generauit, perseuerare, tam diu perseuerabit accessio, quàm diu materia.

B

Quod si materia iam sit collecta, & in corpore resideat in maxima copia in dictis partibus, tunc huiusmodi materia, aut tota simul putrescit, aut pars. si tota, aut in maxima copia, facit potiùs Continentem, quàm Periodicam.

Si pars putrescit, periodicam duobus modis; quia pars transmittitur à loco, in quo est, ad alium.

Dabo exemplum.

In pancreate, vel omento collecta multa materia excrementitia fieri potest, vt tunc contrahat aliquam intemperiem, in quo casu excalescentia iecoris fieri potest, vt portio huius materiæ, quamquam non putrescat, trahatur in iecur, & febrim excitet.

C

Idipsum dico si pars collecta in cauitate ventriculi, vel venis communibus. Dū enim confluit contractione valida calorē inducit.

Cāæ periodi tā in continuis, quā in intermittentibus. Succedit, vt audietis, causa periodi tam in Continuis, quàm in Intermittentibus.

Hæc causa non est vsque adeo difficilis. lib. 2. de diff. feb. cap. vlt. Erit febris continua, sed periodica, quando excrementum tertiæ coctionis collectum sit multum crassum, vel facultas sit debilis, & languida.

Contra verò vbi materia sit pauca, tenuis in loco aperto, & habeat huiusmodi natura facultatem corporis validam, necessariò fit febris intermittēs; vt pauca enim facile euacuatur; vt tenuis facile item.

D

Cur quædam continuæ habeāt exacerbationes, sed non declinationes. Sed difficilior, & a nemine explicata est causa varietatis continuarum. Dixi enim dari continuas, quæ nullas habent declinationes: habēt quidem exacerbationes, sed non declinant: habent exacerbationes, sed semper ita validas, vt nō habeant declinationes: 4. aph. 43. aliquæ habent declinationes, aliæ lib. de morb. temp. cap. secundo, in quibus pulsus non deponunt celeritatem; aliæ, in quibus deponunt. Itaque oportet inuenire horum causam.

Quantum ad primas, cum quærimus causam, propter quam dantur febres continuæ periodicæ non declinantes; dico duobus modis fieri posse hanc febrem.

Primus est, quando materia generatur de accessione in accessionem.

Secundus, quando periodica fit ex ea materia, quæ multa collecta est in corpore.

Venio ad primum modum: primus fit, qn̄ pars aliqua determinata tentatur inflammatione, aut alio morbo instrumentario, præcipue magno: vt non tantum corrumpatur excrementum tertiæ coctionis, sed etiam alimētum partis. Do exemplum: In inflammatione in iecore, in qua materia est extra venas; propterea excrementum tertiæ concoctionis quandoque contingit, vt inflammatio sit parua, vt non corrumpat alimentum: aliqn̄ magna, & totum membrum fit gāgrena. Vbi igitur talis fuerit, vt corrūpat excrementum & alimentum, fit continua periodica, sed quæ nullas habet declinationes.

Alio modo potest fieri, quando materia multa sit collecta in venis communibus, ita vt venæ repleantur hoc excremento, quamquam non corrupto.

Si corrumpatur, corrumpit etiam sanguinem alimentalem; fieri potest, vt huius portio transmittatur ad partem determinatam, ad cerebrum, pulmones, &c. Et ibi faciat inflammationem, tunc duplex oritur febris, continens in vasis communibus, proportionata ex inflammatione illius partis ad quam transmissa est materia. Hæc est causa febrium continentium periodicarum non declinantium.

Materia periodi febrilis vt dicebam, est quod colligitur in tertia coctione. *Materia periodi febrilis.*

Causa Efficiens huius periodi est vna, vel plures, ex facultatibus naturalibus partium determinatarum, quando generant, & corrumpunt excrementum, uel genitum transferunt ad alium locum, quando inducit calorem, ruborem, tumorem & si ostendi possit, vbi humor dissipatur, pars relinquitur sine calore, tumore, & rubore: succedit secūdum tempus remissionis, quoties humor de nouo colligitur, & in parte retinetur. *Causa efficiens.*

Causa autem periodi tā in continuis, quā intermittentibus, pendet ex multitudine, crassitie, loci densitate, facultate, partis imbecillitate, aut ex oppositis.

Sed quia ex continuis periodicis quędam sunt, quæ exacerbantur quidem, sed non declinant: aliæ exacerbantur & declinant, quærebamus harum febrium causas.

Dicebam & repeto, causam esse, quia in febribus periodicis, quæ non declinant, putrescunt simul & semel alimētum, & excremētum. vbi hoc, est febris periodica non declinans; vbi putrescit tantū excrementū tertiæ coctionis, est cōtinua, quæ habebit declinationē, & vt melius intelligeretis rem. proposuimus quatuor cās continuitatis periodicarū, copiam, crassitiē, loci densitatem & facultatis imbecillitatē. Vbi oēs simul concurrūt ad faciendam continuā periodicā semper illa est continua sine declinatione; si deficiūt aliquę ex istis hn̄t declinationē; sit exempli

gratia

gratia febris, in qua materia sit multa, crassa, locus obstructus, & facultas debilis. Vbi locus obstructus, siue venę communes, siue locus determinatus, semper materia ibi collecta corrumpitur; vbi retinetur excremētum, putrescit: si putrescit, etiam corrūpit humores propinquos alimentales, teste Gal. lib. 2. de diff. febr. c. vlt. quod est caput aureū, consulo vt illud diligenter legatis, in quo tota hæc materia continetur.

Idipsum contingit, si facultas sit debilis, siue intelligatis expultricem, siue alteratricē.

Si Alteratrix, aut non potest sanguinē conuincere propter frigiditatem, aut corrumpit propter caliditatem, cum, vel sine materia. Vbi igitur istæ continuitatis causæ adsunt, semper necessariò corrumpitur alimētum, vnde febres periodicæ sed non declinantes; in quo genere primò febris, inflammationes adsunt partium principalium. Si inflammationes magnæ sunt, febres continuæ periodicæ, sed quæ numquam declinant.

In hoc genere sunt etiam febres ardentes ex putredine humorum in vasis cordi proixmis uel communibus, de quibus in superioribus egimus. Et Gal. in 1. Epid. com. 10. idem testatur.

Dantur inquam febres continuę periodicæ non declinantes, non tantùm ex inflammatione, quantum ex putredine contenta in venis partium propositarum.

Istæ etiam habent aliquando suas periodos, & ut dicebat Galen. 3. in 3. Epid 16. in diebus paribus.

In hoc genere sunt quędam continuæ periodicæ: ex vasis communibus, quales sunt illę, in quibus aut aliqua portio tenuior magis ichorosa propter copiam excernitur à venis ad extra uenas, quando ob insignem venarum plenitudinem non potest humor retineri, quæ excitat horrorem, uel rigorem leuem, & facit tales febres.

De his loquitur Galen. in com. 43. 4. partic. aphor. Quando scribit Hippoc. *febres quæcumque non intermittentes de tertio fortiores fiunt, magis periculosæ sunt, &c.* inquit, in com. has esse duorum generum, ex inflammatione, & maligna putredine. Et de his uera sententia Hippocrat. quod aphoris. 46. ubi inquit, si rigor incidat, febre non deficiente ægroto iam debili, lethale est. Galenus in com. inquit, aliud est dicere, si rigor inciderit, aliud si incidat. Vide locum. Habetis itaque tres differentias febrium continuarum periodicarum non declinantium.

Continuę declināntes, & earū causæ. Transeo modo ad Declinantes. Cōtinuæ declinantes erunt illæ, in quibus deficit aliqua ex conditionibus propositis, & debent ita carere hac cōditione, ut non corrumpatur humor alimentalis, uel in modica quantitate, uel in loco admodum distante à corde. Sed quia dictum est has periodicas declinantes adhuc esse in duplici differentia; aliæ

A quæ deponunt pulsus duritiem & celeritatem; alię quæ non; causa, propter quam non deponant, pēdet ex loco affecto, & affectione, vbi pars aliqua determinata afficitur inflammatione, abscessu, vel tumore alio, ita vt materia sit extra uenas, pulsus non deponit duritiem, & celeritatem. Ratio est in promptu, ubi materia est extra uenas cum inflammatione, ut dictum est, non deponit duritiem, quia materia extēdit partes membranosas, neruosas, ex quibus fit durities.

Non celeritatem, quia dum continetur extra uenas cum tumore, non potest euacuari.

B Dislatur, quia totus non potest digeri humor; hinc istæ febres declinant quidem, sed non deponunt pulsus duritiem & celeritatē. Hoc non est imaginarium: uideatis Gal. lib. 2. de diff. febr. cap. vlt.

Potestis dicere, ubi pars habet inflammationem, semper corrumpit alimentum. Hoc est falsum, quia propterea dixerat in inflammationibus consimilibus quandoque fieri unicam accessionem, quandoque tunc, ut explicanit ibidem, quando materia noua non transmittitur ad partem.

Itaque potest contingere, ut pars inflammata non corrumpat alimentum, & contineatur excrementum extra uenas, hæcq; febris est continua.

C Quod si materia continetur in uenis communibus, uel determinatis, cum robore ipsius partis, in tali casu febris erit cōtinua periodica, & maximè declinans, in qua non relinquitur celeritas in pulsu, nec durities.

Ratiò: quia in hoc casu materia cùm non contineatur in loco arcto, illa sub finem accessionis transmittitur ad uenas minimas, ut aliquando possit extra uenas uergere.

Et quantum ego potui intelligere ex scriptoribus, putò hanc unicam harum febrium causam eos cognouisse scriptores. Est uera, sed non semper, fiunt etiam alijs modis propositis, illo rato hoc accidit, quia materia

D febrium periodicarum est excrementum tertiæ coctionis. Efficiens loci determinatum lib. 1. de curat. per uen. sect. c. 4. Ideò cum multæ sint corporis partes, facilius est vt febres periodicæ fiant ex parte determinata, quàm ex uenis communibus.

Ex his patet ratio, propter quam ex cōtinuis ppositis aliç incipiāt cū rigore & refrigeratione, aliç exacerbent sine his symptomatib', sed tantùm habent incrementū caloris.

Exacerbantur cum rigore, quę fiunt ex locis determinatis, vel locis uenarum cōium.

Ex locis determinatis, quādo materia, quæ facit febrem, sit admodum acris, & mordax, & excitat inflammationem in parte admodum sentiēte; qualis est membrana phreniticorum, incipiunt cum rigore maximo.

Fiunt etiam rigores, ut dixi, ex locis cōibus,

bus, eo modo, quem paulo ante explicaui, quando materia ita est copiosa, vt non possit tota in venis contineri. Hinc Galenus lib. 1. ad Glauc. cap. 5. inquit, continuas febres habere rigores, sed paruos; habent rigores paruos, quando materia est mordax, & locus minùs sensibilis.

Fit refrigeratio duplex: quædam est admodum prolixa, & vehemens; alia parua, quæ tantum fit in principio accessionis.

Vbi vehemens, & perseuerans per totum tempus accessionis, fit ex magna inflammatione viscerum. in quo casu inflammatio magis pertingit ad carneam substantiam visceris. Exempli gratia, caro iecoris, aut pulmonis repletur multo sanguine, &c. Hæc est doctrina Gal. 4. prog. com. 5. sect. 3. aph. 1.

Quod si refrigeratio sit parua, in tali casu fit confluentibus humoribus ab vno loco ad alium, ita tamen vt hic humor sit sine inflammatione, & non vellicet partem sentientem.

Denique nulla fit refrigeratio in cõtinuis propositis, sed tantùm calor; quando putredo est vel in venis determinatis, vel communibus: in tali casu potest fieri exacerbatio; quia potest confluere noua materia ad venas determinatas, uel communes, quæ augeat calorem loci: sed non fit horror, quia materia est intra uenas; nec refrigeratio, quia calor non ita concentratur, sicut, quando extra uenas.

De causis febrium intermittentium in genere.
Cap. VIII.

EXplicaui hactenus Causas Continentiũ omnium Periodicarum, succedit explicatio causarum febrium omnium Intermittentium, quę profectò non minorem quàm superior continet difficultatem. Dicebam autem cum Galeno lib. 2. de diff. feb. c. vlt. causas intermissionis cuiusque febris esse 4. paucitatem excrementi, tenuitatẽ eiusdem, locum amplum, & minimè coarctatum, & facultatem robustam; singula singulatim explico.

Paucitas excrementi. Nomine pauci excrementi intelligo illud, cum quo tamẽ possit seruari causa vniuscuiusque febris intermittentis, quia ut potestis colligere ex Galen. 3. in 1. Epid. 5. Intermittentium febrium quædam sunt breuissimæ, quædam protensę, ut accedant ad cõtinuas; quædam medio modo se habent. Itaque nomine pauci excrementi intelligo, & protensæ & mediocris. Exempli gratia ad inducendam tertianam breuissimam est necessaria materia ichorosa ex bile, & non durat ultra 5. horas; quod ego bis obseruaui, quod fit ex bile putrescente in pauca quantitate. Si putrescat bilis sincera absque reliquis excrementis. facit Exquisitam Tertianam, quæ non excedit horas 12. Si in maiori copia, febres excitat, quæ transeunt ad

A nothas, circiter 15. durant horas. Si ex bile pallida, hæc est frigidior, durabit ad 18. uel 20. horas.

Et si adhuc magis misceatur pituitosus humor cum bilioso ad 24. & 30. horam & si etiam melancolia misceatur ad 40. & 44. horam, ita ut accedat ad continuas periodicas pro uarietate, copia uaria.

Nũ quotidiana desinat ad infebricitationem. De quotidiana est dubium, num detur intermittens, quæ desinat ad infebricitationẽ. Galen. libro secundo, de differ. feb. capite 4. dubius est, & sibi contrarius. Nam primò inquit non desinere ad perfectam infebricitationem; postea addit, multos alios sensisse desinere, quorum sententiæ uidentur subB scribere; nihilominus paulò post iterum subiungit, non relinquere huiusmodi corpus immune a febre: Et ratio quia Galenus utitur, potius concludit oppositum. inquit, erit intermittens, quando sit exquisita. Scitis autem, quod sit exquisita quotidiana, quę fit in temperamento frigido & humido, uita otiosa, post usum ciborum frigidorum & humidorum: ergo spuria magis ad infebricitationem desinit.

Sed quicquid sit, certum est, ex mutatione excrementi fieri febres, uel breuiores, uel longiores.

Quod dixi de reliquis, dico etiam de Quartana: quò humor tenuior, eò breuior.

C Sed transeo ad difficiliora: dixi, intermittentes fieri, ubi materia non est in loco arcto conclusa, & ubi uirtus ualida. uideamus, an materia non sit conclusa in loco arcto, in quo loco duo ueniunt explicanda.

Locus febrium intermittentium. Quantum ad locum pertinet, locus febrium intermittentium duplex constituitur: unus, in quo continetur materia Antecedens, quæ est excrementum Tertiæ coctionis, antequam corrumpatur; in quo materia conclusa, quæ actu facit febrem Putridam intermittentem.

Si sermo sit de priori loco; dico hunc locum esse posse quamcumque nostri corporis partem, internam, externam, comunem, D determinatam, & propterea carnes totius corporis, spatia inania, &c. omnes partes uno uerbo. Probatur ratione; quia omnis pars proposita generat excrementa. Ergò potest & ea colligere. quia ubi generantur excrementa, possunt etiam retineri. Causa propter quam retinentur describitur lib. 1. de tuend. ual. cap. 4. Adest alia etiam ratio. Omnis pars nostri corporis potest esse imbecilla: Ergo potest colligere excrementa. nam ad partes imbecilliores semper fluunt excrementa, lib. de causis morb. cap. 6.

Quod omnis pars possit esse imbecillis, loco citato.

Pars naturalis in duplici differentia: naturalis cutis, adenes, loca expulsionis; omnes aliæ sunt imbecilles propter morbum, & in duplici differentia; morbo naturali, & acquisiti-

quisitio. Exempli gratia. Si quis naturaliter oritur claudus, gibbus, cæcus, & aliqui semifatui, asthmatici, est morbus naturalis: alij incidunt in hos.

Itaque partes imbecillæ semper aliarum partium excrementa suscipiunt, authoritate Galen. libro quarto de tuend. val. per totum librum, videbitis Galenum agentem de hac materia.

Itaque omnes istæ partes colligunt excrementum, quod est causa antecedens febriū, propterea libro primo de differ. febr. capite quarto, eandem proponit sententiam. Quandoque in primis vijs & in ambitu colligi excrementa; & tamen patiens non febricitat. Causa propter quam possint colligi, hæc excremēta absque febre, est proposita loco citato. quæ est ratio? inquit Galenus plenitudo est duplex, alia quo ad vasa, & alia quoad vires: si colligantur humores quo ad vasa, non necessario putrescunt. quæ est ratio? vbi vires constant, potest subsistere materia aliquo tempore in corpore. Vbi verò est quoad vires, statim putrescit.

Locus cōiūctæ materiæ. Si sermo sit de loco, in quo cōtinetur materia coniuncta, audiuistis, quid alij dixerūt. Altimarus semper ambitum totius corporis pro tali loco habet. Iulius Alexandrinus ambitū totius corporis, parenchyma, carnem viscerum. Fernel. viscera omnia, præcipue pancreas, mesenteriū. Ego pferam meam sententiam, quam cupio diligenter audiri.

Primò quidem existimo ego materiam febris intermittentis nunquam esse in carnibus viscerum seu parenchymate.

Secundò materiam febris intermittentis nunquam peccare in ambitu tantum totius corporis.

Tertiò locum febris intermittentis vel venas communes vel venas determinatas partium internarum, uel cauitates amplas ventriculi vel alterius loci. Singula confirmabo.

Non esse carnē viscerum. Primò quidem, quod intermittentes non possunt fieri ex materia peccāte in carne viscerum, probatur hoc argumento. Quia deficiunt conditiones, quæ faciunt febrem intermittētem, pter quam febris intermittit; Ergo nō potest fieri talis febris. Consequētia est clarissima: nam ad faciēdam febrem intermittentem oportet concurrere 4. conditiones: deficiunt duæ præcipuæ, quod probo. Deficit primò cōditio, quod materia cōtineatur in loco aperto. nam si in carne iecoris, lienis, est extra venas. Coarctata non possunt excerni. oportet vt iterum ingrediātur venas. Et ideo Galenus libro secundo de diff. feb. cap. vltimo, quia materia est cōtracta in vnico loco, quod fit vbi febris intermittens contineatur in propria substantia. Vellē, ut mihi explicaret Alexādrinus qd interfit inter materiam inflammationis, & huius febris. Inflammatio fit, &c. teste Gal. lib.

A de inæq. intemp. c. 3. quando, dum calida fluxio in musculum procubuit, primum maiores arteriæ venęque opplētur, ac distenduntur, ab ijs minores, &c. Vide locum, est paulo prolixior, quā ut hic totus annotari possit. Idipsum fit in materia febris intermittentis.

Præterea, deest secunda conditio, quę est, ut facultas sit robusta: quando materia contineatur extra uenas & non possit euacuari, necessario reddit membrum debile; eadem rō, quæ inflammationis, quæ semper reddit locum debilem. sed est alia ratio, si materia intermittentium contineretur in hoc loco angusto, quomodo in principio accessionis fieret uomitus, in fine sudor, necesse esset ut B materia moueret de loco in locum. Itaque materia non est in parenchymate uiscerum.

Tertia ratio. Si materia intermittentis esset in huiusmodi loco extra uenas: Ergo urinæ non demonstrarent neque cruditatem neque coctionem huius febris. Ratio ex Galeno habetur. nam lib. 1. de cri. cap. septimo, aperte scribit, urinas esse indicium affectionum uenosi generis.

Concedatis materiam intermittentium esse extra uenas, urinæ nihil ostendunt.

Nec est, quod quis dicat cum Rōdeletio, quanquam urinæ ostēdunt affectionem uenosi generis, tamen ostendunt etiam partium determinatarum affectiones. Est contra Galenum 1. in 1. Prorrhet. 6. ibi proponit C Hippoc. quædam signa phrenitidis, & inquit Galenus, urinæ nihil ostendunt ad affectionem phrenitis: pariter lib. primo de cri. cap. septimo dicebat; pleuritis cognoscitur tantùm ex sputaminibus 3. in 2. Epid. text. 6. loquitur de uoluulo, inquit in com. in uoluulo ex inflammatione urinæ sunt inspiciendæ tantùm ob hanc causam, quia si bonæ fuerint, habent nullum momentum ad sanitatem patientis; si sint prauæ, aliam adesse affectionem significant.

Itaque si materia extra uenas cōtineatur, est eadem ratio, quæ inflammationis, quæ non cognoscitur ex urinis. Ergo nec in fe- D bribus intermittentibus.

His argumentis mihi persuadeo, parēchyma uiscerum non esse locum, ut nec ambitum corporis. Primò enim si materia putrescens in ambitu corporis febrem intermittētem efficiat, peto quamobrem in scabie, & lepra non fiat febris putrida continua? Docet Gal. scabiem & lepram fieri ex materia putrescente salsa & multa in ambitu totius corporis. Si igitur in toto corporis ambitu. Ergo sequetur, quod materia putrescens ex se non possit febrem intermittentem efficere. Præterea si esset, solo balneo, frictionibus, & cucurbitulis curarentur. cuius consequentia ex Galen. lib. quarto de tuend. ual. cap. 6. patet. Alia fortior, si in solo corporis ambitu, uenæ sectio, uomitus, alij deiectio essent pernitiosissima.

Ratio est ipsius Galeni, qui loco citato inquit, vbi abundant humores in primis vijs, cauendum, ne qui sint in primis vijs, trahantur in corporis ambitum, nec qui in ambitu, ad intro: quæ sunt illa, quæ ducunt humores ad intra? Sunt timor, purgans medicamentum. itaque sic ducerentur humores ab ambitu corporis in venas.

Præterea argumentor. Transmissa materia à venis ad extra venas in corporis ambitum, febris tollitur. Ergo sequitur, ex materia putrescente in corporis ambitu non posse febrem fieri. Consequentia clara; nam si hic locus curat febrem cõtinuam transmissa materia à venis ad extra venas. Sequitur id quod dixi. Maior est Hip. & Galeni 4. aph. 58. inquit Galenus fit solutio, quia transmittitur materia à venis ad extra venas.

Neque est quod quis dicat, trãsmitti quidem materiam, sed & euacuari. Dicam hanc fugam esse nullius momenti. nam Galenus ipse, lib. quinto loc. aff. c. vlt. scribit febrem ardentem esse, vbi febri continuæ succedit Icteritia. est argumentum materiam non esse euacuatam. Domini, plura essent dicenda, quod fiet in sequentibus lectionibus, vbi contendam nõ solum falsam esse hanc sententiam; sed & ex Gal. sententia semper necessarium esse ingressum materiæ ab ambitu corporis ad venas ipsas: hoc & authoritate, & ratione probabo.

Ostendi hactenus materiam coniunctam febris intermittentis, numquam peccare tãtum extra venas, siue nomine loci extra venas intelligamus ambitum totius corporis, siue parenchyma, siue carnes viscerum. Superest vt in præsentia meam proponam sententiam; facilitatis gratia complectar totam hanc meam sententiam quibusdam conclusionibus, quas singulas pro viribus confirmabo.

Prima est, in omni febri Intermittente necessariò materiam coniunctã in Principio, Augmento, & Statu putrescere intra venas. Confirmatur hæc prima conclusio triplici potissimùm argumento. Primum desumitur ex vrinis: Omnes febres Intermittentes necessariò habẽt eam coctionem, vel cruditatem in humoribus, quam aliæ febres continuæ. Ergo ex vrinis talis coctio vel cruditas deprehendi debet. Antecedens est manifestum. Consequentia est probata in præcedenti lectione ex Galen. lib. 1. de cris. 2. vrinas esse indicia eorum humorum, qui in venis tantum continentur.

2. Idipsum probo ex natura Temporum accessionis febrium intermittentium. Quæ est natura horum temporum? natura horũ temporum vt ex Gal. lib. 2. de diff. febr. c. vlt. 1. acut. com. 46. lib. 3. de præs. ex puls. c. 7. patet, est, vt in principio accessionis moueatur humores à circunferentia ad cẽtrum; in augmẽto à centro ad circumferẽtiam; in statu

A moueantur prorsus à centro ad circumferentiam in declinatione digerẽtur, vel euacuãtur per insensibilem halitum, vel sudores.

Hoc stante igitur necessarium est huiusmodi temporum naturas mutari ex mutatione humorum, vt in principio à circumferentia ad centrum; in augmento, statu, & declinatione, contra.

Sed hic motus non fit, nisi per venas, neque possunt moueri à visceribus ad ambitũ corporis, nisi per venas. Igitur toto augmẽti tempore continetur materia in venis.

Tertiò probatur ex euacuationibus, quæ contingunt vno, & eodem die in febrib. intermittentibus; quod testatur Galen. lib. 2. de sympt. causis, cap. 5. & repetit 4. aph. com.

B 54. huiuscemodi euacuatio vno eodemq; die facta nõ potest fieri, si materia contineatur in solo corporis ambitu, vel in carne uiscerum. Itaque constantissimum est ex his, materiem peccare in uenis.

Secunda conclusio est, hanc materiam, quã dixi, peccare in uenis, in principio trãsmitti etiam aliqua ex parte ad extra uenas, & per locũ extra uenas, intelligo membranas uiscerum, uel carnem totius corporis. Exempli gratia, si è carne iecoris portio tenuior transmittatur ad membranam iecoris. confirmatur, quia omnes intermittentes

C necessariò incipiunt cum rigore, horrore, & refrigeratione: quia rigor & horror non potest fieri, nisi materia stimulante carnes uiscerum, & totius corporis.

Tertia conclusio est, materiam febris intermittentis numquam totam simul collectam esse in uenis ipsis, ubi febris ipsa intermittens excitatur. Ratio huius conclusionis pendet ex his, quæ dicta sunt. Diximus febrẽ continuam fieri, uel ex multa materia, uel crassa, uel quod in loco arcto, uel facultate imbecilli. Si multa materia in uenis, omnes conditiones concurrunt, quæ faciunt continuam. nulla est ratio ut dicebat libro 2. de diff. feb. cap. ult. ubi materia continetur in uno loco, est alligata uni loco, sed ubi mate-

D ria simul colligitur uitiata in uenis communibus, & una pars putrescet, putrescit etiam altera, & ideò est febris continua.

Neque etiam fit febris intermittens ex materia genita & retenta in eo loco, ubi generatur.

Supponamus exempli gratia, si generetur bilis in iecore, & ibi retineatur, non erit febris intermittens, quia vbi materia generatur & retinetur & corrumpitur, in illo loco concurrunt multæ causæ continuitatis. Propterea vera conclusio intermittentis est, nõ fieri ex materia genita, retenta, & corrupta in vno eodemque loco.

4. Conclusio, fieri febrem intermittentem ex materia attracta vel trãsmissa à loco ad locum. Hic locus à quo fit hic motus, potest esse multiplex; aliquando potest moueri

à venis

venis vnius à partis determinatę ad venas alterius partis determinatæ. Exempli gratia, generabitur excrementum in venis iecoris, potest transmitti ad alienis, vteri, &c. aut potest mitti à determinatis ad communes; vel gigni in venis communibus, & mitti ad determinatas. Hanc transmissionem per venas de loco ad locum, docuit Gal. in lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 8. vbi multa dicit de huiusmodi transmissione.

Et rursum aliquando partes transmittunt materiam ad aliam partem: Iecur exempli gratia ad lienem, & lien iterum ad iecur. Hæc transmissio semper fit per venas unius partis, per venas alterius partis. Vtcumque sit, potest seruari ratio febris intermittentis: quia excrementum, quod transmittitur, si sit in pauca quãtitate, ea pars potest hoc extra corpus pellere siue per sudores, vrinas, &c. Et hoc sufficit ad cõstituendam febrem intermittentem.

Et propterea est necessarium, vt patet, extra venas sit, & intra venas, nec multa, & trãsmittatur de loco ad locum, & locus non sit imbecillis.

Itaque iam intellexistis, quomodo possit fieri hic motus à loco ad locum intra venas. & hanc sententiam confirmare possum quibusdã Galeni authoritatibus. Galenus in illo lib. 2. de differ. febr. cap. 2. & lib. 2. de cris. cap. 6. & sect. 4. aphor. 59. scribit, in nullo alio differre febres continuas ab intermittentib⁹ nisi quod in continuis materia mouetur intra venas, in intermittentibus extra venas. Tunc si per motum intra venas, vel Galenus intelligit motum intra venas tãtum in principio accessionis, vel in augmento, & statu; nulla est ratio, quamobrem cõtinuæ distinguantur ab intermittentibus.

Si dicant Galenistæ sententiam Galeni de febre continua intelligi, quod contineatur materia intrà venas in principio, augmẽto, & statu: Dicam ego in declinatione potest huiusmodi materia euacuari, quæ soluat solam febrem, igitur etiam totam accessionẽ. Distinctio igit est, materia toto accessionis tempore mouetur in venis, & est continua; in intermittentibus mouetur extra venas.

Cæterum transmittitur etiam materia à locis ab extra venis ad intra venas, qui locus quãdoque potest esse ambitus corporis, cauitates amplæ partium internarum, spacia inania.

Dixi materiam mitti à carnib⁹ totius corporis ad intra venas in principio accessionis. Sed vbi mittitur hæc materia ad intra venas, & faciat intermittẽtem, necessarium est collectam esse in corporis ambitu in modica quantitate, & propter errorem externum. Exemplum scribit Galenus 1. in 3. Epid. tex. 29. Itaque vbi adsit insignis aliqua intempeties, propter quam augetur excrementum: febris erit continua. Videatis locum 4. acut. com. 1. vult nobis significare, fieri febrem ardentem, non tantum vbi venæ arefactæ ad se traxerunt materiam, uerùm ubi totum corpus arefactum attraxerit materiam ad sese. Clariùs lib. 4. de tuend. val. cap. 10. inquit: in lassitudine phlegmonosa fieri febrẽ synochum, quia materia copiosissima colligitur in carnibus totius corporis. Itaque in hoc casu fit febris continua maxima, deueniamus ergo ad rem.

Oportet vt febris intermittens, quę debet fieri à corporis ambitu ad venas, sit materia pauca, & collecta, propter aliquam causam extraneam constipantem cutem. In hoc casu necessarium est in principio accessionis, vt semper maior portio transmittatur per ambitum totius corporis. Tota hæc probatio pendet ex natura horroris, & rigoris. Inde argumentor sic.

In principio accessionis intermittentis materia discurrente per carnes totius corporis, fit rigor & horror. Ergo materia confluit ad intra uenas, imo usque ad uiscera. Consequens probatur lib. 4. de tuend. ual. c. 6. & lib. de sympt. caus. c. 5. & lib. 10. meth. c. 4. In his locis scribit, naturam rigoris & horroris esse, ut moueat humores à circumferentia ad centrũ, & propterea lib. 4. de tuẽd. ual. cap. 6. dum quærit causas propter quas existentib⁹ humoribus in ambitu corporis, possint confugere intro: inquit causas esse rigorem & horrorem. Ergo humores mouentur ad intrę uenas.

Clariùs patet ex natura principij febrium intermittentium, lib. 2. de diff. feb. c. ult. & 1. acut. 46. inquit, naturam huius febris esse, ut in principio sanguis moueatur ad uiscera, & hac ratione fieri pulsus contractos, &c. nulla alia est ratio, inquit, quia confugiunt humores in principio à circumferentia ad cẽtrum.

Si igitur ita se res habet, quis negabit, materiam, quæ facit rigorem, & horrorem, in principio febrium intermittentium non confugere vsque ad uiscera.

Neque uolo mihi obijci huiusmodi febres intermittentes aliquando fieri sine his symptomatibus, quod Gal. lib. 2. de caus. pul. c. 2. dixerit, dar. biliosas adeo benignas: est Obiectio nullius momenti, oportet intelligere illas biliosas Ephemeras, quas supra audiuistis non habere pulsus inæquales, nec cætera signa contractionis, &c. Omnes aliæ causæ, quæ sequũtur, sunt causæ febrium Ephemerarum, nam inquit fieri ex lassitudinib⁹: Itaque non ualet hoc argumentum.

Transmittitur itaque materia à corporis ambitu in uenas in principio accessionis, sed non tota, quando aliqua portio discurrit per totum corporis ambitum. Hoc nõ nego primum quidem antecedit motus, qui facit rigorem, postea succedit calor febrilis.

Ostendi hactenus materiam febris intermittẽtis in principio, augmento, & statu accessio-

cessionis esse intra venas, vt patet ex motu A tacto circa tempora accessionum, vt patet etiam ex euacuatione, quæ fit in febribus intermittentibus, vno die per aluum, intestina, vomitum, &c.

Ostendi quinetiam hanc materiam in principio accessionis pro parte moueri ad extra venas, cuius motus ratione fiunt horrores, & rigores.

Addidi hanc materiã non esse collectam in loco, vbi putrescat, nec ibi putrescere vbi colligitur, sed transmitti à loco ad locum, vel attracta, vel transmissa à parte ad partem materia.

Addidi locum transmissionis esse varium, & in proximè præcedentibus explicabam, B quod materia in corporis ambitu debeat & possit tranimitti ad intra.

Nunc probatur fieri hanc transmissionem ab aliquo loco interiore existente materia extra uenas; ita tamen, vt in principio, augmento & statu mittatur ad intra uenas. Hoc fit, ut vult. Fern. lib. 4. cap. 10. quando materia excrementitia colligitur in aliquo loco ignobili, non admodum sensibili, qui potest diu multa excrementa sustinere. Exemplum huius potest esse lib. 1. ad Glauc. cap. 5. ubi est sermo de febribus intermittentibus, huiusmodi fieri magna ex parte iecore laborante, si sermo sit de tertianis.

Itaque nunc accipiam pro exemplo uentriculum, qui est in causa febris quotidianæ C intermittentis. Quomodo? oportet ut portio moueatur à uentriculo ad iecur, ad uenas cauas communes, & transmittatur extra corpus.

Confirmatur: quia in hac febre sudor apparet per totum corpus accessionis; si locus putredinis sit tantum uentriculus, nec etiam in uenis, hic sudor non apparebit.

Sed hodiè manè casum habui, certissimum argumentum huius transmissionis materiæ a uentriculo ad uenas. Quidam in monasterio Sãctæ Iustinæ laborat triplici quartana, sed cum maxima uentriculi imbecillitate, hæc materia circa tempus inæqualitatis incipit distribui ad partes distantes à uentriculo, in quibus oritur dolor, & cessat uentriculi imbecillitas. D

Itaque hic motus à cauitatibus uentriculi ad uenas partis iecoris gibbæ, postea ad uniuersum corpus.

Hinc credendum Hippoc. 4. acut. tex. 69. loquentem de febribus singultuosis, quæ oriuntur ex plenitudine uentriculi, uoluisse solui sudore, per urinas crassas, abscessu.

Sed si persistat in uentriculo; neque soluatur sudore, urinis crassis, neque abscessu aliquo. Quod uerò de huiusmodi febre mẽtio fiat, patet ex curatione. & Gal. in com. inqt, uocat singultuosas febres illas, in quibus excitatur singultus circa principium accessionis, curat calefacientibus, & siccantibus.

Hactenus ostendimus materiã hanc contineri in uenis in principio, augmẽto, & statu. De declinatione autẽ semper est necessarium, ut materia digeratur in halitum, uel ex toto transmittatur extra uenas, uel per sudores, urinam, &c. Et hæc est uera causa intermissionis, nihil refert materiam retineri in principio, augmẽto, & statu in uenis, nam facultas uenarum robusta est & ualida.

Succedit ut soluamus quasdam authoritates, quæ ui dentur contra nos.

Multæ quidem sunt authoritates, ex quibus colligitur febrium intermittẽtium materiam peccare extra uenas, 5. in 6. epid. 31 Hippoc. habet hæc uerba. *Rigor à superiori ventre. Ignis autem ab inferiore magis est.* Inquit Gal. in com. sententiam Hipp. sic esse intelligendam, ex ore uentriculi irritato fieri rigorem, ex materia in fundo febrem. Igitur constat febrem dari intermittentem materia existẽte in fundo. Sed præterea superius multa attuli loca, quod fiant febres intermittentes mota per ambitum materia, & carnes totius corporis. Loca sunt lib. 2. de differ. feb. cap. 2. sect. 4. aph. 60. & 2. in 1. epid. 20.

Sed præterea, si concedamus, vt nos supposuimus, habere febrem intermittentẽ materiam intra venas. Ergo non videtur seruari ratio rigoris: nam venæ non habent sensum talem, in quibus potest fieri rigor. Accedit, quod debeat esse febris continua.

Dissoluã. Quando dictum est febres excitari ex materia contenta in fundo ventriculi; solutio habet apud eundem Gal. l. c. inquit, ventriculus vel generat vel sentit, uel incipit febrem ipsam. Hoc stante, dico ex fundo ventriculi fieri febrem; quia ibi generetur, sentiatur, incipiat: generatur in ventriculo non transmissa materia, quando excrementum, quod putrescit, est putrescens propter errorẽ in cibo & potu magis, quàm propter errorem ventriculi lib. 8. meth. c. 5.

Sed si febris debeat esse putrida, habebit materiam iam diu ibi collectam, erit putrida, sed continua, & quidem lenta.

Ego habeo nunc virginem in cœnobio D. Marci, quæ tentatur febre quotidiana consimili.

Sed si excrementum hoc ex parte putrescat, & transmittatur ad venas, facit intermittentem, & dicit Hipp. inchoare febrem.

Quantum ad ambitum corporis; dico primo sententiam Galeni duobus modis verificari.

Primus est, moueri hanc materiam per carnes totius corporis in principio accessionis. Hoc etiam euenit, vbi colligitur materia excrementitia in ambitu corporis, necessarium, vt antequam fiat febris, materia putrescat; musculos corporis sentientes mouẽt, ex motu fit rigor & horror, statim excitatur horror, necessariò statim materia ingrediẽ venas: quia proprium est horroris, & rigoris duce-

ducere humores ad intro: hinc suffocantur quasi viscera, & fit difficultas anhelitus.

In hoc vera est sententia Galeni, vt & secundo modo.

Mouetur etiam materia ad extra in fine accessionis, & propterea illæ febres, quæ incipiunt cum rigore, & non desinunt cum sudore; non sunt intermittentes, vt obseruabitis in praxi, & hoc ego experientia comprobaui: materia enim retinetur, & retrocedit, &c.

Obiectio. Sed ingeniosus aliquis objiciet duas authoritates contra nos, & probabit ex ambitu corporis non communicata materia venis, fieri tamen posse febrem.

Prima authoritas est ex 4. acut. com. 1. vbi Hipp. dixerat, fieri febrem ardentem, quando venę arefactę attraxerint. Gal. inquit huic sententiæ aliquid esse addendum: nam quæri potest, inquit Gal. an etiam musculi attrahant? Itaque si admittamus hanc suppositionem Galeni, videtur constituere febrem intermittentem, quando praui humores ad carnes mittuntur.

Secundus locus est lib. 4. de tu. val. c. 10. ex lassitudine phlegmonode fit feb. synochus.

Quantum ad primum locum primò dico, Gal. non decrauisse hanc veritatem, ponit rem sub dubio, inquit hoc posse quæri, & interrogat, vtrum sic fiat.

Sed præterea supposito, quod fieri possit, dicam Galenum voluisse huiusmodi nō fieri ex attractione materiæ in carnes, nisi aliqua ex parte communicetur etiā ipsis venis.

Ad alium locum lib. 4. de tu. val. dico similiter, non posse fieri synochum ex sola materia. sunt nugæ istæ: credetisne vos, venas ita repleri carne, vt videantur disrumpi.

Quantum ad alias rationes, facilis est solutio. Materia est in venis. Ergo non fit rigor. Materia febris intermittentis non tantum continetur in venis, sed etiam transmittitur ad extra uenas.

Quantum ad illud, quod deberet esse cōtinua. Dico, esset continua, si tota accessionis tempore materia contineretur intra venas. Nil itaque hæc ratio concludit.

De differentijs febrium putridarum periodicarum ratione ordinis quem in reditu, & intermissione seruant, aut non seruant. Cap. IX.

FEbres periodicæ, quas hactenus in continuas & intermittentes distinximus, & quarum causas huc vsque exposuimus, in alias adhuc Differentias distinguuntur, vel vt meliùs dicam, aliæ plures sunt differentiæ à nobis considerandæ.

Primò enim distinguuntur Periodicæ in Typicas, & Erraticas.

Febres Typicæ. *Typicas febres illas voco, quæ reuertuntur certo quodam temporis ambitu cum certa quadam forma, & idea cuiusdam febris.*

A *Erraticæ febres sunt, quæ reuertuntur quidem, sed non seruato ordine temporis, & formæ.* *Erraticæ*

Explico utrumque, Typus ex Galeni lib. de typis cap. 2. significat ordinem intensionis & remissionis febris, ita ut illa febris dicatur typica in hac prima significatione, quæ ordinatè reuertitur singulo, uel tertio die, uel per interualla. Typus etiam significat formam cuiusque febris ex proprijs signis & symptomatis. Hac ratione typus tertianæ est congeries uariorum signorum, quæ concomitantur tertianam. Exempli gratia, uigiliæ, oris amaritudo. *Typus quid.*

Contra sudor quidam madidus, uentriculi imbecillitas, sopor, ignauia, urina cruda, B conficiunt typum quotidianum.

Itaque ubi huiusmodi febres reuertūtur ordinata ratione tēporis, & iisdem symptomatis, dicuntur typicæ uere. Si mutāt, dicuntur Erraticæ, seu Inordinatæ, & inconstātes, quæ febres habent uarias Differentias.

Quædam mutant ordinem temporis ratione diei. Exempli gratia, quæ infestāt quattuor, quinque diebus, postea intermittunt spatio totidem dierum, & iidem reuertuntur; iterumq; intermittunt.

Sunt uero erraticæ ratione temporis, non ratione plurium dierum, sed in ijsdem temporibus, in quibus fiunt etiam aliæ febres, quando scilicet mutatur hora accessionis: & ea est inordinata.

C Do exemplum, superueniat febris quotidie, uel alternis diebus, potest seruare, & mutare ordinem horarū; si seruat ordinem horarum, est typica; Si mutat, est ordinata mutatio, uel inordinata.

Est ordinata, quando singulis diebus, vel de tertio in tertium habent quasdam anticipationes.

Sed dantur aliæ, quæ ita mutant horas, vt Medici non possint præuidere. Hodiè venit hora decima nona, sequenti 20, altero 23, altero sub mediam noctem.

Tertia differentia erraticarum est ratione formæ febris. Exempli gratia, hodiè inuadit D febris cum signis Quotidianæ, vrina cruda, &c. in sequenti die reuertitur eadem hora, sed cum signis Tertianæ: in sequenti in ipsa hora, sed cum signis Quartanæ.

Ita dicitur erratica ratione formæ febris. Habetis igitur tres differentias erraticarum febrium.

Typicæ febres ipsæ quoque seruant ordinem, aut hebdomadarum, aut dierum, aut horarum.

Seruant ordinem hebdomadarum, quando fiunt quædam recidiuæ in diebus decretorijs. Exempli gratia, quæ intermittit in quarta absque signis iudicatorijs, reuertitur in septima, quę intermittit in septima, reuertitur in 14.

Alter typus fit ratione dierum, & hic proponitur vno modo a Gal. alio ab Hip. Apud. Gal.

Gal. triplex tantum est febrium typus ratione dierum, quotidianæ, tertianæ, quartanæ: & propterea non cognouit alias febrium periodicarum differentias, quàm sex, tres ex continuis, & tres ex intermittentibus.

Hipp. alios proposuit circuitus 3. in 1. epid. 7. & 17. septenarias nonarias. Gal. 7. 3. in 1. epid. profitetur se nunquam vidisse huiusmodi circuitus. Sed reuera decipitur. Ego vidi circuitum octauæ bis anno elapso in matrona Veneta; vidi circuitum octauum, & habebat 6. accessiones. Habui etiam Monachum, & aliū, qui laborauit per tres menses sex septanis: Periodus nunquam audita, & singulæ habeant proprium typum respondentem de sexto in sextum.

Itaque quanquam Gal. loc. citat. negauerit hunc typum, tamen reuera datur; quem non negauit in lib. de typis 3. & Valesius hunc admittit 5. contr. 15.

Datur quoque typus ratione horarum, quæ horæ sunt ordinatæ, inordinatæ: aliquādo febris reuertitur semper vna & eadem hora, & vocatur febris typica constans: aliæ quæ mutant horas, quia semper anticipant, vel semper postponunt: & quæ sæpe anticipant vel sæpe postponunt, sunt inter typicas.

Distinguuntur præterea Typicæ in Simplices, & Compositas. Simplex quæ vnicam habet accessionem absque alia reduplicatione, & exacerbatione.

Composita febris componitur, vt Gal. lib. de typ. cap. 3. testatur, vel ex febribus diuersi generis, vel ex febribus eiusdem generis.

Diuersi, quando Exempli gratia simul vnitur quotidiana cum tertiana, & euadit hemitritæus.

Eiusdem, quando fiunt vel duæ quotidianæ, vel duæ tertianæ, vel 2. quartanæ, vel tres, vel quatuor. Sed aduertatis, huiusmodi complicationem aliquādo posse dici duplicem, vel triplicem, aliquando duas, vel tres. Qui duo modi distinguuntur à Galeno libro de typis capite sexto. Vide locum: propterea significatio hæc in quotidiana non habet locum.

Dicuntur duæ quartanæ, quæ infestant patientem duos dies, vnam intermittunt: Tres quartanæ, quæ diebus singulis infestāt, sed respondent de quarto in quartum; Itaq; dicuntur duplices, si vnico die habent duas accessiones, &c. Habetis Differentias: transeo nunc ad causas.

Et quia Causa typicarum est valdè difficilis cognitu & controuersa, & explicatio causarum erraticarum potest nos manu ducere in cognitionem motus typici, incipiam à cognitione erraticarū, quæ sunt in triplici Differentia; aliæ semper veniunt nō seruato ordine dierum, horarum, forma febris; Et propterea singulæ habēt etiam proprias causas.

Quæ non seruant ordinem dierum, duplicem habent causam; aliæ enim proueniunt ex dispositione, quæ relinquitur in parte affecta, & ex erroribus commissis à patiente: Aliæ verò fiunt absq; vllo errore patientis, ex sola intemperie partium nostri corporis. Explicabo vtrunque. *Causa motus in erraticis*

Fit primo modo, quando exempli gratia, quispiam laborauit febre continua periodica, vel synocho, hic conualuit; in conualescentia relicta praua dispositio in parte interna nostri corporis: hæc imbecillitas non est apta ex se ipsa ad faciendā febrem, Itaq; quousque patiens vtatur proba viuendi ratione, non febricitat: statim verò ac largiore victu & impuro vtitur, pars imbecillis auget excrementa, & præbet occasionem nouæ febris & si huiusmodi febricitans vtatur conuenienti victu, adhuc per sex dies non febricitat: Si iterum incidat, perseuerabit.

Hanc causam proposuit Galen. 3. in epid. com. 7.

Alia causa est varia partium intemperies, quæ singulæ contineant prauum excrementum: Audiatis quomodo explicauit Galen. in com. 11. 3. prog. post febres cōtinuas, quæ non habēt exacerbationem, humores exusti euadunt in melancholias: Itaque in illis morbis magnis, febribus continuis, in quib⁹ non succedit excretio sensibilis & insensibilis, materia feculenta relinquitur in singulis corporis partibus, & progressu temporis putrescit.

Istæ corporis partes non sunt omnes eiusdem facultatis: aliæ calidiores, frigidiores, sensum acutum habēt, aut hebetem, vt hic humor citiùs vel tardiùs putrescat, materia, quæ relinquitur, non statim febrem excitat, sed pro varia natura ægri, quia alius est calidior, alius frigidior, alius aliter febrem recidiuam facere potest. Itaque fit erratica his 2. modis.

Quantum ad erraticam ratione formæ, hæc quoque fit duobus modis, fit erratica, vel quia mutatur forma humoris, vel quia vno tempore retinentur varij humores in corpore. *Erratica ratione formæ.*

Sunt igitur erraticæ febres ratione formæ ipsius febris. & hæc mutatio ratione formæ cōtingit ex mutatione formæ humoris. uel pluribus humorib⁹ vno tempore abundantibus; fit Exempli gratia, quia laboret febre sanguinea synocho.

Dicebat Gal. libro secundo de differ. feb. cap. vlt. Itaque fieri potest; vt quæ erat continens mutetur in tertianam; potest etiam fieri, vt materia biliosa vertatur in melancholicam adustam, & sic fiat adusta, quia mutatur forma humoris.

Alio modo fit mutatio ex abūdantia multorum humorū simul, in lib. de bon. & mal. succ. c. 7. & 3. in 1. epid. com. 23. varietas humorū, inquit, est causa febrium incōstātium. Quando fit febris quotidiana ex materia genita & retenta, in ventriculo, mouebitur quotidie:

tide; sed potest fieri, vt ex imbecillitate partis, abundantibus excrementis biliosis, vel melãcholicis in corpore, moueatur humor ab vna parte in aliam, & sic biliosa fit, si melancholica, febris erratica quartana, & hunc modum tetigit lib. 2. de diff. feb. cap. vlt. Sed aduertatis, quod monet Gal. partim loc. cit. lib. 2. de cris. cap. 9. ne decipiamini febrem inordinatam esse erraticam, quia maxima est similitudo inter febres duplices, & triplices cum erraticis. Exempli gratia. Sint duæ tertianæ, una inuadit hora 15, altera 13; videatis mutationem fieri duabus horis, non propterea fit erratica, habent suos typos de tertio in tertium.

Et idem quoque dico de complicatione febrium diuersi generis, etsi inuadat febris diuersis horis, vt tamen possitis inuenire proprium typum.

Ratione horarum. Denique erratica ratione horarum tota pendet ex erroribus commissis ab ægro, uel Medicis. Si delinquat in diæta, irascatur surgat ex cubili exerceat corpus, retineat excrementa, humores, uel citiùs, uel tardiùs mouentur de loco.

Interdum causa est in Medicis, qui aliquando ualidissimis utuntur, non concocta materia.

Quinimo aliquando ex medicamẽtis opportunè adhibitis, & venæ sectione solent fieri huiusmodi anticipationes. Ratio: humor mouetur, & ex huiusmodi motu facit febrem anticipare.

Hactenus de causis erraticarum, quarum Differentias proposuimus tres, 1. dierum aliquot, quæ fiunt ex dispositione partis relicta, aut erroribus, aut ex cinerib' relictis humorum. Secunda erat erraticarum ratione formæ, quarum causæ, vel mutatione formę humoris, uel eiusdem uarietas. Tertia erat earum, quæ mutat horas absque ordine, cuius causa error in cibo, potu, somno, uigilijs, &c.

Ratione motus in Typicis. Typicæ ut dicebamus aliæ seruant circuitus hebdomadarum, uel quaternionum ordinem, aliæ dierum, aliæ horarum. Semper igitur in typicis seruatur forma febris, sed tempus mutatur.

Quæ seruant hebdomadas, sunt quæ exẽpli gratia intermittunt quarto, & reuertuntur septimo: aut intermittunt 7. & reuertuntur 14. Tales febres docet Hip. in Epidemijs & experientia esse.

Typica ergo per hebdomadas, aut quaterniones nil aliud est, quam recidiua ordinata, uel sunt febres acutæ desinẽtes absque indicatione, & reuertentes in diebus iudicatorijs.

Per febrem ego intelligo vnam tantum accessionem febris, sed eam quæ saltem perdurat 4. 6. uel 7. diebus.

Per acutam non tantum intelligo uelocitatem in ea motus, sed etiam febris morem, A quo est mala, & maligna.

Nam leues febres & paruæ etsi desinant absque indicatione, possunt tamen solui sine reditu, si æger conuenienti utatur uictu, Gal. lib. 1. de cris. Cito desinentes dixit ad differentiam magnarum, quæ desinunt absque crisi, & non faciunt recidiuam, lib. 1. de dieb. decr. cap. 5. Non omnes, inquit, febres iudicari debent per crisin neque recidiuam faciunt, sed paulatim soluuntur.

Ad harum autem differentias diximus cito desinentes.

Sed quia usus sum exemplo quartæ, uel sextæ, uel undecimæ, uel 14. iure quæremus, quænã dies recidiuam afferat. nam ex Hipp. B constat tantum eas habere recidiuam, quæ desinunt in die pari. 4. aph. 61. Si diebus imparibus febris non intermittat, reuertitur: quasi dicat: si diebus parib' reuertitur, reuertitur: Si imparibus non item. Item sect. 4. aph. 36. dicit sudores bonos esse tertio, septimo, nono, & ita enumerat impares dies, in quibus sentit recidiuas eas facere, quæ desinunt die pari.

Sed non credatis, eas tantum recidiuas facere, quæ relinquunt die pari: pono enim tres conclusiones, quas etiam probabo.

I. Febrem quæ desinit in imparibus habere recidiuam.

II. Quæ desinit in paribus, non necessario recidiuam habere, sed esse salutarem. C

III. Facilius esse facere recidiuam, quæ demittit paribus, quam imparibus.

Prima conclusio probatur experientia, & authoritate. Quæ enim desinunt septima reuertuntur 14. vidistis hæc in ægro apud Zabarellam. & 1. in 3. epid. in casu Hermocratis. *Febres quæ desinunt in imparib. habere etiam recidiuas.*

Idem ratione probatur; Causa recidiuæ est, quia absque perfecta excretione humorum peccantium desinit. vnde Hipp. 2. aph. 12. inquit: quæ relinquuntur, faciunt recidiuam. Si autem reuertitur febris post iudicationem, multo magis id fit, ubi nulla excretio. Vnde 3. aph. ait febres, quę desinunt sine D excretione necessariò recidiuã facere. Sed quales sunt istæ febres? Sunt illæ, quæ demittunt in diebus iudicatorijs, absque tamen signis coctionis siue admodum obscuris. Et Hipp. 2. in 1. epid. 46. Cruda autem & in prauos abscessus conuersa, uel mortem, uel recidiuas significare. Ideò certissimũ propterea fieri recidiuas, quia quamquam febris desinat in diebus iudicatorijs, desinit tamen abque signis coctionis. Hoc posito fundamento, dico non tantũ in die pari, sed etiam impari posse desinere febrem, & habere tamen recidiuas. Ratio; quia coctio non adsit. In confirmationem ueritatis sunt multę historiæ apud Hipp.

Quantum ad secundam, dicebam non necessario fieri recidiuas etiamsi febris intermittat die pari. Ratio conclusionis est; Omnes *Non necessario fieri re-*

nes

cidiuam, quamuis febris intermittat in die pari.

nes dies decretorij ponuntur in duplici differentia. Sunt Principales, aut Intercidentes lib. 2. de dieb. decret. cap. 6. Principales sunt illi, qui distinguuntur vel secundùm quaterniones, vel hebdomadas: sunt iudicatorij secundùm quaterniones.

Intercidentes distinguuntur adhuc in 2. Differentias: intercidentes pares, & Impares. De vtrisque Hipp. 3. in 1. Epid. 14. vbi proponit Hipp. dies iudicatorios intercidentes pares hoc est 4. 6. &c. & impares 3. 9. &c.

Hoc stante fundamēto: dico omnes morbos, qui habent accessiones diebus paribus felicius, & meliùs iudicari diebus paribus, quàm imparibus: Qui imparibus, imparib⁹. Hæc est doctrina Gal. com. 14. 3. in 1. epid.

Cũ itaq. res ita se habeat, accipio hoc fundamentum; & dico. Dantur morbi multi, qui habent accessiones diebus paribus. & ijs iudicantur melius, quam imparibus. Si ergo in diebus paribus isti non habebunt recidiuas, propterea probata est secunda conclusio.

Et si quis putat, quæ sint istæ febres, quæ habent accessiones dieb⁹ paribus? Resp. illæ sunt, in quibus accessio secundi diei est maior, quam primæ, & sic vicissim 4. accessio semper maior tertia, & sexta quinta. Do exemplum; Incipiat hodie febris, cras reuertatur. si accessio cras sit grauior. & quarta sit grauior, quam tertia, in hoc casu febris dicitur habere accessionem diebus paribus.

Propterea Gal. 4. aph. 61. non accepit libenter hanc sententiam. nam dicit; dantur multæ febres, quæ iudicantur in decimo quarto, idest, die pari, tamen non necessariò faciunt recidiuam.

Frequentius faciunt recidiuam febres, q̃ mouētur dieb. paribus, quã quæ imparibus.

Venio ad tertiam conclusionem, quę erat frequentiùs facere recidiuas febres, quæ mouentur diebus paribus, quàm quæ imparibus. Ratio est, quia huiusmodi febres, quę mouentur paribus, semper sunt ex sui natura longiores, & periculosiores cæteris; longiores teste Gal. com. aph. 36. sect. 4. periculosiores teste eod. com. 36. 3. in 3. epid. vbi Hippoc. inquit, loquens de febribus illius constitutionis; *Accessiones in malignis febribus erant diebus paribus:* inquit in com. Gal. accessiones esse signum malignarum febrium, quod repetit 2. in 1. epid. com. 75.

Sed quæret vlterius ingeniosus quispiam. Quæ est causa, cur febres, quæ habent accessiones diebus paribus, sint longiores, & periculosiores? nemo hoc soluit. Ego puto causam pendere totam ex transmutatione materiæ, vel copia eiusdem.

Cur febris, quæ habēt accessiones in dieb⁹ paribus, sint lōgiores, & periculosiores.

Ex transmutatione, quando accessio primę diei transit in accessionem diei secundæ. Dantur, qui hodiè incipiunt febrire, reuertitur cras, sequenti tertia non, sed quarta. Et sic vicissim redeũt accessiones, quæ respondeant non ampliùs primæ, sed secundæ. In hoc casu fiat pmutatio ab vno loco in aliũ, primi diei permutatio transtulit in alium locum; quæ excitatur secunda die est longior & periculosior, quia pars quæ protulit humorē protulit ad nobiliorem partē, vel ignobiliorem: sed ad nobiliorē fit periculosior; si ad ignobiliorem, magis protensa, diuturnior: propterea ex permutatione febres solent esse periculosiores, vel longiores.

Alio etiam modo fiunt periculosiores, & longiores ex copia materiæ, quando ea tanta sit in corpore, vt sufficiat pro constituenda prima, & secunda accessione.

Et propterea si huiusmodi febres intermittant absque coctione, &c. necessarium est illas recidiuam facere.

Conclusio itaque sit; febres acutas, & pernitiosas, quæ citò desinunt paribus, vel imparibus, atque crisi, necessariò recidiuas facere.

Causa modò propter quam huiusmodi febris intermittat, & redeat, est inquirenda. nam videtur valdè dubia; propterea inquirendum, quare intermittat resistente humore in corpore, & quare redeat.

Quare febris intermittat resistēte adhuc humore in corpore. 1. Ratio.

Quantum ad causam intermissionis; febres istæ intermittentes, aut sunt prorsùs lethales, omninò incurabiles; aut pernitiosæ quidem, sed quæ curari possunt.

Febres, quæ omnium lethalissimæ, intermittunt quidem, sunt, quæ habēt locum determinatum laborantem maxima inflammatione cum malignitate, qui locus necessariò extinguitur, & corrumpitur. Vidi Venetijs ægros fuisse sine febre, cùm decubuerint lethaliter, & post 3. 4. dies mortui sunt. quia malignitas illa obsidet partem determinatam, ex qua febris excitatur.

Sed si humor adeò malignus, vt partem in gangrænam conuertat, febris desinit.

Itaque toto eo tempore, quo putredo nõ peruenit ad alias partes, videtur corpus sine febre: sed quia non potest ibi persistere, sed vlteriùs progreditur, vt videtis in gangrænatis, ita contingit etiam in partibus internis, vbi incipiunt corrumpi, noua excitatur febris, quæ exacerbatur & crescit, & si pars distat a corde, potest etiam secundò febris desinere: postea communicata corruptione partibus cordi propinquis, statim æger moritur, etiam Medicis nil tale verentibus. Itaque hęc est causa, quamobrem fiat recidiua in morbis lethalibus. quam sententiam habetis 3. in 1. epid. com. 8. & 10.

In morbis autem, qui non sunt ita pernitiosi, intermittit febris, quia portio euacuatur, vel detruditur ad partem ignobilem, quod sicut natura, si non potest extra corpus pellere, pellit ad partem non admodum sensibilem: dum est in hac parte non affert malum; si autem rursus petat partem principem, fit recidiua. *2. Ratio.*

Causa etiam patet, quamobrem reuertatur persistente humore in corpore: necessarium, vt vel digeratur, vel moueatur ad partem

tem nobilem, vel ignobilem. Si digeritur A cessat: si mouetur redit.

Cur redeat 4. vel 7. Si quæratis, cur moueatur per quaternarios, & septenarios, &c. dico nō semper perpetuò necessarium: potest redire non modò septenarijs, sed etiam diebus intercidentibus, frequentiùs quidem per circuitus quaternarios, & septenarios. Causa referri debet in naturam humoris peccātis, & putrescentis, & facultatem expultricem, non in sidera, & proprietates occultas.

Vt vult Fernel. Dicebam causas recidiuarum, quæ statutis quibusdam temporibus fiunt nullas esse alias, quam humoris putrescētis copiam, & qualitatem, quæ irritat expultricē ad nouam humoris motionem: non confirmaui propter temporis angustiam, quod hoc tempore vnico argumēto faciam. Eadem est ratio B recidiuæ per quaternarios, vel hebdomadas, quæ crisis factæ per huiusmodi quaternarios vel hebdomadas: tūc facio tale argumentū. Sit sic, quod nulla est causa præter copiā humoris, vel qualitatem irritatem expultricem, quę facit crises per quaternarios, vel hebdomadas. Ergo hæc etiam causa erit recidiuarum. Quod non alia causa, patet ex varietate temporum crisis. Scio esse varias opiniones; quidam attribuunt sideribus, ꝓprietatibus humorum, humori melancholico, vt dixi. Hoc vnico argumento conuinco, C pendere non ex sideribus, non ex proprietatibus humorum, quia crises non perpetuò in dieb⁹ decretorijs in vno eodem die fiunt. Quando verò aliquid proprium habent, necessarium est, vt semper hoc die fiat. Exēplū: quarta dies est decretoria, sed nō in illis, qui mouentur de 3. in 3. de quibus Hip. 4. aphor. 36. Itaque crisis quartanæ bona, vt & 14. non est vsque adeò perpetua. nā in omni febre, quæ habet accessiones diebus imparibus, iudicatio semper cadit in 13. nō 14. in alijs diebus etiam fiunt crises 3. Itaque nulla certa dies. Fit citius, serius, prout humor magis abundat, vel minus: est magis calidus, aut minus. quę omnia mutant. nam causa, quę facit crises ad mortem, vel solutionem, facit etiā D recidiuas. Propterea si sublata sit febris per judicium imperfectum, tam diu homo erit sine febre, quousque tanta coacerueē copia excrementi, quę possit iterum irritare expultricem ad motū. Similiter quamdiu copia persistit in loco, quo pars non possit retineri, tunc fit recidiua.

Quare alia febres mouentur quotidie alia de tertio in tertium, &c. Succedit vt explicem causam motus febrium per dies, quamobrem aliæ mouentur singulis, aliæ de tertio in tertium, 4. in 4. 6. in 6. in 7. &c.

Quantum ad Gal. vt intellexistis, non admittit circuitum vltra quartum diem, com. 7. 9. 13. in 1. tertij epid. Sed tamen in lib. de typis c. 4. non recusat hoc typos, sed qdquid sit de Galeno, confirmant Hip. Auic. fen. 4. lib. 3. cap. 69. Vallesius, & mea experientia. Quæramus igitur causam huius periodi post quartum diem; est materia melancholica in pauca quantitate peccans, sed cū multa crassitie; propterea subiungit, est humor melāncholicus ex pituita exusta. inquit hanc materiam debere esse crassissimam, propterea longos habet circuitus.

Hæc sententia videtur confirmari posse testimonio Hip. & mea experientia: nam 3. in 1. epid. tex. 9. vbi loquitur de quintana, inquit hanc antecedere vel consequi tabem: quasi dicat, ad generādam huiusmodi febrē duo esse necessaria, calorem excellentem continuum, pręter naturam; præsentiam frigidi humoris pituitosi, qui exurat in hūc humorem. Hæc duo concurrunt in febricitantibus febre hectica, quæ tēdit ad tabem, quia habet calorem naturalem admodum debilem, calorem præter naturam continuum: hinc fit, vt pauci laborent febre hectica, qui non etiam destillatione propter defectum calidi innati: generatur succus pituitosus, ex altera parte exuruntur humores, quæ etiam causa quintanæ.

Et propterea Gal. scribit 3. in 1. epid. com. 9. se vidisse tertianos typos, sed non quintanos. Itaque ex hoc loco videtur confirmari opinio Auic.

Mea experientia. quia dicebam me vidisse duos febricitantes octaua: vir erat & mulier: vterque laborabat continuis longis, & defierat in cachexiam: post febrem trium mensium incidebāt in octauam huiusmodi.

Monachus mensē Decembri incepit corripi, desijt in Februario.

Itaque hic post tres menses incidit in febrem octauam cum cachexia, qui post annum obijt.

Et nobilis mulier laborauit etiam febre admodum prolixa, & in octauam desijt: qui casus etiam videtur confirmare sententiam prædictam. Statutum igitur sit, febres, quæ transeant quartum diem, esse ex humore melancholico genito ex pituita exusta, teste Hippoc. 3. in 1. epid. com. 7. *Febres, quæ trāseunt 4. diem ex quo humore sit.*

Hæc propono, quia sunt fundamenta eorum, quæ dicturus sum, de typis Quartanæ.

In inueniāda causa huius motus multum laborarunt interpretes: Ego nolo opiniones singulorum recensere: Tantùm Arabum, Fernelij, & meam in medium proferam.

Arabes videntur huiusmodi motus tertianę, quartanę, &c. tribuisse proprietati humoris, qui in talib⁹ dieb⁹ mouetur: est enim propietas humoris biliosi, ut moueatur tertio, melancholiæ vt quarto die.

Confirmant hanc sententiam argumēto: hic motus cōuenit omni humori soli, & semper: ergo prouenit ex proprietate occulta.

Domini, vt dixi, si antecedens esset verū, vera esset consequentia: sed antecedens falsum. quod probo antecedente huic prorsus contrario. Hic motus non conuenit omni

E humori,

humori, nec soli, nec semper; ergo non prouenit ex proprietate occulta. Probo Antecedens, primo, quod non omnibus humoribus, &c. quia datur corpus, quod abundat multa pituitâ, vt corpus leucophlegmaticum, & tamen in hoc nullus fit motus typicus in œdemate.

Idem dico de icteritia tam flaua, quam nigra: & tamen in flaua neque erit motus, de tertio in tertium, neque in nigra de quarto in quartum: Ergo hic motus non conuenit omni humori.

Non soli, quia multa alia præter hos humores habẽt certos circuitus, vt excrementa alui, vrinæ excretio, mẽses muliebres, sanguis hæmorrhoidalis, &c.

Sed omisso hoc circuitu prolixo, certissimum est sanguinem ipsum habere proprios circuitus, vbi fiũt inflamationes ex sãguine, quæ fiunt magna ex parte ex fluxione sãguinis à loco ad locum. Itaque augentur & singulis diebus fit noua affluxio, lib. 2. de differ. feb. cap. vlt. vbi docet causas circuitum febrium: Itaque certum est huiusmodi motum non conuenire omni humori, nec soli.

Non sẽper, quod patet ex his, quę in proximis lectionibus dicta sunt. Nam consultò volo prius quærere causas motus febriũ, &c. quænam fuerint illæ. Diximus Erraticas ex sententia Hipp. 3. progn. 29. fieri ex humore melancholico: Ergo humor melãcholicus non semper mouetur, de 4. in 4. Consequẽtia clara, quę sunt istę, quę per quaternarios, & hebdomadas? biliosæ legitimæ, vel spurię, quæ exacerbantur, paribus, uel imparib⁹ reuertuntur, 6. dies intermittunt, iterum reuertuntur: Et hæ sunt febres ex bile. Pariter quæ ex 5. in 5. ex sentẽtia Auic. Dixi esse copiam humoris melancholici: Ergo non semper conuenit motus de 4. in 4. humori melãcholico. Itaque nõ conuenit omni, nec soli, nec semper. Itaque non ex proprietate occulta.

Fernelij opinio refutata. Fernelius vt euitaret tãtum primam propositionem imaginatus est, se posse fugere, si diceret posse moueri omnes humores, si essent putridi. Est imaginatio nullius momẽti. Nã dato, quod esset ratione humoris putridi nõ fugit tamen vim 2. & 3. & 4. rationis; præterquam quod reuera falsum est, quod ratio huius motus pendeat ex putredine humoris. quia etiam non putrescentes habent aliquem motum typicum, teste Gal. lib. de typis cap. 2. pauci sunt morbi, qui non habẽt typos, excepta atrophia.

Propterea dolores oculorum, dentiũ, &c. omnes habent typum, neque tamen in omnibus humor putrescit.

Deinceps quæram ex Fernelio, dato, sed non concesso, quę sit ratio cur humor putridus contrahat hanc proprietatem? si dicat ex putredine, falsissimum. non est vnica, oportet, vt dicat oriri hãc proprietatem ex humore putrescente, quod coincidit cum opinione Arabum. Vt omittamus alios, mea sẽtentia est, concors cum Gal. lib. 2. de diff. feb. vlt. nulla alia, quam humoris copia putrescẽtis, propter quam hic motus fit, vel quotidie, vel de tertio ad tertium, vbi multus est humor, mouetur quotidie: Si minor de 3. in 3. Si adhuc minor de 4. in 4. Ego addo, si nõ de 4. in 4. faciat de 5. in 5. de 6. in 6. Itaque vno verbo causa est copia humoris putrescentis.

Cum dictum sit, quod ex copia humoris pituita, quæ mouetur quotidie, facilius possit putrescere. Duo igitur necessariò cõcurrunt. Copia humoris, & facilitas eiusdem ad putredinem comparãdam. Probo in pituita hæc melius concurrere, quam in bile, & melancholica. pituita abundat magis in sanis, quàm ægris. In sanis ex quattuor, ex alimentis, loco, instrumento coctionis, & ex fine. *Pituitã magis esse aptam ad putredinẽ quã bilis, vel melãcholia.*

Pituitã magis abundare in sanis, quam in ægris. Ex alimentis, quia quamquam alimẽtum habet seminaria omnium humorum, tamẽ propter sui impuritatem, & crassitiem semper habet plus excrementi crudi, quam cæterorum humorum.

Ex loci natura huiusmodi excrementum generatur in omnibus corporis partibus, vẽtriculo, intestinis, iecore, venis, &c. in maxima copia tamen in ventriculo, & cerebro.

Ex parte facultatis: nam calor deficit ex multiplici causa: naturaliter, quia sẽper euanescit. præter naturam, quia suffocatur copia, vel extinguitur à contrario, vel resoluitur à calore magis potente, vel contabescit ex defectu.

Denique augescit in maxima copia pituita, ex fine, quia tpe necessitatis conuertit in sanguinẽ, lib. 2. de nat. fac. c. vlt. in fine, inquit Gal. natura non constituit vllum receptaculum pituitæ, sed permisit manere in venis: vt tẽpore necessitatis conuertatur in sanguinẽ.

Ex sua natura ẽt pituita ita abundat, ꝓpter alias causas; primò, quia propter sui crassitiẽ, viscididatem, & lentorem non potest expurgari; secundò quia cùm sit in ventriculo in maxima copia, est in causa conuersionis alimẽti in pituitam, quod cum ex pituita generatur, semper relinquit maximum inquinamentum. Illi humores maximè augent humorem similem, qui semper relinquũt maximum inquinamentum, quod est causa facillimæ putredinis alterius humoris.

De Causis Circuituum Febrium intermittentium: Cur scilicet quotidiana quotidie, tertiana de tertio in tertium, quartana de quarto in quartũ, &c. reuertatur, & accessionem suam repetat, & simul etiam de causis febrium compositarum. Cap. X.

VErsabor in indaganda causa certa febrium, quæ quotidie inuadentes, propterea quotidianę vocantur, & earum similiter, quæ eo, quod de tertio in tertium affligunt, tertianæ nuncupantur: pariter earum, quę ob motum de 4. in 4. quartanæ.

Propo-

Propositi eorum qui Arabum sectantur sententias, vt Hugonis Senensis, Thomæ de Garbo sententias, qui existimant huiusmodi causam referendam esse in occultam proprietatem horum humorum: nempe pituitam occultam habere proprietatem, cur quotidie moueatur, melācholiam, aliquam, ob quam de 4. in 4. bilem flauam, ob quam de 3. in 3.

Proposui etiam Fernelij sententiam, qui in hoc ab his differt, quod existimat proprietates huiusmodi competere humoribus iam putredinem habentibus. vt exploderem hanc sententiam, dicebam falsum esse, quod motus periodicus neque conueniat omnib⁹ humoribus iam propositis, neque solis, neque semper.

Est argumentum oppositum. Illi dicunt: ille motus sequitur occultam proprietatem, quia omnibus istis humoribus conuenit solis & semper. ego oppositum statuo, & repeto. quod non conueniat omnibus, patet conspicue in febribus biliosis, pituitosis, continuis.

Datur casus ex putredine bilis in venis communibus lib. 2, de cris. c. 6. quem inquit nil referre si vocemus febrem cōtinentem, nullos habet circuitus, & tamen fit ex bile. Itaque si hic motus fieret ex occulta proprietate, haberet hanc periodum, & in venis & extra.

Quod dixi de bile, dico etiā de pituita. Febris latica Arabibus pituitosa febris est, & tamen non mouetur quotidie hic humor.

Accedit etiam, vt dicebam, in ictetitia, vbi abundat bilis, non fieri motum de tertio in tertium; in Elephantiasi de 4. in 4. Ergo non omnibus humoribus.

Non solis, quia sudor aliquando erumpit modo typico, neque mutat dies, horas. Dicebam etiam pluribus statuto tempore alui excrementum excerni, uel quotidie, vel alternis diebus: patet itaque habere certos circuitus.

Quid plura? Sanguis habet certos circuitus, prætermissis menstruis, prætermissa inflammatione, certum est ex Galeno lib. 2. de differ. febr. capit. vltim. Omnes febres, quæ per circuitus exacerbantur sunt febres inflāmationis. Vide locum. si sanguis confluat ad partes determinatas, facit accessiones habentque suas periodos, & si non accipiatis hanc sententiam, aliter saltem accipiatis in inflammationibus. Exempli gratia, membrana cerebri si nullos alios circuitus facit, saltem inflammationem facit. Certum igitur est ex his duobus esse falsa, quæ isti accipiunt pro verissimis, omnes & solas habere has periodos.

Tertiò non semper eiusmodi motum competere his humoribus, patet primò ex febribus erraticis, quæ fiunt ex pituita, vel melancholia. Ergo huiusmodi motus non ita necessarius, vt non possit variari.

A Denique patet in febribus quintanis, sextanis, septanis, nonanis, &c. Habent periodos ex humore bilioso, melancholico, vel inuicē mixto. Ergo falsa illorum sententia.

Præter has rationes alia sumitur ex febribus duplicibus tertianis, quas vocamus duas & tres, febres. Explico: Dantur febres duæ & tres duplices & triplices, vocātur duæ & tres, quę cum deberent inuadere de tertio in tertium, inuadunt singulis de quarto in quartum, uel singulis uel duob⁹ diebus affligunt, vno intermittunt. *Quę duæ & tres: & quæ duplices & triplices.*

Vocantur duplices illæ, quæ inuadunt vno die, uel pluries. Exempli gratia, quotidiana si semel affligat, dicitur simplex, Si bis, ter, duplex, triplex: Pariter tertiana si vnica die habebit duas accessiones, dicitur duplex; Idipsum dico de quartana, lib. de typ. c. vlt.

B

His explicatis, dico ex his febribus colligi hunc motū, quem ipsi existimant tā certum.

Veniamus primò ad quotidianas, quæ ex eorum sententia, qui putant periodos esse certas, affligunt 18. horas continuas, sex intermittunt, post 6. reuertuntur. Tunc dico febres quotidianæ, quę duas, tres habent accessiones singulo die, quas habebunt periodos? scio dictum, vt singulæ singulis respondeant; Exempli gratia, inuadat vna hora duodecima, 15. 24. Si altera die reuertuntur, possunt dici tres quotidianæ, hoc est certissimum: sed hic circuitus non adeò certus, vt non possit variari. Dantur Febres catarrhales vbi fiunt

C duæ, tres, quatuor, quinque accessiones singulo die & inordinatæ, quia fiunt ex materia pituitosa multa in cerebro. Pro varietate fiunt post duas, tres horas.

Ego vidi multas ex his febribus. Prima accessio corrumpit propinquā, & sic vicissim fit motus vno die quinquies sexies: nullus est certus ordo in istis. Venio ad alias.

Quantū ad biliosas; hæ possunt esse duplices, & duæ. Duplices, si vno die, habent duplices accessiones: Duæ, si singulo die inuadūt.

Accipiamus quæ singulo die inuadunt. Quæ est causa harum? Pendet ex loco affecto qui aut vnus aut plures: ex vnico loco & pluribus possunt fieri duæ accessiones; Ex vnico loco fit duplex accessio. Primo vt pars generet excrementum, quod corruptum facit accessionem; vbi corruptum & pars ex putredine redditur calidior, sequitur imbecillitas in parte, vt tunc altero die materia generetur eadem quantitate & faciat secundam accessionem. Hanc rem significauit libro secundo de Differētijs febrium capite duodecimo, ubi docet febres, quæ certo ambitu redeūt, &c. Itaq. si sit febris biliosa quotidie, & altera die iterum inuadat, hæc febris poterit appellari tertiana, si non respicimus ad antiquum morem; sed ex meo placito vocabitur biliosa quotidiana; quia inuadit ex eodem loco, iisdem causis. neque est imaginariū. Gal. ipse lib. 2. de cris. c. 9. audit has febres *Cur tertianæ inter dū singulo die inuadāt.*

D

bres cum iisdem signis cum iisdem symptomatis eadem hora inuadentes, & vocat duas tertianas, quia mouetur quotidie humor.

Aliquando fiunt huiusmodi febres duæ ex diuersis locis patientibus: vna die putrescit humor in iecore, altera in cerebro: in his casibus inuadunt cum diuersis symptomatibus, diuersisque horis.

Quod dixi de biliosa, dico etiam de melancholica. Dantur melancholicæ, quæ aliquando habent suas proportiones de quarto in quartum, quanquam singulis diebus inuadant.

Causa quartanarũ duarum aut trium. Sed dantur aliæ quæ inuadunt quotidie vna hora, aut saltem quotidie habent suas anticipationes. Exemplum vidistis in ancilla D. Castoris. Sed ista habeat accessiones, singulis diebus anticipabant duabus horis; Sanata Dei beneficio à tribus quartanis media hyeme. Idipsum etiam patet in duplicibus, & cet.

Cã duplicis & triplicis. Causa duplicis & triplicis pendet, vel ex vnico loco, vel pluribus.

Ex vnico loco potest fieri, vt fiant duæ 3. febres vno & eodem die.

Do exemplum: Si iecur, in quo accēdatur vna accessio febris tertianæ, aut generet excrementum biliosum, ex quo fiet vna accessio, vbi humor putrescit, & reddit partem calidam, excrementa biliosa propinqua quæ reperiantur, attrahũtur, quæ erit occasio secũdæ accessionis. Si contingit hanc attractionẽ fieri pluries, fiunt etiam plures accessiones: potest fieri ubi iecur attraxerit excrementũ, corrumpit alimentum, dabitur occasio tertiæ accessionis lib. 2. de diff. febr. cap. ult. tunc dico fiunt duæ, tres accessiones. Per has cãs petam, quæ sit periodus inter primam & tertiam accessionem, non certa; nã secunda est accidentalis. Supponatis prima est certa; secũda, & tertia, quę fit ex attractione excremẽti à locis ꝓpinquis, ex qua causa prouenit? nõ potestis dicere, quod ex occulta proprietate humorum. qui uult seruare naturã proprietatis humorum, oportet ut dicat fieri ex earũ natura: Quando autem dicimus fieri ex attractione, nõ erit motus ex proprietate humoris, erit ex uiolentia. Et illa secunda, & tertia erit biliosa, quæ fiet à natura partis calefactæ attrahentis excrementum. Dico ergo, quod cum fit accessio ex generatione, ex attractione, alteratione, non posse dici causam esse occultam.

Quod si febres istæ duplices triplices fiant ex pluribus locis, aliquando potest fieri, vt habeant certam periodum.

Sed dico: quando huiusmodi duæ tres accessiones fiant eo modo, quem explicaui, non habent periodos. Fiunt ex necessitate, quia iecur calidum reddatur & corrumpat excrementum.

Etiamsi febriũ periodi non sint usq; adeo certę, ut non possint mutationem subire, vt exposuimus, nihilominus, quia experientia docet, magna ex parte pituitosas quotidie exacerbari: Biliosas uero de tertio in tertiũ, & melancholicas de quarto in quartũ, oportet assignare causam huius frequẽtiæ, etiamsi non sit perpetui ordinis.

Vt humores quotidie moueantur, quid requiratur. Vt accessio fiat quotidie, duæ requiruntur conditiones, quæ uel si ambę deficiant, aut vna saltem, necessariò accessio in longius tempus protrahitur.

Conditiones inquam duæ sunt, ut fiat quotidie, prima, ut materia multa simul sit collecta, quæ sufficiat ad efficiendas multas accessiones.

II. Vt huiusmodi materia multa collecta habeat causam effectiuã, quæ quotidiè moueat putredinem illam.

Si deficiat prima conditio aut secunda, accessio non fit quotidie.

Hoc stante fundamento, dico magna; ex parte pituitam moueri quotidie, quia obtinet has duas conditiones.

Cur in humano corpore plus abundat pituita, quam reliqui humores. Quod pituita multa colligatur & reperiatur in humano corpore probaui in superioribus: Probabo etiam in præsentia.

Causa est multiplex: pendet primò ab alimento peccante in copia, qualitate, & ordine assumptionis: in tempore antequam prius sit cõfectus, & pręparatione, ex somno interrupto, ex curis animi, nimijs laboribus.

Altera causa est imbecillitas caloris uentriculi atque uniuersi corporis, qui facillime propter errores, qui committuntur, corrumpitur.

III. Causa est finalis: nam ut docuit Gal. lib. 2. de nat. fac. cap. ult. huiusmodi succus à natura generatur, & in uenis continetur, ut deficiente alimento conuertatur in alimentum & sanguinem. Itaque natura hoc excrementum sustinet gratia huius vsus, eiusque multum in corpore & in omnibus partibus, præcipue uentriculo & cerebro, quæ sunt fontes pituitæ.

Prima itaque conditio locum habet in pituita.

Cã quotidie pituita moueat ad putredinem magis quã humores alij. Secunda conditio quod scilicet adsit cã, propter quam quotidię moueatur ad putredinem, pendet partim ex inquinamento, ex loco, in quo continetur, atque ex alimentis quotidię assumptis.

Quantum ad inquinamentum, sunt reliquiæ humoris propris putrescentis adhuc nõ expurgatæ & in halitum digestæ.

Ex humore melancholico paucum etiam relinquitur inquinamẽtum, sed conuertitur in cinerem lib. 2. de diff. feb. cap. de quartana.

Pituita relinquit inquinamentum calidũ & humidum, & propterea conuertitur in putredinem. Itaque ex hac prima causa inquinamento scilicet facillime, & quotidie potest fieri noua accessio.

Secunda est ex parte loci, quæ coincidit cum tertia.

Locus

Locus in quo fiunt est ventriculus & cerebrum, in quibus quotidie corrūpitur, quæ est causa? vel cibus, vel id, quod habet locum cibi; quando quis abhorret à cibo propter nauseam, vel ob præscriptum Medicorum, in hoc casu adest aliquid loco cibi, quod moueat putredinem; quid hoc? Ichores, qui attrahuntur à ventriculo. Est doctrina Gal. lib. 3. de nat. fac. cap. 13. vbi ventriculus cibū non habet, & eget nutrimento, si non attrahit ab ore, attrahit à partibus circumstantibus: Et si non potest attrahere bonum succum, attrahit malum, Itaque qđ accedit ad ventriculū, habet rationem mouendi putredinem. Causa facillima, vbi pituita in ventriculo illum moueat ad putredinem, si accedit alimentū, statim illud alimentum suffocat illum calorem præter naturam. ille suffocatus fit magis acris, & excitat maiorem putredinem. Vbi factus acrior, & magis putridus, datur occasio principij secundæ accessionis. Hoc potestis aduertere in stercoribus animalium.

In ventriculo vbi pituita iam semitam habet ad putredinē, si supponatur cibus, auget putredinem, consequenter fumus maximus erumpit, quoties materia perseuerauerit in ventriculo, & cerebro.

Dicetis hanc causam habere locum in ventriculo, non in cerebro. Sed aduertatis, quamquam in cerebro nō tantum cibus apponatur, qui efficiat hanc suffocationem, nihilominus accedunt cerebro fumi, qui ascēdunt à ventriculo in cerebrum, qui uapores habent locum causæ mouentis putredinem. Itaque si multoties fiat hic ascensus in cerebrum, fiunt quandoque duæ tertianæ, aliquando tres. quod obseruaui, qui propter ingluuiem uolunt cibum capere bis, & ter, & tunc fiunt duæ, & tres accessiones si unica vice, unica & melior.

Cur tertiana nō moueatur quotidie.

Tertiana modò, seu biliosa non quotidie exacerbatur, quia deficit una conditio; aut enim materia non est tota simul collecta, aut non est in eo loco, in quo possit quotidie moueri ad accessionem. Declaro utrumque.

I. Dico biliosam tertianam non habere totam materiam simul collectam, si sermo fiat de proportionatis, & intermittentib'. Loquimur igitur de proportionatis, & intermittentibus. Istas dico magna ex parte fieri ex materia, quæ colligitur de accessione in accessionem. Tunc fit si debet hæc materia colligi de accessione in accessionē. Dico, quod numquam est in tanta copia, ut possit quotidie excitari. Quæ est ratio? Quia hæc materia est ita acris, mordax, & calida, ut non possit sustineri à partibus præcipuis. Itaque ut dixi in hoc casu primùm non potest multa colligi, quia propter acrimoniam nō sustinetur. Secundò, quia non relinquit inquinamentū, vt pituita, quia est tenuis. Itaque necessariū est dari tempus huius regenerationis.

Si materia simul collecta reperiatur, deficit altera cōditio, quia hæc materiā, quæ multa colligitur in corpore, colligitur in locis ignobilibus, & propterea non accedit ijs locis ita facile noua materia, sicuti in pituita, quæ est in uentriculo: non concurrit ibi causa, quæ tam cito possit suffocare calorē. nam excrementum hoc biliosum in locis ignobilibus transmittitur à nobilioribus. Exempli gratia, generabitur in carne corporis, iecore, natura non sustinet, transmittit ad imbecillas. Huiusmodi transmissio non ptest fieri, nisi absoluta iam tertia coctione. Singula coctio exigit 8. uel 9. horas, ita ut tertia post horas 27. circiter absoluatur, hac absoluta generatur excrementum tertiæ coctionis: Si non sustinetur à parte, sed transmittitur, tunc temporis excrementum potest mouere illum humorem ad putredinem: Sed quia non statim fit motus, requiruntur saltem sex, uel septem horæ, ut corrūpat humorem propinquū, & etiam 36. horæ antequam excremētū putrescat; Itaque tertiana exquisita affligit duodecim horis; & triginta sex intermittit: videtis quomodo ordine rectè procedat.

Quod dixi de bilioso, dico etiam de melācholico. Exquisita Quartana (neque enim loquor de spurijs) propter causas dictas longiores habet accessiones; paucissima colligitur in corpore melancholia, & propterea antequam colligatur humoris copia, requiritur duplum horarum quam in tertiana. Non nego posse colligi melancholiam viginti septem horis, sed ita paucam & tardam ad suscipiēdam putredinem, ut nisi alius accedat, non possit moueri ad putredinem, requiritur duplex circuitus, quinquaginta quatuor horarum ad inducendam putredinem, & sex, aut septem ultro, ut sint 62. horæ.

Itaque hæc est causa propter quam magna ex parte sic procedit. Ego excogitaui hanc sententiam. si uobis arrideat, potestis eam accipere: Sin minus, excogitare aliam meliorem.

Cur omnium tardissimæ moueantur quartanæ.

Expedio breuibus causas febrium Compositarum. Febres Compositæ, aut componuntur ex febribus eiusdem speciei, aut diuersæ (loquimur de putridis.)

Componuntur ex febribus speciei eiusdē, quando componitur simul quotidiana cum quotidiana, tertiana cum tertiana, quartana cum quartana.

Componuntur febres diuersæ speciei, qn̄ tertiana cum quotidiana, tertiana cum quartana, uel quotidiana cum quartana, uel quotidiana cum tertiana.

De causis compositarum.

Componuntur febres diuersi generis, qn̄ intermittentes cum continente, siue sit biliosa, uel pituitosa, siue melancholica.

Componuntur febres eiusdem generis continuæ cum continuis, intermittentes cū intermittētibus: quę Complicatio est adhuc duplex, per modum Complexionis, uel Confusionis.

Complexionis, quando accessiones inuadunt horis diuersis.

Confusionis, quando duæ accessiones inuadunt vna eademq; hora. causas explicaui in præcedentibus.

Componuntur ex vnico loco affecto, vel pluribus.

Ex vnico, quando scilicet vnicus generat excrementum, retinet, & corrumpit: aut quãdo vnus locus suscipit a pluribus partibus, à iecore, liene, ventriculo, & tot fiunt accessiones quot sint tempora attractionis.

Ex multis, quando duo, aut tres sunt foci putredinis.

Breuis repetitio eorum omnium: Quæ de causis Febrium Putridarum huc vsque dicta sunt.
Cap. XI.

HActenus de febrib⁹ propriæ ideę. Oportet primò nouisse ideam: secũdò magnitudinem, vel proprietatem: Tertiò motum febris; Quartò morem. Versati hactenus sumus in explicanda idea, in sequenti agam de reliquis tribus. Oportet, vt dicebam, eum, qui rectè febres sit curaturus, quattuor ante omnia intelligere, quorum modò mentionem feci. In his itaque versari oportet, antequam ad curationem descendamus, & ad specificas differentias. *Quatuor notanda.*

Dico antequam descendamus ad specificas differentias, etenim idea, seu natura, seu forma, seu species febris, alia est generica, alia specifica. *Idea febris.*

Specifica est illa, de qua erit sermo absoluto vniuersali tractatu, in qua parte loquemur de singula specie febris biliosæ, pituitosæ, & melancholicæ. Denique etiam de sanguinea.

Idea vniuersalis est illa iam explicata, quæ sub se continet putridas, continuas, conclusas, periodicas, intermittentes omnes tam erraticas, quam typicas. Harum causas explicaui.

Sed quia tractatio prolixa, & difficilis est, decreui anteq̃ progrediar breuiter hoc tempore vobis repetere, quæ dicta sunt, & breuioribus conclusionibus prestringere putridarum causam. *Causæ putridarũ.*

Dixi esse putredinem in humoribus cordis; non sufficit humores vniuersi corporis putrescere, nisi etiam cordis.

Hæc Putredo est vel primaria, vel secundaria.

Si Primaria, inducitur vel ab aere externo putrido, vel à prohibita trãspiratione humorum cordis. quę prohibita transpiratio fit existente aliquo morbo, vel in arterijs pulmonum læuibus, vel arcta arteria.

Fit secundariò hæc putredo ex contactu alicuius humoris, vaporis, fuliginis, putridæ transmissæ, vel a venis communibus, aut venis determinatis ad cordis ventriculos. Et hæc causa putridæ vt putrida.

Continuarum Synochorum, seu Conclusarum Continentium est, vt dixi, putredo humoris vtilis, & alimentalis in venis communibus; vel saltem maximis, & cordi proximis: & si huiusmodi humor contineatur in uasis omnibus, siue uteri, iecoris, &c. quæ uasa maxima, facit hæc putredo continuam continẽtem, quia hæc materia tamquam vtile alimentum cordi proxima est, semper abundat, semper potest corrumpi. *Causa cõtinuarũ.*

Quantũ ad Proportionatas, quia sunt continuæ intermittentes, explicaui primò causam periodi in genere, siue continuis conueniat, siue intermittentibus. *Causę proportionatarum.*

Causa igitur, vt sint periodicæ, est unica in continuis & intermittentibus, Putredo scil. excrementi tertiæ coctionis, non humoris vtilis, sed excrementum quod relinquitur celebrata tertia coctione.

Itaque vno uerbo semper febres proportionatæ excitantur ex putredine excrementi tertiæ coctionis in parte determinata.

Nunc modò descendo ad continuas proportionatas.

Continuæ proportionatæ, quæ habent circuitus, aut nullas habent declinationes, aut habent, sed non multum sensibiles. propterea ut Gal. dicit, non deponunt duritiem, inæqualitatem, nec frequentiam pulsus, lib. de morb. temp. c. 7. *Causæ cõtinuarũ proportionatarum*

Aliæ etiam sunt, quæ quia habent manifestas declinationes, deponunt hæc omnia. Quæ nihil declinant, puto esse illas, quæ excitantur tam ex humoribus alimentalibus, quàm excrementis tertiæ coctionis, quæ locum habent in magnis inflammationibus partium principalium, & putredine uenarum communium.

Quandoque sunt magnæ inflammationes uteri, pulmonis, &c. In his materia, quæ est extra uenas, est excrementum tertiæ coctionis, sed propter magnitudinem inflammationis corrumpitur etiam sanguis in uenis communibus. ubi non declinant, mittunt aliquando excrementum ad uenas, quæ ibi putrescit, habent proportionem, & tamen non declinant.

Causa declinantis quidem, sed non deponentis duritiem, inçqualitatem, nec frequentiam pulsus, est inflammatio partis putridi humores excrementitij in uenis communibus in maxima copia, aut insigni crassitie. *Causæ cõtinuæ declinationis.*

Non dico in huiusmodi casu peccare humorem alimentalem. nam tunc febris non declinaret. Dico saltem in partibus adesse inflammationem alicuius momenti, & ideo non deponunt pulsus duritiem.

Similiter febres ex humore crasso tertiæ coctionis habent declinationes; sed quia humor multus, & crassus, natura non potest eum consumere, tunc facit frequentiam.

Causa

Causæ proportionatarũ continuarũ declinantium, intermittentium.

Causa proportionatarum, continuarum declinantium, est affectus partis determinatæ, sed ignobilis distantis à corde.

Idipsum contingit, si humores in venis, vel non sint multi, vel non admodum crassi. Habetis causas cõtinuarum intermittentiũ. sunt faciles.

Intermittit febris, quia humor excrementum tertiæ coctionis, qui peccat, totus euacuatur, aut totus digeritur. hæc causa intermissionis.

Explicaui quinto etiam causas periodi Erraticæ, & Typicæ.

Erraticarum.

Erraticæ periodi variant pro varietate motus erratici; dantur enim ratione hebdomadarum, dierum, horarum.

Hebdomadarum fiunt ex leui affectione calida post morbum magnum, longum, cui accedant errores. augentur enim excrementa, quæ progressu temporis putrescunt.

Secunda causa est varia natura partis continentis in se cinerulentos humores relictos post alias febres, vbi quis, exempli gratia tentatur quartana, & consequenter partes variæ contineant cineres. Calidior mouebit humores citius, frigidior serius: & hic motus est innatus.

Quando fiunt erraticæ ratione dierum, fit duplex similiter transmutatio; vnius humoris in alium; uarietas humorum simul & semel in corpore abundantium; nam exempli gratia si mutetur humor pituitosus in melancholicum, quotidiana mutatur in quartanam.

Fiunt erraticæ ratione horarum ob errores ægri, Medici, astantium. Si deliquerint in 6. rebus non naturalibus, statim anticipationes mutant horas.

Causæ typicarum

Quantum ad causas typicarum, seu ordinatarum: Typicæ aliæ sunt febres recidiuarũ quintanæ, sextanæ, &c. 7. 8. 9. aliæ quotidianę, tertianæ, quartanæ.

Recidiuæ producuntur, aut ex errore, aut humore nõ integrè purgato in priori febre, sed transmisso dolore ad locum.

Cã̄ę quintanæ, sextanę, etc.

Causa autem febris typicæ, quintanę, sextanæ, &c. 7. 8. 9. est putredo humoris melancholici geniti ex pituita exusta: quia hic humor difficillime vtitur; propterea longas habet accessiones.

Cã̄ę quotidianæ.

Causam verò febris quotidianæ, tertianæ, quartanæ explicaui in proprijs locis, & puto vos meminisse horum. Quotidianã fieri ex pituita contenta in ventriculo, quæ quia relinquit maximum inquinamentum, & quia cibus quotidiè assumitur, adest semper noua materia ad putredinem.

Tertianarum.

Tertianæ fiunt plerumque ex humore, qui de accessione in accessionem relinquitur. Quod si totus collectus sit in corpore, est collectus in partibus ignobilibus, proter ea requiruntur horæ uiginti septem, & sex, vel septem ad motionem.

A

Quartanarum.

Accessionem fieri dixi ex humore melancholico frequenter. quia hic humor requirit duos circuitus coctionum, antequam generetur, & putrescat.

Duo circuitus sunt 45. horæ: his accedunt septem, uel octo, propter quas humor disponatur ad putredinem, eruut sexaginta duæ horæ.

Compositarum.

Exposui etiam causas compositarum omnium. Venio modò ad id, quod sum pollicitus.

De Magnitudine, & Paruitate febrium; quod erat secundum obseruandum. Cap. XII.

B

Magnæ febres, uel Paruæ duobus modis intelligi debent. Magnæ ratione vehementiæ caloris, ut explicauit Gal. com. 5. aph. sect. 6. ubi Hipp. inquit distinguendas esse differentias dolorum alio modo, ratione symptomatum, lib. 3. de crit. c. 4.

Ratione Vehementiæ ingentis caliditatis prouenit ex sanguine, bile, vel his inuicem mixtis.

Ex sanguine putrescente; & quo calor fuerit maior, non tantum suspicandum de bile putrescente, quantum de quibusdam bilis speciebus. nam pallida facit calorem ingentem, sed non maximum: æruginosa magis facit intensum: intensissimum porracea.

C

Ratione Symptomatum, quæ habet symptomata pathognomonica, q̃ ostendunt magnitudinem, sed magis perniciem febris, quã magnitudinem: Exẽpli gratia, biliosę febris pathognomonica signa, ut sitis, &c. quò maiora eò ostendunt febrem maiorem, cù non tantum materia putrescens, non tantum bilis, quantum etiam locus eo conspirant.

Excitantur ex locis determinatis, & quò locus præstantior, eò grauiora inferũ sympto mata. Ex cerebro nempe, vnlcerum omnium maximo.

Ex quibus etiam patent causæ Paruitatis, quæ fiunt ex humoribus oppositis, non in locis præcipuis.

In sequentibus habebitis tractationem de Causis acutarum febrium, & longarum, & breuium.

D

De Motu Febrium Putridarum, cuius ratione dicuntur Acutæ, Breues, aut Longæ, siue chornicæ, Cap. XIII.

Febres putridæ, ut dicebam, non tantum ideam, & magnitudinem obtinent, quãtum & motum & morem. De idea generica, & magnitudine hactenus dictum est, nunc dicam de Motu, & in sequentibus etiam de More.

Habent ergo ut dicebam febres putridæ Motum, cuius ratione aliquando dicuntur Veloces, aliquando Tardæ. Nonnullæ enim sunt velocis motus; alię tardi: & quę sunt uelocis,

locis, rursum distinguuntur in illas, quæ aut sunt cum periculo, aut absque eo.

Febres velocis motus quæ habent vitæ periculum adnexum, proprio nomine Acutæ vocantur.

Quæ nullum habent vitæ periculum adnexum propriè vocantur Breues.

Rursum febres tardi motus sub diuiduntur in eas, quæ cito sua tempora pertranseunt; & quæ longo temporis spatio finiuntur.

Primæ similiter Breues dicuntur; secundæ autem Longæ, seu chronicæ: ita vt tota distinctio febrium ex parte motus tres sub se comprehendat præcipuas differentias; quarum prima est acutarum, secunda breuium, tertia chronicarum, seu longarum.

Acutæ febris. Acutæ diuiduntur in duas differentias. nā acutarum cum character sit vitæ periculum, nihilominus contingit vt aliquando citò finiatur, aliquando admodum serò. Hinc duę Acutarum Differentiæ nam quæ finiuntur in vigesimo, Simpliciter acutæ dicuntur; Quæ progrediuntur vlterius, Acutè ex delapsu vocantur, Libro 2. de diebus decret. cap. secundo.

Breues. Pariter breues febres sunt in duplici differentia: aliæ breues velocis motus; aliç breues tardi motus. Fieri potest vt febris sit breuis, & tamen modò velox, modò tarda. Velox quāuis spaciū non admodū breue, admodū tamen velociter transire solet; & propterea febris, quæ desinit in vigesima die, si habeat accessiones vehementissimas, cum maximo calore, dicitur velocissima, & tamen non est ita breuis. Contra illa febris, quæ mitissima & tardissima, quamquā definat in quarto, vel sexto, dicitur non breuis, sed tardi motus.

Chronicæ Chronicæ autem febres vnicam habent differentiam tardi motus, & longi. Versabimur itaque circa has febres; & primò circa breues & longas, deinde circa acutas. Breues sunt, quæ cito sua tempora pertrāseunt; sicut longæ quæ tardius eadem pertranseunt.

Vt intelligatis quid sibi velint hæc verba, duo veniunt explicanda, Primò quæ sint hec tempora febrium. Secundò quid intelligamus per *Citò*.

Nomine Temporum intelligere oportet quasdam morbi mutationes, secundū quas videtur febris ita mutare statum, sicut mutant homines proprium statum ratione ætatis: Ita vt Medici tempora febris ætates vocarint. alia enim est natura pueri, alia iuuenis, alia ætatis consistentiæ, alia senectutis. Sic Medici febris quattuor habēt tempora, Principium, Augmentum, Statum, & Declinationem, quæ sunt tempora vniuersalia; de particularibus autem agemus infra.

Tempora igitur vniuersalia constituuntur quattuor & quamquam multi antiquitus & nostris temporibus de numero dubitarunt, & conati sunt explodere, alij exploserunt

A principium: alij augmentum, &c. Ego non volo in his diutiùs versari. Videte Gal. in lib. de tot. mor. temp.

Distinctio temporū vniuersalium. Supponamus dari quattuor tempora, principium, augmentum, statum, & declinationem. versari oportet in hoc potissimum, vt inueniamus rationem distinguendi hæc tempora. Gal. qui diligenter de hac re scripsit in lib. de tot. mor. temp. cap. 4. & Auic. fen. 1. lib. 4. 7. 1. c. 3. putant totam rationem distinctionis horum temporum pendere ex sola coctione & cruditate excrementorum; ita vt tempus exquisitæ cruditatis, sit tempus principij; tempus in quo incipit concoctio, augmentum; tempus, in quo perficitur status; facta absoluta coctione tempus declina-

B tionis. Propterea Gal. non tantùm in genere, uerum & in specie huiusmodi coctionem, & cruditatem explicauit: nouit nō omnes morbos esse vnius, & eiusdem speciei. Dantur, qui ortum ducunt ex humoribus contentis in venis. Secundò, qui oriuntur ex fluxione de parte in partem. Tertiò dantur solutæ vnitatis. Galen. omnia lib. 1. de cris. capit. 17. describit.

Quisnam est modus cognoscendi? Tota ratio cognoscitur ex vrinis. Vrinę constituūt principium febris, ubi incipit coctio, color ex albo mutatur in flauum: substantia magis crassa est augmentum; si factum ad bonum colorem, status: si superuenit excretio humorum noxiorum, sequitur declinatio.

C In inflammationibus principium morbi est totum tempus fluxionis humorum, vbi sanguis iam fluxus incipit putrescere. nam in inflammationibus sanguis, qui confluit ad partem, est extra uenas, ubi, necessariò putrescit: ubi incipit putrescere, est principiū augmenti; si conuertitur in pus, aderit status; facto pure, si digeritur materia, succedit declinatio.

In ulcere principij tempus, in quo fluunt ichores multi & tenues ex ulcere, & in maxima copia; augmenti, in quo fluit ichor minori copia, sed in formam puris conuersus; declinatio est manifesta. Sed qui sectantur Arabes, (intelligo autem per sectatores Nicolū, Thomam de Garbo, Gētilem, Iacobum Foroliuiensem) isti præter hos modos alios in-

D uenerunt. Primus cæpit ab essentia morbi, seu febris: alter à symptomatis febrium. Dicunt prętei coctiones & cruditatem nos posse distinguere ab essentia, & symptomatis febrium.

Porrò erit ex essentia principium febris, quando calor naturalis incipit conuerti in igneum: ubi augetur, erit augmentum: ubi auctus persistit in uigore, erit status: ubi declinat, & reuertitur ad statum naturalem, erit declinatio.

Pariter ex symptomatis: ubi incipiunt symptomata parua, & pauca, est principium: vbi augentur numero, & ui, est augmentum: ubi

sunt

sunt in summo, est status: vbi remmitti incipiunt, declinatio. Vallesius qui his hisce Arabū sectatoribus est infesius lib. 10. cōt. 16. impugnat hac sententiam, & deridet, & inquit huiusmodi modos distinguendi febriū tempora semper esse coniunctos, & cruditatis tempora; vno verbo inquit, hæc tria vnū esse pendereq; a cruditate. sed pace illius, neque essentia morbi, neque symptomata conueniunt cum cruditate. vt aliter se res habere nou possit, probo ratione, & authoritate.

Febris aut ortum ducit ex putredine humorum in vasis communibus, aut determinatis.

Vbi putrescunt humores in vasis communibus, si sint calidi, ut synochus, statim in principio ratione essentię febris est in statu, lib. 3. de cris. cap. 4. quia huiusmodi humores putrescunt in omnibus venis, & statim in principio excitant calorem vehementissimum: propterea 3. in 1. epid. tex. 10. febris quibusdam statim incipiens florescit & viget, statim est in statu, habetur ratio cruditatis, non essentiæ.

Ex aduerso in parte determinata, exempli gratia, in ore uētriculi huiusmodi febris habet statim in principio omnia symptomata horrendissima, & tamen si respiciatis vrinas, erit principium; si symptomata, erit augmentum.

Pariter supponatis febres malignas, quæ lib. 3. de cris. c. 4. non sunt vehementes & tamen habent symptomata grauissima. Itaque quantum ad essentiam morbi, est in principio; quātum ad cruditatem erit in principio: Quantum ad symptomata, erit in augmento. Authoritate, vt sect. 2. aph. 29. com. vbi scribit Hipp. incipientib' morbis si quid mouendum uidetur, moue, vigentibus verò, quietem agere melius est. Inquit Gal. quandoque contingere, vt in statu symptomata sint grauidissima, & tamen morb' est mitior, sed symptomata augentur.

Distinguuntur igitur secundò conditione ex Essentia, & Symptomatibus. Pariter acut. com. vlt. inquit aliquando febrem reddi mitiorem, symptomata augeri. Sed quamquam distinguantur, si petatis, num huiusmodi sint sufficientes ad describenda tempora febriū, mihi non probatur. sunt ualde dubia, aliquando in principio tempore cruditatis symptomata sunt in augmento: fallit hæc regula. Similiter, malignæ semper erunt in principio, etiam quando patientes moriuntur.

Itaque nulla alia regula, quæ nunquam fallit, quam quæ desumitur ex coctione, & cruditate. Itaque ad hanc rem etiam perspiciatis.

Tēpora particularia. Particularia tempora sunt tempora febriū proportionatarum, quæ habent accessiones, vt propterea lib. 3. cris. c. 4. Galenus dixerit, Synochi vnum esse tempus, sed febres, quæ exacerbantur per circuitus, habent etiam *Febrium temporū cognitio.*

A tempora particularia, quæ in intermittentibus sunt sex. 1. principium. 2. inæqualitas. 3. augmentum. 4. status. 5. declinatio. 6. interuallum.

Principium in quo calor natiuus viscerum suffocatur à materia, quæ excitatura est febrem; & propterea illud tempus est istud, in quo comprehēsa fit annotatio, seu comprehensio pulsus, seu constrictio, aut paruitas, quæ omnia vnum & idem significant.

Tempus inæqualitatis, in quo natura incipit aggredi pugnam inter calorem intentū, & frigus externum. nam in principio calor omnis retrahitur ad interiora: vbi calor erūpit ad exteriora, est tempus inæqualitatis.

B Augmenti illius, in quo calor naturalis superauit ex toto refrigerationem externam, sed intenditur, & augetur.

Status, in quo calor febrilis est in summo.

Declinatio, ubi calor incipit euanescere.

Interuallum tempus dimissionis.

Hæc sunt tempora febrium intermittētiū.

Continuæ enim proportionatæ quædam habent quinque tempora, quædam tantùm tria. Nam dixi in superioribus febrium Proportionatarum duas esse differentias: quædā habent declinationem, quædam non. *Tēpora continuarum proportionatarum.*

Declinantes habent quinque tempora; principium, inæqualitatem, augmentum, statum, declinationem, carent tantùm interuallo.

C Sed quæ exacerbantur non declinant tantum, quia deficit declinatio, & inæqualitas.

Ratio est; quia huiusmodi febres non exacerbantur cum refrigeratione, horrore, rigore; augetur calor, sed raro cum refrigeratione.

Breues præter tempora vniuersalia non transeunt vigesimum diem. ubi transeunt hunc diem, incipiunt fieri longæ febres, longumq; habent statum. Intra viginti dies sunt etiam uarij termini, quædam 3. 4.

Quantum ad particularia tempora, quæ absoluuntur spatio duodecim horarum, sunt breues, quæ plurium, sunt protentæ.

D Ostendi hactenus sub motu tardo, aut veloci, tres febrium differentias precipuas contineri.

Continētur enim breues, longæ, seu chronicæ, & acutæ. Et Breues sunt tam velocis, quam tardi motus.

Acutæ simul sunt tam longæ, quam breues. Sed in hoc differunt à Breuibus, quod Acutæ semper velociter mouentur, tardè breues; Acutæ semper periculosæ, breues non item. *Differentia inter febres acutas, & breues.*

Alia differentia est febrium chronicarū. docui quæ sint breues, quæ longæ. Breues, quæ cito sua tempora pertranseunt: sicuti longæ, quæ eadem tardiùs.

Explicaui vobis quænam sint hæc tempora vniuersalia, & particularia. Vniuersalia quat-

quattuor, principium, augmentum, status declinatio; & hæc distingui, & cognosci ex coctione, & cruditate.

Particularia in intermittētibus sex, inproportionatis declinantibus esse quinque: in alijs non declinantibus tria.

Num oēs febres habeāt quatuor vniuersalia tempora. Succedit vt intelligatis, num omnes febres habeāt hæc quatuor tempora vniuersalia, an quædam tantùm: & quia curiosa est questio, paucis eam explicabo.

Resolutè dicendum, febres alias esse pernitiosas, alias salutares.

Si sermo sit de pernitiosis, q̄nque habent tria tempora, quādoque tantum duo, quandoque vnicum, numquam omnia quattuor.

Nam febres pernitiosæ sunt illæ, quæ omninò patientes interficiunt, ad minimum carent Declinatione: sed quædam interficiunt in augmento, propterea habent duo: quædā in principio, & ideo vnicum: est doctrina Galeni lib. 3. de cris. cap. 9.

Febres salutares quamquam videntur aliquando carere principio, tamen semper habent quattuor tempora, propterea quāquam reperiantur, quæ videntur his carere, vt syno chi illæ tertianæ, quædam admodum salutares, in quibus apparet coctio in principio nihilominus dicendum horum morborum principia esse incognita, lib. de tot. mor tēp. cap. 4. Venio modo ad causas febrium, quæ breues, vel longæ sunt.

De causis breuium ratione motus, cur scilicet quædam sint acutæ, quædam breues, quædam longæ siue chronicæ, &c.

Cap. XIIII.

BReues febres, ut docet Gal. lib. 2. de cris. c. 11. ex quatuor prodeunt causis: ex materia scilicet, ex loco, affectione, & facultate.

Vbi materia, quæ febrem facit, sit calida, tenuis, pauca, mobilis, semper facit febrem breuem; & propterea febres ex biliosis icho ribus sunt omnium breuissimæ, vt aliquando non transeant secundam, aut tertiam accessionem, & accessiones etiam sunt breues, non transeunt quinque, aut sex horas.

Cāæ breuitatis febrium. Pariter breuissimæ, quæ excitātur ex icho ribus sinceris, non adustis pituitæ, aut melancholiæ, absoluuntur quinque, aut ad summū septem circuitibus.

Pariter si locus, in quo excitantur febres, sit locus præcipuus, calidus, nobilis, ratione huius loci fiunt febres breuiores. nam hæc loca non diu sustinent excrementa.

Affectio etiam conuenit ad faciendam febrem breuem, vbi excitetur in uasibus communibus, cæteris paribus semper breuior, quàm quæ in vasis determinatis.

Denique breues fiunt febres ex facultate. Si facultas robusta, breues sunt: Si imbecillis, longiores. propterea Gal. 3. progn. com. 24. hanc rem pulcherrimis uerbis explicauit, dum inquit: *morbus ex humoribus calidis cum virtute valida numquam facit abscessum, cito desinit, quia humores calidi citò euacuantur.*

Humores frigidi, cum uirtute debili faciunt morbum periculosum, longum.

Vbi materia frigida, sed uirtus ualida, morbus iudicatur per abscessum: similiter vbi materia calida, virtus imbecillis, morbus iudicatur per abscessum. Itaque patet, quæ sint causæ breuitatis febris: quibus causis si coniungatur ætas iuuenilis, tempus calidum, & siccum, constitutio, calida, vita anteacta, & exercitatio, cibi calidi, fiet morbus omnium breuissimus.

Causæ lōgitudinis febrium. Causæ longitudinis erunt prorsus oppositæ, vt patet ex lib. 4. de cris. cap. 11. quinimo 3. progn. 32. Proponit causas lōgitudinis febris, quæ sunt humores crassi, frigidi, lenti, aut tumores scirrhosi. Et profectò hęc etiam est causa præcipua, si quis committat errorem in uictus ratione. His si accedant etiam ætas senilis, maximè facit ad longum morbum. 6. aph. 6. Si tempus frigidum 3. aph. 3. denique constitutio temporis auget longitudinem.

Causę acutarum. His explicatis trāseo ad Acutas febres, quę, vt dicebam, tria continent, tempus motum, & periculum.

Quantum ad tempus, & breues & longæ.

Quantū ad motum, sunt semper veloces.

Quantū ad periculum, semper periculosæ.

Propterea Galen. lib. 2. de diebus decret. cap. 12. laudat hac in parte Archigenem, qui non solis, & nudis temporibus acutæ febris naturam describit, sed magis ex motu, & periculo. Si enim ad solum, & nudum tempus describitur febris acuta, non rectè describitur. Nam, vt dixi est longa & breuis: motu sunt semper veloces natura, quia semper periculosæ.

Quantum ad tempus, cum longæ & breues. hinc acutarum duę præcipuæ sunt Differentiæ. Breues acutas vocat simpliciter; longas acutas, quæ iudicantur in 40. diebus; acutas ex delapsu, 1. prog. tex. 25. ubi scribit spirandi facultatem, semper magnam habere spem: Gal. com. 21. 1. progn. vocat autem ex delapsu, quia ut scribit lib. 2. de dieb. decret. cap. 12. huiusmodi febres declinant aliquantulum ab illa acutie acutarum simplicium.

Et si quæratis causam, cur hæc declinent? duplex est ratio: prima, quia huiusmodi febres, vel in decimoquatto, uel in vigesimo habent aliquod iudicium, scilicet crisin imperfectam, cuius ratione tollitur velocitas motus. Sed quia non ex toto tollitur causa, progreditur vsque ad quadragesimum.

Alia ratio: quia huiusmodi morbi non habent materiam ita calidam, mobilem, vt in partibus nobilibus, sicuti alij morbi simpliciter.

Acutorum igitur simpliciter terminus ex Hip. sect. 2. aph. 23. est quatuordecim dierū:

sic

sic enim scribit Hipp. acuti morbi in 14. diebus iudicātur. Sed Domini, huiusmodi sententia habet aliquas difficultates. nam vt docuit Gal. lib. 2. de dieb⁹ decr. c. vlt. huiusmodi morbi ex Hipp. sententia aliquando desinunt vsque ad vigesimum, teste Hipp. 2. in 3. epid. 20. vbi acutæ febris terminum ponit diem vigesimum, sed facilis solutio, & ponit hanc Gal. loc. cit. partim 2. aph. com. 23.

Cur nonnullę acutæ perueniant vsque ad vigesimum

Morbi acuti simpliciter vocati semper habēt suum terminum maiorem quattuordecim dierum tantùm, sed qui perueniunt vel ad 17. vel 20. diem. Ideò perueniunt, quia acuties morbi non incipit primo die, sed vel in 4. vel in septimo, ita vt si acuties incipiat in quarto, terminus sit 17. si in 7. in 20. ita vt stet veritas ab Hipp. proposita.

Sed notandum acutos morbos, siue incipiant prima die, siue 4. 7. aut procedere per quattuordecim dies, semper vno & eodem modo cū insigni velocitate & pernitie: aut aliquando remitti velocitatem, & pernitiē.

Si procedant semper vno eodemq; modo, seruant velocitatem, numquam trāseunt 14. diem. hoc est certissimum.

Sed si remittatur velocitas vel in quarto, 7. 10. transeunt 14. 17. & 20. vt euadant propterea acuti ex decidentia, vt Galen. lib. 2. de dieb⁹ decret. cap. vlt. testatur.

Itaque acutæ febres iudicantur in 14. dieb⁹ Quando per 14. dies semper procedunt cum eadem velocitate, vel pernitie, desinunt in acutas ex delapsu.

Sed quamquam terminus acutorum morborum simpliciter sit quattuordecim dierum, nihilominus aliquando desinunt citiùs in 4. 7. & isti sunt adhuc acutiores.

Acutorū morborū simpliciter quattuor differentiæ.

Propterea Galenus lib. 2. de dieb⁹ decret. facit acuti morbi simpliciter quattuor differentias, quarum prima est febris, seu morbi, quem vocat exactè peracutum, hic desinit in quarto.

II. Est peracuti, qui desinit in 7.

III. Est exacte acuti, qui desinit in 14.

IV. Est acuti simpliciter vocati, & desinit in 20.

Horum exempla ex parte possunt colligi ex Hipp. 3. progn. 2. vbi inquit, *simplicissimæ enim febres ex signis securissimis confirmatæ, 4. vel die, aut citius desinunt, &c.* Pariter ex 1. acut. & 1. aph. colligatis peracutas exactè esse, quæ desinunt in 7. Propterea 1. acut. continet ægrum usque ad septimum sine cibo; de illis 2. aph. 23.

Acutæ ex delapsu habent uarios terminos; aliæ in uigesimoquarto, 27. 31. 34. 40. 48. 60 80. 100. 120. die; isti omnes sunt dies decretorij febrium, & morborum acutorum ex delapsu teste Galen. lib. 2. de diebus decret. cap. 24. & Hipp 4. aph. 36.

Quæ veloces.

Quantum ad uelocitatem: ueloces sunt illæ febres, quæ citò sua tempora pertranseunt, quando principium, aut augmentum sit A breuius, quam sit status: nam omnino febris uelox habet statum longiorem, quam principium & augmentum.

Quantum modò ad causas harum febrium pertinet, agam in sequentibus.

Acutæ febres, ut dicebam, sunt & breues & longæ: Breues dicuntur acutæ simpliciter; Longæ uocantur acutæ ex delapsu, decidentia, uel acutæ, quæ iudicantur in 40. diebus.

Terminus acutarum simpliciter ex sententia Hipp. 2. aph. 23. sunt 14. dies; quamquam, ut dicebam aliquādo 20. diem huiusmodi terminum constituerit, ut colligitur ex 3. progn. 25. ubi inquit, *vbi febris 20. diem pertranseat, abscessum expectare oportet* cuius causam reddit Galen. in com. B Ratio diuersitatis, ut dicebam, est. quia aliquando acuti morbi incipiunt prima die, & perseuerant cum uelocitate, & pernitie usque ad 14. isti numquam 14. pertranseunt: Si in 4. desinunt in 14. Si in 7. in 20.

Et si, ut inceperint acuti, remiserint acutiem in 4. 7. 10. ex acutis simpliciter trāseunt ad acutas ex delapsu.

Ostendi quinetiam acutos distingui simpliciter in quattuor differentias, in exactè peracutos, in peracutos, in exactè acutos, & acutos simpliciter, qui desinūt in vigesimo.

Modò quærenda Causa huius Pernitiei in acutis febribus, & Breuitatis coniunctæ cum C pernitie, ac longitudinis.

Quæ causa sit febris periculosa.

Quantum ad causam peracutæ: ideò omnes periculosæ, quia sunt continuæ: nā apud Hippoc. 4. aph. 43. *Febres quæcumque tertio peracutæ quoque die fortiores fiunt, magis periculosæ sunt. & cur sīt &c.* Idcirco cum huiusmodi semper sint continuæ, propterea etiam semper periculosæ.

Quod semper continuæ testatur Gal. lib. 2. de dieb⁹ decret. cap. 12. vbi inquit febres, quæ pertranseunt 20. diem, & perueniunt ad 40. aliquando esse intermittentes, aliquando continuas: Intermittentes non reponi inter acutas, sed tantum inter continuas. & hinc D pendet ratio periculi.

Nec obstat authoritas Hipp. 1. progn. 25. qui scribit spirandi facilitatem semper magnam habere spem salutis in omnibus morbis acutis, qui sunt cum febre: quasi dentur morbi acuti, non tamen cum febre acuta, sed & sine febre.

Propterea in hunc etiam sensum uidetur scripsisse Gal. 2. aph. 29. magna ex parte, quasi non semper sint comites acutorum morborum. nō obstat. aliud. n. est loqui de morbis acutis in genere, aliud de febribus acutis. sunt enim morbi acuti, qui nullam habent adnexam febrem. 1. progn. com. 25.

Quare cōtinuitas sit causa pernitiei.

Itaque ratio periculi est cōtinuitas febris. Quærendum modò, quæ sit causa, propter quam cōtinuæ sint periculosæ in acutis simpliciter, & in acutis ex delapsu? Quod acutæ simplici-

simpliciter sint periculosæ, non est vsque adeò nouum: sed quod dantur febres acutæ vsque ad trigesimum. 40. 100. 150. diem, obscurum. proponemus itaque causam.

Quantum ad Acutas simpliciter, causa, propter quam sint perniciosę, & perniciosæ ante vigesimum, est duplex, prout duplex est exitus harum febrium. nam quædam tendunt ad salutem, quædam ad necem.

Causa acutarum simpliciter, quę desinunt ad salutem, est febris continua ex humorib' calidis, vel biliosis, vel sanguineis, sed non copiosis; siue putrescant in vasis communibus, siue in terminatis: ita tamen, vt inflammatio non tendat ad suppurationem, & virtus sit robusta.

Vbi hæc conditiones concurrant, necessariò febris acuta simpliciter tendit ad bonum exitum. Nam quantum pendet ex calidis humoribus, neque multis breui temporis spatio mouetur, & potest moueri. Propterea 3. prog. 24. inquit calidos humores cum virtute robusta semper iudicari per excretionẽ.

Itaque quamquam febres acutæ simpliciter sint ex inflammationibus, nihilominus si inflammationes sint legitimæ, si non tendãt ad suppurationem, iudicantur in quattuordecim diebus. & vera est sentẽtia 2. aph. 24.

Loci, per quos expurgantur, propositi sũt lib. 3 de cris. c. 3. per excretionem sanguinis narium, sudores, excretiones alui.

Quod si febres acutæ simpliciter tendunt ad necem, fit ex humoribus mistis, ex calidis, & frigidis, cum & sine inflammatione, & cum viribus imbecillibus, atque admodum exsolutis. in quo casu cùm morbus non sit facilis solutionis, extinguitur æger, 3. progn. com. 24.

Cur acuti ex decidentia retineãt acutiem per tot dies. Sed hæc leuiora. Quærere oportet causam cur Acuti ex decidentia retineant hanc acutiem per tot dies. vulgus miratur, cùm moriantur in vigesimo, 40. Vt inueniamus causam harum febrium, primũ inquirere oportet, quænam sit causa prorogationis febrium. nam hac inuenta, postea videbimus curationem.

Prorogationis febriũ tres causæ. Dicebat Gal. 3. progn. 23. prorogari febres ex tribus causis. Ex dispositione partis cõfirmata; copia humorũ crassorum, frigidorũ; erroribus commissis ab ægrotãte, sub quib' etiam Medici complecti possunt.

Certum est febres acutas simpliciter, non esse ex illis simpliciter, quæ prorogãtur propter errores, sunt febres accidẽtales. id contingit ex accidente, quod febres prorogentur, sed ex delapsu sunt essentiales.

Neque etiam locum habet causa ex parte humorũ crassorum, viscidorum, lentorum. quia hęc copia est apta ad faciendos morbos chronicos, longos quidem, sed non acutos.

Oportet igitur vt huiusmodi febres acutę etiam longæ proueniant ex affectu aliquo cõtumaci alicuius partis; qui affectus potest A esse intemperies, morbus instrumentarius, morbus in soluta vnitate. Si intemperies, potest esse quæcumque. nam omnis apta est coaceruare excremẽta tanto tempore, quo durat febris.

Propterea omnes intẽperies potissimum inæquales, possunt facere febres acutas ex delapsu, consequenter periculosas, inter quas sunt hemitritæi, quæ proueniunt ex mistione tertianę cum quotidiana, ex putredine bilis cum pituita: Exempli gratia, iecur habet confirmatam intemperiem calidam, per quam generentur excrementa biliosa. Ventriculus habet confirmatam intemperiem frigidam, propter quam generentur excrementa pituitosa. B

Si sunt hæ causæ, fiunt Hemitritæi.

Fiunt etiam ex morbis instrumentarijs, qui sũt vel obstructiones, vel tumores varij.

Quantum ad tumores frigidos; certum est, huiusmodi non facere febres acutas, imò nec febres.

Itaque si quis morbus instrumentarius facit febrem ex delapsu, est obstructio in parte præcipua, aut inflammatio spuria ad suppurationem tendens.

Quantum ad Obstructiones, quod faciant febres, testatur Gal. lib. 5. de loc. aff. capite 7. vbi scribit imbecillitatem iecoris, retenta excrementa in ipso viscere in principio inferre febres ita paruas, vt negligantur: sed progressu temporis augentur, & deducunt ad necem. *Obstructio in parte pcipua* C

Sed quamquam hæc certissima sint, nihilominus magna pars febrium acutarum ex delapsu proficiscitur ex inflammatione partium principalium, quæ vel spuriæ sunt, vel quamquam legitimæ; in suppurationem vertuntur. *Inflammatio.*

Hanc sententiam potestis legere apud Hippocrat. 1. & 2. prognost. in 1. sermo est de inflammatione partium, quæ pertinent ad hypochondria præcipuè iecoris: scribit text. 31. illius libri.

Quod si in inflammatione iecoris transcendat febris 20. diem, necessarium est verti in suppurationem: ante si soluatur inflammatio ita soluta. D

Quod si inflammatio sit spuria, ista quoque necessariò infert febrem longam, sed periculosam.

Quia vbi spuria, & ad suppurationem tendit, hæc suppuratio propter materiæ frigiditatem non potest fieri citò. propterea progreditur ad vigesimum, trigesimum, & vltra. 1. prog. 31. vbi inquit Hipp. inflammationes illas, quæ non sunt sinceræ, aliquando desinere, & tantum finem habere in sexagesimo die. Addit Galenus, aliquando etiam habere suppurationem in 40.

Idipsum 5. progn. 43. potestis legere; inquit vniuersaliter suppurationes inflammationum fieri in 40. 60. Itaque causa prorogationis

gationis ex decidentia, est inflammatio legitima, vel spuria.

Quod autem huiusmodi febres sint continuæ, & periculosæ, me tacente cognosci potest. Sunt enim continuæ, quia materia, quæ conuertitur in pus, est putrida. Vbi in pus conuersa adhuc putrida, ex putrido exspirat putridum.

Et quia terminus varius in quadragesimo, quinquagesimo, 60. 70. 100. 120. die; quærenda ratio huius rei. pēdet partim ex vario tempore confectionis puris, partim ex vario tempore expurgationis puris, partim ex affectione relicta in parte, quæ habuit inflammationem.

Quantum ad tempus confectionis puris, dictum est, hoc esse varium pro varietate materiæ conficientis pus. 2. progn. com. 27. Si materia calida, virtus valida, locus calidus; breuius: vbi deficiat aliqua conditio, conuersio in pus requirit plus temporis, & fit quandoque in 40. aliquando in 60. Confecto pure, aliud tempus requiritur pro expurgatione puris.

Causa quamobrem facilè expurgetur pus, pendet ex materia, & loco.

Ex materia, si tenuis, acris.

Ex loco, si is habet operculum tenue, & facilis disruptionis, materia facilè dissoluitur, & expurgatur.

Si crassa, operculum densum, expurgatio serius Hipp. 6. aph. 41. inquit; *quibus suppuratio in corpore existens non innotescit, his propter puris, aut loci crassitudinem sui significationem non exhibent.*

Aliud magni momenti aliquando difficultas huius curationis pendet ex loco, ad quem tendit pus. nam potest tendere ab bonum, prauum, locum, lib. de inæq. intemp. cap. 3.

Do exemplum, si facta sit inflammatio in membranis cerebri, & tendat ad suppurationem, disrupto abscessu sanies effluet ad ventriculos anteriores cerebri, est optima via: vbi sanies colligitur inter membranas cerebri, & cranium, lethaliter laborant per multos dies. Et aliqui moriuntur, aliqui euadunt fatui.

Similiter si adsit abscessus in ventriculo, qui disrumpatur in anteriorem tunicam ventriculi, est optimum, vt memini socerum meum habuisse talem suppurationem ad tunicas anteriores ventriculi.

Itaque vno verbo, vbi materia purulenta colligitur in locis, vbi possit euacuari, est illud optimum.

Denique, vbi facta puris collectio, vel solida substantia est corrupta, vel non: Si non, expurgato pure sanantur. vbi sanies pertingit vsque ad solidam substantiam partis, superstites esse possunt vsque ad 120. diem; sed moriuntur, quando sanies corrumpit carneam substantiam partis. Exemplum, fiat inflammatio in iecore, pus inter membranam iecoris, & carneam substantiam, possunt esse superstites.

Ego habui exemplum cuiusdam, qui circa 60. diem fuit superstes; est nauta, & adhuc viuit. Perforaui locum, exiuit sanies duodecim, aut quindecim librarum. Alij verò in quibus pus pertingit vsque ad carneam substantiam, viuunt quidem diu, sed tandem moriuntur. Propterea dicebat Hi. 6. aph. 44. 45. qui vruntur, & execat pus album, & æquale, illi seruantur: vbi vero exit, simile amurcæ olei, illi moriuntur, &c. Ratio, quia vbi pus amurcæ olei simile est, exit pars iecoris. Vidi patientem, qui 120. die obijt.

Etsi de febribus malignis, seu pestilentib⁹ diligentem sum instituturus Tractationem, nihilominus hoc tempore duo verba de differentijs, & causis faciam: deinde ad Signa omnium Putridarum me transferam. *Differentia febrium malignarum.*

De differentijs Febrium Malignarum. Cap. XV.

MAlignæ igitur febres in duplici sunt differentia. Aliæ Propriè, & vere sunt malignæ; aliæ vero Impropria significatione tales nuncupantur.

Propriè malignas febres appello illas, quæ ex occulta, & venefica qualitate, seu proprietate prouenunt: & absque hoc numquam consistere possunt, siue hæc grauia habeant annexa symptomata, siue sint sine his.

Secunda significatio impropria est, qua malignæ vocantur ratione symptomatum.

De prima differentia propriè vocata sermonem facit Gal. lib. 3. de cris. c. 4. in febrib⁹ quibusdam proponit ideam, magnitudinem, motum, & morem.

De more sermonem faciens inquit, reperiri febres, quæ minimè uehementes sunt, tamen ad necem ægrum deducunt, &c. Itaque tales non cognoscuntur ex symptomatis, quia nulla fere habent, sed prauam qualitatem.

De his etiam lib. 3. de præs. ex puls. c. 4. ubi proponit constitutionem sui temporis pestilentem, in qua medici prorsus decipiebātur in cognoscendis his febribus, & neque ex pulsu, uel calore, uel urinis potuerunt scire.

De his ēt lib. 9. simpl. med. fac. cap. de terra Samia, ubi pariter scribit, has esse occultas, non calore uehemētes, propterea à Medicis ignorari. hęc significatio malignę febris, seu febris mali moris, propterea lib. 3. de cris. c. 3 dum quærit, vtrum febris sit boni, uel mali moris, statim subiungit, an maligna, an benigna. Pariter 3. prog. com. 4. dum scribit Hip. febres malignissimas esse illas, quæ quarto, & ante quartū interficiunt, intelligit pestiferas. Propterea Gal. 1. in 1. epid. cō 1. has quoque uocat malignissimas, perniciosissimas, ita, ut confundantur uoces febris mali moris, cum pestifera; omnia unum significant.

In alia vero significatione dicitur febris maligna ratione Symptomatum, & hoc animaduertite propter Cõsultationes medicas. Nam in istis consultationibus, vbi de malignis febribus sermo est, vbi aliqui Medici volunt malignas, quæ coniunguntur cum his symptomatis, quæ sunt adhuc in triplici differentia. A

Sunt primo Symptomata Pathognomonica vocata, seu Concomitantia, quæ incipiunt & desinunt cum febre.

Dantur etiam symptomata Superuenientia. quæ sunt in duplici differentia; quædam vocantur Critica, alia Prognostica.

Stante hac symptomatum distinctione, aliquando vocantur malignæ ratione symptomatum pathognomicorum: quando sunt maxima, vehementissima, propterea illa Pleuritis, quæ habet tussim, & febrem maximam, potest dici febris maligna. B

Idem dico de Peripneumonia. In hunc sensum sumpsit hanc vocem Hippocrat. 2. in 1. prorrhe. 21. febres ex hypochōdrijs malignæ sunt, inqt Gal. in com. Vniuersaliter prolata verba sunt falsa: non enim oēs ex hypochondrijs, sed quæ ex iecore ventriculo: neque omnes, quæ ex iecore, sed quæ pendent ex inflammatione, neque propriè malignæ, sed potius acutæ. Itaque abutitur hac voce maligni Hipp.

Pariter Galenus abutitur hac voce 2. in 3. epid. com. 1. qui scribit febres ex cerebro, meningibus, pulmonibus, corde, septo transuerso, ventriculo, malignas vocari: sunt malignæ ratione symptomatum Pathognomonicorum concomitantium. C

II. Significatio malignarum ratione symptomatum est earum, quæ habent signa Critica tempore cruditatis.

Signa critica quędam sunt signa tantùm: quædam & signa & causæ. libr. 3. de cris. cap. quarto.

Signa tantùm erunt, Exempli gratia, vertigo tenebricosa, dolor capitis, inquietudo, vigiliæ.

Signa & causæ simul, rigor, sudor, fluxus sanguinis narium. Itaque vbi appareant signa, q̃ sunt signa & causæ ante morbi coctionem, constituunt febrem, quæ potest dici maligna ratione symptomatum. D

Hanc veritatem ex varijs Gal. locis, 2. in 1. epid. 75. scribit. Hip. & proponit quædam signa febrium ardentium, & inquit, rigor in principio accedebat, insomnes erant, grauiter angebantur, erant sitibūdi, fastidiosi, &c.

Gal. in com. scribit esse signum malignitatis, &c. pariter 3. in 3. epid. 36. scribit Hippocrates, ante coctionem apparuisse stillam sanguinis narium. inquit in com. est signum malignitatis.

Denique omnes aliæ euacuationes ante coctionem morborum, solent esse indicia febrium malignarum.

Tertio modo etiam dicuntur febres malignæ ratione symptomatum illorum, quæ prognostica propriè appellantur. libro 3. de cris. cap. 4.

Dantur quædam signa, quæ semper absolutè mala, vel bona, ad differentiam criticorum, quę quodam tempore sunt bona, quodam mala: vt si sudor appareat, tempore coctionis, est bonum.

Ita mala semper difficilis spiratio, delirium; non facile delirium ferre: sicuti contraria absolutè semper bona.

Si igitur febres habeant absolutè praua, sunt malignæ in hac tertia significatione: sed hæc differentiæ etiam impropriæ.

Si tamen coniungantur malignitas, & occulta qualitas, & prauitas symptomatum, erit febris omnium malignissima.

Patent differentiæ malignarum, & causæ, quas diximus improprias.

Concurrunt cum differentijs febrium malignarum, & acutarum, de quibus in superioribus Lectionibus; quæ ortum ducunt ex humoribus calidis peccantibus in parte præcipua cum inflammatione, habent omnia symptomata concomitantia, superuenientia criticè.

De signis febrium putridarum in genere.

Cap. XVI.

VEnio ad Signa febrium putridarū, quæ explicabuntur eo ordine quo Differentiæ & Causæ. Primò Signa Putridarum vt putridæ sunt: deinde Continuarum in genere: Tertiò Continuarum conclusarum: Quartò Cōtinuarum Proportionatarum: Quintò Intermittentium: Sextò Acutarum febrium. De Malignis enim suo loco.

Putridarum febrium signa proponuntur lib. 1. de diff. feb. cap. 7. & ab Auic. fen. 1. lib. 4. tr. 2. cap. 2. sed reuera oportet nos esse cautos in distinguendis his signis. Ego distinguam Putridarum, vt putridæ sunt, ab alijs: quamquam enim omnia hæc signa pertineant ad putridas, quædam tamen ad has in genere, quædam in specie.

Quantum ad signa putridarum in genere. *Signa putridarū vt putridæ sunt.*

Primò quod huiusmodi febres non incipiant a causa procatarctica externa. Est hoc signum fallax; quia aliquando febres Ephemeræ incipiunt absque causa externa, & putridæ a causa externa.

Quod putridæ a causa externa: manifestū est experientia. si quis moram ducat in aqua frigida, aere frigido, incidit in febrem putridam, lib. 1. de diff. feb. c. 7. nouit Gal. hāc veritatem. Sed oportet mentem assequi: fiat absque putredine humorum in corpore existentium, potest quidem à causa externa fieri prohibita transpiratione. sed etiam febres Ephemeræ non ex causa externa, vt quæ fiūt ex obstructione, lib. 8. meth. c. 4.

Aliud

Signa præcedentia putridarum. Aliud signum sumitur ab his, quæ præcedunt febres putridas. Auic. in princ. capitis vocat hanc congeriem, quæ præcedunt Almetcum, significat concursum quendã multorum signorum, symptomatum, quæ præcedunt illos, qui breui in febres putridas sunt incursuri. Exempli gratia, si quis prius sentiat dolorem, grauitatem capitis, dormiat interdum præter consuetudinem, lassitudinẽ spontaneam; si abundet sputum, vomitus, vrina, excrementum alui, si amittat patiens appetentiam. *Signa cõcomitantia tria.* Alia signa pertinent ad ea, quæ necessario concomitantur febrem Putridam; quæ sunt tria, Pulsus, Calor, & Vrina.

Pulsus. Quantum ad pulsum: pulsus sunt quidem celeres, frequentes, quæ conditio non ostendit putridas. nam Ephemerarum, & Hectica sunt sunt celeres. conditio ex pulsu est inæqualitas, quæ cõsideratur facta compositione systoles cum diastole.

Quæ est hæc inæqualitas? Explicat à Gal. lib. 3. præs. ex puls. 7. vt scil. in principio, & incremento Accessionum Systole fit celerior Diastole: in Statu systolẽ æqualis diastolẽ: in Declinatione diastole celerior systole.

Ratio huius diuersitatis est satis cõspicuã: Systole fit celerior, quando magis abundant in humido corpore fuligines putridæ, quàm calor febrilis. Contra diastole, quando magis calor febrilis minus fuligines putridæ.

Hoc stante fundamento, in Principio, & Augmento accessionis semper abundat magis fuligo quàm calor: in Statu ex æquo, & calor, & fuligo; in Declinatione plus calor, quã fuligo. Hinc pendet diuersitas pulsus: quia systole expurgat fuligines. Hæc vera sunt.

Video tamen dictorum quempiam, quomodo deprehendam hanc Systolen? Etiam ex sententia Galeni, nisi in pulsibus maximis hoc fieri non potest: in sanis autem pulsus sunt maximi, non in ægris.

Quomodo deprehendẽda sit systole. Ego quantum ex me, non potui hanc systolen deprehendere. respicio in huiusmodi casũ ad respirationem. expiratio, & inspiratio respondet systoli & diastoli; Exspiratio systoli, inspiratio diastoli.

Sed est quædam contradictio in Gal. lib. 1. de diff. febr. 2. pulsus inquit in principijs accessionum esse celeres lib. 12. meth. capit. 3. inquit esse tardos.

Contradictio soluitur ex dictis. in principio accessionis habere celeres quo ad systolen, tardos quo ad diastolen. in lib. 1. de differ. feb. respexit ad systolẽ, lib. 12. met. ad diastolẽ

2. Calor. Calor febrium Putridarum est calor mordax, qui nõ apparet primo tactu, sed paulatim insurgit, ad differentiam Ephemeræ, & Hecticæ, in quibus non apparet mordacitas, quę feriat manum quasi muria.

Vrinæ similiter lib. 1. de diff. feb. c. 7. ostendunt febres putridas, quando nullam habent coctionem, vel exilem. ostendunt cruditates apparere in febribus Ephemeris ex nauseati A ua satietate, & ex bubone: quãdoque in principio tertianæ vrinæ apparent cõcoctæ, cum sit febris putrida. Ergo non unam, uel alteram, vel plures vrinas ad tertium etiam diem inspicere oportet. Exempli gratia, non tantũ si albæ, tenues, careant sedimento, sed præter hæc etiam, si crassæ, uirides, liuidæ, aut turbulentæ, cruditatem significabunt.

Præterea, oportet nomine cruditatis intelligi, quod omne illud quod sit oppositum coctioni, siue sit uera cruditas, siue aliquod signum coctioni oppositum, ubi sunt deteriores, quæ simpliciter crudæ.

In sequentibus versabimur in proponendis Signis Putridarum Continuarum, tam in genere, quam in specie; & si dabitur tempus, B aggrediemur etiam signa Acutarum.

Signa putridarũ continuarũ in genere tria sunt. Putridam febrem in genere quanam ratione, & dignoscere, & distinguere potestis, explicaui; nunc versabimur in proponendis signis Continuarum omnium in genere, & specie. quæ tractatio est maximi momenti.

Continuæ febres in genere tria præcipuè habent signa à Scriptoribus proposita.

1 Vnum proponitur à Gal. lib. 1. ad Glauc. c. 7. dum inquit, febres continuæ cognoscuntur, quando carent illis signis, quæ obtinent intermittentes. Signa propria Intermittentium sunt, quod incipiunt cum rigore, horrore, refrigeratione. Propterea febres quæ incipiũt absque his, dicuntur continuæ. Sed hoc signum est fallax, quandoquidem vt docet idẽ C lib. 1. ad Glauc. 6. dantur febres cõtinuæ, quæ incipiunt cum rigore, vel saltem cum horrore, & pluries, quàm cum refrigeratione.

Hanc rem fusius explicaui in priuatis lectionibus. propterea signum fallax.

2 Aliud signum, quod non desinant ad infebricitationem, est propositũ lib. 2. de cris. c. 6. imò vbi etiam proponitur primũ signum, cognoscunt, quia incipiũt sine rigore, & non desinunt ad infebricitationem, & hac ratione distinguuntur tertianæ continuæ ab intermittentibus, quod illæ absque rigore, & infebricitatione, sunt; hæ cum rigore, incipiunt, & desinunt cum febricitatione. sed incertum. dantur enim continuæ impropriæ, quæ vocantur subintrantes, quæ pro- D pter accessionum longitudinem non possunt ex toto ad infebricitationem desinere, idest, tantùm ex propria natura sunt intermittentes, non desinunt ad infebricitationem;

3. Certissimum. habent signum, quod erit certissimum, & huiusmodi memoriæ mandate. Est Pulsus inęqualitas systematica, collectiua. Explicabo.

Vbi pulsus comparati inter se sunt admodum varij, diuersi, alia pulsatio magna, parua, celeris, minus celeris, vehemens, minus vehemens, dicuntur inæquales in qualitate systematica.

Vbi hanc febris obtineat, semper est continua; animaduertite hoc signum, numquam errabitis.

Obseruandæ tamen duæ conditiones. Primò vt non consideretur huiusmodi pulsus tantùm in Principio Accessionis. ratio est, quia in principijs accessionum pulsus sunt inæquales inequalitate systematica etiam in intermittentibus. eo tempore concentrantur humores, suffocatur calor, confluunt humores ad viscera, quæ efficiunt pulsus inæqualitatem, imo non est signum febris, vt testatur Gal. lib. 3. de præs. ex puls. c. 7. lib. 1. de diff. febr. c. 7. Nam potest fieri hic pulsus in anxietate, cardialgia.

II. Conditio: vt non fiat comparatio pulsus vnius temporis febrium cum tempore alterius. Exempli gratia, Principij cum Augmēti, aut Status. Sic enim sunt semper inequales, inæqualitate systematica, lib. 2. de caus. puls. cap. 2.

Quid igitur tunc pulsus inæquales ostendunt? febrem continuam, quando seruant huiusmodi inæqualitatem Collectiuam per omnia febris tempora. Propterea dicebat Gal. lib. 1. ad Glauc. c. 7. vbi pulsibus accedat inconcinnitas, & inordinatio, est argumentū febris continuæ, & lib. 3. de cris. c. 9. inquit febres in declinatione habere pulsus, qui redeunt ad statum naturalem, quando sunt febres salutares: Si perniciosæ, inæquales, perniciosæ etiam sunt continuæ. Ideo idem Gal. lib. 2. de causis inquit pulsus inæquales excedere limites morbi mitis.

Excedunt autem febres limites morbi mitis, quæ sunt continuæ.

Signā cōtinuarū continentium. Ostendunt etiam continuam, si retineant in declinatione duritiem, celeritatem insignem, & frequētiam lib. de temp. morb. c. 7. itaque memoriæ mandetis hoc signum.

Venio modò ad Differentias Continuarū, & primò Continentium.

Facilimè dignoscuntur, quando huiusmodi Continuæ Continentes nullas habent exacerbationes, sed semper vno, & eodem modo procedunt: vt si sunt synochi ex sanguine, habent pulsus vehementes, magnos, celeres, lib. 1. de diff. febr. c. 9. ad differētiā hecticarum, quæ habent pulsus paruos, languidos.

Signa proportionatarū continuarū. Quantum ad Proportionatas. Proportionatæ Continuæ habent aliquam similitudinem cum Intermittentibus, quæ vocantur Subintrantes; & licet distinguantur ex Pulsu proposito, attamen sunt & aliæ distinctiones, quæ capiuntur ex temporibus febrium proportionatarum.

Dantur primum, quæ carent in qualitate, quia primùm exacerbantur absque frigore, horrore, & rigore.

Præterea distinguuntur etiam ex Longitudine, Breuitate Principij, & Augmenti.

Periodicæ, quæ principium, & augmentum habent magis longum, quam statum, & declinationem.

Omnes istæ sunt Continuæ, & verissimū. contra vbi Principium & Augmentū sit bre- A uius, quàm Status & Declinatio ex natura Intermittentium, vt Galenus lib. 4. de cris. c. 3. & lib. 3. de cris. c. 4.

Aliud signum desumitur ex Inæqualitate Incrementi: vbi febres habent quasi varias Accessiones, ita vt quādo transit à Principio ad Incrementum, si absque multis exacerbationibus potest esse ex natura intermittentium. Quando autem habeant quasi varias exacerbationes, ita vt nunc videantur esse in incremento, pulsus deinde contrahi, febres continuæ. & hoc est id, quod voluit Galenus lib. 1. de diff. feb. c. 7. febres continuas habere quasi varias superexacerbationes. hoc nihil aliud, quàm febrem difficilime posse venire ad suū incrementum; Cuius historiam B vidi nuper in nobili illa muliere Passant, cuius historiam post lectionem referam lib. 1. de diff. febr. cap. 7.

Vltimo separantur, & dignoscuntur ex Symptomatis. Quæ habent symptomata superuenientia multa & maxima (siue nomine symptomatum intelligatis Critica, siue praua.) sunt continuæ, si tantum symptomata Pathognomica, quamquam grauia, sunt ex natura intermittentium.

Sed hæc quamquam cognitu necessaria, sunt tamen magis ea, quæ sequuntur. Necessarium est distinguere febres Continuas Periodicas, quæ fiunt ex locis patientib' determinatis, ab illis, quæ fiunt ex vasis communibus, quæ distinctio maximi est momenti; & C reuera febris rectè curari non potest absque hac distinctione; & Domini, ego libentiùs in his versabor, quia uideo Galenum esse ieiunum in his proponendis. nam lib. 2. de cris. c. 7. proponit quidem necessitatem huius cognitionis; postea uero eam omittit.

Primum quidē dantur quædam febres ex locis patientibus, quæ habent signa, ex quib' non difficulter conoscunt; sed ita non facilè est distinguere, an sit ex locis communibus an determinatis. Proponā primo quæ ostendunt locūm affectum. Postea de cōmunib'.

Febres ex locis affectis cognoscuntur ex Actionibus læsis, ex Excrementis, Qualitatibus mutatis, & Accessionibus proprijs, Temporibus uniuersalibus febrium. *Signa locorum affectorum.*

D Quantum ad Actiones, hæ sunt Communes, aut Propriæ. Inter Communes sunt tres, Pulsus, Dolor, & Lassitudo.

Quantum ad pulsus: Pulsus partium determinatarum affectarum præcipue inflammatarum duas obtinet conditiones: duritiem, & inæqualitatem æqualiter. Omnis pulsus inflammationis continet duritiem perseuerātem usque ad tempus declinationis, ut intelligetis ex proprio tractatu de Pulsib. Oportet & alia Signa inspicere: & præcipue, si perseueret declinatione. *Pulsus.*

Alia conditio, ut pulsus habeat inæqualitatem æqualem. Datur inæqualitas æqualis, & inæqualis.

Exempli

Exempli gratia: Si post singulas pulsationes vna semper remittat, vel parua magis sit, quam celeris, dicitur inæqualitas inæqualis.

Si verò habent pulsationes inæquales, modò post tres, aut quattuor vnam pulsationem intermittit (inæqualitas inæqualis) Pulsus inflammationum sunt inæquales in qualitate ordinata. ratio est, quia huiusmodi inæqualitas fit à loco inflammato, tumor est permanens, ita & in pulsu.

Quantum ad Dolorem; est comes inflammationis, quæ contingit partibus sensitiuis, vt Galenus lib. de tumor. pręt. nat. c. 8. sed huiusmodi dolor quandoque demonstrat, & locum cum inflãmatione tentatum. 2. nam

2. Dolor. si dolor sit pulsatiuus, locus ipsemet est arteria, aut arterijs propinquus. lib. 2. de loc. aff. c. Vbi verò dolor est grauatiuus, affectus locus potiùs est membranę lib. 2. de loc. aff. c. 4.

3. Lassitudo. 3. Tertiò cognoscimus loců affectum ex lassitudine, si conqueratur de parte lassitudinem sentiente, oportet ibi constituere sedē loci affecti. lib. 5. de san. tuen. c. 10.

Ex determinatis facile est locũ distinguere: Oportet primò cognoscere Actiones cuiusque partis: si videatis lædi Actiones harũ,

Læsa actio. & lædi permanenter. Constanter, vt non cesset eiusmodi læsio actionis, est ibi sedes, propterea lib. de puls. ad tyr. cap. 11. vbi proponit signa ex actionibus læsis, &c. singulæ partes habent symptomata sua.

Excrementa mutata. Tertio ex excrementis partim communibus parùm determinatis. Per communia intelligo Vrinam, sudores, & alia id genus.

Quantum ad Vrinas, si in febre continua

Vrina. parum sint mutatæ à naturali statu, argumētum certissimum est febrem ortum ducere ex affectu partis determinatæ.

Ratio lib. 1. de cris. c. 7. vrinæ ostendũt tantum affectiones humorum contentorum in vasis; si boni coloris vrina, signum non esse vitium in venis communibus.

Sudores. Sudores pariter, si fiant potiùs in vna parte, quam in alia, sunt indicia partis affectæ. Propterea dicebat Hipp. 4. aph. 38. in Phreniticis potius sudores in capite, quam in alia parte. quod idē affirmat Gal. lib. 3. de cris. c. 3.

Qualitates mutatæ. Quantum ad Qualitates mutatas: similiter si vel calor, vel frigus obsideat magis vnam partem, quam alteram, ibi est origo morbi. Hoc etiam docet Hip. 4. aph. 39. vbi pars modo frigescit, modo, &c. Quod dico de calore, & frigore, dico etiam de colore: vbi colore fiat magis rubra, liuida, ibi morbus. Si facies perpetuò rubra: dicendum morbum habere originem ex ipso cerebro.

Exacerbationes. Quantum modò ad exacerbationes febrium, quæ habent exacerbationes, vel quotidie, vel alternis diebus, vna hora accedētes, sunt febres ex locis determinatis patiētibus, vt colligitur ex lib. 2. de diff. febr. cap. vlt. clarius 4. aph. com. 3. Nam vbi scribit Hippocr. febres si accedant hora eadem, accesserunt

A qua pridie; esse difficilis indicationis, &c. Galenus inquit in com. huiusmodi febres esse necessariò febres, quæ pendet ex affectione confirmata in parte determinata.

Præterea, quæ non habent varias illas accessiones, ipsæ quoque sunt febres partium determinatarum.

Vbi febris ex inflammatione, loco determinato, materia non mouetur.

Tertiò huiusmodi febres inflammationũ cognoscuntur ex symptomatis. nam habent rigores aliquando, vbi materia confluit in partem membranosam sentientem. Præterea habent refrigerationes maximas, longissimas, vt quandoque perdurent sex, vel septē

B horas, aut etiam octo. ubi hæc uidebitis, affirmate ex loco determinato ortum ducere: nã retrahitur calor ad illud viscus 4. aphor. 48. 7. aph. 1. 2. progn.

Cognoscetis denique ex Locis determinatis, ex Temporibus uniuersalibus. quia huiusmodi febres habent Principium, & Incremētum uniuersale longius, quàm quæ ex putredine humorum in uasis communibus. nam ubi inflammatus patitur, humores non facile mouentur; quia materia est impacta magis in locis determinatis: si in uasis communibus, facillimè. In sequentibus uersabor in hoc, ut ostendam Signa, quibus possitis certò cognoscere febres in uasis communibus.

C Febres, quæ ex putredine humorum in uasis communibus contentorum ortum ducunt, plerumque habent quandam cum febribus ex inflammatione similitudinem. Etenim aliqua humoris portio, aut uapor saltem calidus in partes præcipuas mittitur; cuius ratione partes læduntur, ita ut de aliquo affectu in illa parte consistente suspicio oriatur. Signa febrium ex putredine humorum ĩ vasis cõib[us] ortarum.

Itaque oportunum duxi non tantum Signa ex inflammatione referre, quod proximè tactum, uerùm etiam signa usque adeò conspicua indicare, quibus cognoscatis febrem in uasis communibus, quę hauriuntur Actiões læsę.

D ex Actionibus læsis, Excrementis, & Qualitatibus mutatis, ex Forma Temporum accessionum, & ex Temporibus uniuersalib[us] febris.

Quantum ad Actiones, si sermo sit de actionibus communibus, de quib[us] nuper memini sunt pulsus dolor, & lassitudo.

Quantum ad pulsus; pulsus febrium, quæ ex humoribus in uasis communibus putrescentibus fiunt, numquam obtinent illam duritiem per omnia febris tempora, sicuti obtinent febres ex inflammatione. Loquimur nunc de Putridis Continuis Proportionatis. quia dantur etiam pulsus duri in hecticis, & quartanis, quæ tamen ferè semper sunt Intermittentes. Vbi igitur Continuæ habent pulsus duros, de Inflammatione cogitandum. Pulsus.

Præterea pulsus harum febrium, sunt inæquales inæqualitate ordinata, ad differen-

tiam febrium ex inflammatione. Rationem affert Gal. lib.2. de cauf. pulf. quandoquidem in huiusmodi casu inæqualitas prouenit ex humoribus, qui continentur in venis: qui sũt in vasis communibus, qui non sunt stabiles, mouentur ad cor, modò ad partes remotiores à corde, vnde quandoque est magnus, paruus, uehemens, minus uehemens. Itaque signum hoc est certissimum.

Dolor. Quantum ad aliud signum, dolorem scilicet: in istis numquam adest dolor partis determinatæ continuus, & per omnia perseuerans. Sed sic est: quod uapor transmittitur tãtum in Principio, Augmento, & Statu; in Declinatione digeritur. propterea febres non ita sunt perseuerantes.

Lassitudo Quantum ad lassitudinem, numquam magis ea obsidet hanc, uel illam partem, non magis caput, quàm thoracem.

Actiões propriæ. Quantum ad Actiones Proprias, in his non contingit, quod in febribus ex inflammatione, quæ semper ostendunt locum affectum ex læsione permanente illius partis: in febribus istis, uel nulla apparet læsio partis determinatæ, uel si quæ est, non permanet per omnia febris tempora.

Præterea huiusmodi læsiones Actionum in febrib' ex venis cõmunib' non sunt quotidiè sibi ipsis similes, sed uno die ledentes actiones. Exempli gratia, cerebri, altero oris ventriculi, altero musculorum totius corporis, &c. Ratio: quia materia, quæ peccat in uenis communibus, potest impetum facere ad omnes partes. Ideò aliquando magis repit ad cerebrum, aliquando ad os ventriculi, aliquando ad musculos totius corporis: vt propterea in his febribus magna sit varietas symptomatum.

Excremẽta. Quantum ad Excrementa: in huiusmodi febribus, quæ ostendunt febrem ex vasis cõmunibus, sunt duo, Vrina. s. & Sudor.

Vrinæ. Sicut in inflammationibus vrinæ nihil valent ad ostendendas inflammationes, ita hic habent primas partes. quia sunt signa affectionum venosi generis.

Sudores. Pariter, vbi sudores erumpunt à toto corpore, certum indicium est febris ex uasis cõmunibus.

Tempora accessionum. Quantum ad Tempora accessionum, circuitus periodos cognoscimus, quæ ortum ducunt ex venis communibus, si exacerbantur absque ulla refrigeratione, uel horrore, uel rigore. Si quotidie augeátur symptomata, nec adsit refrigeratio, horror, rigor; certũ est esse ex febribus, quæ ortum ducunt ex uasis communibus.

Sed quia aliquando etiam istæ febres habent aliquam refrigerationem, uel paruum horrorem, teste Gal. lib.1. ad Glauc. c.5. cognoscetis, & distinguetis à febribus ex inflãmatione partim ex signis propositis, partim ex breui, quam habent, refrigeratione, quæ ibi sunt maximæ, in istis est minor. refrigeran

A tur enim dumtaxat partes extremæ, raro aliæ: quia in Principis accessionum transmittitur aliqua portio huius materiæ ad exteriora.

Præterea incrementa harum febrium ex venis communibus sunt plerumque inæqualia, habent quasi plures Superexacerbationes, modò pulsum paruũ, modò maiorem, modo calor ad exteriora, modo ad interiora. hoc etiam signum est.

Quantum ad Tempora vniuersalia, in vasis communib' habent Principia, & augmenta vehementiora, quàm inflammationum: raro contingit, vt febres inflammationum in prima die sint admodum graues, quandoque contingit, quando fiunt ex decubitu, aliquando fiunt per paulatinam cõgestionem, aliquando per defluxum. *Tẽpora vniuersalia.*

B

Per decubitum materiæ de loco ad locũ, ita vt materia ab vno loco transmittatur ad alium: in principio nunquam habet maximas febres inflammatio. Vbi igitur videatis in principio calorẽ maximum, credatis esse ex febribus, quæ ortum ducunt ex venis cõmunibus: præter cætera habent plures euacuationes, & faciliùs euacuantur. In loco. n. inflammato materia est impacta, & nõ facilè euacuatur. Et hactenus puto vos posse distinguere febres ex inflammatione ortum ducentes, ab illis, quæ ex vasis communibus.

Cæterùm oportet distinguere febres inflammationum, quæ tendunt ad Resolutionem, ab illis, quæ ad Suppurationem. *Distinctio febriũ inflammationum, quæ tendũt ad resolutionẽ et illarũ, quæ ad suppurationem.*

C

Febres enim, quæ ad resolutionem tendunt, vel decimo quarto, vel 20. ad summum iudicãtur, vt Gal. exemplo pleuritidis 1. aph. 12. testatur. Et propterea vbi adsint signa huius inflammationis, morbus semper tutior est, quàm vbi ad suppurationem. Cuius signa ad suppurationem tendentis iam proponam.

Cognoscitur inflammatio, quæ ad suppurationem tendit, si eo tempore, quo febres, & Symptomata debebant desinere, febres, & symptomata augeantur. Propterea dicebat Hipp. 1. progn. T. 31. in inflammationibus iecoris si febres ad vigesimum diem prouenit, suppurationem expectandam esse: pariter 3. progn. 25. considerandum de abscessu est, si febris vigesimum diem transcendat.

D

II. Signum desumitur à Dolore; si dolor in febribus ex inflammatione perseueret vltra vigesimum diem sitq; continuus, expectanda est suppuratio, vt Hippoc. 7. aphor. 23 testatur.

III. Sumitur à Rigore; si in vigesimo, vel post in febribus ex inflammatione iterum rigor repetat, argumentum est suppurationis, inquiunt Galen. lib. 4. de loc. aff. cap. 8. Hipp. 2. progn. 58.

Aliud signum est pulsatio aucta in loco inflammationis, vbi hæc pulsatio augetur in vigesimo, vel post, argumentum est suppurationis, teste Gal. lib. 2. de loc. aff. cap. 3.

Aliud

Aliud etiam sumitur ex spiratione facili, vel difficili. Vbi in inflammationibus post vigesimum diem spiratio difficilis euadat, su spicandum de suppuratione inflammationis: Si facilis, abigendus timor suppurationis, inflammationis. Hanc veritatem colligo ex 1. progn. 25. vbi scribit Hip. & Gal. in com. reddit rationem huius dicti. Sunt absque vlla inflammatione partium spiritualium: ita ex aduerso vbi habent spirandi difficultatem post 20. diem, suspicandum.

Signa. Neque erit difficile distinguere spurias inflammationes à legitimis.

Distinctio inflãmationũ spuriarũ in legitimis Desinunt semper in decimaquarta, spuriæ perueniunt ad vigesimum; legitimæ, quæ debent suppurari, suppurantur semper in 20. spuriæ, quæ debent suppurari, quandoque in 40. 60. 80. prout materia sit mixta humori magis, vel minus frigido, loco, calori magis, vel minus debili.

Signa distinguentia intermittẽtes ab Ephemeris. Quantum ad Intermittentes, facilius est nosse proportionatam intermittentẽ. Nam vbi desinit ad intebricitationem, statim est cognita: sed habent aliquam cognationem cum Ephemeris. Itaque non oportet nos decipi, sicut Medici tempore Galeni.

Ephemeræ sanantur tantùm cibo; hæ nõ: oportet igitur Tertianas Putridas distinguere à Tertianis Ephemeris, Quartanas à quartanis.

Distinguuntur à præcedentibus, à concomitantibus tempore accessionum, & sequentibus.

Quantum ad Præcedentia: præcedunt nausea, inequalitas, abundantia sputi, somni longi, excrementa fœtida, oscitatio, præcedunt ista febrem putridam.

Quantum ad Concomitantia; in Ephemeris tertianis tempore accessionis, etiamsi incipiat cum rigore, est tamen sine sensu refrigerationis, & rigor in putridis est cum sensu refrigerationis. Præterea sit transitus æqualis à principio ad incrementum: in putridis fit incrementum inæquale, intercedit inter principium, & incrementum aliquod tempus, quod vocatur Inæqualitas. in Ephemeris illud non datur.

Distinguuntur ex Statu: nam putridæ habent aliqua maxima symptomata, vigilias, inquietudinem, sitim, deiectionem alui: Contra Ephemeræ non.

Declinatio quoque differt; sunt putridæ cum sudore alui excremẽtis copiosis. Ephemeræ item absque his.

Ex consequentibus denique cognoscuntur Ephemerarum Pulsus. redeunt ferè ad naturalem statum, secus putridarum; hoc docuit Gal. lib. 1. ad Glauc. c. 5. Sic igitur distinguetis has febres ab Ephemeris.

Signa erraticarũ. Erraticæ cognoscuntur, si videatis, quod octo dies intermittant, & postea redeant, & sunt erraticæ septimanarum, & dierũ. Oportet inspicere horas, & formas accessionum; si vna die inuadat febris cum signis febris biliosæ, hora 14. sequenti cum signis pituitæ, tertiò hora 16. cum signis pituitæ, quartò hora 21. cum signis bilis, est erratica dierum.

Signa recidiuarũ Quantum ad febres Recidiuas, cognoscitur ex duobus potissimùm signis. Primum si febris deficiat absque signis solutorijs Secundò, si desinat in die non iudicatorio.

Quæ sunt signa Solutoria? sunt signa coctionis, & excretionis.

Vbi aliquis morbus habet signa coctionis, soluitur, vt ampliùs non reuertatur: vbi contra, desinit absque excretione, & coctione, fit recidiua, teste Galen. lib. 1. de dieb[9] decr. capit. 5.

Pariter si desinant absque signis coctionis. Hipp. 2. in 1. epid. 46. cruda inquit, & in prauos abscessus conuersa, aut acresias, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas portendunt, &c. Et propterea vno verbo test. Hipp. 3. prog. 22. Si febris desinat absque signis solutionis, necessariò recidiuam facit.

Idipsum dico si desinat in die non iudicatorio: Ideo scribit 4. aph. 61. febrientem, si nõ in diebus imparibus febris dimiserit recidiuare solet. Loquitur Hipp. de illis febribus, quæ reuertuntur, de 3. in 3. quæ habent accessiones quotidiè: ita ut uera iudicatio potius debeat cadere diebus paribus, quam imparibus.

Est etiam aliud signum ex Hipp. 2. aph 8. vbi inquit eos, qui à morbo cibum capientes non reficiuntur, si cibo plurimo, vtuntur necessariò indigere euacuatione. Gal. in com. aph. 12. sect. eiusd. Vbi scribit Hip. quæ relinquuntur in morbis post iudicationem, recidiuas facere solent annectit hunc aphorismum cum præcedente, & inquit cur indiget euacuatione? quia si euacuatio non fiat, recidiua sequitur.

Signa duplicium, et compositarum. Habetis itaque etiam Signa recidiuarum; succedunt duplicium, quæ inuadunt singulis diebus bis, & ter tres, Quartanæ similiter singulis diebus.

Compositæ vna die vnam habent accessionem, altero duas.

In sequentibus aggrediemur pulcherrimum tractatum Acutarum.

Quæ de prognosticis supersunt tractanda, hodierno die Deo volente absoluam. Sunt autem ista.

Primò quidem breuibus declarabo signa magnitudinis & paruitatis febrium: deinde signa longitudinis, & breuitatis. Tertiò signa malignitatis, & securitatis. Quartò versabor in proponendis signis, quib[9] cognoscatis vniuersalia febrium Tempora: deinceps in signis, quib[9] particularia. Denique erit sermo de signis, quibus præcognoscitur futurus status morbi, in quem finem omnia dirigantur.

Signa febris magnæ. Quantum ad Magnitudinem, & Paruitatem: hæc paucis uerbis complectemur. Cognoscitur magnitudo; ubi calor febrilis sit

admo-

admodum intensus, & symptomata Pathognomonica, seu necessario febrem sequētia, quæ maxima sint, & propterea, Exempli gratia, si febris tertiana habeat calorem exurentem, sitim maximam, vigilias, inquietudinem, &c, hæc dicitur magna.

Parua. Contra parua est, quæ habet calorem blandum, symptomata pathognomonica admodum leuia.

Longitudinis, & breuitatis signa quattuor Quantum ad longitudinem, & breuitatem modum cognoscendi febres longas, & breues proposuit Hip. 1. aph. 12. paucissimis verbis, & desumitur ex quattuor signorum fontibus ibi apud Hipp. propositis. 1. fons sumitur à natura febris. 2. à circuituum incrementis. 3. à tempore anni 4. ab accidentibus, seu symptomatibus superuenientibus.

Natura febris. Quantum ad naturam febris. Illa febris est breuis, quæ vel ex sanguine, vel ex bile sinceris ortum ducit. Propterea omnis tertiana, siue intermittens, siue continua, omnis ardens biliosa, omnis synochus, omnis ex Erysipelate non suppurante, est breuis.

Contra, quæ ortum ducunt ex humoribus pituitosis, & melancholicis, vel bile, & sanguine mixtis cum pituita, vel melancholia, aut sanguine faciente inflammationem, quæ debent suppurari, sunt longiores.

2. Incrementa circuituum. Quantum ad circuitum incrementa, in tribus rebus consideramur. Prima conditio respicit Anticipationem accessionis. Secunda ad Grauitatem, & Longitudinem. Tertia ad Magnitudinem symptomatum. Itaq; illa febris futura est Breuis, quæ habet accessiones multum anticipantes, & propterea omnes illæ febres, quæ inuadunt, vel statutis horis, neque anticipant, vel postponunt, aut anticipant proportionabiliter, aut parum, sunt longiores, non facit ad longitudinem, vt febris non aticipet, quemadmodum vult Hippocr. 4. aph. 30. vbi scribit quibuscumque accessiones fiunt, quacumque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile, &c. non sufficit inquam ad cognoscendam longitudinem, vt inuadat eâ ipsa hora, sed quando anticipationes alternis diebus, & paulatum anticipent, sunt longiores.

Itaque cognoscetis febrem futuram breuem, si anticipatio sit maxima, & inproportionata, si altera anticipat hora sexta, altera septima, aut octaua.

Secundum est ex Breuitate, vel Longitudine accessionum: accessiones particulares, si breues, totus morbus est breuis & contra. Et propterea tertianæ exquisitæ, vt 4. ap. 59. scribitur, septenis ad summum circuitibus absoluuntur, potest etiam in tertio, aut quarto morbo absolui.

Sunt enim exquisitæ, quæ non transeunt horas 12. vbi transeunt, durant diutius, vt Auic. fen. 1. lib. 4. tr. c. 4. testatur, præterquam, quod elicitur ex lib. 3. de crit. c. 4. Quando quidem vbi dicit Principia, & Incrementa febrium sunt breuiora, & quæ sequuntur. Itaque ex breuitate, & longitudine de morbo conijciendum.

Quantum ad symptomata, quo maiora (loquimur de Pathognomonicis) eo febris est velocioris motus: quo minora, tardioris motus, & propterea tertianæ, quæ inuadunt cum Pathognomonicis vehementissimis, sunt breuiores, quàm quæ omnia habent remissiora. *3. Symptomata*

Ex symptomatibus etiam superuenientibus, de Longitudine, & Breuitate licet coniecturam facere. nam in quibus symptomata superuenientia citò accedunt, sunt breuiores, quam vbi tardè. Per Superuenientia intelligo signa Critica & Cruditatis. nam vbi cruditas in principio, & critica adsint, sunt breues, sed tamen lethales. & contra.

Ex his habetis tres fontes signorum, ex quibus cognoscitur febris longa & breuis: nam de quibus nuper dixi, sunt illa, quæ comprehenduntur a b Hipp. in quarto fonte, & sunt Superuenientia.

Superest quartus fons, Anni tempus, quo nomine Regio, Constitutio, Temperatura, AEtas, Habitus corporis, Sexus, & vitæ ratio comprehenditur.

Si febris accidat tempore anni calido, temperamento calido, ætate iuuenili: sexu virili, ætatę adolescentiæ exercitatis, habitu corporis raro, erit omnium breuissima: si res opposito modo se habeat, longissima. Hactenus igitur habetis signa longitudinis, ac breuitatis. *4. Anni tempus.*

Quantum ad Malignitatem, & Benignitatem, cognoscitur ex duobus fontibus signorum, qui pertinent ad superuenientia. Dixi Superuenientia, quæ sunt tria Critica; absolutè praua vel bona, coctionis, vel cruditatis. Malignæ, vel benignæ cognoscuntur ex duobus fontibus, ex ijs. quæ absolute mala, vel bona dicuntur, & quæ critica. *Signa malignitatis, & eius contrarij.*

Absolutè bona sunt, facilis spiratio, facile decubitum, ferre, mente constare, &c. quorum in 1. progn. alia plura proponuntur, oculos non esse concauos, &c.

Opposita sunt, absolutè praua: in sputo, si appareat liuidum, rubrum, valdè flauum, praua signa in vrinis, si sedimentum liuidum nigrum, turbulentum prauum. Si excrementa alui colliquatiua, admodum foetentia, praua: Si hęc appareant, omnino iudicant malignū morbum. Et contra.

Similiter Critica vbi in Principijs appareant cum virtute debili, semper malignitatem morbi demonstrant. & ꝓpterea vt heri dicebā in priuatis, Rigor in principijs febriū Ardentium est signū malignitatis 2. in 1. Epid. 75. & 2. epid. scribit Hip. decretoria in principijs non apparent, & quæ sequuntur. Ex his itaque cognoscetis breuitatem, & longitudinem, malignitatem, & benignitatem.

Quan-

Signa tẽporũ vniuersaliũ. Quantum modò ad Tempora vniuersalia; hæc cognoscuntur partim ex coctione, & cruditate. Tempus Cruditatis est tẽpus Principij; coctio rudis Augmẽti, perfecta Status, euacuatio excrementorum Declinationis.

Sed præter huiusmodi motum est alius desumptus ex Symptomatis febrium tam Pathognomonicis, quã Superuenientibus. Desumuntur etiam Signa ex circuituum incremẽtis, lib. 1. de cris. cap. 3. desumpsit ex 2. ep. 1. Oportet inquit Hipp. inspicere, vtrum accessiones anticipent, vel non: vtrum longiores, vel breuiores fiant; ex quibus cognoscuntur varia febris tempora.

Do exemplum. Si febris habeat accessiones anticipantes, si sit etiam longior, si habeat symptomata grauiora, certũ est signum augmenti.

Quando fiunt duæ, vel tres accessiones similes, sũt accessiones Status. Vbi õia incipiũt imminui, tẽpus declinationis, lib. 1. de cris. c. 3

Sed hæc regula desumpta ex circuitibus, & symptomatis quandoque fallit: quia dantur, quæ habent in vnica accessione Principium, Augmentum, & Statum, lib. 1. de cris. c. 3. Dantur etiam quædam, in quibus non adest accessio Status.

Signa particularĩũ tẽporum. Principij accessionis. Quantum ad Particularia Tempora, hæc describuntur ab Auic. fen 1. lib. 4. tr. 1. c. 4 & Gal. lib. 2. de diff. feb. c. vlt. lib. 3. de præs. ex puls. c. 7 principium accessionis cognoscitur primum quidem ex refrigeratione extremorum, & colore liuido, ex horrore, & rigore, ex lassitudine, inæqualitate, pandiculatione, oscitatione, frequenti expuitione, colore faciei, & labiorum pallido, & plumbeo, palpebris submissis, sopore, anxietate ventriculi, vrinis crudis, pulsibus paruis, inæqualib⁹ quãdoque frequentibus, si materia sit calida, & biliosa: quandoque raris, si frigida. Hæc omnia constituũt principium accessionis, quod vocant conflictationem.

Inæqualitatis. Inæqualitas cognoscitur ex pugna inter calorem externum, & frigus internum. |Et ego vnum experientia animaduerti tempus scilicet inæqualitatis in febribus biliosis absolui cum vomitione superueniente. non videbitis Vomitiones fieri circa principium accessionis: fit quidem nausea. Et ratio est: quia toto eo tempore calor naturalis pugnat cum materia noxia, vt antequam liberari possit à calore Externo, non potest expellere.

Incremẽti. Incrementum cognoscitur calore circa exteriora.

Status. Status vbi permanet, nec auget.

Declinationis. Declinatio, ubi incipit desinere. Hæc omnia, quæ diximus dicta sunt, ut tandem futurus morbi status cognoscatur, à quo præcognito prædici possunt tutò curare, & victum instituere.

Quod cùm verum sit, præcognoscere in febribus oportet, utrum futuræ breues, longæ, salutares, pernitiosæ, vtrum debeant solui

A per crisim, uel paulatinam digestionẽ, & tempore salutis, uel morbi, non possunt præcognosci absque statu: nam quantum ad longitudinem, & breuitatem, numquam habent finem, nisi status accedat.

Quantum ad salutem & mortem, cognitio pendet ex comparatione cum uiribus, & longitudine, & breuitate morbi. Nam & dicebat Galenus 3. de cris. 5. hæc tria in febribus consideranda, nunc comparantur, &c. *Quã sit necessaria status cognitio.*

In morbis hæc tria comparantur, ut morbo uires languidæ statui. Itaque non potestis scire, an aliquis superstes, nisi quæ longitudo, vel breuitas status.

Certò non potestis scire, num debeat iudicari per crisim, num per paulatinam digestionem solui. nam ubi status, citò per crisim, & contra.

B

Pariter non potestis scire tempus mortis, vel salutis: quia salus non aduenit ante Statum; nec mors, quia magna pars eorum, qui moriuntur, moriuntur in Statu.

Ex Statu pendet curatio. nam ut Hipp. 2. aph. 29. incipientibus morbis. si quid mouẽdum uidetur moue: in statu ait quiescẽdum. Itaque nisi præcognoscatis Statum, ignorabitis quando medicamenta administranda.

Oportet denique cognoscere Statum pro instituendo victu. Si propinquus, tenuissimo victu utendum. Et propterea Hipp. 1. aph. in morbis acutis statim tenuissimo uictu utendum. Res est difficilis & pulcherrima: propterea in seq. uersabimur in modo cognoscendi hunc futurum statũ, & simul sermo etiam erit de Prognosticis.

C

Nihil est in tota medicina, quod æquè gloriosum efficiat Medicum, ac futurorum præsagium. nam curatio dubia, & incerta plerumque, & ex uarijs causis pendet, & natura maximè curat. præsagium uerò solertis medici opus. nunc igitur in ea parte uersamur, primum de statu præcognoscendo, postea de morte, & salute.

Futurus morbi status necessariò, aut longus aut breuis est. longum intelligo, qui excedit diem vigesimum: Breuem, qui ad summum desinit vigesimo, sed sæpe etiam desinere potest 17. 4. 5. & 3. &c. *Quomodo futurus Status cognoscatur lõgus.*

D Statum longum certum est non posse præcognosci nec in prima, nec secunda hebdomada. *Signa status logi.*

Itaque prim. acut. secundo, aut tertio septenario nosse non futurum statum ante uigesimum.

Hæc satis prudenti Medico, & ad Curationem, & ad uictum. Quæritur unde hoc noscam, quando habiturus morbus Statum ante 20. Resp. ex idea morbi, & magnitudine, motu, anni tempore, & ex superuenientibus.

Ideæ. Ex his patet, an morbus non sit habiturus statum ante 20. Ex Idea. nam si Quartana, aut Quotidiana, aut Semitertiana, aut febris ex inflãmatione spuria, aut suppurante, certum

est

est finem non habere hos morbos ante 20.

Magnitudo. Ex Magnitudine; si Pathogn. symptomata praua.

Motus. Ex Motu; si accessiones vna eademq; hora permanentes, aut tardantes, aut progredientes æqualiter, aut principaliter, & incrementum longum habentes.

Tempus. Ex Anni tẽpore: si hiemale tempus fœcundũ, ætas, corpus, habitus dẽsus, victus crassus.

Ex superuenientibus; si praua ea non sint, sed potiùs quasi bona quædam (praua sunt 2. progn. facies mutata statim à statu naturali, nares acutæ, oculi collapsi: hæc Statum ostendunt futurum) nam hæc ostendunt morbum producendum.

Vnde Hippocrates Rigoris in sexta iudiciũ difficile, & Sudor frigidus longitudinẽ morbi notat, & 2. progn. hoc vltimum etiam dicit quidem 2. aph. 28. Corpus nihil, aut multum contabescere, vtrumque malum. Pariter 4. aphor. si abscessus, qui ad primas accessiones non iudicant, longitudinem significat.

Loquitur de huiusmodi abscessibus factis tempore cruditatis, quæ propterea non soluunt febrem: & propterea etiam 56. aph. dicit: sudor non deficiente febre malus, prorogatur enim.

Denique omnes Excretiones, quæ fiunt cum virtute valida tempore cruditatis, & morbi, febre non admodum acuta, semper significant morbi longitudinem, & Statum remotum.

Ex cruditate; propterea vbi color albus in vrinis, substantia tenuis, nullum sedimentũ, vel id crassum vt farina, necessariò significat longitudinem status 4. progn. tex. 28. & c. 7. aph. 31. scribit vtrobique in eandem sententiam, vrinas in febribus sedimenti crassioris farinam referentes longum fore morbum significare.

Itaque satis vobis erit in huiusmodi morbis longis obseruare Statum, ut deinceps in Declinatione vrinam. nam si coctio in hac appareat; prædicetis statum futurum septenario die.

Ergo si coctio appareat vigesimo quarto die, prædicetis statum in 31. si appareat in 27 in 34.

Si in 33. in 40. transacta 40. die, non amplius septenario prædicendus status, sed per vigesimum: vnde qui non iudicantur quadragesimo, solent iudicari sexagesimo, & qui non sexagesimo, octuagesimo, &c.

Signa futuri status breuis in genere. Quod si Status futurus sit breuis (nomine breuis status intelligo eum, qui non transit diem 20.) oportet primum intelligere, quibus signis cognoscatur status futurus breuis absolutè in genere: Deinde quomodo futurum scias statum in quarto, septimo, nono, vndecimo, decimo quarto, decimoseptimo, vigesimo.

Vniuersaliter cognoscetis non posse Statum transire 20. respicientes ad ideam, ma-A gnitudinem, & motum.

Nam si febris sit synochus, vel biliosa, cõtinua, ardens, vel proportionata, vel fiet ex legitima inflammatione, vel ex Erysipelate, omnes istæ numquam transeunt in 20. Certiores eritis, si huiusmodi morbi habeant Signa pathognomonica magna, vt sint velocis motus, anticipantes.

Sed quia non satis est, nouisse statum sic vniuersaliter, sed etiam num futurus in 4. 7. 11. audiatis modum.

Desumitur primò modus ex speciali natura, & idea ipsius morbi.

Dantur quidam morbi, qui de sua natura vocantur exactè peracuti, si desinunt in quarto, uel ante in secundo die, ut sunt Angina, B Apoplexia, Spasmus, ex inanitione; & etiam Epilepsia in his Status non transit quartum diem, sed citiùs sæpe incidit.

Sed quia rari sunt isti morbi, qui ex propria natura non transeunt quartum, multi qui iudicantur varijs temporibus, quidam in 4. 7. 9. 14. 17 &c. vt Pleuritis, Peripneumonia, inflammatio pectoris, iecoris, oris ventriculi, febres omnes Ardentes, Synochi, &c. quæ iudicantur intra vigesimum, sed varijs modis. Quæ cognoscuntur ex idea, magnitudine, uelocitate motus cum temporibus, & superuenientibus. Itaque cùm isti morbi ex propria natura non desinunt in quarta, sed citius, uel tardius, ut cognoscatis, oportet attendere alios fontes magnitudinis, uelocitatis, & su-C perueni̇entium.

Si habent Signa Pathognomonica maxima primo die, uelocissimè moueantur & anticipent, Principio, & Augmento breuissimo, unus tantum sit status, regio, tempusq; calidum. Profectò necessarium est hunc morbum habere Statum in quarta.

Verùm quoniam in quarta desinit ad salutem, uel ad mortẽ, ut cognoscatis, oportet, ut semper respiciatis ad superuenientia: quæ sunt tria, absolutè praua, uel bona; critica; & coctionis, uel cruditatis.

Nam si huiusmodi morbus habeat statim signa praua, & critica in tempore cruditatis, erit lethalis.

Si non, imo habeat coctionem & cũ hac D appareat signum coctionis, desinit in quarta ad salutem, vt Hipp. 3. progn. T. 2. febres, inquit, simplicissimæ, ac signis confirmatæ securissimis, desinunt in quarta, uel ante quartum. Quid putatis eum intelligere per signa securissima? non febres paruas, sed uehementes, quoad symptomata, sed cum signis securissimis, coctionis scil. & defectu signorum paruorum, & excretionis signis. contra, ubi signa praua, deficit coctio, & adsit cruditas, desinet in 4. uel ante, ad mortem.

Quod dico de quarta, dico etiam de 7. 11. & 14. Si incipiat morbus, qui uideatur non usque adeò uehemens, sed in quarta habeat summam uehementiam, & in hac ostendat

signum

signum aliquod coctionis, necessarium est statum fieri in septima. nam proportio quartæ ad septimam est quasi primæ ad 4. & 17. ad 20.

Sicuti igitur febres illę desinunt in quarta, quæ velocem habent motum eumq; primo die: quæ in 4. mouentur cum his signis desinunt in 7: quæ in 7. habebunt hæc signa vehementissima, desinunt in 11.

Quæ in 11. 14. eadē semper est proportio.

Sed contrario modo vbi huiusmodi signa omnia non conspirant, alia est ratio. iudiciū nō fit per quaternarios, sed per septenarios, Exempli gratia, in principio febris non sit cū maximis symptomatis, vt pleuritis primo dię habeat, quidem tussim, febrem, dolorem lateris, difficultatem spirandi, sed non ita vehementia vt in prima hypothesi, sint in secunda hypothesi remissiora.

B

Pariter motus non tam velox, tempus non feruidum, nec regio, nec constitutio, ætas nō ita iuuentilis, corpus deditum crapulæ, otio; necessarium est vt status vltra quartum progrediatur: & si non coctio in excrementis ad 11.14. si coctio appareat saltem, desinere in 7.11.

Quod melius cognoscetis si consideretis tempus, in quo coctio incipiat apparere: Nā si sputum incipiat in quarto, & omnia moderata, definit in 14: si in 7. & omnia mitia, peruenit ad 20.

Si omnia gratia, terminus erit breuior.

Itaque proposui modum cognoscendi statum per 4. septenarios in illis, qui sunt euasuri.

C

Vnicum notandum, desumi hunc statum potissimum ex coctione.

Ex triplici excremēto apparet coctio, & cruditas.

Quæat quis, quę sint ista signa coctioni? huiusmodi coctio debet inspici in triplici excrementorum genere pro varietate morborum, quibus vexantur humana corpora. nam vnicum excrementum non sufficit.

Affectus thoracis, siue sit Pleuritis, siue peripneumonia, non cognoscuntur ex vrinis aut alui excrementis. Coctio igitur in his quidnam est?

In sputaminibus sunt primum: Si sputum quamprimum appareat. toto enim eo tempore quo non apparet, morbus est crudus: aliud, vt sputum habeat aliquam admistionē humoris, qui efficit necessario pleuritim, uel peripneumoniam. Et propterea si Pleuritis sit Sanguinea, oportet, vt habeat admistionē sanguinis: Si biliosa, bilis: Si absque mistione, cruda. Hippoc. 2. progn. 45. expuitionem candidam, & rotūdam nullius dicit esse fructus: ratio est, quia vt dicit Gal. in com. non excernitur ex loco inflammato.

D

Vrina signū coctionis, & cruditatis.

Quantum ad vrinas, vrinæ ipsæ quoque ostendunt aliqua rudimenta coctionis: Si sint bene coloratæ; si habeant aliquod contentum: si adsint omnia, quæ iudicant morbum, morbus iam instat lib. 3. de cris. capit 4.

A sed vbi debet fieri præsagium futuri status conditio est, vt ex cruda fiat melius colorata, & vt bonum sedimentum sit: bonum autem sedimentum est album, leue, & æquale, sed quandoque etiam rubrum, vt Hipp. 4. aphor. 71. scribit; *quibus iudicata in septima futura est, his 4. die rubram nubeculam apparere oportet.* Vult rubram nubeculam esse signū sufficiens, quando appareat in 4.

Est locus difficilis.

Nam idem 2. progn. T. 27. loquens de huiusmodi vrina, quæ habet sedimentum subrubrum, inquit significare longitudinem morbi.

Gal. vidit hanc contradictionem, & vt soluat, inquit in Aphorismis voluisse notare id, quod ratiò contingit.

Sed ego aliter existimo conciliandum Hippocratem. nam 2. progn. T. 27. loquitur de subrubro sedimento in 4. aphor. 71. non de subrubro, sed de rubro; quæ differunt apud me.

Subrubrum sedimentum com. 27. 2. prog. est indicium sanguinis inconfecti, imperfecti, ichorosi: ruber autem color perfecti sanguinis, beneq; confecti: Si igitur subrubrū, consequenter indicat debilitatem caloris, & longos morbos: Si rubrum sedimentum, indicat signum perfectum.

Propterea rectè Hipp. inquit, in morituris aliter se habet res, & prædici potest status in his signis.

Si in morbo ex sua natura, veloci, maximo. velocis motus, anno calido, primo ipso die superueniant praua symptomata, & signa sint cruditatis, ipse certò est moriturus in quarta: vbi verò aliqua adsint, aliqua nō, aduertatis, non conferatis multa signa cum multis, & credatis illum esse moriturum, qui habeat plura signa: non ille moriturus est, qui habet vnum signum, sed cęteris pernitiosius ille seruabitur, qui habet signum fortius bonum.

Exemplum. Peripneumonicus habeat tussim, oculos concauos, deliret, sputum prauum, & si uires constant, plus possunt, quam omnia signa proposita praua: propterea Galenus lib. 10. meth. cap. 9 in Peripneumonia, & Pleuritide unica salus est virium robur, licet signa Pathognomonica sint omnia mala, quia potest suppurari: è conuerso sint omnia bona, & virtus vitalis prostrata, & languida, status est ad mortem, si vires mediocres, oportet conferre signa cruditatis, & praua inter se.

Propterea Hippocrat. 2. progn. 58. loquēs de inflammationibus thoracis, inquit, si omnia signa sint praua, moriuntur in 11. in 14: vbi secus, moriuntur quidem, sed post hoc tempus.

De Prognosticis in genere. Et primùm de præsagio futuræ Mortis, & Salutis. Cap. XVII.

CVm futuri status præcognitio non per se, sed per futurorum cognitionem, & curationem sit expetenda.

Idcirco in presentia de huiusmodi futurorum presagio verba sunt facienda. In posterum autem de curatione.

Futura, quę à Medico in febribus quærun tur, tria sunt: euentus patientis bonus, vel malus, vel ad salutem, vel ad interitum.

Modus, vel salutis, vel mortis: deniq; eiusdem; uel salutis, uel mortis.

Versabor primò in signis futuri euentus uel boni uel mali: tum de modo, mox de tẽpore.

Signa ex sententia Gal. lib. 3. de cris. cap. 4 desumuntur potissimùm ex idea morbi, magnitudine, & ex more. Sed domini, ne frustra tempus teramus; Idea, & Magnitudo minimam habet partem, illamq; usque adeò incertam, ut non sit fidendũ. Ratio: quia quantum ad ideam, & si Ardens Synochus, Pleuritis, Peripneumonia uidentur ex propria natura periculosi, non sunt tamen ex sua natura pernitiosi: Propterea non valet consequẽtia; Idea huius morbi est morbi periculosi; Ergo morbus tendit ad mortem sicut nec hęc: febris est ex propria natura salutaris: Ergo tendet necessario ad salutem. quia aliquando in intermittentibus circa principium moriuntur ægrotantes, quod docuit Gal. lib. 3. de ps. ex puls. c. 7. Et ego semel obseruaui: Itaque idea nil concludit, nulla certitudo.

Aliquę tamen pariter incertæ ex magnitudine: neque hoc negauit Galenus, qui lib. 3. de cris. c. 4. inquit, plerumque dari morbos magnos primo aspectu placidos, qui tamen interficiunt, & dari primo aspectu absq; vllo periculo: contra mites, qui tamẽ interficiũt: Itaque nõ dicendum, est magna, ergo interficiet: est parua: Ergo seruabit; falsa est consequentia. Ergo signa certa, ex quibus certò prædicitur salus, uel mors, desumuntur ex superuenientibus, quæ sunt in triplici differentia: absolutè praua, uel bona; critica; coctionis, & cruditatis. Adhęc tria signorũ genera respicientes poteritis certò prædicere, an seruandus, an interiturus sit æger. Si enim huiusmodi morbus nulla habeat superuenientia praua, appareat coctio critica tempore coctionis, erit salutaris.

Signa boni, vel mali euẽtus desumuntur ex superuenientibus.

Signa coctionis 2. progn. longo sermone docentur, ut quæ sunt sputamina concocta, &c. Itaque morbus talis ad salutem necessario tendit.

Erit lethalis, qui habuerit hæc superueniẽtia opposita, sit maximus, periculosus, habeatq; superuenientia praua, critica importunè apparentia, morbusque crudus, necessario interibit.

Praua signa.

Sed quia pollicitus sum, me explicaturũ, quæ sint praua signa, dẽ his breuitèr. Explicantur ab Hip. præcipuè 1. & 2. progn. 2. aph. & etiam nonnulla in 4. plura in 4. præcog. prænot. & coacis.

A

Rediguntur omnia ad tres præcipuos fontes; Primus complectitur læsas Actiones. Secundus Excrementa mutata. Tertius Qualitates corporis mutatas.

Actiones læsæ.

Quod pertinet ad Actiones, quia distribuũtur in Animales, Vitales, & Naturales. Idcirco symptomata praua, alia pertinent ad actionẽ aĩalem, alia ad uitalem, alia ad naturalem.

Et quia rursus actiones animales subdiuiduntur in principes, Motiuas, uel Sensitiuas, pari ratione etiam symptomata ad has referenda.

B

Læsæ actio functionum animaliũ principiũ

Quantum ad Principes, prauum signum; obliuio, delirium. Si quis non tantum obliuiscatur pręteritorum, sed aliquando ętiam eorum, quæ præsentia sunt, offescil. in ore, matulæ vt mingat, est obliuio magni momẽti de qua Hipp. in 1. prorrh. 30. Ignorantia cum rigore malum: malum & obliuio: Delirium quoque periculosum, sed illud magis, quod est cum rixa, quam quod cum risu.

Vnum notandum, quod cùm Hipp. 1. in 3. prorrhet. 26. scribit in phreniticis frequẽtes permutationes malæ sunt; inquit Gal. in com. per permutationem non Hipp. intelligere permutationes symptomatum vnius loci, ad symptomata alterius loci, vt scil. fiat primo phrenitis, deinde conuulsio, postea difficultas spirandi, sed intelligere permutationẽ specierum delirij, quando scil. phreniticus, & delirans primò delirat cum risu, deinde cum rixa, cum studio, quæ permutatio est multò deterior.

C

Motiuarum.

Quantum ad motiuas, pernitiosa sunt signa, si in febribus acutis superueniat tremor manuum; conuulsio totius corporis; & partium determinatarum, palpebræ oculi, mandibulæ, dentis, pessima, & lethalis est ægritudo, & eò deteriores sunt, quando febribus superuenerint. nam contrarium ex 2. aphor. 1. melius est.

In huiusmodi parte, quę ad motum pertinet, continetur etiam decubitus patientis, si decumbat supinus, pronus in latus oppositum, habeat crura distenta, nimium reducta inquietusque modo decumbat ad pedes, modo in aliam partem, &c. omnia pernitiosa.

D

Sensitiuarum.

Quantum ad sensitiuas actiones. Si sermo sit de Sensu Communi, malum est, patiẽtem non percipere suos dolores, & suũ morbum.

Pariter, ad sensum communem pertinet Somnus, & Vigilia, si interdiu dormiat, noctu non, malum: Si nihil quis, aut semper dormiat, deterrimum.

Ex doloribus; si dolores sint perseuerãtes cum febrib⁹ acutis, malum, ex 4. aphor. 66.

Læsio actionum vitalium

Quantum ad sensus particulares; si non videat, audiat, gustum amittat deterrimum.

Quantum ad Actiones Vitales, sunt respiratio

ratio Pulsus; deterrimum, si Respiratio adsit frequens, celeris, inæqualis, aut insuetam cōtineat in acutis febribus inæqualitatem. Est enim indicium Delirij, & Conuulsionis. Pariter si Respiratio sit frigida, fœtida, est omnium deterrima.

Pulsus parui, celeres, frequentes, inæquales, minuti, deficientes, decurtati, &c. omnes isti sunt pessimi.

Naturalium. Quod ad Naturales Actiones, obseruanda potissimum actio Oris ventriculi. Propterea si siti inexplebili tententur, amiserint prorsus appetentiam; si Nausea perpetua, & Vomitione uexentur, & Singultu, omnia mala sunt. Et hactenus de actionibus.

2 *Extremēta.* Quantum ad Excrementa, legatis Hipp. 2. Progn. vbi de his uerba facit. Siue enim sint sputamina, siue urinæ, siue alui excrementa, si prauos obtineant colores, si habeant colliquationes, si nimium liquida, cum maximo fætore: urinæ admodum turbidæ, & crassæ; omnia mala, & exitialia.

3 *Qualitates mutatæ.* Quod ad Qualitates mutatas: si Oculi multum mutentur à naturali statu, sint concaui, unus maior altero, sine splēdore, ubi nimium rubēt, præcipuè album oculorum repletum nimio sanguine; ubi lacrymantur, sordeq; apparent, sunt signa pessima.

Similiter Nares acutas fieri; Aures admodum exsiccatas, tempora collapsa, facies mutata, Hippocratica, omnia exitialia. Pessimū quinetiam est uentre, costitq; calentibus, 2. Progn. 5 extrema esse frigida. Itaque hæc sunt præcipua capita Signorum, quæ praua nuncupantur. & si apparent, malum ægri statum significant.

Critica. Quantum ad Critica; ea sunt in duplici differentia. Quædam Signa tantùm; quædam Signa, & Caussæ.

Signum tantum, Difficilis spiratio, Delirium, Lacrymæ inuoluntariæ, Vertigo tenebrosa, Morsus oris uentriculi, Inquietudo, Vigiliæ, &c. teste Gal. lib. 3. de cris. cap. 2.

Signa & caussæ sunt, sudores, vomitiones, fluxus narium, alui excretiones, sputamina, fluxus mensium, &c.

Vbi itaque apparuerint Critica, quæ tantū sint Signa, & appareant extra tempus coctionis, connumerantur inter praua. Si appareant tempore coctionis, non oportet arbitrari, hunc morbum lethalem: quibus iudicatio futura est, illis nox, quæ præcedit, grauis est. Hipp. 2. Aph. Si sunt signa, quæ uidentur esse praua, inquit, Galen. in com. & lib. 3. de cris. cap. 4.

Quantum ad Critica, quæ sunt Signa, & Caussæ, aduertite. Est dubium, utrum signa illa critica, signa & caussæ, si appareāt in tempore morbi adhuc non concocti, sint necessariò perniciosa; an salutem polliceantur? Quod mortem semper significent, Gal. tot locis & apertis uerbis asserit, ut nemo fortassis alteram sententiam ausit tueri. Dixi Hip.

A 2. in 1. epid. tex. 45. concoctiones celeritatem portendunt iudicij, securitatemque salubrē. & tex. 46. cruda uero, & inconcocta, atque in malos abscessus conuersa, aut acrisias, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas. Ex quo loco sumpsit Gal. hanc generalem propositionem; omnes excretiones, quæ fiunt tempore cruditatis, vel mortem, uel acrisiam significare.

Præterea 4. aph. com. 23. inquit Galenus, quæ in principijs excernuntur, numquam ex naturæ ratione excernuntur; & lib. 1. de cris. c. 7. dicebat, omnes has excretiones apparētes in tempore cruditatis prauū signum esse. *Quod quædam excretiones extra tēpus coctionis sīt bonæ.*

B His non obstantibus, legite tertium meum librum de Phœnigmis, (qui est vltimus horum operum) in quo fusè habebitis hanc disputationem. Nunc breuibus dico: non in omnib⁹ morbis, nec semper, huiusmodi excretiones esse improbandas, sed aliquando esse vtiles: prout vnicam adducam rationem, & duo, vel tria loca.

Ratio talis est: Materia turgens est à principio, nulla exspectata coctione, purganda: Ergo natura etiam aliquam excretionem potest moliri tempore cruditatis. Antecedens est ex 4. aph. 10. ubi scribit Hip. *Purgare oportet in valdè acutis, si humor turget eadem die. Morari enim in talibus, est malum.* Consequentia est manifestissima. Si materia turgens arte potest utiliter euacuari in principio, cur C non etiam natura? Veritatem hanc vidit Gal. lib. 3. de cris. c. 6. dum inquit, fieri crises in statu, non ante, quando morbus non admodum magnus, nec admodum uelox; sed inquit, si contingat morbum esse ualdè acutum, fiunt crises non tantùm in Statu, sed etiam Augmento, & Principio.

Fateor crises, quæ fiunt in Statu, esse omnium absolutissimas; sed dico cum Gal. illas tamen, quæ fiunt in Principio, non esse omnes malas. Propterea idem 1. in 1. Prorrhet. 12 ubi scribit Hipp. *in phreniticis à principio clementer habere, sed credò permutari malum*, id est, mala quoque, & frequens sputatio inquit in com. Dixit Hipp. in principio clementer habere, sed permutari. quia aliter forsitan Fieri nō potest in huiusmodi morbis perniciosis. D non dicit in omnibus, sed in his, qui ex praua, & multa humorum copia oriuntur, quando humores in aliam alias partē, interdū quidem in principem, interdum verò in nō principem transmigrent, quā ut habeant eiusmodi permutationes in principijs. Sed aliter fieri nō pōt in ipsis morbis ex prauis humoribus. Ergo hmōi permutationes in principio sunt utiles, præcipuè quando fiunt à loco nobili ad ignobilem; tunc enim docet nos, quid sit agendum: Oportet adiuuare naturam. nam quo natura urget, eo ducendum, scribit Hippoc. sect. 1. aph. 21. Itaque etiam in Principijs morborum fiunt excretiones huiusmodi utiles.

Secundus locus est 1. aph. 12. vbi Hippoc. inquit: *in pleuritide est signum breuitatis, si sputum statim appareat.* Ego quærerem caussam. Gal. vidit hoc dubium in si. com. & inquit, rationem esse, quia in huiusmodi sputaminib' apparet concoctio: Videtur aliquid dicere, sed nihil. Hipp. enim non inquit, cùm sputum apparet, debere esse concoctum. Sed inquit; si statim apparet, esse signũ breuitatis. Itaque à Pari dicam: Igitur etiam alia excrementa ex locis patientibus expurgari, dum patiens ferat, erunt signa bona, vt testatur Hippoc. 4. aph. 2. in hoc casu excretio sẽper vtilis. Propterea nõ est, vt dicam, sputum esse bonum in principio, quia concoctum, sed quia ducitur ex loco inflammato. vide in com. Omnes inflammationes, quæ non teguntur operculo duriore, emittunt materiam. Hic ego peto, vtrum melius sit humorem hunc excerni, quam retineri? Gal. dicit melius esse excerni. Itaque si in principijs apparent excretiones, si retinerentur, obessent.

Quod dico de criticis, dico etiam de Signis Coctionis.

De Signis Modi futuræ Mortis, & salutis: Quomodò sci licet æger sit moriturus, aut euasurus. Cap. XVIII.

TRia, vt dicebam, in singulis febribus veniunt prædicanda; salus, aut mors; modus salutis, aut mortis; tempus eiusdem salutis, aut mortis. De futuræ salutis, aut mortis præsagio dictum est, succedit tractatus de Signis Modi, & Temporis.

Signa modi mortis, & salutis in genere. Quantum ad modum pertinet; consideratur in genere, & specie. In genere hoc tantùm considerare, & præcognoscere oportet, cùm sint varij modi salutis, & mortis, quis modus locum sit habiturus.

Quod igitur ad primum, cognoscetis, num febris debeat desinere Per, an Absque crisi, ad quattuor respicientes. Ideam scilicet magnitudinem, Modum, & Tẽpus anni. Vbi febris sit producta ab humoribus calidis, siue ardens, synochus & erysipelas, inflammatio legitima, adsit magnitudo symptomatum, moueatur velocissimè, sit anni tempus calidum, constitutio, & regio, ætas iuuenilis, semper desinet cum crisi. Contra, quæ ortum ducit ex frigidis humoribus, sit parua, tardè moueatur, anni tempore frigido, constitutione fridiga, ætate senili, temperamento frigido. virib' imbecillis, nunquam habebit crisim, sed paulatim soluetur. Trãseo modò ad modos particulares.

Signa modi salutis in specie. Modi particulares salutis ex sententia Gal. lib. 3. de cris. c. 7. sunt tres: aut enim patiens subitò ad sanitatem tendit cum crisi perfecta: aut habet quidem crisim, sed imperfectam, post quam morbus fit minor, non tamen ex toto tollitur: tertius est in illis, qui seruantur absque vlla crisi, sed soluitur morbus marcescẽtibus, & deficientib' illius virib'

Modi mortis. Modi mortis loc. cit. sunt quattuor. Primus eorum, qui intereunt cum crisi: quæ statim, ac subito patientem necat. Reperiuntur febres, quæ ita sunt graues, vt licet crisis ingrediatur, statim interficiant. 1

Secundus, qui habent crises imperfectas, in quibus patiens non statim interficitur, sed post crisim ita fit debilis, vt post aliquot dies moriatur. est mutatio ad peius. 2

Tertius modus est per paulatinam resolutionem virium, respondet tertio modo salutis. paulatim deficiunt. 3

Quartus est eorum, qui moriuntur statim subitò, sed absque crisi nec perfecta, nec imperfecta. Differt à priori, quia in illo moriuntur cum aliqua crisi, hic non. Præter hos quattuor modos ego aliũ inueni apud Gal. & Hip. est permutatio morbi in alium morbum deteriorem. In quo casu nõ moriuntur statim; non fit crisis imperfecta; ex qua morbus tendat ad deterius, nõ soluitur paulatim, sed morbus grauis deferẽ ad locum nobiliorẽ. Hip. 7. aph. 11. & 12. à Pleuritide peripneumonia, & à peripneumonia phrenitis, malũ. 4

De his permutationibus 1. in 1. prorrhet. 12. quando scribit Hip. in phreniticis in principio clementer habere, sed permutari, malum. Inquit Gal. malũ, fieri permutationem a loco ignobili ad nobiliorem. Est quintus modus mortis.

Signa modi futuræ salutis. His stantibus modis, quæruntur signa modi salutis, & mortis. Cognoscetis salutem futurã cum Crisi Perfecta, si respicietis ad ideã, magnitudinem, motum, tempus anni, & superuenientia omnia. Febris ex sua natura cada, non tamen vsque adeò magna, nec velocis motus sine prauis signis fit. absque his, cù concoctio habeat aliquam diem quæ præindicat diem ipsius crisis prænuncietur crisis, ab alio die indicatorio; in die verò indicatorio cum signis coctionis, & proportionata ipsi morbo. Exempli gratia, in affectib' pulmonis, si fiat euacuatio per sudores, sanguinẽ ex naribus, crisis est proportionata morbo. Plura lib. 3. de cris. c. 3. nã ibi habet omnes modos, itaque vbi adsunt hæc signa, desinit febris per crisim subitam statim ad salutem: si aliquæ ex his deficiant, crisis erit imperfecta.

Quando dico aliqua deficere, non putetis me tantum intelligere febrem, exempli gratia, esse spuriam, minimè velociter moueri: imo res opposito modo se habet, lib. 3. de cris. c. 6. quia huiusmodi crises imperfectæ irritantur a caussa aliqua vehemente, fier crisis imperfecta; si accedat magnitudo, & velocitas, ad salutem; si vires constant, nec adsunt praua symptomata, morbus soluetur absque crisi. Si febris fit ab humoribus frigidis parua, vires sint robustæ absque grauibus symptomatis.

Signa modi mortis. Quantum ad signa Modi mortis; cognoscetis futuram mortem cum crisi respiciendo

do,ad ideam,magnitudinem,motum febris, Symptomata superuenientiaque omnia.

Signa modi mortis Si febris sit calidissima cum maximis symptomatis pathognomonicis, velocis motus, prauis superuenientibus, fiet quidem aliqua crisis,sed moriūtur in crisi.quia ratione ideæ magnitudinis, & velocitatis,necessarium est fieri crisim: sed quia praua sunt symptomata, desinet cum crisi lethali.

Si febris talis sit calida, & velociter moueatur, vires non admodum infirmæ, symptomata praua non adsint omnia, aut quæ adsunt,sint moderata; in tali casu fiet crisis imperfecta,quæ tamen tendet ad interitum,potissimùm si cruditas adsit.

Cognoscetis autem febrem, quæ debet absque crisi desinere ad mortem. Exempli gratia, incipiat Febris Ardēs, & desinat absque crisi in febrem hecticam, magna ex parte tendunt ad interitum, marcentib⁹ viribus.

De signis permutationum nihil certi adferri pōt. Signa enim habentur tantù,quando presens est permutatio,non quando futura.Propterea si videatis symptomata permutari ita vt ex dolore lateris cum tussi deficiat dolor lateris,& incipiat lędi respiratio,magis certi eritis ex pleuritide in peripneumoniā dolorem factum: pariter si ex peripneumonia superueniat delirium, in phrenitum.

Hic locus postularet, vt etiam docerē vos particulares crisis modos,qui fiunt per effluxum, aut decubitum.

Signa crisis per effluxū. Quæ fiunt per Effluxum, sunt; variæ per effusionem sanguinis narium,menses,vomitum,vrinas,alui deiectiones,sudores. Breuibus dicam aliqua de hac re.

Crisis per effluxum cognoscitur potissimùm ex idea, magnitudine, & motu febris. vbi febres fiunt ex humoribus calidissimis, sit cum pathognomonicis symptomatibus, velocis motus, sint vires vitales constantes, crisis magna ex parte fit per effluxum. Dico magna ex parte.Quia aliquando etiam fiunt per Abscessus, sed non quoscunque, sed per abscessum,quem vocāt propriè Parotidem.

Hanc ueritatem excipio ex Gal. 2.progn. 34.4.aph.74.& Hipp.3.progn.70. & 72.& ratio,quia parotides fiunt, uel post inflammationes cerebri,vel in febribus continuis continentibus,ardentissimis. In inflammationibus cerebri natura attrahit materiā post aures:in febribus humores tamquam calidi petunt superiores partes:proptérea aliquando fit crisis per fluxum sanguinis narium:aliquādo ascendit post aures, & facit parotida.

In morbis frigidis uelocis motus, viribus non constantib⁹ fiunt crises, ut Gal.2.progn. 23.dicit, ad faciēdos abscessus,uel humores sunt frigidi, & uirtus ualida,uel humores sūt calidi, & uirtus imbecillis. Sed aduertatis, quòd in febrib⁹ uelocis motus casus sit, apud Hip.3.in 1.epid.tex.29.ubi inquit,quidā calescēs cœnauit, & potauit largiùs, uomuit

A cuncta, &c. & est casus Clematidis, qui iudicatus est 80 per sudores:itaque etiam per effluxū. sed rarò hoc fit; sæpiùs per Abscessus.

Postea,si sermo sit de crisib⁹ per effluxum, cognoscetis partim ex natura morbi, symptomatis,pulsibus,Explico. Ex natura morbi, qa Gal.lib.3.de cris. c.3. proponit omnes morbos,quib⁹ ꝓpriè cōuenit crisis. Exempli gratia, pleuritis iudicat,vel sudore, vel fluxu narium;omnes febres per sudores. loc. cit.

Quantum ad Symptomata, similiter cognoscetis. Exempli gratia: fluxurum sanguinem ex naribus,si oculi lacrymentur absque caussa: si splendores ante oculos appareant ex capitis grauitate,& pruritu narium.

B Vomitus cognoscitur motu oris ventriculi, tremore labij, anxietate, &c.

Quantum ad Pulsus; ex Pulsibus cognoscetis futuram crisim. Nam magnus semper significat excretionem sanguinis; undosus excretionem per sudores;parui,sed inæquales excretionem per partes internas; in quo casu postea oportet, ut attendatis signa illarum partium.

De Signis Temporis Salutis, & Mortis; quando scilicet æger sit euasurus, aut moriturus. Cap. XIX.

QVantum modò ad tempus salutis, & mortis, hoc est,uniuersale, & particulare. C Vniuersale, uel Principium, uel augmentum, uel Status, uel Declinatio. Particulare, dies, horæ, &c.

Quantum ad uniuersale;si sermo sit de saluandis per crisim perfectam, dico tempus aduenientis salutis per crisim perfectam esse semper tempus Status.ut Gal.lib.3.de cris. c.6.docet.Omnis crisis perfecta aduenit tempore status. Igitur tempus solutionis,etiam huius morbi erit Status. lib.3. de cris.cap.9. In morbis autem, qui habent crises imperfectas, tempus iudicationis est aliquandò Status, aliquando Declinatio. *Signa temporis salutis in genere.*

Ego addo, & uidetur Paradoxon, esse aliquādo tempus Augmenti. Et hoc probabo. Est Status in illis febribus,quę,habent quidē inclinationem ad melius, sed non possunt iu D dicari nisi superueniat alia crisis.Exempla 3. in 1.epid.& 1.in 3. habetis, ibi duo ægrotantes habuere multas crises, & tamen iudicati sunt.

In alijs tempus huius salutis est Declinatio;quādo scil.febres,quæ habent crisim imperfectam, leues reddantur, ut non egeant alia crisi. Ego addo Paradoxum; aliqñ Statū in Augmēto hēre suū iudiciū ad salutē. Veritas patet ex ꝑcedenti lectione.Nā qui admittit fieri excretiones utiles, ēt in tpe nō perfectę coctionis,ēt hoc admittet. Sed inueni locū pulcherrimū, li.scil.de cris.c.5. vbi loquit Gal.de hmōi crisibus.Primò inquit,has sæpe munari malum.Sed subiungit,si febres nō ad

modum periculosæ, inquit, tria sequuntur. Primò, quod recidiuam faciant: Secundò, quod iudicantur imperfectò: Tertiò, quod iudicantur cum grauissimis symptomatibus. Proponit tres modos inter se distinctos, secundum quas febres huiusmodi solent iudicari per crisim imperfectam: tertius ad rem nostram facit. Dantur enim morbi, qui ducunt patientem ad crisin in Augmento.

Signa temporis mortis. Quantum modò ad Tempus mortis; potest esse Principium, Augmentum, & Status, Declinatio verò numquam.

Potest esse principium in illis morbis, qui statim ad interitum tendunt absque crisi. vt docuit Gal. in morbis, qui desinunt ad mortem subitam, sed cum crisi.

In Augmento, & Statu mors rarissimè succedit; si loquimur de vero Statu, sed si pugna assumitur pro statu, potest.

Quantum ad declinationem, inquit neminem interire. Ratio; nam hoc tempus est tempus expulsionis humorum post perfectam coctionem. Sed aduertatis, dari Declinationes fictas decipientes, vt posuit Gal. exemplum 1. in 3. epid. 1. in casu Hermocratis. Istæ declinationes sunt fictitiæ: in veris nemo moritur, si loquamur de vniuersalibus.

Signa temporis particularis mortis. Quantum ad Tempora Particularia; moriuntur patientes in illo die, in quo deteriùs habent, in quo crisis solet superuenire. Exempli gratia; si morbus habeat Accessionem, moriuntur illo die, in quo accessio grauior inuadit: Si non, in alio die iudicatorio, dummodo vires sustinere possint, nam alias moriuntur in Principio.

Quantum vero ad Horas: si morbi interficiant ex suffocatione, moriũtur in Principio, vel augmento accessionis (interficit per resolutionem, aut suffocationem virium; per suffocationem, inflammationem: per resolutionem, venenati.) Si ex suffocatione, hora mortis erit in principio accessionis; si ex resolutione, moriuntur potiùs in declinatione.

Breuis Repetitio eorum omnium, quæ de Signis, & Prognosticis dicta sunt.
Cap. XX.

QVæcumque hactenus de Putridarum Signis a nobis dicta sunt, in præsentia breuissimè repetemus, & quasi in compendium redigemus.

Putridæ igitur febres, quatenus putridæ sunt, cognoscuntur, vt dixi, ex signis febres antecedentibus, ex Pathognomonicis, & ex Superuenientibus.

Præcedentia sunt Actiones, Excrementa, & Qualitates mutatæ à naturali statu. Et ideò ubi quis, antequam in febrem incidat, sentiat spontaneam lassitudinem, dolores, grauitatem, uigilias, & somnos insuetos; excremẽta plura, uel pauciora, uel magis fœtida; magis, minusue colorata, crassiora, liquidiora, ubi corpus fiat calidius, faciei color mutetur ad ruborem, citrinum colorem, sunt certa indicia febris putridæ.

Ex pathognomonicis vnum, & præcipuũ signum est Pulsus. Huius contractio, seu Systole in Principio, & Augmento fit celerior Diastole: in Statu & Declinatione cõtra alia quoque signa tam pathogn. quã superueniẽtia, de quib⁹ in speciali, conueniunt et putridis; sed hoc vt putrida est: si febris nõ habeat Accessiones, Systole est celerior Diastole.

Deniq; Superuenientibus. nam putrida habet superuenientia plurima, & maxima.

Continuę cognoscuntur ex Pulsu inæquali inæqualitate systematica, seu collectiua. hoc est præcipuum signum.

Continentes continuæ cognoscuntur ex inæqualitate proposita; cui accedit febris, quæ nullas habet exacerbationes, nullos circuitus, nullas periodos.

Proportionatæ continuæ, ad differentiam, quæ per subingressum, cognoscũtur partim ex Principijs accessionum, partim etiam ex Statu, & Declinatione.

Ex Principijs, quia multæ ex periodicis, neque incipiunt cum horrore, rigore, neque refrigeratione: illę verò, quę sunt sua natura Intermittentes, & sua crassitie euadunt Continuę, incipiunt cum horrore, rigore, & refrigeratione. Dantur tamen etiam continuæ, quæ verè sunt continuæ, quæ incipiunt cum horrore, rigore, & refrigeratione; habẽt Principium, & Augmentum valdè longum, & quoque multas superexacerbationes. Propterea istę in illo tẽpore habẽt Pulsus inęquales inęqualitate systematica ĩ Declinatione.

Præterea continuæ carent tempore Inæqualitatis ad differentiam earum, quæ per subingressum.

Cognoscetis Continuas Proportionatas, quæ fiunt ex inflammatione, ab his, quæ in vasis communibus: primò, ex mutatione horarum accessionum: in vasis cõmunib⁹ sunt horæ inconstantes, quæ ex inflammatione, vel una, & eadem hora, uel exiles faciũt mutationes. Præterea ex venis communib⁹ habent symptomata uaria, & incõstantia; ex inflammatione similia, cõstantia, uno & eodẽ modo semper se habent. Inflammationes ad suppurationem tendentes cognoscuntur, quod post diem 20. febris augeatur, & rigor, & pulsus in parte inflammata, & dolor perseueret in principio usque ad tempus sine intermissione. Cognoscetis Intermittentes distinctas ab Ephemeris, ex horrore, rigore, refrigeratione, uehementia, multitudine; simplex simplicem habet accessionem, duplex duplicem. De Spurijs, & Legitimis in particulari tractatu dictum est.

Recidiuæ Febres cognoscuntur; si prior dimiserit, cùm sit acuta, & magna absque ulla crisi; aut si facta sit, sit imperfecta, in die nõ iudicatorio, absque signis coctionis; si præ-

terea

terea patiens per cibum non reficiatur.

Signa Magnitudinis Febris duo sunt: vehementia caloris febrilis, & vehemētia symptomatum Pathognomonicorum.

Breuitas, & longitudo cognoscuntur ex idea, magnitudine, motu, anni tempore, superuenientibus.

Ex Idea. Nam Febris ex humoribus calidis Synceris, qualis Ardens synochus, Tertia nę ex sui natura sunt breues: breuiores si magnę fuerint, si motum habeant vehemētem; si præterea regio, constitutio anni calida, & ætas correspondeant, & coctio statim appareat. Si adsint opposita; necessariò longæ.

Acuta febris, id est, periculosa, cognoscitur semper ex continuitate: & si ortum ducat ex insigni putredine, eò periculosior: Si ex erysipelate, adhuc acutior.

Tempora febrium vniuersalia cognoscūtur partim ex coctione, & cruditate, partim ex Symptomatis.

Ex coctione, & cruditate. Nam Principium morbi est tempus cruditatis: Augmentum, tempus coctionis imperfectæ: Status, coctionis perfectæ: & Declinatio, tempus expulsionis humoris noxij.

Ex Symptomatis: Principium, quod habet praua symptomata: Augmentum, quod multa; Status, in quo illa permanētia absque augmento: Declinatio, in qua imminuuntur.

Vnde fiat pandiculatio. Cognoscuntur Particularia Tempora ex Pulsus tarditate, pandiculatione, vt dixi. Pandiculatio fit ex lucta, quæ fit inter calorem internum, & frigus externum. Augmentum ex calore iam vniuersum corpus inuadente: Status ex calore non amplius aucto: Declinatio ex calore declinante.

Futurus Status cognoscitur Signis, quibus Breuitas, & Longitudo Febris. Nam idea febris calida, & magna, & velociter mota, cum superuenientibus prauis, indicat Statū proximum: frigida idea, parua, cum cruditate sine superuenientibus, remotum.

Salus & Mors cognoscitur futura ex superuenientibus prauis, vel bonis, ex coctione & cruditate.

Modus salutis cognoscitur potissimùm ex idea magnitudine, & motu morbi. Nam febris calida exquisita, magna, velociter mota, semper desinit per crisim: frigida, parua, & tardi motus, per paulatinam solutionem.

Salutis, & Mortis Tempus cognoscitur eo modo, quo status. Hæc volo repetijsse. Venio modo ad Indicationes.

De Indicationibus, seu inuentione Auxiliorum. Cap. XXI.

CVratio duobus modis accipitur. Primò, pro inuentione auxiliorum. Secundò, pro recta auxilij, & materiæ auxilij administratione. Galen. lib. 7. meth. cap. 3. inuentio auxilij potest haberi experiētia, analogismo, & indicatione. Nos tamquam dogmatici

A sermonem facimus de inuentione auxilij per indicationem, quæ est inuentio agendorum, perceptio agendorum, insinuatio agendorum, facta ex cognitione naturæ eorum, quę iuuant, & quæ nocent. Hæc potestis colligere ex lib. 2. meth. c. 7. lib. 3. meth. in princ.

Et inuentio auxilij. Per auxilium oportet intelligere vnum ex illis tribus instrumentis Medicis, vel Pharmaceuticum, vel Chirurgicum, vel Diæteticum, cuiusmodi nos docet inuentionem huius, quæ proficiscitur tamquam à causa, à cognitione eorum, quæ nocent & iuuant corpus. Nam si cognoscetis, oportet facere semper has duas Propositiones: Contraria contrarijs pelluntur. Similia

B similibus iuuantur. Hæc est natura Indicationis. Itaque, vt aliæ, sic febres Putridæ habent etiam suas Indicationes, lib. 10. meth. cap. 1. à tribus præcipuè fontibus, ex morbo, seu febre, causa febris, & virtute.

Quantum ad febrem: quia est passio calida, & sicca, oritur intentio refrigerandi, & humectandi. nam nocet, ergo debet pelli per sua contraria. Sed quia habet causam, a qua conseruatur, hæc est amouenda.

Causa Immediata est Putredo, quæ partim est facta, partim in fieri.

Quatenus est facta, indicat medicamētum eradicans, quod educat hanc materiam putrescentem, lib. 11. meth. cap. 8. Quia non potest concoqui.

C Quæ verò est in fieri, potestq́; putrescere, debet tolli sublatis causis propter quas conseruatur hæc putredo. ad quem locum vos reuoco, quia multi errant.

Repeto, dictum est putredinem fieri debere corrigi. Quæ sunt illæ caussæ? Secundùm omnes Medicos, non aliæ, quam quæ à Galeno lib. decimo meth. med. sunt propositæ: cuius tamen verba, sano modo sunt intelligenda. Sunt prohibita transpiratio, quæ fit ex obstructione: obstructio ex crassis, lentis, & viscidis humoribus, aut multis; vt indicationes ex istorum sentētia sint quoad febrem, refrigerare, & humectare putredinem, & quæ est facta eradicare: eius, quæ potest fieri, transpiratum facilem reddere; humores vnde obstructio, abstergere, incipere, attenuare. Hæ Indicationes om-

D nium.

Sed si ad has tātùm respiciatis, numquam rectè poteritis febres Putridas curare; non sunt vniuersales; sunt propriè continentes, quæ ortum ducunt ex plenitudine in vasis communibus, quæ ibi tantùm locum habent.

Sed danturne tantùm istæ? Rarissimè apparent istæ: frequentiùs, in quibus Indicationes hæ loco non habent, quæ nunc proponam.

De Plenitudine quo ad Vasa, sanguis potest peccare in venis communibus; vel partibus determinatis.

Si in communibus, facit continentem, de qua dictum est. cuius indicationes iam propositæ lib. 11. meth. cap. 10. & 13. Habentur in his locis etiam aliæ Indicationes, quæ tamen omnes sunt inutiles. Exempli gratia: obstructioni contrarium est reclusio; non vtilis, quia reclusio non fit, nisi ablata caussa: propterea prætermittatis has.

Prætermissa hac plenitudine, venio ad illã quæ est in venis determinatis, quæ fit confluente sanguine ad hunc locum, siue quia attrahatur, siue transmittatur. De istis Indicationibus Gal. lib. 13. meth. cap. 6. & 11. Non credatis Gal. lib. 11. meth. c. 7. prætermisisse has indicationes.

B Agemus primò de indicationibus in venis communibus, postea de alijs.

Vbi loquitur de alijs? Non in lib. 11. meth. sed in 13. per totum librum, sed præcipuæ indicationes cap. 7. & 11. quæ sunt; si sanguis in parte fluit, quia attrahitur, aut transmittitur: attrahitur à calore, & dolore, lib. 13. meth. c. 6. transmittitur propter plenitudinem, & robur corporis.

Itaque quatenus humor fluxit, est euacuãdus, & dirigendus: quatenus fluit, est repercutiendus, retrahendus, & reuellendus: quatenus abundat in toto, euacuandus: quatenus attrahitur à parte, tollenda caussa attractionis; quæ si sit calor, oportet partem refrigerare; Si dolor, mitigare.

C Supersunt Indicationes Febrium ex plenitudine quo ad Vires, quæ omninm frequentissimæ, quæ indicationes diuersæ sunt à prioribus, de quibus in sequenti lectione.

Vt reprobarem communem illam de Putridarum iudicationibus sententiam auctor fuit Gal. lib. 11. meth. c. 4. & 7. Locis enim cit. Gal. qui cognouit nõ vnicam putridæ febris esse Differẽtiam, sed plures, in quibus etiam distinctæ sunt indicationes, inquit distinguẽdas esse inter se has differentias, & primò dignoscendum, vtrum febris sit ex venis communibus, vel locis determinatis. Si loci determinati; distinguendum, an cum, an citra inflammationem. Postea subiungit in singulis istis differentijs nos exerceri debere. Propterea lib. 11. meth. proponit differentiam putridarum a venis cõmunibus. In fi. eiusd. lib. quæ ortum ducũt ex putredine in locis determinatis, absque inflammatione. In 13. meth. quæ est ex inflammatione partium determinatarum, Gal. has varias indicatiões proponit, quas & nos probamus.

D Si igitur, ut dicebam, febris ortum ducat ex putredine humorum in venis communibus cum plenitudine, quo ad uasa, indicationes sunt propositæ, c. 12. & 13. lib. 11. meth. Fit semper ex prohibita transpiratione, quæ fit ex obstructione, densitate: obstructio verò ex humoribus viscidis, lentis, medicamentis adstringentibus, &c. Istæ sunt indicationes, quæ desumuntur ex his caussis.

A Quod si plenitudo quo ad Vasa sit in Parte Determinata cum inflammatione, consideratur materia vt fluxa, vel ut fluens.

Si vt fluxa, uel est digerenda, quando est pauca; uel suppurãda, quando multa. Si fluat; quatenus fuit, est reprimenda & retrahenda, vel reuulsione, uel deriuatione, vel euacuatione totius corporis.

Etsi fluit, quia attrahatur, tollenda caussa attractionis.

Si fluxio fiat per plenitudinem totius corporis, ea imminuenda. *Indicationes plenitudinis quo ad vires.*

Sed si sermo sit de Plenitudine, quo ad Vires, aliæ sunt Indicationes, & vt dixi, multò plures febres fiunt ex plenitudine quoad vires, quàm ex plenitudine quoad vasa. Hoc docuit Gal. quia humores citiùs putrescunt, si plenitudo quoad vires. Lib. de cur. rat. p sãg. miss. c. 5. de ea agitur. Itaque in huiusmodi casu, quando putrescunt humores in plenine quo ad uires, uidendæ hæ caussæ: putrescunt tam in uasis communibus, quàm in determinatis.

In communibus, si uires, seu facultas, cui demandatum munus ad conseruandum sanguinem, & elaborandum, sit ita imbecillis, vt non possit illum conficere, nec conseruare, necessarium est, vt humores putrescant.

Idem etiam dico de Partibus Determinatis, & præcipuè quibus demandata est Coctio in usum totius corporis, qualis ventriculi, & iecoris. Si hæ partes sunt imbecilliores, plenitudo est quo ad vires.

In tali casu Indicatio quæ sumitur, debet tota respicere ad corroborationem illius partis, vt conseruetur, & augeatur calor. quã indicationẽ Gal. non intermisit, lib. 11. meth. c. 9. & 13. dum inquit, indicationes in febrib. putridis desumuntur à materia putrida, & semiputrida, & quæ sequuntur, ad corroborandum calorem innatum.

Itaque non semper nec tantùm prohibetur putredo faciendo transpitationem liberam, sed etiam corroborãdo partes affectas, præsertim si sit ventriculus, iecur &c. & propterea lib. 1. de differ. febr. cap. 3. inquit, in putredine humorum cum plenitudine quoad vires faciliùs humores putrescere. quia vires, que humores debebant conseruare, sunt languidæ.

Præterea in hac plenitudine quoad vires, etiamsi non deficiat calor innatus partis, nihilominus humores sunt ita rebelles, & distantes à natura sanguinis, ut nõ possint regi. Exempli gratia. Sint venæ refertæ multis humoribus excrementitijs, intentio est hos statim expurgare, non corroborare, nec transpirationem liberam reddere.

Non nego, in hac etiam plenitudine aliquando caussam esse prohibitam transpirationem: sed aduertatis, quod etiã docui Tractatu proprio de Putredine, sicuti in Putredine quoad vasa est multitudo, crassities, & lentor,

tor; ita & hae quo ad vires, non est tantùm occlusio venarum, quantum defectus Calidi innati, & Arteriarum. Prohibita transpiratio fit ex tribus caussis, quæ alibi etiam proponuntur. & sunt Angustia, Densitas, & Obstructio viarum.

Signa mo di mortis

Quo ad vires, ex defectu calidi innati, instrumenti duritie, siccitate, repletione.

Denique sunt uariæ indicationes in febribus ex putredine humorum in venis determinatis, absque inflammatione. Nam Humores, uel ibi generantur, uel confluunt: Si generantur, necessarium est inuenire caussam, propter quam generentur. Nam si intemperies, alteranda, obstructio, aperienda; Si ulcus, aut abscessus, expurgandum.

Si materia fluat, locum habent Indicationes, quas proposui in febribus cum inflammatione; oportet videre, vtrū per attractionem fluat, an per transmissionem, & vtrum à parte nobiliori ad ignobiliorem, an contra, vel ad partem. In primo casu materia nō est repellenda, uel reprimenda, non oportet roborare partem recipientem: contra uerò in altero; si pares sunt partes, diuertenda fluxio ad loca vicina, & expurganda, teste Galeno lib. 7. mæth. cap. 11. Et ideo sui memor. lib. xj. meth. cap. 10. dum loquitur de balneo administrando in febribus putridis, inquit esse administrandum potissimùm in illis, qui ante febrem tentabantur doloribus podagricis, quod ex huiusmodi balneo relaxentur viæ, fluxio deriuetur ad partes ignobiles. Habetis igitur Indicationes putredinis è vasis communibus.

Quantum ad vires, hæ ipsę quoque indicant, sed diuerso modo indicant sui custodiam. Nomine virium volo etiam intelligere vires determinatas partium principalium, vt uentriculi, & iecoris.

Oportet itaque conseruare Vires Vitales, & Animales: quibus oportet satisfacere, Chirurgia, Pharmacia, & Diæta.

De curatione Chirurgica: Et primum de Vena sectione, quæq. eam indicare, & prohibere possint. Cap. XXII.

Chirurgia.

QVantum ad Chirurgiam, in hac parte multa sunt instrumenta, quæ locum habent in Putridis: Venæ sectio, Cucurbitulæ scarificatæ, Hirundines, & Vesicantia. De singulis dicam.

Venæ sectio ī qui bus febri bus putri dis conue niat.

Quantum ad Venæ sectionem, considerandum, in quibus Putridis conueniat, quando, quomodo, & vbi administranda.

Quo ad primam partem, dubium est, num in omnibus putridis conueniat, necne? Ex vna parte est Gal. auctoritas lib. 11. meth. c. 15. vbi scribit, salubertimum esse venam aperire. Itaque si ad hāc unicam respiceremus, liceret in quacumque sanguinem mittere.

Sed aliter res se habet, & vtendum est alia Distinctione. Febres putridę aliæ sunt cum Plenitudine, aliæ cum Cacochymia. In febribus cum plenitudine semper est secanda: in quibus adest cacochymia numquam.

Dicatis quid est plenitudo? quid cacochymia? Explico. Plenitudo duplex est; prima generice accepta: vna dicitur plenitudo simplex & legitima, secūda composita, seu mixta, & spuria: vtraque est quoad uasa, & quoad uires.

Plenitudinis differentia.

Quæ ad uasa, simplex est sanguinis abundantia, accepto nomine sanguinis non pro quarto humore, sed tota massa sanguinea. in quo casu nullam suppono mixtionem humoris excrementitij. Talis dicitur plenitudo simplex. Dicitur plenitudo quoad uasa ita referta, ut propter nimiam tensionem uideantur disrumpi.

Huiusmodi plenitudo Simplex, & quoad Vasa est æqualis, & inæqualis.

Dicitur AEqualis, quando augentur humores in hāc molem seruata ueteri proportione. Explico. Sit, exempli gratia, quispiam, in quo abūdat sanguis præ ceteris humorib', deinde bilis, post pituita, post melancholia.

Si augeantur isti humores seruata proportione, dicitur plenitudo quoad uasa æqualis.

Inæqualis, quando, exempli gratia, si prius abundat plus bilis quam pituita; postea abundet plus pituita, quam bilis, quia non seruat veterem proportionem.

Quæ communis, & determinata? communis, quando est in omnibus uasis: determinata, quando obsidet unam tantùm determinatam partem. Hæc igitur est plenitudo legitima, simplex, æqualis, inæqualis.

Notha uerò, in qua abundat quidem sanguis, sed humores non sunt vtiles tantùm, sed & inutiles, & excrementitij. Vbi ex istis speciebus plenitudinis aliqua adsit in corpore, semper licet uenam secare: si cacochymia, abstinendum.

Sed quid Cacochymia? Nomine cacochymiæ duo sunt intelligenda: copia humoris excrementi in uenis communibus, uel uenis partium cōtenti, qui superet sanguinem in ea parte, uel in toto consistentem.

Cacochymia.

Alia species est, quando humores putrescentes superant naturales, & consequenter sanguinem. De qua cacochymia Gal. 2. aph. com. 17. ubi adsit una, uel altera cacochymia, uene sectio non est aggredienda.

Quis hoc dicit? Galenus. Primò enim si sermo sit de Humoribus excremētitijs constituentibus cacochymiam, multa sunt loca, in quibus improbat uenę sectionem, ut Lib. de cur. rat. per sang. miss. c. 6. ubi loquitur de corporibus pituitosis, ibi apertissimis uerbis prohibet, siue æstate, siue hyeme. Potestis legere illud cap. lib. 4. meth. c. 6. loquens de ulceribus cum fluxione; inquit abundante sanguine mittendum eum esse pro reuulsione, quod ipsum loquitur lib. 13. meth. c. 15. ubi loqui-

loquitur de inflammationibus glandularum, & idem de humoribus excrementitijs, lib. 4. de tuend. ual. c. 4. Sed præterea sect. 2. aph. 17. in ea putredine, quę nō potest ad naturalem statum redire, & constituit in hac specie non licere, vti uenæ sectione. Videatis locum. est enim pulcherrimus, & propterea etiā in lib. adversus Iulianum cap. 7. cùm loquitur de putredine humorum conuersorum ad virulētiam, inquit venæ sectionem esse pernitiosissimam: Et hoc uoluit etiam lib. 11. meth. c. 14. inquiēs sectionem uenæ, neque obstructionem, neque putredinem curare. Quæso, quæ hæc uerba? In capite sequenti proponit sententiam conspicuam, quod sit secanda. Si non sanant, ad quid igitur secatur? Si adsit plenitudo, vt ulterior plenitudo prohibeatur.

Itaque conclusio sit, in omni Plenitudine proposita conuenire sectionem venæ: in omni cacochymia non.

Dubium ortum ducit ex Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 8. & seq. 11. 12. partim ex lib. 3. de art. cap. 62. in quibus uidetur irridere antiquiores, qui secabant uenam exsistentibus signis plenitudinis. 3. de artic. probat Hipp. venæ sectionem in fractura costarum, & propterea Gal. in com. inquit, non ratione plenitudinis, sed ratione morbi magni.

Auctoritates non officiunt nobis. nā quando dicit in inflammationibus secandam esse venam, etiamsi non adsit plenitudo, intelligit Plenitudinem legitimam, simplicem, exquisitam, quo ad uasa communia. Sed nos intelligimus quamcumque, tam communem, quàm determinatam, quæ determinatio in fractura adest, ob fluxionem. Itaque sanguinem licet ibi mittere, si præualeat supra ceteros humores: alioquin in cacochymia non licet.

Indicationes venæ sectionis. 1. Plenitudo. Venæ sectio in putridis à duobus est petenda, a plenitudine scilicet, & à virium robore. De Plenitudine hactenus: scil. in omni plenitudine, siue legitima, siue spuria, siue communi, siue ex loco determinato, posse venam secari: in Cacochymia uerò, & humorum excrementitiorum abundantia non, neque in insigni putredine.

2 Vires. Quantum igitur ad Vires, per has intelligo potissimùm Vitales: Nam etiamsi Gal. & Animales & Naturales uires requirat lib. 11. meth. c. 15. tamen ubi uitales constant, naturales etiam semper constare debent.

Virtus uitalis est in spiritu, sanguine, & solidis. Spiritus, & sanguis fit ex sanguine genito in iecore: qui si probus, etiam proba uirtus uitalis, &c. Vbi igitur uires cōstant uitales, necesse est etiam constare naturales.

Animales autem etiamsi non constant, nō prohibent tamen uenæ sectionem. Nam in Apoplexia ubi uires uitales cōstant, secatur utiliter uena: in lassitudine phlegmonosa secatur item; item in Lethargo, & Phrenitide. Itaque Vitales potissimū intelligo. Si igitur vitales sunt validæ, coindicant uenæ sectionem: si imbecillæ, prohibent: si mediæ, permittunt.

Vires autem, & vt præsentes, & vt futuræ considerantur. vt præsentes, ex tribus subiectis considerantur, primùm solidis, & solida substantia: secundò humorosa substantia; tertiò spiritusa.

Requiruntur autem vires, vt optimæ sint, vt consistant in his tribus.

Sed tamen etiamsi solida deficiat, & spirituosa, aliquo modo licet secare, modò non deficiat humorosa substantia. Itaque etiamsi emaciatus sit patiens, & modicum habeat sanguinem, tamen sint humores in venis, licet secare 2. in 6. Epid. 29. scribit Galenus se mulieri Romanæ admodum emaciatæ cum suppressione mensium venam secuisse. Et ex Hipp. & Galeno 4. in 6. Epid. 25. colligitur sanguinem esse posse in uenis multum, corpore tamen emaciato. Nam scribit Galenus sanguinem copiosum, & acrem gigni aliquando, vt tamen corpus ab eo abhorreat. Vide locum.

Si spirituosa autem substantia deficiat per exsolutionem, & dissipationem, non licet euacuare.

Sed si suffocatio sit ob copiam sanguinis, venæ sectio conuenit. 4. acut. tex. 23. & 80. mittitur sanguis in suffocationibus ob nimiam sanguinis plenitudinem intercipientem vias spiritus.

Si humores omnimodè deficiant, aut ob inediam, aut ob tabem, aut euacuationes magnas, non licet secare: neque etiam si venæ plenæ humore distante à sanguine, quæ cacochymia, vt dixi. Hæc de Viribus præsentibus.

Futuræ vires etiam expendendæ, & an in posterum æquè sit habiturus uires, ut nulla uirium exsolutio sequatur. *Indicationes virium futurarum*

Vt hoc noscas, est respiciendum ad Signa, quorum classes sunt duæ. Signa tantum; Signa & Caussæ simul.

Illa sunt, ætas, temperatura, & habitus corporis, hæc, tempus anni, regio, constitutio, vigiliæ, dolor, coitus, inedia, exercitatio, & omnia symptomata, quæ pertinent ad excremēta immoderatè fluentia.

Priora sunt Signa tantùm; quia non habēt vim dissipandi; at aliæ habent & rationem Caussæ conseruantis, & dissipantis vires.

Igitur si sermo sit de Signis tantùm; vbi ætas florens, temperamentum calidum & humidum, habitus corporis densus, item vires constant, non modò in præsenti, sed etiam in futuro costare poterunt: & contra, vbi ætas iuuenilis, habitus corporis gracilis, uel nimis obesus, pinguis, & crassus, temperamentum frigidum, & humidum, tum non permittitur venæ sectio. lib. 1. ad Glauc. cap. 14.

Sed tamen nonnumquam licet sanguinē mittere in hoc casu, puta ætate puerili, senili ætate,

ætate,& temperamento humido.

Distinguit igitur, vbi hæc tria sunt cũ temperamẽto humido, sicco, aut admodum humido,& corpore gracili, non est secanda vena, & si senex, &c. At si senex sanguine plenus & carnosus, quamuis septuagenarius, licet secare, teste Gal. eod. lib.

Ego secui & viris & mulieribus, nuper moniali 77. annorum secui in pleuritide,& conualuit.

Item, si puerorum habitus densus, multa caro & sanguis,& ante 14. annum morbo magno hoc requirente, licebit secare venam, etsi Galenus videatur ante 14. annum prohibere: sed puto ego intelligendum si adiunctus habitus admodum rarus.

Auenzoar misit puero trium annorum, filio suo. sed ne veniatis vos ad huiusmodi monstra.

Si sit sermo de Signis, & Caussis; signa & caussæ sunt duplicia: quædam recessere, quędam adhuc persistunt. Exempli gratia: Sit quispiam, qui ægrotet post nimium vsum Veneris, quæritur an secanda vena, si hæc recesserit? Apud Venetos est magni momenti quæstio. Putant maximum esse piaculum secare venam, si quis Venere sit vsus. Ego seco, si præsentes vires constent,& hæc caussa recesserit: nihil enim prohibet venæ sectionem: nisi suspicio sit, ne tales caussæ reuertantur,& in tertiana in accessione inuadat syncope, & desierit. Cautè agendũ. nam tertio die potest ea reuerti. Itaque roborandum os vẽtriculi, si redierit syncope, aut alia caussa resolutionis virium.

Præsentes autem caussæ, aut sunt debiles, aut validæ.

Debiles sunt tempus anni, regio, constitutio, vigiliæ, aut dolor: hæc debilitant vires, sed non ita validè;& narium fluxus,&c. Hæc autem nõ indicant futurum lapsum virium, nisi omnes concurrant, vt tempus, regio, & anni constitutio: tunc enim est metus exstinctionis.

Sed ubi tempus quidem febrile, sed constitutio, & regio non sit talis, certè mittere licet morbo requirente, etsi parum. Nam teste Gal. ad Glau. non tantùm in feruido, sed etiam in frigido tempore non conuenit, sed non in quocumque casu in frigido tempore vacuandum, sed tum, vbi febris cum accessione inuadit, quæ habeat summum frigus: nam periculum est, ne intereant tales l. 1. ad Glau. c. 14. vbi autem ardentes febres, etiam tempus potius fauet venæ sectioni. Et hoc etiam facit pro ijs, qui degunt in loco frigidiore, ut in Germania:

Tertia indicatio venæ sectionis est dolor. Quantum ad dolorem; prouenit is à caussa nonnunquam, quæ potest euacuari uenæ sectione, nonnunquam ab alia. Exempli gratia, sit dolor ex fluxu sanguinis, ut inflammatione; in tali casu etiam ad animi deliquum mittendus. 1. aph. 23.

A At ubi caussa doloris non potest euacuari, ut si ea sit impacta. lib. 12. meth cap. 8 aut flatus, sint aut humor acris; in tali casu considerandæ uires patientis. nam tum uenæ sectione multum poteritis obesse. & cautè agendum, & parum mittendum ex loco commodior.

Vigiliæ non prohibent, nisi simul sit corpus cacochymum, biliosum totum, ut præualeat bilis sanguini. nam tunc non corrigetis uitium sanguinis.

At quando cum uigilijs est sanguis multus, & spirituosus, tum uenæ sectio curat uigilias. nam tolluntur uapores, & refrigeratur iecur, & somnus succedit utilis sæpè.

B Caussæ, quæ possunt corpus reddere debile, ut euacuationes, considerandum, an uacuatio sit consueta, an non; ut menses, aut hæmorrhoides.

Vbi igitur ex consuetis euacuationibus aliqua est imminuta, aut moderata, aut nimia; Si imminuta, adiuuanda; etiamsi lib. 1. ad Glauc. cap. 4. Galenus uideatur prohibere; sed loquitur de euacuationibus insuetis; nam lib. 9. meth. c. 5. de assuetis loquitur cõtrarium. Nam dicit: Si menses succedant imperfectè, est satisfaciendum etiam arte: Si moderatè, est permittendum: si nimis copiosè, licet uenã secare pro Reuulsione, lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 19. & 20. Ideo ubi menses abundent, aut hæmorrhoides, si secetis in cubito, aut manu, potestis compescere.

C Si insuetæ, ut narium per sanguinem uentris, tum considerandum, an nimis copiosa, an moderata.

Si illud; cùm uenæ sectio possit compescere, licet secare. Gal. lib. de sang. miss. & lib. 2. ad Glauc. in fluxu sanguinis narium secat in cubito.

Si euacuatio non possit comprimi uenæ sectione, non oportet patientem duabus euacuationibus uexare.

Itaque si euacuatio artis possit sistere eam que fit spontè; licet ea uti.

Et si fluat aluus magna copia, non est secanda uena: nam uenæ sectio non potest compescere.

Si dysenteria hepatica licet ea uti.

D An liceat secare prægnantibus, in sequentibus tractabo.

Plerumque contingit utero gerentes uehemẽtissimis tentari febribus, quo casu perplexos oportet esse Medicos circa uenæ sectionem. Ambiguitatis caussa prodit ex uarijs Hipp. Gal. auctoritatibus. *An liceat venã secare prægnant. febre correptis.*

Ex una parte saluberrimum est, ut intellexistis, in omnibus febribus, quas putrescens humor excitat, uenam secare, consentientibus ætate,& uirtute. Sed sic est, quod magna ex parte mulieribus prægnantibus febres putridæ sunt, cum uirium constantia, & ætate florent: Igitur secanda uena.

Ex alia tamen parte Hip. 5. aph. 31. inquit, mulie-

mulieri vtero gerenti si vena secetur, abortus sequitur: præcipuè vero si fœtus sit grandior.

In hac quæstione varij varia dixere. Ego veritatem tantùm proponam. Primùm id resolutè dico: non accipiendam esse sententiam eorum, qui existimant secandam, etiamsi abortus periculum immineat. nam præterquā quod impia est hæc opinio, non etiam est tuta: nemo potest sibi polliceri ex secta vena, cui succedat abortus, mulierem debere seruari. Alij alia dixere. Ego tantùm resolutionem huius rei propono. Resolutio est: in febribus acutis, quamquam vtero gerant, in principio, dummodo vires constent, secandam esse venam. Neque tamen abortus periculum imminet. Ratio: Febres Acutæ, quæ prægnantibus contingunt, ortum ducunt ex affectione vteri, vel alijs locis patientibus. Quod ex affectione vteri, docuit Hip. 5. aph. 43. quando inquit mulieri vtero gerenti Erysipelas superueniens malum. Gal. in comm. nō tantùm Erysipelas, sed etiam Inflammationem vtero contingere posse, ait: quod ego etiam obseruaui.

In hoc casu, cum sanguis confluat præter illum, qui est necessarius pro alendo fœtu, propterea tantum abest, vt venę sectio abortum faciat, vt potiùs ab hoc præseruet. Si enim secetur vena superior, diuertitur fluxio sanguinis, & intercipit materia erysipelatis, vel Inflammationis. Itaque in principio vbi suppono inflammationem in fieri, venæ sectio conuenit. Si febris ex alio loco ortum ducit. talis enim sectio cōstantibus viribus nullam infert puero noxam. Nam si alius locus præter vterum laboret, ratio non vult, vt tum in principio fœtus sit debilis. est debilis quando in vtero. Itaque si in hoc principio mittatis sanguinem ex superioribus uenis, nullum imminet fœtus periculum, imò tollitur periculum inflammationis.

Habenda tamen ratio etiam temporis fœtus. nam si is adhuc paruulus, tutò secabitis constantibus viribus, nullum imminet periculum: quia ex defectu tantùm alimenti imminet periculum abortus. Et hoc voluit Hippoc. loc. cit. vbi inquit, præcipuè verò si fuerit grandior.

Sed hoc tempore exponenda plenitudo corporis muliebris; sunt enim alię pauci, alię multi sanguinis.

Vtrum gracilitas mammarū sit signum defectus sāguinis. Quæ pauci, quod deprehenditur ex venarum angustia, & subsidentia abstinentis à venæ sectione: si plus sanguinis, & vires robustæ, etiam in vltimis mensibus existimo consultum, si secetur uena superior. Hoc loco, volo ut unum cōsideremus, cui occasionem dedit Gal. 5. aph. 37. 53. vtrum gracilitas mamarum in prægnantibus possit esse signum defectus sāguinis? Hoc dico, quia in comm. apertè scribit Galen. gracilitatem mammarū ostendere defectum sanguinis tam in mammis, quàm in utero. Ideò ubi mammæ gracilescunt, etiam uterus; & fœtus interficitur. Ego aliter sentio: gracilitatem potiùs argumentum esse abundantiæ sanguinis circa vterum, quàm defectus. Ratio: quandoquidē huiusmodi motus sanguinis ab vtero ad mamas, & à mammis ad vterum, est ualdè reciprocus, ita ut deficientibus mensibus etiam in uirginibus mammæ repleantur lacte; contra uerò ex huiusmodi defectu sanguinis superueniunt menses. Præter hanc rem apertò scribit Hipp. aph. cit. si mammę gracilescāt, &c. Quæ est ratio? si gracilitas fuisset in caussa, propterea si facta hac fluxione uterus ualidus expellat hanc materiam, abortus non fit.

Venio modo ad considerationem Temporis, Quantitatis, Modi, & Loci mittendi sanguinem.

Quo ad Tempus, est uel uniuersale, uel particulare. De Vniuersali paucis dico; non debere connumerari per dies, nec hebdomadas, sed considerandam esse præsentiam indicantis, & uirtutis constantiam. Si adsit indicans uenæ sectionem, de quo in præcedenti lectione, si uires permittant, semper secanda, teste Gal. lib. 9. meth. c. 5. & lib. de cur. rat. per sang. miss. c. 20.

Quando mittēdus sanguis in febribus. Quo ad tempus particulare, dubium de die, utrum uel cibus in uentriculo contentus, uel cruditas cibi possit prohibere, quo minus una die sanguinem euacuemus, uel differamus.

Quantum ad cibum; certè Gal. ipse lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 12. & lib. 9. meth. c. 5. apertè docet, tam diu differendam esse uenæ sectionem, quam diu uentriculus à cibo nuper assumpto possit liberari. Sed dantur casus, in quib⁹ non differenda. Prætermitto nunc casus, contusiones: sed in febribus, qui ortum ducunt ex maximis inflammationib⁹ incipientibus, & præcipuis, ut in pleuritico, qui in principio statim habeat symptomata grauissima, non est expectanda hæc concoctio: expedit igitur statim euacuare, teste Auic. fen. 4. lib. 1. c. 20.

Quo ad cruditatem; aliquando prohibet, aliquandò non, ubi occurrat febris uehemētissima cum inflāmatione proposita, quamquam cruditas in uētriculo, præmisso clystere, secanda: si morbus det inducias, melius est euacuare, cruditatem concoquere, & postea mittere. Propterea lib. cur. cap. 12. in huiusmodi cruditate primo paulatim concoquit, & postea mittit, & iterum concoquit, iterumq; uenam secat. Idem uobis agendum, si morbus det inducias, si morbus modio se habeat modo.

Dantur aliquando simul Cacochymia, & plenitudo, ut ex ęquo postulet purgationem & sectionem. sunt Medici in hoc casu ancipites. Si res ex ęquo pugnet, premisso clystere semper secabitis: est doctrina Gal. & Hipp. 4. acut. 21. Debeat antecedere sectio purgationem.

nem, lib. 10. de comp. med. sec. loc. c. 2. 1. in 6. epid. 6. In hoc loco consulit, ut aggrediamur primo uenæ sectionem; postea medicamentum.

Quantum ad horas particulares, si febris fuerit synochus, poterit eligi hora diei frigidior, quia declinationem non habet. Si febris habeat declinationes, ex lib. cur. cap. 21. eligenda est declinatio febris.

Quod si febris habeat exacerbationes, nec declinet, eligenda qua minus uexentur.

Qua quātitate sāguis mittendus. Quantum ad Quantitatem: quantitas alia Continua est, alia Discreta. Per continuam intelligo mensuram sanguinis euacuandi: per discretam, vtrum debeat repeti venæ sectio.

Quod ad primum, si sermo sit de euacuatione facienda ad animi deliquium, talis euacuatio, quamquam à Gal. proponatur, mihi tamen his temporibus nostris est suspecta. quia non inuenio corpora ita plethorica, robusta, vt sustineant.

Sed dico, quod hæc conueniat, non credatis conuenire in quibuscumque febribus, sed tantùm in synochis absque putredine, aut in febrib⁹ ex inflammatione, quæ adhuc principiant cum viribus robustis.

Quod in febribus synochis absque putredine, lib. 9. meth. c. 3. 4. & 5. probatur. In his locis consuluit venæ sectionem hanc faciendam ad animi deliquium, antequam putredo incipiat. Lib. 2. meth. cap. 14. vbi loquitur de febribus synochis, inquit subsistendum esse, & aliquid remittendum naturæ, alioquin erimus coacti cibum intempestiuè proponere. Itaque in putridis nunquam mittendus ad animi deliquium, si sermo sit de synochis putridis.

Quantum ad febres inflammationum cū virtute valida, tractantur ab Hipp. & Gal. in hac vacuatione ad animi deliquium. Hipp. 4. acut. t. 74. loquitur de Pleuritide: vbi consuluit, per animi deliquium intelligi nō veram Syncopen, sed Lipothymiam. Quæ ratio, cur tam larga sanguinis euacuatione vtatur? Hip. in inflammationibus hac vtitur, vt non tantùm euacuetur in uenis communibus, sed per paulatinam egestionem attrahatur à loco inflammato. 2. acut. t. 10. Ibi scribit mittendum in pleuriticis, usquequo fiat mutatio coloris, ut ex pituitoso euadat rubicundior. Ratio, inquit, est; quia sanguis in inflammatione requirit colorem magis intensum, quàm qui extra inflammationem. Ex quo loco colligitur, multo diuersam hodie esse sāguinis euacuationem, quàm illis temporibus. Nostrates, cùm secant uenam, inspiciunt sanguinem, & si ex nigricante rubicundus fit, tum primum subsistunt; quia, inquiunt, est sanguis bonus: hæc regula ualet in febre continente, siue quę ortum ducit in uenis communibus. Itaque in his duobus ca- A sibus conuenit usque ad animi deliquium.

Sed quia uires rarò constant, ut possit fieri consulo, ut nō sitis audaces. quia lib. 9. meth. c. 10. scribit, se uidisse sub tali sectione duos extinctos, alios qui paulo post, alios, qui per totam uitam ualetudinarij fuere. Potius Auicen. consilium accipiendum fen. 1. lib. 4. tr. 2. c. 6. melius reiteratio numeri, quàm quantitatis.

Sed vnum pulcherrimum volo vos obseruare: repetenda igitur, quando necessitas vrget, venæ sectio: sed debet libentius repeti, & 2. & 3. in febribus, quæ ortum ducunt ex locis patiētibus, quàm synochis. Ratio est: quia B prima euacuatio sanguinis, non educit sanguinem à loco inflammato: facit potius operationem, quæ est ægrotanti noxia.

Prima venæ sectio, si moderata fit, demit aliquid à loco inflammato, sed trahit à loco inflammato in venas, vbi postea contenta, & attracta materia vi vacui corrumpit reliquū humorem in venis. & sic si non repetatis sectionem, ille corruptus, corrumpit alium, & est occasio peioris febris. Lib. 4. de tuen. val. in lassitudine phlegmonode inquit repetendam esse venæ sect. Et quod dixit de ambitu corporis: idipsum c. 5. lib. eiusd. docuit de visceribus.

Itaque si prauus est, nisi succedat secunda euacuatio, corrumpit alium: reiteranda igitur secund. & tert.

C In seq. agemus de Loco mittēdi, quæ tract. omnium difficillima & controuersa. Legatis disputationē Matth. Curt. de secanda vena in Pleuritide: Item Petr. Brisoti Gali, & Susium in libel. de venis e directo secandis.

Ex alia parte sunt Trincau. Turinus, Alex. Bened. qui tuentur oppositam sententiam cum Arabib⁹. Ego nolo singulorum oppositiones recensere, sed dumtaxat proponam veritatem, & facilem.

In his, quæ ad modum sectionis venę in febribus putridis pertinent, tria tantum considerabo, & ea quidem breuissimè. nam cetera ipsismet ministris relinquam.

Vnum est, de quo mentionem facit Gal. lib. 4. de. tu val. cap. 11. ne scilicet statim à secta vena cibus patientibus exhibeatur: futurum D enim inquit ex hac intempestiua nutritione, vt crudus cibus ratione vacui in venas attrahatur.

Alterum documentum sumitur ex Auic. fen. 4. lib. 1. tr. 10. c. 20. ne scilicet illi patiētes, quibus secatur propter aliquam repletionē circa viscera, ab ipsa secta vena somno se ipsos dedant. Prohibet. Auic. loc. cit. in istis, in quibus secatur uena propter uiscerum internorum affectionem, non esse somnum à uena secta concedendum. Sententia intelligenda de illis in quibus secatur uena, sed nō mittitur usqe ad mutationem caloris, & consequenter euacuationem eius, qui in loco inflammato continebatur. Si enim mittitur in tan-

Quare indicatur somnus. tãta copia, potestis permittere somnum; sed vbi est parca sanguinis euacuatio, & propterea necessarium est hanc venę sectionem repetere, vt ex secunda missione sanguinis à visceribus eliciatur: prohibuit somnum. *Quibus prohibendus.* & iure: Ne ille sanguis in viscera retrocedat: Nõ tamẽ in omnibus post sect. venam somnum prohibeatis, vt faciũt vulgares, sed tãtũ in his.

Tertiò, Obseruandum, vt si sanguis sit admodum crassus, temperamentum calidum, & siccum, vt foramen sectionis sit satis amplum; si tenuior, & tẽperatura corporis *Qua vena secanda.* difflabilis, angustum. Venio ad locum considerandum. Primò, Vtrum febris ortum ducat ex putredine venarum communium, vel loco patiente; si ex putredine venarum communium expedit vel basilicam, vel communem aperire; nisi aliqua euacuatio huic patienti fuerit suppressa, ut mulieribus menses, viris hæmorrhoidæs. In his casibus potius inferiores secandæ. teste Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 18 & 19. Si ex loco aliquo patiente, hoc opus hic labor est, maximę oriuntur difficultates inter maximos viros, & duæ præcipuæ sunt opiniones.

Opin. eorum, qui primo venã in parte remota secandam statuunt. Quidam vt Arabes existimant, quib' ex recentioribus adhæret Trincau. prop. de ven. sect. in pleur. Andr. Turin. & Bened. Fauent. &c. Isti omnes existimant in huiusmodi febribus primo secandas venas remotiores distantes a loco affecto: deinde proximas. Probãt rationibus, & auctoritatibus. I. est Reuul. sio semper præcedat deriuationem. Ergo ante venæ sect. proximæ oportet aperire remotam. Probatur Consequentia. Nam Antecedens est Gal. in pluribus locis, præcipuè Lib. de reuul. cucurb. & scarif. & cur. per sang. miss. cap. 19. Probatur inquam consequẽtia. Nam inquiunt: *Reuulsio attrahit humores à parte distantes: Deriuatio educit humores a loco affecto. sed antequam euacuetur locus affectus, oportet prius reuellere, & ad distantiorem locum deducere humores;* ergo *reuulsio debet præcedere.* Confirmant varijs Gal. loc. lib. 10. de comp. med. sec. loc. 3. Nam in curanda ischiade, primò secat superiorem venam in cubito ad reuulsionem: postea poplitis ad deriuationem: similiter lib. per sang. miss. cap. 18. in renibus affectis primo superiorem pro reuulsione deinde inferiores pro deriuatione. Itaque Gal. ipse pluribus in locis vult, reuulsionem præcedere.

Probant etiam alio argumento: *Ante euacuationem partis necessaria est euacuatio totius.* Ergo *ante sect. venæ proximæ secanda aliqua remota.* Anteced. est clarus. Conseq. probatur: quia euacuatio proximæ euacuat locum affectũ. Et ideo Gal. libr. 4. meth. cap. 6. in fluxionibus laudat semper reuulsiones ad partes distantes; Et Hipp. lib. 2. de nat. hum. text. 9. inquit, *in huiusmodi fluxionibus retractionem, & reuulsionem faciendam ad partes admodum distantes.* Itaque istis argumentis Trincauellius sic statuit, quod vos animaduertetis, si legatis scripta Auic. & aliorum Arab.

Ex alia parte Matth. Curr. cui etiã assentitur Petr. Bris. de secanda vena in pleur. & Sul. de ven. in direct. secand. censent, in huiusmodi casib' statim secandam proximam. Habent & ipsi proprias rationes, & auctoritates. I. Est. *Frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora. Sed sect. venæ proximæ euacuat totum corpus, & partem.* Ergo *frustra tentatur sect. alterius venæ.* Consequentia est clarissima. Si ita benè reuellit, multo melius est vna sect. efficere. Quod autem huiusmodi sect. proximæ hæc omnia præstet, confirmant Galen. test. plurib' loc. I. Certum est, Gal. sect. venæ proximæ partis esse non tantum euacuatoriam, sed ẽt reuulsoriam: vnde in inflammationibus lib. 13. meth. cap. 11. secat venam in cubito dextro. Similiter lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 16. alibi proponit varias affectiones, in quibus probat semper sect. venæ proximæ partis patienti; in iecore, dextræ: in liene sinistræ: in capite humeralis: quod etiam facit lib. 4 de tu. val. cap. 10. Hipp. similiter 2. acut. 20. & 4. acut. 74. in plenitudine statim secat venam eiusdem lateris affecti, nec aliam tentat reuulsionem, Secanda cubiti interna lateris affecti. Addunt etiam isti, *curandi huiusmodi modum esse multo tutiorem, breuiorem, faciliorem.* Tutior, quia vnica venæ sect. possumus euacuare, deriuare, & reuellere. Quod euacuetur plenitudo, patet: quia vnica sect. euacuat totum corpus, teste Gal. multis in loc. Gal. lib. 4 de tu. val. c. 10. lib. de cur. rat. per sangu. miss. c. 19. lib. 3. de admin. anat. c. 16. Accedit, quòd est tutior. quia non est periculum vt ducatur sanguis in alium locum, in quo possit inflammationem excitare; si exempli gratia, existẽte inflammatione in parte dextra, secetis in sinistra, periculum, ne etiã hæc inflammetur. Est etiã cum minori virium dispẽdio huiusmodi vena ꝓxima loco affecto, teste Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 18.

In hac difficultate ego puto neutrum rectè sensisse, & hæc duo extrema conciliari quidem posse. adhibitis distinctionibus quibusdam, potest veritas determinari.

Primum oportet vt intelligatis, quid per venas proximas, & remotas intelligere velimus, quid per communes, & e directo. *Tertia et vera opinio.* Nam Curtius eligit proximam, & e directo. Oportet ergo intelligere hos terminos. Vbi autem intelligetis quid vena proxima? Lib. de cur. rat per ven. sect. cap. 14. Vniuersum corpus distribuitur in duas pręcipuas partes, quarum vna dicitur superior, altera inferior: medij constituuntur renes. Itaque, ubi laboret una ex partibus supra renes, si secetur aliqua ex superioribus, semper secatur vena proxima. Contra laborantibus supra renes, si secentur inferiores, dicuntur uenæ remotæ.

Quantum verò ad communes, existimarunt, intelligi uenas nulli parti appropriatas. Sed non est ita. Oporteret intelligere venas con-

coniugatas, quæ habent communionem ad inuicem. Exempli gratia, venæ cubiti dextri habent coniugium cum venis thoracis, & iecoris: nam uenæ iugulares, quæ inseruntur in thoracem, radificantur in brachio; ita dicuntur coniuges: sub lingua sunt coniuges cum partibus faucium, &c.

Quantum ad directionem, directæ dicuntur, quæ sunt in parte, in qua reperitur locus affectus, dextræ cum dextris, sinistræ cum sinistris; siue sint superiores, siue inferiores. Ad faciendam directionem sufficit rectitudo partis.

Itaque Curtius & ceteri volunt, in secādis his venis eligendam venam proximam directam, quæ habet coniugium cū loco affecto.

Contra Trincauellius, non opus inqt esse.

Duo obseruāda. His explicatis venio ad conclusiones, quas vobis sum pollicitus. Vbi duo sunt obseruanda: Locus affectus, & Affectio.

Locus affectus, 2. Affectio. Quantum ad locum, numquid sit supra, an infra renes.

In affectione considerandum, an sit tota iam facta.

In huiusmodi caussa considerandum, num hęc affectio sit in loco, ex quo non possit amplius euacuari: an potius sit in loco, ex quo possit educi. Exēpli gratia: sit iecoris inflammatio iam facta, materia est extra venas, & vel transiuit in pus, uel pōt etiam esse indurata, quæ nō pōt educi ex illo loco, etiamsi mitteretis totum sanguinem; nulla igitur cōuenit venæ sectio. Si possetis applicare scarificationes, congruum quidē esset, sed non propter Reuulsionem. Propterea Gal. lib. 2. ad Glauc. c. 2 & lib. de rat. cur. per sang. misс. 19 in inflāmationib⁹ nihil tale agit; sed si materia sit in uenis fluxa qdē, sed adhuc in uenis; oportet considerare, an hæc sit dura, uiscida, aut lēta, an mobilis, ut possit euacuari. Si admodum dura & uiscida, sectio non cōuenit.

Hoc est illud, quod uoluit Galen. lib. 11. meth. med. c. 14. quādo dicebat, uenæ sectionē nec curare putredinem, nec obstructionem. Per obstructionē intelligit obstructionem factam ab humorib⁹ lentis, crassis, uiscidis: nam qñ à multitudine facta, tunc iuuat uenę sectio. Sed si humor sit mobilis in uenis fluxus, iam conuenit sola Deriuatio, nulla

Quando secanda primo pxima. Reuulsio. In hūc sēsum scripsit Gal. lib. 2. ad Glauc. c. 2. qñ inquit humorum, qui iam partem obsederunt, deriuatio medela est. Et *In quib⁹ casib⁹ sectio venę communis nō posit.* ꝓpterea ipsemet Gal. lib. cur. & lib. 13. meth med. c. 11. laudat in his casibus, ut in Angina secetur uena sub lingua: in inflāmationibus oculorum, angulorum oculi: affectionibus capitis, frontis: dicitur Deriuatiua euacuatio.

Sed si affectio sit partim facta, partim fiēs, in huiusmodi casu conuenit reuulsio; sed nō *Quando primo remota.* semper, ut existimauit Trincauellius, & Arabes, ex partibus longinquis: sunt nugæ. Oportet animaduertere, an fluxio fiat per Attractionem, an per transmissionem.

Fit per Attractionem, quando locus est nimis calidus, uel dolens, ut docuit Gal. lib. 13. meth. med. c. 6. In tali casu non facienda Reuulsio ad partes distantes, secanda uena proxima. Et hoc uoluit idem Gal. lib. 13. meth. med. c. 11. in inflammatione iecoris secta uena. Hip. 2. & 4. acut. & Gal. lib. de cur. cap. 76.

Idipsum dico, si fiat per Transmissionem à partibus propinquis; in inflammationib. iecoris secanda proxima, quia pars suscipiēs & mittens sunt in eadē classe. Sed si fluxio fiat à partib. distantibus, aliter res habet. Vt exempli gratia, sit locus affectus superior, & fiat fluxio ab inferiori, quod facile fieri potest; in tali casu necessaria est Reuulsio ante Deriuationē. In hoc rectè Trincauellius sētit, & alij cū eo: Et propterea si inflammetur pars superior, secandæ inferiores: si inferior, & trāsmissio à supernis, primo secandę superiores, deinde inferiores, vt testātur in locis plurib⁹.

Denique, si fluxio sit tantum fiens, reuèra semper conuenit Reuulsio.

Sed, Domini, non facit ad rem nostram. Nos querimus rationem secandi in febribus ipsis: *vbi affectio tantum est fiens, febris non adest.* Veritas est com. 2. in lib. de nat. hum. vbi loquitur de reuulsione ad partes distantes, & postea subiungit propriam sentētiam, quem locum videatis.

DE ADMINISTRATIONE SCARIficationis, & Cucurbitularum in Febribus. Cap. XXIII.

MVltas ob caussas plerumque contingit, vt etiamsi venæ sectio in putridis sit saluberrima, nihilominus aliquando administrari non possit. Etenim vel vires præsentes, vel futuræ hoc non sustinent. In quo casu antiquiores & recentiores Medici alios inuenerunt mittendi sanguinis modos. Sunt autem præcipuè Scarificatio, Cucurbitulæ scarificatæ, atque Hirudines.

Scarificatio inuentum est potius antiquorum, quam Arabum, & qui eos sunt secuti. *Scarificatio.* Gal. enim, imo & Antillus, & Apollonius, referente Oribasio lib. 7. Collect. hanc miris laudibus extulerunt, sectioniq; venæ æqualem fecerunt, cùm minori virium dispendio administrari soleat. Has omnes dotes, quas scarificationi tribuunt, Auic. & alij Arabes tribuerunt Cucurbit. scarificatis. Quid autem intersit inter scarificationes & cucurbit. scarificatas, satis superq; docuere Ioann. ille Mannus Medicus apud Aegyptios celebris, q de hac re scripsit; & Prosper Alpinus Professor huius Academię celeberr. de Medici. Aegypt. lib. 3. c. 5. & 6. Nā Scarificatio est cutis per scapellū incisio longa & recta, secundum quā sanguis educitur, nullo alio adhibito instrumento cōcauo. Cucurbitula scarificata est euacuatio sāguinis, facta per incisionem, vel percussionem, adhibito tamen instrumento concauo supra locum incisionis. *Differentia inter scarificationes & cucurbitulas scarificatas.*

Has duas operationes dixi tantundem valere, quantū venæ sectio, quamquam nō recipiant id Alpin, nec man: qui vt tueantur Gal. doctrinam, prorsus explodunt. sed ego ostendam tantum sacrificatas cucurbit. quātum scarificationes posse, & illas potius eligendas.

A Vt hanc veritatem assequamur, primùm distinguenda sunt sacrificatio & cucurb. scarificatæ. Scarificatio 2. collect. Oribas. & Gal. de deri. reuul. cuc. & scari. accipitur tripliciter. Primò pro incisione facta super parte affecta, & instituitur in euacuationem humoris ibi contenti. Sic scribit Gal. lib. de cur. rat. per sang. mis. c. 19. in inflammationibus inueteratis, vbi cessauit fluxio, adhiberi scarificationes: cuius etiam meminit l. 2. ad Glau. c. 7. Scarificantur itaque vbi vel dolor adest. Euacuantur pariter inflammationes induratæ. Instituitur quoque in extractionem veneficæ qualitatis, in collect. cap. 18.

B Secundo vsurpatur scarificatio pro deriuatione. Loc. cit. scribitur, aliquando scarificari cutem frontis, & capitis, vt fiat deriuatio humorum.

Tertio adhibetur scarificatio partibus infernis, nempe suris crurum, quæ instituta est ad euacuandum vniuersum corpus, & reuellendum humores à partibus principalib⁹ De hac operatione. Gal. lib. 4. de tu. val. c. 4. ait, quod tantundem possit, quantum venæ sectio. De hac ipsa legitur l. 13. meth. med. c. 5. euacuari plenitudinem totius corporis incisa vena, vel scarificatis cruribus. & sect. 2. aph. 17. plenitudinē corporis euacuari, ut antea.

C Itaq; in hac parte rectè sensit Mann. & Alpinus. Sed quod subiungit postea, cucurbit. intermittendas, non accipio. Cucurbitulæ vsurpantur tam cum, quam sine scarificatione, siue, ad educendum spiritum flatuosum, & ad reuulsiones humoris, qui impetum facit ad aliquam partem.

Cucurbiculæ non scarificatæ.

Scarificatæ.

D Scarificatæ antiquitùs duplici modo vsurpatæ fuerunt. Primò ad euacuandā materiā parti infixam in eundem casum, in quem ēt scarificatio, vt sanguis ille impactus extrahatur. Aliquando vsurpātur ad deriuationem, & sic adhibentur Cucubitulæ ceruici, scapulis, ad deriuandam materiam à capite, dorso, thorace, lib. 11. meth. med. cap. 17. Alium modum administrandi cucurbitulas scarificatas non inueni antiquioribus fuisse acceptum. Arabes verò, quorum princeps est Auic. Fen. 4. lib. 1. c. 21 de cucurb. præter vsum euacuationis à parte affecta, & deriuationis, excogitarsit, & pro euacuatione totius corporis & reuulsione, vt ex Gal. scarificationē; vt ita non tm̄ Arabes hanc sn̄iam libenter acceperint, sed ēt Celsus lib. 2. c. 11. ferè circa fin. Itaq; q̄n accipimus cucurbit. scarificatas esse æquales scarificationi, loquimur de scarificatione circa suras crurum, quæ pro cucurbitulis scarificatis in ijsdē partib⁹ adhibetur. His stantib⁹ ostendo, cucurbitulas scarificatas potius esse eligendas quā scarificationē.

Scarificatio adhibetur crurum suris, vt euacuet sanguinem satis copiosum, sed minori virium dispendio, quàm venæ sectio.

Cucurbitulæ scarificatę his ipsis partib⁹ adhiberi possunt, & eādem sanguinis copiam educere. Ego sanguinis viginti vncias cucurbitulis extraxi: igitur tm̄ præstat, quantū scarificatio. Vtrum huic rōni aliquis aliquid respondere possit, sanè nescio. Deinde quod paulò ante dixi, id repeto, non tm̄ idipsum posse, sed esse administrādas; quia meliùs, citiùs, tutiùs, & cum minor virium dispendio hanc euacuationem sanguinis moliuntur.

Quantū præstent cucurbitulæ scarificationi.

Quod citius: nam euacuantur per scarificationem multa necessaria; primo percussio fit satis longa post balneum aquæ calidæ: post incisio, quæ debet sanguinem euacuare, præterquam quod attrahatur a cucurbitulis: propterea non ita subitò mittitur vt in cucurbitulis.

Itaq; citius operantur, & meliùs, quandoquidem cucurbitulæ extrahunt sanguinem à profundis partibus, duplicem ob caussam. Scarificatio ob vnicam tantùm. Scarificatio enim attrahit à remotis & profundis ob solam sectionem. Cucurbitulæ verò scarificatæ ob sectionem & attractionem a cucurbitula factam.

Operantur ēt cucurbitulæ tutiùs, nam scarificatio, si debeat aliquam sanguinis quantitatem essatu dignam emittere, debet esse lōga, profunda, quę admodū periculosa, quia sunt admodum dolorosæ, vnde multi spiritus euacuantur. Deinde quia ex sententia Gal. lib. de cur. per sang. mis. c. 11. adhibentur scarificationes potissimū in mulieribus pinguioribus, obesis, quæ habēt venas angustas, quæ frigidiores; vulnera impacta difficilimè consolidantur, durant aliquando 20. dies, vnde periculum ne succedat gangræna, teste Gal. l. 2. ad Glauc. c. 7. itaq; non vsq; adeò tutæ. Si n. fiant superficiales, sanguinem non educunt. itaq; tutiores cucurbitulæ sunt.

Cum minori etiam sunt virium dispendio: nam in scarificatione est dolor. Antiquitùs fuisse scarificationem præstantiorem cucurbitulis non nego: Concedo etiam ignotum fuisse Gal. cucurbitulas tantū præstare, quantum venæ sectio: sed non concedo cucurbitulas esse postponendas scarificationi. Accedit, quod ægri pro molienda hac operatione coguntur surgere ex lecto, coguntur adhærere ipsi cubili, pedibus stare in vase aqua calida pleno, & omnia sustinere, quæ fieri nō possunt absq; virium dispendio. Quinimo scarificatio, cum nullam habeat cucurbitulam superpositam, necessariò permittit spiritus exhalare, vt Fen. 4. lib. 1. cap. 21. Auicen. scribit. Est pulcherrima cōsideratio. in cucurbitula retinetur spiritus; addit, scarificationes illas, quæ non possunt seruari, nisi

longo

longo tempore, posse vigilias, & virium iacturam facere, secus scarificatas cucurbitulas.

Itaq; ego præpono cucurbitulas scarificatas ipsi scarificationi. Quod dicunt isti, fuisse istos deceptos, & per scarificationem intellexisse cucurbitulas scarificatas, existimo fuisse ingenium huius viri. Itaq; & ego accipio potiùs cucurbitulas scarificatas, quàm scarificationem.

Modus adhibendi cucurbitulas. De modo adhibendi cucurbitulas, in Primis est sciendum, cucurbitulas has scarificatas cõuenire tam in Principio morbi, quàm etiam aliquando in Augmento & Statu.

In principio. In principio ad euacuandum vniuersum corpus, in quibus venæ sectio administrari non possit. In progressu vbi facta vniuersalis euacuatio, vel per venam sectam, vel medicamentum, vel vtrumque.

Si sermo sit de cucurbitulis adhibendis in principio, pro euacuatione totius corporis; est dubium, an semper adhibendæ partib⁹ inferius, quemadmodum scarificatio: an in principio, & superioribus. Rõnes sunt variæ.

Qui putant adhibendas partibus superioribus, nituntur ratione, & auctoritate. Ratione: nam cucurbitulę appositæ superioribus (intelligo dorsum, lumbos, & nates) inquiunt, in his venę sunt proximiores venæ cauæ, quam circa crura. Ergo & auctoritate Auic. qui Fen. 4. lib. 1. c. 21 inquit, has esse vicarias venæ basilicæ, communis & cephalicæ. Si vicariæ, igitur deficiente occasione, oportet eligere cucurbitulas scarificatas.

Ex altera parte rationes, propter quas sunt suspectæ, & loca Galen. sunt non magni momenti. quia quamuis loquens de huiusmodi vsu cucurbitularum, semper dicat, nũquam esse adhibẽdas, nisi euacuato corpore tòto: Cognouit tantum pro euacuatione partis affectæ: non cognouit, ut administrentur pro euacuatione totius.

Quantũ ad rationes, inquiunt, si adhibentur cucurbitulę dorso, necessariò obstructiones cutis augent, attrahunt humores à uenis magnis in capillares, uel à uisceribus in uenas magnas, & deinde in capillares. Sed sic est, sanguis in uenis, humores in uisceribus; humores crassi, sanguis crassus augebunt obstructionem cutis, & per consequens febrẽ.

Accedit, quod affixæ cordi, & partibus proximis possunt ducere humores ad locũ affectum; propterea lib. 11. meth. med. c. 17. in affectibus thoracis non laudat cucurbitulas, nisi facta totius euacuatione.

Domini, hac in parte existimo opus esse distinctione. Considerandum primò numquid febris, cuius ratione sanguis mittitur, ortum ducat ex uenis communibus, an determinatis?

Si communibus, considerandum, an adsit cacochymia insignis in uenis uel primis uijs; an non adsit.

A Vbi igitur febris ortum ducat ex uenis communibus, neq; insignis adsit cacochymia, nec in uenis, nec primis uijs, existimo posse tutò mitti ex uenis infimis, crurib⁹ scilicet; tamen nõ existimo esse adeò magnum peccatum, si etiam adhiberẽtur lumbis & natibus: nam nullum imminet periculum huius obstructionis. Sed consulo, ut antequã ad hanc operationem deueniatis, præbeatis medicamenta ad euacuandas cruditates. Postea adhibeatis etiam lumbis & natibus, quãdo nulla adsit necessitas.

Contrà, ubi suppressæ hæmorrhoides, aut fluxio fiat ab utero in partes superiores, ibi secetis inferiores, cruribus apponatis: quæ

B operatio non tantum facienda in mulieribus obesis, sed etiam in illis, quæ habent uenas latas, quando non sustinent uenæ sectionẽ. quia lib. cur. c. 11. secãda crura in mulieribus tñ pinguib⁹. Quę uero secãda sit uena, uide ibidem. Hęc sententia intelligenda de illis mulieribus, quæ possunt sustinere uenæ sectionem. Nos loquimur de illis, quæ non possunt.

Sed si ex aduerso fluxio fiat ad uterũ, uterus ipse laborat erysipelate, inflammatione, aut laborat uesica, aut pudenda: cucurbitulæ scarificatæ partibus infimis proderunt? Oportet tempus distinguere: si sit principiũ morbi, si ex parte fiat, ex parte sit factus, si non

C sustineant uenæ sectionem patientes, oportet partibus superioribus apponere.

Per partes superas non intelligo thoracem, neque dorsum, sed cucurbitulas adhibitas ipsis brachijs.

In his casibus ubi fit fluxio ad uterũ oportet adhibere cucurbitulas brachijs; minuitur enim plenitudo, & fit reuulsio à loco patiente: postea etiam poteritis scarificare crura.

Sed si locus superior sit affectus, ut cerebrum, fauces, pleura, & tamẽ huiusmodi affectus non fiant ex fluxione à partibus infernis, sed proximis; in tali casu difficillimum est decernere, num liceat adhibere cucurbitulas, non præmissa alia euacuatione partib⁹ supra renes: periculum enim, nec materia

D trahatur ad cor. Propterea Auic. cap. 21. loc. citat. cucurbitulas in dorso inferre cordis tremorem, inquit.

Oportet, vt consideretis, num ex partibus præcipuis quædam sit imbecillis, necne? Interrogetis, an naturaliter, an ex morbo imbecillis. Exempli gratia, si qui laborant circa caput, tentantur asthmate, habeant pulmones imbecilles, imbecillem ventriculũ, non auderem imponere cucurbitulas partibus propositis, nec dorso, nec lumbis, nec materia flueret ad illam partem. Itaque ipsis brachijs supra cubitum, vbi nulla noxa.

Si sermo sit de cucurbitulis adhibendis post alios morbos, vt post morbillos, petechias, &c. in his casibus facta uniuersali purgatione per uenæ sectionem & medicamen-

ta, tutò possint apponi, non tantùm infernis, quantum etiam natibus, lumbis, & dorso. Propterea Gal. lib. de reuuls. deriu. cucurb. & scarif. prop. cap. de cucurbitulis, inquit cõuenire. Quod etiam sentit Auic. & omnes.

De apertione venarum sedalium, seu Hæmorrhoidum, & appositione hirundinum.

Cap. XXIV.

INter ceteros modos, quibus sanguis in febribus mitti solet, duo supersunt examinanda: primum est venarum sedalium, seu hæmorrhoidum apertio; alterum uero hirudinum appositio.

Nec miremini, me hos duos modos distinctè proponere. nam possunt aperiri venæ sedales, absque hirundinib⁹, possunt apponi hirudines varijs partibus, non solùm hæmorrhoidibus. Itaque de vtroq; modo sigillatim.

Quantum ad apertionem venarum sedalium video inter omnes cõuenire, huiusmodi aliquando esse vtilem; non conuenit uerò inter omnes, quando talis sit vtilis, nec quibus conueniat.

Quib⁹ liceat aperire hæmorrhoides. Fuere inter recentiores viri clarissimi, qui existimarunt huiusmodi apertionem nusquã & nunquam esse tentandam, nisi in illis, qui sunt assueti ad excretionem, non cuiuscumque sanguinis, sed tantùm melancholici, nec cuiuscumque melancholici, sed dumtaxat melancholici naturalis, qui est fæx sanguinis, vt propterea uno uerbo existiment, non esse aperiendas, nisi in illis morbis, qui prouenigt ex malancholia naturali. Itaque in febribus quartanis, & melancholia cõueniunt: in alijs autem febribus, uel phrenitide, nõ: quia aliæ febres ex alijs humoribus ortum ducunt.

Confirmant hanc suam sententiam Gal. testimonio sect. 6. aph. com. 11. 12. & 21. vbi scribit, huiusmodi venas expurgare sanguinẽ feculentum, & melancholicum. Et propterea in illo com. 21. inquit, per insanientes, quibus scribit Hipp. hęmorrhoides prodesse, intellexisse non quamcumque insaniam, sed tantùm melancholiam ipsam.

Quod autem in alijs non liceat has venas aperire, probant varijs rationibus. Primo, q̃a, si in alijs aperiantur, excernunt tantùm sanguinem magis ichorosum, & tenuem, crassiorem verò in corpore relinquunt. Secundò, quia huiusmodi operatio non expurgat viscera præcipua, præcipuè iecur, quod magna ex parte est focus, & sedes putridarum. Tertiò, quia eiusmodi sanguinis euacuatio non potest curare obstructionem in uniuersi corporis ambitu repertam.

An ex apertione hęmorrhoidum immineant pericula. Præterea inquiunt, ex tali euacuatione maxima imminent pericula. nam interdum tantùm educitur, ut exanimes relinquant, præterquam quod dolores, ulcera, fistulæ ex hæmorrhoidum apertione in his locis innasci solent. Domini, est quæstio magni A momenti, agitur de remedio in febribus præstantissimo: non est Logica quod si non vsurpatur, potest obesse: itaque oportet esse diligentes.

Quod igitur ad hanc rem pertinet, hanc sententiam existimo esse prorsus à Galen. & Hipp. & ratione alienam.

Quod à Gal. patet manifestissimè ex 5. in 6. epid. com. 15. vbi inquit Galen. in com. 25. *venas hæmorrhoidales non tantùm excernere sanguinem melancholicum, sed etiam plerunque imminuere plenitudinem totius corporis;* ita ut ex eo loco colligatur, quãdoque excerni hunc sanguinem, quia est oneri naturæ: quandoquidem excernitur propter nimiam copiam, quamquam B bonus sit: quandoque propter imbecillitatem vasorum sanguinem continentium. Itaque patet non tantùm melancholicum, sed etiam probum propter imbecillitatem excerni. Vidit locum, sed respondet, euacuari quidem alium sanguinem diuersum à melancholico, sed tamen tum naturam improbè agere, quæ excretio patientibus noxia, & concludit auctor, non imitandum esse naturæ improbè agentis motum: sed si ita esset, abstinendum.

Sed sunt alia loca, in quibus se explicat, an hæc proba, uel improba, vtilis, an inutilis. Quarto de art. com. 40. proponit cãm, pp̃ter quam aliq̃n sanguis effunditur ex naribus. In dysenteria, inquit, caussam esse mutilationẽ C membri, uel intermissionem exercitij in abundantia cibi. Itaque loquens de his omnibus excretionibus, inquit, fieri maximo istorum beneficio. Si non fiat, inquit, necessariũ est, illos incurrere in alia grauiora mala.

Itaque si, inquit, huiusmodi excretio non sanguinis melancholici sit summo beneficio; igitur non semper euacuatio improba. Propterea Hipp. 3. in 6. epid. tex. 37. scripsit in eundem sensum, in quem Gal. loc. cit. inquit, Mariscis laborantes neque tentantur pleuritide, neque peripneumonia, &c. Vir excellẽtissimus, qui aliam tuetur sententiam, vidit, sed inquit, aduertas, uerum est: sed loquitur de pleuritide, & peripneumonia melancholica, non sanguinea.

Volo uos iudices esse, num hæc responsio D satisfaciat; tamen alius etiam locus: in lib. de venæ sectione adu. Erasistr. cap. 5. & 6. scribit, eos, quibus sanguis copiosus coaceruatur, (non loquitur de melancholico) incidere in pleuritim, vel in peripneumoniam, nisi euacuetur per hæmorrhoides.

Itaque ex his patet, non tantùm melãcholicum, sed &t alium ex his locis effundi.

Quod ad aliam rationem, sanguis tantùm tenuis excernitur. non satis intelligo hanc rationem, vult effundi tantùm melancholicũ, & postea inquit, tantùm excerni ichorosum: hæc mihi videntur inuicem pugnare.

Quando etiam subiungit, huiusmodi expurgationem non expurgare viscera præcipua

cipua. Primum, si sermo sit de liene, à quo ramulus tendit ad venas sedales, 5. in 6. epid. com. vl. Propterea Gal. apertè scribit, hæmorrhoides sanare lienis tumorem, &c. Sed nonne etiam apertè hoc dicit Gal. 6. aph. com. 12. Huiusmodi vacuationem sanguinis posse imminuere plenitudinem iecoris, vt si retineatur, sit in caussa, quamobrem gignatur hydrops, vel cachexia? Nam inquit Gal. est in cã, vt euacuetur fæculenta, ac vitiosa materia hepatis. Si iecur expurgatur: Ergo & viscera.

Propterea in eumdem sensum scribit Gal. lib. 2. de nat. fac. cap. 8. esse in caussa hydropis.

Et profectò, si venæ sedales sunt in medio corporis, quare non existimemus posse purgare iecur? Quod dico de iecore, dico etiam de toto corpore.

Quod dicat aliquando immodicam esse hanc euacuationem: non nego per incuriam ministri posse fieri: sed oportet vt cautè agant. Si ad errores ministrorum respiciamus, etiam sic in venæ sectione potest contingere.

Denique quod dicat, aliquando posse induci vlcera, fistulas: consulo, ut antequam aperiantur uenæ, uideatis, an locus imbecillis, necne; utrum aliquando passi fistulam, ubi abstineatis: in alijs casibus non imminet periculum.

Conclusio itaque sit, in quibus sanguis uiscidus, & quibus multus abundat, posse fieri has excretiones.

An tantũ assueta sint aperiendæ hæmorrhoides, an verò etiam reliquæ.

Sed dubium. *An tantum in illis, in quibus consueta hæc fuerit euacuatio, an in ijs, qui ea numquam sunt vsi?* Apud Galen. lib. 4. de tuen. val. c. 4. non inuenio, esse tentandum in ijs, qui non sunt assueti, pariter per sãguinis missionem, cuius laudat operationem, qui assueti, & quibus suppressa euacuatio. Et ideò 4. aphor. 75. videtur improbare huiusmodi auxilium in non assuetis.

Sed ego existimo aliter sentiendum, & distinctione opus esse, quando agitur de aperiendis uenis sedalibus.

Si sermo sit de ijs, qui sunt assueti, & suppressa sit euacuatio, mittendus per loca, de quib⁹ postea loquar, nulla alia premissa missione, teste Gal. lib. 4. de tu. ual. cap. 4. ubi scribit, in illis, qui sunt assueti; sanguinis hæmorrhoidalis tantum valet, quantum uenæ sectio: Si tantumdem ualet, quantum uenæ sectio; igitur quãdo suppressæ hæmorrhoides, & expediat sanguinem mittere, si uires robustæ, debetis prætermittere uenæ sectionem, & tentare per hæmorrhoides.

Alter locus clarissimus, qui etiam declarat præcedentẽ, est lib. 9. meth. c. 5. ubi loquitur de curanda Synocho, non loquitur de morbo melancholico, non de quartana, inquit in hac febre, si contingat tentari hæmorrhoidibus, si hæc excretio per hæmorroides sit sufficiens, non alia utendum: si non, tantundem mittendum per sectam venam, ut ex duobus illis, missionis satisfiat necessitati.

Confirmat etiam hanc operationem, quia inquit, quamuis hæc excretio non sufficiens, est aperienda uena. Per apertionem uenarũ nõ intelligit superiorem venam, sed inferiorem ad excitandam hanc purgationem, ut docuit lib. de scarif. & altero per sangu. miss. cap. 19. ubi inquit: suppressi hæmorrhoidibus, oportet uel crura scarificare, uel uenas inferiores secare. Itaque non opus sectione venæ superioris.

Etiam in non assuetis conuenire.

Sed si quispiam non fuerit assuetus, in his casibus, si corpus sit plenum, & vires robustæ, consulo secetis venam; nolo, ut cum hirudinibus aperiatis hæmorrhoides.

Si uires non constent, quamquam hæmorrhoides non assuetæ, aperiatis uenas hæmorrhoidales propter defectum virium, & propterea si aliquando etiam facta sectione venæ communis urgeat necessitas mittendi no ui sanguinis, aperiatis sedales, etiam in non assuetis: cui opinioni nec Galenus refragatur 4. aph. 25. nam aliud est sanguinem mittere aliud assuescere.

Modus aperiendi hæmorrhoides.

Quantum ad modum, est multiplex: Possunt enim euacuari scarificatis cruribus, uel apertis uenis inferioribus, teste Galeno lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 19. Aliquando excitantur frictione folij parietariæ, borrag. ficus, panno aspero, potissimum si madefiat in ol. amygd. dulcium calente.

Excitatur etiam euacuatio sanguinis quãdoque scalpello, aliquando per hirudines; quomodo debeant aperiri, dicam.

Si quispiam assuetus fuerit huic excretioni & tamen eo tempore, quo morbus urget, nulla adsit excretio; considerandum, an patiens sanguinem in copia effundat, ut uires patiantur, an in moderata copia.

Si non sit assuetus copiosæ excretioni, considerandum, an hæmorrhoides sint tumidæ, an absque tumore.

Si tumide, & patiens non sit assuetus multæ excretioni, sunt aperiendæ frictione proposita, aut per impositionem hirudinum, sed si assuetus multæ euacuationi, abstineatis ab hirudinibus, melius est scarificare crura, vel secare uenas inferiores.

Similiter, si non sint tumidæ, & patiens nõ assuetus excretioni, necessarium est adhibere hirudines uenis sedalibus. Et quamquam ex antiquioribus Græcis nemo mentionem faciat hirudinum in uenis sedalibus, excepto Actuario lib. 3. meth. cap. 3. qui probat, quam accipio, quando hæmorrhoides non assuetæ validæ excretioni, & non tumidæ, & patiens frictionem non uoluerit ferre, per hirudines.

Quando hæmorrhoides sint aperiendæ.

De tempore, si occurrat patiens assuetus, potius secetis uenas maiores in principio, postea illas.

Quantitatem sanguinis euacuabitis, prout videbitis.

Qua quã titate sã guisemit tendus. Quantum ad alias hirudines, non tantùm esse in vsu pro eiusmodi euacuatione, sed & *Ipse necessariũ.* vacuandis partibus determinatis, venis nariũ *Le hirudinibus.* in phrenitide, maximo dolore capitis: ubi cauti debent esse ministri. nam aliquando ascendunt hirudines in cerebrum, vt non possint extrahi. Adhibentur etiam venis temporum, vti in fluxionibus ad oculos, vel ad aures, & alijs omnibus partibus determinatis ad euacuandas materias, quæ in illis locis detinentur.

Sed denique nostris temporibus apponũtur etiam maioribus uenis in cubito, & pedibus in pueris & mulieribus (in pueris non aperitur ante 14. annum(ligetur vena, & apponatur vna, uel altera sanguisuga in grauibus morbis, vt phrenitide, &c. Idem dico de mulieribus. Quæ dicta sint de his duobus modis mittendi sanguinem.

De curatione, quæ fit Pharmaciam, & primùm de medicamentis Lenientibus.

Cap. XXV.

DE fonte Chirurgico hactenus dictum est, succed.t Pharmaceuticus, de quo dicendum. Distinguuntur auxilia ex fonte hoc desumpta in quattuor potissimùm genera. Primum continet Lenintia vocata medicamenta. Secundum, Alterantia, Tertium, Purgantia. Quartum, Corroborantia. Loquar primò, de lenientibus, deinde, de alterantibus, tertiò, de euacuantibus, mox verò de corroborantibus.

Quod pertinet ad Lenientia, hæc sunt vomitoria, clysteres, suppositoria, & medicamenta.

Vomitoria. Vomitoria in febribus putridis locum habent ratione euacuationis, & ratione reuulsionis.

Ratione euacuationis, vbi materia, quæ febrem, uel facit, uel auget, uel augere potest, in ventriculo continetur, & ad os ventriculi impetum facit. Sic dicebat Gal. lib. 11. meth. cap. 4. in febribus etiam continẽtibus expurgandos prauos humores, non tantùm per aluum, vrinas, & sudores, sed etiam per vomitum. Ex quo loco colligitur, in febribus, ex vasis communibus non esse excitandum vomitum, nisi quando materia ad os uentriculi sponte habeat propensionem: non oportet attrahere materiam putridam ad ventriculum. Sic Gal. lib. 1. ad Glauc. c. 9. in febre tertiana vomitum commendat, quando materia habet propensionem ad os ventriculi.

Ceterùm, quamquam vomitoria non conueniant, nisi materia ad os ventriculi habeat propensionem, conueniunt tamen gratia reuulsionis. Propterea siue laboret vterus inflammatione, siue pudenda, pro reuulsione conueniunt vomitoria, ut docuit Gal. lib. 13. meth. cap. 11. Et ratio est, quia in his casibus, quando febris ortum ducit ex loco determinato, materia in eo, etiamsi putrida, per Vomitum non euacuatur, sed ea, quæ adhuc nõ est putrida. Non est tamen excitandus vomitus ventriculo ipso primariò laborante.

Si laboret secundariò, nempe cardialgia, vel alio dolore, qui proueniat ex fluxione humorum transmissa à loco determinato, affectio non est primaria.

Si autem est primaria, non oportet irritare vomitorijs hanc partem, teste Galen. lib. 13. meth. c. 11. Hæc uomitoria uaria sunt pro varietate humoris, qui educendus.

In materia calida, biliosa, & acri, fit ex aqua hordei, mixta cum oleo, uel communi, sed dulci, uel amygdalino, quod mihi magis probatur. *In materia biliosa.*

Et quamquam sunt uiri excellentissimi, qui existimant, in fluxu humoris biliosi non cõuenire Vomitoria, quæ oleum recipiant, quia habet occasionem laxandi os uentriculi, nihilominus maius iuuamentum præstat ad subducendam aluum, & euacuandũ per inferiora, ut debeat potius eligi. Nec hæc est mea sentẽtia, sed Galeni lib. 1. ad Glauc. cap. 14. ubi laudat hydrolæum: nos uerò eligimus ol. amygdalinum.

In materia crassa & pituitosa oxymel simpex compos. scyl. mixtum cum decocto, uel anethi, uel raphani. *In pituitosa.*

In materia mixta expedit uti syrupo acetoso, cum decocto hordei, & anethi. Dosis uomitorij si ad decoctum respicimus, erũt unc. vj. uel. viij. si ad syrupum unc. ij. uel iij. *In mixta*

Tempus exhibendi uomitoriũ est, si sermo sit de euacuatione tempore propensionis humoris ad os uentriculi: propterea si iam incipiat, uel tenebricosa uertigo, uel inappetentia, nausea, tremor labij inferioris, est argumentũ propensionis materiæ ad os uentriculi. Pro reuulsione poteritis eligere horam, in qua patientes minùs affliguntur. *Tempus exhibẽdi uomitoria.*

Quantum ad clysteres, administrari solent in febribus ad subducendam tantum aluum, uel pro reuulsione alicuius humoris, qui impetum facit ad os uentriculi & caput, & inducit cardialgiam, & dolorem. *Clysteres*

Si sermo sit de clysteribus administrandis pro subducendis fæcibus, imponi debent horis minoris afflictionis, aut interuallo.

Si scopus est reuellendi impetum humoris, in tali casu eligenda horá fluxionis humorum, in qua grauius affligantur, quamuis esset importunum (non est, quod respiciatis impedimenta) noctu & nuper pasto. quæ sententia partim ex Galeni, partim Hippocratis uarijs locis. Gal. lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 12. docet, clysteres pro necessitate administrandas quacumque hora. Et sicut increpat illos, ita laudat, qui imponunt clysteres quacumque hora. Hippocrat. etiam 1. acut. 45. scribit, etiam nuper pasto clysteres administrari posse, si tamen uires sustineant.

d.co,

A Dico, *si vires sustineant*. nam reuera in principijs accessionum multoties confluit materia ad os ventriculi, & excitantur cardialgiæ vehementes: in tali casu opus esset clysteris pro reuulsione.

Suppositoria. Si non sustineant, oportet confugere ad Suppositoria, quæ in hac necessitate nõ sunt semel imponenda: oportet imponere duo, tria, quatuor, quinque, &c. vnum post aliud, ita, vt semper in corpore adsit vnum, vsquequo natura incipiat transmittere ad partes inferiores.

Et quia suppositoria alia sunt communia ex melle cum sale, alia efficaciora, eligenda in hoc casu efficacissima, quale erit hoc.

B *℞. diagrid.*
trochis. alhandal. an. g. v.
salis gemmæ g. xij.
spec. hieræ simp. drach. j.
mel q. s. M. f. supposit. 3. cum filo apponendo, vt exsistentibus viribus imbecillibus possint extrahi.

Clysteres pro materia calida. Clysteres similiter possunt componi pro materia calida, & frigida ex decocto hordei, saccharo, & oleo violaceo, vel butyro, aut ex lacte cum eodem saccharo, & ol. violaceo. Exempli gratia.

℞. aq. hord. lib j.
facch. rubri.
ol viol. an. vnc iij.
vitell. ou n. j. M.

C *Pro pituitosa.* Vbi materia fuerit pituitosa, & crassa, conueniunt communes.

Vel si flatus adsint, ex decoto anethi, addito melle, sacch. & ol. amygd. sale, & ouis.

Quantum ad Lenientia vocata, administrãtur, vbi peccant humores in primis vijs.

Lenientia Hæc lenientia varia quidem sunt, ac alia respiciunt materias calidas, alia frigidas, alia mixtas. De his in proprio tractatu singularũ febrium habebitis descriptionem, & dosin in bolo, & potione.

Vnum tamen dicam, huiusmodi medicamenta à nonnullis recentioribus existimari Purgantia, quod scil. habeant vim electiuè euacuandi proprium humorem. Exempli

D gratia, syrupus rosatus solutiuus pro bile, mel rosatum solutiuum pro pituita, &c. Itaque dicunt esse hæc purgantia, non lenientia.

Sed decipiuntur: nam natura purgantis non definitur, quod educat hunc, vel illum humorem, sed quod attrahat, hunc, vel illum humorem etiam à longinquis. Vnum aliud addo, hæc lenientia in cura regulari, semper administranda esse, vel in die intermissionis, si habeat vnum diem intermissionis: vel in die minoris afflictionis, si singulis diebus affligat.

Et ideo non est, quod semper eligatis horas matutinas: aliquando febres inuadunt matutinis: oportet præbere medicamenta vespertinis.

De curatione per medicamenta alterantia, Præparantia, & Concoquentia.
Cap. XXVI.

Propriè alterãtia QVantum ad alterantia, hic etiam quæso estote attenti. nam pulcherrima, difficillimaq; est tractatio. Distinguuntur hæc à me in tria præcipua capita, propriè alterantia, præparantia, & concoquentia. Altimarus præter hæc tria addit quartum genus, nempe Digerentium medicamentorũ. Sed quamquam digestio sit diuersa à concoctione: aliud enim est concoquere, aliud digerere: Concoctio est mutatio: digestio est motio humoris concocti, & cõsequenter distributio. Sed tamen, quando sermo est de Præparantibus, seu Alterantibus in febribus, digestio est enumeranda inter medicamenta, quæ respiciunt alterationem humorum. In febribus numquam hæc inuenietis, quando concoctus est humor, fit a natura; vel si arte, fit a purgante.

Itaque loquor tantum de propriè alterantibus, quæ sunt illa, quæ respiciunt primas qualitates: tunc in febribus fit alteratio, quando intemperiem calidam, & siccam corrigimus frigidis, & humidis, frigidam & humidam calefacientibus & humectantibus; hæc est alteratio, quæ locum habet in febribus ratione febris, & ratione caussæ febris.

Ratione Febris semper refrigerantibus & humectantibus vtendum.

Ratione Caussæ quandoque refrigerantibus, & humectantibus, quandoque calefacientibus & siccantibus, quandoque calefacientibus & humectãtibus: de quibus etiam sigillatim suo loco. Nunc addo illud, considerari circa partem, quid agendum, quando huiusmodi intentiones sint inter se cõtrariæ. nam dari febrem ex materia biliosa, hoc parum est, nouerit quisque intentionem. Sed vbi pugnant intentiones, vt ex alia requirat calefacientia, & siccantia: hoc opus, hic labor est.

Docuit hanc rem Galenus lib. 10. meth c. 1. vbi scribit, in tali casu necessarium esse, respicere, ad id, quod magis vrget. Et propterea, si febris magis vrgeat, quam caussa, febri incumbendum per refrigerantia, & humectantia, neglecta ipsa caussa, aut saltem posthabita; interim refrigerantibus & humectantibus agendum, postea incumbendum caussæ.

Sed dicetis, quando incumbendum febri magis quàm caussæ? Nam loc. cit. videtur incumbendum soli caussæ: Inquit, si incumbas soli caussæ, minus errabis: si vtrique, rectè agis.

Sed dantur aliqui tamen casus, in quibus febri incumbendum, vt caussa prorsus spernatur.

Hoc euenit, quando est ita exurens, vt vires

res iam deijciat, adsit colliquatio, immineat hectica, imo tabis periculum. In his, quãquã ex potione frigidæ, possit longior reddi, in hoc periculo oportet febri incumbere spreta caussa: Hoc obscurè tetigit loc. cit. Et apertissimis uerbis lib. 10. meth. c. 6. in ardentib' cum inflammatione spernendam inflammationem, & potum frigidæ præbendum.

Itaque in hoc solo casu, vbi immineat periculum tabis, quamquam morbus debeat fieri longus, debetis esse audaces in præbenda frigida: quãquã corrigerem auxiliũ frigidorum, exhiberem potius hordeaceam in maxima copia: & si obstructiones adessent, adderem semina melonum, & alia frigida.

Quantum verò pertinet ad caussam, huic magis incumbendum, quàm morbo; quando febris non videtur admodum periculosa. pituitosa, & melancholica, sunt admodum leues Sic igitur agendum in huiusmodi casib'

Distinguebam alterantia vocata medicamenta in tria præcipua capita; quorum primum continet ea quæ propriè alterantia dicuntur, eò quod respiciunt primarum qualitatum mutationem, & alterationem.

In hac enim alterationis differentia semper contrariæ qualitates contrarijs mutantur.

Præparãtia. In secunda classe sunt alterationes, quæ proprio nomine Præparantia dicuntur.

Huiusmodi illæ sunt, quæ disponunt humorem, ita, vt facilè ex corpore educi possit.

Hæc dispositio dupliciter comparari potest: Primo quidem vijs ipsis, per quas humor ipse est transiturus, apertis. Deinde, quando ipsi humores reducuntur ad quandam mediocritatem substantiæ, secundùm quã sint fluxiles.

Quid præparatio. Itaque præparatio est viarum, per quas humor est transiturus, adapertio, aut humoris exeuntis exæquatio, ad quandam substantiæ, mediocritatem. quæ exequatio potest consistere in secundis qualitatibus, de quibus postea.

Vias aperientia. Nunc de vias latas apertas facientibus erit sermo. Medicamenta hæc, quæ & de obstruentia dicuntur, administrantur, omnibus putridis, in quibus in cute, & in ambitu corporis, vel venis meseraicis, & iecoris obstructiones continentur, propter quas non libera est transpiratio. Itaque necessaria aperientia. Hæc medicamenta sunt & calida, & frigida, & temperata.

Quantum ad calida, videtur Gal. lib. 13. meth. cap. 14. suspecta habere omnia medicamenta calida aperientia, quando adsit insignis aliqua caliditas febrilis. Propterea in inflammatione iecoris, inquit, esse quidem necessaria, sed cum sint calida, oxymel vel ptisana eligenda. Ita vt hic ad pauca confugiat pro vijs aperiendis.

Pariter lib. 8. meth. c. 4. in huiusmodi obstructionib' videtur omninò calidorũ vsum

A auersari, & tamen idem in ardentibus synochis, quasi sui oblitus, proponit etiam calida lib. 11. meth. c. 4. Ibi loquitur de febre synocho: proponit non tantum oxymel, sed etiã radicem apij coctam in aqua. Sed quod magis est, sect. 1. aph. 24. loquitur de materia turgente, quæ est calidissima: quamquam dicit concors cum Hipp. esse euacuandum: subdit tamen, &c. Vide locum.

Itaque hæc non conuenire inter se videntur, si febris ortum ducit ex humoribus turgentibus, consequenter ortum ducit ex calidis, & proponit origanum.

Pro euitanda hac contradictione, primò notandum, quod inter lib. 8. meth. & lib 11. B meth. intersit. Nam lib. 8. non mentionem facit radicis apij, sed absolutè apium nominat apium: si absolutè accipitur, potest intelligi ratione seminis, quod est cal. in tertio gradu, quod docuit lib. 5. de simpl. med. fac. cap. 13. Non igitur vsurpandum: sed radix apij in aqua cocta, non vsque adeo fugienda, si misceatur alijs.

Quantum ad caput 14. lib. 13. meth. quod in inflammatione iecoris cum obstructionibus, calidis vtatur, & 1. aph. 24. etiam ea accipiat; dico Galen. 1. aphor. 24 dum accipit sic calida, non respicere materiam peccantem, supponit adesse tantum in primis vijs excrementa crassa. Ex alia parte supponit, materiã feruentem, & turgidam in venis contineri: C vbi si adhibeantur, nõ possunt calefacere illum humorem in venis contentum; & si minora vsurparentur, nihil prodessent. Sed si contingat affectio calida in iecore, prætermittenda: propterea lib. 13. meth. prohibet.

Quamquam hæc sit rei veritas, & locorũ conciliatio, ego tamen consulo, vt pro obstructionibus superandis, vos vtamini medicamentorum distinctionibus: nam nostris temporibus possunt esse tam frigida, quàm calida, & temperata.

Itaque si aperiendæ viæ cum humoribus calidis refrigerantia, quæ sunt syrupus de acetosa, syrupus ex acetositate citri, succus arantiorum, limonum, citri, cum portione sacchari, & permistione aliarum herbarum refrigerantium, sonchi pentaphylli, &c.

D Si uolueritis etiam immiscere aliquid ἐmulsionis sem. melon, citrulli, aperiunt, refrigerant, & penetrabunt.

Sed oritur dubium circa hæc, num adminiſtranda? Ratio dubitandi est: quia Gal. 1. acut. 18. uidetur prorsùs renuere horum usum, dũ loquitur de medicamentis administrandis in febribus, quæ habent vim aperiendi, inquit, calidiora prorsus administranda, acida relinquenda omnia, excepto oxymelite. Si omnia; itaque neque succus limonum, & omnia proposita erunt vtilia. *Obiectio, pro deobstruendis vijs in febrib' acida nõ esse vsurpanda.*

Videtur huic accedere ratio; quia videntur habere uim adstrictoriam: ergo uias non aperient, sed angustiores reddent.

Quod

Quod adstringant, docet ratio & Gal. lib. 5. loc. aff. c. 15. Si itaque adstringunt acida: Ergo uenas non aperient.

Ex alia tamen parte certum est & ratione, & auctoritate, habere vim attenuandi, incidendi, & abstergendi crassos humores omnes, teste Gal. lib. 4. de simpl. med. fac. cap. 11. & seq. In his locis apertè scribit, acida constare ex humiditate quadam tenui & aerea, & sequitur esse tenuissimarum partium, propter quas habent vim penetrandi omnes humores. Propterea, inquit, lib. 5. de simpl. med. fac. cap. 25. acida attenuare, incidere, & abstergere crassos omnes humores.

Et reuera, si quid est, quod lapidem in renibus confringat, est succus limonum. Si penetrat solidum corpus, multò magis penetrabit humores. Itaque etiam hic non erit inutilis.

Sed quid dicemus ad Gal. qui lib. 5. loc. aff. scribit, habere vim adstrictoriam. Aduertatis, acida possunt comparari, vel ad humores, qui sunt insensibiles, vel ad partes corporis, quæ sunt sensibiles (est mea distinctio.) Sed ad humores insensibiles, habent vim attenuandi, incidendi, penetrandi omnes partes humorum, quia sunt tenuium partium. Si cum sentientibus, ratione sensus tactus dicũtur habere adstrictionem. Ratio: partes sentientes sentiunt mordacitatem, sunt saporis acidi, qui est mordax. Ergo partes, qui mordacitatem sentiunt, statim adstringũtur: quæ prouenit ex acido, est adstrictio, quæ fit ex mordacitate, quæ fit non tantù n ex materia frigida, sed etiam calida. Sed non sequit: Illud medicamentum mordax est caussa adstrictionis Ergo est adstringẽs. Ignis est caussa adstrictionis, vt experiuntur ij, qui manũ apponunt igni, tamen non adstringit. Itaque si dixit, verum dixit; sed non sequitur, quia hæc medicamenta, quæ sunt tenuium partium, possunt attenuare, & penetrare.

Ad locum 1. acut. 18. primum dico, eo loco reiecisse vsum acidorũ absque vlla caussa: non protulit caussam. si addidisset, commodius possem respondere: Assignat quare prætermittenda calida & austera; de acidis verò non. Puto existimasse huiusmodi ad differentiam oxymelitis, posse aliqua ratione partes sentientes adstringere: sed nos ad euitandum hoc, non vtemur istis acidis austeris.

Itaque quidquid alij sentiant, æstimo acida cum alijs permista, posse cum vtilitate maxima administrari, vbi aperiendæ sunt viæ, in caussa quidem calida.

In febribus vero, quæ hnmorem habent mixtum ex calidis, & frigidis, poteritis accipere etiam syrupum ex acetosa, mixtum cum decoctis temperatis, vtpote agrimoniæ, pentaphylli, capillorum Veneris, cichorei, &c.

Vbi vero febris ortum ducit ex humorib' pituitosis, & melancholicis, ad efficacissima aperientia deueniatis, vt sunt Syrupi calidiores simplices, & compositi, oxymel simplex' compos. syrupi de hyssopo, mentha, de pomis, de fumo terræ compositi, trochisci de rhab. eupat. absynth.

Sed aduertatis circa horum usum. Auic. in hoc cap. 7. improbasse usum trochiscorum, nisi adsit humorum concoctio, atque conueniens euacuatio. Nomine concoctionis non intelligatis perfectam. nam administrari hęc solent in febribus tertianis, quartanis; quamquam nõ adsit concoctio satis est, ut nõ utamini in principio, sed post euacuatã humorum multitudinem, & præcipuè, quæ in primis uijs continentur, ubi sunt maximè cõgrua proposita ut decoctum ex china, confectiones magnæ, rotulæ ex diacalamentho, elect. ex chalybe, his omnibus adde decoctum ex radicibus, ex herbis, & seminibus aperiẽtib' ut apij, petroselini, fœniculi, asparagorũ, rusci, thymo, origano, tragorigano. Sic igit sũt præparandæ viæ. lib. 11. meth. c. 9. & 10. syrupis tam calidis, quam frigidis, & temperatis; cautione hac, ut euacuẽtur prius primæ uiæ.

Sed iterum aduertatis ad superandas obstructiones in ambitu totius corporis non usurpanda calida, nisi euacuatum sit corpus. Sed si humores crassi sunt in uentriculo, & primis uijs, eas præparetis oxymelite simplici, composito, scyllitico, absque diluto, absque purgante. Itaque hæc est prima præparatio, uiarum scilicet apertio.

Alia est, quæ respicit Humores peccantes, qui ut facilè excernantur, debent habere mediocritatem substantiæ. Propterea si in uijs communibus sint lenti, oportet illos attenuare, incidere, abstergere, 3. aph. 9. lib. 2. quos & quando purgare oportet: & lib. de hum. nat. cap. 2. Agendum, ut humores crassi, uiscidi, lenti incidantur, attenuentur. Modum intellexistis.

Sed dubium est num sicut præparantur lenti crassi, & uiscidi humores, ita etiam sit necessarium humores tenues incrassare, ut possint facilius euacuari.

Ex una parte est auctoritas Gal. & Auic. in cit. cap. 7. Hanc sententiam habet Gal. lib. de const. art. med. c. 19. Persuadet hoc ipsum ratio. nam humores eò faciliùs educuntur, quò meliùs fuerint concocti: sed concoctio procedit incrassando. lib. 4. meteor. 4. acut. 4. 2. prog. 33.

Hęc præparatio tenuis humoris est species coctionis: debent procedere incrassando.

Alia ratio: humores comparantur corporibus leuibus. Addit Auic. aliam rationem: tenues imbibuntur in corpus. Itaque incrassandi tenues humores.

Ex alia parte *lib. quos & quando purgare oportet*, hos humores quamprimum etiam euacuandos ait. & com. 2. lib. de hum. Audiatis determinationem.

In

Num humores tenues possint incrassari.

In hac duo quæri possunt, primò, an humores possint incrassari. Secundò, an debeant incrassari arte.

Quo ad primum, quando quærimus, num possint incrassari? dico per tenues humores intelligi posse aqueos, ichorosos, & quę sunt naturæ aqueæ.

Si de his erit sermo, dico numquam posse incrassari. Nam teste Aristot. lib. 4. Meteor. aqua & aquæ species numquam incrassantur, propterea in hydrope nec empiricus vllus vtitur incrassantibus.

Si sermo sit de tenuibus humoribus, qui non sunt naturæ aqueæ, vt bilis omnis generis, dico hos posse incrassari. Igitur primum caput est resolutum.

Quæritur secundò, an arte debeant incrassari? Vbi opus distinctione; Qui debent incrassari, vel mouentur, vel quiescunt.

Si mouentur, mouentur vel ad loca expulsionis, vel ad nobilia præcipua.

Si ad loca expulsionis, aut mouentur in maxima copia, ita vt vires deijciantur: aut mouentur tantùm moderatè.

Si in maxima copia, dico conuenire omnia incrassantia.

Dico omnia incrassantia, quia incrassantia sunt varia; Quædam incrassant, quia frigida, substantiæ lentæ, opiatæ.

Conueniunt omnia: gummi Arabicum; cutis animalium amylum, tragacantha, syrupus de iuiubis, pilulæ de cynaglossa, philonium, theriaca.

Si moderatè, conueniunt quidem quædã incrassantia, non omnia; sed tñ, quæ habent vim refrigerandi, quæ dicũtur incrassare per accidens, non glutinosa, non opiata.

Sed si moueantur humores ad partem principem, dico statim potiùs agendum purgantibus, quàm incrassantibus.

Hi humores vocantur turgidi, qui quamprimum euocandi.

Si tamen post purgationem supersit aliqs humor, facta purgatione poteritis vti incrassantibus, vt in fluxionibus ad caput syrupo de iuiubis, de papauere, &c.

Sed si quiescat humor, in tali casu nõ opus est incrassantibus, secundũ artem. quia huiusmodi medicamenta, vbi humor quiescit, augent obstructiones, & vias obstruunt, exitum reddunt difficilem: igitur non administranda.

Si fluat humor ad thoracem, quia fluit ad partem nobilissimam, conueniunt adstringentia, & corrigentia.

Cõcoctio. In tractandis febribus putridis nihil videtur in ore Medicorum frequentius quam ipsa humorum Concoctio: quid tamen illa sit, aut quibus perficiatur (vt liberè dicam) paucos video intelligere. itaque in præsentia accuratè de concoctione agendum.

Concoctio & vniuersaliter, & particulariter potest considerari.

A Vniuersaliter amplectitur omnem concoctionem, tam naturalem, quàm arte factam, tam propriam, quam metaphoricam.

Naturalem voco illã, quæ fit, uel in seminibus, floribus, fructibus plantarum, vel in animalibus, alimentis, excrementis.

Artificialem, quæ in obsonijs, elixatis, vel assatis.

Voco propriam secundùm Aristotelem illam, quæ fit in seminibus, floribus, & fructibus.

Metaphoricam, quæ in humoribus semiputridis, uel ex toto putridis. Coctio igitur has omnes differentias sub se comprehẽdit. *Quid cõcoctio vniuersalis.*

B Hęc sic vniuersaliter accepta, est perfectio patibiliũ qualitatum mixti à calore. Dixi esse perfectionem, imitatus Arist. lib. 4 meth. Et cum ratione Aristoteles dixit coctionem esse perfectionem. quia mixtum, etiamsi, vt mixtum, videatur habere propriã perfectionem, nihilominus non est ita absolutè perfectum, vt perfectius reddi non possit. Explico, & ideò omnis perfectio, quę ex concoctione contrahitur, est duplex: alia ad meliorem substantiæ conditionem, alia ad interiorem formam, & præstantiorem.

Do exemplum utriusque: Pomum, uel pyrum immaturum est mixtum perfectum, nõ est tamen ita perfectum, ut non possit requirere meliorem substantiæ conditionem: potest mutare colorem, non tamen mutata forma.

C Ex alia parte semen a propria natura est perfectum: sed tamen, quia semen dirigitur ad flores, & flores ad fructus: idcirco si coctio fiat in flore, requirit aliam formam meliorem, quæ est forma ipsius fructus.

Hac ratione in animalibus cibus, ac potus acceptus ita concoquitur, ut mutet formam: non tamen putetis ex concoctione, ut concoctio est, cibum & potum mutare speciem: disponit tantùm humorem ad suscipiendam ulteriorem formam.

Est itaque coctio perfectio. quę perfectio significat mutationem ad præstantiorem formam: hec mutatio habet pro subiecto qualitates passiuas. Quo modo sunt qualitates passiuæ? Est primo humiditas quæ vbi mixtum

D non est concoctum, tres habet conditiones; aut est nimis abundans, aut nimis crassa, aut nõn est permixta succo terrestri. Itaque per coctionem superflua humiditas cõsumitur, crassities attenuatur, & propterea succum acquirit perfectiorem.

Iure igitur dixit Aristoteles, coctionem esse perfectionem ex oppositis patibilibus. Ex quo uolo uos colligere, quomodo uera sit sententia Aristot. lib. 4. Meteor. quam accipit Galen. 4. acut. 40. omnem coctionem procedere incrassando. Videtur sententia esse falsa; cibus acceptus uidetur crassior chylo; respexit Aristoteles ad proprium coctionis subiectum.

Humi-

Propriū subiectū coctionis

Humidum igitur est Subiectum proprium coctionis.

Caussa proxima est Calor, qui est calor naturalis, & præter naturam.

Si sermo sit de coctione naturali, fit etiam á calido naturali: Si de artificiali, a calore extraneo.

Et propterea dum elixantur obsonia, coctio fit à calore aquæ feruentis, non à naturali. Sed si sermo sit de coctione, hanc dicit Aristoteles loc. cit. fieri à calore naturali, & proprio. Per calorem naturalem intelligit calorem mixti, vt mixtum est. Per proprium intelligit mixti, ut tale mixtum est. Exempli gratia, caro habet formam mixti primò, & formam carnis; alia est forma mixti, alia forma carnis. De hac re diximus ubi egimus de Putredine.

Sed propterea fit etiam à calore non naturali. Adiuuat concoctionem calor aeris, medicamentorum, iunctionum, balnei, &c.

Habetis quid sit concoctio vniuersaliter accepta.

Differentia concoctionis.

Differentiæ sunt maturatio, πέπανσις: elixatio, ἕψησις: assatio, ὄπτησις.

Maturatio duplex est propria, & vera similitudinaria, & metaphorica.

Propria est, quæ fit in seminibus plantarum, floribus, & fructibus.

Similitudinaria, quæ fit in animalibus.

Quæ in animalibus, est multiplex: alia fit in excrementis vtilibus, alia in inutilibus.

In vtilibus fit & in semine, lacte, & excrementis semiputridis, quæ possunt ad benignum reduci. Sic materia, quæ in uasis præparantibus concoctione trāsit in semen quæ maturatio.

Pariter vbi semiputrida excrementa reducuntur ad naturalem statum, huiusmodi reductio vocatur Maturatio Metaphorica.

Quod dico de semiputridis, dico etiam de putridis.

Elixatio.

Elixationis etiam duæ sunt præcipuæ differentiæ: Artificialis, & Naturalis.

Artificialis est in carnibus, leguminibus, piscib⁹, quæ elixantur calore aquæ feruentis.

Naturalis est duplex. Alia fit in Alimentis; alia in Excrementis.

In alimentis, prima, quæ fit in ventre. Secunda, quæ in iecore. Tertia, quæ in venis totius corporis.

In Excrementis, quando vel pituita, vel succus crudus ita concoquitur, vt possit etiā alere corpus, & alij humores, vt docuit Gal. lib. 2. de nat. fac. cap. vlt.

Assatio.

Assatio fit quidem magis ab arte, quam natura. Arte craticulis, &c. In animalib⁹ non videtur locum habere, quamquam aliquo modo in temperamento calidiore iuuenili, est propriè ustio, non assatio in animalibus.

Cùm igitur hæ differentiæ coctionis apud medicos non omnes considerantur, sed tantùm elixatio, tam in alimentis, quàm excrementis lib. 3. de nat. fac. c. 7. & 2. acut. 44. de elixatione in excrementis, quæ locum habēt in febribus putridis.

Pariter maturatio Metaphorica consideratur à Medicis. Seminum enim, florum, & fructuum maturationem non considerant.

Triplicē hic considerari cā coctionē.

Itaque quando quærimus concoctionem in febribus putridis, quærimus triplicem cōcoctionem. Vnam, quę est elixatio in humoribus crassis, quæ possunt elixari. Alteram, quæ consideratur in humoribus semiputridis. Tertiam, quæ in humoribus putrescentibus ex toto; de qua triplici concoctione in præsentia oportet uerba facere. nam qui nō distinguunt, decipiuntur.

1 Cōcoctio Humorū crassorū.

Si igitur sermo fiat primo de concoctione humorum crassorum, lentorumq;, hæc est perfectio qualitatum passiuarum à calore naturali, non naturali, & præter naturam.

Per perfectionem intelligo mutationem huius substantiæ crudæ ad meliorem conditionem, cuius ratione fit apta ad nutritionē corporis. de qua Galen. 3. progn. 3. uerba facit, vt, & lib. quos & quādo purgare oportet.

Hęc perfectio est perfectio Passiuarū Qualitatum, quia hi humores habent humiditatem ex superantem impermistam ipsi sicco. Fitq; hæc concoctio à calore naturali.

Per calorem naturalem intelligo calorem insitum ipsi parti, ad quam pertinet ipsa coctio. Scio Arist. lib. 4. Meteor. intelligere calorem insitum ipsi mixto, & concoquendo: uult coctionem fieri primò, & per se, à calore mixti, & adiuuare extraneum. Sed in præsentia ego suppono concurrere calorem mixti, sed tamen nō est pręcipua caussa in his humoribus crassis, & lentis, teste Gal. lib. 2. de nat. fac. 4. & 2. in 1. epid. 44. Calor insitus ipsarum solidarum partium est, ad quem pertinet concoctio humorum in partibus.

Fit etiam à calore non naturali. Per hunc intelligo eum, qui excitatur à sex rebus non naturalibus: sic aer non naturalis concurrit ad concoctionem, & calor cibi, & potus. Et propterea lib. de constit. art. med. c. 19. scribit, cōcoctionem fieri à cibo, & potu calefaciēte. in quā classē repono omnia assumpta medicamentosa, in quib⁹ possit roborari calor natiuus, rotulas, conseruas, electuaria, &c.

Itaque in huiusmodi casu syrupi sunt eligendi, qui proprij parti, in qua debet fieri cōcoctio. Dabo exemplum: apud Pharmacopolas sunt uarij syrupi calefacientes. Exempli gratia, pro cerebro syrupus de stœchade: pro thorace syrupus de prassio: pro uentriculo de mentha: liene syr. de pomis: utero syr. de Artemisia. Præter syrupos sunt etiam rotulæ, & electuaria, diatrion pip. theriaca, quæ omnia Gal. laudat.

Quod dico de medicamentis, dico etiam de alijs rebus non naturalibus, potissimùm de somno, qui perficit inter alia hanc concoctionem, ut etiam quies. Et in hoc sensu intelligenda.

telligenda sententia Hipp. 4. acut. 44. vbi loquitur propriè de purgatione humorũ crassorum, & frigidorum, & propterea mulsam proposuit, quæ habet vim hos ettenuandi.

Denique perficitur hæc coctio à calore præter naturam, à calore febrili. 5. aphor 60. Sic igitur fit concoctio in humoribus crudis & crassis, in quo omnes conueniunt.

Cõcoctio semiputridorum humorũ. Modò ostendendum, non omnem concoctionem perfici quiete. Transeo igitur ad semiputridos, & putridos.

Semiputridi humores sunt illi, qui habent mutationem in qualitatibus primis, & secundis, non sunt mutati in forma substantiali. nam humores semiputridi redduntur calidiores caliditate extranea. Itaque in istis coctio est perfectio passiuarum qualitatum: Sed non à calore est perfectio, quia necessarium est, caliditatem huiusmodi superfluam corrigere. Itaque in semiputrido coquendo opus est multis auxilijs, nõ vnico. nam corrigantur calor extraneus, nimia humiditas, vt colligitis in 6. epid. com. 6. Scribit Hippoc. in eo textu, morbos, qui vsque ad senectam cõcomitantur, solui aut per maturationem, rarefactionem, aut solutionem. Inquit Gal. in com. Maturatio est quędam concoctio, facit æquationem in humoribus. Hoc stante, inquit, si dantur quidam morbi admodũ feruidi, & calidi, dicuntur maturari. Maturatio. n. est refrigeratio. Quare maturãtur? quia recedit illa caliditas: illa igitur maturatio fit à frigido. Clariùs lib. 11. meth. c. 8. & 9. vbi proponit intentiones curandarum febriũ. Loquẽs enim ibi de concoctione humorum semiputridorum, proponit refrigerantia, vẽtilationem, &c. Igitur semiputridi concoctio fit et à Refrigerantibus medicamentis.

Fit etiam siccatione hæc concoctio. nam si hæc maturatio est æquatio humoris, vt emendetur putredo, opus est exsiccantibus. Lib. 3. de comp. med. sec. loc. cap. 2. ait, omnia putrida esse tractanda medicamentis frigidis, & exsiccantibus.

Inter tot Coctionis differentias, quæ partim à Medicis, partim à Philosophis recensentur, duæ tantùm, vt dicebam, in putridis febribus considerantur. Vna quidem, quæ est elixationis species, sed impropria, & metaphorica. Secunda, quæ est mutationis species, ipsa quoque metaphorica.

Prima consideratur in febribus, quæ ortũ ducunt ex crassis, lentis, frigidisq; humoribus in quibus desideratur concoctio ad nutritionem.

Sed aduertite, non omnes humores crudos, & pituitosos in putridis concoqui ad nutritionem, sed illos, qui semiputridi, vel adhuc nullam contraxerunt putredinem. Propterea possunt appellari materia Antecedens potiùs, quàm Coniuncta. Hanc dixi fieri in parte, vbi cõtinetur pituita cruda, à somno, &c. & requirere potius quietem.

A Quantum ad maturationem, dixi requiri, partim in humoribus semiputridis, & ex toto putridis.

In semiputridis est reductio quædam illius humoris, qui recessit à naturali, ad priorem; & quia ille fit calidior, humidior, quiescit, amittit proprium calorem. tunc huiusmodi coctio est nil aliud, quam refrigeratio, exsiccatio, motus, & corroboratio calidi innati. Hanc veritatem dixi esse proditam lib. 11. meth. c. 4. 8. 9. 10. & alijs. Itaque cum in hac operatione quattuor operationes administrent, refrigeratio, exsiccatio, motus, & corroboratio calidi innati: de singulis agendum est. Quod ad primum pertinet, refrigeratio,

B seu ventilatio fit per se, & ex accidenti. Per se, ratione medicamẽtorum refrigerãtum; Ex accidenti ratione medicamentorum deobstruentium, aut relaxantium cutem. *Refrigeratio, seu vẽtilatio per se.*

In huiusmodi coctione, vt semiputrescens humor ad priorem statũ reducatur, vterque modus refrigerationis cõuenit: immò ĩ priori statu sola refrigeratio curat. Lib. 11. meth. c. 9. Gal. loquitur de hac putredine, & inquit, in virtute valida potionem frigidæ satis esse ad expugnandam humorum semiputredinem; quia virtute valida corrigitur non tantùm calor extraneus, sed etiam sequitur statim euacuatio humoris putridi, & abundantis, cui statim succedit exsiccatio, & imminutio multitudinis.

C Ceterum, vbi vires non vsque adeò sunt robustæ, modus hic non probatur, neque et à Gal. loc. cit. Igitur pro corrigenda semiputredine oportet vti omnibus istis ingenijs, de quibus primò dixi.

In huiusmodi igitur casu eligenda remedia refrigerantia, & siccantia simul; quæ multa sunt, liquores succi, herbæ, terræ, partes animalium, gemmæ, quæ ex mari sumuntur, & multa alia, quæ prædita facultate refrigerandi, & exsiccandi.

Inter liquores præcipuus est acetum. Propterea syrupus acetosus in huiusmodi casibus mirificè commendatur; vt & succi limonum, arantiorum acetosorum (nõ dulcium; quæ sunt humida) citri, agrestæ, & syrupi cõfecti ex his succis, ribes, berberorum, granatorum.

D Herbæ frigidæ, & siccæ, quæ conueniunt, sunt plantago, splanum, cichorium, intybus; ecetósę, pentaphyllum, capillus Veneris, polytrichon, callitrichon, fumaria, &c. ex quib⁹ possunt fieri decocta.

Ex terris sũt Samia, sigillata Silesica, &c. Istæ omnes terræ, lotæ potissimùm, maximè valent.

Neque valet obiectio eorum, qui existimant, habere has aliquam vim obstruendi, & propterea esse noxias. Istæ terræ ꝑpositæ nõ habent vim obstruendi, habent quidẽ vim adstrigendi motum humorum. Aliud autem est adstringere, aliud obstruere. Adstringunt

gunt

gunt, dum absumunt superfluam humiditatem: quamquam terreæ sint substantiæ, tamen sunt elementi aerei, teste Gal. lib. 5. de simpl. med. fac. c. de. Samia: non tamen consulo, vt administrentur, vbi adsunt humores admodum crassi, lenti & viscidi, tantum in calidioribus, & tenuioribus.

Itaque in defectu terrarum, eligatis, quæ sunt tenuioris substantiæ, vt cornu vnicornu, cetuinum, lapidem bezoar, os de corde cerui, vniones, seu margaritas, fragmenta saphyri, smaragdi, & hyacinthi, quæ administrãtur in pulueribus, & bolis, simul cum alijs conseruis, aut in rotulis, de quibus omnibus proprijs locis. Hæc igitur sunt administranda ad refrigerandum, & exsiccandum.

Motus. Quantum ad motum, dixit hunc necessarium, secundũ Gal. lib. 11. meth. c. 8. & 3. in 3. epid. 1. inquit, eos, qui volunt vestes præseruare à putredine, id facere conuenienti motu. Idem de humoribus cogitandum. Per motũ autem intelligit localem, & alterationis.

Localis. *Alterationis.* Localis fit euacuantibus; alterationis, attenuantibus, incidentibus, & abstergentibus: hunc vtrumque motum esse necessariũ pro semiputredine testatur lib. 11. meth. c. 10. vbi proponit indicationes pro putredine facta, & fiente.

Itaque in semimalo humore necessaria huiusmodi motio per dicta medicamenta.

Neque nomine euacuationis oportet intelligere euacuationem factam per venæ sectionem: quia humorum fluxio impedit non tantum à plenitudine, sed etiam à cacochymia. Itaque requirit vt fiat motus non solùm per venæ sectionem, sed et per medicamenta aluum subducentia. Neque solus necessarius localis motus per venæ sectionem, & medicamenta interna, verùm etiam per medicamenta externa, quæ habent vim calefaciendi cutem, lib. 11. meth. c. 4. vt relaxantia, aperientia, & sic corrigitur semiputredo.

Calidum innatum roborantia. Denique corrigitur per ea, quæ roborant calidum innatum, de quibus lib. 11. meth. c. 9. inquit, *si humores putrescentes in animalibus essent similes corporibus inanimatis, quæ putrescant, profecto non opus esset*; & quæ sequuntur. Itaque patet, semiputredinem corrigi à virtute valida, aliquando sola potione aquæ: aliquando verò, vbi imbecillis, sunt necessaria omnia auxilia dicta.

Hæc verò, quæ calidum innatum roborãt, sunt cibus, & potus conueniens parcè acceptus. Copiosus enim auget quidem vires, sed impedit coctionem. His accedat alia omnia, de quibus in præcedenti lectione, præcipuè iura alterata: quamquam nonnulli practicantes ab his abhorreant, nihilominus præstantissimum ius potest esse materia prima, in qua alterentur varia semina, radices: multis intentionibus enim ipsum ius roborat calidum innatum; nam nutrit, adæquat omnes humores, auget calorem natiuum.

A Venio modo ad putridos, qui ex toto concoquuntur ea concoctione q̃ dicitur concoctio, seu maturatio, sed est metaphorica à floribus, seminibus, quæ cõcoctio differt ab elixatione, & maturatione putridorum: nam in elixatione pituita & succus crudus concoquũtur ad nutritionẽ corporis. Pariter in maturatione coctio fit ad nutritionẽ, vel aliquã vtilitatẽ. Putridus aũt humor neque coquĩt ad nutritionem, neque ad vtilitatem aliquã, sed vt facilius è corpore euacuari possit. Huiusmodi igitur coctio est victoria naturæ supra caussam morbificam, cuius veritas patet ex Galen. libro 3. de cris. capit. quinto, & 12. acut. 44. *Putridorum coctio seu maturatio.*

B Ceterum huiusmodi cõcoctio est duplex, Perfecta, & Imperfecta.

Perfecta, quando natura, seu calor innatus prorsùs conuincit materiam putrescentem: ita, vt in ea totam illam cõferat gratiã, quam potest conferre, & tollat fœtorem. Et propterea, si humor putrescens conuertatur in pus, vel materiam puri similem, ducitur ille humor habere absolutissimam coctionem, quamuis sit putridus. *Perfecta*

Si aliqua tantùm mutat, calorem nõ substantiam, aut fœtorem, dicitur coctio imperfecta. de quibus differentijs testatur Gal. lib. 1. de dift. feb. c. 6. Primam uocat coctionem factam superante natura; Secundam partim superante natura, partim superata. *Imperfecta.*

C Huiusmodi coctio fit ipsa quoque partim à calore, partim à refrigerantibus medicamentis.

A calore; nam omnis coctio videtur fieri à calido innato, 2. in 1. epid. 46. sed tamẽ, quia inter humores putrescentes est etiam bilis, quæ admodum calida, & vbi putrescit fit calidior, necessaria actio frigidorum medicamẽtorum. Itaque corrigitur caliditas potiùs à medicamentis refrigerantibus.

Sed unum pulcherrimum notate hæc coctio quamquam perficiatur à calido innato, & propterea lib. 11. c. 14. dicat, *putredinem non tolli per sanguinis missionem*, & quæ sequuntur. Ex quibus colligite, uoluisse putredinem humoris corrigi à calido innato: hoc uerissimũ: sed hic quærimus, num pro celebranda huiusmodi coctione in humoribus putrescen-
D tibus sit necessaria purgatio; qua de re infra plura: nunc resolutè dico; huiusmodi purgantia esse administranda. quod probo & ratione & auctoritate.

Ratione primò: nam huiusmodi humor putrescens, aut est permixtus sanis humorib. aut iam separatus. Si separatus; profectò statim necessaria est euacuatio. 4 aph. 22. Nam finis coctionis in humoribus putrescentibus est segregatio boni à malo.

Si dicatis; sunt permixti: in hoc etiam casu conuenit aliqua purgatio humoris putrescentis, non dico totius, sed alicuius partis. Ratio: quia humor permixtus non tantum

tùm corrumpit bonos humores, sed etiam solidam substantiam. Ideo lib.9.meth.med. cap 3.&4. consulit, quamprimum deueniendum ad venæ sectionem. Lib.10.meth.c.15. venę sect. ideo inquit faciendam, vt leuata natura à tanto onere, possit meliùs cõcoquere: quę etiam repetit 2.aphor.29. Et ideo lib.11. meth.c.8. in tractandis indicationib⁹ febrium putridarum inquit, id agendum in putridis, quod ēt in alijs inanimatis corporibus. Quid in his agimus? Inquit, quod putridum est, statim eradicamus, quod reliquum, reseruamus à putredine: sed quia huiusmodi euacuatio nõ potest in principio integra fieri, satis est vt aliqua ratione tãtùm imminuatis. Et quibus patet falsam esse eorum sententiam, qui dicunt, coctionem semper debere procedere cum quiete. Est tantùm vera de humoribus crudis, & pituitosis, & de semiputridis, quatenus requirunt corroborantia.

De Curatione, quæ fit per medicamenta Purgantia: Et quæ circa ea obseruanda.

Cap. XXVII.

ALterantibus medicamentis Purgantia vocata succedunt. Purgantium nomine illa intelligo, quæ electiuè proprium aliquem humorem ad se ipsa trahunt, vt ex corpore educant. Dantur & medicamenta sigillatim bilem, pituitam, melancholiam ex venis in intestina, & ventriculum attrahentia. Vt propterea horum humorum euacuatio succedat: hę his Galen. libro.3.&5.de simpl. med. fac.

Plura quidem ea sunt, quædam Simplicia, quædam Composita; sed horum cõmemoratio non pertinet ad præsentem locum, sed ad illos, qui agunt de simplicibus medicamentis, & compositionibus medicamentorum: quando erit sermo de curatione febriũ in speciali, proponam in singulis Purgantia, quæ ex vsu erunt. Nunc duo tantum considerabimus; quibusnam Purgantia medicamenta conueniant; & quo tempore sint administranda. Primum breuibus expedio: in secundo diutius versabor.

Quib. cõueniant purgãtia

Purgantia igitur remedia, sicut & purgatio ipsa, illis dumtaxat conueniunt, in quibus ad est aliqua cacochymiæ species. Dixi, alias duas esse præcipuas Cacochymię species. Alteram, quæ respecit humores putrescentes. Secundam, quæ humores distantes à natura sanguinis, quicumque non sunt putridi, siue bilis, siue pituita. Hãc cacochymiæ speciem explicauit Gal.lib. 13.meth. med. c.6. vbi inquit, Plethoram vocari, vbi sanguis abundat supra ceteros humores. Si abundant supra sanguinem ceteri humores, vel ichores, dicitur cacochymia, non autem plenitudo.

De hac etiã lib.4.de tu.val.c.5. Vitiosi succi abũdãtia cacochymia appellatur. De vtraque autem verba facit sect. 12.aph.com. 17.

A Itaque siue adsit Cacochymia ex putredine siue sine putredine, conueniunt Purgãtia, vt docuit l.c.2.aph.comm.17. In plenitudine sãguinis laudat venæ sectionem, in cacochymia purgationem. quod repetit lib.13.meth. c.6. & excęta sunt loca. Itaq, hoc primũ caput iam absolutũ est. Conuenire, vbi adest cacochymia, rõne putredinis, vel rõne succorum, qui abundant supra sanguinis naturam.

Quando administranda sint purgantia.

Venio ad secundum caput, in quo considerare oportet Tempus administrandi Purgantia hæc medicamenti. Et per tempus intelligo, & vniuersum, & particulare. Per vniuersum, principium, augmentum vel statũ, vel declinationẽ febris; per particulare diem B aut horam. Loquar primo de vniuersali.

Quod igitur ad vniuersale pertinet, communis est & Hip. & Gal. & plurimorum sententia, tempus administrandi purgantia esse tempus tantum concoctionis, uel tempus principij, quãdo materia turgeat, ita, vt liceat in duabus temporum differentijs purgantia vsurpare. Primum est tẽpus coctionis, quod est tempus status oportunum; finis ipsius status, vbi est finita concoctio. In turgente materia conuenit non tantũm in fine status, sed etiã in principio morbi, ut docet Hip. sect. j. Aph.22. Cõcocta medicari non cruda, nisi in principijs, nisi turgeãt. Hæc sententia explicatur etiam loc. cit. & Aph. 24. eiusdem primæ C Sectionis inquit, *in acutis rarò, & in principijs purgare oportet, & cum præmeditatione* hoc Gal. in com. explicat, licere ita, vt omnes ferè Medici post Galenum, & Hippocratem acceperint hanc sententiam. Propterea Hipp. de hac materia turgente 4. Aphor. 1. inquit, *prægnantes medicamentis purgare oportet, si turget humor, quarto mense, & vsque ad septimum; minus verò has: tumores autem, & seniores fortè veteri oportet.* Pariter 4. aph.10. in acutis eadem die medicari, si expedit: vbi materia turgeat. hæc manifesta.

Sed inquirendum, quod magis est occultum & inquisitione dignum: nam rectè facit ad curationem, num etiam non concocta, & non turgente materia, uti illi censent, sit neD cessaria purgatio in principio morborum? Quæstio maximi momenti, & quæ habeat varios fautores.

Vtrũ nõ turgente materia in principio liceat purgare.

Primus omnium fuit doctissimus Manardus, 3.lib. Epistolarum, epistola 2. qui existimauit, in materia etiam non turgente conuenire: secutus est hãc sententiam Heronym. Bonipertius, qui de hac re scripsit commentar.

Ex alia parte contra pugnat Gaspar Gabrielius, qui contra Hieron. scripsit, & oppugnat omnia. Agitat etiam hanc quæstionem Vallesius lib.7.controu.13. Isti omnes habẽt singuli proprias rationes, & auctoritates, quę diligenter examinandæ.

Argumẽta partis affirmantis.

Qui censent, materiã purgandã, quamquã non turgeat, & non sit cõcocta, in principijs morborum, habent rationes, & auctoritates,

I. Ratio,

1 I. Ratio, vbi materia est multa, si non expurgetur aliqua ex parte, suffocat natiuum calorem, prohibet coctionem: Ergo aliqua ratione purganda, vt melius fiant concoctiones.

Huiusmodi argumentum videtur desumi ex Galeno 2. aphor. com. 29. vbi scribit Hipp. *incipientibus morbis, si quid mouendum videtur, moue.* Gal. apertissimis verbis in com. scribit, in principijs morborum, qui iam sunt deplorat, subleuandam esse naturam à multitudine humorum, &c. Et propterea lib. 11. meth. med. cap. 15. scribit apertè, mittendum sanguinem, vt natura subleuata à pondere possit humorem concoquere, quamquam ibi loquatur potissimùm de euacuatione facta per sanguinis missionem.

Sed, Domini, eadem est ratio, si materia ipsa sit suppressa à cacochymia, quæ suffocet naturam: quæ est ratio, vt sanguis mittendus vbi multus, vt est etiam euacuanda bilis, pituita, si abundent, & suffocent calidum innatum. profectò nulla est ratio.

2 Itaque, secunda ratio, putridi humores, quatenus putridi, semper corrumpunt propinquos humores, & facultatem venarum: Ergo à principio aliqua ratione purgandi. Auctoritas est Galeni lib. 9. meth. c. 3. & 4. 3. in 3. Epid. 25. & 2. in 3. epid. 46. humores putridi, si in corpore relinquantur, corrumpũt, & quæ sequuntur. Igitur sequitur consequentia, hos quamprimum aliqua ratione euacuandos.

Sed præterquam, quod sequatur consequentia, potest etiam confirmari alijs locis: Lib. 4. de san. tu. cap. 3. & 2. in 6. epid. tex. 9. idipsum reperit, putridos humores quamprimum expurgandos, crassos verò &c.

Audiuistis etiam, quæ proximè dicta ex sententia Galeni lib. 11. meth. cap. 4. & 8. Ibi inquit, idipsum agendum in corporibus animalium, quod in externis. In externis vbi aliqua pars putrida, statim abscindimus, reliquum præseruamus: Itaque & in animalib' sic faciendum.

Itaque valet consequentia: Humores multi adsunt & putridi. Ergo euacuandi.

Hoc autem valere consequens, potestis colligere, ex Gal. com. 10 sect. 9. aphor. Nam etiamsi videatur loqui de materia turgẽte, nihilominus proponit euacuationem debere fieri, ne corrumpat alios, & corpora.

3 Tertium, & vltimum argumentum est tale; humores etiam non turgentes in principijs morborum mouẽtur ad partes determinatas, in quibus excitant, vel excitare possunt inflammationes. Ergo statim sunt euacuandi. Antecedens est manifestum: qui ortum ducunt, habent materiam fluentem; si fluit, & ad partem præcipuam: ergo statim in principio sunt euacuandi.

Probo consequentiam ratione: Nam si nõ euacuentur, non potest ẽt reuelli: Sed in omni fluxione conuenit in principio reuulsio.

Probatur etiam locis Galeni. Gal. & Hip. 2. acut. com. 1. vbi loquit Hip. de curãda pleuritide: scribit, in pleuritide dolore ascendẽte, statim venæ sectione, descendente verò purgatione vtendũ. Sed præterea Gal. ipse li. 13. meth. c. 11. in inflãmationib' oculorũ scribit, se aliqñ vnica die fluxionem curasse: Si vnica die, ergo in principio. Lib. 13. met. c. 5. in fluxionib' omnib' commendat humõr euacuationem, & propterea lib. 2. ad Glauc. c. 2. non vtitur in Erysipelate sect. venæ ad reuulsionem, sed medicamento tantũ purgatorio.

Multa, vt dixi, sunt loca huius generis. Itaque certissimũ est ex his tribus argumentis, purgationẽ in principio instituendã, quãquam materia non sit concocta, nec turgeat.

Argumenta negantium.

Ex alia tamen parte sunt rationes, & argumenta in oppositum.

Prima ratio talis est: Euacuatio nũquam conuenit, nisi præcedat separatio prauorum succorum à bonis. Ergo sequitur, purgationem non esse faciendam, nisi tempore coctionis. 1

Antecedens est Gal. sect. 4. aph. 22. inquit, *omnem euacuationem præcedit secretio.*

Consequens probatur. nam huiusmodi separatio semper sequitur concoctionẽ, quod Galeni est consilium & præceptum 4. aphor. 23. Itaque à principio ad vltimum non licet purgare, nisi præcedat separatio, &c.

Secunda ratio: Naturam ars debet imitari: Quod igitur non facit vtiliter natura, id nec ars potest: Sed sic est, quod in principijs morborum natura non vtiliter euacuat: Ergo nec ars ipsa. 2

Antecedens est manifestum; Nam Medicus est naturæ imitator.

Consequens verò probatur Galeni testimonio, 2. in 1. Epid. 45 & 46. omnes excretiones, quę fiunt in cruditate, improbas esse scribit ex sententia Hip. eo loco, & com. 37. eiusdem libri, & 4. aphor. 22. Incipientib' morbis nihil excernitur vtiliter: si natura inutiliter in principio excernit, nec in cruditate: ergo nec ars.

Addunt tertiam rationem: Huiusmodi purgantia impediunt coctionem. Ergo non administranda. 3

Antecedens probatur auctoritate Hipp. 4. acut. com. 4. & Galenus reddit rationem in com. Nam, inquit distrahere naturam à suo opere.

Adest etiam quarta ratio. Purgantia medicamenta in principijs administrata possunt colliquare partes sanas, noxium verò humorem non attingere: Ergo prætermittenda. 4

Antecedens si uerum sit necessariò, est etiam vera consequentia. Antecedens autem est Hippocrat. aphor. 22. *Quicumque*, inquit Hipp. *in principijs inflammationum vtuntur purgantibus, nihil adiuuant.* Propterea in com. & in lib. *quos & quando purgare oportet.* Galen.

inquit fieri cum maximo patientium detrimento, & discrimine.

Rationem addunt nonnulli etiam, quamobrem fiunt purgationes cum tanto labore; dum natura est intenta coctioni, retinet humorem concoquendum.

Ex alia parte purgans eundem humorem ad se vult trahere cum discrimine.

Addunt etiam, facilius educi sanos humores: Nam natura magis intenta conseruat humores improbos. Hæ igitur sunt rationes magis præcipuæ, quæ proferuntur hinc inde in vtramque partem.

In hac difficultate, Domini, qui tuentur affirmatiuam partem, conuenire scilicet etiam in non concocta, putant seipsos tueri ab argumẽtis oppositæ partis, vnica distinctione adhibita, quando dicunt: Purgationem esse duplicem: eradicatiuam, & minoratiuam.

Si de eradicatiua sermo sit, inquiunt, eradicatiua; idest, quæ prorsus possit totum humorem putridum euacuare, non conuenit.

Si de minoratiua, potest administrari etiã in non turgente, & in non concocta materia, quando adsunt conditiones propositæ.

Vera responsio.

Sed reuera opus est alia responsione ad soluenda argumenta. Et responsio in hoc tantùm est posita, & dependet ex cognitione vera vocis, turgentis. Video communem esse omnium sententiam, turgentes humores esse, qui huc atque illuc mouentur per varias partes, nullamq; habent determinatam partem, vt similitudo desumpta sit ex animalib. ad coitum incitatis proposita com. 1. quartæ partic. aph. 1. vbi describit conditionem materiæ turgentis.

Si accipiatur huiusmodi significatio, profectò, vel necessarium est ex horum sententia non purgandum, nisi concocta materia, vel rationes oppositæ erunt validæ.

Qua materia turgens. Quot modis materia turgeat.

Sed ego intelligo præter dicta etiam alia: Primum accipio ego pro axiomate, materiã turgentem debere vocari, quæ cogit nos ad importunam excretionem: nec est meum inuentum. Est Gal. 1. com. 4. aph. Hoc stante fundamento, dico; non tantùm illam materiam, quæ huc atq; illuc vagatur, sed alias sent habere hoc, vt nos accelerent ad importunã, & citam eorum excretionem: quod facit

1 I. Multitudo humorum, quæ habebit rationem turgentis. Sed videatis locum, lib. 1. de cris. cap. 9. vbi apertissimis verbis proponit hanc significationem materiæ turgentis, quod scilicet continet humorum multitudinem. Itaque illa materia, est turgida, quæ multa est, & multos habet spiritus, & facit morbum acutum.

2 II. Significatio est humorum calidorum, qui quamquam non sunt multi, debent reponi inter humores turgentes, vt 3. prognost. 23. testatur.

3 III. Significatio præter primam, quam omitto, est humorum, qui sũt tenues, & ichorosi: de quibus in lib. *quos, & quando purgare oportet*, scribit, humores hos, quam primum expurgandos, & turgidos.

IV. Est humorum, qui impetum habent ad aliquem locum determinatum, vbi materia impetum habet in locum aliquem determinatum; dum non locus hic est princeps, hæc materia habet rationem turgẽtis. Com. 20. 4. par. Aph. proponit hanc significationẽ, sunt apertissima verba. &c. Itaque siue periculum pleuritidis, siue anginæ sit, profectò materia habet raptũ ad partem præcipuam, debetq; dici turgida. 4

V. Significatio, quæ sua praua qualitate potest corrumpere humores vicinos, & partes solidas. 5

Tota ergo ratio, vt dicebam, controuersiæ inter eos, qui existimant, licere in principio morborum purgationem instituere, etiam non concocta materia, & eos, qui aliter sentiunt, posita est in uera significatione materiæ huius turgentis. Quia si accipiatur nomẽ Materię Turgentis pro illa tantùm, quę hunc atque illuc in corpore vagatur, in qua accepit Gal. 4. aph. 1. & quã vnicam significationẽ videntur omnes admittere, si, inquã, in hoc sensu accipitur tantùm, controuersia admodum est difficilis, ut neque illa, neque hæc loca possint dissolui. Propterea dixi recte intelligendam materiæ turgẽtis significationem.

Ego existimo, materiam turgentẽ nõ esse illam tantùm, quæ huc atque illuc uagatur, sed quæ pugnat insigni copia, nimia tenuitate, nimia caliditate, aut motu ad partes præcipuas, aut nimia putredine. Has omnes materias existimo turgidas uocari posse.

Primum quidem ex ratione. Nam 4. aph. 1. Gal. dum explicat, quid sibi uelit hæc materia turgens, inquit esse illam, quæ expurgationẽ accelerat. quod repetit lib. de toti. morb. temp. c. 2. Ex quib⁹ uerbis facio hanc consequentiã. Non solùm materia, quæ huc, atque illuc uagatur, cogit Medicum ad expurgationem, sed etiam, quæ peccat copia, tenuitate, caliditate, &c. Igitur & hæc est turgida, & cõsequenter in principio euacuanda.

Præterea dicebam hoc confirmari Gal. testimonio, qui dum has significationes proponit, de multa materia loquitur lib. 1. de cris. c. 9. De tenui lib. *quos & quando purgare oportet*, ubi uult tenues, & ichorosos statim expurgandos: De calida 3. prog. 23. de motu ad partem præcipuam 4. aph. com. 10. ubi inquit, materiam turgẽtem non tantũ esse, quæ mouetur per uenas communes, sed etiã ad partes determinatas. de putrida patet loc. cit. Nã inquit materiam turgentẽ esse illam, quæ uel motũ habet ad partes præcipuas, uel si nõ euacuetur, põt febrem augere, uel uirtutẽ uitiare. Quæ hæc materia? Admodum putrida, & persistens in corpore. Quod docui etiã in præcedente lectione ex Gal. 3. in 3. Epid. 25. Itaq. hæc oĩa habent rationem turgẽtis, & cogũt Medi-

Medicum ad accelerandam excretionem.

His sic constitutis, statim sequi videtur consequentia; Sunt turgentes materiæ; Ergo in principio euacuandæ.

Sed nolo, vt sitis contenti hoc argumento, quod est apud aduersarios efficacissimum; volo adhuc alijs argumentis, & auctoritatibꝰ confirmare.

Si de multa sit sermo, puto vos memores esse eorum, quæ dicta sunt de concoctione materiæ in putridis. Scribit Gal. lib. 11. meth. c. 10. vnam in putredine facta, aliam in putredine fiente. Dicit Gal. duas habere curationes; Inquit ibi, ante omnia multitudinem oportere destrui. vide locum. Itaque vltimum in inuentione est primum in executione. Itaque ante omnia opus euacuatione.

B Sed aduertas, hanc fieri per venæ sectionē, non medicamenta. Ego quidem concedo in febribus, quæ sunt cum Plenitudine, fieri cum venæ sectione: sed cum adest Cacochymia (non enim omnes febres sunt Synochi, in istis præualet Plethora:) Itaque si illa imminuenda, oportet imminuere humorem peccantem, non verò sanguinem. Hæc est doctrina Gal. 1. Aph. 2. Itaque vbi adsit hæc cacochymia ante apertionem obstructionum purgante est vtendum.

Quantum ad tenuitatem, tenues humores absque præparatione esse purgandos probatur: Tenues ichorosi non concoquuntur Itaque non sunt concoquendi, sed statim expurgandi, teste Gal. lib. *quos & quando &c.*

C Si de calidis, & tenuibus sit sermo, in hac re probanda non ero admodum longus. Nā de his vera sententia Hippocr. Et de his Gal. scribit, quod iudicantur per excretionē, non cōcoctionem 3. prognost. com. 23. Si in hoc præponuntur calidi frigidis, crassi tenuibus, etiam in tenuibus, & calidis non expectanda concoctio. Ideo lib. *quos & quando &c.* scribit, quod in longis morbis expectanda concoctio.

De humoribus, qui mouentur ad partem determinatam, res ita est clara, vt mirer doctissimos viros, qui hanc sententiam voluerunt expugnare. Tamen confirmatur ratione: Nam si adsit abundantia humorū in principio fluentium ad partes præcipuas, & non reuellatur, quis ignorat augeri inflammationes, vt nō possit ampliùs corrigi? Sic, vbi principiū pleuritidis, aut āginę, quis in principio non statim dat purgantia? Est res manifesta.

D Sed Hipp. & Gal. nos pluribus in locis docent, idipsum agēdum, 2. acut. 11. vbi in pleuritide, descendente dolore, præcipit purgās, neque meminit venæ sectionis. Sed si adsit sanguinis plenitudo, vtrumque agendū, non ita accipiendum, vt intermittatur venæ sectio. Sed si ascendit, contra venæ sectio; nec etiam ita, vt intermittatur purgatio. Itaque patet ex hoc loco in plenitudine, cum esse vsum purgatione in principio.

A Sed præterea 4. Acut. 29. vbi loquitur Hip. de uario concursu symptomatum ad caput, quæ faciunt uarias affectiones, utitur purgatione in principio pro retractione humorū à partibus superioribus. Galen. etiam lib. 19. Meth. c. 11. quod quoq; repetit lib. 14. Meth. cap. 8. in fluxionibus ad oculos statim vtitur purgante, & tali, ut scribat, se unica die has sanasse. lib. 6. meth. c. 2. in punctura nerui statim utitur purgatione. lib. 2. de fract. Hipp. ēt in fracturis capitis statim utitur ueratro albo, & Gal. 2. in 1. Epid. tex. & com. 9. apertissimis scribunt uerbis, statim in principio utendum purgantibus; Vide locum. Idipsum scribit Gal. lib. per sang. miss. c. 8. circa finem, dum

B inquit, uniuersaliter in omnibus inflammationibus, fluxionibus, ictu uehementi statim retrahēdos esse humores uena secta, uel purgatione. Itaque sententia Galeni & Hippoc. oportet uti euacuatione pro reuellendo impetu materiæ fluentis.

Quod pertinet ad putridam pariter probatur, in principio esse expurgandam.

Prima ratio; datur materia putrida, quæ nulla ratione à calore natiuo conuinci potest: Ergo statim est expurganda.

Quod aūt talis materia detur, colligitur ex lib. 1. de diff. feb. c. 6 ubi proponit tres differētias putredinis. Vna in qua natura conuincit materiam putrescentem, & conuertit in pus,

C uel materiam puri similem. Alia putredo, q̄ partim superat, partim superatur, est illa, in qua materia putrescens non hēt omnes conditiones boni puris. Exempli gr. mutat fœtorem, non colorem. Tertia differētia est illius putredinis, quæ prorsùs superat, & conuincit ipsam naturā. Quæ si in corpore relinquatur, indies fit deterior, ut loc. cit. probatur. Itaque in tali casu necessaria est purgatio in principio. Et de hoc loquitur Gal. lib. 11. meth. c 8. cù scribit, materiā putridā statim esse expurgandā, seu putredinem corrigendam. Itaque cōstat ratione, & auctoritate, materiā omnē turgentem in principio esse expurgandam.

Sed statim uideo præter obiectiones quas adduxi, nouas occursuras & sunt duæ Prima

D si uera sit hæc sententia, uidetur statim Hipp. mēdax esse, qui sect. 1. aph. 22. inquit, concocta medicari oportet, &c. in fine addit. Plurima uerò non turgent. Si uera sit nostra suppositio, uidentur plurima turgere.

Præterea ex nostra suppositione uidetur concludi posse, frequēter fieri purgationes debere in morbis acutis; sed contra Hippoc. lib. de morb. acut. 4. inquit, cum præmeditatione esse faciendas.

Alia rō accedit 2. de fract. 25. 4. acut. 11. Nā Hipp. 2. de fract. quāquā paulo ante proposuisset usū ueratri albi, tamē, postea limitat. Vide locum, & 2. acut. 11 propter suspicionē augmenti febris veretur usum horum purgātiū. Itaque præter obiectiones propositas sūt istę duæ rationes: nunc aūt oēs dissoluemus.

Vt dissoluantur, tria fundaměta accipiěda. Primum dari multas febres, in quibus ratione materiæ peccantis nullo modo liceat vti purgantibus in principio, sed exspectata coctione.

Tria fundaměta.

1

2 Secundum, dari multos morbos & febres, in quibus, etiamsi cōueniat purgatio in principio ratione materiæ turgentis, attamen propter multa impedimenta hæc administrari non potest.

3 Tertium, quod omnes difficultates diluere potest, continebit modum administrationis horum medicamentorum purgantium in principio.

Quod igitur ad primum pertinet, cum diximus dari febres, &c. Inter has febres sunt primò illæ, quę habent materiam totam peccantem infixam in vno loco determinato. Hac ratione soluetur prima illa obiectio, extracta ex Hip. 4. acut. 22. qui videtur in huiusmodi inflammationib⁹ prohibere vsum purgantium, &c. Hoc inquam iacto primo fundamento, corruunt loci illi contra nos. Debent intelligi de inflammationibus, quæ habent vniuersam materiam infixam vno loco, vbi purgantia in principio non conueniunt, quia materia vsque adeò cruda adhæret, vt non possit euacuari. Propterea lib. 13. meth. cap. 15. vtitur quidem medicamentis purgantibus, sed non in principio, sed magis in statu & declinatione. Nos autem, quando præcipimus purgationem in principio, non respicimus materiam fluentem, sed fluxuram: Itaque consulimus purgantia. Et ratio non concludit. Aliæ etiam febres non requirunt purgantia. In paruis, & vbi pauci humores, siue sint calidi, siue frigidi in principio, non deuenientis ad purgantia: Potestis permittere opus naturæ. Et hac ratione soluuntur ferè omnia loca, & omnes auctoritates: quando inquit concocta &c. Loquitur Gal. semper de materia, quæ non turgeat: in quo casu debemus hoc naturæ permittere: Sed si cogat nos aliqua ex caussis prædictis, ad purgantia deueniendum, nisi tamen adsint prohibentia.; quod est secundum caput.

Prohiběntia purgationě in principio.

Prohibentia sunt multa, sed præcipuè vires; Propterea Hipp 2. in 1. Prorrhet. 37. proponit quædam symptomata, quæ potius sūt signa virtutis languidæ. Inquit nigra euomentes & deliros &c. purgare non oportet. Certissima hęc sunt, inquit Galen. in com. & illis non instituendæ purgationes. Et propter ea idem Gal. 2. aph. 29. inquit: Si quid videtur mouendum, moue, in casibus non deploratis; sed non tantùm inspicere oportet præsentes vires, sed etiam futuras, num purgatio talis sit, vt possit vires conseruare, ne cadant in augmento & statu, in quo casu etiam abstinendum à purgatione.

Cadunt autem vires, si adsunt praua symptomata, si adsunt vigiliæ, si etiam ætas sit nimis iuuenilis, tēpus anni nimis feruidum. Nam vbi Hippocr. 4. Aphor. 5. ait, in cane & sub cane purgare difficillimum; Galen. in comment. addat; medicamenta calida calido tempore maximam noxam inferre: nam ducunt humores contra opus caliditatis aeris: est motus contrarius.

Præterea non sunt instituenda in admodum gracilibus, qui habent partes ad hypocondria admodum graciles; de quibus loquitur Hipp. 2. aph. 25. vbi inquit, qui debent expurgari, debent esse bene corporati.

Præterea habenda ratio ventriculi, sani, vel laborantis, præcipuè oris illius: Si enim ex medicamento acri in lipothymiam incidat facilè, abstinendum.

Denique prætermittenda sunt in illis, in quibus purgationes etiam leuissimæ mouēt aluum in maxima copia: nam vires deijciuntur: & quod superest, non possunt à calore concoqui.

Sunt etiam alia, quæ impediunt purgationes, vt viæ ipsæ obstructæ. Supponimus in venis esse humores multos motos huc atque illuc, sed iecur impeditum; non potest fieri expurgatio, nisi per venas iecoris, 1. aph. 24. ubi non facienda purgantia. Propterea Gal. quod etiam repetit in lib. *quos, & quando, &c.* & vbi Hip. 2. aph. 9. inquit, *atrabiliarios plenius inferiores*, &c. addit Galen. in com. multo minùs est facienda purgatio, si uiæ iecoris sint occlusæ propter inflammationem. Propterea lib. 13. meth. c. 11. in iecore nos non idem efficere posse ait, quod in oculis inflammatis.

Docui hactenus, turgentem materiam non esse illam tantùm, quæ huc, atque illuc mouetur, neque locum habet determinatum, uerùm etiam illam, quæ uel propter sui multitudinem, tenuitatem, atque caliditatem, aut motum ad partem determinatam principem, aut insignem putredinem corpori noxam inferre potest; quæ explicata etiam ab Auic. fen. 4. lib. 1. tr. 2. cap. 7. Dum enim Auic. sentit, concoquendam esse materiam, neque purgādam, nisi turgeat, & dum explicat conditiones turgentes, has omnes proponit. Itaque Conclusio sit, in his omnibus casibus, purgationes in principio esse instituendas.

Vt verò soluerentur rationes & loca in oppositum, proposui duo fundamenta, quæ explicaui. I. Dari multas febres, in quibus nullo pacto conueniunt Purgantia in principio, sed exspectata concoctione. Quæ sunt illæ, quæ ortum ducunt ex inflammationib⁹ iam factis, in quibus nihil ampliùs influit: aut sunt febres paruæ, quæ habent materiam paucam. in his casibus non conuenit purgatio ex natura propriæ febris.

Secundò, in illis etiam febribus, quibus reperiuntur quidem conditiones turgentis materiæ, adsunt tamen multa prohibentia, nempe virtus uitalis debilis, aut in presenti,

aut

aut futuro, ætas, anni tempus feruidum, habitus corporis gracilis, os ventriculi imbecillum, consuetudo patientis ad copiosam euacuationem, viarum impedimentum. Hæc omnia impediunt purgationes in principijs, quamquam materia turgida sit.

Ex his duobus fundamentis soluuntur plures rationes, & auctoritates in oppositum adductæ. Primum quidem, quando dicebat Hipp. 1. Aphor. 22. rarò materiam turgere, dicebatur Hipp. voluisse materiam rarò turgere, ex hac mea opinione plurimum iurgere. Solutio ex dictis, cum plurimæ febres, quibus materia non turget, concedimus materiam non frequenter curare.

Ex febribus, aliæ longæ, aliæ breues.

Ex longis nulla fere est, quæ habeat materiam turgentem: quia hæ habent incrementum longum, & consequenter in principio materia est frigida, crassa, lenta, immobilis, nulla præ se fert signa turgentia. Propterea in his non conuenit purgatio.

Ex febribus breuibus, aliæ sunt acutæ, aliæ minimè acutæ, & plures breuis temporis absque periculo, quàm lethales, in quib⁹ neque conuenit in principio purgatio, neque materia turget.

Sed preterea in illis, quæ sunt acutæ cum periculo, plerumque non turgent.

Supponatis febrem ex inflammatione. si materia in ista inflammatione tota est fluxa, non ampliùs turget: ideò etiam videtis, quà rarò materia turgeat. Rectè igitur Hipp. dixit, *rarò autem turget*.

Patet etiam ex dictis, cur Hipp. 1. aphor. 24. dixerit, *in acutis rarò, & in principijs*. Dixit *rarò* propter caussas propositas; quia in acutis ex inflammatione nunquam conueniunt Purgantia, propter materiam iam fluxam: præter quam, quod non præter rationem interpretantur, vt id *rarò* explicemus, non de morbis sed de medicamentis, id est, non esse multoties reiteranda medicamenta purgantia in acutis, quasi voluerit semel tantùm, in principio turgente materia esse purgandum. Conuenit hæc interpretatio, quia consueuerunt antiqui plura medicamenta in morbo acuto repetere.

Patet etiam ex dictis, quamobrem dixit *cum præmeditatione*. nam si omnia proposita nobis sint obseruanda, vires, ætas, habitus, sexus, tempus anni; profectò maxima cum præmeditatione sunt adhibenda hæc purgantia: Itaque iure dixit, *cum præmeditatione*.

Solutio obiectionum. Venio ad solutionem aliarum obiectionum. Et primò, quando dicunt isti, non conuenire purgationem in principio quod necessaria sit secretio humoris putridi à sano, quæ non fit, nisi priùs præcedat concoctio 4. aph. 22. Soluitur eo, quod huiusmodi materia, quam dicimus medicamento expurgandam, iam est separata; quod illi volunt faciendum esse per coctionem, nos supponimus

A factam esse absque coctione.

Quod sit separata, patet: quia supponimus huiusmod materiam, vel esse multam, vel in motu ad varias corporis partes, vel determinatam.

Si multa; non est mixta alijs: quo casu licet vti purgatione.

Quod sic patet. quia, vbi sit maior copia succorum prauorum, quàm benignorũ, tum cacochymia, præualet ipsi plenitudinis, & eo minùs imminet hoc periculum. quia medicamenta habent vim attrahendi potiùs prauos humores, quàm vtiles. Videatis lib. *quos & quando purgare, liceat* in principio. Neque hoc tam fit ex facultate medicamenti, quam

B facultate propria naturali, quæ est intenta ad conseruandum robur corporis, & propterea vtiles humores fortiùs retinet, cui etiam accedit medicamentum.

Si pauci fuerint; illi pauci permixti bonis faciunt periculum. Sed dixi illos paucos non esse purgandos in principio. Itaque corruit secundum argumentum.

Quando dicunt, huiusmodi purgantia impedire coctionem, ex 4. acut. 44. Dico profectò, non puggandos illos humores, qui possunt concoqui; sed conditiones, quæ à nobis sunt propositæ, sunt humoris, qui non possit concoqui. perinde se habet concoctio humorum putridorum in locis determinatis,

C sicut cibus in ventriculo; si plus ingeritur, suffocat calorem naturalem. Idipsum contingit, si in ventriculo moueatur propter flatus & multam aquositatem, si non resideat in fundo ventriculi.

Idipsum quoque contingit, quando cibus fuerit potius medicamentosus & veneficus. In his casibus etiam natura humores non potest concoquere; quia multi, quia mouentur huc atque illuc, ita putridi, vt superent naturam; in quibus casibus licet vti purgantibus. Si humor quiescat paucus, remitto opus naturæ.

Ad aliam Natura vtiliter in principio non euacuat: Ergo neque ars.

Antecedens huius argumenti apud me est

D falsum.

Sed probant auctoritate Gal. qui 4. aphor. 22. scribit, euacuationes in principijs morborum semper improbas esse, & casus, & symptomata. Pro solutione ego plura profero in tertio meo Libro de Phœnigmis, quæ puto hac in parte vobis vtilitatem & delectationem afferre posse; nihilominus etiam hic breuiter respondebo.

Cum igitur dicunt isti: excretiones omnes in principio morborum esse symptomaticas; notandum est, nomen excretionis symptomaticæ, vel (vt meliùs) nomen excretionis dupliciter intelligi. Alia, quæ est uerè, & propriè opus naturæ: alia, quæ symptomatica dicitur. *Excretio duplex.*

Excretio, quæ est opus naturæ, est illa quæ

fit in tempore coctionis eorum humorum, qui morbum constituunt, in tanta quantitate, quantum sufficit ad tollendum morbum. de qua lib. de sympt. differ. cap. vlt.

Symptomatica iterum duplex. Vna huic operi prorsus opposita, quæ propriè Symptomatica dicitur, in qua scilicet excernuntur, qualia non oportet, & plura quàm oportet, & absque virium & patientis tolerantia.

Impropria excretio symptomatica est illa, in qua excernuntur quidem, qualia oportet, & illa, quæ morbum efficiunt, & possunt superare, sed tamen, quia excernuntur, vel in tempore cruditatis, vel in minori, aut maiori copia, vocantur excretiones Symptomaticę, quamuis non sint propriè symptomaticæ.

B

Hoc stante fundamento, quando dicunt omnes excretiones in principio esse symptomaticas, propriè, & verè; nego hoc fundamẽtum. nõ enim semper hoc est verum: potest quidem appellari excretio symptomatica ratione morbi, sed quod necessaria, falsissimũ. Experientia testatur in principio biliosarum plerumque febrium bilem excerni, quis negat non esse bilem talem, qualis conuenit?

Sed faciatis hanc conclusionem, si à natura potest esse vtilis: Ergo etiam ab arte. com. 12. aph. com. 24. aph. est pulcherrimus commentarius, requirit tolerantiam virium, & non quærit tempus non concoctionem, &c. Quando autem contingat, huiusmodi conditionem esse talem, qualẽ oportet, est improba, & propterea reprimenda. Patet itaque solutio. Sed qui voluerit plura, videat, vt dixi 3. meum librum de Phœnigmis.

C

Quantũ ad aliam rationem, quæ desumitur ex Hipp. 4. aph. 22. in principijs inflammationum, si quis vtatur purgante, nihil adimit, sed auget malum, &c. iam responsum est ad hãc: vbi materia tota est fluxa, non est opus purgatione: si adsit noua fluxio, conuenit.

Propterea ibi nomine principij intelligit totum illud tempus, quod continet integrã & perfectam fluxionem humoris ad locum inflammatum, vt testatur Galen. lib. de tot. morb. temp. cap. 3. Itaque supponit integrã fluxionem, prohibet purgationem. Sed si intelligatis tertium, quartum diem, conuenit purgatio.

D

Denique, quando dicebamus purgantia fugienda, quia calida; huic multis modis satisfacere possumus. Primum cum Galen. lib. *quos & quando purgare, &c.* & com. aphor. 24. sect. 1. Plus vtilitatis afferre purgationẽ, quã medicamenta noxæ. Et ratio hoc etiam persuadet. Nam calor febrilis augetur ex putredine & humoris qualitate. Itaque purgato humore putrido, calor extinguitur. Sed alia est etiam solutio. Poteritis eligere purgantia mitiora. 4. acut. & lib. *quos & quando &c.* Nos vtimur rhabarbaro, & alijs mitioribus.

Propterea poterimus frigidis corrigere, cum cassia, syrupo viol. portione senæ: &, vt

A

vno verbo dicam, quando talis fuerit feruor, vt purgantia videatur prohibere, deueniendum est ad magnam dosim medicamenti lenientis, & euacuantis, quæ sententia est Hip. 4. acut. 29. loc. cit. Fortè respiciens ad hanc caliditatem febrilem proponit usum lactis asinæ ad xij. vel xvj. heminas, sunt 10. uel 12. vel 13. lib. lactis. Ego nolo, ut uos accipiatis hoc, sed serum, si non ad x. uel xij. libras, ad v. ad vj. iiij. iij. addito syrupo rosato solutiuo, aut cassia, fiet ita euacuatio, & tamen corpus non calefiet.

De purgantibus medicamentis in febrib⁹ putridis administrandis, hactenus quæsitum, nunquid conueniant in principio, & quanam ratione conueniant? Nunc restat ut inquiramus, nunquid in augmento, & statu utiliter administrari possint? Dubia & controuersia res est, propterea accuratè tractanda. *Num liceat purgãtia administrare in augmento, et statu.*

Quod in augmento non conueniant, probari potest ratione, & auctoritate. *Quod nõ ĩ augmẽto argumenta.*

Ratione primùm: quia medicamenta purgantia coctionem impediunt; At in augmento coctio ipsa celebratur; Itaque abstinendum ab his in augmento. 1

Purgantia coctionem prohibere intellexistis ex Hip. 4. acut. 44. Si medicamenta purgantia adhibebis, urina non maturabitur. Et in com. quod in augmento coctio celebratur. lib. 1. de cris. c. 17.

Itaque ne impediatur natura à coctione, prohibenda in augmento magis, quàm in principio: In principio enim natura nõdum adhuc aggreditur concoctionem: & uirtus tum magis robusta.

Secunda ratio, purgationes in augmento distrahunt naturam à futura crisi, aut præueniunt crisim, aut illam accelerant, aut saltem prohibent. 2

Acceleratur quando purgans non est ita ualidum, ut totam peccãtem materiam possit expurgare, cùm tamen multa sit in corpore: tunc enim agitatur materia, & natura cogitur, quasi exstimulata ante tempus onus deponere.

Aliquando impedit futuram crisim, quãdo uniuersam materiam, uel magnam partem euacuat, ut reliquum concoquatur: Galenus autem utrumque detestatur libro 3. de crisibus.

Tertia ratio. natura utiliter in augmento non euacuat: Ergo nec ars. 3

Antecedens probatur ex Galeni testimonio, qui pluribus locis, præcipuè, ubi Hipp. 4. aphor. 29. scribit, rigores in sexto iudicium habere difficile, addit in comm. rigorem in sexto: eo, quod rigori superuenit excretio; excretiones autem siue fiant in die non iudicatorio, siue dum non perfectè cocta, non possunt esse utiles. Itaque neque natura, nec ars utiliter euacuabunt.

Probatur hoc ipsum testimonio Hipp. & Gal. Scribit Hipp. 2. aphor. 29. incipientibus mor-

morbis si quid videtur mouendum, moue, vigentibus verò morbis quiescendum. Itaque scribit etiam Gal. in com. purgationes instituendas tantum in principijs morborum, quo tempore vires sint validæ.

In eundem sensum scribit Gal. 2. in 1. prorrheti 37. in fi. illius comm. in acutis conuenire purgantia tantum in principio.

2 Et profectò, si respiciamus etiam ad omnes illas auctoritates Hipp. in quibus explicat conditiones de medicamento purgante rectè administrando, intelligit prefectè cocta, vt ideò etiam Galen. lib. *quos & quando* opo purgādi humores, vbi concocti fuerint: In augmento autem coctio est in fieri; Itaq; non conuenit purgatio.

Rationes in oppositum. His tamen non obstantibus, vt resoluendi cam meam sententiam, conuenire puto in augmento purgantia.

Ad hoc probandum vtar rationibus, & auctoritatibus: postea dissoluam rationes in oppositum.

1. Ratio. Prima ratio. in augmento materia perinde est turgida, sicut in principio; Ergo conuenit expurgatio.

Consequentia manifesta. Nam eadem ratio, quæ etiam militat in principio.

Quod in augmeto quoque turgeat materia. Antecedens, quod in augmento turgeat materia, probo triplici augmento. I. Est tale. Acuti morbi magna ex parte incipiunt suam acutiem insignem circa tempus augmēti: Ergo tunc temporis est materia etiam turgida.

1. Ratio. Consequentia est clarissima. nam acuti morbi sunt illi, qui habent materiam turgentem. Itaque si acutus morbus incipit tempore augmenti, sequitur materiam appellari posse turgidam.

Quod circa tempus augmenti materia possit esse turgida, testatur Gal. comm. 2 1. 2. section. aph. Propterea pluribus incipit febris magna etiam in quarta, vt febris pleuriticorum, phreniticorum, & tunc materia incipit esse turgida, vbi conuenit expurgatio: hoc igitur argumentum apud me est fortissimum.

2 II. Ratio; In principio materia exsistente turgida, plerunque non fit expurgatio, vel quia non pōt fieri, vel quia Medicus non est vocatus, tunc debet fieri in augmento. Antecedens manifestè patet ex testimonio Galeni, qui 1. aph. 24. & lib. quos, & quando &c. scribit, in huiusmodi materia turgente vias esse impeditas, & antequam expurgantur, &c. Huiusmodi vsus medicamenti administrādus, quousque viæ aperiantur, quod vnica potione non potest fieri, quib⁹ apertis purgans prębendum: in hoc casu non potest fieri in principio. transijt enim principium iam.

3 III. Est vltima ratio. In febribus ex inflammatione tempore augmenti, si corpus sit plenum, materia necessariò suscipit qualitatem materiæ turgentis; Ergo tunc tem-

A poris necessariò est expurganda.

Consequentia est clara. Probo Antecedēs, primum oportet declarare, quidnam faciunt inflammationes tempore augmēti. Declarauit Gal. hoc lib. de tot. morb. temporib. cap. 3 vbi inquit, esse illud, in quo materia collecta incipit putrefieri, vbi putrescit humor, generantur vapores, & spiritus calidi.

His stantibus, si corpus sit repletum, quis ignorat, necessariò moueri humores omnes in corpore? quod etiam docuit lib. 3. meth. med. c. 6. & lib. 2. de febribus. c. vlt. Itaque in augmento inflammationis putrescente materia excitatur dolor & calor: Ergo excitatur noua fluxio. Hinc fit, vt in augmento plura B & magna sint symptomata, quàm in principio: quamquam in principio tota materia iam fluxerit. Augentur qualitate & numero; qualitate pathognomonicæ; numero, quia superueniunt noua symptomata, de quibus apertissimis verbis lib. 1. de cri. c. 9. *tempus inquit augmenti est illud, in quo symptomata pathognomonica eduunt maiora*, & quæ sequuntur.

Patet itaque argumentum primum esse probatum, turgidam esse materiam etiam in augmento.

Secundum argumentum, quod liceat vti purgante in augmento tale est. in augmento humores sunt concocti, quod docuit Gal. in lib. de tot. morb. temp. c. 3. inquiens *in febribus, quæ non ortum ducunt ex inflammatione, &c.* *Secundū argumētū, quod liceat in augmēto purgare.*

C Video dicturum, aduertas in tempore augmenti fit coctio, sed non est facta, non est perfecta coctio, quæ requiritur. Dico pro expurgatione facienda sufficere interdum hanc mediam coctionem.

Triplex autem est media coctio, in quib⁹ conuenit purgatio. Prima ratione loci: Secunda quantitatis: Tertia substantiæ.

Ratione loci; quando humor in vna parte reperitur concoctus, in alia autem crudus. Quæ hæc est species? Galen. 2. in 1. Epid. 84. scribit patientes illas relatas ab Hipp. (Fuit autem ancilla quædam pictoris Cymini, & Crastitionacta quædam:) perijsse, cum habuerint parotidas concoctas, in venis fuisse materiam crudam, & proponit hanc rem

D pro exemplo memorabi i. Inquit, *in istis mulieribus &c. propterea interiere.*

Sed ratione substantiæ est illa; in qua humor ex parte concoctus, ex parte verò crudus non potuit à natura ex toto superari, sed tamen aliqua ex parte emendata humoris malitia. Exempli gratia, humor putridus est magis calidus, fœtens, acris, &c. Vbi verò cōcoquitur; debet prorsus mutari in oppositas qualitates: quādo superatur ex aliqua parte, tunc temporis dicitur media coctio, de qua loquitur lib. 1. de differ. febr. c. 6. vbi proponit humorem, qui partim superat calorem, partim superatur, vbi fit huiusmodi media coctio. In hac conuenire purgationem, neminem

minem puto in dubium reuocare: nam humor ita concoctus recipit totum illud bonum, quod potuit recipere. Cum natura non potuit vlteriùs progredi, necessaria purgatio.

Tertiò ratione quantitatis: quia in corpore tali multi sunt humores putridi, aliqua pars concoquitur, aliqua est inconcocta, aliqua etiam prorsus concocta. Quod etiam obseruatur in coctione naturali: neque enim calor natiuus potest omnes humores simul concoquere. Coctio enim fit in humoribus à partibus solidis: Si est multus, non potest.

Hoc stante, dico huiusmodi mediam coctionem ratione quãtitatis requirere purgationem etiam in augmento, quia humor iam concoctus debet & potest medicamento purgante educi.

Quod possit, probatur ratione: Nam natura nihil patitur apud se coctum morari, lib. 3. de caus. sympt. cap. 2. quãquam ibi loquatur de concoctione naturali, sed facimus nos argumentum à Simili: Si natura non potest sustinere alimentum, quod est concoctum, multo minùs poterit id, quod est noxium, &c.

Sed præterea probo idipsum fieri à natura: Ergo etiam ab arte.

Quod à natura, patet experimento: In tertiana, siue simplici, siue duplici, quis non obseruauit in fine accessionum materiam vtiliter euacuari per aluum, sudorem, vrinas? Si hìc fit vtiliter, cur nõ in alijs febribus, in quibus non fiunt excretiones, debent concoqui & expurgari?

Confirmatur: quia 2. aphor. 23. & lib. 3. de cris. c. 7. proponit crisin mediam & imperfectam, & perfectam, & absolutam.

Mediam, & imperfectam inquit fieri in media coctione.

Est perfecta, quia si fiat, non tollit statim morbum, sed aliquando fit, vt morbus in melius procedat. Si itaque hoc: Ergo etiam euacuationes eo tempore vtiles. Sed ostendo hoc esse factum ab Hippocrate Galen. & Auic. Hippoc. 4. acut. 23. proponit purgantia etiam in vrine crassa & nebulosa, quod non est signum perfectæ coctionis lib. 1. de cris. cap. 17. Gal. etiam lib. 13. meth. cap. 15. in inflammatione iecoris, proponit aluum subducentia, & expurgantia per vrinas, quãquam status inflammationis non aduenerit: Nam in statu deinde proponit fortiora. Clariùs in febre Tertiana lib. 1. ad Glauc. vtitur medicamentis aluum subducentibus in augmento. Et Auic. c. 7. fen. 2. canon. 4. vbi abundant multi humores & crassi, quos vidit, non posse omnes simul concoqui, inquit in talibus casibus opus esse medicina forti, & debili forti inquit, quæ habeat vim purgandi: debili, quæ non insignem faciat expurgationẽ, ne agitet illos humores, qui adhuc crudi sũt. Itaque certissimum est, conuenire purgationes etiam in augmento.

1 *Refutatio eorũ, qui vegant in augmẽto esse purgandum.*

Ad rationes in oppositum. Cùm dicunt perturbari coctionem: Soluitur. Nolo, vt detis ita validum, vt euacuetis humorem iam concoctum, & non concoctum. Sed sequamini consilium Auic. Sed si materia turgeat, conuenit purgatio.

2 Ad secundum argumentum, quod dicũt: Crisis, vel prohibetur, vel acceleratur. Quantum ad primum, existimo hoc non esse inconueniens, vt beneficio purgantis imminuatis materiam, quæ pugnam facit, &c.

Quod dicunt, acceleratur crisis, dico, si certi sumus victuram naturam (in benignis morbis cum viribus valentissimis,) concedo & consulo, vt permittatis opus naturæ: Sed vbi morbi minentur perniciem, neque certi sumus, vtrum natura possit sustinere, vsque ad Statum, profectò melius est imminuere materiam peccantem, quàm permittere pugnam ancipitem. Itaque consulo purgationem, vt Galenus lib. tertio de Crisibus, capite septimo.

3 Quantum ad tertiam rationem, quod natura vtiliter in augmento non excernat ante concoctionem; soluitur: non excernit vtiliter natura in morbis salutaribus, sed in periculosis, vt intellexistis, etiam à natura euacuat in augmento. Itaque sicut in augmento fit crisis, ita licebit etiam purgare.

Ad auctoritatem Hipp. & Galeni eadem est conclusio.

An in statu liceat purgare.

Controuersa res est, quamquam facile, vt arbitror, difficultas omnis tolli possit, numquid scilicet in statu febrium liceat uti purgantibus medicamentis?

Quod non liceat uti, persuadent ratio, & auctoritas.

Rationes quod nõ.

Ratio, primùm: quandoquidem tempore status materia iam est ex toto concocta. in hoc enim differt status ab augmento; sed ubi cocta est materia, natura ipsa expurgatur: Hinc orta illa Hippocr. sententia 1. aph. 20. *Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè neque mouere oportet, neque nouare, neque medicamentis, neque alijs irritamentis, sed sinere.* Cognouit Hippoc. quod etiam docuit Gal. in comm. & lib. 3. de cris. c. 5. tempore status perfectam adesse coctionem.

Adde, quod purgans medicamentum, si hoc tempore status exhibeatur, uel adiuuabit ea intentione, quam tentauit etiam natura, uel impediet si exhibeamus: si aluus excitata fuerit, periculum, ne nimium excernatur; si alio tendet natura sua excretione, periculum ne impediat. Videntur itaque suspecta medicamenta purgantia in statu. Hãc rem uidetur considerasse & Hippocr. & Gal. 2. aph. 29.

Vbi & in quibus casib. conueniant purgãtia in statu.

His tamen non obstantibus in tribus casibus conueniunt purgantia in Statu: & ex huiusmodi distinctione intelligetis solutionẽ.

Primus casus est, quando febris ortum ducat ex humoribus, uel frigidis, vel paucis.

In

1 In huiusmodi casu, siue humores sint frigidi, siue pauci, quanquam concocti, non tamen expurgantur per crisin: In tali licet vti purgante: Loquor autem nunc de crisi facta per excretionem sensibilem. nam possunt in huiusmodi febribus fieri crises per decubitum, abscessum, parotidis.

2 Alter casus est, vbi natura iam tentauit crisin, sed imperfecta fuerit, & consequenter morbum non sustulerit: ibi opus est purgante. de quo auxilio loquuntur Hipp. & Gal. aph. 21. sect. 1. *quò natura vergit, eò ducere oportet, per conuenientes locos.* Scribit Gal. in comm. ea, quæ ducere oportet, esse ea, quæ non sunt probè iudicata. Vt dixerat Hipp. in præcedēte aphorismo, inquit Gal. eò ducere oportet, quò natura vergit.

3 Tertius casus est, quando in statu iam transacta ex toto fere die decretoria in morbis acutis & periculosis, cum maximis symptomatis, natura tamen adhuc nihil incepit, opus est naturam auxiliari, & propterea hos humores educere, quod docet Auicennas Fen 2 lib. 1. tract. 2. capit. 7. inquiens: *Et si natura non mouerit, moue tu hora tamen motus illius.* Cognouit aliquando naturam ita infirmam, vt non possit huiusmodi crisin aggredi. Igitur inquit, *si natura non mouerit, moue tu.* Et sic soluuntur obiectiones.

Venio modo ad tempus particulare, quod est dies & hora.

Tempus particulare exhibendi purgantia. Quo ad diem, & horam similiter aliter acquirendum in cura regulari, aliter in coacta.

In regulari, id est, quando febris dat inducias, nihilq; sit, quod vrgeat, melius est expectare diem minoris afflictionis, aut intermissionis, si aliqua sit; si non, oportet eligere horam diei frigidiorem, in qua minùs vexētur patientes, quàm aliis horis.

Sed vbi febris admodum veget, & symptomata sint grauissima, & periculum sit inflammationis, eligenda quælibet dies, quælibet hora. quod colligitur partim ex Gal. partim Auic. Gal. lib. cur. per sang. mission. c. 12. vbi increpat Methodicos, qui abstinebant à sanguinis missione, quibusdam horis nocturnis, & tamen horis nocturnis clysteres admittebant. Inquit, sunt increpandi. Itaque probat eos, qui quacumque hora postulante necessitate adhibent medicamenta omnia, quod & vos potestis facere. In cura itaque coacta ita agendum est.

Qualitas medicamenti purgantis. Fen. 3. lib. 4. tr. 2 cap. 7. Quantum ad qualitatem medicamenti, non differam de qualitate medicamenti administrandi in febribus. Num de his in specie proponam omnium materias. Volo tamen considerare, quod Auicen. loc. cit. inquit: *Pro purgatione humorum eligenda esse ea remedia, quæ non faciant habitudinem ad ipsam febrem futuram,* quasi dicat, eligenda esse ea medicamenta: quæ non accelerant accessionem, vt exempli gratia, anticipet sex,

A septem, aut decem horas.

Propter caussas, quas, & quot febris possit anticipare. Sed dicet quis; quæ sunt hæc medicamenta? Ego quattuor inuenio caussas: propter quas febris potest anticipare, & consequenter medicamenta facere habitudinem ad febrem ante tempus.

1 Primo, quando exhibebimus purgans nimis calidum absque correctione. Exempli gratia, scammonium, colocynthidem, &c.

2 Secunda occasio est quantitas medicamēti, quæ potest esse duplex: Maior, quam conueniat; aut minor, quam conueniat. Si quis præbeat fortissima, non tantum mouentur humores peccantes, sed etiam alij non peccantes, ibi solet anticipare.

B

3 Similiter in minori copia, si moueat humores insufficienter.

4 Quartus modus, quando eligantur medicamenta, quæ non sint appropriata ipsi humori peccanti, in quo solet admitti error: vbi purgatur humor diuersus ab eo, qui febrem facit, vt si sit febris biliosa, & nos exhibeamus Agaricum, febris mouetur & anticipat, hæc de qualitate medicamenti.

Modus exhibendi medicamenta purgantia. Quantum ad modum, sunt aliqua consideranda: & primùm numquid expediat exhibere huiusmodi, ante, post, vel cum cibo. Omnia breuibus expediam.

Si exhibendum sit medicamentum admodum leue in modica quantitate, vt pilulæ

C

mastich. de tribus, cum rhab. &c. potestis præbere paulo ante cœnam: Si purgantia validissima, quæ sunt calida & sicca, & corpus non sit admodum robustum, præbantur cum cibo, teste Galen. lib. 1. de alimen. fac. cap. 5. & 2. acut. comm. 25. Et Galenus etiam, qui secutus hāc Hippocr. sententiam permiscet in ptisana scammonium lib. 13. meth. cap. 15. in cibo exhibet polypodium, & corticem hellebori nigri. Oportet aliquando decipere ægros, & præbere fortiora in cibo. Quemadmodum etiam in delirio oportet ægros decipere.

Num liceat immiscere purgantibus diuretica. Præterea quantum ad modum: num liceat immiscere aliquando vrinam prouocātia cum purgantibus, quod est vulgare in febribus, vbi multi sunt humores cum obstructionibus, res est controuersa. Ego consueui vti quibusdam pilulis cum trochiscis aperientibus, vt sunt trochisci de rhabarbaro, de his est dubium, an hæc operatio sit vtilis, necne.

D

Quod non; probatur: sunt motus contrarij. Vnum enim per aluum, reliqua per vrinas ducunt: Ergò, simul & semel stare non possunt, teste Galeno, libro decimotertio, methodi, cap. 11.

Ego tamen censeo aliter, & agere soleo in praxi, nec hæc ratio me deterret. Primò est considerandum, purgantia cum diureticis numquam esse in tanta copia, & tali vi, ut possint humores à partibus distantibus ad inte-

intestina trahere: expurgāt dumtaxat humores in primis vijs, & in tali casu tantum abest, vt diuertant opus (id est vt impediant diuretica) vt potiùs vtilitatem aliquam præbeant.

Sed aduertatis, vbi etiam medicamentum fortius sit exhibendum, si aliqua adsit suspicio, ne vię sint impeditæ, opus est admiscere aliquid ex diureticis, in hunc finem, vt aperiant vias obstructas; adhibentur diuretica, non vt moueant vrinas, sed vt aperiantur vię, quæ sententia est Hipp. & Gal. com. aphor. 9. sect. 2. aphor.

Nū expediat Adstringentia permiscere purgantibus et quādo

Est alia etiam dubitatio, num expediat adstringentia permiscere purgantibus? Sic vtimur rhabarbaro, cum myrobolanis: quæ tamen non conuenire quidam putant se hoc probare argumento.

Si opus est purgatione, non erit opus adstrictione. Itaque prætermittenda.

Sed hæc res facile potest conciliari.

Adstringentia sunt tantum administranda in duobus casibus. Primum, quando exhibeatur purgans, vt alui curet fluxum, ad mouendam aluum licet vti adstrictorijs. Et nos ideo eligimus rhabarbarū, & myrobalanos.

Secundus casus est, quando ventriculus, & intestina sint admodum infirma. Sunt tamarindi, absinthium, puluis rosarum, &c.

Nū cōueniāt lenietia mixta cū purgantib.

In dubium etiam reuocatur à quibusdam, num conueniant Lenientia mixta cum purgantibus? Quod quidam negant dicentes: Lenientia perficiunt suum opus, antequam purgās suum aggrediatur: Ergo omnis eiusmodi permixtio est periculosa, & molesta.

Probatur consequentia: nam patiens cogitur vexari duabus excretionibus vna post aliam: vbi si vires sunt infirmæ erit periculū, ne prorsus cadant.

Non obstante hoc, consulo, quod sic.

Quod dicunt, binas fieri excretiones, ego hoc concedo. Sed existimatis ne vos huiusmodi excretionem esse noxiam? Potiùs maximè vtilis. Purgans meliùs potest transire ad partes distantes. Neque est quod dicant, duas operationes molestas, & periculosas esse; oportet enim Medicum esse circumspectum, vt hoc faciat absque virium noxa.

Tandem quantum pertinet ad modū adhibendi medicamenta, modus etiam est hora cibandi post exhibitum purgans, quod est de modo cibandi, ubi obseruandum, ne tum fiat euacuatio, dum est in motu medicamentum, exhibeatis cibum, ut docet Hip. 2. acut. Potest quidem misceri (ut dixi) cibo, sed si exhibeatis cibum, statim diuertitur natura: Si sitiat patiens, poteritis præbere iusculum.

De curatione febrium putridarum in genere, quæ fit per Diuretica, seu vrinam mouentia.

Cap. XXVIII.

INter ea, quę humores putridos expurgāt, sunt etiam mouentia urinas, & sudores A Sic enim Gal. lib. 11. meth. cap. 9. de curatione putridarum sermonem faciēs, inquit. *Expellenda autem sunt, quæ putruerunt, per aluum, vrinam, sudores, & vomitum.* De uomitorijs & per aluum purgantibus dictum abundè est. Nunc breuiter dicam, quid circa Diuretica, & Sudorifica agendum.

Diureticorū differentia triplex.

Vrinam mouentia in triplici sunt differentia: quędam sunt calidissima, & siccissima; alia sunt temperata; quædam uero frigida. Calida & Sicca in tertio gradu sunt ea, de quibus agitur lib. 5. de simpl. med. fac. cap. 13. ut semina apij, petroselini, ameos, eryngium, asarum, &c.

B Temperata sunt agrimonia, betonica, origanum, pulegium, pentaphyllum, capilius ueneris, &c.

Frigida sunt omnes succi acidi, inter cetera acetum, succus limonum, arantium, omnia semina frigidorum tàm maiora, quàm minora. Hæc omnia mouent urinas, inter etiam connumeratur aqua ipsa, uinum dilutum, aqua hordei cocta, serum lactis, &c.

Cum igitur hæc & tot sint diuretica, quæritur, quæ nam usurpanda in febribus putridis, & quo tempore.

Quæ diuretica in febribus sint vsurpanda.

Quo ad primum, dico pro temporum febris uarietate omnia locum habere.

C In principio febris quando est ardentissima, conueniunt Diuretica frigida. Habent enim uim alterandi partium intemperiem, & partes horum humorum ad uias urinę deducunt: non enim aliam ob caussam urinas mouent, quam quia serosam humiditatem multiplicant.

Nam duplex est motus, per quem mouetur urinas: unus per hæc frigida. Propterea Gal. 4. aph. ult. ubi scribit Hipp. Mictio noctu multa contingens modicam alui egestionē significat. Inquit ille in comallos, *quibus aluus nimis humida est, habere paucam vrinæ egestionem*, & quæ sequuntur. Itaque omnia poculenta, præcipue tenuioris substantiæ, ut aqua tenuis cocta, mixta cum hordeo, alterata cum frigidis, omnia mouent urinas. Talia conueniunt in principio febris admodum ardentis. D

Temperata sunt, quæ mouent urinas, quia tollunt impedimenta naturæ, quò minùs possit serum per renes excernere. Exempli gratia abundat corpus crassis succis, siue in renibus, aut uasis urinariis, qui nisi incidantur, à uiis deturbentur, & euacuentur, urina non commodè excernitur. Dantur itaque temperata hæc: qualia sunt agrimonia, betonica, radix apij, pentaphyli. Est etiam terebinthina, quæ tamen in febribus nō administratur. est etiam terebinthina Cypria, & aquæ thermales, quamquam prouocent urinas, quia humores crassos attenuent. Itaque in febribus in quibus adsunt obstructiones, & crassi succi, administranda hæc, præmissa tamē sanguinis euacuatione, quamuis non appareat con coctio.

coctio. Quod aduertatis propter Auicennā. Vult ille, nulla Diuretica in Principio facta vniuersali conuenire.

Quod hoc verum sit, potestis colligere ex lib. 13. meth. c. 15 in inflammatione iecoris vtitur statim in principio radice apij: in progressu verò præcipit addenda Diuretica validiora, & lib. 11. meth. c. 9. in synocho statim in principio vtitur radice apij. lib. 1. ad Glauc. cap. 9. & 10. in cura Legitimæ Tertianæ, & Spuriæ idem facit. Hæc itaque temperata conueniunt etiam in principio.

Diuretica autem proprie appellata, quæ sunt calida, & sicca in tertio gradu, non conueniunt, nisi iam cōcocta materia, & vbi iam calor febrilis remiserit, vt corpus aliquam illius insignis caliditatis partem demiserit. nam B hæc admodum calida exsiccant sanguinem: Et propterea vbi febris magna & vehemens, ab ijs est abstinendum: vbi verò demiserit, cōueniunt. Propterea Galen. lib. de atten. vict. cap. 5. in fin. loquens de istis diureticis, inquit, calida fugienda, excepto eo tempore, in quo volumus sanguinem ipsum purgare. Sed sic est, quod volumus id post concoctionem præstare. Scopus expurgandi sanguinem est, quando humores iam sunt concocti. Itaque huiusmodi verè Diuretica facta concoctione maximè conueniunt, dummodo calor febrilis non prohibeat: si prohibeat, potestis corrigere eum, & tum vsurpare.

De Medicamentis Sudorificis, in quibus Febribus, & quando ea vsurpanda.

Cap. XXIX.

Sudorifica interna. QVantum ad Sudorifica, hæc medicamenta sunt Interna, & Externa.

Interna sunt illa, quæ etiam enumerantur inter Diuretica, & propterea, ubi scopus est reuellere humores fluentes ad altum, administranda, quæ sudores, & urinas mouent: nam separant serositatem à sanguine. Materia, lib. vndecimo, de simpl. med. fac. cap. de sudor. est eadem. Itaque de his nihil amplius.

Externa, quæ administrari possunt in febri- D bus (ni fallor) in triplicem vsum possunt administrari. Primò, ut cutis iam obstipata, & densata, quæ est caussa prohibitæ transpirationis, beneficio horum relaxetur, & aperiatur. Secundò, ut materia, quæ continetur in ipsa cute, uel ambitu saltem totius corporis, beneficio istorum euacuetur. Tertiò, ut humores etiam, qui sunt in profundis partib⁹ putrescentes, paulatim attrahantur in cutem, & per cutem digerantur.

Si sermo sit de prioribus medicamentis, relaxantia cutem, illa conueniunt statim post uenæ sectionem, & post lenients, aut purgans, si materia turgeat. Lib. 11. meth. c. 10. loco cit. vult in eo ordine indicationum, quas proponit, primum debere esse, qui desumuntur à A multitudine. Secundum, vt transpiratio fiat libera: non autem fieri libera potest, nisi tollatur caussa, quæ multoties est obstructio: Itaque ad hæc relaxantia deueniendum. Ideo lib. 11. meth. capite nono, statim post vniuersales euacuationes vtitur oleo chamomelino.

Verum quidem est, habuisse hoc suspectum, si febris valida, quod calidum sit. Sed si scopus est relaxandi, si hoc volueritis uti, potestis uti oleo amygdalarum dulcium: nam temperatissimum est oleum: si febris non valida, conuenit etiam chamomelinum.

Quantum ad secundum scopum, qui est educendi humorem in ambitum totius corporis, præcipuè cutem, istos per eam partem euacuare oportet, lib. de constitutione art. med. cap. 9. Pariter colligitis ex 30. 2. in 6. epid. ubi scribit Hipp. latæ pustulæ. Addit Galen. in com. hoc esse, humores, qui iam ad cutem confluxerunt, per ipsam cutem esse euacuandos. Propterea scribit idem Hippocr. istas pustulas latas debuisse iuuamentum suscipere a fomentis calidis. Postea subiungit Galenus, faciendam esse non vomitu, aut purgatione.

Hoc loco oritur dubium. nam in huiusmodi transmissione pustularum, & exanthematum in cutem, liceat uti uomitu, purgatorio, uel alio euacuante uniuersum corpus. Ex eiusmodi loco. Galenus uidetur nos docere C uoluisse, has non esse fugiendas; nam quamquam dicat huiusmodi humores non uomitu purgari, & statim tamen subiungit, *saltem hæc dico*, &c. Itaque colligitur, Gal. uoluisse humorem, qui iam fluxit, esse quidem per locum illum euacuandum, non tamen desistendum à reliquis etiam. *An in transmissione pustularum & exanthematū liceat uti purgantibus, &c.*

Ex alia parte idem uidetur oppositum statuere lib. 4. de tuen. ual. cap. 6. ubi loquitur de curatione tumorum, qui partes externas obsideant: inquit, ea omnia fugienda: fugit ibi omnia leuiora, ut, metum, horrorem, animi passiones. Itaque hæc opposita priori.

Pro conciliando notandum est; humores in cutem fluentes posse esse in triplici differentia: aut sunt humores calidi, tenues, mobiles: aut crassi, uiscidi, & lenti, & consequenter immobiles; ubi fluunt tenues, & mobiles, oportet uos esse admodum cautos in exhibendo medicamēta, quæ possunt huiusmodi impetum humoris retrahere. Et propterea loco cit. 2. in 6. epid. ubi uidetur concedere usum uomitus, & purgantium, inquit, illud esse faciendum, si humores non sint calidi. Et propterea inquit, pustulæ illæ, de quibus Hipp. sunt frigidæ ex humoribus frigidis, qui non facile retrocedunt, quamquam utamur uomitu, aut purgatione.

Itaque potestis ex hoc loco elicere maximum argumentum ad ueritatem, apparentibus s. maculis in febre pestilente usum attrahentium medicamentorū stare posse. Itaque

quantum ad huiusmodi euacuantia, sunt administranda, quo tempore pustulæ appareāt.

Num sudorifica cōueniāt tempore cruditatis. Scio rem alio etiam nomine esse conuersam. Nam expurgantia per cutem sunt administranda tempore cruditatis, nec ne?

Si appareant in principio, est difficultas. Qui voluerit plura, legat 2. & 3. meum librum de Phœnigmis. Disputabimus hoc etiam in tract. de Pestiferis.

Attrahentia. Quantum ad tertiam operationem eorum scilicet, quæ attrahunt, administranda hæc vel in cura coacta, vel regulari.

Si de coacta loquamur, intelligo eam, quæ desumitur ab vrgente, vt est febris pestilens.

Si sermo sit de istis, etiam in principio conueniunt.

Si de cura regulari, id est, de febrib⁹ quæ non vrgeant, in istis expectanda coctio: Propterea Galenus loquens de his febrib⁹ præcepit balneum non nisi tempore coctionis administrandum, lib. 1. ad Glauc. cap. 1. 3. acut. com. vlt. & lib. 9. meth. cap. 11.

De medicamentis corroborantibus in febribus putridis vsurpandis. Cap. XXX.

PVrgantibus succedunt corroborantia. Hæc sunt medicamenta, quæ alterant varias intemperies partium corporis, quæ propter febrilem dispositionem relictæ sunt. nam febrilis calor quasdam partes relinquit calidiores, nempe iecur: alias frigidiores, vt ventriculum & celebrum: propterea in istis casibus Medici excogitarunt alterantia, quæ vocant corroborantia.

Corroborantia interna. Hæc sunt externa, & interna. Interna pro corroborando ventriculo sunt conseruæ de betonica, de absynthio, species aromatici rosati, diatrion pipereon: pro capite, conseruæ ex floribus rorismarini, anthos uocata: pro iecore refrigerando, conseruæ rosarum, violarum, ex folijs, & flor. cichorei addito puluere ex santalis, triasantal. Confectio etiam solida triasantalum.

Externa Extrinsecus sunt oleum mastichinum, &c. Sed ad rem.

Nū corroborantia externa conueniant nō purgato corpore. Quæritur, numquid Corroborantia hæc alterantia, seu vt melius dicam, vtrum localia hæc exteriora potissimum sint administrāda, non purgato corpore?

Pro vna parte est opinio fere omnium, nō licere vti localibus, nisi præmissa euacuatione. Existimant verissimam, & vniuersalem esse hanc propositionem. Ego volo esse breuis.

Existimo, hanc uniuersalem propositionem non accipiendam: & censeo in pluribus casibus esse administranda, etiam non purgato corpore.

Primum localia sunt duorum generum; Quadam scilicet euacuantia, quædam minime euacuantia.

A Euacuantia sunt vel sensibiliter uel insensibiliter talia.

Sensibiliter; Exempli gratia, scarificatio vnius loci.

Insensibilis euacuatio, quæ fit per fotus, vel inunctiones calidas.

Si igitur sermo sit de localibus euacuantibus, siue sensibiliter, siue insensibiliter, dico in his veritatem habere regulam illam vniuersalem, non licere vti nisi purgato corpore. Legatis Galenum 2. in 6. epid. com. 3. in fi. inquit, uena secta in fronte curat dolorem capitis, in occipite est remedium locale. Itaque si sermo sit de his, non licet ita facile ad hæc peruenire, nisi præcedat euacuatio.

B Sed tamen in duobus casibus aliter res se habet. Primo, quando affectio est ita leuis, vt possit tolli, etiam absque purgatione generali. Galen. libro primo de comp. med. sec. loc. c. 8. ubi loquitur de alopecia. Paulò post inquit: *si autem affectio sit parua, licet vti localibus, etiamsi non præcesserit euacuatio vniuersalis.* Profecto si in Alopecia, qui est affectus contumax, proponit hæc administranda absq; corporis euacuatione, multò magis, si uobis occurrat leuior affectus. *Localia sunt duplicia.*

Secundus casus est, quando materia sit uenefica, siue ex morsu, siue in corpore sit uenenum, potestis uti locali in illa parte, cui uenenum inflictum est, ex lib. 19. meth. cap. 6. non præmissa uacuatione: Inquit, *huiusmodi exrationem fieri partim*, & quæ sequuntur. Et

C euacuantia inquit esse cucurbitulas, caua cornua, suctus, medicamēta acria. Legite etiam de hac re lib. 3. de Phœnigmis.

Si sermo sit de alijs localibus, quæ nō euacuant, fere semper administrantur, non præmissa uacuatione. Quod probo exemplo.

Primum, si sermo sit de Reprimentibus, statim in principio usurpantur. lib. 11. meth. cap. 15. Galenus clarissimè scribit in principio fluxionis statim esse utendum reprimentib⁹ propter utilitates, & quæ sequuntur.

Neque est, quod quis obijciat 6. aphoris. 11. reprimentia in fluxione oculorū in principio suspecta esse. Dico non officere: quia ibi præcipuè improbat vsum medicamentorum empiricorum, qui utebantur quibusdam

D emplasticis, papauere, & stupefacientibus, atque etiam posca: alia est ratio membranæ oculi, & est alius casus.

Denique quantum ad Alterantia quia hac de re maior est difficultas, possunt etiam administrari, in corpore non purgato. Auctoritate primo Galeni libro 1. ad Glauc. cap. 14. quando, inquit, *opus est purgatione, si os ventriculi imbecillum sit*, &c. Ante purgationem eius roboratione opus est; In eodem loco paulò infra loquitur de uentriculo pituita referto, & idem statuit. Isti habent pro maximo peccato, si ante expurgationem calorifico vteremur. Gal. tamen his vtitur, & sibi concos lib. de præcog. ad Posth. cap. 11. proponit casum

sum Imperatoris, vbi statim lanam imbutam oleo myrtino antè purgationem adhibuit. Itaque non prætermittenda hæc localia.

Et vt vno uerbo dicam, lib 1. ad Glauc. c. 9. inquit; in tertiana legitima plus vtilitatis præstare Alterantia, quam Euacuantia. loquitur ibi de febricitantibus febre Tertiana, proponit usum balnei, ut humores calidi moderentur.

Vt concilietis Galenum, quod aliquando 3. acut. lib. 11. meth. c. 9. prohibet balneum, nisi humores sint concocti: Et tamen lib. 1. ad Glauc. cap. 9. contra statuit. Conciliatur, quia lib. 1. ad Glauc. vtitur balneo tantùm ad alterandum. Quando verò vult adesse coctionem, vtitur balneo pro expurgatione. Si vultis intelligere caussam, videatis Galen. lib. 7. meth. cap. 11. propter quam expediat vti localibus, etiam non purgato corpore. Proponit ibi ordinem naturæ.

Alter modus est, in quo vnus affectus non potest tolli, nisi tollatur alter.

Tertius urgentis, qui modus ceteris omnibus anteponendus, semperq; memoriæ inhæreat. Si res vrgeat, uti potestis localibus.

De tertio instrumento curandi febres putridas in genere, quod est Diæta, seu conueniens victus ratio.

Cap. XXXI.

IN curandis febribus putridis uictus ratio non minimam habet partem. Idcirco post Chirurgicum & Pharmaceuticum instrumentum, succedit Diæteticum, de quo in præsentia erit sermo.

Qualis debeat esse aer. De huiusmodi instrumento uideo Auicennam duo tantum pertractasse: nempe attinentia ad cibum & potum: de cibo fen. 1. lib. 4. tract. 2. cap. 8. de potu cap. sequentibus. Ego quoque hunc imitatus de aliis rebus nõ naturalibus paucissima sum dicturus, aliqua tamen & breuibus de aere. cetera prætermittam: nam de his in particulari de cibo & potu plura.

Quantum ad aerem; aer in febricitantibus triplex eligi & intelligi solet, aut scilicet frigidus & humidus, aut frigidus & siccus, in omnibus uerò admodum purus, & si fieri possit, lucidus atque subtilis.

Frigidus, & humidus eligitur, ut sit contrarius febri. *Omnis enim febris est intemperies calida & sicca.* Frigidus, & siccus ob humores putrescentes, & potissimùm ob humores putrescentes in thorace, corde partibus spiritalibus nam ratione refrigerationis & siccationis corrigitur putredo in humoribus.

Denique purus, serenus & limpidus pro conseruandis spiritibus uitalibus, atque etiã animalibus. nam reficiuntur sanguine & aere puro inspirato.

Sed aduertendum, aerem tam frigidum & humidum, quàm frigidum & siccum, cum

A qui per nares, & os inspiratur, tantum esse accipiendum; minimè uerò eum, qui per ambitum corporis. debent patientes esse tecti, si talis non sit propter constitutionem vel regionem, uel tempus anni, oportet parare quibusdam refrigerantibus, rosis, uiolis, nymphea; potestis etiam facere suffumigia, seu decoctum ex santalis, cortice citri, arantiorum, rosis in aqua rosacea, aceto, &c. Hæc de aere.

Quantum ad cibum pertinet, cibus, ut conueniencter in ægris administretur, debet considerari, & ratione quantitatis, & qualitatis temporis, quo debet administrari, & ratione modi.

B Quod pertinet ad Quantitatem, quærendum est, utrum multum uel parum cibi sit præbendum: & utrum semel, bis, an pluries. Primum pertinet ad quãtitatem continuam, alterum ad discretam.

Quod ad primum pertinet, sciendum est, apud Auicennam in c. 8. tres reperiri ciborũ differentias, quæ ad huiusmodi uictum copiosum, uel tenuem, uel medium pertinent. Prima uocatur plenus; Secunda tenuis; Tertia medius.

Plenum uictum intelligit illum, qui similis prorsus sit sanorum. Et propterea si quis tempore ægritudinis comederit carnes, panem, ut consueuerat, dicitur plenus.

C Tenuis distribuitur in quatuor differentias. Exactè tenuissimus, in quo nihil prorsus patientibus damus. De hoc sermonem facit Hippoc. 1. acut. 44. quando in pleuritide, inquit, sorbitionem non esse dandam, nisi post septimam, uel nonam.

Tenuissimus non exactè est, in quo antiquiores dabant tantum oxymel, uel mulsam.

Tertia. Exactè tenuis uictus est, in quo damus aquam hordeaceam, emulsionem seminum melonum cum ipsa hordeacea, uel ipso iusculo pulli iunioris.

Quarta, Tenuis uictus non exactè, in quo damus aut ptisanam aut panatellam in iure non admodum generoso.

D Datur modo uictus medius, qui ipse quoque habet tres differẽtias. nam datur medius qui inclinat ad plenum, qui ad tenuem, & absolute exactè medius.

Qui inclinat ad plenum, est, in quo concedimus ouum sorbile simul cum iusculo, & modicum carnis uel pullæ; uel uituli.

Qui ad tenuem, in quo concedimus panatellam aut ptisanam in iure meliore simul cũ ouo sorbili; carnis autem nihil damus.

Medius, in quo concedimus panatellam cum modico contuso carnis.

His stantibus, cùm sint tot differentiæ à quantitate, quæritur, quæ sit eligenda in febricitantibus? Dico, in febricitantibus victum illum plenum semper reijciendum. Alius extremus exactè tenuissimus nostris temporibus nõ admittitur, imo neque potest tu-

stineri tenuissimus: nihilominus in quibusdam casibus, vt angina, vtimur nullo cibo, quia non possunt deglutire. Alia tamen genera locum habent in putridis.

Sed cùm tot sint differentiæ, quæritur, quæ sit ratio distinguendi, an conueniat exactè tenuis, an non exactè, an absolutè medius, vel qui inclinat ad plenum, vel qui ad tenuem?

Vt intelligatur modus præbendi cibum, sciendum est, cibi quantitatem continuam indicari partim à virtute, partim ab ipsa caussa febris.

Indicatur à virtute, vel considerata formaliter, & effectiuè, vel considerata subiectiuè. Explico vtrumque.

Formaliter virtus vitalis est facultas quædam effectiua: est calor innatus. Itaque si cõsideratur virtus uitalis, prout est facultas valida formaliter; indicat semper copiosum alimentum, & oportet præbere multum alimentum, illum uictum quem vocamus medium inclinantem ad plenum. Ratio quam attulit Galenus est 1. aphoris. 17. Quia multus calor, & uirtus ualida possunt alimentum multum conficere.

Si hæc facultas sit debilis, conuenit alimẽtum in pauca quantitate, alias potiùs tenue. nam facultas languida, & virtus debilis non possunt multum conficere.

Si verò respicimus ad uires subiectiuè, oportet considerare subiectum virium, quod sunt spiritus, humores, solida. Vbi ergo huiusmodi subiectum omninò deficiat, conuenit alimentum copiosum: Si abundat, non est opus copiosius alere. Nam ubi deficit spiritus, oportet reficere nouo spiritu: ubi humores, noui humorib' ubi pars solida, etiam noua parte solida.

Quando autem abundant humores, spiritus, solida, non est opus huiusmodi alimento; posset enim æger suffocari.

Notandum nomine humorum deficientium non tantum intelligi deficientes ex inanitione, quantum ex corruptione.

Itaque si conuenit alimentum, quando humores euacuantur, uel sunt euacuati, conuenit etiam alimẽtum, etiamsi corpus nõ extenuatum est, tantum repletem prauis humoribus. Hæc est doctrina Gal. 1. aph. 17.

Video aliquem dicturum, hanc non esse Hippocratis doctrinam. 2. aphoris. 10. Qui scribit, *impura corpora quanto plus nutries, eò magis lædes, &c.* corpora quæ abundant corruptis humoribus, sunt impura: Ergo non sunt nutrienda. Respondeo, per impura corpora intelligenda, quę habent corruptos & prauos humores in uentriculo, tunc enim cibus corrumpitur. Sed si non sit his humorib' refertus uentriculus, licet uenæ sint repletæ, cibus copiosior non nocet, concoquitur in uentriculo & iecore. Accedit etiam, quod impura corpora ex nutritione leui non lædantur, si parum & sæpe nutrias, qualem nutritionem hic præcipimus. Addatis tertio, corpora impura ex alimento lædi, quando tantum incumbamus in præbendis cibis, non autem in expurgandis prauis humoribus: sed nos utrumque debemus præstare.

Indicatur etiam alimentum hoc copiosũ & tenue ab ipsa caussa febrili, quæ est (loquor de putridis) semper copiosus humor, & putrescens. si hic abundat, semper conuenit tenuis victus ratio, siue uires sint robustæ, siue debiles, in abundantia humorum, ex doctrina Galen. & Hipp. textu præcedenti 47. Dixerat maximè distinguendam imbecillitatem uirium ex inanitione & suffocatione, &c. & in hoc irridet Medicos, qui non distinguunt hæc, sed pro vno accipiunt. In comm. Galen. docet, in uiribus imbecillibus ex inanitione conuenire alimentum, ex suffocatione uerò non, ut potiùs eo tempore subtrahere oportet. Quod etiam docuit 1. aph. 17. Et ratio duplex est: Primo, quia huiusmodi victus tenuis in abundantia humorum primò facit summopere ad concoctionem humorum. Propterea dicebat Galen. lib. 1. ad Glauc. cap. 10. tantum conferre tenuem uictum ad concoctionem, quantum officit officit uiribus. Propterea lib. de constit. art. Medic. cap. 19. parcum cibum confert ad concoctionem.

Secunda caussa, cur tenuis instituendus est, quia hac ratione imminuitur plenitudo. De hac Gal. lib. 13. meth. cap. 6. & lib. de curat. per sang. mission. cap. 10. inquit, euacuat corpus purgatio, uenę sectio, frictio & tenuis uictus ratio: itaque instituendus. Ex quo potestis intelligere, quod quamquam ex una parte uires, & uideantur robustæ, & imbecilles, semper requirere plenum uictum, tamẽ in febricitantibus oportet vti distinctione: Si virtus debilis ex inanitione siue fluxu per nares, aut alio modo, semper conuenit cibus potiùs accedens ad plenum. Neque oportet in hoc casu ad febres respicere. Quando autem vires consistent, aut sint imbecilles ex suffocatione, caussæ morbificæ incumbendum, & tunc conuenit tenuis. Et hæc de quantitate continua.

Quantum ad discretam, consideratur, ubi cibus exhibendus bis, ter, uel pluries desumitur partim à uiribus deficientibus, partim à cõsuetudine, partim etiam à tempore motus ipsius accessionis. *Quoties cibandus æger.*

A viribus nam ubi imbecilles, oportet reficere cibo paulatim accepto, sed pluries, singulis quatuor horis oportet nutrire.

A consuetudine. quia qui sunt assueti, ter vel quater cibum accipere, bis nutriendi sũt; Qui bis comedunt, saltem alternis diebus.

Aliquando pluries nutriendum propter tempus accessionum: si non pluries uno die, pro ratione motus accessionum, oportet bis, ter, nutrire. Et hæc pertinent ad quãtitatem.

Quan-

Qualis cib. præbendus. Quantum ad qualitatem, hæc indicantur partim a virtute, partim a febre, partim a caussa morbifica.

A virtute ratione solidorum, humorum, & spirituum. nam simile requirit alimentum simile: solidum solida requirunt; humores similiter humorosum; spiritus spirituosum.

Præterea, solida ratione temperamenti considerantur, quæ habent temperiem calidam calidum: frigida sunt conseruanda frigidis, &c.

Quantum ad febrem, semper requirit cibum frigidum, & humidum: quamquam Hippoc. mentionem faciat tantum humidi. Sed volo intelligatis cum Gal. lib. ad Thrasibulum. cap. 4. victum liquidum.

Denique indicatur etiam a materia peccante: si sit biliosa, &c. quatenus crassa & viscida, cibum attenuantem 2. acut. 44. ptisanam atque mulsam esse cibos febricantium inquit.

Erat sermo de ciborum quantitate, & qualitate in putridis administrandis. Dicebam autem duplicem esse, vnam continuam, alteram discretam.

Continuam adhuc in tres differentias distinxi, quarum prima continet victum plenum. Secunda tenuem. Tertia medium.

Plenum victum, qui est sanis similis, dixi a febricitantibus esse excludendum; tenuem autem in illis, qui vires habent robustas, uel sunt in statu morbi acuti.

Sed quia acutus morbus habet quatuor differentias. Primò, exactè peracutus, qui definit in quarto; peracutus in septimo; exactè acutus in decimo quarto; acutus simpliciter, qui in vicesimo. Pro acutorum differentia conuenit etiam uaria uictus tenuis differentia. Dixi n. dari uictum tenuissimum, in quo nihil datur, qui excluditur; exactè tenuem, in quo exhibemus cremorem ptisanæ; tenuem absolutè, in quo datur ptisana aut panatella in iure non admodum generoso. Pro horum acutorum differentia uaria etiam instituitur uictus ratio, in exactè peracuto tenuissima: in peracuto sola panatella cum emulsione seminum melonum: in alijs acutis poterimus transire tenuissimũ hunc uictum, & quibusdam etiam concedere ouum: Media autem uictus ratio conuenit, in quibus status non admodũ propinquus est. Hæc de quantitate.

Quo ad qualitatem, hæc indicatur & a uirtute, febre, & caussa febris.

A uirtute, cibus similis & partibus solidis, & humoribus ac spiritibus: ut propterea si lãguescant uires secundùm spiritus, oporteat præbere cibum spirituosum; si secundùm humores, humorosum: si secundùm solida, solidorum est etiam prębendus similis in tẽperamento naturalis temperamenti: debet tamen semper esse facilis concoctionis, paucarum superfluitatum, optimi succi: sunt carnes pullorum, uituli, auium montanarum, oua sorbilia, atque etiam pisces.

Indicatur etiam qualitas cibi à febre. nam febris requirit cibum frigidũ, & humidum.

Et à caussa, quæ indicat refrigerantem & humectantem. Concedantur atriplicem, blitum, maluam.

Quatenus aliquando materia crassa, uiscida, lenta, requirit cibum attenuantem, &c. ptisanam cum pipere, cum radice apij. Quatenus putridus, cibum exsiccantem, oxalidẽ, succum citri, limonum arantiorum. Hæc pertinent ad ciborum qualitatem.

Sed hic multæ occurrunt considerandæ conditiones & breues quæstiones, pertinentes ad qualitatem ciborum.

Primum quæritur, vtrum conueniant in febricitantibus carnes? Ratio quæsiti est, quia non solum ratione, sed multorum etiã experientia constat, febricitantibus putrida admodum, infensas esse carnes, facile putrefacere, & ita excellenter, vt etiam uermes generentur. Itaque noxiæ. *Vtrum liceat dare febricitantib. carnes.*

Accedit etiam experientia. Nam in quibusdam regionibus, ut Græcia, &c. carnes adeo febricitantibus sunt noxiæ, ut statim assumpta carne moriantur. Et in Creta Insula, irrident Medicos Italos, qui in febribus præbent carnes. Quantum igitur ad hoc quæsitum, dico carnes concedendas, prout uires requirant. Ad obiectionem, Carnes putrescunt: dico eligendas, quæ minus citò putrescant: non ita facilis est ad putredinem caro pullorum, auium montanarum. Addo huiusmodi carnes posse corrigi quibusdam cibarijs medicamentosis, & succis prohibentibus putredinem, oxalide, succo citri, limonum, aceto, &c.

Quod ad experimentum pertinet, il locis calidioribus moriuntur: dico id contingere propter insignem aeris caliditatem, ubi tam interius quàm exterius carnes putrescunt: sed in nostris regionibus aliter se res habet.

Est etiam dubium de piscibus. nam facilè putrescunt. Rhases lib. 3. ad Almans. & Auerrh. lib. 6. Collect. c. 18. pisces facillimè putrescere inquiunt. Itaque siue antequam in sanguinem vertantur, putrescant, siue sanguis, utrumque malum. Nihilominus Gal. lib. 1. ad Glauc. c. 9. concedit pisces in tertiana. Puto opus esse distinctione partim desumpta a febre, partim a natura piscium. *Num pisces.*

A febre, si fuerit ex humoribus calidis, & biliosis, puto cum Gal. esse concedendos.

Habenda est etiam distinctio piscium: nã cartilaginei non benè conficiuntur, palustres etiam facile corrumpuntur, de quibus loquitur. Auerrh. lib. 6. Collect. cap. 41.

Sed de quibus loquitur Galenus? de petrosis, qui non facile corrumpuntur. Possunt itaque concedi apud nos febricitantibus.

Licet etiam de ouis dubitare, non propter cu- *Nũ oua.*

curiositates tantum, sed Medicorum et hæresis. Fui sex annis Venetijs, vbi semper prohibent oua: est ibi piaculum exibere: si quæratur quare, obmutescunt. A

Quidam etiam non semper prohibēt, sed eo die, quo assumunt medicamenta. Itaque si vobis aliquando occurrant huiusmodi Medici, quæratis caussam. Nam oua à Gal. & omnibus scriptoribus probatis conceduntur, modò recentia, nec frixa, sed tremula sint, in quibus etiam album est candidum, & conspissatum; hæc sunt optimi alimenti. Neque consulo, ut permittatis hæc coqui sub cineribus, est modus deterior ceteris: nam spirituosa humiditas ratione ignis, & cinerum tota exhalat, & ouum redditur infirmius, potiùs in aqua calida coquendum est. B

Num olera. Est etiam dubium de oleribus. Nam Gal. lib. 1. ad Glauc. concedit olera (ut dixi) maluam, lapathium, &c. tamen idem lib. 2. de alimen. fac. c. 50. inquit, omnia olera esse paucissimi alimenti, atque multi excrementi. Sed quod magis refert, lib. de cibis boni, & mali succi cap. 8. omnia olera generare prauos succos: tamen inquit aliquos esse ceteris minùs malos, ut atriplex, lapathium, malua, & lactuca, quamquam reijciat endiuiam, cichoreā: & Medici his nostris temporibus sunt proni in his præbendis.

Sed nec hæc olera indiscriminatim sunt præbenda, sed in ardentibus ex biliosis humoribus possunt concedi, ubi abundat pituita, humores frigidi, praui succi, quod in lib. 1. ad Glau. concedit. Concedit in tertianis exquisitis, & potiùs ad delitias. C

Nũ fructus. Eadem dubitatio est de fructibus: nā dantur fructus frigidi, & humidi, qui aliquando admittuntur. Alex. Trallian. hac in parte est valdè indulgens, & Auicennas concedit cucumeres, cucurbitas, & melones. Gal. lib. de cibis boni & mali succi. cap. 8. inquit, eos nisi citò excernantur, generare succum veneno non dissimilem. Itaque non facilè concedendi.

Pro extinguenda siti nimia, aliquādo modicum cucurbitarum, anguriæ concedimus, exceptis ijs, qui habent aciditatem, vt quædam pruna. Igitur intellexistis, quæ fuerit ratio dubitandi. D

Quando cibandus eger. Venio ad tempus exibendi alimenta; aliud est uniuersale, aliud particulare.

Vniuersale principium, augmentum, vel status, uel declinatio.

Particulare, hora unius cuiusque diei, in qua debent nutriri.

Loquar primo de tēpore uniuersali; quod sumitur partim à uiribus ægrotantis, partim à natura morbi.

Si sermo sit de uiribus ægrotantis, quando fuerint infirmæ, nutriendus est quocumque tempore morbi, quamquā Status adsit morbi. Ratio, quia semper prima indicatio sumitur a uiribus. si vires non contineat, nihil constare potest Gal. lib. 9. meth. c. 13. sect. 11. aph. 17. & lib. 10. meth. cap. 3. atque alibi.

A natura morbi tempus nutriendi est potius tempus principij, quàm Augmenti, uel Status. Si Hipp. Gal. & Auicennæ credimus Hipp. 1. aphor. ab aph. 4. usque ad 10. loquitur de huiusmodi tempore cibationis ægrotantium. Et inquit in 10. ubi status adest, semper tenuissimo uictu utendum. & lib. 11. meth. c. 5. Auicen. in præsenti. c. 8. sed semper tenuissimo uictu utendum. Hæc sententia non videtur absque dubitatione prætereūda. Si quis intelligat potius in principio morbi nutriendos patientes res non caret dubitatione. Primum quidem certum est, in principio omnium febrium putridarum, & morborum; corpora omnia esse impura. Et dicebat Hip. 2. aph. 10. Impura corpora, quanto plus nutries, tanto magis lædes. Ergo non est conueniens alimentum.

Præterea febres ex inflammationibus, si in principio tractentur cibo copiosior, quà in statu, nonne euadunt deteriores? Ratio: nam in principio fluit materia ad locum affectum, auget inflammationem: & nihil est, quod magis adiuuet fluxionem, qua copiosum alimentum. Accedit, quòd sicut in principio morborum necessaria est purgatio per medicamentum, per sanguinis missionem, ita etiam imminutio humorum per diætam. Ergo in principio non conuenit uictus plenior, quam in statu.

Sententia itaque Hipp. aliter intelligenda: Non puto uoluisse in illis morbis, in quibus status distat, nutriendos patientes statim in principio: hoc dumtaxat uoluisse puto, ut non nutriantur in statu, nec paulo ante statum, sed tamen ante statum nutriendos esse. Nec hæc tamen ualet consequentia: Iubet Hipp. esse nutriendum ante statum. Ergo, statim primis diebus est nutriendum. Et ideo ex sentētia Hipp. 1. aph. 14. per principiū ego intelligo, uel ultimam partem principij, uel initium augmenti. Ideo, si corpus impurum est, & refertum excrementis, decectorio, uel uomitū uacuandum. Pariter, si febres ortum duxerint ex inflammatione, subtrahendum in principio alimentum, sed tamen eo tempore, quo iam cessauit fluxio, & incipit tempus maturationis (quando enim hæc incipit, non fit absque calido innato, & calidum innatum debet sustentari à mediocri cibo.) Existimo potiùs præbendum alimentum, quam in principio, dum fit fluxio & ideo per principium intelligo non primam partem principij, sed ultimam, & primam partem augmenti.

Quod si status sit propinquus, tenuissimo uictu utendum. 1. aphoris. 7. 8. ubi morbus peracutus est, statim etiam extremos labores habet, & extreme tenuissimo uictu uti necesse est.

Sed aduertite, per uictum tenuissimum possumus

possimus intelligere, & illum tenuissimum, de quo dictum est, in quo nihil omninò damus, aut tenuem panatellam cum semine melonum, aut ptisanam hordeaceam.

Si de priori sermo sit, videtur nobis & Hip. suspectus, qui 1. aph. 4. inquit, in tenui victu ægros delinquere, difficile est; Et in sequenti, in tenui victu ægros delinquere: quanquam oppositam habeat sententiam 2. acut. 36. semper incumbendum potiùs detractioni ciborum, quàm additioni: & minus malum esse, vt, inquit Gal. in com. cibos imminuere. nam etsi cibus magis parcus exhibeatur, quà conueniat, citiùs error corrigitur, quam ex pleniori victu, quia statim plus potest addi: quæ sententia superiori est contraria. Hanc rem viderunt plures ex recentioribus, vt Manardus lib. 4. epist. 2. Card. lib. 1. Controu. cap. 8. Vallet. lib. 8. Controu. c. 1. Ego nolo referre quid dicant. Puto conciliari sic posse 1. aph. 5. respexisse potissimùm ad tenuem victum instituendum in patientibus, quibus vel vires non sint admodum constantes, vel saltem suspicio, & periculum sit, ne in posterum possint esse constantes, 2. acut. 36 respexit ad vires, & in præstantia constantes, & quæ in futuro possunt constare.

Dicetis, qua ratione cognoscemus in futuro constare, uel defuturas? Optime: Si ad regionem, constitutionem, habitum corporis, consuetudinem, sensibilitatem, & oris ventriculi respicimus. Nam si, exempli gratia, tempus anni frigidum, regio temperata, constitutio ad frigidum, ætas consistens potiùs quam puerilis, temperamentum inclinet ad frigidum, habitus sit densus, consuetudo, & non assuetus sit multo cibo, humores etiam non admodum tenues, & calidi, & os ventriculi sēsibile admodum, certi eritis, si fuerint validæ, posse etiam in posterum sufficere ad sustinendum uictum tenuem. Sed in oppositis conditionibus non possunt patientes diu inediam sustinere, & si uirtus semel cadat, periculum ne uires concidant.

Hora cibandi ægros in putridis.

Nūc de horis cibandi in putridis febribus agendum. Sunt autem illæ, uel coactæ uel regulares. Coactæ sunt, in quibus propter virium defectum cibum exhibere cogimur siue principium sit, siue augmentum, lib. 11. meth. cap. 10. ne vires concidant. In cura regulari, idest, ubi vires robustæ, uel saltem non ita infirmæ. Alia est in febribus continuis continentibus, alia in periodicis proportionatis ratio.

In continuis continentibus, quia nulla est exacerbatio, sed calor continuè affligit, idcirco Gal. dicit lib. 11. meth. c. 5. eligendam esse horam, in qua patiens minus à symptomatis vexatur: aut etiam eligenda est hora consueta, quando nec febris, nec symptomata declinent. Eligenda est etiam, quando cetera deficiāt, hora diei frigidior, ita vt melius sit nutrire manè, si tēpus æstiuū, aut vesperi.

Sed si febris habeat exacerbationes, & periodos, videndum, num febris habeat interualla, an his careat: Si habeat, vnusquisque nouit nutriendos patiētes, tempore interualli; si non habeat interualla, sit continua, sed continua per subingressum, considerandum, an habeat saltem sensibiles & manifestas declinationes, an his careat: si habeat, quāquā careat interuallo, tempus nutriendi est tempus declinationis: in principio, augmento, & statu semper à cibo abstinendum. Est doctrina Hipp. 1. aphor. 11. repetita in aph. 19. His, qui in circuitibus exacerbantur, nihil dare oportet, neque cogere, sed auferre de appositionibus ante indicationes. Sed pluribꝰ verbis hæc sententia est repetita ab eodem, vel saltem auctore 6. lib. acut. tex 39. Ibi interpretatur sentētiam propositam 1. aphor. Inquit enim cibum non esse præbendum, dum pedes sunt frigidi, sed quando iam calorem contraxerint &c. Incalescunt enim etiam in augmento, & statu, quæ omnia sunt deteriora circuitus tempora. Per pedes autem calidos non oportet intelligere pedes iam incalescentes, sect. 1. aphor. 11. quando dicit per accessionem, intelligit deteriorem circuitus partem, quæ continet tria tempora principium, augmentum & statum. Propterea in cura regulari oportet abstinere à cibo per hæc tria tempora.

Itaque quando scribit auctor, in exacerbationibus subtrahere oportet victum nam apponere noxa est: absolutè intelligendum, ut scilicet pedes sint calidiores, quàm thorax. Sed quid agendum in febribus, quæ habent exacerbationes absque declinatione, in quibus statim post statum superuenit noua accessio. In ijs nullum videtur tempus nutritiones? Res est difficilis; oportet diligenter attendere febris magnitudinem, locum affectum, affectionem, caussam affectionis, & ipsas uires.

Quantum ad magnitudinem, considerare oportet, vtrum tempore Status febris sit maxima an potius facta mitior, caloq; febrilis aliqua ex parte euanuerit.

Quantum ad locum affectum, considerandum, num locus sit uel uentriculus, uel iecur, uel alia quæuis pars.

Quantum ad affectionem, considerandū, num laborante uentriculo, uel iecore, affectio sit inflammatio, uel intemperies cum materia absque inflammatione.

Quantum ad materiam considerandum, an sit tenuis, an crassa, & præterea multa, an pauca.

Quantum ad uires, an sint debiles, an robustæ.

His stantibus dico. Quod si febris in statu fieret adhuc uehementissima, & huiusmodi febris, neque ortum duceret ex uentriculo, nec iecore, sed alia quauis parte, adesset præterea copia humoris tenuioris, cuius ratione

possent

possint imbecilliores vires reddi: dico prætermittendam cibationem tempore status, & nutriendos in principio, vbi multo minus malum. Ratio clara lib. 11. meth. cap. vlt. vbi febris est vehementissima, est ardens in statu: Hic calor admodum ardens prohibet alimētum: nam magis augetur calor, carnes colliquantur, alimentum non conficitur.

Ex parte alia, si exhibeatis in principio, dū humores tenues, &c. comprimit fluxionem tenuem, præseruat syncope. Propterea lib. 10 meth. cap. 3. cibauit iuuenem temperamenti calidi, & sicci, &c. Vnum tamen ex Auic. desumi debet, quod pertinet ad huiusmodi nutritionem febricitantium cum humorib' tenuibus. Gal. loco cit. & c. 4. vult paulò ante, & in accessione esse nutriendū, alioquin cadunt in syncopen, &c. Auic. tamen quamquam concedat huiusmodi nutritionē in principio, aliquando tamen expedire ante nutritionem. Addit, præbere quædam vomitoria. Puto Auicennam considerasse fluxionē aliquando esse paruā, aliquando secus.

Si parua, in principio statim offam sufficit offerre.

Si magna, antequam cibum præbeatis, melius est partem illius materiæ prius vomitu educere: fieri autem vomitio potest ex aqua hordei cum oleo amygdalarum: sed vbi status potius fuerit squalidus cum calore febrili, non admodum quieti, id est, quando patiens videatur contraxisse faciem Hippocraticam, ex alia parte in principio accessionis fluant humores multi ad os ventriculi, in tali casu expedit nutrire potius in statu. nam si non, subeunt ea ipsa pericula, quæ subeunt ali, in principio accessionis.

Contra, si nutriantur in principio accessionis, augetur inflammatio copia ipsorum humorum, & suffocantur.

Sed si quis quærat, quid agendum, quādo duo hæc mala simul conueniunt, vt status cū feruore ingenti, patiens sit squalidus, & in principio immineat periculum fluxionis humorum? In summis necessitatibus omnia, quæ periculosa, tentanda: debent nutriri debent autem magis nutriri in statu, quam in principio, vbi non tot pericula impediunt. Ratio est: quia si adest inflammatio, in hac nullum tempus alimenti, tam perniciosum, & periculosum, quàm principium inflammationum. Præbeatur autem cibus mediocris quantitatis, & optimi succi, modica portio ptisanæ hordeaceæ, emulsio seminum melonum cum cochleari destillati; Si vires non constent, omnia prætermittenda.

Modus cibandi. Quantum ad modum exhibendi cibum, exhibendus sæpè, sed in pauca quantitate illeq; potius sorbilis, alteratusq; & refrigerantibus & siccis, ratione putredinis. Siue imponatis succum limonum, citri, acetum, omnia in febribus conueniunt.

Potus. Potus ipse quoque debet à nobis considerari, sicut cibus ratione quantitatis, qualitatis, temporis, & modi.

Qualit. Quod ad qualitatem, hæc indicatur, & à viribus, & febre, & caussa febris.

A viribus, qui sit optimi alimenti, facilis distributionis & concoctionis.

A febre refrigerans, & humectans.

A caussa, si frigida, calefaciens: si crassa, incidens: si putrida, contraria putredini.

Materia potus. Materia potus indicatur à virtute, qui debet, esse nutriens. Materia huius est duplex; est uinum, & ius, uel destillatum, uel non destillatum.

Quantum pertinet ad vinum, indicatur à virtute, quando iam concidat. In febribus, si vires constent, siue mediocres sint, non conuenit, nisi in declinatione.

Interim hac in parte considerandum, num excludendum uinum etiam in viribus deficientibus, propter conditiones propositas à Gal. lib. 1. ad Glauc. cap. 19. Loquitur ibi de vino exhibendo in syncope, & inquit, in quatuor casibus non conuenire; primò in delirio. Secundò, in inflammatione ventriculi. Tertiò, in insigni humorum copia. Quartò, in dolore capitis.

Idem de febre potest cogitari: sed tamen cum paulò ante dictum sit, uires plus posse, quam cetera omnia indicantia, & esse primā indicantis dignitatem à viribus, ubi uires cōcidant, nulla habita ratione uinum est concedendum. Sententia, lib. 11. meth. cap. 11. & apertissimis uerbis lib. 12. meth. c. 11. Ratio. ne uirium collabentium, uti oportet cibo, & potu vinī quam, quam non existimem in illis qui non sunt deplorati, omne genus vini esse concedendum, sed quod possit vires reficere, nec tamen lædere, quod morbo, & symptomatis non officiat. Si deplorati sint, potestis concedere, quod uis vini genus, quod satisfaciat necessitati restituendi vires. Tale est, quod vocat antiqui oligophorū, 3. acut. 23. Est vinum, quod vocant etiam pauciferū, quod sustinet modicam aquæ portionem, quod nulla ratione, aut febribus, aut symptomatis potest officere: non febri, quia refrigerat, non calefacit. 3. acut. 20. quia multam habet humiditatem in vite minimè cōcoctam, & modico terrestri admixtam, quasi dicat, substantia aquea, quæ recepta est in vite, est fere immutata.

De hoc ipso vino lib. 5. de loc. aff. c. 6. quod ventriculum corroboret, & minimè caput lædat, & ibi profitetur, se sanasse Grammaticum. Vos potestis legere, in lib. de puero epilept. & tamen huic Grammatico uinum cōcedit. Et propterea etiam Hipp 3. acut. 41. in capitis grauitate, & dolore prohibet vinum. Sed paulo post inquit, concedendum aquosum, tenue, quod reficit caput, superbibendo: quam.

Quātitas potus. Itaque censeo in syncope, concedendum uinum. Vbi non admodum collapsæ uires, melius

melius est uti iure, uel non destillato, uel destillato. Destillatum erit satis iucundum, si destillatur cum oxalide, & succo limonum, Quantitas exhibenda pro necessitate patientis, potissimùm in prandio, & cœna. Quantum ad febrem, indicat potum refrigerantem, & humidum. Huius materia est multiplex, est aqua cruda, uel cocta, vel simplex, vel mista.

Crudam videtur recusare Hipp. 3. acut. c. 40. vbi multa refert mala ex aqua. Propterea etiam Gal. lib. 8. meth. cap. 3. videtur magis commendare vsum uini tenuis: sed ibi est sermo de aqua cruda cocta, non usque adeò repudianda. de qua Hipp. 4. in 6. epid. c. 15. cùm inquit, in calida natura refrigeratio pro potu frigida. Aqua igitur cocta concedi potest, & si alteretur hordeo, est adhuc melior; quæ Auicennæ ita dilecta, ut integrum de hac cõfecerit caput, quod est 9. quæ ipsa quoque aliquando alteranda pro necessitate patientis; nam est flatulenta, & facilè acescit in uentriculo, incoquatis piper, fœniculum, asarũ &c. & ut pro consumenda insigni caliditate, & siccitate expedit, prębere largam portionem ad libram integram etiam.

Quantum ad vinum oligophorum, habet vim refrigerandi, & humectandi; sed id prorsus fugietis, siquidem in ore omnium est id calefacere: in continuis abstineatis saltem usque ad tempus coctionis; nam si postea periclitentur, dicerent astantes, eum interfectum, propter vini potionem.

Quantum ad potum indicatum a caussa morbifica, requirit uarias indicationes. Debet omnino aliquando incidere, & aperire obstructiones, & pro qualitate materiæ modò refrigerare, modò calefacere.

Sudorifica interdum. Si opus sit simul refrigerare, & sudores ciere, conuenit aqua cocta cum radicibus petroselini, apij, fœniculi, &c.

Pariter si opus attenuare & aperire, coquatur aqua cum succis limonum, citri, aranc. acetum ipsum, ut iucundior fiat, immisceatis saccharum, ut Exẽpli gratia accipiatis lib. v. aquæ sacch. vnicas v. succ. limonum, & citri tondem. Quod si materia frigida & crassa, coquite aqaam loco sacchari cum melle, & addite hyssopum, pulegium, fœniculum, petroselin. &c. Si per urinas euacuandum, conuenit uinum oligophoron. Ita Galen. lib. 1. ad Glauc. c. 9. & lib. 11. meth. c. 9. In continuis apparente coctione hoc uinum conuenit.

De febribus putridis in specie, & primum, De Tertiana intermittente, & Continua legitima.

Cap. XXXII.

Specierum putridarum tractationem à biliosis febribus inchoabimus, quas ex Gal. lib. 2. de differ. febr. cap. 2. & Auic. fen. 1. lib. 4. tract. 2. cap. 34. distinguemus in tres differentias: quarum prima continet Tertianã Intermittentem, secunda Tertianam Continuam periodicam declinantem. Tertia Causonidem, uel Ardentem.

Singulæ ipsarum in duas adhuc subdiuiduntur species. Nam aliç Exquisitæ sunt, aliç Nothæ. Exquisitæ sunt, quæ ex bile syncera impermixta producuntur. Spuriæ vero, quæ ex bile mista alijs humoribus. Loquemur primò de exquisitis, & incipiemus cum Auic. à Tertiana Intermittente.

Tertiana igitur intermittens legitima est febris, quæ ortum ducit ex flaua bile excrementitia putrescente tranmissa ad extra venas. *Quid tertiana intermittẽs legitima.*

Caussa. Dixi hanc fieri ex flaua bile. Nomine flauę bilis intelligo, & humorem, & ichorem bilis. Dantur enim febres, & tertianæ intermittentes, atque etiam continuæ, in quibus putrescit humor, & ichor bilis; de quibus Hipp. 4 acut. 2.

Hac in parte etiam animaduertendum, me dixisse, ex flaua bile, non quacumque. datur enim vitellina, æruginosa, cœrulea, & aliæ species. nam ex his numquam producitur febris, quidquid alij sentiant.

Porracea generatur in uentriculo ex quibusdam edulijs excrementitijs, atque eorum corruptione, beata, brassica porris, cœpis, de qua bile com. 39. secundi prognost.

Alia est bilis porracea, quæ generatur in iecore, & uenis propter feruorem insignem, ex qua etiam generatur bilis æruginosa, & vitellina. Ex his non fit tertiana, quia Galen. lib. 3. de alim. fac. c. de melle, in fi. scribit, in febribus salutaribus numquam excerni bilem æruginosam, sed tantùm flauam, uel pallidã. Si enim hæc designat leuem morbum. Propterea inquit lib. 5. de loc. aff c 3. huiusmodi humores esse indicium inflãmationis iecoris. Quod si quis dicat, saltem posse fieri tertianam ex porracea in uentriculo genita: dico, excitari potius Tertianam Notham, quia bilis, quę habet multum crudi succi admixtũ. Legitima itaque fit tantum ex flaua bile sincera, uel ichore flauæ bilis.

Sed quia flaua bilis est alimẽtalis & excrementitia, dictum est fieri ex excrementitia. Ratio. quia tertiana intermittens est periodica. non esset intermittens, nisi esset periodica. Periodus est tempus intensionis & remissionis; itaque habet periodica hæc suas intẽsiones & remissiones; ubi intenditur, fit, quia aliquis humor noxius mouetur motu locali, vel alterationis, & irritat facultatem expultricem: nihil, quod est alimentale, irritat facultatem expultricem. Itáque quod irritat, excrementum est, quod colligitur in parte, vel per generationem ex intemperie calida, & sicca, vel per retentionem, uel attractionem, vel tranmissionem, calefactionem, aut dolorẽ. Quæ res constat ex Gal. lib. 2. de diff. feb. c. vlt. lib. de cur. rat. per sang. miss. cap. 8. Est igitur bilis excrementitia. *Quid Periodus.*

Sed

Continetur in venis pro distributione sanguinis, & pro nutritione partium calidarum.

Sed quia hæc adhuc duplex, excrementitia utilis, & inutilis: vtilis, quæ adhuc in corpore retinetur pro distributione partis & præterea ad nutriendas partes; sed hæc non est, quæ facit periodum: nihil enim ab utili leditur: itaque inutilis.

Caussa verò, propter quam hæc inutiliter colligatur, est temperamentum iecoris, uel totius corporis, calidum, & siccum. Propterea lib. 1. ad Glauc. cap. 5. Gal. scribit *Tertianas fieri semper iecore laborante*.

Generatur præterea ex habitu corporis gracili, in iuuenili ætate, tempore regioneque calidis, vita exercitata, post iras, vigilias, post victum, qui habet vim calefaciendi, & siccandi.

Augetur etiam hoc excrementum, quando retinetur, siue retineatur propter obstructionem meatus fellei, siue propter constitutionem totius corporis. Sic enim comment. 2. in 1. Epid. text. 20. Tertianas generari ait, quando bilis in vniuerso corporis ambitu transmissa non potest digeri.

Sed istæ caussæ possunt quidem nos docere, febrem esse biliosam, sed non magis continuam, quam intermittentem, quæ etiam ex hac bile excitatur: propterea addidi, *transmissa extra venas*, quæ conditio distinguit tertianam intermittentem à quacunque alia.

Aduertite, quia fusiùs non disputabo. Auicennas, & plurimi existimant, in hoc distingui Tertianas Intermittentes à Cōtinuis, quod in intermittentibus extra venas: in continuis materia putrescat intra venas. Reieci aliàs hanc sententiam. In uniuersum saltem hoc dico, in hoc distingui tertianam intermittentem ab alijs, quod in hac materia biliosa, quæ hanc facit, semper transmittatur extra uenas, & non in principio accessionis, vt isti existimant, sed in fine. Si aliqua pars retineatur, fit tertiana continua dec inās: Si nihil excernatur, fit causon. Galenus libro secundo de Crisibus, capite tertio ideò inquit, tertianam intermittentem fieri, quod materia transmittatur extra venas: Si hoc fit, statim febris intermittit. Et citat locum Hippoc. sect. 4. aphor. 58 *à febre ardēte habito, rigore accedente, solutio fit*.

Sed aduertatis, quod, quamquam magna ex parte Tertiana Intermittens, fiat ex hac bile, fieri tamen potest, vt hæc bilis excrementitia corrumpat etiam alimentalem, Et in eo casu tunc ipsa tertiana intermittens, fiet ex duplici humore bilioso, utili, & inutili.

Loci affecti.

Ex his patent modo etiam caussæ remotæ, & locus, in quo continetur biliosa materia, quæ febres excitat. Nam contingit aliquando in uniuerso corporis ambitu, quando ibi colligitur, quia non potest euacuari, com. 2. in 1. Epid. text. 20. aliquando in partibus naturalib⁹ visceribus ignobilium, ut fuit Fernelij sententia; aliquando colligitur in venis, & ibi continetur, vsquequo incipit putrescere.

Differentia à materia quātitate.

Ex quo colligitur, differentias varias esse huius tertianæ exquisitæ, quæ desumuntur partim à loco, vbi putrescat, partim à caussis mediatis.

A materia putrescente, considerata aut ratione quantitatis, aut qualitatis.

Quantitatis: nam, vbi est satis copiosa materia, quæ putrescit, facit tertianam exquisitam, quæ durat saltem horas duodecim. Si minor sit portio huius humoris, fit tertiana exquisita, quę durabit aliquando, nec decem, nec octo, nec septem horas, teste Gal. lib. 3. de Cris. cap. 7.

A qualitate.

Ratione qualitatis, nam si materia est mixta ex ichore & humore, febris semper est facilior, & breuior, quàm quæ prouenit ex simplici humore, absque ichore. Propterea vidi aliquando tertianas, quæ non pertransibant tres horas, quæ ex ichore erant.

Si sermo sit de qualitate materiæ, aliæ sunt differentiæ. Nam aliquando peccat tantùm excrementitia bilis inutilis, vbi febres sunt satis mites, quas Galen. lib. 1. ad Glauc. cap 8. vocat tertianas omnium benignissimas: lib. 2. de caus. puls. cap. 1. dari quasdam inquit tertianas, in quibus pulsus nullam facit mutationem ad inæqualitatem in principijs accessionum. Quod sit ortum ducant ex humore excremētitio vtili; tertianæ valde molestæ sunt, patientes valde inquieti, anxij. De quibus agit Galen. lib. secundo de Crisibus, cap. 3. Quod non distant istæ continuis ardentissimis, & acutissimis, quia istæ quoque habent maxima symptomata.

Si bilis alimentalis corrumpatur, sunt exquisitæ quidem, sed omnium deterrimæ. Nam in principio accessionis statim uidentur in tabem incidere, libro 10. meth. med. cap. 3 & 4. fit quando bilis putrescens est alimentalis.

A loco.

Sumuntur etiam differentiæ à loco. nam aliquando materia est collecta circa partes naturales: hæc quando excitatur, habet omnia symptomata, quæ pertinent ad has partes. libro de morb. temp. cap. tertio, per mesenterium circa pancreas, est ibi pulsus retractio habent vomitus biliosos, anxietates, oscitationes, habent horrores potiùs; Sicut, quando materia est in ambitu totius corporis, fiūt rigores vehementissimi, statim in principio, libro 1. ad Glauc. cap. 6. pręcedit inæqualitas, & lassitudo.

A caussis remotis.

Denique differunt ratione caussarum remotarum. Nam ex exquisitis quædam habent omnes caussas, quę conspirant ad faciēdam febrem exquisitam, & exquisitæ exactè, vocantur, aliæ non omnes. Si fiat ex flaua bile, temperamento sanguineo, & deficiat ex conditionibus aliqua, est quidem exquisita, sed non exquisita exactè.

Hu-

Huiusmodi febris est facilis cognitionis. A Cognoscitur enim ex temperamento regione que calidis, uita anteacta, cibis calidis, & siccis præcedentibus. Item si adsint etiam excrementa biliosa, urina ignei coloris. Adsint præterea sitis uehemens, dolor capitis, uigiliæ, inquietudo totius corporis, calor acris, & mordax; pulsus uehemens, celer, & frequens.

Numquid uero sit continua periodica, an intermittens, cognoscitur. Si Periodica: quod de tertio in tertium. Si Intermittens ex interuallo, præterea pulsu, ubi nulla inæqualitas systematica, & nullus pulsus præter febrilem. Hæc habet quantum sit sui ratione: Nam potest præterea contingere aliud B ratione alterius. lib. tertio, de præsag. ex puls. capit. 7.

Signa differentiarũ ex materia. Cognoscetis etiam facilè differentias huius: si ex humore & ichore, erit omnium mitissima, & breuissima. Si ex bile excrementitia inutili, pulsus nunquam degenerat ad paruitatem, uel imbecillitatem: Si putrescat humor accidentalis excremẽtitius utilis etiam, statim post primam accessionem sentiunt maximam uirium affectionem.

Ex loco. Cognoscetis etiam differentias ex loco; quia, si materia putrescat in partibus naturalibus, incipit febris potiùs ab horrore, quam rigore, quamquam postea etiam rigor incidat; postea habent dolores tensiuos, grauitatem circa hypochondria, aliquando uomitum, oris amaritudinem. Si in ambitu totius corporis, præcedit rigor uehementissimus, & faciliùs sudores erumpunt, quàm uomitus, quàm alui deiectio.

Prognostice. Hæc est ex sui natura salutaris sect. 4. aph. 95. septenis enim circuitibus ad summum absoluitur.

Dico ad summum, quia pro materiæ tenuitate consumitur aliquando in tribus, aut quatuor accessionibus.

Dico ex se, esse salutarem, quia ratione motus materiæ non admodum salutaris. Si moueatur maximo cum impetu ad os uentriculi, qui habent os ualdè sensibile uentriculi, fit cardialgia talis, quæ desinit in syncopen, D & mortem: quale exemplum memini me uidisse, dum essem iunior. Alius etiam, qui principio incidit in hæmorrhagiam sanguinis, propter hanc incidit in syncopen, nec adstrictorijs potuit præseruari, philonio fuit à morte præseruatus.

Curatio. In curanda exquisita tertiana, cuius naturam, & signa in præcedentibus proposui, eũ seruabo ordinem, quem etiam in cæteris omnibus curandis, sum seruaturus, ut scilicet primo de Chirurgico instrumento, deinde de Pharmaceutico, demum de Diæta uerba faciam.

Num cõueniat uenæ sectio Itaque, quantum ad chirurgiam; oritur consideratio; num in tertiana exquisita conueniat uenæ sectio, nec ne? Ratio huius dubitationis est: quia neque Gal. huius uenæ sectionis meminit lib. 1. ad Glauc. cap. 9 ubi ex *in tertiana exquisita.* professo hanc curationem proponit. Præterea uerò ratio etiam id persuadet: Nam in tertiana exquisita corpus est cacochymum, bile abundat: In cacochymia autem iam intellexistis sect. 2 aphor. 17. lib. 4. de tuend. ual. cap. 4. non licere sectionem uenæ.

Ex alia parte Auic. suadet hoc loco, quando datur occasio secandi, illam esse ante tertium paroxysmum secandam.

Pro controuersia dirimenda distinctione est opus, neque semper abstinendum est, neque semper secanda. Primum distinguere oportet, an exquisita tertiana sit exactè exquisita, an simpliciter & absolutè exquisita. Est exactè exquisita, quando habet omnes conditiones, quæ requiruntur ad huiusmodi febrem constituendam, habitum scilicet, ætatem, & tempus calidum, cibum, inediam, motiones, &c. Conspirantibus his omnibus conditionibus fit exactè exquisita, in qua non licet uenam secare, quia corpus est uerè cacochymum, necessario generatur bilis in maxima copia, propterea sanguis non abundat: Accedit, quod libro primo ad Glauc. capit. 4. in constitutione, regione, tempore anni calido, prohibet secandam uenam in febribus quibuscumque. Si in quacumque febre; multò magis in tertiana exquisita.

C Sed si huiusmodi tertiana non sit exactè exquisita, sed simpliciter fiat, exempli gratia, in corpore sanguineo, sed tamen, in quo amara bilis sit, facta propter uictum, aerem calidum & siccum, uel retenta bilis propter excretiones consuetas retentas, licet secare uenam, seruatis tamen alijs conditionibus, de quibus nunc dicam.

Itaque quãdo non exactè est exquisita, adhuc oportet distinguere. Primum, utrum hæc materia, quæ facit febrem, sit excrementitia sola, an utilis, & salutaris alimentalis. Si excrementitia, potestis euacuare per uenæ sectionem: Si bilis utilis, cautè agendum, uires facilè concidunt, patientes facilè in syncopen incidunt; abstinendum ergo. Vbi uero excrementitia tantum, potest secari. Secunda conditio est, ut consideretur, in quo continetur materia hæc excrementitia. Nam si in ambitu totius corporis bilis contineatur, com. 2. in 1. Epid. text. 10. quidquid alij sentiant, non secanda. Ratio desumpta partim ex lib. 4. de tuend. ual. cap. 6. partim ex 5. de tuend. ualet. cap. 10. In cap. 6. ubi abundat humores in ambitu corporis, prohibet omnia illa auxilia, quæ possunt humores intro trahere, inter quæ etiam est uenæ sectio. Quod autem uenæ sectio trahat intra uenas, testatur etiam lib. quinto, de tuend. ual. cap. 10. Vult bis secari debere uenam in lassitudine phlegmonode; Primo enim euacuatur humor in uenis, & attrahit humorẽ, qui est extra uenas: Si debet ille uacuari, iterum uenæ sectio fieri dẽt.

Dicetis

Dicetis etiam, in hoc casu mittamus bis sanguinem. Profectò, quia febris ex humore bilioso non conueniet, ibi loquitur de synocho, vbi alia est ratio.

Idipsum agendum, vbi biliosi humores abundant in primis vijs circa pancreas, mesenterium, in his casibus, quorum ratione vsus, vereor, ne venæ sectio trahat istos humores in venas. Lib. 4. de tuend. val. c. 5. subdit, humores sunt in primis vijs, igitur potius opus est alia euacuatione per medicamenta. Sed si humores generentur in iecore, trãsmittantur in venas, vt semper excrementum collectum transmittatur in venas, admitto venæ sectionem. Est, quando febris non exactè exquisita.

Quæ vena secanda. Secanda autem cõmunis, uel basilica dextri lateris, parceq. mittendus in die intermissionis, ante, uel post tertiam accessionẽ. Auicennas vult, ante tertiam accessionem: Si tamen vires constent, etiam post tertiam, quartam, & quintam secanda.

Cucurbitulæ. Cucurbitulæ in hac febre, si adhibeantur gratia reuulsionis, possunt adhiberi in quacumque tertiana, siue exactè, siue non exactè exquisita, pro reuellendis humoribus calidioribus, qui impetum habent in cor, caput, os ventriculi, & in partes inferiores. Sed aliqui sunt casus, in quibus conueniunt cucurbitulæ, etiam dorso appositæ, & lumbis, quando materia sit in ambitu totius corporis, ibi colligatur, quia non difflatur, cutis sit constipata: in tali casu consulo, vt facta euacuatione per medicinas leues, adhibeantur cucurbitulæ dorso, & lumbis, vt euacuetur materia peccãs per locum affectum. Lib. de cõstit. art. med. cap. 19. Gal. scribit serosos humores, & tenues, qui peccant per ambitum totius corporis, per cutem euacuandos esse: Biliosos aũt præmisso leniẽte. & quæ sequuntur. Et propterea, quando lenita fuerit aluus, poteritis adhibere cucurbitulas.

Pharmacia Leniens bol. Quantum ad Pharmaciam, leniatur primum aluus. si bolos voluerint, hoc sequenti;

℞. flor. cass. rec. extract. Drachm. x.
pulp. tamarindor. Drachm. iij. M. & cum sacch. f. bol.

exibeantur in die intermissionis, vna uel altera hora ante cibum.

Potio leniт. Si potum magis desiderent.

℞. syr. ros. sol. vnc. ij.
viol. sol. vnc. ij.
seri caprini, aut aqua cichor. q. s. Misc. fiat potio.

capiat quattuor horis ante cibũ.

Præparandi deinde sunt humores syrupis refrigerantibus, & humectantibus, quales *Syrupus præparãs* sunt syrup. uiolac. simplex, syrup. de Endiuia, de cichor. oxysaccharũ, syrup. ex acetosa, &c. vt Exempli gratia.

℞. syr. viol. simpl.
acetos. simpl.
de endiu. an. vnc. ß.
aq. endiu.
cichor.
portulac. vnc. j. vel si multum sitiant, vnc. j. & ß

In magna siti potestis etiam intermittere vsum syruporum dulcium, & præbere aquas illas stillatitias ad viij. vel x. vnc. ad lib. j. vel simplices, vel mixtas, cum emulsione seminum melonum cum vnc. iij. Potestis etiam præbere vnc. x. vel lib. j. aquæ hordei, vel simpl. vel mixtæ cum iulepi uiolati vnc. j. aut iulepi acetosi.

Denique pro alterando potestis præbere lib. j. uel alteram seri caprini, aut simpl. vel mixti, cum emulsione seminum melonum. Hæc omnia habent vim præparandi humorem biliosum.

Neque hoc tempore prætermittenda externa refrigerantia, & humectantia, lib. 1. ad Glauc. cap. 6. Galen. inter externa proponit vsum balnei. Aduertatis. Ibi proponit duplicem usum balnei. Primum est ad alterandam caliditatem, & siccitatem corporis, quod vult administrari ante coctionem humorum: secundum ad digerendos, & euacuandos per cutem humores biliosos putrescentes. Primum genus debet esse uix tepidum. Secundum calidiusculum. Propterea Auic. mentionem facit huius balnei digerẽtis, nũquam nisi post coctionem. Gal. altero etiam ante coctionem utitur. Hoc tempore non est in vsu, nihilominus consuetis, & in istis febribus, quæ habent intermissiones, consulo, vt concedatis, præcipuè tempore æstiuo. Debet autem adhiberi tantum in die intermissionis, & esse vix tepidum, & post balneum conuenit inunctio totius corporis ex oleo uiol. & amygd.

Si quis non potest uti balneo, epithematibus refrigerantibus, ad cor, & iecur vtẽdum. *Epithem. cordiale.* Pro corde conuenit tale.

℞. aq. acetos.
nymphææ ana. lib. ß.
ros. vnc. iij.
spec. diatrion santal. drach. ij.
aceti vnc. j.
camph. gr. vj. M.

& cum linteolis duplicatis madefactis in huiusmodi aqua non admodum frigida, madefiat regio cordis, idq; sæpius faciendum. *Epithem. iecoris.* Pro iecore conuenit hoc.

℞. succor. endiu.
cichor.
hepatic. an. vnc. ij.
spec. diatrion. santal. drach. ij. Misc. f. Epithem. iecoris.

Hi succi pariter per lintea madefacta & frigida tempore æstiuo imponenda: tempore frigidiore tepida, & multoties, vt dixi, de corde.

Facta humorum Præparatione, conuenit expurgatio per uomitum, aluum, sudorem, & urinas.

Vomitus Vomitus in illis tantùm Tertianis tentandus, in quibus materia biliosa impetum habet ad os ventriculi, secus non. Et tempus excitandi vomitum est illud, in quo iam materia ipsa habet huiusmodi propensionem. Itaque cùm magna ex parte circa principium accessionis moueatur hic vomitus, licebit hunc excitare sequenti Mistura.

℞. aq. hord. vnc. vj.
olygd. dulc. vnc. iij. M.

Eductis per aluum, aut clysteribus, aut medicamentis. Clysteres sint refrigerantes qualis erit iste. *Clyster.*

℞. decocti hordei
Violarum.
Maluæ.
Betæ lib. j.
fl. cass. vnc. ß.
sacch. rubr.
ol. viol. an. vnc. iij. M.

Purg. Pro Purgante medicamento vtebatur olium Galen. noster absint. mixto cum meliorato: qua in parte accusatur ab Alexandro Trall. Nos hoc tempore loco absinthij vtimur rhabarbaro, quod plus potest. Vtamini autem in Bolo secundum hanc formam. *Bolus.*

℞. rhab. el. maturi pulu. drach. j.
fl. cass. nou. extr. vnc. j.
pulp. tamarind. drach. ij.
M. & cum sacch. f. boli.

Si libenter superbiberint serum, concedatur ad lib. j.

Potio. Si potum desiderent. *℞. rhab. el. drach. j. infunde, vel in sero caprino, vel aq. Endiu. s. a. & facta expressione, adde syr. viol. sol. ana vnc. ij. vel vnc. iij. M. f. potio.*

Purgat. per vrin. Expurgatur per vrinas, exgibeatis singulo manè serum caprinum mixtum cum emulsione seminum melonum, quæ emulsio fit extracta cum decocto apij, anethi, petrosel. aut fœnic. vel simplex, vel mixta cum sero, vel aqua hordei.

Per sudorem: Ad prouocandum sudorem vtebatur Gal. balneo, apud nos non est in vsu.

Corroborantia. Et sic expurgatur materia; cui succedit Corroboratio, seu Alteratio, quę fit internis, & externis.

Interna Interna sint refrigerantia & humectantia: quia caussa calor, & siccitas iecoris, & vniuersi corporis. Id fiet nunc hac Conserua.

℞. conseru. uiol.
cichor. an drach. j.
fl. triasant. drach. j. M.

Accipe singulo manè vnc. ß. duabus horis ante cibum. *Externa*

Exteriùs etiam poterunt vti eo ipso epithemate, quod proposui.

Victus ratio. His accedat Victus ratio conueniens, refrigerans scilicet & humectans. Quædam olera, potissimùm facta imminutione humorum, conueniunt, vt beta, lactuca, &c. Vx fructibus frigidi, & aliqua siccitate præditi, grana granatorum, citranguli, limones, cerasa acida. Auic. etiam melones concedit, sed facilè corrumpuntur. Quantum ad reliqua, concedi possunt uua, pisces, quandoque carnes teneriores.

Quando autem febris fuerit ex putredine humorum alimentalium, nutries paulo ante, vel in accessione. Propterea diligenter attendẽdus motus accessionis.

Hæc est curatio tertianę intermittentis legitimæ, ex qua potestis intelligere & naturam, & curationem Continuæ. Loquor de exquisita. Hos tantùm differunt, quod continua, licet fiat ex bile, quatenus periodica, itaque in hoc conueniunt. Differunt autem, *quod in exquisita continua, bilis non est tantum bilis flaua, sed etiam porracea, æruginosa, vitellina.* Omnes denique species bilis, quamuis prauæ. *Conti nua.* *Differentia inter tertianam intermittentem, & continuam.*

Differunt etiam loco. In continua enim materia hæc biliosa materia peccat in venis, & nõ transmittitur extra venas, vel saltem non tota; & non transmittitur in declinatione accessionis extra venas:

Per venas intelligo communes, & determinatas: per determinatas, non determinatas cordi proximas; nam fierent ardentissimæ: Itaque in venis magis distantibus: Igitur habet easdem caussas remota, & habet etiam easdem signa, quam intermittens tertiana. Hoc tantùm differt, quòd Continua nunquam deuenit ad infebricationem, habetq. symptomata omnia grauiora, & est magis periculosa.

Quantum ad curationem in nullo differt, nisi quod huiusmodi continua necessarium est vti venæ sectione absque tot distinctionibus. Similiter, quantum ad Alterantia debet esse victus ratio tenuior. *Curatio cõtinuæ.*

De tertiana Notha Intermittente, & continua. Cap. XXXIII.

FEbris tertiana, vt dictum est, exquisita est, & notha: & vtraque est tam intermittens, quam continua. De exquisita tam intermittente, quam continua hactenus dictum est: succedit in pręsentia tractatio de biliosa notha, pariter tam intermittente, quàm continua. *Quid notha?*

Est huiusmodi febris (biliosa notha intermittens & continua,) producta ab humore bilioso permisto putrescenti maiori ex parte excrementitio.

Quatenus itaque fit a bile, distinguitur a ceteris omnibus febribus pituitosis, sanguineis, melancholicis. Vt fit a bile permista, differt a tertiana exquisita: vt ab excrementitia, à continua conclusa, quæ vocatur febris ardens, orta ex pituita salsa: Nam huiusmodi habent originem, vel ex vasis communibus, vel cordi proximis, quando caret accessionibus: sed omnia diligentiùs sunt examinanda.

Per bilem permixtam, intelligo permixtam, & cum pituita, & melancholia, & cum *quid per mixtionẽ*

vtroque succo, quamquam lib. 1. ad Glauc. non videatur mentionem facere alterius mistionis, quam bilis cum pituita. A

Caussa materialis. Per pituitam vero intelligo & tenuem, & crassam: Nam ex aquea, & tenui pituita fit bilis pallida. Ex crassa permista cum bile fit vitellina. Ex quibus inuicem mixtis vera mistione (per veram mistionem autem intelligo miscibilium alteratorum veram vnionem,) fit febris hæc notha tam continua, quam intermittens; a differentiam earum, quæ etiamsi proueniam ex duobus humoribus, sunt tamen febres separatæ: quia tunc humores non sunt commixti, sed iuxtapositi. Itaque est mixtio pituitæ tenuis, crassæ, & melancholiæ. B

Huiusmodi mixta, si in fine accessionis ex toto transmittantur extra, vel ex toto digerantur, faciunt notham intermittentem: Si retineantur, pariter notham, sed continuam.

Locus affectus. Locus, in quo facit hæc materia febres, sunt venæ communes, & determinatę. Quando communes, sunt distantes à corde, quæ magis proximæ carnibus totius corporis: non sunt illæ inter alas, & inguina: vbi fiunt caussonides: Et huiusmodi materia ibi non generatur, sed transmittitur, vt docui, in vniuersum ab aliquo loco determinato. Semper est locus, qui generat, & transmittit excrementum in venas remotas. Et propterea facit periodicam. Si mittatur extra venas, erit statim intermittens. Pariter potest huiusmodi febris continua, & intermittens fieri ex locis determinatis, sed ignobilioribus. Hæc itaque materia, loci, & caussæ, propter quas intermittat, & sit continua. C

Ex his etiam patet, quamobrem huiusmodi intermittentes nothæ sint aliquando longiores, aliquando breuiores. Nam omnis, quæ transit horas duodecim, est notha: Legitima enim non transit. Si paulo plus duodecim horis duret, vel quattuordecim, sexdecim, vocatur notha simpliciter: Si viginti quattuor, protensa; si triginta, valdè, & multum protensa.

Caussæ mediatæ Caussæ mediatæ sunt ex parte temperamenti, ætatis, sexus, vitæ anteactæ, cibi & potus, somni, otij, &c. Possunt enim augere excrementum pituitosum, biliosum, melancholicum, vel omnia simul. D

Signa: Cognoscitur primum quidem, vt notha, ex caussis prægressis, ex symptomatis concomitantibus ipsam febrem. Ex caussis prægressis, vt si præcessit victus ratio varia, si vsi fuerint cibis acribus, edulijs crassi succi, placentulis varijs, coniicimus adesse pituitam.

Quod dico de hoc, dico etiam de Melancholico. Quale etiam erit temperamentum: Nam admodum calido possunt augeri bilis, & melancholia lib. 2. de cris. c. 12. Ex symptomatibus præsentibus, si respiciatis primum ad excrementa alui: Nam excrementa varia erunt, partim biliosa, partim melancholica, partim pituitosa; vomitus mixti: vrinę erunt quidem rubræ, attamen habent sedimentum crassum: sudores erunt copiosiores, & fœtentiores; sputa copiosa. Accedunt etiam signa ab Actionibus læsis, vigiliæ non admodum intensæ, habent capitis dolorem grauatiuum, non delirant. Propterea habent motiones corporis magis impeditas. Corpus est graue: Lassitudinem habent tensiuam, inæqualitas est maior, pandiculationes frequentiores, sitis non adeò ingens, nec oris amaritudo nec calor febrilis ita mordax. Præterea principium accessionum non fit cum rigore vehementi, sed potiùs cum horrore, & incrementum inæquale, tempus inęqualitatis longum.

Signa intermittētis. Cognosceris autem huiusmodi febrem esse Intermittentem, quando intra 48. horas ad minus habet duas, tres, quattuor, intermissiones; ad differentiam continuæ.

Prognostica. Hęc febris, si sermo sit de intermittente, est semper salutaris: Sed tamen pro varietate, & quantitate humoris permixti cum bile, & parte, a qua generatur valdè potensa aliquando, vt secundum Galenum sex menses aliquando duret. lib. 1. ad Glauc. capit. 8. Vbi intercedit tanta longitudo, multi errores committuntur.

Continua verò, quatenus continua, quanquam periculosa, manifestè declinans, est minus periculosa, quàm reliquæ.

Curatio Curatio tam intermittentis, quam continuę, perficitur tribus instrumentis propositis.

Quod ad Chirurgiam; in hoc instrumento est aliqua difficultas, vtrum conueniat? Nolo vos diutius detinere: Gal. lib. 1. ad Glau. c. 10: proponens curam tertianę nothę, inquit, aliquando conuenire: sed non docet nos, semper administrandam, nec docet, quando, & quando non administranda: quod ego vos docebo.

Considerare oportet, numquid huiusmodi tertiana notha habeat humores biliosos peccantes, genitos ex temperatura naturali, calida, & sicca, atque habitu corporis gracili; pituitosos vero ex errore in victu. Tunc enim abstineatis à venę sectione, quia vniuersum huiusmodi corpus est cacochymum ex duplici caussa. Prima est cacochymia naturalis: altera est ascititia, & præter naturam, facta ex prauis eduliis. Non igitur opus venam secare. Sed si contra in temperamento calido & humido sanguineo aucta sit bilis, pituita, & melancholia, ex errore in victus ratio; vt faciliùs corrigantur: in his casibus, tunc adest cacochymia spuria, & plenitudo aliqua, & licet venam aperire, dummodo vires permittant, & libentiùs secabitis in continua quam in intermittēte. *Venæ sectio num & quando conueniat.*

Et si vobis videatur, venam sectam in cubito posse nimium corpus debilitare, consueui secare venam saluatellam, si hæmorrhoides non sint innatæ: si vires sustineant, communem, vel basilicam.

Cucurbi-

Cucurbitulæ. Cucurbitulæ conueniunt etiam, sed nunquam lumbis & dorso imponendæ, vt in exquisita tertiana, vbi humor est subtilis, syncera bilis, simul cum tenuibus ichoribus, per cutem expurganda: sed humor crassus non per cutem expurgandus, propterea adhibeatis infernis partibus, quando reuulsione opus fuerit. A

Pharmacia. Quantum ad Pharmaciam, lenienda aluus hoc Bolo;

℞. spec. hieræ simpl. drach. ij.
el. lenit. vnc. j.
mannæ El. vnc. ß.
M. sine sacch. f. Boli. accipiantur duabus horis ante cibum.

Potio sit talis; B
℞. mel. ros. sol. vnc. iij.
syr. ros sol. vnc. ij.
aq. beton. q. s. M. f. potio.

Præparantia. Præparabuntur humores hoc syrupo.

Syrupus *℞. oxymel. simpl.*
syr. acet. simpl.
de beton. an. vnc. ß.
decoct. beton.
agrim.
cichor.
origani.
borrag. vnc. iij.
M. pro syrupo.

Nec miremini, in febre tertiana nos vti ijs, quæ potiùs pituitam, quam bilem respiciant: Et si enim bilis videatur præualere, ratione tamé quantitatis superat pituita. C

Præparatos humores licet deinde expurgare vomitu, clysteribus, medicamentis diureticis, & sudorificis.

Quantum ad Vomitoria, debent administrari potiùs à cibo, quàm ante cibum. Est doctrina Gal. lib. 1. ad Glauc. c. 10. Imò tantam præbet Gal. istis vomitorijs fidem, vt dicat solis his, quandoque longas febres fuisse expugnatas. Vt profectò hoc ego propria obseruatione obseruaui, in quo etiam maximè confido, & consulo, vt vos etiam insistatis, & à cibo: Nam præterquam, quod facilius fit vomitio, accedit, quod tunc pituita viscida, & lenta melius euacuetur. Nam post adhæret tunicis, vt facilè possit tolli. D

Vomitorium. Vomitorum sit tale;
℞. oxymel. sempl. vnc. iij.
decoct. anethi in iure vnc. vj. M.

Præter vomitoria sunt clysteres, qui maximè conueniunt, vbi materia peccat in venis meseraicis, vt;

Clysteres. *℞. fol. chamom.*
anethi an. p. j.
malu.
mercur. an. M. ß.
furfuris M. j. f. decoct. s. a.
℞. dicti decoct. lib. j.
sacchari.
mell. ros.
ol. communis an. vnc. iij.
salis drachm. j. Misc. f. clyster.

Medicamenta purgatoria. Quod ad medicamentum Purgatorium, potest quidem eligi ex efficacioribus, diagridium, colocynt. Sed oportet sequi consilium Auicen. & Gal. vt quamquam sit fortis, eligatur debile. Galen. lib. 1. ad Glauc. cap. 10. vbi proponit curationem tertianæ nothæ: sicut vidistis me pluries facientem, vt parum & sæpe euacuarem.

Ego etiam vtor hac medendi ratione. Conficio pilulas tales;

℞. pil. aggreg. drach. j.
mastich.
de trib. cum rhabarb. an. drach. ß. M.
cum mell. ros.
f. pil. vi. & deaurentur.

Præbeo duas ex his hora vna ante cœnam in die intermissionis, nam mouent aluum, etiam antequam adueniat sequens accessio; si horæ sint valdè tempestiuæ, manè præbeantur. Eo ipso die intermissionis oportet insistere in præparando, attenuando, tam internis, quam externis. vt exhibeo istos trochiscos cum syr. sequenti.

℞. trochisc. de absynth.
de rhab.
de cupat. an. drach. j. M:
cum syr. byzant. f. pil. x.
& deaurentur. harum præbeo duas summo manè, post quas statim super bibant hunc syr.

℞. syr. de cichor. Nicol.
absque rhab. drach. j.
oxymel. simpl.
syr. byzant. cum acet. an. vnc. ß.
decoct. origani.
pulegij
agrim.
absinth.
cichorij.
borrag. drach. iij. M.

Exteriùs adhibenda fomenta, & inunctiones calidæ præcordijs: quod est etiam Galeni consilium loc. cit. ex quo obiter volo vos intelligere, huiusmodi febres nothas magna ex parte ortum ducere ex obstructione viscerum.

Fomentum sit tale;

Fomentum. *℞. malu.*
althææ an. M. j.
flor. chamom.
anethi.
melil an. p. j.
absinth.
spicæ.
calam. arom. an. M. ß.
sem. lini vnc. iij. f. decoct.

s. a. f. expressione per spongias et pannos laneos, fiat fomentum mesenterio, & præcordijs ante cibum manè & vesperi, in die intermissionis; vel si febris sit Continua, in horis declinationis.

Postea fiat talis inunctio;

Vnguentum; *Recip. ol. amygd. dulc.*
amar. an. vnc. ijs
vini aromat. drach. iij.

succi cieb vnc.j.
absinth.
spicæ an M. ſſ. bul. vſque ad conſumptionem vini, & ſucci, & facta expreſſione fiat inunctio, quæ facienda eſt non ſuperficialiter, ſed cum aliqua compreſſione & impulſione partium abdominis verſus ilia: ſic paulatim euacuando per aluum, vrinas & ſudores, expurgabitur materia, nec augebitur.

Victus ratio. Si adhibeatur conueniens victus ratio, quæ in hoc eſt poſita, vt, ſi vires ſint robuſtæ, nutriatur tantùm alternis diebus in tertiana intermittente. In continua meliùs eſt diuidere cibum, & paululum præbere: ſed in die acceſſionis non niſi in horis, vbi febris declinabit. *Quantitas cibi.*

qualitas Quantum ad qualitatem cibi, eſt etiam manifeſta. Oportet abſtinere ab oleribus, à fructibus, & etiam à piſcibus, & concedere dumtaxat oua & pullos iuuenes. B

Potus. Pro potu potiùs bibant mulſam. Hæc de curatione febris continuæ & intermittentis, &c.

De febre ardente, ſeu cauſonide, aut cauſſo.
Cap. XXXIII.

Bilioſa febres cum Galeno lib. 2. de differ. febr. cap. 2: & lib. 2 de criſibus. capit. 3. & cum Auic. fen. 1. lib. 4. tract. 2. cap. 34. in tres differentias diſtinximus: quarum prima continebat tertianam intermittentem tam legitimam, quam ſpuriam. Secunda tertianam continuam periodicam declinantem, pariter tam legitimam, quam ſpuriam, de quibus omnibus iam dictum eſt. Tertia differẽtia continebat febrem Cauſſonidem, vel cauſſum, vel ardentem, de quo nunc. Et quia huiuſmodi febris multiplex eſt; quanquam genere vna videatur, idcirco peto veſtram attentionem.

Febris ardens, quę & cauſon apud Galaeno dicitur, quandoq; etiam lipyria vocatur. Dico apud Galenoquia apud Auic. eſt multo diuerſa a lipyria Gal. quia a Gal. inter ardentem numeratur, ab Auic. inter pituitoſas; quamuis ſcribat etiam Auic. ex bile fieri, tamen non eſt ardens. Eſt tamen apud Gal ita ſpecies ardentis, vt valeat conſequentia: eſt lypitia: ergo ardens: non e conuerſo.

Febris ardens dupliciter accipitur Febris igitur ardens quandoque a Gal. accipitur impropriè, quandoque propriè. Improprièprię pro omni febre bilioſa exquiſita, dummodo habeat inſignem ardorem: Hac ratione febrem intermittentem vocat ardentem, lib. 2. de diff. febr. c. 3. & lib. 8. de plac. Hipp. & Plato. c. 6. & lib de palp. rig. &c. cap. 7. Propriè tamen accipitur tantum pro febre continua, & continua non declinante, cuius definitionem integram ſubiungo.

Quid cauſus. *Cauſos propria accepta eſt febris continua exurens, non declinans, ex quacumque bile, & ex pituita ſalſa putreſcente in venis, vel omnibus, & maximis, vel ſaltem proximis cordi, cum, & cit*A*ra inflamationem.* Eſt definitio ſatis longa, quam neceſſarium fuit afferre, vt complecterer omnes febres, quæ ſub nomine febris ardentis comprehendi poſſunt.

Dixi eſſe *continuam* ad differentiam bilioſæ intermittentis.

Exurentem ad differentiam ſynochi ſanguineę, & pituitoſæ, & aliarum, quæ non habent æſtum ita vehementem.

Continuam *non declinantem*) Per hanc intelligo & continuam concluſam, & continuam perodicam. quod detur febris continua concluſa bilioſa (nam de hac eſt ſermo) legite Galeno ſect. 4. aph. 58. & 59. omnium maximè lib. 2. de diff. feb. 1. c. 1. & lib. 2. de criſ. c. 6. His locis febrem bilioſam ardentem inquit, appellari ſynochum. Aliquando etiam hæc febris hent periodos, ſed non declinat, in quo diſtinguitur à Tertiana Continua Periodica iam explicata, q̃ declinabat: hæc verò, quamquam hẽat exacerbationem, periodos, nihilominus nunquam declinat, ſemper eſt ardentiſſima. De hac periodica ſermonem facit Gal. & Hip. com. com. 1. in 1. epid. t. 75. Ibi proponit Hipp. naturam febris ardentis omnium periculoſiſſimam, quam tamen inquit habuiſſe acceſſiones dieb. paribus, intelligit febrem ardentem, quæ ſingulis dieb. exacerbatur, & hẽt vehementes acceſſiones diebus paribus magis quàm imparibus: de hac & idem Hipp. com. 3. in 3. Epid. text. 36. quando loquitur de febre ardente. Itaque datur febris ardens & concluſa, & periodica, quæ non declinat. C

Cauſſa huius febris eſt omnis bilis. Sic. n. dixi, ex *quacunque bile*, per quamcumque intelligo ſyceram, & mixtam, ſynceram tum naturalem, tum genitam ex vſtione. *Cauſſa:*

Quod fiat ex bile naturali, patet lib. 1. de diff. febr. cap. 1. lib. 2. de criſ. c. 6. & ſect. 4. aph. 58 & 59. vbi ſcribit, ex bile flaua putreſcente fieri huiuſmodi febrem.

Sed fit ex bile etiam exuſta, ſiue ſit praſſina, æruginoſa, vitellina. De hac com. 3. in 3. epid tex. 75. quod vomitio æruginoſa bilis eſt proprium ardentium, loquitur de malignis.

Fiunt etiam ex bile pallida, quæ eſt bilis mixta, ex bile flaua, & humore tenui. com. 1. in 1. epid. tex. 9. D

Sed præter eam fiunt etiam febres ardentes, ex pituita ſalſa. De hac loquitur Hipp. & Gal. 4. acut. a text. 13. vſque ad 19. vbi Hipp. proponit duas cauſi ſpecies ex bile & pituita ſalſa. Cæterum pulchra oritur conſideratio, ſi fit ex pituita ſalſa, qualis ſit huius generatio? Grauiſſimi medicinæ parentes digladiantur. Auicennas in Galenum inuenitur. Valleriola lib. 1. Enar. c. 7. ipſum Gal. defendit. Gal. lib 2. de diff. febr. c. 6. exiſtimauit pituitam fieri ſalſam ob duplicem cauſſam: vel ob putredinem, vel permiſtionem ſalſæ ſeroſæ humiditatis cum pituita. Auicen. fen. 1. lib. 1. tract. 4. cap. 1. aliam proponit ſententiam, & inquit fieri ex miſtione humoris aquei cum bile æqu:s por- *Quõ pituita fiat ſalſa.*

portionibus mistis. Hanc eandem sententiam A explanat Fen. 1. lib. 4. tract. 2 cap. 41. Ego nolo fusiùs hanc quæstionem tractare neque disputare, an fiat ex mistione aquæ cum bile. Primum, vt ingenuè dicam, quid sententiam. Non accipio libenter Auicen. sententiam in medium allatam; quandoquidem præterquam, quod experientia ipsa docet, nihil amarum mistum cum aqua recipere saporem salsum. ratio etiam id persuadet. Nam sapor salsus lib. 4. meteor. cap. 3. & lib. de sens. & sensili, est sapor, qui oritur ex materia inconcocta: *Quid sapor salsus.* Non potest igitur fieri, vt ex sapore, qui iam vlteriorem suscepit coctionem fiat (si caliditas agit in amarum saporem, fiet magis amarus.) Propter non placet opin. Auic. Melior itaque B Gal. videtur, pituitam salsam fieri ex salsa serosa humiditate admixta. Nec accusandus, quasi principium petat (Gentilis hoc facit) cum inquit; Salsi saporis caussam esse salsum humorē. assignat caussam salsedinis in pituita. Siquidē ait fieri ex mistione sicci & terrestris cum humido aqueo cum partibus siccioribus.

Quantum ad aliam caussam salsedinis, quæ est putredo, aliqua ratione est corrigenda. Primò, non existimo salsam pituitam solam semper ex putredine fieri: nam ita in quotidiana omni esset pituita salsa. Non omnis putredo est caussa salsedinis. Præterea non est hæc caussa perpetuę veritatis. Nam si putredo caussa sal- C sedinis esset, esset caussa, quia deficit calor innatus pituitæ, vel quia superabundet calor externus. Si dicat, quod contingat primo modo, hoc est falsum: nam potiùs fieret acida (lac enim fit acidum, dum amittit propriam caliditatem.) Si secundo modo: hoc quidem est verum; nec tamen hæc caussa sola, sed omnis caliditas vehemens externa agens in hanc pituitam, etsi nō sit putredinalis, est salsedinis caussa. Et propterea siue resideat pituita in capite, venis communibus, potest fieri, vt pituita euadat salsa, quę est salsa ex permistione serosæ humiditatis, aut ex putredine, aut quacunque alia caliditate existente in corpore vehementi. Hactenus de caussis.

Locus affectus. Quantum ad locum affectum: dixi eum aliquando esse venas communes, vel omnes, aut D saltem determinatas, sed cordi proximas. De venis cummunibus loquitur Galen. sect. 4. aph. 58. & 59. lib. 2. de dif. febr. c. 2. & lib. 2. de cris. c. 6. De ea, quę fit ex vasis determinatis, & cordi proximis loquitur 3. in 3. Epid. text. 33: 2. in 1. epid. 20. quibus locis scribit, febres ardentes fieri ex venis iecoris, ventriculi, pulmonum. Denique dixi huiusmodi febres ardentes cum, vel sine inflammatione. Quod fiant cum inflammatione, & ardentes vocentur, testatur Gal. lib. 2. de cris. c. 7. vbi febres ardentissimas *quādo febris ardens dicatur lipyria.* fieri ex erysipelate iecoris. Istæ ardentes (vt tandem veniam ad lipyrias) vocantur etiam a Gal. lipyriæ. Dico istas, quæ scilicet ex vasis determinatis cordi proximis siue cum, siue citra inflammationem fiunt. Potestis hoc colligere ex sect. 4. aph. 48. Vbi Hip. scribit, in in febribus non intermittentibus, si externæ quidem partes frigidæ fuerint, internæ verò ardeant, ac sitim habeant, lethale est. Inquit Gal. hoc esse proprium illarum febrium, quæ vocantur lipyriæ, quas in fine com. inquit esse febres inflammationum; & clariùs 2. prognost. text. 4. in fine, quia loquitur ibi Hipp. de febribus quæ habent refrigerata externa cum ventre, & costis calidis: sed aliquando vocat etiam lipyrias, quæ sunt ex putredine humorum in venis contentorum absque inflammatione: quinimo scribit, hanc magis propriam esse significationem lipyriæ. 7. aph. 42. Inquit enim, antiquos nullam febrem ex inflammatione vocasse febres, sed tantùm Epalitidem, &c. Febres autem vocabant tantum principales, quibus dederunt postea varia nomina, Typhoden, Eloden, Lipyran, &c. & quæ sequuntur.

Hactenus habuistis omnes differentias, & caussas febrium ardentium. Itaque vt colligamus: Ardentium febrium hæ differentiæ. *Differentiæ.* Aliç sunt quidem continuæ, continentes, conclusæ Synochæ; aliç periodicę, sed non declinantes: aliæ ex bile syncera, vel flaua, vel exusta; aliç ex bile pallida mixta pituitę: nonullę ex pituita salsa; aliç ex venis communibus, quędam determinatis: aliæ cum inflammatione; aliæ citra eandem.

1 *Signa ardentium vt ardentes sunt.* Harum omnium signa proponenda modò sunt: & primò Ardentium vt ardentes. Secundò, continuarum conclusarum. Tertiò, Periodicarum. Quarto, biliosarum syncerarum. Quinto, biliosarum ex admixtione. Sexto, biliosarum continuarum. Septimò, ardentium ex pituita salsa. Octauò, earum, quę sunt ex venis communibus, & determinatis. Nonò, earum, quæ cum, vel citra inflammationem.

Ardentes, vt ardentes sunt, duo habent Pathognomonica signa: sitim inexpugnabilem, & ardorem maximum, vehementissimum, numquam deficientem, quæ prodosita partim ab Hipp. partim Galen. 4. acut. 13. 3. in 1. epid. 34. & albi.

2 *Signum continuarum conclusarum.* Continuæ, vt conclusę, habent vnicum signū quod scilicet nullas vnquam habeant exacerbationes.

3 *Periodicarum.* Periodicę etiamsi non declinent, habent tamen singulis diebus, vel alternis quasdam leues exacerbationes.

4 Quę fit ex flaua bile syncera, habet omnia signa proposita in tractatione febris biliosæ intermittentis.

5 Quæ ex bilę exusta, habet omnia signia vehementissima, & Pathognomonica, & Superuenientia. Quantum ad Pathognomonica, adest sitis omnium vehementissima, ardor febrilis vix tolerabilis. Superuenientia etiam maxima deliria, dolores, vigiliæ, inquietudo corporis, excrementa colliquatiua alui, crocea, pinguia, fœtentia, corpus emaciatum.

Ex bile pallida, febris est quidem ardens, sed omnium mitissima, & ita mitis, vt Hipp. 3. in 3. epid. 34. videatur aliam febrem hanc ab ardentes constituere. Inquit enim fuisse tunc temporis constitutionem, &c. Galen. in com. quærit, & iure, qua ratione hoc cognosci possit, si deficiant hæc signa pathognomonica, sitis sc. & ardor? Ego non potui intelligere G.l. vtrum soluat hoc dubium, necne. Nam eius verba non ostendunt: Puto tamen solui posse. Et puto dixisse Hipp. in febre ardente hac deficere sitim, & ardorem: sed comparatiuè locutum respectu, & ratione aliarum, ratione enim aliarum non est ita vehemens.

Dicetis, qua ratione ergo differt ab alia continua spuria? In hoc, quod in ardente, quamquam sitis non vehemens, calor non exurens, tamen perseuerat toto febris tempore, nulla est hora, in qua non sentiatur à patiente sitis, & ardor. In aliis potest aliquando adesse sitis & calor maior, sed non est perpetuus, habet interualla: Præterquam quod ad sunt alia signa proposita ibi ab Hipp. (non vigilant, sunt comatosi, vrinæ non inflammatæ.)

Cognoscitur ardens ex pituita salsa. 4 acu. 13. & 14. in quo casu sitis adest, lingua est arida & sicca, sed non est amara, sed salsa. Præter ea aluus est soluta, lubrica, ex materia pituitosa, viscida, & lenta, vt obseruaui, & notaui sentiunt maximam lassitudinem in vniuerso corpore: vrinæ præseferunt insignem crassitiem, aliquando adest stranguria. Hipp. loco citato.

Cognoscitur ex venis communibus ad differentiam, quę ex locis determinatis, omnium maximè ex symptomatis. Nam quæ ex determinatis, habet propria symptomata. Quæ ex pulmonisius, difficultatem respirationis maximam, pulsus omnium maximè inæquales, patientes videntur suffocari: Et sic, quæ fiunt ex iecore, ventriculo, &c.

Ardentis febris Prognostica capiuntur a genere, caussis, tam proximis, quã remotis, à symptomatis, & locis patientibus.

Prognostica febris ardẽtis a genere. A genere primum: Nam omnis febris ardens, proprie accepta, quatenus continua, absque vlla declinatione semper est periculosa. 4. aphori 43. Febres quæcumque tertia quaque die fiunt fortiores, periculo non vacant. Galen. in com. dicebat esse eas, quę vel ex viscerum inflammatione, vel maligna putredine oriuntur:

A caussis proximis: A caussis quidem primò proximis. Nam ardentes ex flaua bile sunt ceteris benigniores, si comparentur cum illis, quæ ex vitellina, exusta, porracea, æruginosa, erocea, quæ periculosiores. *Remotis* Quantum ad caussas remotas, periculosior ardens in ætate senili, tempore anni frigido, quàm contra. Sententia Hippocr. & Gal. sect. 2. aph. 34. Et ratio est quam assignauit Galen. in comm. quod scilicet, vbi ardens febris fit in senibus, magnus est recessus à natura-li statu.

A symptomatis Quantum ad symptomata, ostendunt huius febris perniciem, siue sint pathagnomonica, siue superuenientia. Ex Pathognomonicis duo sunt præcipua: sitis inexplebilis, & calor vehementissimus, quæ quo vehementiora, eo periculosior est febris. Sed non modò periculum ostendunt hæc symptomata, quando ad sunt, sed etiam quando præter naturam absunt: vt fit in lingua arida absit sitis ratio 1. in 3. epid. text. 5. Et, vbi lingua est arida, nec sitis adest, alterum duorum est necessarium; vel facultatem appetentem oris ventriculi esse exstinctam, aut graui delirio palientes vexari. Potest tamen fieri quadoque, vt in lingua arida, & febre ardente tussis parua aliqua ratione sitim imminuat. 4. aphor. 54. Hippoc: in febribus tussis sicca parum irritans, sitim mitigat. Nam ex huiusmodi tussi excitatur aliqua humiditas, vel ex pulmonibus, vel cerebro, quæ fauces irroret; propterea oportet vos esse attentos, quando videatis sitim non adesse, & lingua sit arida.

Cognoscitur etiam periculum ex superuenientibus, quæ proposita 2. in 1. epid. 75, quorum aliqua sunt critica importunè apparentia, & imperfectè, alia absolutè praua.

Prioris generis sunt rigor in principio, sudor deiectio alui.

Inter Imperfectè apparentia stillicidium sanguinis narium: quia euacuatio sanguinis narium est propria crisis salutaris febrium ardentium, vbi copiose excernitur: contra vbi parum.

Alia signa pessima, refrigeratio extremorũ, sudor circa nares tremor, & conuulsio, delirium, vigilia, inquietudo, colliquatiua excrementa, vrinæ oleosæ pingues, vomitiones, & alia, de quibus in vniuersalibus.

A locis affectis. Quantum ad locos affectos: periculosior est, quæ ex locis determinatis scil. pulmones, ore ventriculi, iecore, quàm quæ ex venis communibus.

Iudicatur huiusmodi febris, quando est salutaris, tribus modi, vel per fluxum sanguinis narum, vt docuit Galen. 4. acut. 11. & 2. in 1. epid. 75. Secundò, aut per sudores. Tertiò, & alui excretiones. 4 aph. 58. Idem Galen. Ardens, quæ ex pituita salsa, potiùs iudicatur per abscessus, vel ad partes superiores, quàm inferiores. Dico potius, quia Hipp. 4. acut. 17. inquit, febrem ardentem ex pituita iudicari etiam per fluxum sanguinis narium, &c. sed in com. inquit Gal. huiusmodi iudicationem esse admodum raram

Curatio ardentis ex bile syncera siue natura lis siue exusta. Curationem distinguemus in duo præcipua capita. Primum continebit ardentes ex bile syncera, siue sit naturalis, siue exusta. Secundum ex bile spuria, & pituita salsa.

Quantum ad priorem, dubium est, num in hac conueniat venæ sectio? Et dictum est, quia Auic. fen. 4. lib. 1. de Phlebot. scribit, cauendum in venæ sectione ne æger ad alterutrum deducatur extremum, vel periculum chole-

cholericum. Sed sic est, quod nulla est febris, A in qua magis impendeat cholericorum periculum, quam in hac. Itaque videtur Auicen. prohibere venę sectionem. Et profectò in causonidis curatione, inquit, *non secabis venam*: nam fortasse iuuabit, fortassis non.

Venæ sectio.

Ex altera parte Hipp. contulit secandam, vsque ad animi deliquium: nam faciliter iudicatur huiusmodi febris, per fluxum sanguinis narium.

Nec tamen accusandus Auicen. tamquam stupidis, vt eum accusat Altimarus, & Vallesius. Non debetis secare in ardente quacunque, sed habita distinctione: quando febris ardens sit exquisita exactè, non conuenit propter caussas propositas, id est, si sit in tempere calido, & sicco, ætate temporeq; calidis, &c. omnia conspirent ad bilem, non conuenit venæ B sectio. Propterea lib. 13. meth. med. cap. 6 & lib. 2. ad Glauc. cap. 2. in legitimo erysipelate non secat venam, sed cholagogum proponit. Quod si ardens non exactè exquisita, facta in temperamento sanguineo, propter conuersionem tenuioris partis sanguinis in bilem lib. 2 de different. febr. capit. 9. expedit sanguinem mittere: Propterea Auic. inquit, quandoq; nocebit, quádoq; iuuabit.

Cucurbitula. Quantum ad Cucurbitulas, affigendæ ad Reuulsionem: quandoquidem hi humores semper impetum habent ad caput, scarificatæ infernarum partium.

Vesicantia. Idem dico de Vesicantibus, quamquam res apud multos dubia: ego tamen is sum, qui his C vtor ad reuulsionem. libro 2. de phœnig. res est disputata.

Pharmacia. Quantum ad Pharmaciam: in hoc casu considerandum, num in principio conueniant lenitentia tantum: an purgantia statim à principio. Nam vt intellexistis in vniuersali, in acutis morbis eadem die medicari expedit: nulla autem est febris, in qua humores possunt esse ita turgentes, vt in hac febre. Propter ea, necesse est purgare statim in principio, sed cum distinctione. Aliæ benigniores, alię malignores. Si benigniores, lenientibus in principio, & refrigerantibus est vtendum, vt cassia cum tamarindi, syrupo rosato, violato.

Sed quando materia biliosa exusta, immineat periculum delirij, oportet à principio sta- D tim vti purgante, & in bolo poteritis exhibere tale.

Bolus purgans

℞. fl. cass. nou. extr. vnc. j.
diaprun. solut. aut
el. de succo rof. drach. iij. M.
& cum sacch. f. boli. accipiantur quinque horis ante cibum, *& superbibalibt. j. vel alteram seri caprini præparati.*

Si potionem voluerit.

Potio.

℞. rhab. el. drach. j. ʃʃ. f. infus. f. a. in sero caprino, & f. expres. adde syr. rof. sol. vnc. iiij. M. f potio. superbibat iij. vel iiij. lib. seri caprini, & accipiat simuliter quinque horis ante cibum.

Vomitoria. Vomitoria sint eadem, quæ in tertiana exquisita.

Similiter & clysteres aluum mouentes.

Alterantia. Quantum ad Alterantia: possunt esse ea, quæ proposita sunt in tertiana exquisita. Sed pro symptomatum varietate, etiam alia eligi possunt. Si adsit cum febre ardente fluxus alui, accipe syr. de granat. de ribes, de agresta, de succ. limon. Si adsint vigiliæ accip. syr. de papauer. ad vnc. j. ʃʃ. simul cum alijs aquis de stillatis refrigerantibus propositis.

Sed quia in huiusmodi ardentibus nihil præstantius quàm aqua frigida, propterea de hac etiam differendum. nam Gal. nihil præstantius inuenit pro curatione.

Frigidæ igitur ratio quandoq; conuenit, & est administranda absque vlla exceptione: aliquando multa sunt, vel aliqua præcipua, quæ prohibeant: quandoq; res est dubia, in quo casu opus est iudicio, & studio.

Quando conueniat potio aquæ frigidæ. Conuenit, quando febris sit Ardens biliosa absque viscerum inflammatione, partis imbecillitate, absque visceris alicuius obstructione, cum consuetudine bibendi aquam, cum viribus admodum valentibus.

Non licet deuenire ad hanc, quando vires prorsus imbecilles, inflammatio, vel obstructio insignis ex humoribus frigidis, imbecillitas oris ventriculi, & non sint assueti.

Quando aliqua horum indicantium adsunt, aliquando non, in hoc casu opus est, vt expendatis, & numerum & vires eorum, quæ de sunt & deficiunt. Et expendatis, vtrum conferat. Exempli gratia, sit febris, vires constent, sed sit alicuius partis inflammatio. Exempli gratia, iecoris, vel pulmonis, oportet vt consideretis, quodnam magis vrgeat. Si ardor febrilis talis, & tantus, vt si non extinguatur, incidant in hecticam, etiamsi adsit inflammatio, vtendum tamen potione frigidæ. libro 10. meth. med. c. 6. inquit satius, vt inflammatio illa crudescat, & morbus fiat longus. Si non vrgeat, oportet respicere potiùs ad inflammationem, lib. 9. meth. med. cap. 5. Pariter, si febris, ex alia parte vires non admodum robustæ; quando periculum, ne patientes incidant in marasum, satius erit vti frigida: idipsum dico de febribus, vbi ad sunt obstructiones lib. 10. meth. med. cap. 10. Sed volo vt in his adhibeatis aliquem modum, vt scilicet corrigatis aquam pro intentione. Exempli gratia, si ardens cum inflammatione iecoris, poteritis exhibere aquam hordei, aut serum factis copiosissimum. Et si coniuncta cum obstructione, permiscenda aliqua aperientia, gutta vna vel altera olei ex chalcanto, habet uim penetrandi, aperiendi obstructiones, & est vehiculum: si vires imbecilles, præbeatis ius ex pullo longum: si non potestis semel, bis, & ter.

Nõ perfecta cogit Tempus exhibendi aquam est apparente coctione. Per tempus coctionis non intelligit

ctione na tura ali- as est vi ctrix. git Gal. perfectam coctionem, quæ est tempore A Status, sed coctionem inchoantem, lib. 9. meth. med. cap. 16. in fi. inquit, incipiente concoctione posse aquam exhiberi: Et propterea in augmento incipit concoctio, potest igitur præberi. Sed quia lib. 9. meth. med. cap. 5. inquit Gal. coctionem cognosci ex pulsu, sunt qui *coctionis ex pulsu cognitio;* non possunt intelligere. Cognoscitur concoctio ex pulsu, quando pulsus ex paruis euadunt maiores, & vehementiores.

Quantitas aquæ Quantitas aquę est in robustis, quantum possunt haurire, in infirmioribus minor. Præter potionem frigidæ, opus est refrigerare intrinsecus, & extrinsecus.

Interius conueniunt clysteres refrigerantes, confecti ex solo succo plantaginis, aut portu- B lacæ, aut ex ptisana hordei, aut sero caprino mixto cum olei violacei aliqua portione. Conueniunt præterea ea omnia epithemata, de quibus in præcedentibus, & eo ordine, quem lib. 10. meth. med. cap. 10. Galen. habet. Quinimò in hoc casu etiam renes sunt refrigerandi: vt

Inunctio renum.

℞. infrig. Galeni vnc. j.
rosati Mesuæ vnc. ß. M. f. linim.

Pro purgatione conueniunt proposita, elect. diaprun. de succo rosarum, Mesuæ, cum cassia, ea ratione, vt proposui.

Balneũ. Conuenit etiam balneum aquæ dulcis: Sed ego in nulla febre ardente perseuerante ardore vsus sum hoc balneo. Profectò nunquam C conuenit, vbi ardens initium ducit ex loco affecto: habet enim vim fundendi humores ad locum inflammatum. Itaque ego aliquando vsus sum balneo post ardentem quando erat suspicio hecticæ.

Victus ratio. Victus ratio tota sit refrigerans, alteretur aer ad frigidum & humidum conspergatur cũ claue folijs vitis, &c.

Oportet etiam maximè prospicere symptomatis. Pro siti conuenit detinere in ore folia lactucę, aut oxalidis madefacta in mucilagine psylii, aut super lingua acidum limonis, vel citri: Et si saccharum placeat, aspergantur frustula: alii crystallum, alii pruna in ore detinent. Quantùm ad aerem, cibum & potum, in tertiana exquisita de his est dictum. D

Curatio febris ardentis ex pituita salsa, & pituita cum bile mixta. Perficiam hodie, iuuenes studiosissimi, quod superioribus diebus fueram aggressus, Ardentium febrium curationem scil. Supererat, quæ ex pituita salsa ortum ducit. Et quia parum distat ab ea, quæ producitur à Pituita mixta cũ bile ardente spuria, idcirco vtriusque audietis curationem simul & semel.

Num & vbi conueniat sãguinis missio. Tribus illis instrumentis perficitur. Quod ad Chirurgiam: quamquam de hac administranda aliqua sit dubitatio, nihilominus quod alias dictum fuit, nunc repeto, semper in his curandis distinctione opus esse. Si ardens ex pituita salsa habeat humores sallos: in communibus venis putrescentes absque vlla plethora, etiam spuria: in tali casu cùm adsit cacochymia exquisita, abstinendum à missione sanguinis. 2. aph. 17. lib. 4 de tuen. val. capit. 4. & alijs locis. Quòd si pituita hæc salsa in venis communibus abundans habeat aliquam sanguinis mixtionem, aut etiam habeat humorem salsum, putrescentem in venis pulmonum, ventriculi, ecoris, secanda vena. Quod etiam agendum in Ardente spuria ex pituita mixta cum bile. Sed si ita præualeant, vt nullus sanguis adsit, dimittatur sanguinis missio. Si adsit aliqua portio sanguis, mittatur: At quando locus venæ sectioni nullus sit, oportet Cucurbitulas adhibere ad Reuulsionem: *Cucurbitulæ.* nam hic scopus semper in ardentibus locum habet in partibus internis, etiam non ex stente plethora.

Quantum ad Pharmaciam; leniẽda aluus, *Bolus,* si bolum voluerint, hoc modo.

℞. flor. cass. nou. extr. vnc. j.
man. el. vnc. ß.
sem. citr. drach. ß. M. &
sin. sacch. f. boli.

Si potionem. *Potio.*

℞. mel. ros. sol. vnc. iij.
syr ros. sol. vnc. ij.
decoct. beton.
cichor:
sem. citri in sero capr. vel aqua cich. q. s.
M. f. potio.

Præparandi sunt humores hoc syr. *Syr. præparans.*

℞. syr. acetos. simpl. drac. j.
de cich. s. vnc. ß.
Decoct. beton.
cich.
endiu.
acetos.
hepat.
hordei vnc. iiij. M. pro syr.

Loco decocti cum syr. propositis vti potestis aquis stillatitijs, betonicæ, endiuiæ, acetolæ. an. vnc. ij. M. pro syr.

Si sitis admodum vrgeat, quod fit in omni ardenti, istis syr. patientes non erunt contenti. Si tamen largum potum præbeatis, periculum erit, ne ita refrigeretis humores, vt non possint concoqui. Serum caprinum potest præberi, sed ita dum præparatur, ebulliant rad. apij, fœniculi recentis, aut semina ipsius fœniculi, hac ratione præbe ad ij. iij. vel iiij. lib.

Pariter in aqua hord. incoque beton. agrim. radices apij, aut vnam, vel alteram guttam olei euchalcanto.

Præparatos humores oportet expurgare per vomitum, aluum, vrinam, sudores.

Vomitus Quantum ad vomitum: quamquam materia sit calida, quia tamen admixta pituita, attenuanda vomitoriis, non aqua hordacea, vt supra, vsus syr. acetos. simpl. cum iure apii vel simili, vel ex consilio Gal. prouocatur post cibum.

Clysteres. Clysteres non sint admodum acres, nec admodum refrigerantes. Non acres, nam periculum est, ne ex acribus salsa pituita in intestina ducatur, & dysenteria subsequatur:

Debent

Debent itaque esse moderati, ex decocto hordei: si flatus adsint, adde mel. ros. ol. cham. A

Quantum ad medicamentum Purgans, in bolo erit tale:

℞. fl. cass. nou. extr. vnc. j.
diaphœn. drach. iij.
man. el. drach. j. ß.
sem. citr. drach. ß. M.
Et f. sacch. f. boli.

Potio.

Recip. agar. troch. scrupul. iiij.
rhab. el. drach. ß. infundantur f. a. in decoct. fl. & fruct. cordial aut in sero caprino, & f. express. adde mel. ros sol. vnc. iij. syr. ros. vnc. ij. M. f potio.

B

Diuretica. Quantum ad Diuretica, & Sudorifica, videndum dum febris ardens ex pituita salsa habeat vrinæ interceptionem, seu stranguriam, necne? Nam intellexistis ex Hipp. 4. acut. 13. inter cetera signa esse stranguriam: sit dabit, non est impedienda, imo adiuuanda, quia vtiliter quandoque materia hos humores per has vias expurgat. Nam Gal. 2. in 1. epid. 41. febres ardentes soluebantur in ijs, quibus fiebat strangaria. Itaque Symptoma non perniciosum: sed tunc debetis saltem acrimoniam humoris mitigare decocto ex seminibus frigidis, tam maioribus, quam minoribus; ex seminibus inquam cucurbitarum, endiuiæ, scariolæ, cichorij. Emulsio etiam ex istis seminibus, serum caprinum cum his emulsionibus, aut decoctum cum plantagine, nymph. portul. liquiritia, malua, granis sebesten, potest vrinas prouocare. Si nulla adsit stranguria, mouendæ vrinæ etiam efficacioribus remedijs: adde prædictis radices apij, asparagi, petroselini, fœniculi, &c. Obseruanda præterea omnia, quæ à natura tentantur. Nam Hippoc. 4. acut. c. 17. aliquando in his febribus fiunt abscessus: dicit in com. fieri abscessus ad partes inferiores, &c. Itaque in huiusmodi casu pronaturę propensione debetis & vos remediis vti: vt si abscessus sit post aurem, diachylone, cucurbitulis non scarificatis; si non soluentibus, vtendum, vt dixi, quæ textu sequenti Hipp. vocantur sorbitiones attractoriæ. C

Ptisana apud Hipp. vocatur sorbitio, quando commiscentur medicamenta, est attractoria sorbitio. D

Sudorifica. Quantum ad exteriora per cutem euacuantia attinet, est contradictio insignis inter Auic. & Gal. 3. acut. vlt. balneum in ardentibus ex pituita salsa non conuenit, & ratio, inquit, quia hæc natura non est apta, vt possit digeri. Tamen Auic. in causi curatione probat, & nemo hoc dicit, pręter Auicennam, vt putem, textum esse mendosum, & legendum minus vtendum balneis, quia nec taxat, nec refutat Galenum, vt solet in aliis. Patet id in febre sanguinea, quã statim describit post biliosas, & ego quoque concors cum Auiccena de hac nunc dicam, &c.

De febre synocho, seu sanguine a continente conclusa. Cap. XXXV.

Quid synochus. Est febris sanguinea febris synochus, continens, conclusa, à continuo quodam feruore, quod nullas prorsus a principio ad finẽ habeat exacerbationes.

Huiusmodi febris propriè accepta est febris continua continens ex sanguine putrescente intra vasa magna, vel communia, vel saltem maiora, & cordi proxima.

Quatenus est continens, distinguitur ab omni periodica, scilicet, sanguinea, biliosa, pituitosa, melancholica, quatenus a sanguine putrescente: a sanguinea non putrida, quę ex sententia Galeni lib. 9. meth. cap. 5. media est inter ephemeras, & spurias. Per vasa communia intelligere oportet venas communes totius corporis, vt prauas, aut saltem maximas, quæ sunt in vtero, iecore, ventriculo, pulmonibus, cõsequenter à locis cordis proximis. Hæc est explicatio rudis febris sanguineæ.

Diximus esse ex sanguine. Per sanguinem intelligimus ichores sanguinis, & corpoream substantiam ipsam sanguinis.

In præsenti casu est dubium, an ichores, vel humores intelligantur. nam scriptores varij synochos benigniores ex ichore sanguinis fieri dicunt. Ego existimo, posse quidem in febribus synochis ichores sanguinis putrescente: sed quod fiat febris synochus benigna, falsum apud Gal. 2. in 6. epid. 38. vbi citat locum Hippoc. 2. epid. sect. 1. vbi vult ichores putrescentes aliquando malignas febres excitare. Itaque non valet: Ichor putrescit: Ergo febris non potest esse pestilens.

Sed pręterea dico, posse etiam massam sanguinis putrescere, absque eo quod febris sit pestilens. Nec accipio eorum sententiam, qui existimant, huius ebullitionem esse tantùm semiputredinem. Docuit exemplo viui acescentis 2. aph. com. 17.

Num putrescat sanguis sub propria forma. Verùm maior difficultas: num, cùm putrescit sanguis, putrescat sub propria, an aliena forma? Nam quod putrescat, patet ex lib. 9. meth. cap. 5. vbi loquitur de vtraque synocho, & repetit lib. 11. meth. cap. 9. quando inquit: *Initium à putredine, quæ totum corpus occupat, sumemus, quæ ipsa continua quoque febres, quas synochos vocant, excitet, &c.* Sed num putrescat sub propria an aliena forma? Quid intelligendum per propriam formam, quid per alienam? Per propriam, quando putrescit quatenus est sanguis, sicut bilis sub propria forma, facit febrem. Sub aliena, quando, cùm putrescit, conuertitur ratione partis tenuioris in bilem, crassioris in melancholiam; tùm sanguis dicitur putrescere sub aliena forma, quia mutatus est aliqua ex parte in bilem, aliqua in melancholiam. Quæritur numquid huiusmodi sanguis putrescat sub hac propria, an sub aliena forma? Existimauit

mauit Auic. & alij, Gal. putasse semper sanguinem posse putrescere sub aliena forma. Quod accipiunt ex 2. loc. lib. 2. scil. de diff. febrium. c.9. & lib. 2. de cris. c. 12. In his videtur satis apertè docuisse, febrem sanguineam, vel sanguinem nunquam sub propria forma putrescere, vt lib. 2. de cris. c. 12. Tandem subiungit, omnes tandem febres tres tantùm esse. Hoc cum arbitraretur Auicen. inuectus est in Gal. Et varia habet argumenta, quæ satis valida, si Galen. hoc senserit. Sed nunquam hoc sensit, sed lib. 1. de diff. febribus cap. 6. in principio capitis inquit. *Humorum autem putredo, quæ in vasis fit, similis est ei, quę in inflammationibus atque abscessibus accidit, alijsque collectionibus, duplex quidem secundum genus. Ex duorum autem genreum miscella alia tertia secundum species euariat, quoniam & innumerabiles miscellæ modi in eo, quod magis, & minus, reperiuntur. At duorum generum alterum, quod fit superante natura, alterum vero superata.* Sed sic est, quòd in inflammalione sanguis non semper conuertitur in materiam bilis, vel melancholiæ, sed in pus. Experientia hoc docuit. Si docet nos hoc: Ergo sequitur, sanguinem posse putrescere sub propria forma. Et constituetur febris diuersa à Quotidiana, Tertiana & Quartana. Si hoc non concesserimus, non potest Galenus vindicari à contradictione. Loquitur itaque Gal. loco citato de febribus omnibus periodicis, & cognouit, quandoq; etiam sanguinem putrescentem posse facere febrem periodicam, quando est biliosus, & mittitur ad locum aliquem determinatum. Tunc temporis sanguis pro parte cõuertitur in bilem, quæ habet naturam tertianæ. Et hac ratione habentur tantum tres febres, si loquimur de periodicis. Sed non sequitur; ergo non datur continua lib. 2. de differ. feb. c. 2. Synochus febris, vt dicebam, non fit ex ichoribus putrescentibus tantùm, verum etiam ex ipsa sanguinis massa; neque ex semiputredine saltem, quæ facit febrem synochum imputridam: neque etiam ex sanguine tantum sub aliena forma putrescente, vt Auic. Galeno imputauit: verùm *ex sanguine sub propria forma putrescente*, quando conuertitur in pus vel materiam puri similem. lib. 1. de diff. feb. cap. 7.

Quod sit

Nec dicat quis, hanc febrem tunc appellandam febrem, quia aliud est fieri ex sanguine, qui mutatur in pus; aliud fieri iam ex toto in pus mutato. Non dico, fieri febrem ipsam ex pure ipso, sed ex sanguine, qui iam in pus mutatur. Propterea Hippocrat. 2. aphoris. 47. dum pus fit, dolores & febres exacerbantur: inquit, circa generationem puris dolores & febres magis contingunt quam facto iam ipso.

Habetis itaque, dari synochum ex sanguine putrescente in propria forma lib. 9. meth. c. 4. 5. 6. & lib. 11. meth. c. 9. *Datur tamen etiam synochus, in qua putrescit sanguis sub aliena forma*, de qua nunc non loquimur, sed sumus locuti de hac in febribus biliosis.

Locus affectus.

Putrescit hic sanguis in vasis communibus, indeterminatis, *extra vasa aliquando*. De communibus agitur. lib. 11. meth. capit. 9. & sequentibus.

Sed de illo in loco determinato cum, & citra inflammationem. 1. in 6. epid. comm. 2. fere in fine, vbi scribit: *inter omnes corporis partes, plurimas grandissimasque venas vteri habent. Cumque eos aut menses, aut a partu purgamenta suppressa, aut phlegmone aliqua, vt cumque orta, malè accipiunt, ipsos sanguine compleri necesse est: quo deinde putrescente, si febris excitetur, in synochorum speciem ipsam connumerare opus est (nam id genus febrium, ex sanguine accendi ostensum est.)*

Differentia a motus.

Ex quibus colligo differentias synochi præcipuas & caussas mediatas. Nam hauriuntur differētię, partim à modo motus: quia omnia synochus, aut semper augetur, imminuitur, vel semper in eodem statu manet.

Febrem, quæ semper augetur, vocat Gal: lib. 2. de cris. capit. 6. Epacmasticam: eam quæ semper in eodem statu, ὁμότονον, seu acmasticam: Contra eam, quæ semper decrescit, paracmasticam.

Fiunt. Differentiæ pro varia transpiratione, vel retenta, vel excreta. Nam si plus retinetur, facit Synochum, quæ semper augetur: & sic de ceteris.

Ratione loci desumitur; quia Synochus, quandoque fit ex sanguine putrescente in vasis communibus, vel determinatis.

Quantum ad Caussam, quia aliquando fit ex sanguine præualente ceteris omnibus humoribus, siue seruata, siue non seruata veteri proportione: aliquando autem hic sanguis putrescit acceptus non pro quarto humore, sed tota sanguinis massa.

Caussa putredinis.

Caussæ putredinis sunt ex parte Facultatis, Obiecti, vel Instrumenti.

Facultates, quando scilicet, venarum temperies est ita imbecillis reddita, vt non amplius possit regere sanguinem in ipsis contentum. Galenus de hoc libro secundo, de different. febr. cap. 9.

Obiecti, quando sanguis ipse ita abundat, vt propter nimiam copiam suffocet calorem natiuum venarum.

Ratio copia sanguinis.

Tertiò, ex parte loci: vbi hic est admodum calidus, & humidus. Si quis quęrat caussas, propter quas huiusmodi sanguis mirandum in modum augeatur, vt fiat putredo in vniuersalibus: Breuius ad hoc respondeo; sunt omnes propter quas sanguis augetur, vel non potest transpirare. Augetur ex temperamento cipis optimi succi, excisione alicuius membri, & propter suppressas excretiones.

Signa cõtinua cõtinentis.

Signa huius febris, alia sunt febris, vt est continua continens, alia vt est sanguinea, alia vt est

vt est sanguinea putrida, alia vt continua putrida, sanguinea benigna.

Continua continens cognoscitur ex continuo feruore.

Sanguinea. Vt sanguinea ex habitu corporis pleno, colore rubicundo, copioso victu.

Putrida. Putrescens ex pulsu potissimum, quem oportet habere systolen celeriorem diastole: Præterea ex vrinis, quę sunt magis rubicundæ & crassæ, Pręterea calor sanguineę putridę est magis mordax, adsuntq. symptomata grauiora.

Putrida benigna. Cognoscetis denique etiam, putridam, sed benignam ex pulsibus, & calore, nam pulsus, quamquam obtineat illam inęqualitatem, in qua systole celerior est diastole; sunt maximi, suntq; ęquales, præterea vehementes; in maligna debiles.

Differunt etiam calore. In maligna exteriora non calent, in his secus.

Prognostica. Hæc febris, quatenus continua, est periculosa: sed cùm benigna fuerit, si à principio debitis remedijs tractetur, est facilis curationis, nisi tamen sit spuria. *Si exquisita sit, rarò transit septimum diem: si spuria: peruenit ad decimam quartam.*

Curatur potissimum chirurgico instrumento· quod si non sit satis, ad pharmaciam etiam est accedendum.

Vena sectio. Quantum ad Chirurgiam. Galen. quem imitatur Auic. laudat venæ sectionem vsque ad animi deliquium. Et profectò, si in vllo casu conuenit, in hoc conuenit in quo prę ceteris humoribus abundat sanguis. Sed quia rarò omnes istæ conditiones simul & semel inueniri possunt, vt plenitudo quo ad vasa ad sit siq. legitima, vires constantes non adsit putredo admodum insignis; ideirco tutiùs, vt infra mittatur: propterea lib. 9. meth.c. 10. scribit, multa mala ex huiusmodi sanguinis euacuatione quandoque successisse, & quæ sequuntur, ita vt fugienda, quod & ego consulo.

Itaque, si corpus plenum mittatur ad lib. j. ad vnc. xvj. ad lib. ij. etiam: ad lypothymiam verò vsque non deueniatis, sed potiùs repetatis bis, ter, bis venam secare, semel cucurbitulas adhibere, tutius est.

Quantum ad vsum secandi venam: In synochis ex vasis communibus eligatis venam communem in cubito. Si synochus ex vtero, quæ sit absque inflammatione partium. Si incipiat inflammatio primùm in cubito, postea inferiores.

Hirudines. Præter sectionem venæ, quo secetur etiam statim à principio, sin minus, quarto, 5.7. die, si non citius fueritis vocati præmissa tamen euacuatione per clysterem, sunt etiam alię operationes chirurgicæ, Hirudines, & in ijs in quibus venæ hęmorrhoidiales solent sanguinem euacuare, & in ijs, in quibus non; & Cucurbitulæ, quas Galenus proponit, quoniã non pót per sectã venã; ego tamen magis laudo hirudines.

Pharmacia. Quantum ad Pharmaciam; lenienda est aluus eo modo, quo in febre biliosa; sanguis enim non habet proprium medicamentum, quo possit leniri: sed quia sanguis feruidus, in quo semper bilis dominatur, propterea conueniunt ea, quę biliosis, syr. viol. pulp. tamar. vel in bolo, vel potu. serum caprinum, &c.

Alterantia. Quantum ad alterantia, in febribus sanguineis, sunt multiplicia, Auic. proponit incrassantia, attenuantia, refrigerantia, & exiccantia, quę omniam conueniunt.

Quantùm ad incrassantia, alias dixi meam sententiam. Nam quamquam Auic. proposuit incrassationem in his moribus tenuibus: mihi tamen in his humoribus non probantur, & potissimùm in synocho. quia incrassantia augent obstructionem; alia tria conueniunt, sed quodam ordine singula singulis locis, & temporibus.

Refrigerantia. Quantum ad refrigerantia summa, non conueniunt in principio synochi; Refrigerans in summo est frigidę potus, qui non conuenit in principio, sed conueniunt attenuantia, & exiccantia. attenuantia, vt apperiant obstructiones, & præbeant aditum medicamentis: sed hæc attenuantia non debent esse calida Conuenit syr. acetosus, teste Gal. lib, 11. met. cap. 9. probat syrupum acetosum cum aqua hordeacea, in qua incoquantur acetosa, capillus veneris (dimittatis apium) cichorea, Endiuia, semina frigida, melonum, cucurbitarum, &c.

Siccãtia. Quantum ad siccantia inter hæc probat Auic. decoctum lentium excorticatarum, quæ materia præsidij est accommodata ad exiccandam sanguinis humiditatem. Quo in loco cogor dicere, vt euellam errorem eorum, qui in omnibus variolis etiam apparentibus his, toto tempore præbent decoctum lentium, nescio quo fundamento. Dicunt, quia excitat, & promouet excretionem materie noxiæ ad cutim. nesciunt quid dicant. potiùs impediet de coctum lentium. probatur Arabibus in sanguine ebulliente vt compescatur antequam fluat ad cutẽ. Conueniunt igitur exiccantia; eligetem tamen ego pręstantiora, vt sunt fucci, de quibus superius, citri limonum, arantiorum cetos. decoctum acetosæ, quæ exiccant & simul refrigerant. Attenuatis humoribus, & exiccata humiditate, tempus est præbere aquam frigidam, & eo modo, quo in febre ardente.

Hoc facto, si febris adhuc persistat, oportet vti purgantibus per aluum, vrinas, sudores, & cutem ipsam apetire. Ad expurgandum conueniunt quæ bilem educunt: ad sudores & vrinas, declinante ea, ad radicem apij etiam potestis deuenire, & exterius aliqua inunctione relaxante vti.

Victus ratio. His addenda victus ratio admodum tenuis, prisana absque ouis, pro potu aqua simplex, si sint assueti.

De

De Febribus pituitosis, seu quotidianis, intermittentibus, & continuis, Epiala, Syncopali humorosa, &c. Cap. XXXVI.

POst biliosas, & sanguineas febres, cum Auic. de pituitosis agam: sunt autem Pituitosæ febres in duplici potissimum differentia: frequentiores & magis vulgares: minus frequentes, minusq. vulgares. Inter frequentiores reperio Quotidianam Intermittentem, Quotidianam continuam periodicam, quotidianam continuam continentem, quam ego puto apud Auic. esse Laticam.

Minus frequentes apud Auic. variæ sunt; apud Galenum est vnica Epiala. Auic. tres commemorat differentias febrium, quibus adest insignis quædam caloris, & frigoris inæqualitas, prima in qua frigus internum est maximum, exteriora calent, quæ Auic. Epiala.

2 In qua interiora calida, exteriora frigida sunt. Auic. vocat lypriam.

3 In qua eodem tempore, eodemq. loco tam interiore quam exteriore calor, & frigus ad sunt, quam innominatam relinquit. Præter istas est febris syncopalis humorosa, & diurna & nocturna, quæ differentiæ nil constituunt reale.

Loquar primo de frequentioribus & magis vulgariter grassantibus, deinceps de cæteris.

Quotidiana intermittens. Quotidiana intermittens antiquioribus, Amphimerina vocatur. Quotidiana auté continua, sed periodica pariter antiquis, & Gal. lib. 2. de diff. febr. c. 7. dicitur amphimerina continua, quamquam Medici sui temporis hanc catamerinam vocarint.

Continua vero pituitosa continens apud Auic. latica dicitur à latendo, quod est ita occulta continua, vt quemadmodum docet proprio capite, sit similis hecticæ. Græcis puto duobus nominibus esse vocatam ἠλώδην, idest, impuram humidam scil. & Typhoden. Elodes à continuo madore, seu sudore, quem habet perpetuum ex vniuerso corporis ambitu, aduersus Glycum cap. 2. vocatur etiam Typhodes, quasi succensa quod habere videatur materiam, quæ per partem post partem paulatim incenditur de hac Gal. loc. cit. & sect. 1 aph. 12. vbi inquit esse continuam, & longiorem, &c. de his etiam febribus Elode, & Typhode, com. 42. aph. sect. 7

Causa. Istæ omnes febres ex vnica oriuntur causa ex materia Pituitosa, sed vel insipida, vel dulci.

Vt hanc differentiam intelligatis. sciendum est varias dari pituitæ differentias, insipida, dulcis, mucus narium, vitrea, acida, mucilaginosa, salsa. Adest præterea succus crudus, qui est distinctum quid ab hac specie pituitæ lib. 2. de nat. fac. c vlt. lib. 4. de tuend. val. c. 4. & lib. 3. de alim. fac. cap. 33. His locis dingui ostendit succum crudum à pituita, quod hic est materia magis crassa, lenta, frigida, concoctum difficilior, quàm pituita: propterea lib. de alim. fac. dicebat hunc succum generari

A præcipuè ex vsu piscium crustaceorum.

Quamquam autem tot Pituitæ differentiæ reperiantur, nihilominus, vt lib. 2. de diff. febr. cap. 6. testatur, omnes tandem redigi possunt ad tres, quarum prima continet pituitatem, vel dulcem, vel insipidam vocatam, in qua specie ponitur pituita dulcis, insipida, & mucus narium. In secunda vitrea, mucilaginosa, acida, & succus crudus. Sub tertia est pituita salsa, & consequenter calida, & acris. Itaque cum tantùm tres sint differentiæ, oriuntur etiam tria præcipua febrium pituitosarum genera. 1. Quod fit ex pituita salsa, de quo in superioribus lectionibus diximus, & pertinet ad ardentes. Ex vitrea, vel mucosa, vel

B succo crudo, vel acida fit Epiala Galeno vocata de febribus enim Auic. loquar postea, ex insipida, dulci, & muco narium quotidiana intermittens, periodica, & latica. *Materia Epialæ.*

Porro hæc pituita dulcis, vel insipida potest esse excrementitia, aut alimentalis. Excrementitia vtilis, inutilis. Inutilis est mucus narium: vtilis pituita dulcis in ventriculo, & venis. *Alimentalis est illa, quæ in venis continetur pro quarto humore.* Itaque huiusmodi febres propositæ oriuntur ex pituita vtili, inutili, & aliquando alimentali.

Inutilis facit intermittentes, aliquando tamen etiam continuas periodicas, & locus putredinis est cerebrum. Tunc febres pituitosæ catarrhales, quarum aliquæ sunt intermittentes, quando materia est ita pauca vt possit di-

C geri, antequam noua proueniat motio humoris; si crassa faciet etiam continuam periodicam.

Vtilis quandoque facit Quotidianam intermittentem, periodicam, laticam, qui humor magna ex parte in ventriculo colligitur, vbi abundat; aliquando facit Intermittentem, quando portio mittit vapores & minoris portionis substantiam in venas.

Fit Continua periodica, si magna pars huius humoris transmittatur in venas, vt tota ante nouam accessionem non possint digeri.

Fit Latica, quando hic humor peccat in venis totius corporis, vel saltem maioribus.

Causa igitur & locus, ex quibus fiunt tales febres sunt istæ.

D Mediatæ vero causæ sunt naturales, & non naturales.

Naturales, temperamentum frigidum, & humidum: habitus obesus, sexus muliebris, ætas senilis.

Non naturales, regio, constitutio, tempus anni frigidum, & humidum, pluuiosum, australe, vsus olerum, piscium, lacticiniorum, nimius aquę potus, nimia cibi assumptio, otium, exercitij intermissio, retentio euacuationum consuetarum. Huc pertinent ad quotidianas magis vulgares.

Quantum ad alijs; Galenus vnicam proponit Epialam: Auicen. tres. & in proponenda Epiala differt à Gal. & Epialam Gal. relinquit

quit innominatam, & aliam Epialam nominat. A

Epiala Galeni.

Apud Galenum Epiala est, in qua vno tempore in omnibus corporis partibus frigus, & calor simul sentiuntur, vt propterea, sicut docet lib. de inæq. intemp. c. 8. quamquam in omnibus putridis adsit inæqualis intemperies, in alijs non reperitur omni tempore, nec omnibus partubus, sed tantùm in Epiala: nam Exemplis gratia reliquæ habent inæqualitatem tantum in principio, Epiala verò toto morbi tempore.

Caussæ Epialæ Galeni.

Causam retulit Gal. l. c. & lib. 2. de diff. feb. c. 8. & est pituita vitrea, mucosa, acida, vel succus crudus, quæ pituita ex partem putrescit, ex parte non. Ratione eius, quæ putrescit sentitur calor: ratione eius, quæ non, sentitur frigus: vt locus non sit vnicus, sed omnes corporis partes. Oportet in hac febre distributam esse materiam pituitosam per totius corporis partes. Hanc Gal. lib. de inæq. intemp. c. 1. inquit vniuersalem, & totius corporis inæqualem intemperiem esse: B

Quando in Epiala una eademq; parte crustur calor, & frigus.

Si quis quærat causam, cur portio putrescat, portio non? Est dissimilitudo partium. Terrestres contrahunt putredinem; tenuiores non: nec miretur aliquis in vna parte posse humorem putridum, & non putridum, calidum, & non calidum reperiri: nam loquimur de parte organica. Causa generationis huius humoris non differt à causis paulò ante relatis Hæc est Epiala Galeni.

Epiala Auicennæ mihi videtur esse somnium C ego non potui videre: Inquit, est febris, in qua interiora sunt frigida, exteriora calida: primum res videtur admodum dura, reperire febres tales, &c. Videtur prorsus febris contraria; nam febris est propria passio cordis.

Dicet quis poterit esse calor in corde, non in ventriculo, intestinis, &c. Est imaginatium, si est materia in corde, vel parte proxima, oportet vehementissimum excitari calorem, hunc esse vehementissimum, ostendit etiam ipsius Auicennæ consilium: dum scribit communicari partibus externis, quamobrem non est partis propinquæ.

Si dicat, quod materia non sit cordis proxima, dico si materia est ita calida, vt possit cor calefacere, multò magis calidus erit locus, in quo D continetur. Gal quidem lib. 2. de diff. febr. c. 6. inquit, abundante pituita vitrea aliquando fieri rigorem vehementissimum absq; febre: sed non scribit, propterea eo tempore exteriora esse calida. Et puto Auicennam fuisse deceptum ab aliquo textu deprauato. Itaque apud me non datur huiusmodi febris.

Quantum ad secundam Lipyriam, datur apud Galenum, sed diuersa ab Auicenna. Galenus non nouit aliam nisi ardentissimam, in quâ exteriores partes algent, interiores vruntur. idque in 2. casibus. 1. quando viscera inflammatione tentantur. 2. quando est maligna. 4. aph. 43. 48. Auicennas hac etiam in parte est quædam commentatus; nihil ad rem: imaginatur aliam lipyriam, & tertiam præter istam.

Prima quando materia pituitosa, vel biliosa pauca putrescit leui putredine, vt non possit calor communicari partibus exterioribus; quam suppositum falsum: nam si calor sit ita exilis, vt non communicetur partibus externis, non communicabitur etiam cordi.

Alia quoque & secunda est prorsus imaginaria; Inquit, fit lipyria ex materia pituitosa propter huius ebullitionem; dum ebullit, eleuantur quidam vapores, &c. aliud est loqui de calamis, aliud de humanis corporibus.

Tertia est, potest admitti, adesse calorem in materia pituitosa interius, non posse communicari externis propter abundantiam succi frigidi pituitosi, &c. Tertia illa febris est Epiala Galeni, propterea illam non explico, & finem facio.

Syncopalis humorosa.

Inter pituitosas febres, reponit etiam Auic. Syncopalem humorosam vocatam: loquitur quinetiam de syncopali minuta, quas duas etiã describit. Gal. lib. 12. meth. cap. 3. locutus est de illa, quam Auic. Humorosam vocat cap. 6. quã Minutam.

Et sanè licet mirari, cur Auic. in tractandis febribus pituitosi syncopalem minutam connumeret: cum tamen & ipse doceat, & colligatur ex Gal. lec. cit. quam ex humoribus calidis tenuissimis excitatur, qui ad os ventriculi cõfluunt, vt propterea videatur potius inter biliosas enumeranda, nihilominus puto Auicennam excusari posse, quia arbitratus est, hanc febrem ex quibuscumque tenuibus humoribus excitari posse. de vtraque tamen loquemur ad pleniorem febrium naturam.

Syncopalis minuta.

Sycopalis minuta est febris, cui annectitur syncope, quæ fit ex humore calido tenui ad os ventriculi, quod os exsoluitur, & communicata materia arterijs sequitur syncope:

Syncopalis humorosa.

Syncopalis autem humorosa, in qua syncope connectitur ex leuissima quacumque causa quacumque motione statim incidunt in syncopen. Fit huiusmodi febris ex fluxione humoris pituitosi putridi corrupti ad os ventriculi cum eiusdem imbecillitate, qui humor est vitreus, humor crudus, pituita ipsa. Hæc de caussis pituitosarum febrium. Venio ad Signa.

Signa.

Pituitosæ febres varia habent signa, quorum aliqua ostendunt febrem pituitosam, vt pituitosa est alia pituitosam ex pituita dulci intermittentem distinctam à Continua, Periodica, & Latica.

Aliaquæ producitur à pituita mucilaginosa, vel vitrea talia quã syncopalem humorosam & minutam.

Pituitosæ ex pituitosa est à rebus naturalibus.

Quantum ad priora Signa, capiuntur à rebus non naturalibus, naturalibus, & præter naturam. Naturalibus, temperamento frigido & humido habitu obeso, pingui, & carnoso, ætate senili, sexu muliebri.

Non naturalibus

Non naturalibus: constitutionę frigida, & humida, longitudine somni, omissa exercitatione, suppressis consuetis euacuationibus, & à vita anteacta, quando scilicet fuerit

M assuetus

assuetus visui fractum, si fuerit visus aqua in maxima copia. Possunt istæ omnes causæ manu ducere nos in cognitionem.

Preternaturalib. His annectuntur res præter naturam: capiũtur autem ab actionibus læsis, excrementis mutatis, & qualitatibus.

Quantum ad Actiones læsas: pulsus sunt parui, non admodum frequentes, semper inæquales, & inæqualitate systematica, vt inæqualitas vnius pulsus. Quæ signa ex Galeno lib. 2 de diff. febrium capite 3. & libro 2. de crisi c. 5. habentur. Non sunt tamen perpetuò parui, sed tantùm principio, & parte augmenti, & in illis pituitosis, in quibus focus putredinis est circa os ventriculi, in alijs secus. Nam quod lib. 2. de crisi c. 5. scribit intelligendum est de pulsibus Quotianarum. Quantum pertinet ad alias actiones, somni admodum profundi, corpus ignauum ad quascumque motiones inepissimum, oscitationes frequentissimæ, & valde longæ, habetq. febris multas superexacerbationes vna & eadem die, quod fit, vbi locus materiæ putrescentis est circa ventriculum.

Quantum ad excrementa: in istis lotium est magna ex parte in principio tenue absque contento, in progressu, præcipue post vsum diu reticorum, incipit fieri album quidem sed crassum: progrediente adhuc magis febre, vrina est varia. Hoc fit, quando natura iam aggreditur concoctionem huius humoris pituitosi, cõuertit pituitam in sanguinem.

Excrementa etiam alui, & quæ per vomitũ exeunt, omnia sunt pituitosa.

In his etiam partibus est quidam mador. non dico esse sudorem: nam Auicen. scribit non apparere sudorem in pituitosis in declinatione, non in principio, qua sermo est de sudore critico. Galen. autem loquitur de declinatione particulari. Itaque si sermo sit de huiusmodi sudoribus criticis, profectò non apparent in principio, nec declinatione. sed, si sermo sit de quodam madore, concomitatur perpetuo febrẽ pituitosam etiam in principio.

Quantum ad calorem, non est admodum intensus, & principio apparet mitis, & paulò post insurgit. Propterea Hippocrat. 1. in 6. Epid. 29. vocauit has febres post insurgentes: Calor in his non est æqualis, quasi videretur hic calor exire per cribrum, libro secundo de diff. febr. capite 9. & Auicen. nam dum pituitosa materia ebullitionem facit, aliqua pars tantùm ebullit. Sic cognoscuntur pituitosæ, vt pituitosæ.

Signa pituitosæ ex pituita insipida vel dulci. Cognoscetis autem esse pituitosam ex pituita insipida, vel dulci. quia ex tali pituita non incipiunt cum horrore nec rigore, sed refrigeratione tantùm, libro secundo de diff. febr. capite quinto.

Præterea ex symptomaticis sunt mitiores, non habet syncopen connexam, præterea cognoscetis illas ex pituita vitrea. quia adest calor, & frigus insigne, ac incipiunt cum validissimo rigore, sed non cum refrigeratione, ad differentiam biliosarum, vt videantur quasi gelascere. Accedit, quod habet connexa symptomata proposita, præcipuè syncopen, nam non prouenit ex materia alimentali.

Accedit aliud signum, quod proponit Auic. cap. illius febris, quam vocat Epialam: inquit hæc febris non inuadit quotidiè, sed quandoque de tertio in tertium, quarto in quartum. vidit Auicenn. statum dubium, & dicit; ergo erit febris tertiana, aut quartana. Soluit dubium Auic. & eo modo, quo & ego: Quamquam inuadat de tertio in tertium 4. in 4. nõ debet appellari tertiana, nec quartana, sed quotidiana, quatenus nomen quotidianæ applicatur febribus pituitosis. qui locus manifestissimus.

Accedit quod in febribus ex pituita vitrea vniuersum corpus est pallidum, aliquando coloris plumbei, sunt valdè ignaui ad quascumque actiones.

Quotidianæ intermittentis piodica. Ex dictis conoscetis omnes febres pituitosas. nam quoudianam intermittentẽ cognoscetis, quãdo 18. horas affligit, 6. enim intermittit.

Periodicam, si satis grauiter affligat 18 horas, & 6. habeat intermissionem non manifestam tamen.

Latica. Latica, si habeat omnes conditiones febris pituitosę, & tamen sit continua sine omni exacerbatione.

Est pituitosa continua continens. quas febres ego sępiùs vidi, & aliquando etiam curaui. Sed existimo esse erratum in textu Auic. in descriptione huius febris, inquit, *est cum refrigeratione, &c. & est similis becticę.* & propterea pro hoc legendum esse puto sine horrore, rigore, & refrigeratione, & esse similem hecticę.

Syncopalis humorosa. Syncopalis Humorosa cognoscitur ex signis, quæ dixi concomitari febrem Epialam seu ex pituita vitrea, habitus est cachecticus totius corporis, & contingit illa syncope ex leuissima occasione.

Minuta Syncopalis Minuta cognoscitur ex habitu gracili, naribus acutis, quod propter inediam statim incidunt in syncopen: Propter internam causam statim exsoluuntur, quasi diu vigiliassent, vel immodica venere vsi essent. Excrementa quoque in his apparent valdè tenuia, calida, & biliosa.

Progn. Omnes pituitosæ sunt satis prolixæ, curatu difficiles, apud Auicenn. quidem terminus dierum 64. sed nullus est certus, quia materia pituitosa valdè in se est diuersa, & ratione substantiæ, quantitatis, loci, in quo continetur; & ratione insignis labis partium: nam aliquando intemperies est confirmata, diuturna: Denique est proeter errores in viuendi ratione, quæ est fere vnica, & pręcipua causa, quamobrem febris quotidiana in longius procedat.

Exempla ego habeo multa in Virginibus monialibus quibus non potui persuadere victũ tenuem, & semel indie.

Ni si

Nisi accedant aliæ conditiones, ex sui naturâ non sunt lethales, sed Latica admodum periculosa, & facile potest desinere in hecticam.

Periculosa etiam est Syncopalis humorosa, quia expetunt istæ validissimas euacuationes, & tamen non possunt administrari.

Curatio quotidiana ex pituita dulci. Venio modò ad Curationem, quę habet tres præcipuas intentiones (nam pro nunc omitto intentionem à febre sumptam: à calore magis vrget causa, quàm febris.) Prima, vt humor pituitosus euacuetur: secunda, vt calefiat, & exsiccetur; tertias attenuetur, & incidatur.

Venæ sectio. Quantum ad euacuationem, Græci de nulla prorsus sanguinis missione mentionem faciũt. Arabes inquiunt, vbi apparet vrina rubra & crassa, mittendus sanguis. Resolutio est, in pituitosa exquisita exactè, non conuenire. Est exquisita exactè, in qua omnia conspirant ad demonstrandam pituitam.

Vbi fit vel exquisita non exactè, vel spuria & cum sanguinis admixtione, in quo casu potest esse vrina crassa, & rubra, conuenit aliqua euacuatio; nec tantùm, quando apparent tales, sed etiam, quando non apparent tales, quod cognoscitur ex facie. vos respicietis potissimum ad vires.

Quando secanda v...a. Sed quantum ad tempus mittendi sanguinem, considerare oportet, an ventriculus sit refertus pituita, necne. Si sit, antequam secetur vena, sunt eradicandæ ventriculi superfluitates, vel vomitu, vel deiectionĳs. Est autem leniens in potione.

Clyster. ℞. mel. rof. sol. vnc. iiij.
Aq. beton. q. s. M. f. potio.

Hoc leniens conuenit vbi abundat pituita crassa.

Si suspicio sit etiam ſcũ crassa adesse tenuem
℞. mel rof. sol. vnc iij.
man el. vnc. ij.
aq beton. vel iuris altesati cum drach. j.
sem. citri q. s. M.
f. potio.

Si bolum voluerint.
℞. El. enit. unc. j.
man. el. unc. ß.
spec. biera. semp. drach. j. ß.
M. & sine sacch. f. boli.

Vomitus est præparandus vnc. iij. oxymel. simpl. commixtis cum vnc. viij. vel x, iuris cocti cum anetho, & cum port. cort raphani.

Si intestina murmurationes frequentes habeant, his clysteribus emendandæ.

Clyster. ℞. flor. chamom.
anethi.
melil. an. p. j.
sem. cart hami. drach. iij.
f. decoct. s. a.

℞. supradictæ decoct. lib. j.
mell.
sacch. quod uocant mellaceũ uel mel rof.
ol. chamom an. vnc. iij.
salis unc. j. M. fi. clyster.

A Toto febris tempore hi clysteres poterunt esse in vsu.

Præparandi deinde sunt humores primo solo oxymelite simpl. absque vlla decocti ad mistione singulis diebus in diluculo ij. vel iij. vnc si pituita vitrea sume vnc. ij. oxymel. simpl. & vnc. i. oxymel. scil. vel comp.

Verum euacuandum deinde vel vomitu, vel deiectorio leniente: post quam euacuationem expediat vt syrupo attenuante humores in partibus magis distantibus.

Syrup. attenuans. ℞. oxymel. simpl.
syr. de beton.
de menthe an. vnc. ß.
decoct. betonicæ.
menthæ.
agrimoniæ.
rad. apij.
petroselini.
fœniculi
orig. vnc. iiij. M. pro syrupo.

B Dubium est de Purgantibus medicamentis, vtrum administranda ante perfectam concoctionem, necne? nam ex vna parte Galen. quem sequitur Paulus & Aetius, volunt expectandam esse perfectam coctionem: Alexand. Trall. quem imitatus Auicen. voluit vt fiant frequentes, sed paruæ: per Epicrasin, quamquam humor adhuc non sit concoctus.

C Et profecto hæc sententia mihi magis probatur; nam si expectatis perfectam concoctionem: primum oportet huiusmodi humorum coctionem valdo diuturnam esse, non poteritis expurgare ante 30. 50. dies. quid dicãt astantes; dicent aliqua arte vos vti, vt accipiatis pecuniam.

Accedit vbi concoctus est, poteстne euacuari vnico medicamento? Melius est paulatim & sæpe, prout materia concoquitur, paulatim expurgare. quod consilium & ego sequor, & vtor pilulis sequentibus.

Pilulæ. Recip. pil. masticbin.
aggreg. an drach. j. cũ mel. rof f. pil. 6. deaur.

D Exhibeo ij. ex illis apparente etiam aliqua rudi coctione.

Sequenti autem die medicamentum præparatorium quod præscriptum.

Si intentio magis vrget.
℞. troch. de eupat.
de capp. an. drach. j.
cum syr. byzant. f. pil. vi. deaur. Duas pariter ex his præbeo paulò ante syrup.

Sed vbi iam manifesta sunt signa coctionis, expurgandam medicamento fortioris, quale erit:

℞. agar. troc. scrup. iiij. f. inf. s. a. in oxymel. aut in decoct. beton. aut sem. citri. & facta colatura adde mel. rof. sol.
man. el. an. vnc. ij.
M. & f. potio.

Si bolum voluerit:

℞. El. lenit. drach. vj.
el. indi. aut diaphœn. drach. iij.
mann. el. drach ij.
spec. hieræ s. drach. j. ß. M.
Et cum sacchato f. boli.

Versabar in curanda Quotidiana, & erat sermo de Purgantibus tempore Status administrandis: proposui autem meam sententiam de purgantibus. Superest in præsentia, vt de vomitorijs hoc ipso tempore administrandis, diureticis, sudorificis, ac victus ratione sermo fiat.

Vomitoria administrantur in principio, & tempore coctionis.

In principio leuiora tantùm ad euacuandam materiam in ventriculo, non ad purgandas putridorum humorum reliquias in longinquis partibus.

Vomitus Tempore Status, qui & in remotis partibus persistant: Ideo lib. 1. ad Glauc. proponit vomitoria ex radiculis, infusione raphani cum decoctione, vel iure. De quibus tamen vomitorijs est dubium, num grauiora in quotidiana administranda? nam ventriculus perpetuò laborat, vt lib. 1. ad Glauc. cap. 5. & est sententia lib. 13. meth. cap. 11. numquam esse educendum per partem laborantem. Quando conuenient vomitoria ventriculo tam insigniter laborante? Galenus, vt arbitror, inquit non esse administranda, nisi priùs ventriculus roboretur. Sed est in hac parte dubium: nam si ventriculus roboratur, non erit facilis ad vomitionem: accedit, quod patiens generat semper pituitosum excrementum, & corroborare ante expurgationem est contra regularem curationem. Itaque horum vsus mihi est suspectus: sed tantùm in Principio, & Augmento: in Statu iam concocta materia tentaui potiùs, & illam superare, & euacuare per clysteres, sudorifica, diuretica. Itaque si vomitus conueniat, potius debet tentari post cibũ leuioribus, vt oxymel. simpl. vel scil. Ita censeo de vomitorijs.

Corroborantia. Quantum ad Corroborantia, conueniunt interius, & exterius.

Interiùs, diatrionpipereon diaspoliticum, aromaticum ros. Ego exhibui aliquando hoc ipso anno Theriacam ad scrup. j. & drach. ß. per 4. horas ante accessionem. Et profectò si conuenit in febre Quartana, multo magis in Quotidiana. Nam Quartana ortum ducit ex sicco humore, hæc ex humido, & frigidissimo.

Diuretica, & sudorif. Se præterea conueniunt ea ventriculum robotantia, quæ simul, & semel possun vrinas, & sudores mouere. Decocta quæ in morbis diuturnis, paralysi, &c. vsurpantur decocta ex china, sassafras, ligno Indico cum aliis oleribus, & radicibus, & seminibus accommodatissimis. Oportet autem semper respicere temperaturam, ætatem, tempus anni, nam si frigi-

℞. lign. Indici vnc. vj.
sassaf. vnc. ij.
infund. in aq. lib. x. bull. vsque ad cons. 3. partis. adde.
rad. apij.
petroselini.
fœniculi.
rusci.
aspar. an. p. ß. Iterum bull. vsque ad cons. med. & in fine adde absyn. cõ. M. ij.
methæ sicce.
agrimon. an. M. ß.
sem. anisi.
dauci.
fœn. an. vnc. j.

Facta express. seruetur pro syrupo. Dosis singulo mane erunt vnc. vj. vij. & si obstructiones vrgeant, prebe pil. ij. ex trocis. confectas, & fomenta, & limenta.

Si temperatura calidior, tempus anni calidum, & ætas iuuenilis, parabitis decoctum magis temperatum; vt

Decoctũ aliud.

℞. rad. chinarum. vn. j.
sassaf. vnc. j.
Infunde in aq. lib vj. bull. vsque ad cons. 3. qartis addendo rad. apij.
fœnic. an. p. ß.
Iterum bull. ad cons. med. addendo
beton.
agrimon.
menthæ an. M. ß.
sem anisi. vnc. j. f. express. seruetur pro syr. præbeantur vnc. vj. ut supra dictum est.

Interim exteriora non sunt prætermittenda, & pro ventriculo, & toto corpore.

Exteriora.

Pro ventriculo conuenit fomentum.

Fomentũ pro uētriculo.

℞. absint.
menthæ an. M. j.
calam. arom.
squinant.
spicæ an. M. ß.
sem. anis.
fœnic.
dauci.
cimini an. vnc. j.
bull. parum in s. q. uini albi aromatici. Et f. express. seruetur uinum pro fomento.

Post fomentum adhibe hoc ceratum.

Ceratum stomachale.

℞. laudani.
mastich. an. vnc. ß.
aloes. drach. j.
cinnamo.
garyoph.
zinzib. an. drach. ß.
ceræ.
resinæ.
tereb. q. s. M. f. Cer.

Frictiones. Pro toto corpore adhibendæ sunt frictiones ex oleo relaxante modicè digerente, quale est chamomelinum, anethinum, amygdal. dulc.

Et

Victus ratio. Et his omnibus addatur conueniens ratio, quæ in hoc est posita, vt vtantur tantum cibis alidis: & siccis, & propterea ex condimentis conueniunt condimentum ex sinapi, Patauini vocant mostardam, cappares aceto conditi, asparagi.

A

Vinum etiam post primos illos dies.

Sed quantum ad copiam, vtendum victu admodum tenui. Nam quando peccat humor pituitosus, qui potest in sanguinem conuerti, maximus est error frequenter patientem nutrire: oportet semel tantùm cibum præbere hora declinationis febris, & debet esse talis, qualem institui.

Et aduertatis, quod quamquam febris huiusmodi habeat Statum remotum, & videatur in principio requirere pleniorem victum, tamen oportet sano modo intelligere. Per Principium non intelligetis primos dies. Est error maximus, oportet tunc vti tenuissimo, & omnibus euacuantibus, sed antequam adueniat status, possunt largiùs nutriri. Et hæc est curatio Quotidianarum ex pituita dulci.

B

Quantum ad Quotidianam ex pituita vitrea, ad quotidianam laticam, hæc non differt à priori, nisi quod remedia debent esse magis temperata.

Et quantum ad victum, quia humores etiam alimentales peccant, & propterea corpus emaciatur, licet vti copiosior alimento.

Pariter quo ad Epialam, non differt à priori, nisi quòd requirat efficaciora remedia, quam ex pituita dulci. nam ortum ducit ex humore vitreo acido, omnium frigidissima, propterea conueniunt, oxymel scill. syr. de stœch. cons. ex origano, clysteres efficacissimi, purgantia validissima.

C

Victus sit potius tenuis quàm plenus.

Curatio syncopalis humorosæ. Pariter syncopalis humorosa requirit aliquam diligentiam. Est febris, in qua peccant humores pituitosi corrupti. Et quamquam corpora egent purgatione, nihilominus, si purgantur, incidunt in syncopen; propterea curatio est difficilis.

Oportet in hac re esse cautos, nec vnicam seruare regulam. considerandum an sit cum viribus iam deiectis, an habeant vires satis cōstantes.

D

Si collapsæ, non est quod tentetis. satius est paulatim nutrire, & potiùs vino, nam benè nutrit, calefacit humores, nec auget pituitam.

Quod si vires non vsque adeò sint collapsæ, consideretis, num humores sint corrupti, vt minimè possint conuerti in alimentum, an quòd possint.

Si fuerint corrupti, cognoscitur ex febre insigni, fœtore oris, vigilijs fœtore excrementorum, mordicatione ventriculi, inquit Gal. lib. 12. meth. cap. 3. rem esse desperatam: non possunt sanari, nisi euacuatio fiat, & tamen vires non sustinent.

Si tamen vllus datur curandi locus est per clysteres, ex iure' cum melle rosac. oleo chamam. sale, & ouo.

Potestis etiam vti cibo medicamentoso, vt est ptisana ipsa cum pipere aqua mulsa non admodum cocta.

Neque in præsenti mihi improbaretur aliqua portio mellis ros. sol. quod Gal. non habuit in vsu, ad vnc. j. vnc. j. ß. & sic paulatim expurgare, deinde corroborare.

Sed si humor non sit corruptus, oportet cōsiderare, an sit inflammatio circa ventriculum, vel iecur.

Si non, oportet benè sperare.

Si adsit, casus est desperatus. nam non potest expurgari neque propter vires, neque propter inflammationem.

Si non adsit inflammotio, modus curandi est lib. 12. meth. c. 3. & accipitur ab Auic. per frictiones validas totius corporis in hoc casu tantùm, vbi vires satis mediocriter constent, non adsit inflammatio: quæ facienda, primo incipiendo à costis, & descendendo ad crura validissimè vsque ad ruborem carnium, postea ad dorsum, & brachia, & iterum redeundum ad costas, & crura singulo die ter & quaternam hac ratione paulatim corpus digeritur pituita concoquitur. Cibus tamen paulatim præbendus, & clystares administrandi.

Curatio syncopalis minutæ. Denique Syncopalis Minuta, curatur opposita ratione, videlicet conuenienti alimento incrassante humores tenues, roborante os ventriculi, tertio constringentibus & non dilatantibus cutem vniuersi corporis. Ad incrassandos humores conueniunt cerebella animalium, vt agni, vituli, & partes cartilagineæ, capita vitulorum: edulia ex alica, & oryza, farina triticea, &c.

Quantū ad astringentia, omnes fructus austeri, cydonia, pyra, poma quædam, cerasa, sorbæ, & confectiones ex his, conuenit vinum austerum, & extrinsecus fouendus omnibus ipso vino austero cum myrtis, rosis, balaustiis, & corticib. granatorum coctis. Ad cutem densandam aer frigidus, aspersiones ex aqua frigida alterata cum rosis, pampinis vitis. Et hæc est curatio omnium febrium, quas reponit Auic. sub titulum quotidianarum.

De Febribus Melancholicis. Cap. XXXVII.

POst pituitosas febres Auicenam secutus de melancholicis tractabo.

Sunt autem melancholicæ sicuti, & pituitosæ quædam magis frequentes & vulgares, aliæ minùs.

Frequentius contingunt Quartanæ siue intermittentes, siue continuæ periodicæ, siue etiam continuæ continentes, quanquam rarò.

Infrequenter, quintana, sextana, 7. 8. 9. & cęteræ deinceps.

Agam priùs, & diligenter de Quartana, paucis etiam de Quintana, & cęteris.

Quartanæ febres ex humore melancholico putrescente ortum ducunt. Per humorem melancholicum intelligo Naturalem, excrementitium: per naturalem tam alimentalem, quàm vtilem, sed non alimentalem: per excrementitium omnem præternaturalem ex vstione genitum, siue ex vstione bilis, melancholię naturalis, sanguinis, pituitę, ita vt ex his omnibus melancholiæ speciebus Quartana excitetur.

Et si quis vlterius quærat, qualis sit humor alimentalis, qualis vtilis, sed non alimentalis. 4. Fen. 1. can. cap. 1. *Naturalis, & Alimentalis est duplex, qui distribuitur à iecore*, & quæ sequuntur. Alius qui distribuitur ab eodem iecore in lienem. Naturalis, sed non alimentalis ipse quoque est duplex: vnus distributus in venas communes totius corporis, vt det aliquam crassitiem sanguini alter est, qui distribuitur ab eodem iecore per venam portæ, & mesaraicas ad lienem, non vt nutriat, sed vt possit appetentiam excitare. Ex his putrescentibus fit quartana. Sed si putrescat Humor Alimentalis in venis communibus, fit Quartana Continua continens, quod tamen rarissimè accidit. Quod si huiusmodi humor peccet in liene, facere potest Continuam, sed periodicam. Nam necessarium, si peccet in his locis, etiam corrumpi excrementum. Pariter si putrescens humor sit Excrementitius, sed vtilis, ille quandoque potest facere febrem quartanam Intermittentem, quandoque Continuam periodicam continentem. Fiet intermittens si putrescat huiusmodi humor vtilis, & post triginta horas desinat, erit intermittens, &c. Ex his humoribus fit quartana exquisita.

Sed quandoque fit etiam ex Melancholia præternaturali, de qua loquitur Gal. 3. progn. com. 27. dum inquit, quartanas fieri ex humore atro, & melancholico genito ex vstione bilis, vel melancholiæ; & lib. 2. de diff. febr. c. 9. vbi loquitur de febribus sanguineis, vult quasi sanguinem crassum ex vstione in melancholiam transire; & lib. 2. de cris. c. 12. & lib. 3. de sym. caus. 2. Itaque de melancholia præternaturali genita ex vstione bilis, sanguinis, melancholiæ naturalis, nemo dubitat.

Quando ex pituita fiat melancholia

Est difficultas de melancholia genita per vstionem pituitæ. Auicen. fen. 4. lib. 1. tract. 1. cap. 4. etsi peculiari tractatu concedit febres Quartanas ex Pituita: est tamen res difficilis, quomodo humor ex sui natura frigidus, & humidus possit in calidum, & siccum transire? Respondetur à nonnullis, quibus subscribo, non ex omni pituita melancholiam generari, sed ex salsa dumtaxat. Salsus humor habet nescio quid sicci, & vbi corpora salsa vehementiùs exsiccantur, amarorem contrahont (vt assequi naturam bilis possunt ex qua potest fieri melancholia, vlteriore adustione) & fit humor hic. Nam ex pituita salsa vlterius exusta fit sapor amarus: vlteriùs progrediente, fiet etiam melancholia. Propterea videmus in externis corporibus corpus cinereum, quæ natura humoris melancholici. & propterea summa cum ratione scribit Gal. 3. prog. 27. Quartanas fieri potest febres Erraticas, quia in febribus erraticis humores incinerantur, & quartanæ excitantur, siue cineres sint ex sanguine, pituita, melancholia, &c.

Itaque hę sunt causæ, propter quas fit quartana. Ex quibus colligitur, vndenam febres quartanæ excitentur: nimirum alia ex melancholia naturali, siue sit alimentalis, siue vtilis non alimentalis: alia ex melancholia exusta, quæ postea distinguitur in quattuor differentias.

Causæ remotæ febris ex melãcholia naturali.

B Itaque febris quartana quæ generatur ex melancholia naturali, Causæ magis Remotæ sunt ex parte temperamenti habitus, ætatis, temporis, vitæ anteactæ. Quia in temperamento vel calido, & sicco, vel frigido, & sicco potest huiusmodi humor coaceruari: præterea habitus corporis gracilis, venæq; latæ multò sunt faciliora ad comparandam melancholiam. Ex ætatibus, illi, qui iam 40. annum transeunt 3. prognost. 28. tempore etiam autumni frequentiùs, quàm ęstiuo, & vernali.

Quantum ad Victus rationem, omnia cibaria, quę succum melancholicum augent, vt brassica, lentes, carnes leporinæ, animalia palustria, omnia impensè calida, vina admodum generosa, & crassæ substantię. Præter cætera cura, C anxietas animi, timor, studia, &c. Augetur etiam melancholicum excrementum ex retentis consuetis excretionibus, siue sint hæmorrgoides siue impedita sit defluxio ad crura, siue obstructus lien, potest generari quartana.

Cognoscitur primum quidem vt Quartana est ex melancholica ex causis iam dictis, si adsit temperamentum ipsum ad generandam melancholiam, ętas accommodata, tempus autumnale præcesserint cibaria iam dicta, retentæ excretiones, adqt tumor lienis, est quartana.

Signa.

Sed habet propria etiam signa. Inter cętera etiam incipit primis diebus absque horrore D cum refrigeratione vehementissima, simul cũ lassitudine vniuersi corporis ostocopo. Nam humor cum semper adhæreat periostiis ossium, non potest eo loci excerni, & facit extensionem validam.

Pulsus.

Pulsus huius febris in principio sunt admodum parui, tardi, inæquales, præcipuè inęqualitate illa febrili, in qua Systole est celerior diastoli: ad differentiam tertianæ. Pulsus præterea ad differentiam quotidianæ sunt duri. Progrediente tempore inuadit febris cum rigore, aliquando diu durat cum ostocopo de lassitudine: calor est multo magis mordax, quam in pituitosis; Propterea quo magis detinetur manus supra pulsum, eo calor deprehenditur vehementior. est calor qualis in testa ignita.

Progrediente febre fit rigor vehementiss. cum lassitudine dicta.

Vrina.

Lotium à principio est crudum tenue.

Vomitus

Vomitus Vomitus sunt magna ex parte pituitosi, quamquam abundet succus melancholicus. Nullum vidi, qui vomuerit nigrum humorem. Tentantur praeterea melancholia; tumore lienis, vigilis. Hac ratione cognoscitur febris melancholica ex naturali.

Signa continue. Non est difficile distinguere Continuam ab intermittente: Nam continua non intermittit. Distinguetis Quartanam ex melancholia exusta à naturali. quia in exusta pulsus sunt frequentiores, celeriores, sitis admodum vehemens, vigiliæ magis intensæ, calor maior, præcipuè si exustio fiat ex bile exusta, vel sanguine.

Vt verò distinguatis humores exustos inter se, oportet respicere ad habitum, & temperamentum corporis. In calido & humido exustio facta est ex sanguine exusto. In frigido & sicco cum macie corporis, colore fusco corporis. Si adsit sitis, facta exustio in humore melancholico naturali. Si temperamentum sit pituitosum, & tamen sit febris, fit ex pituita salsa in melancholiam conuersa.

Prognostica. Huiusmodi febris magna ex parte obsidet viros, in ętate consistente, in autumno, & superuenit aliis febribus, sequitur erraticas: est tamen ex sui natura salutaris, teste Hipp. 3. in 1. epid. 4. nisi vt dicit Gal. in com. habeat adnexum lienis tumorem, cuius ratione, præsertim vehementis, potest superuenire infirmitas iecoris, vt transeat in hydropem.

Est etiam periculosa, quando tumor est inflammatorius. Si vero periculosa cum tumore, multò magis periculosa, quæ habet tumorem iecoris inflammatorium, vel non inflammatorium, vt ego habui patientes Venetiis, vnum ex familia Maurocena, qui obiit ex inflammatione spuria iecoris. Habet tamen hoc boni, quod ex sententia Hipp. 6. epid. tex. 6. alli qui quartana capiuntur non tentantur aliis morbis, & si his superueniant, liberantur, & Galen. in com. inquit multos epilepticos fuisse liberatos superueniente quartana. Idem dico de aliis, vt lepra, varicibus tumore lienis, &c. Non tamen liberantur, nisi rigores huius febris mitescant 1. in 6. epid. 9. Rigores non mitescunt, sed propè statum, inquit in com. propriè sermonem esse de febribus. Quartanis, &c. Non recedit tamen breui temporis spatio, durat aliquando quatuor, 6. & vt Auic. vult 12. interdū annos. Itaque instituenda diligens huius febris curatio.

Curatio. Intentiones huius febris Curatiuæ sunt duę: prima spectat ad Materiam peccantem, quæ præcipua: altera ad Febrem ipsa. Nam de viribus non sumus sollicit. quia non admodum cadunt, magis sumus solliciti de causa, ratione cuius oportet euacuare, attenuare, incidere, calefacere, & humectare.

Venæ sectio. Quantum ad euacuationem, primum oritur consideratio de sanguinis missione: volo esse breuis, audietis resolutionem. Considerare oportet primum, qualisnam sit locus, in quo materia putrescens reperitur: an venæ communes, an verò locus determinatus, siue pars iecoris sunt, vel concaua, nempe venæ mesenterii.

Quando focus putredinis sit in venis communibus, & adsit aliqua portio sanguinis cum succo melancholico, mittendus est statim in principio: nec opus vt veramini quin sanguis exiens sit melancholicus.

Vbi autem focus putredinis sit circa lienem & Mesaraicas, & Portam, cautè agendum, non euacuandum, nisi vbi humor priùs euacuetur in venas communes. Et hoc innuit Auic. dum non mittendum nisi tempore digestionis, voluit respexit ad focum putredinis. Si mittatis antequam materia mittatur in venas communes, B nil agetis: imò perniciosè agetis, ducetis prauū sanguinem in venas.

Quæ vena secanda. Locus missionis ex sententia Gal. lib. 1. ad Glauc. est mediana, vel basilica sinistri lateris habita ratione lienis. Ego existimos venas omnes ortum ducere ex iecore, propterea melius esse, vt ex iecoraria dextri lateris. potest tamen etiam secari saluatella sinistræ manus, vt scil. hæmorrhoidibus suppressis euacuetis.

Cum febris quartana fiat ex humore melancholico naturali, vel exustione aliorum humorum, primum tractabo de illa, quę ortum ducit ex succo melancholico naturali, & postea ex usta. Deinde curatione Quartanæ ex bile, C sanguine, &c.

Leniens in succo melācholico naturali Primum aluus lenienda huiusmodi medicamento in potione.

℞. Syr. de polyp. vnc. iij.
mel. ros. vnc. ij.
Decoct. fl. & fruct. cord. q. ʃ.
M. & f. potio.

Vomitus Vomitus etiam statim ab initio in hac febre tentandus est vel post cibum, vel saltem leuioribus vomitoriis, vt oxymel. simpl. ad vnc. iij cum unc. vj. aut viij. iuris alterati cum anetho, prouocandusq. est uomitus non semel tantùm, sed bis & ter, donec postea prorsus ex ventriculo fuerit euacuata.

Quod si hæc admodum crassa, uiscida, & lenta, vt leuioribus vomitoriis non facile cedat, D preparabitur hac ratione.

Vomitorium fortius *℞. oxymel. simpl. vnc. j ʃ.*
scill. vnc. i. M.

Exhibeatur hic syrupus, per 3. aut 4. dies, postea vel vomitus excitetur, vel leniens propositum exhibeatur.

Vel si bolum voluerint.

Recip. el. lenit. vnc. i.
man. el. vnc. ʃ.
sem. citri dracq. ʃ. M. sine sacch. fal. boli. *Bolus.*

In his leuorib. à principio est insistendum. nam ex Gal. consilio lib. 1 ad Glauc. c. 10. grauioribus potiùs exasperatur, & ex simplici febre fiunt duplices, vel triplices.

Euacuatis humoribus hisce deinceps oportet ad alia transire, pręparare humores in partibus magis distantibus; hoc syrupo;

℞. Syr.

Syr. præpar.

℞. Syr. byzant. cum aceto unc. i.
syr. de 2. vel 5. radicib.
de succo borrag. an. unc. ß.
decoct. borragin:
buglossæ:
melissæ.
menthæ.
agrimoniæ.
beton. unc. iij. M. pro syrupo.

Facta hac præparatione, debetis inchoare aliquam euacuationem, non tamen admodum ualidam, potius uti leuioribus sæpe repetitis, quod etiam est consilium Auicen. in curatione Quartanæ.

Ego itaque post syrupos do leues, & post syrupus istos compositos,

℞. Syr. de pom. compos.
de fum. terr. comp. an. unc. i.
decoct. Epith. Mesuæ unc. iij. pro syrupo.

In valentioribus exhibeo ij. ex istis syr: in duobus diebus intermissionis: in die accessionis abstineo; in debilioribus vnum tantum ea die, qui antecedit febrem, & sic prosequor vsque ad 5. & 6. syrupum.

℞. troch. de absynt.
de eupat.
de capper. an. drach. i.
M. cum syr. byzant. f. pil. x. deaurentur,
Exhibeo ij. singulo manè, excepto die accessionis, & postea præbeo hunc syrupum.

℞. oxymel. comp:
syr. byzant.
de 5. rad. an. unc. ß.
decoct. rad. apij.
petros.
fænic.
rusci.
aspar.
agrim.
meliss.
borrag. unc. iiij.
M. pro syrup.

Si iam incipiat apparere concoctio, de purgantibus, & simul corroborantibus internis, & externis est cogitandum.

Purgantia tamen validissima, nisi perfecta sit concoctio, non administrentur vt pro bolo.

℞. el. lenit. drach. vi.
conf. hamech.
man. el. an. drach. iij.
M. sine sacch. f. boli.

Proportione.

℞. cort. elleb. nig. drach. i.
agar. troc. drach. ß.
infunde in decoct. ß. & fr. cord. cum seng drach. ij. & f. expressione adde mel. rof. unc. i. ß.
syr. de polyp. unc. iij.
M. & f. potio.

Conuenit quoque hoc tempore expurgatio validior per vomitum, & sicut purgans præberi debet ante diem accessionis, ita vomitus in

A die accessionis, non tamen præbeatis per duos dies medicamenta.

Si vomitorium habeat locum, fiat ex rad. raphani coctis in iure, add. oxymel. simpl. & scil. an. drach. j. ß. & præbe in die accessionis post assumptum cibum, vt eum euomant; Nam nihil præstantius in quartana, quam vt in die accessionis abstineant à cibo: si tamen illum euoman. præstantissimum remedium. Accipiat itaque cibum horis quinque, vel 6. ante accessionem, postea euomat.

Conuenient itaque salsa cibaria, & quæ recipiunt sinapi.

Post vomitum, uel medicamentum statim conuenit corroborans ventriculum, & viscera

B In tali casu incipiendum à mitioribus, inter quæ est diatrionpiperaon, diaspoliticum, lib. 1. ad Glauc. præbeatur statim à vomitu vna rotula ex his. Diaspoliticum accipiatur absque nitro.

Sequentibus autem diebus iterum insistendum in Præparantibus, & si aluus interim non sit lubrica, autendum clystere, vel pilulis leuioribus.

Ego leuissimas in vsu habeo, & sunt istæ: Pilulæ.

Recip. pil. alephang.
mastich. an. drach. j. cum melle rof pil. vj. deaurentur: duæque præbeantur hora vna ante cœnam in die, qui sequitur ac-

C cessionem.

Si voluerint magis clysteres, non sint admodum calidi. Clyster.

Recip. decoct. chamom.
anethi:
melissæ lib. i.
el lenit. drach. vi.
mel. rof.
ol cham. an. unc. iij.
salis drach. i.
Vitell. ou. numero i.
M. & f. clyster.

Interim ex præcepto Auicennæ tria membra roborentur, ventriculus scilicet, iecur, & lien.

D Ventriculus hoc fomento.

Fomentum roborans ventriculum

Recip. menthæ.
absint.
spicæ an. M. i.
calam. arom.
squinan. an. p. ß.
sem. anis.
coriand. præpar:
fænic. an. unc. i.
bull. in vino albo aromatico leni ebullitione. deinde f. expressio & fomentum ex spongijs.

Post fomentum vero inunctio ex oleo nardino, & mastichino.

Pro iecore hæc inunctio conuenit;

Inunctio pro iecore.

Recip. ol. amyg. dulc.
amar. an. unc. ij.
Vini aromat. unc. iiij.

absin.

absin.

spica an. M. ʒ ſ. bull. ad conſ. vini, & ſ expreſſione ſeruetur pro inunctione.

Inunctio pro liene Pro liene accipiatis oleum de cappar. ſic paulatim præparando, leuiter euacuando, & intrinſecus, ac extrinſecus corroborando Status aduenit, quo tempore euacuantia efficaciora, & corroborantia conueniunt. Antiquitus erat in vſu albus helleb. infuſus cum radiculis, aut decoctis. præbere ſolent in rotulis, in placentulis, in ferculis.

Non diſplicet modus viri excellentiſſimi noſtri temporis, qui præparat helleborum, facta primum decoctione in aqua communi, deinde addius ouis, & fiat frittalia cum oleo, aut butyro.

Probat etiam Auicennas vſum lapidis armeni, & lazuli, & conſequenter pilulas ex his.

Sed, vt ingenuè dicam, quod experientia comprobaui, nil præſtantius inueni, quam fuit vomitio ipſa, illam non prætermitto à principio, ſed aduentante Statu iterum repeto, præbens oxymel propoſitum, de quo dixi, & ſingulis acceſſionibus, vel ſaltem alternatim excitare ſoleo vomitum à cibo, & poſt præbeo drach. j. theriacæ, & hac ratione plures quartanarios curaui, & intra ſpacium duorum menſium octo ſanaui.

Mihi itaque magis probatur hic modus purgandi quam cæteri per helleborum, & lapides nam ventriculum valde infirmum reddunt. Poſt vomitum, vt dixi, præbeatur theriaca. confect. mithr. & conf. ex ſucco cyrenaico, quæ cõſtat ex pipere, myrrha, ruta, ſucco cyrenaico æquis portionibus admixtis.

Quid intelligat Galenus per ſuccum cyrenaicum dubium eſt. aliqui belzoin intelligunt.

His addatur victus ratio, & primis duabus hebdomadis victus ſit tenuis, ſi tamen vires ſuſtineant, abſtineant in principio à carnibus & ouis, & accipiant aliquod ferculum in iure, vel panatella, & exhibe potiùs aliquem piſcem ſaxatilem, vt eſt perca, aurata.

Exhibeantur etiam, quæ habent vim attenuandi, vt cappares, &c. hæc diæta primis diebus conuenit; poſtea plenior victus ratio: & conueniunt ea, quæ conficiuntur ex ſinapi, & ſalita, quamquam de hoc Alexander taxet Galenum, nec tamen eius habuit cauſam.

In die acceſſionis abſtinendum à cibo, vel, ſi præbeatur, ſtatim euomant. non prohibetur exercitatio: bibant vinũ potius album, nec prorſus oligophoron. Et hæc eſt curatio quartanæ à melancholia naturali.

Curatio eius quæ fit ex melancholia exuſta. In melancholia exuſta, ſiue ex ſanguine ſiue ex bile eadem conuenit victus ratio, quæ propoſita eſt in febribus bilioſis. Confugietis ad curationem tertianæ febris ligitimæ, propterea etiam corroborantia non ſint admodum calida, victusq. ſit humectans.

In die acceſſionis non conuenit victus adeò tenuis.

Quantum ad quintanas, ſextanas, ſeptimanas, &c. proueniunt ex eodem humore melancholico, ſed magis craſſo, magiſq. pauco. *Unde 5. 6. 7. 8. 9. &c.*

Quantum ad curationem, fit ea ratione qua & in Quartana ex melancholia naturali, &c.

De Febribus Peſtiferis. Cap. XXXIIX.

Auicennas poſt abſolutam Quartanæ febris tractationem, ſtatim aggreditur Hecticas, cuius ordini in præſenti non prorſùs adhæreo.

Quandoquidem peſtilentes talem habeant cum putridis communicationem, lib. 1. de diff. feb. c. 5. idcirco de peſtiferis tractandum puto.

Quæ febres peſtiferæ. Peſtiferę febres ſunt illæ, quas Hippocrat. 1. in 6. Epid. 29. θημριτγώδεις aſpectu horribiles vocat. Eſt cacoethes, & Galeno 3. in 1. Epid. 18. dicitur, vbi ſcribit vrinas nigras in Philiſco oſtendiſſe. &c. & eodem com. 3. in 1. Epid. 1. cacoethen morbum illum eſſe.

Vocatur etiam maligna, ſeu mali moris, lib. 3. de criſ. c. 3. & 4. Cum enim ſcribit quattuor in feare eſſe conſideranda: Ideam, magnitudinem, motum, & morem. Per Morem intelligit malignitatem, vel benignitatem febris, quæ nihil aliud ſignificat quam peſtilitatem.

Notandum tamen nomen maligni apud Galenum dupliciter accipio pro febre tantum acuta. 2. in 3. Epid. 1. febres ex cerebro, iecore, &c. malignæ. Sunt hæ malignæ, quod ſint magnæ, velocis motus, & acutæ, & propterea quod non ſint malignæ, corrigit hoc dictum 2. in 2. Epid 21. *Non ex omnibus partibus malignæ, ſed tantum ex iecore*, & quæ ſequuntur, vbi propriè accipit nomen maligni. De propria ſignificatione 2. in primo prorrhet. 14. quando inquit malignum ſpem ſalutis adimere: propterea addit affectiones illas, de quibus loquitur Hippocr. non eſſe appellandas ferinas, ſed pernitioſiores. Vocantur etiam exitiales, pernitioſiſſimæ, exitialiſſimæ 1. in 1 Epid. 21. & lenticulares, periculares, ab exanthematis, periculis, lenticulis, &c.

Habet huiuſmodi febris õnis generis febres & omnis ſpeciei cum occulta, ſeu venefica qualitate.

Per febres omnis generis, & omnis ſpeciei vt vulgare Epidemicas, Endimias Ephemeras, Putridas, Hecticas intellige, quæ omnes poſſunt eſſe peſtilentes. Pro iunioribus explico, quid intelligam nomine Epidemici. cum Hippoc. & Galeno 1. in 1. Epid. 1. & 1. acut. text. 9. quę vno & eodem tempore multas regiones ſimul & ſemel inuadunt. Endimia, quę multos ſingulares homines vno tempore affligit in vna tantùm regione determinata, aut in vna vrbe.

Sporadicas appello, quę neque plures regiones, neque vnicam vnico tempore ita affligunt vt multi vnà laborent, ſed quod quiſque poſſint incurrere. Itaque febris peſtilens poteſt

potest esse Epidemia, Endimia, Sporadica. A

Quod Epidemica, apud omnes clarum est libro primo de febr. Quod Endimia, experientia docet Byzantii & in Cairo, possunt appellari Endimiæ, vbi singulis annis affligunt, & statutis horis desinunt.

Quod Sporadica, præter quotidianam experientiam vocabitur Febris pestilens Sporadica. Propterea 3. in 4. Epid. 57. dari febres pestilentes absque peste, id est, dantur Sporadicæ absq; peste. & clarius lib. 3. de præsag. ex puls. capite quarto, proponit primum pestilentem vulgarem.

Postquam dari pestilentes absque peste intellexistis, non de Sporadicis.

Dixi esse has cuiuscunque speciei, putridas, B Ephemeras, Hecticas. De Ephemeris apud Galen. nihil manifestè inuenire potui, quicquid dicat Altimarus: vt si ad ipsius autoritatem respicimus, non dubitue libro primo, de diff. febr c.5. Nam febris Ephemera, aut Putrida, aut imputrida. Si putrida est contra Galenum, qui loco citato excipit Ephemeras.

Si dicatis sunt imputridæ, non propterea potestis effugere autoritatem eiusdem Galeni, qui loco citato scribit, oriri febres, quæ omnes ex putredine ortum ducunt, &c. tamen ratione, & experientia huiusmodi pestilentes sunt concedendæ.

Ephemeræ pestilentes. Nam huiusmodi qualitas, quæ constituit febrem pestilentem, primo, & per se est infensa spiritibus. Propterea lib. de sem. cap. 16. quæ agunt à tota substantia, inquit, momento temporis per vniuersum corpus permeare, quia distribuitur qualitas & vis, & is spiritus est, qui primò & per se suscipit huiusmodi alterationem. C

Accedit experientia. Nam Anglicæ sunt species febris Ephemeræ pestilentis, quæ 24. horarum spatio interficiunt, vel cessant, & nisi sudent, omnes interficiunt, propterea dicuntur sudotificæ. Itaque nec Valesij autritas, nec ratio accipienda, qui libro 5. controu. 21. negat, prorsus dari pestiletes febres Ephemeras hac sola ratione quòd sint salutares, &c iam si adiungitur spiritibus occulta qualitas, omnes moriuntur, vt obseruatum est Anno 1565. & 66. in qua qui prorsùs sani videbantur, interiere. De qua etiam Thucydides lib. 2. histor. D

Verum huiusmodi sint putridę, annon, res est dubia. Dicam spiritus posse putrescere cum Valesio lib. 1. controuer. 19. Altimarus prop. tract. de pestil. admittit pestilentes ex putredine ex admixtione vaporis putridi cum istis spiritibus.

Sed non sequitur, spiritus inficiuntur putredine. Ergò erunt causa putredinis febris Ephemeræ. Si putrescit propria substantia, nō est subiectum illius febris. nam statim, ac putrescit, corrumpitur.

Nota, si spiritus in substantia putrescit, non est amplius subiectum febris. Spiritus non sunt tales, vt partim sint in putrefieri, partim putrefacto esse: & ideo non retinent focum putredinis. Spiritus igitur in propria substantia non erit subiectum huius febris.

Cùm autem dicam Altimarus misceri vapores putridos cum spiritibus, concedo: sed tamen hi spiritus non sunt subiectum huius febris.

Itaque datur febris pestilens, sed spiritus tunc tantùm in calefacto est, aut totus putridus est.

An pestilentes hecticæ sint omnes putridæ. Dantur & pestillentes hecticæ lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 3. in fine. & 4. & lib. 10. meth. cap vlt. De quibus quæritur, an putridæ sint, an verò imputridæ. Et ratio quæstionis est, quia Galen. libr. 1. de diff. febr. cap. 5. apertè scribit, se accipere dogma Athænei, omnes esse putridas, & qui scribit hecticas esse pestilentes, debet etiam concedere, esse ex putredine. Sed non supponunt hæ febres putridæ, quod in omni putrescant omnes humores cordis lib. 4. de pręsag ex puls. cap. 5. Dari quasdam statim in initio, & ostendit, quomodo huiusmodi putridæ sint hecticę.

Si datur putredo, quę obsideat cordis substantiam, potestne vlla seruari pars, quæ ad solidas pertineat. potest putrescere substantia torida, carnea.

Si humiditas dispersa per substantiam cordis, potest fieri, vt liberentur debitis remediis: si seminalis pars iam putredinem contraxerit, nulla excogitari potest medicina, quæ superet.

Nec est, quod quis dicat, cor non posse sustinere hanc putredinem in propria substantia. Concedo quidem, absque quod patiens non moriatur: sed quod non possit, falsissimum esse anatome docuit, &c. interibunt tamen.

Deniqùe dantur putridę ex putredine omnium humorum: non dico febrem pestilentem putridam esse tantùm synochum: aliæ enim febres ex inflammatione sunt cum sanguinis putredine.

Dicunt, sed falsò, sanguis in benignis non putrescit. Sunt nugæ: putrescit, & conuertitur in pus. Itaque pestilentes omnis speciei dantur.

Propterea Nicolaus Massa libr. de peste cap. 3. scribit se obseruasse febrem Quartanam pestilentem vsque ad 64. diem perdurare. Dantur itaque febres pestilentes omnis speciei, quod ponebatur. Pestilitas non est certum genus morbis. est quid commune, quod coniunctum est cuiuis morbo, vt bubo pestilens, asthma pestilens. synochus pestilens, &c. cuicunque morbo connectitur huiusmodi qualitas. facit hunc morbum, tertio in tertio Epidemiorum, longo sermone proponit sacrum ignem, qui fuit valdè diuersus ab Erysipelate propter pestilitatem. Vide Galenum in Commentar. connumerantur enim malignissimi, Tandem Hippocrat. & Galen.

com. 16.

com. 16. multas febres varias vagatas esse omnes pestilentes, ita, vt omnis febris possit appellari pestilens. Quæ sit causa, quæ hanc faciat, intelligetis in sequentibus.

Antequam ad proximam pestiferarum Caussam me conuertam, dubium erit inquirendum, quod ex dictis emergit: *num febres pestilentes possint quandoque intermittentes esse?* Emergit ex dictis, cùm dictum est veneficam qualitatē vnicuiq; febri connecti posse: si omnibus febribus: Ergo & intermittentibus.

Hæc res apud Medicos est satis dubia, & pauci ita statuunt. Vnicus est Georgius Agricola, qui arbitratus est, dari febres pestiferas intermittentes. in Galeno & Hippocrat. nullus est manifestus locus: nihilominus videtur B Galenus hoc voluisse com. 46. 3. in 3. Epid. quando enim Hippocrat. ibi ponit febres in constitutione illa grassantes, inquit Galen. in Comm. Hippocrat. mentionem fecisse febrium, quæ vagabantur in hac constitutione, & præcipuè Intermittentium. Non tamen dicit fuisse pestilentes, sed cum Hippocr. videtur concludi posse, quod sic.

Sed quidquid sit de autoritate, adest experientia & ratio, quæ hoc docet.

Num febres pestilentes possint quandoque esse intermittentes. Quantum ad rationem, argumentor sic: *Datur pestilentia absque febre: Ergo magis potest dari febris pestilens intermittens.* Maior est clarissima ex Hippocrat. & Galeno 3. in 3. Epid. 75. Quam sententiam amplexati sunt do- C ctissimi viri Mercurialis, & Andraas Gallus, ibi manifestè proponit luem pestilentem: quæ grassabatur in internis partibus, inquit, huiusmodi fuisse formidabiliora quàm deteriora, & quæ sequuntur. Si igitur pestilentia talis potest contingere, quæ vniuersum membrum corrumpit sine febre, potest etiam contingere, ea ipsa virulentia in febre intermittente, dum natura transmittit ad partes ignobiliores. Et ego semel obseruaui febrem tertianam intermittentem cum exanthematibus nigris.

Causa. Venio ad causam huius febris: hanc dixi esse veneficam qualitatem. De hac est dubitatio maxima. Plures existimant nullam esse venificam qualitatem, sed insignem & excellentem putredinem, quæ superat gradum com- D munem putredinis aliarum febrium. Ego semper existimaui hos esse in errore. 2. meo libro de Phrenigmis fusiùs, nunc breuibus repeto quasdam rationes.

Esse veneficā qualitatē probatur rationib. 2. Primum, si ad rationes spectemus, potest cōfirmari, febres pestilentes ex venefica qualitate produci, duplici argumento.

1. Febris pestilens habet proprietates cuiuscumque veneni: Ergo habet venenum annexum.

2. Febris pestilens habet effectus cuiuscunque alterius veneni. Ergo habet venenum.

Quo ad proprietates veneni, præcipuæ sunt, vt curetur alexipharmacis, libro decimo tertio meth. cap. sexto. Sed sic est, quod febris pestifera ipsa quoq; curetur Alexipharmacis; A Ergo erit venenum.

Quod curetur alexipharmacis, patet experientia quotidiana: curatur enim lapide bezoartico, terra lemnia, terra Silesiaca. Galen. libr. de Ther. ad Piso. capite decimo sexto. inquit, curari has febres theriaca tanquam igne purgatorio. 6. in 6. Epid. & libro nono simpl. cap. de terra Samia scribit, pestem curatam bolo armenico. Alij alias habent antidotos. nec valet quod dicunt aduersarij, curare hæc secundaria siccatione magis quàm occulta qualitate: nam reiecit hanc rationem Doctissimus Scaliger Exercitat. decima quarta. quem locū videatis.

Præterea, vt dixi, habet effectus veneni, qualés libro sexto de loc. aff. capite quinto, describuntur. venenum momento temporis mutat malo modo corpus ipsum, reddit illud liuidum, nigricans, diffluens, propterea corrumpit & mortificat: hæc omnia facit febris pestilens; quinimo in magna pestilentia corrumpuntur etiam partes solidæ, seminales, & qui vult videre patientem, legat Hippocrat. 3. in 3. Epid nam videbitis quanta fuerit corruptio ex hac lue pestifera. Itaque habet proprietates veneni. Ergo est venenum. Sed confirmatur etiam Galeni & aliorum testimonio libr. de Ther. ad Pis. capite decimo sexto, pestem esse quasi feram quandam venenatā, & quæ sequuntur. Secundo etiam Commentario sectione secunda, epid. loquitur de constitutione admodum pestilente, 3. in 3. Epid. Constitutio fuit magis australis. & subiungint, nomine ichoris intelligi succos pestilentes text. 38. secundi in 6. Epid. vbi loquitur de sanguine ichoridie, ibi in commentar. intelligit sanguinem venenatum, & citat locum in 2. Epid. Idipsum facit libr. de cib. bon. & mali succi, capite secundo. vbi referens symptomata & morbos in pestilentia, inquit, mirum non esse apparuisse; quandoquidem mirum non est cibos prauos in ventriculo conuerti in veneficam qualitatem.

Vrinę sūt liuidæ corrumpũtur maculæ liuidæ.

Multa alia loco essent pro confirmatione, quædam tamen producemus infra; propterea nunc hæc sufficiant.

Si volueritis aliorum authorum iudicium; sunt Aetius 2. Tetra. 1. capit 96. qui causam huius pestilentis febris scribit esse venenosam qualitatem. Paul. lib. 2. cap. 9. & Doctores omnes recentiores, Fernelius, Andræas Gallus, Oddus de Oddis, Fracastorius, Mercurialis, &c.

Itaque cum constitutum, sit esse veneficam causam, superest, vt declaremus, quid sit hæc qualitas venefica. Ea dupliciter consideratur, absolutè, & in relatione ad corpus humanum.

Quid quālitas venefica. *Absolutè est proprietas totius substantiæ malefica, ex improbis succis, aut vitioso aere in humano corpore genita.*

Quid absolute. Dixi esse *proprietatem totius substantiæ:* quia cùm huiusmodi qualitas sit venenata, omne uenenum

venenum agit à tota substantia, nec est venenum nisi quod agat à tota substantia: propterea venena frigida, quæ inficiunt, quantitate propriè venena non sunt.

Sed iam proprietates totius substantiæ sunt quatuor 6. in 6. Epid. text. 21. remedia, alimenta, malefica, & alexipharmaca: ad differentiam aliorum agentium a tota substantia, diximus esse maleficam, vt distinguêremus.

Sed quia proprietates substantiæ maleficæ sunt ipsæ quoque quatuor, vt patet loc. cit. venena animalium, medicamentorum genita ex aere vitioso aut ex improbo victu, vt distinguêremus ab alijs, diximus *excitari vel ex aere vel improbo victu.*

Quare ex aere vitioso generetur in humano corpore venenata qualitas.

B Sed quærat quispiam, quæ sit causa, quam obrem ex aere generetur huiusmodi venefica qualitas in corporibus humanis.

Existimarunt quidam, id esse referendum in constitutiones, quæ habeant quasdam primas qualitates prauas. præcipue retulerunt in constitutionem humidam, quod rationi est satis consonum 3. in. 3. Epid. 1. Constitutio humida est omnium aptissima ad putredinem, præcipuè cùm sit à ventis silens: vt propterea cum constitutio relata ab Hippocrat. 2. in. 3. Epid. fuerit omnium humidissima, mirum nõ fuit: quod omnium pernitiosissima: nihilominus non valet consequentia: est constitutio humidissima, quæ omnium aptissima ad putredinem: Ergo aer necessariò habet veneficam qualitatem, quia animaduersæ sunt huiusmodi cõstitutiones absque peste. Apud Virgil. Lib. 3. Aeneid. est sermo de constitutione omnium siccissima, & Liuium lib 1. decad. 4.

Itaque cùm constitutiones ex se non possint certò demonstrare pestilentiam: ideo concludẽdum, humidam constitutionem, & viam ad suscipiendum aerem pestilentem in sicca constitutione prodire & alijs causis.

Si quis quærat quę hę? Constitutiones syderum, terræ motus, vnde exhalant halitus pestiferi, ex occisis in prælio, locis cœnosis, &c. Quod si aer sit in eo casu, est facillimum vt tandem fiat pestilens.

D Cùm dico aerem peruenire ad putredinem, censeo aerem in propria substantia non corrũpi. Nam lib. quarto meteor. Aristoteles loquitur de aere misto quia syncera nunquam putrescant: quia putredo est passio mixti, propterea idem Aristotel. 25. prob. 20. omnia putrescere inquit excepto aere & igne. Itaque si aer putrescit, putrescit ratione mixti non in propria substantia, corrumpitur enim tota eius substantia. Argumentum est Hippocrat. 1. com. de natura humana text. 38. deficiente vno elemento corrueret totum. Ego vsus sum hoc argumento 2. meo libro de Phœnig. vt videatis quid obiiciant alij.

Ex succis etiam in humano corpore generatur huiusmodi lues venefica, vt in lib. de cib. bon & mal. succi cap 2. qui generatur partim ex insigni putredine, partim prohibita transpiratione, partim ex prauis eduliis frumenti corrupti, olerum, fructuum corruptorum, brassicæ. idipsum dico de leguminibus.

Vtrum hæc venefica qualitas semper sequatur insignem putredinem an absque hac?

Sed hoc loco oritur illa pulcherrima & magni momenti quæstio, vtrum huiusmodi venefica qualitas semper sequatur insignem putredinem, an absque hac? Conuenit inter recentiores, nullam aliam reperiri pestilentis febris naturam quàm insignem sordidam, & excellentem putredinem, & videntur hoc quoque sensisse Galen. & Hippocrat. lib. 1. de diff. febr. cap. 5. & 1. in 6. Epid 29. non aliam videtur differentiam constituere inter pestilentes, & alias febres, quàm excellentem putredinem, & Hippocrat. 3. in 3. Epid. per totum librum.

Nihilominus ego quanquam existimẽ magna ex parte esse cum maxima putredine, nihilominùs aliquando reperiri, quæ generatur, vel absque putredine, vel cum insensibili & incognita putredine.

Primum si respiciamus ad aerem, dictum reperiri etiam in siccissima constitutione.

Influxus syderũ.

Sed præterea, si datur pestis & febris pestilẽs ex influxu syderum, huiusmodi infert qualitatem hanc veneficam absque putredine:

Sed veniamus ad venenum internum, 3 genitũ absq; insigni putredine. 2. in 1. prorrhet. 17. scribit generari in corpore humano venenum ea ratione, qua venenum canis rabidi paulatim & progressu temporis, & 3. in. 3. Epid text. C 75. fere iisdem verbis.

Est ibi sermo casus cuiusdam Phrenitici, qui obiit in tertia die cum sæuissimis symptomatis. Gal. miratur nouitatem huius casus & proponit causam.

Non loc. cit. est sermo de veneno ex sordida in signis putredine, & secundo in primo prorrhet. 17. proponit casum notatum dignissimũ eius, qui obiit ob vim huiusmodi veneni absque signis insignis putredinis. Videte casum. fuit per 5. dies absque febre, tamen in 7. die iuuenis robustus obiit. Idipsum repetit lib. de loc. aff. vbi dum vult assignare causam hystericæ affectionis, inquit, mirum non esse, si ex hoc demissimo principio fiant tam grauia symptomata, quæ sunt exempla veneni geniti in corpore absque insigni putredine.

Ex semino scil.

Aliud exemplum est lib. 3 de loc. aff. cap. 7. confirmat hanc opinionem libr. 3. præsag. ex pull. cap. 4. & est locus pulcherrimus, quod febris hectica pestilens fiat statim in principio non post putredinem.

Itaque certissimum, generari aliquando veneficam qualitatem ex leuissimo principio.

Quod nõ sẽper necessariò hæc lues venefica sequatur insignẽ putredinem.

Rationes, quæ idipsum quod diximus confirmant sunt: primum si semper insignem putredinem sequeretur, omnis synochus putrida deberet esse pestilens: nulla enim reperitur febris in qua maior sit putredo, quàm synochus putrida: & dantur tamen plures synochi putridæ absque pestilentia.

Præterea dantur Ephemeræ & Hecticę pestilentes,

ftirentes, in quibus nulla adest humorum putredo. Igitur non necessarium est, omne venenum pestiferum sequi insignem putredinem. Propterea lib. 1. de diff. feb c. 3. inquit Gal. quasi velit aliud esse pestilens, aliud putridum contra 6 opinionem huiusmodi recentiorum.

Sed ego addo rationem aliam consideratione satis dignam. In humano corpore potest reperiri causa prorsus illi similis, quæ generat venatam qualitatem in animalibus. Ergo generari poterit hoc venenum absque putredine. Antecedens probatur. quandoquidem cùm in animalibus generetur venenum ex quodam certo determinato temperamento, quod naturaliter in homine reperitur: fieri tamen potest, vt detur temperamentum præter naturam in quodam subiecto, parte determinata, loco, cuius ratione generetur venenum, prorsus simile ei, quod eiaculantur bruta animalia: hoc non est præter rationem. hoc concesso, si in animali fit ex putredine. Ego etiam in homine, vt contra res sit clara.

Venenũ viperæ nõ fit ex putredine, est enim excremẽtũ naturale.

Venenum viperæ non esse excrementum putridum, est naturale, sicut mucus in homine & profectò si huiusmodi substantia generatur in cane rabido, etiam potest in homine. Spuma canis rabidi non generatur ex temperamento proprio, sed determinato, & tamen virulentia non est necessariò putrida, est calida & succissima: ita etiam in humano corpore potest aliquando reperiri talis intemperies, cuius etiam exempla in historicis. in febribus quæ inducunt ad tabem, & tamen absque putredinis signo.

Cum itaque venenum absque insigni putredine generetur, soluamus rationes, quæ in oppositum solent adduci. Si Galenum legamus lib. 1. de diff. feb. c. 4. & 5. videtur c. 4. aliam veneni naturam non intellixisse, quàm quæ fit ex ingenti putredine: & propterea citant Hipp. authoritatum 3. in 3 epid. 50. vbi post relatas omnes affectiones in ea pestilentia

Solutiones rationũ in contrariũ adductarũ.

concludit, omnia fuisse excellentis putredinis in 6. epid. 29. Domini, pro soluendis his locis duo dici possunt: Primum Gal. lib. 1. de diff. feb. c. 4. respexisse ad pestilentes, quæ magna ex parte contingunt. Nam æquè ta fiunt ex insignis humorum putredine. ex centum patientibus reperiuntur 90. qui hac putredine tentantur, ad quod respiciens dixit cum Hipp. esse sobolem insignis putredinis. sed non est vera consequentia magna ex parte. Ergo nulla est febris pestilens, quæ non fiat nisi ex putredine. nam dantur etiam huiusmodi.

Est tamen secunda solutio & melior, febres pestilentes esse cum putredine, potest intelligi dupliciter.

Quod omne venenum pestilens fiat necessario ex causa præcedente putrida: aut possumus intelligere, quod semper habeat putredinem annexam. Si primo sensu intelligatis, hoc dixi esse falsum rationibus & authoritatibus. In 2. conclusio est vera. Ratio autem

A quanquam venenum pestiferum non generetur ex causa putrida, nihilominus, vt venenum est, & venenum calidum, habet vim putrefactoriam, quod maximè proprium veneno calido. Propterea setica medicamenta, quanquam non generantur ex putredine, sunt siccissima, tamen statim putrefaciunt: ita etiam huiusmodi venena in humanis corporibus genita in ea parte putredinem insignem faciunt. Propterea hectica pestilens est cum putredine: Itaque *omnis febris pestilens est cum putredine.*

Hactenus satis explicaui, quid sit venefica qualitas absolutè considerata, venio in relationem ad humanum corpus.

Quid venenũ cõsideratum ad corpus humanum.

Huiusmodi venefica qualitas est causa seu principium omnium grauissimorum malorum B & symptomatum quotquot in humano corpore reperiri possunt contegiosa, magna ex parte interficiens.

Dixi *esse causam* non dixi *esse morbum*. qua in parte non accipio Fernelii & Argenterii sententiam, qui constituunt quartum genus morbi præter Galeni tria, quod vocant morbum à tota substantia. Datur quidem proprietas, sed non est morbus: est Causa, & Principium morbi.

Sed aduertatis, quando est principium omnium grauissimorum malorum seu morborum, dupliciter contingit. 1. Est principium grauis morbi 2. Et morbi & grauis morbi. Explico.

Quando pestilentia ortum ducit ex aere venefico, qualitas est principium grauis morbi C potiùs, quàm morbi.

In constitutione ex aere morbi multi vagantur, vt & in hac constitutione satis commode. Sic in constitutione vagantur ex proprio cuique victu, quæ magna ex parte salutares: Si tamen huc accedat qualitas venefica aeris, tunc ille morbus quanquam salutaris, euadit grauis, vt anno 1575. & 76. multi eiusmodi morbi grassabantur. Si erat bubo, erat pestilens, &c. Propterea dixi, esse principium non morborum sed grauiorum morborum.

Quandoque vero est principium morbi, & grauis morbi, quando causa ortum ducit ex prauis succis in corpore genitis, propter causas dictas ex improbo victu, Itaq; ex aere magna ex parte graues morbi, sed non morbi. Ex D succis vero prauis morbi, sed non graues, morbi generantur.

Dixi autem esse principium omnium morborum, quia nullum est genus morbi, quod non possit fieri ab huiusmodi succo venenato. Nam fiunt febres, morbi omnes, vlcera, quę aliquando totam depascuntur carnem, omnia membra corrumpunt; & incipit hic affectus aliquando à causis externis, aliquando internis, & præcipuè à corde: thorace, capite, quando suscipitur per inspirationem: quando incipit à prauis succis, semper incipit à causa externa.

Si natura valida transmittit excrementa ad

N partes

partes exteriores, vt scribit lib. quinto de vsu A partium capite tertio, fuisse pestem qua grassante in pedes in constitutione relata apud Hipp. partes variæ tentabantur, 3. epid. 26. Itaque dixi esse principium morborũ, & symptomatum.

Dixi etiam esse contagiosum, sed quando dixi esse principium contagiosum, non intelligatis semper huiusmodi febres esse contagiosas. Nam est falsum. Dantur pestilentes sporadicę, quæ non sunt contagiosæ. nunc habeo huiusmodi patientem:

Aliquando etiam Epidemicæ, non sunt contagiosæ, vt superioribus annis Pisauri.

Cur aliquãdo cõtagiosæ, aliquãdo non. Quinimo scribit Procopius, lib. 2. de bello Persico, nihilominus magna ex parte Epidemicæ pestilentes sunt contagiosæ; quandoque B etiam sporadicæ, vt annis superioribus Patauij contrahebantur ex panni tegulis infectis studio a quibusdam huc transportatis, qui etiam sunt suspensi. causa quod aliquando contagiosæ, aliquando non.

Quid contagium? Contagium est *actio quædam qualitatis morbosa in corpus humanum dispositum & præparatum. quæ fit per contactum.*

Dixi esse actionem, vt explicarem genus contagij, quod continetur sub actione tanquam proprio genere. Quid nomine actionis intelligam? Est impressio huius qualitas morbosæ in subiecto corpore. Hæc qualitas morbosa quandoque habet tres conditiones, quan- C doque duas.

Tres, quando est calida, putrida, venefica.

Duas, quando vel calida & putrida, vel calida & venefica. Est calida & putrida & venefica in febribus pestilentibus putridis. Est calida & venefica in virulentia animalium, quæ venenum eiaculantur. Itaque actio huius est impressio.

Subiectũ qualitatis venenatæ. Huiusmodi qualitas est posita in aliquo corpore, quod est potiùs *vaporosum*. Nam contagium fit ad distans.

Itaque contagium potius *in corpore vaporoso*. & quia hoc & rarum est & densum, & viscidum, huiusmodi qualitas in denso & viscido potiùs est, quàm raro, propter quam cau- D sam facilè adhæret, vnde reseruatur in tegulis, pannis, & alijs rebus.

Quando fiat cõtagium. Quia tamen mouetur ad distans, mouetur per aerem; aer, qui defert hanc substantiam vaporosam contagiosam, aliquando est similis ipsi qualitati contagiosæ, aut saltem non cõtrarius: & in tali casu fit contagium, quia nihil est quod possit illam oppugnare.

Quando non. Sed si aer habeat oppositam qualitatem, secundùm quam possit illam corrigere, non fit contagium.

Hinc fit quod, vt audio, Byzantii, vbi grassatur pestis singulis annis, ingrediente sole in leonem, tollitur non solùm pestis, sed tota etiam virulentia. nullum amplius est contagium, sed si vehantur merces ad nos, retinent contagium.

Causa, quia in hisce regionibus aer noster non habet hanc qualitatem alexipharmacam, vt ibi. Quæ causa cur morbi Epidemici sopradici aliquando contagiosi, aliquando non.

Dicet quis, cur si aer infectus est, non omnes afficiuntur? soluitur à Galeno & definitione nostra. Diximus agere tantùm in corpus *dispositum*, vt & Gal. lib. 1. de diff. feb. c. 4. qui inquit, non omnes tempore pestis peste tentari. *Quæstio cur ab infectio aere nõ omnes afficiantur.*

Quæ est hæc dispositio? *Est similitudo humani corporis ad huiusmodi qualitatem contagiosam.*

Quæ corpora omnia habent moderata, non capiuntur pest vel ea leuissima. itaque oportet adesse corporis dispositionem.

Dixi denique fieri *per contactum*. per hunc intelligo aliquando contactum corporis tantùm vaporosi, quando scil. contagium fit ad distans: quandoq; est contagium corporis.

Denique dixi *magna ex parte interficere*. Nã reuera etiam lues venerea est principium omnium morborum, tamen non magna ex parte interficit. Ad cuius differentiam hoc addidi.

Ad signa me iam conuertam. Pestilentis febris seu pestis signa quędam sunt Prænunciatiua, quædam Demonstratiua, & diagnostica. alia prognostica, & prænunciatiua: alia quæ demonstrant febrem fieri posse ex parte aeris, alia ex parte succorum in humano corpore. *Signa prænunciãtia febrẽ fieri posse ex parte aeris*

Quantum ad aerem, præcognoscitur pestilentia, si est constitutio omnium humidissima, vel præcesserit talis, vel adhuc persistat à ventis in totum silens. Si hoc potissimum tempore & constitutione animalia complura ex putri genita appareant, vt sunt insecta; si fructus, olera, carnes & pisces facillimè putredinem contrahant: si stagnantes aquæ & fœtorem exspirent, prauum & virulentum habeant colorem. Cognoscitur prætérea futurus status pestilens ex frequentibus & maximis terræ motibus: Fit enim vt simul cum exhalatione, quæ hunc facit, etiam prauus halitus hominibus infensus exspiret, quanquã etiam aliquando vel pecudibus, & animantibus possit esse molestus. Id ipsum colligitur, quando multa apparent animalia, quæ in cauernis degunt, in terræ superficie, quando propria deserunt loca, antra, cuniculos, & præter consuetudinem in superficie apparent. Ex plantis, si pauciores, minores, decoloratiores apparent. Ex cometis etiam duplicem ob causam potest predici pestilentia. Primùm, quia cometa est signum copiosæ exhalationis, quæ potest etiam antequam accendatur, veneficam qualitatem contrahere. Secundò, etiam ipse calor cometæ accensi potest putredinem in corpora humana inferre, superante calore extraneo natiuum. Ex his igitur potest prędici status pestilens futurus. *Terræ motus.* *Cometæ.*

Quantum ad præsentes febres pestilentes, multa proponuntur à scriptoribus signa, quibus *Signa febris pesti*

quibus huiusmodi cognoscuntur, sed tamen omnia diligenter ad pensum sunt reuocāda etenim incerta & dubia sunt. Examinabimus igitur singula. Primum quidē sūt pulsus, qui semper sunt parui, & imbecilles, quandoque inæquales, quandoque ita æquales, vt hac in parte sanis sint similes; Sunt parui & langui di, quia de ratione vniuscuiusque veneni & cōsequenter pestilentis febris est, vt proprietatib. cordis aduersetur. Propterea & spiritus & substantiam solidam atq; illius temperiem corrumpit. Hinc pulsus fiūt parui & imbecilles, fiunt inæquales non secundùm omne inæqualitatis genus, sed tamen secundùm illas differentias, quæ potius pertinent ad facultatem & vsum, quàm ad instrumētum, & facultatem. Declaraui ni fallor in *Libro de pulsibus* hæc prolixè. Hoc saltem dico, pulsus febrium pestilentium inæquales esse, pulsus inæquales in vnico ictu, vnica pulsatione, dicrotos vocatos, non duros: nam sunt pulsus dicroti duri: vno & eodem tempore cor laborat inæquali intemperie calida & frigida: hinc talis fit pulsus. Fiūt pulsus inæquales in vnico ictu sub variis digitis, qui uocantur decurtati: fiunt etiam eminuli & prominuli: fiūt & inæquales in pluribus pulsationibus myuri, qui, vbi proximi fuerit, morti, deficiunt etiam tandem in vermiculosos & formiculosos. Aliæ differentiæ intercepti fiunt potius ex instrumētis obstructis vel repletis; & propria ratione non ostēdunt pestilentias sicut relati, sed ut dixi, sunt etiam æquales sanis similes lib. 3. de præs. ex puls. c. 4. Si quæratis causā, retulit l. c. 3. 4: 5. Causa est inæqualitas temperaturæ, quæ cadit in solidam cordis substantiam & propinquas partes. Propinquas partes oportet intelligere humores in sinibus cordis cum Gal. c. 4. sub finem, vbi hæ partes vicinæ habent vnā intemperiem, cordis substantia aliam; fiunt æquales: quę contingunt tribus modis, vel cōtingis solidam cordis substantiam esse calidam, & humores propinquos frigidos: in quo casu pulsus sunt æquales, & febris hectica pestilens. Ex quo colligetis veritatem, quam docui superiùs, posse dari febrem pestilentem absq; humorum putredine. Quod si contra, humores calidi, solida substātia frigida, febris erit pestilens, sed putrida, faciuntque similiter pulsus æquales: de hac lib. 8. de præs. ex puls. c. 5.

Sed dicetis, si detur, vt pulsus sint similes sanis, quomodo cognoscuntur? Si præterea hi pulsus in hectica, & pestilente, quomodo distinguuntur? Cognoscetis febrem pestilentem, etsi pulsus sunt æquales, ex paruitate & imbecillitate. Non intelligit Galen. esse similes sanis omnimodo c. 4.

Oportet igitur in his casibus comprimere pulsum: nam compressus resistit, si febris non sit pestiles.

Propterea cognoscitur ex calore thoracis si regionem toracis tangatis, partes sunt calidiores. Præterea oportet obseruare fauces. Nam si febris adsit pestilens, in faucibus apparebit exulceratio, color liuidus, rubicundus, erysipelaceus. Si adsit fœtor anelitus præter consuetudinē, maximum est signum.

Quod ad hecticas, vt has cognoscatis esse pestilentes. Cognoscuntur primùm ex pulsus celeritate, quanquam hectica pestilēs habeat pulsum æqualem, & vna pulsatio non sit frequentior altera, quanquam paruus est tamē celer. Ratio l. c. cum solida cordis substantia sit calidissima, quanquam humores frigidi contemperant illam caliditatem, vt non excurrat: Contra si pestilens putrida, pulsus erunt parui, imbecilles, tardi. Ex quo loco colligitur, non esse necessarium, ad constituendam febrem, semper solidam substantiam esse in calefacto, ut notauit suo loco Gal. lib. 3. de præs. ex puls. c. 5.

Sed reuertor ad proponenda signa, quorum aliqua sunt proposita, & primùm sunt celeritas pulsus. Secundò ignorant se febricitare, quanquam febricitent, & non delirant.

Præterea quando adsit inæqualitas collectiua, &c. non tamen inæqualitas, quæ cadit in systolen & diastolen, adest. nam in hac diastole est celerior systoli, in putrida contra.

Sunt & alia signa: vrinæ variæ, turbatæ, confusæ, quales iumentorum, non sunt crassæ absolutè posūt enim etiam esse crassæ in febre miti, quandoq; sunt etiam crudæ, tenues, albicantes, aliquando prorsus similes sanis: de causa diuersitatis, quidquid alii dicant, veritatem refero.

Reperiuntur vrinæ turbatæ & confusæ ex putredine in vasis communibus in venis omnibus vel maximis cum domino sanguinis. in tali casu expurgantur per vrinas, fit insignis humorum agitatio & consequenter perturbatio. Fiunt crudæ, quando aut focus putredinis est in aliqua parte determinata, aut in iecore & venis, sed cum abundantia humorum crudorum, vbi hi non expurgantur. Fiūt prorsus sanis similes in hectica pestilenti. Nā virulentia malefica obsidet tantū cor, nō iecur nec venas lib. 3. de crisi c. 12. tamen moriuntur propter extinctionem caloris innati. Considerandum lib. 3. de præs. ex puls. c. 4. proponit inter vrinas prauas, quæ habent sedimentū liuidū, & quę habent sublimamētū telę araneę.

Apud scriptores tales non offendi. Deinde vellem scire propter quam causam reponantur inter prauas. habent sublimamentum in formam circularem, ideò vult in forma æmulari telas, propterea scribit in forma telæ congestæ. Tale contentum sæpiùs obseruaui in pestilenti, & certè primis annis ignoraui causam, eam tamen iam dicam.

Arbitratus sum esse perniciosum propter triplicem causam, figuram, situm, colorem propter figuram, nam contentum naturale debet esse pyramidale, quod indicat coctionem: si obtinet formam circularem, ostendi

N 3 humorum

[illegible] orum insignem agitationem in corpore, & venis.

Ex situ. nam huiusmodi sublimamentum est crassum: si esset tenue, non esset mirum quòd ascenderet. cùm igitur ascendat, fit propter impetum caloris exsiccantis & attenuantis substantiam crassissimam.

Ex colore etiam. nam materia cruda debet potiùs tendere ad fuscum significat itaq; materiam valdè exsiccatam. Hęc de vrinis.

Quantum ad calorem, hic magna ex parte in externis non apparet propterea Auic. habet quietem exteriùs, turbas interiùs: nihilominus dantur etiam feruentissimæ, vt Thucydides meminit, febre pestilenti laborantium, qui propter insignem caliditatem exteriorum in puteis se extinxerint: tamen plerunque, vt lib. 4. de præs. ex puls. cap 4. lib. 3. de cris. cap. 4 & lib. 7. de simpl. med. fac. c. de terra Samia. quinimo 4. acut. com. 17. febres ardentes omnes habere externa frigida & 4. aph. 48.

Calor.

Fluxus colliquatus.

Cognoscitur præterea ex fluxu colliquatiuo. 3. in 3. Epid. comment. 27. hoc signum neque conuenit omnibus pestiferis, nec semper, nec sol s. Non semper, quia dantur pestiferæ, quæ nullum habent prorsùs alui fluxum: sed præterea non omnibus, quia dantur, in quibus adest potiùs fluxus materiæ nigricantis aut alterius coloris, quam colliquatiuus sect. 4. aph. com. 21.

Non solus, quia ex sententia Gal. lib. 10. met. med. c. vlt. & li. 8. de comp. med. sec. loc. c. 7. fit etiam colliquatio in febribus ardentibus.

Itaque fluxum colliquatiuum febris pestilentis distinguetis à cæteris. primùm, si febris non admodum ardens: nam proprium febris pestiferæ est, vt inflammet, & mortificet, putrefaciat, lib. de cib. bon. & mali suc. cap. 1. Et quanquam ex sui natura febris non sit ardens, potest talis esse ratione veneni. Accedit, quòd vbi adest febris pestilens, colliquatio magis fœtet. Hęc præcipua signa febris pestilentis.

Peticulæ

Præter quæ manifestior apeticulæ varii coloris in cute, exanthemata quædam acuminata in cute, quæ sunt crassioris materiæ, carbunculi, bubones, parotides, abscessus insignes. Si accedat etiam insignis inappetentia, cum lingua arida, nam malunt mori quàm cibum accipere.

Prognostica.

Omnis pestilens pernitiosa, & magna ex parte ad necem deducit. Vna spes salutis est virium robur.

Curatio. Præseruatio pestis.

Cùm nobis institutum sit de omni febre pestilente verba facere, propterea etiam de Epidemica, quæ pestis nuncupari potest. Idcirco congruum est non solùm febris pestilentis curationem, sed etiam pestis præseruationem proponere: de qua primò, deinde de curatione erit sermo.

Victus ratio.

Ad præseruationem pestis nihil aliud confert, quàm conueniens victus ratio in omnibus sex rebus non naturalibus. Ideirco si ex parte aeris huiusmodi affectio communicari debeat, quantum quidem suspicamur in primis qualitatibus & occultis primum huius ratio est habenda, quod fit, si quando veneficam qualitatem contineat, à tali aere fugiant, vitent aerem, longè, citò, tardè, dicunt illi, est consilium, quod desumitur ex Hippoc. com. 2. lib. de nat. hum. tex. 4.

Alter modus est per correctionem aeris, qui corrigitur partim exsiccãtibus, partim etiam odoratis.

Tempore Hipp. ad extirpandam hanc, incendebant nemora ex lignis potissimùm odoratis, iunipero, cupresso.

Conferunt vt dixi, quæ exsiccat, & odorem habent. Sed quia his temporibus non facilè nemora incenduntur, alteretur aer liquoribus accensis: Propterea vtantur suffumigijs ex ladano, styrace, belzoino, gariophyllis, ligno aloes, aut decoct. aq. nenuph. rosaceæ, melissæ, cum santalis, rosis, myrtis, cortic. citri, ozymo, cariophyllato, cinnammomo, & pomis odoratis, quæ continuè detineantur in manibus, & conficiantur ex ladano addito moscho & ambra, styrace, nuce muscata, gariophyllis. Forma sit talis.

℞. ladani vnc. ij.
garioph.
lignialoes
nucis mosch. an. drac. j.
Styracis drac ij.
moschi
ambrę an. scrup. j.
M. & cum aq. ros. & flor. citri aut cum vino ordorato fiant pil.

Tempore calidiore conueniunt poma magis temperata, quæ recipiant simul cum ladano camphoram, santalos, flores rosarum & violarum, addito tamen moscho & ambra. Possunt etiam componi globuli quidam perforati aut ex ligno aut ex ligno aut argento, in quibus includitur spongia madefacta in aceto & aqua ros. vel aceto & aq. fl. citri, vel aliâ aqua magis odorata, detineatur semper sub manibus.

Conuenit etiam continuo in ore gestare aquam radicem odoratam gentianæ, imperatoriæ, zedoariæ, costum, zinziber, etiam, nucem mosch. garioph. radicem angelicę.

Præterea cordi extrinsecus imponendum, quod inhibeat aeris prauam qualitatem: Probatur vsus inunctionis ex theriaca, mithridatio, addito succo citri, vel limonum. probatur vsus inunctionis factæ cum oleo magni Ducis Hetruriæ aut ex oleo quod vocant oleum vitæ, vel ol. ex hyperricone. Laudant nonnulli gestationem arsenici in sacculo impositi supra cor.

Quia hac ratione venenum nunquam possit in cor recipi: sed venenum attrahit venenatum: propter substantiæ similitudinem. Sed quanquam ratio probabilis, sum eius opinionis: nullum medicamentum venenatum posse attrahere venenum nisi afficiatur. Si itaq; debet

debet attrahere, oportet vt tangat carnem, calefaciat & rubefaciat locum. Propterea non improbo vsum venenati, sed consulo, vt permisceatur cum portiuncula mithridatij ol. proposito, theriaca.

Sacculi. De sacculis nihil dico, quia mihi videntur parum præstare posse.

Quantum ad reliqua, si corpora ab excrementis sunt munda, neque purgatione, neque sanguinis missione indigent, sed aluus perpetuò lubrica est seruanda: si sit astricta, pro clysteribus vel pil. moueatur pestilentiæ lib. de 3. cum Russi. Quod si corpus sit impurum, cacochymium & plethoricum, conuenit venæ sectio, & purgatio. Propterea lib. 1. de diff. febr. c. 4. se in statu pestilenti hoc obseruasse inquit Gal. esse necessarium. Itaque secanda vana & euacuandum. In cæteris conueniens victus ratio seruanda, vt vtantur cibis optimi succi, abstineant ab omnibus fructibus horariis, ab oleribus quæ facilè putrescunt, ficubus persicis, cucum. &c. à lacticiniis, caseo, venere: vtantur exercitationibus moderatis; nec manè nec vesperi exponant se aeri, & vtantur vita frugali: poterunt etiam vti antidotis antequam domo exeant, de quibus in curatione, ad quam nunc venio. In qua curanda ego non versabor circa ephemeras, quia citò iugulant, vel ad sanitatem transeunt.

Cibus.

Curatio putridarũ pestilentium. Distribuenda curatio est in duas partes 1. ad Putridas pestilentes. 2. ad Hecticas pestilẽtes.

Primùm in Putridis pestilentialibus locum habent Indicationes, quæ propositæ sunt in singulis putridis. Sed præter illas indicationes, adest etiam alia desumpta, quæ quid indicet, docuit Galen lib. 13. meth. cap. 6. lib. 5. de simplic. med fac. cap. 18. & lib. de constit. art. cap. 19. His locis inquit; *curari veneua vel alteratione, vel euacuatione per manifestas qualitates, uel quæ agunt proprietate occulta, seu totius substantiæ.* Euacuatio autem fit per medicamẽta attrahentia in cute, siue sint calida & acria, siue caua cornua, aut cucurbitulæ, aut cauteria, aut alia attrahentia. Itaque intentio ratione veneni est alterare ad oppositas qualitates, alterareque à tota substantia, & attrahere veneficam qualitatem ad cutem. His suppositis venio ad curationem.

Q. Num liceat secare venam. Ratione putredinis, quatenus pendet ex humoribus, conuenit euacuato etiam per alias vias. Quæritur itaque, num expediat sanguinem mittere, & per sectam venam? Si ego vellem multum morari in singulis quæstionibus, per duos menses integros finem non facerem. Nam nullum est remedium, quod nõ habeat varias diuersitates. Quia tot sunt pestus facies, vt quod semel profuit, in alia non prosit, quod vni, alteri non. Hic fluctuant authores. Ego dicam per quasdam distinctiones, quid tutò & conuenienter agendum.

Quantum ad venæ sectionem, quanquam res ita controuersa, vt reperiantur, qui semper abhorreant & nihil existimẽt perniciosius.

Ego rem hanc egere distinctione puto, quæ fere tota ex viribus petenda, aliquando etiam ex occasione, propter quam facta febris pestifera. Ex viribus. nam vbi constant, certò & tutò potest secari: si infirmæ, semper abstinendum.

Ratio est in promtu Nam vbi in febre pestifera putrida vires sunt collapsæ, non solum venenum ipsum superauit facultatem cordis, sed venarum solida substantia etiam est corrupta. In hoc casu sectio est intermittenda, ꝙ docuit Galen. libr. aduers. Iulianum cap. 8. *Si vires constant*

Hac ratione 2. etiam aph. 17. in cacochymia, quæ etiam significat insignem humorum putredinem, Galenus fuit venæ sectionem, & vtitur tantum purgatione. Propterea libr. de cib. bon. & mal. succi. cap. 1. inquit in ea pestilentia, quæ suo tempore contigit, paucis missum esse sanguinem, & id summa cum ratione factum esse: quia quibus secabatur, moriebantur.

Ratio, quia cum huiusmodi febris pestilens ortum duceret ex prauis edulijs, eo corruptionis venerunt humores in venis, vt nihil boni superesset. Ex quo, vt obiter dicam, accipio sententiam doctissimi Erasti, qui scribit in quadam epistola ad Cõnradum Gesnerum, *tutius esse mittere in illis, quæ ex aere, quam quæ ex improbis alimentis profecta sit.*

Ratio, nam vbi ex aere, non est necessarium, omnes humores in venis esse corruptos. In quo casu potest mittit, missus potest attrahere virulentiam à corde ad venas.

Sed si ortum ducit ex praui alimentis, omnes humores sunt corrupti, propterea periculosa. Ideò lib. 9. meth. cap. 5. consulit mittendum quamprimum in febribus synochis, antequam putredo venas ipsas aggrediatur.

Itaque ex illis, quę scribit 5. in 3. Epidem. 79. patet, non vsque adeò Galenum reprobasse sectionem in pestiferes. Nam scribit Hippocrat. 1. in 3. Epid id fecisse, & eum laudat propterea non improbauit à principio tantum, quando vires adhuc sunt constantes. propterea etiam Aetius Paulus, Oribasinus, Auicen. Celsus, Mercatus, & Vidus Vidius admittunt hanc; quanquam Cardanus; & alij aliter sentiant.

Inspicienda enim est occasio fabris. Si ortum duxerit ex prauis succis, magis timenda, quàm si ex aere adde. Si virulentia sit suscepta per inspirationem, mittatur: si per transpirationem, non, ne virulenria in ambitu retrahatur in venas. Secanda igitur vena hac ratione.

Sed quæ? Quidam secandas inferiores, alii superiores, & ex his putant potiùs magnas quam paruas, alii saluatellam. In hac re opus est distinctiones: si ortum duxerit febris pestifera ex vasis communib. secentur inferiores, vt eò trahatur venefica qualitas. Nam si crurum scarificatio probatur propter eandem intentionem, conueniet & sectio. *Quæ venæ secanda. Quãdo inferiores.*

N 3 Idipsum

Idipsum est faciendum vbi sunt suppressi A menses, sed si obsideat locum determinatum, aperiatur superior. Vtrum verò in cubito vel saluatella, oportet respicere ad vires: si sint constantes, communis; si imbecilles, aut vereamur in posterum tales reddi, non displicet sectio saluatellæ; quanquam Aloysius Mundella, & Hieronymus quidam Epistolas scripserit contra Iosephum Valdanium contra hanc rem: nihilominus eorum rationes nihil valent contra nos. Nam nos non requirimus adeò copiosam euacuationem, saltem vj. vel vij. vnciarum.

Tempus mittendi.

Tempus mittendi, si fieri possit, est prima dies, aut si vires constet, secunda. nam statim concidunt. B

Ludouicus Mercatus tract. 4. febris malignæ consulit, vt reiteretur sectio, cuius sententiam improbo: quia febris progreditur, venenum diffunditur.

Q. Num liceat venam secare apparentibus peticulis carbunculis. bubonibus, &c.

Vnum quæritur, an apparentibus peticulis, exanthematibus, carbunculis, bubonibus, liceat venam secare? quę ipsa quoque sententia habet proprios authores. Io. Baptista Susius integrum de hac re libellum scripsit, qui hanc rem probat. quod accipit Vidus Vidius lib. 6. & Mercatus prædicto tract. 4

Ex alia parte non desunt authores & rationes in aduersum, quod non. Nolo proferre rationes, quia longum. Dicam tamen rei veritatem. Apparentibus peticulis adest plenitudo C quo ad vasa, vel non. Si adest, mittendus sanguis per venæ sectionem etiam apparentibus peticulis: si non, abstinendum.

Quod debeat aperiri in plenitudine, ratio est in promptu. quia in tali plenitudine, si sanguis mittatur, citiùs materia transmittitur extra venas ad cutem.

Ratio: quia, vbi adest plenitudo quo ad vasa, ea ita extensa vt fibræ non possint fungi suo officio. Exemplum simile est, libro 4. de Loc. aff. cap. 4. inquit *inter cęteras causas, quæ faciunt difficultatem vrinæ, esse copiam vrinæ*, & quæ sequuntur: ita etiam contingit venis nimium repletis: accedit quod vbi admodum sunt refertæ, orificia ita adstringuntur, vt illud D quod est conclusum, non possit euacuari.

Accedit etiam, quod cùm tota putredo subsistat in ipsis venis, si intermittatis sectionem in tali plenitudine, quid erit tandem? non euacuabitis focum totius putredinis per cucurbitulas. Propterea Galenus lib. 14. meth. cap. 10. in carbunculo pestilenti secat venam, & lib. 3. de comp. med. sec. loc. cap. 2. in parotidibus etiam secat. 2. in 6. Epidem. tex. 30. in apparentibus pustulis in cute etiam. Quando tamen aut non adest insignis plenitudo, aut quando existat insignis plenitudo, si quis vult facere largam euacuationem, periculum est, ne materia retro cedat. Propterea lib. 4. de tuenda val. cap. 6. respiciens ad statum corporis, in quo non adest tanta plenitudo, prohibet: pariter lib. 4. de tuenda val. cap. 10. in lassitudine phlegmonodes inquit secta vena retrocedere.

Sed in tali casu non mittatis, nisi corpus sit plenum quoad vasa, & mittatis, mediocriter.

Cucurbitula.

Inter chirurgicas operationes, quæ in pestiferis locum habent, præter venæ sectionem, sunt etiam cucurbitulæ, hirudines, cauteria, & vesicantia.

Cucurbitularum nomine intelligo tam scarificas, quam non scarificatas: & per scarificatas tam illas, quæ infernis admouentur (quas dixi substituendas in locum scarificationum) & quæ lumbis, dorso, & naribus apponuntur, omnes locum habet. Nam si sermo sit de ficcis, poplitis, malleolis adhibendis, aliquando locũ habent, etiamsi nulla præcesserit venæ sectio, quando vires eam non sustinuerint, ad fuerint symptomata grauia.

Eligitur etiam scarificatio post sectam venam, quando dicta symptomata tam appareant.

Quod ad cucurbitulas dorso, lumbis, & natibus adhibendas disputani alias, num liceat his partibus affigere, atque etiam obiectiones dissolui: vna restat, de qua inferiùs num administranda apparentibus exanthematibus & peticulis: quod sint potiùs symptomaticè quàm criticè electa: soluam inferius, pro nunc satis sit intellexisse adiuuandum esse huiusmodi motum.

Si mulier gerat vtero, in hoc casu non ita tutum est cucurbitulas eo loci affigere, poteritis applicare brachijs.

Hirudines.

Venio ad Hirudines, quæ possunt affigi venis sedalibus, narium, temporum, & post aures.

Sed talibus quæ consueuerunt sanguinem per hæc loca excernere nulla præmissa sanguinis missione, teste Galen. lib. 4. de tuend. val. cap. 4. vbi scribit in plenitudine totius corporis euacuandum per sectam venam.

Sed aperiri non possunt huiusmodi venæ, quando fuerit secta vena, quando vrget coma, delirium, nec appareant maculæ, vbi adhibendæ cucurbitulæ? De hirudinibus adhibendis venis narium habeo maximum dubium. Scio has esse in vsu, mihi tamen minimè probantur. Moueor authoritate & ratione, experimento quinetiam.

Num liceat hirudines ad hibere naribus.

Quantum ad rationem, non solent adhiberi nisi vbi iam morbus est in augmento. quia adhibentur ad euacuationem sanguinis in capite, post vniuersales adhibentur: tunc igitur febris pestilens, de qua nunc est sermo, est consummata, absoluta, & putredo admodum progressa. Si itaque superiùs diximus in hoc casu non secandam venam, multò minus licet euacuare sanguinem per huiusmodi locos eo ipso tempore: Quia euenit, vt magna ex parte compesci non possint, nec sunt figmenta. Proximis mensibus quidam obijt apud Seruos statim post adhibitas hirudines venis narium, non vi morbi. Si vrgeat necessitas, poteritis

teritis adiuuare setis porcinis, aut phlebotomo; A nam est minus malum,

Accedit, quòd euacuatio sanguinis narium in pestiferis, numquam est salutaris. in hoc differunt ab acutis, quod hæ magna ex parte iudicari solent feliciter per sanguinis narium excretionem compositissimè 3. in 3. Epidem. com. 35 74. scribit fluxum sanguinis narium copiosissimum esse proprium signum benignarum, & quæ sequuntur. Et rationem attulit locis cit. & com. 67. 4. libr. acut, vbi docet, sanguinem, qui excernitur ex naribus stillatim, vel effunditur ita stillatim, semper malum quippiam esse, &c. Per locorum densitatem intelligit inflammationem cerebri. Propterea non adiuuetur, vel non adiuuanda hirudinibus propterea addiuuetur setis porcinis scarificatis narium, aut venis post aurea. B

Cauteria Quantum ad Cauteria, solent administrari potiùs in pelle ad præseruationem, qui modus tutissimus, vt est obseruatum in pestilentijs proximis. Sunt valdè familiaria in brachijs & cruribus, nihilominus aliquando etiam vsurpantur in ipsa actuali febre, in comate, lethargo, &c. adhibentur etiam aliquando in bubonibus, carbunculis pestilentibus.

Vesicãtia Quantum ad Vesicantia, hoc tempore non ero longior in comprobando horum vsu, vltra satietatem scripsi. confugite ad tres libros, dicã tamen hic quædam principaliora.

Primum existimo huiusmodi medicamenta debere in omnibus febribus pestilentibus (loquor de pestiferis) siue sint ardentes, siue non, administrari. Si non pestilentes, tantùm malignæ, non probo, sed alias reuulsiones. Rationes in meo libro videte.

Tempus ad ministrandi. Tempus administrandi, vt docui etiam, est Principium morbi, non Status, vel saltem tempus, in quo patientes sunt extinctioni proximi, quod faciunt medici.

Oportet in pestilenti statim post vniuersum, deuenire ad vesicantia: à me in hoc casu adhibentur partibus inferius, vt venefica qualitas deriuetur ad partes ignobiliores.

Progrediente febre si augeantur symptomata capitis, adhibeo etiam brachijs supra carpũ, aut supra cubitum; vrgente adhuc magis necessitate etiam post aures, & syncipiti.

Vsi d li... ...menum. Ego aliquando infixi nouem cauteria patientibus, & Deus testis est, maxima cum felicitate in vs, quo etiam primarij huius vrbis professores deseruere.

Materia vesicantium est varia, sed ego habeo infrequenti vsu expertum. Nam pasta ex cantharidibus, fermento, sinapi requirit et ceratum, vt possit seruari supra locum, & est efficacissimum, nec molestum.

℞ canthar. præpar vnc. ß.
euphor.
sinap. an. drach j.
sem. ameos drach ß.
ceræ.
resinæ
terebin. an. q. s.
M. f. ceratum.

Rationes dissuadẽtis vesicantia. Hoc medicamentum habet multas difficultates, quas nõ propono, dumtaxat duas aut tres audietis, breuis ero.

Prima ratio, quòd hæc medicamenta impediant motus naturæ, secundo quòd coctionem; tertiò quòd febris calorem calorifica adaugeant.

Responsio ad 1. Quoad primum: quando dicunt impedire motus naturæ, aduertatis. Vesicantia ex nostro consilio adhibenda in principio morbi: in principio petam ab istis num existiment esse vtiles, & criticas, an symptomaticas? Si respondeant symptomaticas, profectò argumentum nihil concludit: si criticas, ego ostendo huiusmodi excretiones in principijs pestiferarum omnes potiùs adiuuari, quàm impediri in principio; addo vesicantia in principio posse prohibere fluxiones saltem symptomaticas, & vtiles adiuuare. Videmus excretiones pestiferarum, quæ fiunt per nares, vomitum, alui fluxionem, sudores, exanthemata, & carbunculos, bubones, parotidas, vel vrinas, quæ sunt principales excretiones. Ex his quales vtiles, & quales inutiles? Inutilis stillicidium sanguinis narium, fluxus alui, & vomitus. De stillicidio sanguinis narium iam intellexistis, Gal. semper explodit. hanc retrahunt vesicantia. Vomitus quoque est excretio, quæ aliquando solet contingere in pestiferis, sed rarò admodum. videbitis paucissimos patientes, nihilominus hæc quoque excretio perniciosa lib. 11. meth. cap. 4. in febribus synochis, quæ non sunt pestilentes, consulit vt ducantur excrementa per aluum. C

Per vomitum autem rarò inquit: nam vetetur læsionem, hanc retrahit vesicans. Propterea Aetius sermone 9. in affectu cardiaco vtitur his. Tertia euacuatio improba, fluxus alui colliquatiuus ex 3. in 3. ep. 59. est signum pessimum, in com. 53. alt: nam debilitata retentrice, fieri lienterias didicistis: Est etiam consentaneum, sicut extincta erat facultas ventris nutritiua, vnde cibos prorsus ait Hippoc. paulo post eos fastidiuisse. sic retentricem etiam fuisse læsam; & 57. pestis quoque inquit illa longissima, quæ nostra ætate vulgata est per excrementa alui omnes propè perement. D

Fluxus colliquatiuus estne vtilis? Profectò non: oportet hunc retrahere, & impedires, quod faciunt vesicantia: aliæ euacuationes excitantur à vesicantibus: vrina, quæ vtilis vt Hipp. 2. in 1. epid. tex. 4. & sequentibus, dicit in illa pestilentia illos tantùm esse seruatos, quibus superuenit stranguria, &c. quod addiuuent alias excretiones, maculas, bubones, iam clarum. Potestis legere meum tertium librum.

Quod verò istæ sint vtiles, iam probo. Primum

mum 6. aph. 25. Galenus scribit omnem ex- A cretionem ab internis ad externa vtilem esse: protulit hæc verba occasione eorum, quæ scribit in Hipp. apphorismo, vbi ait, igne in sacrum ab externis intro conuerti, non bonum; ab internis vero extra bonum. inquit Gal. huiusmodi sententiam non tantùm in Erysipelate locum, sed vniuersum in omnibus habere excretionibus. Itaque omnes excretiones, quæ fiunt in cutem, vtiles sunt; & com. 17. eiusdem 6. sect. exemplo anginæ, & 3. progn. tex. 17. vsque ad 20. Propterea Galen. habet pro signo pernitiosissimo, si excretiones aliquando retrocedant: hæc, quam ipsi vocant symptomaticam B 1. in 1. prorrh. com. 1. fere in fine. quem locũ volo vos legere, *multò melius esset vt nunquam apparuissent*, &c. Sed dicunt, adsunt in principio, & in principio nihil vtile excernitur. Nihil concludit argumentum. Quis hæc docet? Si talia, qualia decet vacuantur, & cum tolerantia virium, semper sunt vtiles. Repetit Gal. pluribus locis 1. aph. 21. qui est locus præcipuus, & egregius in febre pestifera. si excernitur venenum, nonne excernitur, quod debet excerni? Si maculæ bubones, &c Nonne ea, quę debent excerni; neminem puto hoc negaturum.

Responsio ad 2.

Sed si verum est in materia turgente posse Medicum vti purgante statim in principio, quæ ratio, vt statim in principio non possit euacuari? Vellem audire rationem. C

Sed quod maioris est momenti, alio tempore vtiles esse non posse nisi in principio, si loquamur de pestifera adhuc cum periculo.

Nam duplex in principio, in declinatione potest sponte sua excerni. 4 aph. 21.

Sed si supponamus pestiferam in suo vigore inter principium, & augmentum. illud verum tempus in quo debent fieri salutares crises, & qui has non habent, moriuntur. loc. 2. de phœnig. 1. com. in 1. libro prorrh. text. 12. vbi scribit Hippocr. in phreniticis, & quæ sequuntur in com. considerat, quæ sit permutatio crebra, & inquit potest fieri à partibus nobilibus D ad ignobiles, vel contra.

Si priori modo, morb. fit leuis, benignus, Si posteriori, fit periculosus, lethalis. His declaratis, subiungit postea quamobrem dixit Hipp. in principijs: quia (inquit Galen.) aliter fieri non potest. quid clarius? propterea vesicătia, quæ adiuuant, sunt prorsus amplectenda, vt lib. 3. de comp. med. sec. loc. cap. 2. in parotidibus loquitur de parotidibus benignis in abscessibus. libro decimo tertio meth. c. 5. vtitur pariter attrahentibus. Qui plura voluerit, legat, vt dixi, meos lib. de phœnig.

Pharmacia.

In pestiferarum curatione nihil fere caret dubio: audiuistis quæstione circa chirurgiam contingentes: audietis nunc quæ ad Pharmaciam.

Q. Vtrũ cõueniãt euacuantia.

Quęstio in primis est de euacuantibus medicamentis, vtrum conueniant? Ratio quæstionis est, quia Hip. 3. in 3. Epidem. 56. & 57. asserit omnes fere peste illa laborantes ventris purgatione fuisse extinctus. Hippocr. 56. purgationes multos ostendebant: quorum qui sic habeant, subito multi peribant: multis malum producebatur. 57 vnuq. verbo: qui longis morbis, vel acutis tenebantur, ventris vitio omnes præcipue exanimati sunt. Cunctos namque venter sustulit. Galen. etiam in com. illo 57. inquit, *quod contingit in hac pestilentia Hippocratica*, & quę sequuntur.

Itaque si omnes, qui ventris purgatione tentantur, intereunt, non administranda.

Ex alia parte cum hęc febris ex cacochymia humorum valdè putrescentium ortum ducat, ex sententia Galen. 2. aphoris. 17. aliter non tollitur, quàm purgatione. Ideirco lib. 1. de diff. feb. cap. 4. vult corpora omnia esse siccanda purgationibus, & lib. 5. meth. c. 10. vbi sermonem facit de vlceribus pulmonum, quæ contingebant in pestilentia, inquit idem, *vt ex hoc loco videatur posse colligi purgationem esse vtilem.*

Resolutè dicam. Distinguendum primum, vtrum febris pestilens ortum ducat ex prauis succis propter praua edulia, an ex aere, vel causa extrinseca. si primum, suspicandum febrem hanc semper habituram fluxum colliquatiuum perniciosum connexum, in quo casu maximè cauendum à purgationibus.

Quando non conueniant.

Cognoscens autem superuentura hæc, non tantùm, si febris ortum duxerit ex prauis succis, quantum etiam si sit valde ardens, & adsint ventris tormina, rugitus, murmurationes; In his casibus cum purgationibus cautæ agendum, si autem ortum duxerit ex causa extrinseca, vel intrinseca, vbi talia non adsint, licet deuenire ad euacuantia.

Sed dubitatio etiam est de qualitate, vtrum in principio sint danda lenientia, vel electiuè purgantia? Sunt rationes: quidam enim volunt, quod purgantia, quia materia turgida, statim euacuanda, deinde est venefica, quæ nō potest concoqui; tertiò in principio vires magis constant, quam in progressu. Accedit, quòd in principio non adest ille fluxus colliquatiuus qui superuenit in augmento.

Q. Vtrũ in principio dãda lenientia an electiue purgãtia.

Dicunt alij è febris hæc maximè omnium vires deijcit, quarum habenda ratio. Accedit, quod cum videatur maximè proprium fluxus colliquatiuus, verendum ne corruant in intestina, & veniant ante tempus.

In hac re etiam distinctione est opus.

Si ortum duxerit ex causa extrinseca, & homo sit probis humoribus, non improbo medicamentum purgans.

Et quia etiam post dubium, vtrum in hoc tempore adhibenda purgantia validissima, quemadmodum faciunt Paracelsistæ, antimonium scilicet diaturbith minerale, an initio ra? Quamquam magna pars Medicorum explodat, nihilominus in peste in corporibus, quæ corrumpunt ex aere extrinseco, si statim accipiant hæc validissima, puto in his casibus

sibus posse esse proficua, vt potius obseruare A in proxima peste, vsurpanda autem in robustissimis, etsi ortum ducat à causa externa.

Itaque melius est vti purgantibus minoribus, vt pilulis Ruffi, diacathol. rhab. agarico, &c.

Si febris sit valdè ardens, immineatque suspicio fluxus colliquatiui, vtamini lenientibus alijsq. refrigerantibus, & humectantibus: & quia in tanta humorum putredine vnica euacuatio non sufficit, singulis aut alternis diebus est vtendum leniente subducente aluum. tale, quidquid alij sentiant, potest esse cassia: improbant quod sit humida noceret, si perseueraret in corpore, & putresceret, aut loco eius sume syrup. ros. sol. mel. ros. sol. serum caprinum cum melle, vel syr. ros. sol. exempli B gratia, primo die syrup. ros. sol. vnc. iij. cum lib. ij. aut iij. seri caprini præparati, aut pari ratione mel. ros. aut mannæ. Si vires permittant, sequenti die vnc. ii. decocti cum alijs ij. aut 3. lib. ser. caprini. Si infirmiores, abstineatis, & tertio præbeatis.

Clyster.

Si vires hanc euacuationem non sustineant agendum clysteribus refrigerantibus, & humectantibus, fiunt potissimùm ex ptisanę hordeaceæ lib. i. cum sacchari vnc. ij. & butyri vnc. iij. accommodatissimi etiam sunt ex lib. j. lactis, sacch. vnc. ij & butyri vnc. iij. Vbi cōtra aluus sit lubrica, vel vires non permittant, ad his deueniendum.

Sudorifica.

Euacuanda etiam est materia per sudores, cutim totius corporis, partim per cucurbitulas, per vesicantia, inunctiones.

Inunctiones.

Inunctiones sunt variæ, sed his temporib. in frequenti vsu habetur Aetii ex ol. aq. & nitrio vnc. ij. ol. dulc. ol amygd. dulc. vel chamom. vnc. iij nitri drach. ij. Ex hac inunctione inungetur vniuersalitas totius corporis, qua ratione euacuatur materia ad circumferentiam. & quamquam non desint recentiores, qui horum vsum improbent propter nimiam excalescentiam, quia tamen scopus magis vrget pellere venenum ad extern., admitto.

Verum est, in febribus ardentibus potius: D ol. chamom. quam amygd. dulc. vsurpandum. Et si hyems non sit admodum rigida, factè apud Germanos in hypocaustis possunt ad ministrari. accipienda etiam diuretica.

Alterantia.

Alterantia in febre pestifera sunt refrigerātia, & humectantia ratione febris siccantis, cardiaca, & alexipharmaca.

Quo ad refrigerantia, & humectantia non defuere, qui existimarunt locum habere aquā ipsam frigidam: inter hos est Cornelius Celsus lib. 3. cap. 7. accipit ex Auic. c. de cur. febr. pestilent. Gal. vero & Hippocrat. nullibi de hac verba fecere, quamquam in ardentibus concesserint, mihi tamen (pace nostri Auic.) non potest probari. primum enim certum est in pestiferis febribus, vt dicebam, excretiones vtiles magna ex parte fieri in principijs, 1. in 1. Epidem. 12. Si fiunt in principijs excretiones vtiles, aqua frigida, quæ præbetur in huiusmodi morbis, præbetur gratia alterationis, vel euacuationis. Gratia euacuationis in omnibus il ec. 1. acut. 41.

Aqua frigida potio nō probatur

Et propterea vult præberi huiusmodi aquam tempore tantum coctionis: insurgit enim natura ad expulsionem huiusmodi humorum.

Si itaque res sic se habet in pestiferis, in quibus vires admodum imbecilles, natura non admodum valida, vt possit frigidum humorem superare, potiùs inferret ea mala, 2 acut. tex. 40. quàm vt posset prodesse. Periculū enim, ne retineatur in ventriculo, &, omnia mala producat, quæ ibi recensentur: in tali igitur casu mihi non probatur. Si sitiant, probatur magis aqua hordeacea, stillatitia ex acetosa, soncho, cichorea, syrup. acetosus, de acetosit. citri, succus limon. destillatum ex carne cum acetos. citri, quæ bibant vsque ad satietatem. Itaque de aqua sic sentio.

Siccātia.

Quantum ad siccantia, partim calida, frigida, in actiuis qualitatibus temperata. Calida sunt amara, salsa, acria, frigida, austera, acerba, acida.

In febribus ratione siccationis amara, salsa, acria non eligenda. nam augent calorem febrilem. accipienda quatenus alexipharmaca.

Quantum ad frigida, austera, & acerba, C quidquid alij sentiant, & Auicen. dum curat febres ex variolis vtitur astringentibus. Itaque dicit iste; cùm eadem ratio pestiferum & harum, idcirco conueniunt hęc astringentia. Domini mihi non probantur, existimo aliam esse rationem variolarum, aliam febrium pestiferarum.

Obseruabitis variolas salutares non apparere ante quartam diem, itaque nobis licet eo tempore medicamentis vti, sed in his febribus aliter res se habet. Si exhibebitis hæc, prohibebitis excretionem exanthematum, itaque relinquenda. Potestis tutò accipere refrigerantia, & siccantia, acida, succum limonum, arantiorum, citri acetosæ, acetum, & omnes confectiones ex his. syrupum etiam de ribes; nam ribes est potiùs acidius, quàm austerus, alii vero austeri, cotonea, mespila, granata improbantur: isti succi etiam probantur, quatenus habent vim aperiendi permisticum decocto ex pentaphyllo, agrimonia, acetosa, borragine, capillo veneris, melissa, sem. citri, & sic moueatis mediocriter vrinas.

Probantur exsiccantia acida.

Quantum ad siccantia, sunt alia, quæ sunt neque admodum frigida, nec admodum calida, sed in actus qualitatibus temperata, terræ cornua. &c. varia.

Sunt omnia siccantia, nec habent vim refrigerandi, aut calefaciendi. Sed quia omnia etiam inter alexipharmaca locum habent de his disputationem instituam lectione sequenti.

Plurima sanè sunt cardiaca medicamenta quæ

Antidota simplicia. quæ in pestiferis administrari solent, & hæc A partim sunt calida, partim frigida. suntq. vel simplicia, vel composita. Ex simplicibus. nonnulla sunt apud Medicos probatissima, quæ tamen aliquam habet difficultatem. Inter hæc est lapis bezoarticus ab Arabibus quidē celebratissimus, & nostris temporibus à Ioan. Manardo, & Garcia ab Horto de quo Lapide contra febres pestiferas, & omne venenum plura dicuntur.

Lapis bezoarticus. Ego tamen, vt ingenuè dicam, dum Venetijs praxim exercerem. maximam huius copiam consumpsi, nec egregiam operam feci. Scio plurimos, quibus exhibui, fuisse sanatos: sed non retuli in lapidem.

Causa, quia reperio apud scriptores, quòd B eo sumpto sudor copiosus excitetur, post quem statim subleuantur. Ergo tamen non vidi sudorē prorumpentem. vel si apparebat, erat sudor imperfectus. Itaque quantum ad me, abieci omnem spem huius lapidis in his febribus.

Fieri potest, vt ego inciderim in sophisticum & adulterinum. Sed cum Venetiis medicinam facerem in primatum ædibus, persuadebant esse omnium excellentissimum.

Itaque si genuinus reperitur, ferè habet illas dotes, quas tribuunt. Notæ non possunt ita tutò proponi.

Differentia lapidis. Sunt tamen duæ præcipuę differentiæ vnus qui extrahitur ex ventre animalium ex Indiis orientalibus: alter ex occidentalibus.

Ex Indijs occidentalibus sunt admodum inefficaces, coloris cinerulenti, & multo viliores quàm orientales: & scribunt duplum ponderis, respectu orientalis præbendum. Qui ex India orientali, color fuluus inclinans ad fuscum, videtur annulari colorem castaneę: qui solet adulterari.

Nota. Scio Lusitanos scriptores habere signum, si cortex interior sit politus sicut exterior, argumentum esse Sophistici: si rudis, probi. Addunt etiam cognosci lapidem, si frangatur, si in meditullio reperitur granum, festuca, Sophisticus; si puluis, probus.

Ego inueni aliquando, quos existimaui omnium præstantissimos, & tamen in meditullio reperiebantur folia exiccata. Ego mihi persuasi hoc signum non concludere.

Ratio: quia congeritur in ventre animaliū post assumptum alimentum: assumunt autem varia alimenta.

Itaque fieri potest, vt huiusmodi materia in ventriculo concrescat circa folium. Ergo non concludit argumentum. Itaque si lapis reperiatur probus, mihi etiam probatur. Quando reperiantur ex occid. prębeantur gr. vj. viij. cum aq. cordialis, scorzoneræ acetosæ, aut mea cordiali, de qua nunc dicam.

Terra Sigillata. Est etiam difficultas de Terra sigillata. Nā ex vna parte Matthiolus in Diosc. cui etiam adhæret Brasauola, existimant terram Lemniam nostri temporis, differre à Galeni. Rationes, quia color non idem: nam motus, ex quo eruitur, non eiusdem coloris, quem describit Galenus hanc rem nolo latiùs disputare. Scio Georgium Agricolam aliter sensisse, esse eandem cum sphragide Galeni: si aliquo modo diuersa, eruitur in Lemno ex monte, semel in anno seruari exactè, non esse venalem, Cum etiam sit valdè friabilis potiùs vulis. Propterea probatur quantitas scrup. j. & drach. ss. *Dosis.* dissoluta, similiter in aliqua aqua cordiali, acetosæ, &c.

Idem dico de alijs terris. Nam vnius, & eiusdem sunt facultatis Vngarica, Silesiaca, Samia, Bolus armen. &c. probantur in eadem quantitate.

Cornu unicornu. Est etiam difficultas de cornu vnicornu de quo multa scribuntur. Existimatur natura præstantissima aduersus venena, & præcipue aduersus pestilentiam.

Sed difficulta. Quandoquidem etiamsi reperiantur animalia, quæ habeant vnum cornu, nihilominus differunt magnitudine, colore, figura, vt vix ab vno & eodem animali possint extrahi, vt non possit asseri, vtrum magis efficax. Siquis tamen experientiam fecerit pluries profuisse, poterit hoc in vsu habere, si non certiora habeat.

Inter cordialia sunt & aurum, argentum, gemmæ variæ, præcipue hyacinthus, carbunculus, smaragdus, corallia, &c. De his etiam dubium, num aliquid præstare possint in febre C pestilenti, & omnibus venenis.

Nam ex vna parte Erastus disp. 4. contra Paracelsi. multis argumentis probat in his posse nullam vim cardiacam reuneri. Rationes inter cęteras, quod scilicet huiusmodi omnia iā propemodum talia excerni àlius ex corpore qualia recipiuntur. Si medicamentum debet agere in corpus, debet actuari; vbi actuatur, dissoluitur, & dissolutione simul immiscetur cum qualitate uenefica.

Dicet quis, quanquam uideantur talia excerni, aliquid tamen remittunt in corpore utile. hoc etiam infregit Erastus. Nam D inquit post excretionem habere idem pondus.

Ex alia tamen parte omnes contra esse cardiaca omnia asserunt. Scio Paracelsitas, qui voluerunt huiusmodi aurum potabile reddere, vbi possit vehementer prodesse. Sed hic modus minùs probatur, quàm alius, uel per folia, tabellas, infusa, decoctione. Nam non potest reddi tale, nisi post aquas omniū ardentissimas causticas &c.

Itaque, etiamsi in huiusmodi rebus assumptis per os non multum fidam, nec habeam in vsu, nihilominus, quia non posunt obesse, non improbo. Mihi magis probantur conuenientem præparatum, os de corde cerui, testæ omnes præpositæ, & succi fructuum, plantarum radicumque pulueres, in quibus maximè confido. *Cornu Cerui.*

Ex his igitur sumenda sylua pro febre pestifera.

stifera. Itaque hoc constituto cum dixi aliqua ex his medicamentis esse frigida, aliqua calida in pestilentibus, quæ sunt ardentissimæ, consulo vt habeatis in vsu aquam meam, qua sum vsus satis feliciter in febribus pestiferis, vt A

Aqua cordialis

℞. succor. barraginis,
buglossæ.
melissæ,
acetosæ:
oxylap.
trinitat.
bistortæ.
cyani ma. & min.
rutæ caprinæ.
calendulæ.
limon.
citri an. lib. j.
aceti. lib. j. ß.
sem. citri. vnc. ß.
sem portul. drach. ij.
flor. nymphea pulueris.
viol.
ros. an. anc. j.
terræ sigill.
bol. arm. oriens.
ter. Sam. an. drach. iij.
spec. triasant. drach. ij.
camph. drach. j.
Infundantur species in succis propositis & macerentur per horas 24. tempore æstiuo, per 3. dies verò hyeme in loco calido; deinde destillentur per alembicum uitreum in dupli ci vase, cuius aquæ poteritis præbere vnc. ij sine simplicem, sine mixtam cum pulueribus propositis. eris efficacissima.

In febribus itaque ardentissimis hęc frigidiora sunt in vsu.

Quantum ad pestilentes, quę videntur potiùs habere nescio quam frigiditatem, multa reperiuntur prę stantissima apud scriptores, quæ non recenseo.

Febres pestilentes, quæ habent aliquam frigiditatẽ.

Legatis inter cęteros Andream Gallum in suo fasciculo de febribus pestil. lib. 5. præcipuè. Nihilominus si quis statim uoluerit parare aliquod genus medicamenti, fortè non facilè reperiuntur apud Seplasiarios, vt ol. de ouo, Papę, Regis Galliæ, Basiliense, vos ad libitum parabitis aliquot bolos, rotulas, pulueres, aut electuaria. D

Si volueritis pillulas, sint tales.

Pilulæ.

℞. sem. citri. drach. ij.
rad. tormentil. drach. j.
scordij cretici.
marg. pręp ar. an. drach. ß.
cum syr. de acetos. citri f. pil. xij. & deaur.

Dentur ij semper ante cibum, & syrupos.

Si voluerit potius rotulas.

Rotulæ.

℞. marg. pręp ar. drach. j.
dictamni Cretici.
scordij cret. an. drach. ß.
rad. torment. drach. j. ß.
moschi.
ambræ an gr. iiij.
sacch. dissol. in aq. fl. citri & acetosæ q. s.
M. & f. conf. in rotulis.

Conserua.

Conseruę

℞. Cons. acetos. citri.
fl. borrag. an. vnc. j.
spec. cord. temp. drach. j.
M. dosis est. vnc. ß:
semper ante cibum, & syrupos.

Inter cæteras antidotos, quæ sunt venales, & magis egregiæ est Theriaca, & Mithridatium, de qu alis inter Iosephum Valdanium, & Calzauellium, & post illos inter me, & Excellentissimum Massariam.

B Ego censeo esse in febre pestilente, quæ non habet colorem adeò excellentem, omnium accommodatissima. Lib. de Ther. ad Pis. cap. 16. Galen. extollit theriacam miris laudibus: & profectò hanc sententiam recepere omnes posteriores, Ficinus, Iubertus, Valdanius, Capellus, vnus Trincauellius, & Iulius Alexandrinus contrarium statuunt; præbe ad drach. ß.

Exterius etiam sunt vsurpanda illa cordialia, de quibus dixi in pręseruatione.

Hic accedat victus ratio, de qua breuiter.

Primum est dubium, an conueniat victus tenuis, an medius, an plenus. Persuadent multi tenuem, quia morbus acutus. quod argumentũ militat in illis morbis acutis, in quibus vires cõstant. C

Itaque si incideritis in laborantes cum virium iactura, statim vtamini victu pleno, qui alteretur siccantibus, & alexipharmacis, imponetis acetosam, succum, citri, pulueres propositos.

Si fiant contusæ, misce succum citri, & pulueres cordiales.

Si non collapsæ, victus tamen debet esse mediocris, non admodum tenuis, saltem panatella in optimo iure, ouum sorbile manè, & vesperi.

Vinum non conuenit, nisi in collapsu virum. De cæteris nihil: aluus quotidie sit lubrica.

Hectica pestilens

Hectica pestilens curatur Alexipharmacis attrahentibus in cutem, refrigerantibus, & humectantibus, præter victus rationem debitam: ex refrigerantibus, & humectantibus est serum caprinum cum succo limonum vel citri.

Ex alexipharmacis si corpus non admodum feruidum, potissimùm probatur vsus Theriacæ pro attrahendo venena ad exteriora. Vesicantia, & Frictiones laudantur.

De victus ratione nihil dico. Nam de hac agetur in proprio tractatu de Hecticis, quem nunc aggredior.

De

De Febribus Hecticis. Cap. XXXIX.

Vnde hectica dicta. ABsoluimus iam Dei auxilio duo simplicium febrium genera, Ephemeras scil. ac Putridas. Tertium in præsentia succedit, Hecticarum nempe. Denominationem autem sumpserunt istæ febres, non, vt plures existimant, ab habitu, sed magis à solida substantia, quam occupant. Quandoquidem, si ab habitu sic dicerentur, omnis hectica esset in habitu, & consequenter difficillimè amoueretur. Consequens tamen est falsum. Nam dantur Hecticæ lib. 1. de diff. febr. c. 9. lib. de marcore c. 7. & lib. 10. meth. cap. 5. quæ ex balnei aquæ frigidæ administratione statim vno die soluuntur. Itaque denotationem sumunt à partibus solidis.

Non oës febres hecticæ sūt in habitu & cum tabe. Non inficior quidem, dari plerasque hecticas, quæ cum tabe sunt, & in habitu; sed quod omnes tales dicantur, falsissimum est. Quod si Gal. lib. 1. de diff. febr. c. 7. dixit, febres hecticas tales dici, & ab habitu, & solidis partibus, alterum dicendum, dici ab habitu propter tabidas, vel, quod magis placet ab habitu; quem potentia semper contineat, quanquam actum non semper habeant.

Quid febris hectica. Est hæc febris intemperies calida & sicca solidorum cordis, & totius corporis æqualis.

Per intemperiem siccam possumus duo intelligere, aut scil. intensionem qualitatis siccæ absque defectu humidæ substantiæ; aut intemperiem, quæ est qualitas, & simul etiam substantiæ humidæ defectum.

Omnis hectica est intemperies sicca, accepto nomine siccitatis per intensionem Qualitatis. Neque enim sola hectica, se omnis febris est intemperies calida & sicca. sed accepto nomine siccitatis pro defectu substantiæ humidæ, non omnis hectica est intemperies sicca. Hoc explicauit Gal. lib. 1. de diff. febr. c. 9. vbi scribit; dari hecticas absque siccitate; & in principio illius cap. scribit, dari febres hecticas absque tabe, in quibus rorida humiditas non est consumpta, sed tamen efferuescentiam patitur. Non nego quidem et in prima hecticæ specie posse aliquē defectum huius humiditatis roridę reperiri, sed datur tamen etiam absque hac. Itaque est intemperies sicca accepta quandoque pro qualitate intensa, & defectu partis solidæ.

Sed dicetis, quid intelligis nomine partis solidæ? Tribus modis accipitur à Gal. aliquando pro seminali tantùm. Sic membrana, neruus, vena, arteria, dicuntur verè partes solidæ: hoc modo accipit lib. 10. meth. c. vlt. prope finem, quando scribit, in vero Marasmo partes solida exsiccari. 2. Aliquando pro seminali, & carnosa, & adiposa. Hac ratione 2. aph. com. 7. dum interpretatur locum Hip. qui breui extenuantur, breui reficiuntur: quia humorosa, vel spirituosa tantùm substantia est deperdita, non autem solida. Et tertio accipitur pro aggregato ex illis omnibus, quæ concurrunt ad constituendum membrum similare, ita vt etiam secundæ humiditates vocatę comprehendantur inter partes solidas. de quibus lib. 1. de diff. febr c. 9. & 10. meth. c. vult.

Subiectū huius febris. Cum igitur tot sint significata solidæ partis, si quis quærat, quod subiectum febris hecticæ? Dico omnia proposita, & sigillatim, & coniunctim esse subiectum. Dantur in quibus hæc tria recipiunt caliditatem, & siccitatem; Dantur in quibus duo tantùm: & in quibus substantia sola seminalis recipit caliditatem, & siccitatem. Explico, febres Hecticæ, quę non sunt tabidæ, & vocantur febres hecticæ primę speciei, habent pro subiecto, & substantiam roridā, & simul carnosam & adiposam & seminalem. Ratio quia huiusmodi febres sunt intemperies æquales, vt intelligetis postea. Si æqualis: Ergo debet obsidere omnem substantiam? Si enim non obsidet, non erit æqualis. Sed sic est, quod sint omnes humiditates substantiæ in corde. E. subiectum hæc tria.

Dicet quis, quænam est hęc substantia rorida, quæ humiditas distributa per membrum? Auic. videtur aliquantulum dissentire à Galeno. nam fen. 1. lib. 1. doctr. 4. cap. 1. & fen. 1. lib. 4. tr. 3. c. 1. ponit quattuor humiditates, præter carnosam, & seminalem. Prima, quę continetur in extremitatibus venarum, quæ adhuc non exiuit ex venis. Hanc dicit esse humiditatem nomen non habentem. 2. que iam exiuit ex orificijs, & diffusa est per substantiam membri, & vocatur Ros. 3. quæ iam distributa est carni, & adipi apposita, hanc vocat Cambium. Est quarta, quæ iam assimilata, & habet vim vniendi omnes partes similares, & dicitur Gluten. Itaque videtur Auic. voluisse nomine secundarum humiditatum intellexisse has omnes. Sed res non sic se habet. 1. excluditur prorsus ab Auic. qua non habeat locum in febre hectica. Videatis locum. Sed si ebulliat, facit synochum non putridam: si putrescat, facit synochum putridam. Hanc cognouit etiam Galen. lib. 7. meth. capit. 6. circa principium. Secunda explicatur ipsa à Galeno partim lib. 7. meth. 6. & 8. meth. vlt. & lib. 1. de diff. febr. c. 9. quam vocat Roridam materiam, substantiam aptam ad membri nutritionem. Alias duas non ponit ampliùs inter secundas humiditates, sed inter substantia solidas membri, & summa cum ratione. Itaque febris hectica non tabida habet pro subiectis huiusmodi humiditatem.

Subiectū febris hectica non tabidæ. Si autem tota humidas rorida consumpta transit in secundam speciem. quæ dicitur hectica cum tabe, intemperies calida & sicca carnosę adiposę, & seminalis substantiæ cum exsiccatione humiditatis roridę.

Sed hoc loco dicet quis, si intelligetur hæc soluta consumptio, quomodo possit hoc intelligi; namque febris hectica tabida. in qua non colliquata caro est adeps, est curabilis. Si sanabilis, dicet quis, oportet, vt partes carnosę, & adiposę nutriantur: Si non nu-

triun-

triuntur, statim exsiccarentur: non possunt A nutriri, nisi ex substantia rorida, quæ distribuitur per membrum. Si hæc est tota consumpta, ex qua materia nutrietur? in febre tabida semper humiditas rorida est ex toto cōsumpta. Sed quamquam hæc & quotidie consumatur, non sequitur propterea, quod quotidiè distribuatur. Ergo non sequitur: Quanquam exsiccetur tota, quotidiè tamen noua distribuitur. Propterea lib. 1. de diff. feb. c. 9. constituit tres differentias huius febris tabidæ: (non loquor nunc de marasmo) quæ etiam differentiæ maximam habent latitudinem: possunt adhuc distribui in minores.

Differentiæ tres.

Ego tamen istas tres tantum proponam. Prima est, quæ appropinquat Febri Hecticæ non B tabidæ. Secunda quæ magis appropinquat Marasmo. Tertia est media inter vtramq;. In prima specie adest tantùm consumptio humiditatis roridæ. In secunda iam est consumpta & colliquata tota humiditas, quæ pertinet ad carnem & adipem. Tertia, in qua propter consumptionem humiditatis roridæ, caro & adeps ipsa sunt in colliquefieri, non colliquata adhuc.

Quid marasmus.

Tertia differentia est Febris, quæ vocatur Marasmus, quæ est febris in qua non ampliùs adest humiditas rorida, nec in carne nec adipe: sed intemperies calida, & sicca obsidens neruos & arterias, vt si fieri posset, ex illis partibus etiam colliquesceret. lib. vndec. meth. capite vltim. Itaque Marasmus est intemperies calida & siccissima, quia aliæ humiditates sunt consumptæ.

Simplex

Huiusmodi Marasmus aliquando est simplex, aliquando Compositus. Simplex, quando adest siccitas, absque excessu vel caliditatis vel frigiditatis: quod fit in nimiis ieiuniis, & superpurgationibus.

Compositus.

Marasmus compositus componitur vel cum caliditate, vel frigiditate. Si cum caliditate dicitur propriè febris marasmodes, de qua nunc loquimur: quandoq; simplex est, seu absolutè sic dicitur; vel syncopalis, quia habet syncopē annexam, lib. de marc. Vbi connectitur siccitas cum frigiditate, contingit duplex: Ex senio, & morbo.

Marasmus ex senio. *Marasmus Philippi.*

Ex senio, vt contingit in ætate decrepita. Ex morbo autem fit ille marasmus, qui vocatur marasmus Philippi lib. 7. meth. c. 4. & lib. 1. de diff. febr. 8. Quia Philippus Medicus excogitauit huiusmodi nomen. Hæ sunt differentiæ febris hecticæ omnium specierum.

Dixi esse intemperiem solidorum & cordis & totius corporis. Nam ex corde communicatur, qualis in toto, talis est in corde lib. de marc. c. 1. Dixi æqualem. Non est tamen impossibile reperiri hecticam cum inæquali intemperie. Nam intelligenda illa propositio nisi quid prohibeat: Si quid prohibeat, non necessariò. Demus hydropicum laborantem hac febre. Author lib. 3. de præs. ex puls. ca. 5. inquit: *sicuti quando calor est in humoribus*, & quæ sequuntur Si supponit dari Hecticam, in qua humores sunt frigidi: Ergo non omnis intemperies æqualis; sed æqualis est, quando nihil prohibeat.

Ex dictis Dubium emergit, an scilicet, si febris hectica est æqualis intemperies, sit etiam necessariò cum hectica connexa: Ergo Ephemera sit putrida?

Ratio dubii est: Quia si hectica est æqualis intemperies: Ergo consequenter obsidet non solum solidam substantiam, sed etiam Humores & Spiritus: Vbi verò humores & spiritus sunt in calefacto esse, videtur adesse Ephemera, & Putrida. Respondetur. Hecticæ connecti quidem semper Ephemeram tam legitimam quàm spuriam. Per Legitimam intelligo, quæ fit ex spirituum accessione: per Spuriam, quæ ex humorum efferuescentia. In Hecticis itaque vbi humores ebulliant, semper cum his adest Ephemera & spuria & legitima.

Non tamen valet consequentia. Ergo etiam adest Putrida. Nam in hectica quanquam humores sunt calefacti, non sunt putridi.

Causæ vel sunt Communes vel Propriæ. C.

Communes internæ.

Communes intelligo, quæ pluribus hecticæ differentiis conueniunt: Proprias, quæ vni tantùm differentiæ.

Communes causæ duūm sunt generum, Internæ, & Externæ. Lib. 1. de diff. febr. c. 8. & 9. inquit quasdam hecticas fieri ex progredientibus morbis, alias incipiendo ex procatarcticis causis.

Vbi igitur Hecticæ ortum ducunt ex præcedentibus morbis, aut sunt Acutæ, aut Chronicæ. Si acutæ, vel sunt ex vasis communibus vel determinatis. Ex communibus ex genere biliosarum & ardentium, quæ fiunt in corporibus calidis & siccis, squalidis & emaciatis: quales facilè transeunt in Hecticas tam ex propria natura, quam Medicorum incuria. Ex propria natura: quia intemperiebus calidis & siccis, facilè possunt roridam humiditatem depascere. Ex Medicorum incuria, quando non adhibent aquam frigidam in tempore opportuno. D Secundus error Medici est, quando cogit patientem vltra debitum tempus ieiunare. Ex loci autem determinatis, quando isti loci tentantur, vel inflammatione, vel erysipelate, vel mixto. Itaque si fuit ventriculus, iecur, pulmo, colon intestinum, mesenterium, &c. laboret inflammatione vel erysipelate, trahit in consensum cor, vt excitetur febris hectica. Docuit id Galen. lib. 10. meth. med. cap. 8. lib 9. de diff. febr. c. 9. & lib de marc. cap. 7. vbi disputat pro hac re contra Philippum.

Cæterùm, non tantùm ex propria febrium natura febris hectica sequitur has febres: verùm etiam errore Medicorum, vt testatur idem Gal. lib. 1. de diff. febr. c. 9. si administrentur cataplasmata ex melle vltra modum, &c.

Similiter vsus importunus vini generosi administrati à Medicis, est in causa, vt febris

O transeat

transeant in hecticam: Sic igitur febres actu A possunt in hecticas transire. Idipsum etiam faciunt febres chronicæ, siue excitentur ex vlcere pulmonis, sanguine putrido, & abscessu. Destillatione in thoracem lib. 2. de præs. ex puls. c. 8 & 1. in 1. ep. com. 17. & 2. in 1. ep. com. 13. in locis docuit fieri ex his 4. causis.

Fit præterea hectica ex inflammationibus spuriis. quod docuit ll. cc. sed non tantùm ex inflammationibus spuriis, verùm etiam aliis febriculis, cum coniunguntur cum aliqua euacuatione.

Quantum ad euacuationem, scribit Gal. lib. de diff. febr. c. 9. Fit etiam absque euacua- B tione ex febribus longis, aut nimis obstructionibus, & longis, siue sint quotidianæ, siue tertianç, siue etiam quartanæ, si corpus sit dispositum. Hæ sunt causæ hecticæ internæ vocatæ.

Causæ catarcticæ. Aliæ verò, quæ dicuntur Procatarcticæ sunt, quç excitant febres hecticas, quæ fiunt incipiendo, & sunt ex sententia Galeni ll. cc. irç lassitudo, mœror, nimia exercitatio, vigiliæ, & inedia.

Nũ fiat absque præcedẽte diaria. Quæritur tamen hoc loco, numquid huiusmodi causç faciant hecticam absq; præcedente Diaria? Fuerunt qui existimarunt fieri absque præcedente Diaria, quod Galen. ll. cc. distinguat hecticas in duo genera, quorum alia sequitur alias febres, alia non. Sed ratio est in C oppositum, quia spiritus multo promptiùs caliditatem suscipiunt ex causis relatis, quam solida, propterea lib. 2. de cris. c. vlt. scribit nullam febrem hecticam fieri in primis diebus. sed clarius lib. 1. de diff. feb. c. 9 vbi proponit causas procatarcticas Postea subiungit. *tunc primum est febris hectica, quando iam superueniente eo tempore febris deberet desinere, non tamen desinit.* Itaque supponit præcedere Ephemeram. Est locus clarissimus. Causæ igitur in genere hæ sunt.

Causæ speciales triũ specierum. Quantum ad speciales causas: primùm, si sermo sit de hectica primæ speciei, fiunt magna ex parte ex huiusmodi causis procatarcticis, nec in omnibus subiectis, sed calidioribus D & siccioribus tantùm; in corpore humido nunquam fit febris hectica incipiens, inquit Gal. Contra verò causæ internæ vocatæ ardentes communes ex inflammationibus, vulcere, &c. possunt producere febres hecticas primç. 2. 3. speciei.

Marasmus simplicis. Quia tamen diximus prçter febrem Hecticam, & Tabidam adesse etiam Marasmum simplicem, qui est intemperies sicca, fieri solet ex nimiis euacuationibus siue alui, sudoris sanguinis narium. Nimia inedia vigiliæ exsiccant corpus, faciunt marasmum simplicem.

Sĩ licit Frigidi & sicci. Marasmus compositus cum frigiditate est test. Gal. lib. 1. de diff. feb. c. 9. ex importuno vsu aquç fridæ in ardentibus. Quis est iste importunus vsus? Est duplex, aut nimius vsus, quando Medici progrediuntur vltra terminum debitum. Alter, quando nimis tempestiue sc. in principio ante notas coctionis. Marcor autem compositus cum caliditate producitur ex morbis cautis, & chronicis. Marcoris syncopalis causa est syncope, quæ aliquando inuadit tentatum febre marcida, & patiens euasit, & postea iterum & denuò incidit syncopen. *Calid. & sicci syncopalis.*

Hactenus de causis quo in loco vnum restat considerandum; Num febris, vt habet causas, ex quibus producitur, ita etiam habeat ex quibus conseruetur? Hoc dico propter eos, qui sinistrè intelligunt locum Gal. 8. met. 1. Febris hectica caret causa, & habet causam conseruantem. Caret causa, quia potest esse absque causa, quia est morbus in facto esse, & propterea ex ira, mœrore, lassitudine, potest fieri præcedente ira, tamen manet hectica. tamen non valet, ergo febris hectica fit absque causa: in obstructione habet causam. In quo igitur a putrida differt, quç semper habet causam? in hoc, quod hæc est aliquando absque, hæc putrida scilicet semper cum causa. Venio ad Signa.

Signa quçdam sunt Communia, quçdam Propria differentiarum.

Quantum ad communia: primùm quidem proponitur à Gal. lib. 1. de diff. feb. continuitas caloris. *Febres hecticæ habent calorem continuum vnius tenoris à principio ad finem* quod repetit lib. 3. de præs. ex puls. c. 3. Hoc signum neque conuenit solis hecticis, neque semper. Non solis, quia etiam Ephemeræ & synochi cuiuscunque conditionis habent calorem à principio ad finem absque exacerbatione. Non semper; quia *plerumque* hecticç copulantur cum putridis. Itaque ad alia signa confugiendum. *Signa cõmunia. 1. Ex contĩnuitate caloris.*

Aliud desumitur ex pulsu *Sunt pulsus parui frequentes, & celeres:* In Synochis, & Ephemeris sunt maximi, vehementissimi. Aliud signum ex parte caloris. *Hectica habent calorem primo aspectu mitem,* qui tamen paulatim exacerbatur: in Ephemeris & Synochis, calor in principio est vehementissimus, postea mitescit. Distinguuntur prçterea siccitate: nam in Ephemeris, & Synochis corpus nulla ratione fit siccius; in Hectica adest aliqua cutis siccitas. *2. Ex pulsu. 3. Ex parte caloris. 4. Ex siccitate.*

Sed diceris, adestne etiam huiusmodi siccitas in prima hecticæ specie, vbi non adest Tabes? Sic lib. 1. de diff. febr. c. 9. propterea si duret febris vltra 2. 3. diem, signum hecticæ. Sed diceris, quomodo potest apparere, si est febris tantùm primç speciei? Duo possumus dicere; primum, adesse aliquam consumptionem tantùm humiditati aridæ: secundò, huiusmodi ariditatem adesse in ambitu, sed non in partibus solidi corporis. Ratio: nam cor omne maximè se tuetur ab iniuriis omnibus.

Aliud signum hecticarum est *incalescentia à cibo.* scribit Gal. lib. 1. de diff. febr. c. 9. febricitantes hora vna vel altera post cibum incalescere: in qua incalescentia pulsus fiunt celeriores &c. Auer. 4. Collect. 33. inquit incalescere 3. horis à cibo. Sed hac in parte quçritur causa, propter quam huiusmodi calor excitetur à cibo? *5. Q. excitetur calor à cibo.*

Autho

Authores sunt discordes, potissimum Auic. A dissentit à Galen. nam Auerrh. l. c. fieri asserit, cùm alimentum quod apponitur partibus siccissimis, & partes calidæ ex vicinia calidi cum calido pars incalescit: Gal. lib. 1. de diff. febr. c. 9. aliam affert causam: Quia materia humida est materia alimenti caliditatis & siccitatis membri. & quia postea subiungit exemplum de calce, propterea Auerrh. accepit occasionem impugnandi Galenum, & malè eum intellexit. voluit ideo fieri, quia huiusmodi alimentum tanquam frigidum sit in causa, vt calor in partibus solidis concentretur, perinde vt fit in calce. Calx tactu non est calida, concentrantur partes igneæ affusione aquæ frigidæ. Item Auerrh. voluit sensisse Galenum B fieri in partibus solidis. vide ipsius Auerrh. rationem: valeret, si ita intelligeretur Galen. vult Gal. id, quod supponit Auic. solida esse actu calida, & recipere alimentum partis calidæ, & siccæ, ex quo alimento pars fit calidior. Sed dicet quis: Si hoc est verum, caliditatem excitari ex appositione alimenti, quomodo fit 2. horis ab assumpto cibo, dum cibus adhuc est in ventriculo? Propterea dicet quis, si hoc verũ esset, oporteret reddi calidius post. 6. 7. horas, cùm tamen oppositum contingat. Tertiò dicet quis, posse etiam in ardentissimis absque hectica huiusmodi caliditatem apparere.

Quod ad primum; dico accepto cibo non C distribui crassiorem partem in ambitum, nec solidas partes sed tantùm vaporem transmissum & eleuatum ob copiam ciborum. Est certissimum, in syncope hoc apparet. Sed dicetis cur non fit post excretionem cibi ex ventriculo? Ratio in promptu: augetur hic calor, dum pars solida est exsiccata.

Ad tertium dubium dico: quòd augetur in ardentibus, sed in his hæc res non consideratur: in hecticis, in quibus calor paruus, obseruatur huiusmodi calor, & est certum & proprium signum febris hecticæ. Si incrementum caloris absque horrore, pulsus concentratione, & augmentum fiat quibusuis horis, est certis- D simum signum febris hecticæ. Quod incalescentia cum pulsus concentratione, suspicandum est de Putrida.

Versabor in examinandis Hecticarum signis, quædam proposui, plura supersunt consideranda.

Inter cætera est vnum, quod proponitur à Galeno tanquam præcipuum lib. 3. de præs. ex puls. c. 3. *Hectica laborantes febrem non sentire.* Ratio: quia Hectica febris, vt dictum est est Intemperies æqualis, qualis nullam infert molestiam: tristis enim sensus fit ex inæquali intemperie.

Cæterum hoc signum quanquam potest esse fallax. Nam in Phreniticis adest etiam hoc signum. febricitant illi, quod tamen non putant. id non contingit ex æquali intemperie, sed mentis læsione. Contingit etiam A quando in febribus paruis non hecticis absque delirio. Sic febres, quæ consequuntur Lienterias, obstructiones, vix ab ægrotis percipiuntur, cum tamen febricitent. Hoc tempore habeo nobilissimam matronam continua febre laborantem ex imbecillitate iecoris, nec putat se febrire. Istę tamen febres habent quidpriam admodum diuersum ab Hecticis: nam etiãsi non sentiantur, per quædam tamen interualla habent accessiones.

Aliud signum est, *quod calor febricitantium Hectica non est ita magnus in partibus circumstantibus arteriam, quemadmodum circa arteriæ corpus.* Si tangatur totum brachium, non ita est calidum, vt arteria, quæ emittit calorem satis acrem, lib. 1, de diff. febr. c. 9. Hoc signum adhuc manifestius in iis Hecticis, qui nuper loti sunt aqua frigida; & est signum certissimum nec tantùm sequitur, tunc febres Hecticas esse intemperies inæquales, nam fit ex aqua frigida.

Hæc sunt Signa in genere: Superest, vt veniamus ad species omnium Differentiarum Simplicium, & Complicatarum. Primo inter simplicia est Hectica primæ speciei seu hectica absq; tabe. Cognoscitur ex calore vniformi, quando non sentiunt calorem vniformem: Præterea pulsus non sunt admodum parui, neque admodum imbecilles, quemadmodum in aliis differentiis. Ratio: quia adhuc seruatur humiditas carnea, & adiposa; & propterea non est insignis excessus intemperantiæ cordis. Propterea lib. de marc. c. 7. inquint, in hac differentia abundare multo sanguine, vt liceat vti frigida. *Signa specialia Signum primæ speciei.*

Non sunt etiam duri pulsus, tantùm in Tabida sunt duri, & caro, quanquam fit facta siccat non tamen est consumpta.

Secunda differentia habet quoq; signa illa generica, quæ sunt proposita. Sed pulsus in hac iam fiunt languidi, parui duri, propter arteriæ, & corporis cordis imbecillitatem oculi incauantur, tempora collabuntur, cutis frontis fit ardior, caroque vniuersi corporis consumitur modò plus, modò minus. *Signum secundę differentiæ.*

Vnum considerandum, vtrum in hac secunda differentia adsit colliquatio vel in aliis excrementis, vel saltem in vrinis? Ratio hoc persuadet. nam si secunda differentia illa est, in qua consumpta est humiditas rorida; & calor, & siccitas obsideat carnem, & adipem; vbi colliquantur, secedunt in ventrem, vel vias vrinæ. Propterea Hippo. 2. progn. 35. inquit pinguedinem in vrinis supernatantem instar telæ aranearum, significare consumptionem, per consumptionem tabem intelligens. Et Gal. 7. aph. com. 35. inquit; pinguedo innatans in vrinis potest etiam vniuersi corporis colliquationem significare, nec renum tantùm. Quod confirmat Auic. fen. 1. lib. 4. tr. 3. c. 3. qui inquit in vrinis oleoginositatem esse indicium huius febris. Nihilominus Altimarus par. 1. de feb. c. 21. fuit alterius opinionis: in his febribus nunquam

quàm apparere colliquationem in vrinis. Mouetur autoritate Hal. lib. 10. meth. c. vlt. circa finem, vbi scribit tam ardentes, quàm Marasmodes esse febres colliquatiuas, sed hoc discrimine, quòd quæ portio carnis in tabidis febribus colliquatur, ea semper vaporis vice digeratur, in ardentissimis verò, & malignis febribus, quod liquatur, defluit in ventrem, & quæ sequuntur. Sed est deceptus Altimarus, qui existimauit id, quod scribit de marasmo tertiæ speciei, dictum fuisse de tabe secundæ speciei. Legatis Gal. eo loci, inquit ardentes, quæ habent huiusmodi colliquationem, nisi recte tractentur desinere in marasmum tertiæ speciei. Ego petam ab Altimaro, num possit esse transitus ardentium in marasmum torridū absque quod febres hecticæ accipiant primam, & secundam differentiam.

Signa tertiæ differentiæ. Venio ad signa tertiæ speciei marasmodis, quæ omnia facillima. Oculi in summo concaui, vt propterea ossa videantur prominere, tempora collapsa, nares acutæ, aures exsiccatæ & paruæ; cutis frontis arida, & tensa; color corporis mutatus ad liuidum & plumbeū; tota cutis arida instar corij, vt circa abdomen nullus musculus appareat, vno verbo Gal. lib. 1. de diff. febr. c. 9. esse pellem & ossa huiusmodi febres. *Pulsus.* Pulsus duri, debiles, parui atq; frequentes, quales illi qui vocantur decurtati, Muri, deficientes.

Signa marasmi simplicis exsiccitate. Marasmus simplex absque intemperie calida, & frigida ex siccitate, cognoscitur ex propositis, sed differt à marasmode tantùm pulsu. In hoc pulsus celeres, in marasmo tardi, vt Gal. lib. 3. de præs. ex puls. c. 7. circa principium.

Marasmi syncopalis. Marasmus syncopalis cognoscitur, quod ex leui causa incidat in syncopen.

Cognoscuntur Hecticæ compositæ cum alijs febribus: quia, cùm his complicentur, vel ardentibus conclusis, vel proportionatis, illisque vel acutis vel chronicis. Nemo est, qui non possit cognoscere febres illas putridas.

Signa hecticarum compositarum. Sed cognoscitur febris Hecticam cum Ardente si colliquatio tam in excrementis quàm vrinis, pulsus imbecilliores, tardiores, cutis incipiat arescere, & caro consumi. Si febris habeat exacerbationes, cognoscitur febris Hectica connexa huic febri, quod tempore declinationis quanquam sudent, si tangatis locum arteriæ, semper retinet caliditatem acrem.

Si connectatur cùm morbis longis cognoscitur morbo proprio, an adsit Henteria, obstructio, &c.

Quod non propono tantùm, quæ connectitur cum vlcere pulmonum, vel suppuratione, quæ cognoscitur à ceteris tabidis, primo quod in huiusmodi febre maxillæ rubeant: rubent autem 2. progn. com. 69. quod sputum retineatur, & pulmones ruborem & calorem ad genas mittant.

Præterea isti febricitantes sunt alati lib. de

A cauf. morb. cap. 7. dicuntur alati, qui habent ossa scapularum prominentia, vt videantur alas gerere.

Quærat quis, quæ sit causa, propter quam huiusmodi alati ostendant hecticam cum phthisi? Cui respondetur, alatos, & præcedere & subsequi in phthisi. quando præcedunt, habent rationem causæ huius febris tabidę, & phthisis. Causa proponitur à Galeno 2. in 6. epid. com. 13. vbi scribit huiusmodi alatos habere thoracem angustum, in hoc continentur cor, & pulmones angusti: vbi cor est angustum, etiam habent exilem caliditatem, vt dicat l. c. huiusmodi alatos esse flatuosos. In hac parua caliditate necessario coaceruantur excre-
B menta, verùm non solùm coaceruantur, sed etiam retinentur ex imbecillitate caloris, & instrumentorum angustia.

Sequuntur etiam phthisicos. nam qui fiunt phthisicis, emaciantur, ex macie ossa magis prominent.

Aliud signum est febris, quæ exacerbatur magis noctu quàm interdiu. quod proponitur ab Hipp. 2. progn. 60. & confirmauit Gal. 1. aph. 12.

Ratio tamen, quam proponit Gal. 2. progn. com. 60. certè mihi non probatur. Inquit causam esse eam ipsam, quam genericè proponit omnibus hecticis. genericè proposuit causam lib. 1. de diff. febr. c. 9. Mihi non placet: nam pe-
C to, cur non augeatur calor post prandium.

Ego aliam inuenio causam. In phthisicis adest hectica, & causa hecticæ, quæ est materia putrida. Hęc est materia suppurationis, quod docuit Halen. l. c. Itaque febris augetur noctu non ex assumpto cibo, sed ex materia suppurationis.

Sunt & alia signa: quædam tamen leuiora, pedes intumescunt, vlcera apparent, & sudor excitatur circa ceruicem, & pedes.

Tentantur etiam tussi, & vocem etiam amittunt ex nimia laryngis cruditate. Hęc sunt Signa omnium hecticarum.

Inter cętera febris Marasmodis signa Auic. Fen. 1. lib. 4. tr. 3. c. 3. proponit etiam hoc si-
D gnum, videlicet pediculos in istis apparere. Huius rei causam multi inquirentes ambigunt, propter quam causam id fieri possit. Etenim in tabidis deficiente alimento deficit etiam excrementum, ex quo pediculi generantur: Itaq; tantum abest vt in phthisicis generentur, vt potius deficiant. Cæterum causam affert Alexand. 2. probl. 31. qui inquit, *in marcidis non gigni, sed apparere pediculos: nā si pediculi adsint, ex defectu sanguinis, & caloris deserunt caput, & petunt pulsinaria, quærunt calorem, & pabulum.* *Cur pediculi appareant in phthisicis.*

Aliud denique signum est in istis vngues in curuari. Incuruantur com. 60. 2. progn. ex carnis siccitate: nam cum caro digitorum hinc inde exsiccetur, vngues cōtrahūtur, & exsiccātur.

Aliud etiam signum colligitur l. c. scilic. patientes habere semper etiam extremam

manuum

manum partem calidam: sed interior adhuc continet nescio quid humidæ substantiæ.

Prog. Ex febribus propositis Hectica primæ speciei, quæ Putridæ non sit connexa, omnium facillimè curatur: & si statim cognoscantur, statim etiam curatur. Quæ verò connectitur putridæ potissimum Ardenti, & difficilis curationis est, & nisi rectè tractetur, transit in tabem. Ex tabidis in secundo gradu ipsa quoque curabilis: quæ accedit ad tertium, prorsus insanabilis ex sententia Galen. lib. de marc. 23. & lib. 3. meth. c. 10. & 11. quia pars seminalis, vbi consumpta, & exsiccata est, non potest amplius ex alimento refici. Itaque hęc species tertia, sicut & marasmus senilis, est insanabilis.

Dubium est, num febris tabida secundæ speciei connexa cum phthisi sit insanabilis, an secus, nam lib. 5. meth. med. c. 8. & 11. scribit, vlcus pulmonis nulla ratione posse sanari: eruptiones in principio posse quidem consolidari: vbi autem inflammatio superuenerit, & vlcus neminem sanari posse.

Ex alia tamen parte sunt authoritates eorum qui asserunt quosdam phthisicos fuisse sanatos, vt Au. 13. c. 18. vbi scribit, se vidisse mulierem vsu facchari rosacci sanatam. Idipsum scribit conciliator Diff. 194.

Philippus Ingrass. in consilio pro Ducæ terræ nouæ, scribit se mulierem sanasse phthisicā vsu decocti: & alii authores hoc scribunt. Itaque si vobis huiusmodi febris cum phthisi superueniat, ne relinquatis istos: nam ego religiosum Venetijs etiam integrè restitui.

Malum signum in istis phthisicis, si capilli decidant, & si sputum super carbones proiectum sit fœtidum 5. aph. 11. Pessimum etiam si alui profluuio tententur eadem 5. & per fluxum alui non intelligit fluxum colliquatiuum, sed Diarrhœam aliquam, quæ superuenit ex defectu facultatis alteratricis & retentricis.

Curatio primæ speciei. Venio ad Curationem.

Et quia variæ Hecticarum febrium sunt differentiæ ratione gradus, ratione simplicitatis, vel compositionis: propterea distinguenda est curatio. Primum de simplici primæ speciei seu primi gradus: deinde secundi gradus: tertiò de tertii gr. quanquam sit insanabilis, & eo loco de omni Marasmo, postea transibo ad Hecticas Complicatas cum alijs putridis & alijs morbis, in quo summa est curandi difficultas.

Quod ad hecticam primæ speciei simplicē, curatur refrigerantibus humectantibus, & renutrientibus, sed præcipuus scopus est refrigeratio. Nam in hac differentia corpus non est adhuc exsiccatum, nec consumptum, sed tamen consumptio verenda, itaque tollenda causa; secunda humectatio, tertia renutritio.

Hanc refrigerationem & humectationem oportet præstare potiùs conuenienti victu, quàm medicamentis; etsi Alterantia non prætermittenda.

Propterea ex omnium consilio aer frigidus, & humidus est eligendus: eligatur conclaue tempore æstiuo septentrionem versus.

Si talis naturaliter non sit, paretur arte, simplicibus, folijs, & floribus nymphæę, violarum, rosarum. Eligendus aer frigidus susceptus in ambitu totius corporis. quod putant desumi ex Trall. l. 12. cap. 4. Sed non est ita; dicit hic tantum in aere calido alterationem fieri debere ad frigidum: & quæ sequuntur. Non inquit igitur, non accipiendus aer frigidus.

Somnus. Clyster. Somnus sit moderatus, Exercitatio nulla. Aluus lubrica cōseruanda, aut clysteribus mollibus, quales essent isti.

Recipe Iuris castrati, aut alterius lib. j.
sacchari rubri.
ol. viol. an. vnc. iij. M.

Loco olei potestis etiam accipere butyrum, loco iuris lac.

Potest etiam aluus lubrica conseruari Medicamentis lenioribus, vt sunt cassiæ drac. vj. cum drac. ij. mannæ. Nullus erit error, licet pręberc vnc. ij. mannæ in iure. Conuenit etiam syrupus, vel mel rof. simpl. ad vnc. j.

Cibus. Præter hæc est habenda electio cibi & potus. Concedantur olera refrigerantia, vt lactuca, endiuia, beta, atriplex, fructus humidi, poma cocta, cucurbitæ, melones, cerasa, pisces saxatiles, fercula ex lacte amygdalino, nucleorum pinus, caprino, asinino, carnes & pulli & agni & vituli, testes potissimùm, & cerebella animalium.

Potus. Pro potu eligibilior est aqua quàm vinum. Bibant communem, si sint assueti, vel alteratam cum mastiche vel coctam cum hordeo, vel destillatam ex pullo, vel stillatitias aquas ex cichoreo & endiuia. Si vires imbecilles, concedatis aliquam portionem vini albi aut rubri oligophori.

Inter cætera, quæ magni momenti sunt est vsus frigidæ, lactis, & balnei, de quibus dicam.

Aqua frigida. Quantum ad frigidam, Gal. in huiusmodi differentia commendat lib. de marcore c. 7. & lib. 10. met. c. 5. & 6. quando inquit, corpus adhuc abundat multo sanguine, non est adhuc tabes, est tamen calidum, & siccum, & periculum ne transeat ad marasmum. necessaria igitur potio aquæ frigidæ. & scribit se hac multos curasse & præseruasse à marasmos. Dicit in hac specie. quia in marasmo non conuenit. Itaque lib. 10. meth. c. 5. maximo detrimento dederunt Medici frigidam in Marasmo. Eligēda igitur tantum in prima specie; vbi cor adhuc non est consumptum.

Quantitas aquę est ab vna hemina ad duas & plures, vna hemina sunt 9. vnciæ. Itaque potestis vos præbere vnc. x. vel. xj. vel. xij.

Si huic non sunt assueti, præbeatis aquæ stillatitiæ propositæ: Endiuiæ portulacę, cichori an. vnc. iv. iulep. viol vnc. j. M. ...

aquæ hordeaceæ vel simpl. vel mixti cum eodem iulepo violato. Nam in hoc casu dulcia omnia, præcipuè mel, est fugiendum lib. 10. meth. c. 11. nam facile in bilem vertitur, inflãmatq; ipsum corpus.

Quantum ad lac, conuenit in huiusmodi casu. Nam etiam si corpus non valdè sit consumptum, quia habet vim humectandi & calorem febrilem extinguendi, vbi recesserit ad primum gradum secundæ differentiæ, licet vsurpare. Sit humanum, asininum, caprinum. Debet autem aut ex vberibus sugi aut emulgi in eodem conclaui, & calidum præberi, ne corrumpatur. Gal. lib. 10. meth. c. 11. vult admisceri aut mel, aut sal. Cum autem mel sit suspectum, & sal possit inflammari, loco mellis erit sacchari vnum cochlear. In primis diebus quantitas sit pauca, & videatis an etiam possint eam ferre sine noxa. quod cognoscitur ex pulsus lib. 10. meth. cap. 11. fiunt parui, inæquales, imbecilles. Itaque si tales fiunt, desistendum.

Quantitas est vna, seu vnciæ duæ, sequenti die iij. ita, vt ascendatis ad quattuor, & quinque vncias.

Balneũ. Quantum ad Balneum; summopere commendatur: vtrum verò debeat esse tepidum, an frigidum, an vtroq; modo, differentia est. Trall. lib. 12. cap. 4. probat tepidum, alii frigidum. Gal. lib. 12. meth. c. 10. vult, in hac prima differentia balneum quattuor modis debere administrari. Primum vult ingredi patientes in conclaue, in quo suscipiant aerem calidum, cuius ratione attrahantur omnes humores à profundo in ambitum, & fuliginosi halitus discutiantur, ne ex aqua frigida accedentes sint in causa, vt aliqua febris putrida excitetur, aut saltem rigor: Postea vt imponantur in labro aquæ tepidæ, vt hac ratione corpora humectentur, & solida etiam recipiant hanc mediocritatem. Tertiò immergantur in labrum aquæ frigidæ, vt retineant hanc mediocritatem. Quartò vt recipiantur in aliud conclaue, in quo adsit aer calidus, cuius ratione excrementa, si qua supersint, possint digeri.

Nobis, qui hoc non habemus, satis est accipere labrum propè focum plenum aqua calida, in qua immergantur, ita vt nullus rigor excitari possit: permittendum, vt aqua paulatim tepescat. vbi vsi fuerint hac tepida aliquo temporis spatio, superinfundatur frigida, vt humectationem possit continere, vt est consilium Rondeletii proprio tr. de febr. Hectica.

Quarta illa operatio à Gal. de aere calido mihi non probatur. Melius est, vt post huiusmodi balneum inungantur corpora ol. amyg. cum portione aquæ acetosæ, vt penetret: ponantur in cubili & post quietem cibus præbeantur.

Sed quia aliquando huiusmodi febres ortum ducunt ex insigni intemperie partium propinquarum, in quo casu balneum quidem prodest, sed iuuat etiam partes exteriùs aliquo epithemate vel linimento fouere. Pro iecore conuenit Epithema tale.

A

Epithema iecoris.

Recipe Succ. end.
epaticæ
sonchi.
portulacæ
cichorij an. vnc. ij.
spec. triasant. drach. iij.
aceti vnc. iij. M. linteolis duplicatis madefactis in succis positis frigidis foueatur locus multoties die.

Si fuerint Renes, refrigerentur vnguento rosato Mesuæ, aut infrigidante Galeni, quod constat ex cera, ol. ros. & aqua. Melius est vti succis, Exempl. gr.

Renum.

Recipe Succ. nymph.
solatri.
portul. an. vnc. ii.
aceti vnc. j. M. linteoli pariter madefaciendi, & applicandi hinc inde circa dorsum.

B

Si fuerit Ventriculus, foueatur hoc seq.

Recipe fol. labruscæ.
solani
semperuiui an. M. j.
ros.
myrtil. an. M. ß. bull. in s. q. aq. facta pres. f. fomentum, post quod inungatur ventriculus oleo ros. & melino, seu decy donis.

Quia verò Cor suscipit caliditatem & siccitatem, conuenient etiam Epithemata Refrigerantia.

C

Recipe aq. ros.
nymph.
viol an. vnc. iiii.
spec. triasant. drach. ij.
aceti vnc. j.
campb. gr. iiij.
M. pro Epithemata cordiali.

Proponitur curanda febris Tabida, aut Marasmus senilis, seu senium Philippi. qui duo affectus in fieri sunt considerandi, non in facto esse confirmato. Et enim febris tabida & marasmus senilis in facto esse sunt prorsus insanabiles. nihilominus, vt, qui his tentantur, saltem vitam longiorem habeant, & minore viuãt cum molestia, vtantur medicamentis, & diæta, quibus tam tabidi in secunda speciei, quàm marasmodi in fieri. Versabimur itaque primũ in tabida, quæ in secunda est differentia. Huius ratio partim conuenit cum Hectica primæ speciei, partim etiam differt. Conuenit quidem in præcipuis scopis, qui sunt refrigeratio, humectatio, & renutritio. in his conueniunt. Differunt quidem medicamentis, partim & cibis & medicamentis non solum in materia, sed & modo administrationis. Singula explicabo.

D

Curatio tabidæ in 2. differentia.

Quod ad medicamenta, dixi differre ab hectica ratione materiæ medicamentorum. Quia in tabida non conuenit vsus frigidæ Dicebat Gal. lib. 10. meth. med. c. 5. & lib. de marcore c. 7. *in illis, in quibus conuenit vsus frigidæ necessarium adhuc multum sanguinis in venis*

contineri, carnes non esse consumptas. alioquin vsus frigida pertingit ad partes seminale. Et quæ sequuntur. Conueniunt quidem iura alterata & in maxima quantitate octo vel 10. vnciis alterata malua, hordeo, passulis, nymphea, endiuia, cichorio, addatis istis emulsionem sem. melonum, amygdalarum dulcium. Differunt secundò, vt dixi, etiam in modo administrationis medicamentorum. Nam cùm in hac tabida conueniant etiam balnea, vt in priori hectica, est diuersa administrationis ratio 10. meth. 10. in hectica audiuistis ex sententia Galeni imponendos primum patientes, &c. in marasmo neque conuenit aer calidus; & quantum ad aquam, aqua tepida, in quam sunt immergendi, debet esse declinans ad frigidum, & præterea in hac non debent longam moram trahere, in quo errant multi practicantes. Gal. 10. meth. 11. scribit huiusmodi febrem tractandam balneo, ita, vt bis vel ter immergâtur in aquam inuoluti in sindone, quæ contineatur 4. robustis hominibus. Ratio, si longam moram traherent: paulatim relaxatur cutis, aperiuntur meatus, dissoluiturque corpus. Præterea quantum ad frigidam, in hecticis permittendum, vt aqua frigida imponatur in solio, vt vos docui: in tabidis hoc Galenus prohibet; quia corpus non sustinet, sed satis est leui & vnica perfusione. Sed vbi corpus est emaciatum & exsangue, potiùs vtamini inunctione vniuersi corporis, quæ quidem idem præstabit quod perfusio.

Lac. Quantum ad vsum lactis, quia conuenit, sicut in hectica lac asininum, & caprinum, absque vlla coctione. ita in tabida cum sit scopus maior renutriendi, conuenit potiùs humanum, quàm caprinum & asininum. Loquor de febre tabida simplici. & nutrienda etiam nutrix optimis alimentis. Quod si fortè abhorreant, eligatur potiùs caprinum, quàm asininum: & in hoc casu, siue adsit fluxus alui, siue imbecillitas, vsurpetis lac chalybeatum, aut coquatis lac ad tertias. Hęc igitur est differentia, quantum ad ea, quæ vocantur medicamentosa. Quātum ad Cibos, etiam est diuersitas.

Cibus. Quantum ad materias alimentorum: probantur variæ ciborum materiæ à practicantibus communiter, vsus cancrorum fluuiatiliū, cochlearum, testudinum, ranarum. Per cancros autem non oportet intelligere veros

Cancri. cancros fluuiatiles, qui sunt formæ rotundæ, sed de quibus loquimur communiter, vocantur Gambari. Isti probantur in febribus tabidis. nam ex Galeno sunt humidę substantiæ & ex crusta, vt inquit Gal. lib. 2. de temp. c. vlt. nō est arguendum esse substantiæ siccæ, sed contrarium arguendum. Cum itaque humidi & frigidi, summopere commendantur: & quia sunt crassi succi, non facilè digeruntur. Excogitarunt Medici varios modos præbendi. Primum debent diligenter coqui, non in aq. simplici, sed vel in lacte vel iure bono; post contundi & pulpa transmitti per setaceum; huic deinde adde, vnc. iiij. vel vnc. v. lactis caprini aut amygdalini, aut coque supra prunas vsque incipiat spissescere, addito sacchato, fit ferculum accommodatissimum.

Quantum ad limaces seu cochleas, huiusmodi medicamentum seu cibus habet maximas difficultates. video recentiores vti. Apud Gal. nullum inuenio locum in quo approbentur, lib. de cib. bon. & mal succ. c. 4. scribit generare succum crassum, quod 2. aph 18. repetit. & quia crassus succus est pituitosus, vel malancholicus, existimo colligi melancholicū succum, ita vt nocuus magis, quàm si esset pituitosus. Quod si melancholicus, colligo ex lib. de atrabile c. 4 loquens ibi de eduliis, quæ generant prauum succum, ponit etiam cochleas. Propterea lib. 5. de tu. val. c. 6. prohibet vsum cochlearum senibus. sed apertiùs lib. 11. de simpl. med. fac. c. prop. de cochleis, vbi scribit cochleas contusas cum testis & tota carne valere ad fluxus dysentericos, appositas ventri extrahere aquam hydropicis. Si essent humidæ non extraherent aquam. Ergo sunt siccissimę, propterea l. c. scribit partibus tumefactis extrahere humiditatem. Ergo sicci temperamenti. Quod autem lib 8. de comp. med. c. 4. scribit cochleas præbere alimentum, si legatis tantùm, textus est corruptus. Fieri enim hoc non potest nam contrarium vbique scripsit. Statuendum igitur cochleas frigidi esse & sicci temperamēti, generare succum crudum; propterea non conuenire. *Limaces num cum ueniant.*

Sed diceris, quid respondebimus ad obiectiones practicantium? Nihil aliud reciperem ex cochleis, quàm solum decoctum, vel aquam stillatitiam. itaq; aqua, quatenus refrigerat & humectat, probatur. Decoctum non simpliciter, sed mixtum potest pręberi. Non tamen improbo vsum vel carnis testudinis, vel ranarum, quæ multò humidior. Eligantur testudines terrestres, non aquaticę. Præparatio similis quam proposui de gambaris. Oportet primum testudines diligenter elixare, vsquequo possint extrahi, extractæ in frustra incidendæ, mundandæ, & iterum coquendæ cum iure caponis, vel vituli, vel pulli, contundendæ & transmittendæ per setaceum, fiatque contusum addito lacte vel sacchato: Nec obiiciat quis lib. 7. meth. c. 6. quod videtur improbare vsum eduliorum crassi succi in his laborantibus in temperie sicca. Nam loquebatur Gal. ibi de eiusmodi eduliis non præparatis hoc modo.

Soluam contradictionem in Gal. Li. 7. met. 6. & lib. 14. met. c. 16. in principio, vbi loquitur de nutriendis corporibus inquit: Cùm tamen 7 met. 6. dicit euitanda, quæ generant succum crassum. Per ea, quæ generant succum crassum non intelligit omnia cibariorum genera, sed tātum lactis. Veritas est lib. de marcore c. vlt. lac est crassi succi quod intelligit per crassum succum.

Hactenus ostendi, quomodo distinguatur cura-

curatio Tabidæ ab Hectica: nunc dicam, quod diuersitas etiam sit in modo administrationis ciborum. In præsenti casu oportet vti cibo sæpius, sed paulatim 4. aut 5. vicib. singulo die naturali, aliquando lacte exhibito ad iij. iiij. vncias, post 4. 5. horas illam emulsionem amygd. dulc. cum pulpa crancrorũ. Post alias quatuor, quinq; aliam portionem lactis: & post accipiát emulsionem amygd. dul. cum pertuso caponis, perdicis, &c.

Conficiuntur etiam variæ confectiones renutritiuæ. Inter cæteras commendatur vsus huius confectionis.

℞. pulpæ testud. nemoral. coctæ, contusæ & per cribrum transmissæ, vt dictũ est. vnc. iij.
pulpæ caponis vnc. iiij:
nucl. pinus.
amygd. dul. an. vnc. ij.
sem melon mundat. vnc. j ß.
sacch. fin dissol in aq. viol.
& nymphe æ q. s. M. fiat confectio in morsellis.

Erunt iucundissimi præbe vnc j. tam in prãdio, quàm cœna.

Nutrienda etiam animalia sunt ex farina hordei mixta cum aliqua portione lactis, s. boli, quibus impinguentur hæc animalia: & pro potu accipiat aut distillatum, aut in virium imbecillitate aliquam vini portionem.

Curatio marasmi senilis. In Marasmo autem Senili Intentiones variant. Nam cùm nulla adsit febris, vtendũ calefacientibus, humectantibus, & renutrientibus quæ renutritio non tantùm fit cibo, & potu cõuenienti in quantitate, qualitate, & tempore: verùm etiam magis medicamentis attrahentibus alimentum in cutem, qui vnicus scopus est curandi Senium Philippi.

Attrahẽtia in cutem sunt 4. Quæ sunt ista medicamenta attrahentia in cutem? Sunt quattuor generum, frictio, balneum, picatio, & ligatura ex aduerso; quanquam quartus modus conueniat potiùs parti vnicæ emaciatæ, quàm toti corpori.

Frictio. *Inunctio* Frictio igitur administranda vniuerso corpori vsquequo caro rubescat, lib. 7. meth. c. 6. nam vbi rubescat, sanguis attractus à frictione adhibita. vnctio oleo humectante & poros claudente amygd. fiat post cibum bis in die, vel loco frictionis, administretur secunda operatio, quæ est balneum, quod debet esse mediocriter calidum. Terminus balnei, vt docuit lib 7. meth. c. 6. sit calor. Sic scrib it, terminus frictionis rubor, terminus balnei calor. Sed malius Hipp. 3. de off. med. tex. 16. proponit modum cognoscendi terminum.

2. Balneum.

Cumprimum, inquit, extrema caro digitorum incipit flaccescere, sunt extrahendi ex balneo; & quæ sequuntur.

Quando balneum administrandũ. De Tempore vsus balnei est contradictio Galeni. 14. meth. 16. scribit in istis, quæ reficiuntur, balneum debere administrari post cibũ. 10. meth. 10. lib. de mac. c. 7. & aliis locis 3. de officina medica, 32. semper proponit vsum balnei ante cibum.

A Pro resolutione, duo dicenda: vnum est, Gal. 10. meth. c. 10. vbi proponit vsum ante, loqui de curanda febre marasmode. 14. meth. 16. De curando marcore semper aduerteris, quando sermo de balneo administrando, & nullus alius scopus, quam refrigeratio & humectatio, quæ non posset haberi si exhiberetur balneum post cibum; funderet enim calorem in vniuersum corpus, augeretque calorem.

Et, quia adest aliqua suspicio de calculo renali, vtatur, inquit, capparibus cum oxymelite. Videte doctissimum Alpinum, qui scribit Aegyptios balneo vti post cibum, & maximè impinguari.

B De picatione, quæ operatio admodum præstat, vt aqua lib 7. de san. tu. c. 8. nullum præstantius. de hac in lectione sequenti.

Quatuor sunt modi, vt dicebam, quibus emaciatæ partes attracto alimento iterum nutriuntur, frictio, balneum, picatio, & ligatura. De balneo & frictione hactenus. De Ligatura pauca sunt dicenda. *3 Ligatura duplex.*

Hæc etenim vni tantùm magis parti emaciatæ, quàm vniuerso corpori satisfacit. Est adhibenda in vno membro gracilitatem patienti, in toto corpore nequaquam. Si quis obiter voluerit intelligere quid nomine ligaturæ apud Hipp. & Gal. intelligi debeat: dico ligaturam hanc, quæ administratur ad impiguandam partem, esse duplicem, diuersam à diuerso factam.

C Vtor verbis Hipp. & Gal. 3. de off. med. tex. 32. 33.

Ligatura diuersa est, quæ administratur partibus emaciatis, quæ iam fracturam sunt passæ. in huiusmodi partibus, quæ fracturam sunt passæ, dum illam patiuntur, vinculum parti fractæ admodum strictum conuenit, sanæ verò nullum, vel admodum laxum. Vbi fracta pars consolida, si deberet enutriri, oportet vti vinculo diuerso, sanæ strictum, infirmæ laxum: propterea dicitur vinculum diuersum.

Vinculum autem è contrario conuenit iis partibus, quæ Fracturam non sunt passæ, sed ex defectu alimenti huiusmodi noxam incurrunt. Ex. gr. brachium, aut crus fractum sit in parte

D opposita. enim impeditur alimentum, ne transeat in partem sanam, sed cogitur ad firmam.

Veniamus ad Picationem, quæ administratur tam in partibus determinatis, quàm vniuerso corpore. Propterea conuenit in Marcore senili.

Hęc operatio est attractio alimenti cõueniẽs in partes emaciatas, quę fit à medicamento viscido & calorifico.

Dixi esse attractionem, quia huius operatio gerit locum operationis naturalis. Naturaliter corporis partes nutriuntur, quia attractrice pollent facultate: vbi hęc non adsit, non possunt nutriri, neque enim alimentum distribuitur, eò quòd transmittatur, sed quòd attrahatur teste Gal. lib. 3. de nat. fac. c. 11. & 13. quod repetit lib. de marc. vlt. vbi enim corporis partes frigida &

da & sicca laborant intemperie, nulla vel exigua fit sanguinis attractio. hinc macies, atrophia: hinc medicamentis est opus, cuiusmodi est viscidum, & calidum. Quatenus est viscidũ adhæret partibus, quatenus calidum, attrahit.

Materia huiusmodi describitur à Galeno pluribus locis, præcipuè lib. 6. de tu. val. cap. 8. & 3. de off. med. com. 32. recenset potissimum picem, & propterea ratione huius habet visciditatem. Huic annectuntur pro necessitate attrahentia alia, & calorifica, vt Thapsia 14. meth. 16. Euphorbium, sulphur, pyrethrum, piper, atque alia omnia calorifica, de quibus 3. de off. med. 32.

Ex his fiunt cerata, quæ quidem adhibita partibus determinatis, vel vniuerso corpori, habent validissimam vim attrahendi alimentum, & consequenter reficiendi.

B

Sed quærat quis, quibus nam maciaris conueniat huiusmodi operatio? non conuenit febri marasmodi vbi adest intemperies calida, & sicca, non conuenit picatio. Conuenit tamen vbi corpus intemperie frigida, & sicca laborat.

Cæterum quia hæc intemperies potest introduci, aut ex imbecillitate alicuius partis principalis, aut ex nimio otio aut ligaturis arctis circa vniuersum corpus: quantum ego potui colligere ex lib. 6. de tu. val. c. 8. huiusmodi operatio conuenit tantùm in illis extenuatis, vbi si concoctrix valida illis, qui laborant frigida, & sicca intemperie.

C

Dicet quis, vbi partes non nutriuntur, existente intemperie frigida, & sicca, quid poterit hoc medicamentum? non nutriuntur; quia non probè coquitur alimentum in ventriculo.

Obiectio alicuius momenti. tamen oportet supponere alimentum probi succi, vt possit concoqui.

Modus administrãdi picationẽ duplex.

Modus administrationis picationis duplex est: aliquando fit cum præcedenti percussione, quam 14. meth. 10. vocat ῥάπισμα, aliquãdo absque hac: fit huiusmodi percussio, vbi macies tentat potiùs partem determinatam, quàm partes communes; & propterea fit potiùs in macie naturali, quàm in in quibus ex aliquo modo est subsecuta. Propterea l. c. huiusmodi modum administrandi inquit esse inuentum à mangonibus puerorum, qui reficiebant partes naturaliter extenuatas.

D

Quærat quis quæ sit hęc percussio? Gal. significauit quidem qualis hæc, sed obscuris verbis, vt præbuerit occasionem dubitandi, fieri per ferulas modicè illitas. Lib. de phęnig. existimaui huiusmodi ferulam esse confectam in modum tabellæ, & excipi ex hac planta.

De Illinitione quomodo fiat, existimaui hanc factam esse aliqua portione picis: alij contra nos existimarunt ferulam fuisse virgultum; illinitionem non picem, sed oleum. res dubia, sed ratio magis persuadet, quod, ego sen

A

tio, pręterquam quod semper vtitur hac voce illinitionis 7. meth. 17. & 14. meth. 16.

Sed vt hoc obiter dicam, inueni tamen in Hippoc. clarissimum, quod illinitio facta per picem. 3. de off. med. tex. 35. vbi Hippocr proponit duos modos reficiendi partes attenuatas; frictionem scil. & perfusionem, postea in fine inquit citra ferulas. Gal. in comm. quærit quamobrem Hippoc. mentionem non fecerit aliorum auxiliorum, quibus potest macies tolli? Inquit ratio est, quia proponit tantùm modum reficiendi, qui pertinet ad operationes manuales; alios, qui ad medicamenta non proponit. audiatis conclusionem. Si verum est ab Hippoc. proponi tantùm modum pertinentem ad operationem manualem citra ferulas, profectò si nec ferulæ fuissent virgulta, & oleo illitę, non possent administrari, nisi ope ipsius manus.

Excludit tamen ferulas tanquam operationes non manuales. itaque oportet fuisse illitas pice. Sed redeo ad rem.

Quando adhibeatur picatio sine præcedente percussionem.

Administratur aliquando pręcedente hac percussione, aliquando absque. Sine, quando macies est in vniuerso corpore.

Modus administrationis, vt apposita pice eius quantitatis, quæ sufficit parti, vel totio corpori ad singulas picis libram vnam adde vnc. j. vel alteram olei, vel communis, aut chamomelini. Si volueritis, addite pulueres calidiores pro singula picis libra. Ex. gr. vnc. ß. euphorbij, & thapsiæ drach. ij. sulphuris. drach. j. pyrethri. Cum iam efferbuerit medicamentum, accipienda lintea crassiora, & imbibenda pice calida, & apponenda parti emaciatæ: vbi ita calet, auellendum. Si pars rubeat, non; si non rubeat, iterum apponendum. Id faciendum est æstate alternis diebus tantùm, ac de quarto in quartum diem, hyeme singulis. Hac ratione lib. 6. de tuen. val. cap. 8 & 3. de off. med partes ita reficiuntur, vt nullum inueniatur præclarius auxilium. propterea scribit quosdam diuites potentes exquisiuisse aliud, cùm tamen, inquit Galenus nullum præstantius excogitari possit; adhibetur & toti l. c. aut etiam singulis partibus determinatis, vt propterea etiam in intemperie frigida, & sicca ventriculi sit conueniens, teste Gal. lib. 7. meth. cap. 7. in fine.

Hoc dico: quia excellentissimus vir, qui contra nos inquit, falsissimum est, Galenum vnquam proposuisse picationem pro intemperie frigida & sicca ventriculi; vidit tantùm caput quartum, septimum non, aut si vidit finxit se non vidisse.

Victus rã

Hæc igitur pertinent ad picationem, preter quam conuenit etiam victus ratio conueniens, quæ talis, vt calefaciat, & humectet: omnia edulia in intemperie calida, & humida, lac, iura optima, testudo, gambari. propterea conuenit etiam vsus mellis, & sacchari. quod perniciosum in Febribus marasmodis. Itaque in

hoc

hoc differunt, quod conueniunt calorifica, & humectantia.

Curatio marasmi syncopalis. Marasmus Syncopalis habet curationem partim, quæ conuenit febri marasmodi, partim, quæ marasmo senili; quando habent syncopem anneaam, curatur vt marasmus senilis extra hanc, sicuti febres marasmodes.

Itaque mixta est curatio.

His expeditis, venio ad id, quod est maioris momenti, 10. meth. 10. Scribit Gal. simplices affectus febres hecticas posse quidem facilè curari, & ratione, & experientia. Sed si complicati, inquit, neque ratio, neque experientia sufficit. Non ratio, quia etiamsi probè noscatis naturam affectius, indicationes curatiuas, eritis tamen ancipites, cui primum sit occurendum.

Non experimentum, quod satisfacit in simplicibus, in complicatis non concludit. Itaq. oportet in hac diu versari.

Curatio hecticæ complicatæ cum 3 Ephemera. Si connectatur hectica cum alijs febribus, connectitur cum acutis, vel diuturnis. Si cum acutis, connectitur cum ardentibus. Intelligimus autem per Ardentes, biliosas Huiusmodi ardentes biliosæ possunt esse putridæ, & non putridæ. Puto aliquem existimaturum esse parodoxum, non est paradoxum. Dantur itaque febres biliosę putridæ cum hecticis, & non putridæ.

Quod putridæ, 8. meth. 3. longo sermone mentionem facit temperamentorum calidorum & siccorum.

Legatis caput. Has febres tertianas esse colligitur lib 10. meth. c. 3. 4. & 5. ibi proponit tertianam non putridam, sed Ephemeram; quam inquit habere expeditissimum iter ad tabem. vide locum, & in huiusmodi casibus inquit non conuenire euacuantia, sed cibum exhibitum in principio accessionis.

Videatis præter alia loca c. 5. vbi quando loquitur de huiusmodi febre biliosa, quam curat solo cibo, inquit, hunc modum conuenire, vbi febris non ortum ducat ex putredine quod clarius locutus est omnibus illis locis. Est itaque rei veritas dari Ephemeram tertianam, in hoc casu conuenire balnea aquæ dulci, potionem aquę frigide lib. de mar. c. 7. & lib. 10. meth. capit. 5. dummodo huiusmodi Ephemera non transierit in tabem, sed tantùm in hecticam: non quidem medicamenta, nec venæ sectio, sed balneum, & frigida, & aqua hordeacea, aut destillat. aquarum iuris, aut seri caprini. Sed si connectatur putrida, hoc opus, hic labor. Putrida febris biliosa erit, vel continua ardens, vel proportionata. Si continua ardens, necessariò ortum ducit ex venis communibus; si ex venis communibus, in huiusmodi casu non abstinendum prorsùs neque à sectione; neque à medicamento leniente; quanquam febris hectica adsit primæ speciei. Quia, vbi febris habet iam humorum putredinem, non potest adesse temperamentum calidum, & siccum; habitus est ita gracilis

Cum putrida continua ardente.

non possunt concurrere tot causæ, vt in Ephemera. Vbi omnia concurrunt, temperamenta astrorum, inedia, corpus gracile, temperamentum calidum & siccum. cuius rei exemplum vidi hodiè & heri, & describitur lib. 13. meth. c. 3. Obibit. Est curatus à febre putrida spatio 7. dierum, transijt in tabem. De balneo, & aqua frigida, quia est aliqua difficultas, differam in sequenti.

Curatio putridæ cum hectica primæ speciei. Difficilis est putridæ febris curatio, cui hectica in prima specie connectatur; difficilior tamen cui tabes, seu frebris tabida coniuncta. de vtraque complicatione sigillatim loquemur. Primò autem, quod heri incepimus, putridæ cum hectica primæ speciei; circa manifestiora non versabor. Dixi enim in huiusmodi febribus, quæ complicantur cum hectica in prima specie, conuenire sanguinis missionem, & purgantia: de hac re non est difficultas. Propterea Auicen. in curanda hac febre connexa cum putrida: *Curatio huius,* inquit, *debet incipere a curatione apostematis.* Difficultas de administratione medicamentorum, quæ propria febris hecticæ. Et si sermo sit de connexione ardentis ex venis communibus cum hectica primæ speciei, duo veniunt consideranda, vtrum conueniat vsus aquæ frigidę, balnei, Quod pertinet ad potum frigidæ, res est controuersia quia ex vna parte 10. meth. 6. proponit vsum frigidæ, vbi non adsit neque viscerum inflammatio, nec humorum putredo. Ex alia tamen parte certum est probari potum frigidę, à Gal. 10. meth. 5. probatur etiam in ardentibus, quæ non sunt complicatæ cum hecticis. Si igitur conuenit sigillatim in hectica, & sigillatim in ardentibus; ergo etiam in complicatis. Hanc ita soluimus, quod ratio contradictionis tota pendeat ex tempestate exhibitionis frigidæ. Galenus quando absque Hectica probat, id facit apparentibus signis coctionis.

Sanguinis missio.

Vtrum cõueniat potio frigidæ.

In hectica consulit statim in principio.

Itaque ratione huius diuersitatis 10. meth. 6. veretur vsum frigidæ in putrida connexa cum hectica. quia ratione hecticæ in principio; ratione putridæ deberet expectari concoctio. ed hac in re oportet vos vti iudicio. Si in temperamento sicco, tempore æstiuo, periculum est ne transeat in tabem, si frigida non exhibeatur, etiam in principio potestis exhibere. Nec obstat authoritas Gal. 9. meth. 5. Nam potio frigidæ potest exhiberi in duplicem finem, ad expurgandos humores noxios putrescentes, quod tantùm in signis coctionis, vbi dantur multæ libræ; aliquando tamen gratia extinctionis sitis & refrigeret, & humectet: quo in casu non in maxima quantitate, sed vna, vel altera hemina; quod facit in hectica 10. meth. 5. & 1. acut. com. 43. vbi proponit vsum frigidæ tantùm ad extinguendam sitim. Quod si virium imbecillitas, aut alterius partis videatur prohibere accipe loco frigidæ serum caprinum, aquas stillatitias,

ius

ius destillatum cum herbis simul refrigerantibus. Hæc de frigida.

Nũ balneũ simpliciter administrandũ in hectica & ardens. Quantum ad balneum, est difficultas num administretur similiter in hectica, & ardenti. Sed tamen Gal. 10. meth. 10. proponit balneum in febribus hecticis, quando non ex tempore; sed qualitate balnei; in hecticis l. c. administratur primo tepidum, deinde frigidum, & finis balnei refrigeratio.

Nam quod præstat vsum, est vsus frigidæ; in putridis non exhibetur frigidum, sed calidum, vt habeat vim per halitum digerendi l. c. Et propterea cum diuersitas hæc adsit, prohibet in febribus hecticis, quæ habeant putredinem connexam. Sed hac etiam in re sequendum consilium Galeni lib. de marc c. 3. ibi nõ improbat vsum balnei in declinatione saltem.

B

Nam eo tempore excrementa iam concocta, & ex tempore facilè possunt euacuari: vbi euacuata, vbi superuenit frigida, præstat vtilitatem pro febre hectica. Hæc de frigida, & balneis in febribus putridis cum hectica primæ speciei.

Si putrida ortum ducat ex erysipelate, vel inflammatione viscerum cum hectica primæ speciei, triplex occurrit difficultas, ex parte frigidæ, balnei, ex parte communis victus. Nam quantum ad medicamenta in hmôi prima specie, quando adsit Erysipelas, licet mittere sanguinem, & vti medicamentis Lenientibus. *Venæ sectio.*

Nũ cõueniat frigida. Difficultas de his tribus: primum quantum ad frigidam est difficultas, vtrum conueniat in Erysipelate, & inflammatione viscerum, quia potus frigidæ habet vim incrassandi inflammationes, facit inflammationes inexpugnabiles pars. vlt. com. 43. acut. 1. vbi fiunt rebelles, febris progreditur: Itaque non conuenit.

C

Ex altera parte: vbi Erysipelacea viscerum affectio, quis negat tabem subsequi posse, lib. de marc. c. 5. 6. & 7. vt nihil clarius, itaque expungetur frigida.

Hac in re dicam, quid ex Gal. potuerim haurire. Si affectio Erysipelacea lib. de marc. c. 8. potus frigidæ conuenit. Ratio ex Gal. 13. c. 8. ibi scribit in Erysipelate intentione refrigerandi superare scopum euacuationis: in inflammatione contra res se habet. Humor Erysipelaceus est tenuis valdè, cedit facilè, non incrassatur. Inflammatio potest indurari ex potu frigidæ. Nihilominus perpendatis periculum patientis. Si properet iam ad tabem patiens, secundum Galenum 10. meth. 6. melius est illos præseruare ab imminenti tabe, quam permittere, & conuenit potus frigidæ.

D

Tempus bibitionis frigidæ. Sed quo tempore administranda? loquens de frigida præbenda lib. de marc. c. 8 præbenda in declinatione, in inflammatione non in declinatione. Ratio, quia si profectò nullum amplius periculum immineret tabis, & si inflammatio magna, vt possit suppurari, transit scirrhum. Cõsulo igitur vt vtamini frigida protinùs circa principium, vt prohibeatur incrementum inflammationis, vel si hanc vereamini, aqua hordei, sero caprino, iure destillato; sed frigida cæteris

A præstantior.

Balneũ Quantum ad Balneum in hoc similiter in his affectibus est suspectum 3. acut. com. vlt. lib. 11. meth. c. 9. & 10. lib. 10. meth. 10. nam ex vsu balnei funduntur humores, & præcipites in partem inflammatam ruunt. Itaq; in hoc casu est sequendum Galeni consilium lib. de marc. c. 7. vt partibus quæ sunt foci febris, adhibeantur in principio refrigerantia, de quibus dixi in curatione hecticæ. In distinctione etiam balneum aquæ calidæ conuenire factis vniuersalibus euacuationibus ll. cc. sed pro febre hectica non conuenit prima. In quo casu, si humores adsint in visceribus, vtamini quibusdam fomentis ex meliloto, chamomilla, anetho, fœnugr. semin. additis absinth. & spica: humectantibus ex oleo anethino cum portione olei de absinthio: toto autem tempore balneo, quod conuenit hecticis, potestis vti.

Victus ron. Quantum ad victum, et est difficultas quia ex sententia Gal. 10. meth. 5. in hecticis, quæ connectuntur cum temperamento calido, & sicco, & habitu gracili nihil præstantius cibo. Ex aduerso, vbi in his intemperaturis adsit Erysipelas, vel Inflammatio, nihil deterius cibo ll. cc. Propterea dicebat in hoc casu, vnicam salutis spem esse virium robur. In his itaq. casibus oportet quidem cibum præbere, sed cibum medicamentosum, vt ptisanam hordeaceam cum emulsione sem. melon. pro potu aquam hordei: & sæpius in die, sed parum.

Curõ hecticæ primæ speciei coñæ cum febrib. diuturnis ex obstructione, &c. Venio modo ad eandem hecticæ primam speciem connexam cum febribus diuturnis, ex obstructione, &c. In his est insignis difficultas. Curantur mitiores iis ipsis medicamentis, quibus putridæ absque hectica; hoc mutato, quod corrigantur quibusdam humectantibus. vno verbo, tractantur per medicamenta mitiora, temperata humectantibus, & quod victus ratio sit humida: Et ideò, si corpora teneantur pituitosis, pituita expurganda. Præparandi humores syrupo de Betonica, admixto decocto ex iure opimo. Præterea aperientia eligenda temperata, & victus potiùs plenus quã tenuis: sed plura de hac re dicam cum loquar de febre hectica secundæ speciei.

Hectica secundæ speciei connectitur cum Ardentibus, vel Longis.

Curatio hecticæ 2. speciei cum ardentib. Si cum ardentibus, difficilis est curationis. Nam ratione tabis corpus emaciatur. quanquã febris putrida, non conueniunt medicamenta generosa, non venæ sectione licet vti quæ ratione tabis non conuenit.

Pariter quantum ad medicamenta purgantia, omnia relinquenda: tantùm Lenientia, & Refrigerantia eligenda, vt Manna, serum caprinum, electuarium, diaprunum lenitiuum, cætera relinquenda.

Quantum ad remedia, quæ sunt proposita pro Hectica curanda, non conuenit vsu frigidæ, quanquam ardens videatur requirere vsum frigidæ; quia connexa tabida est. Gal. cap. 10. text. 5. qui scribit *præbenda frigidam*

in suspicione hecticæ, vsque quo corpus non fuerit consumptum, & quæ sequuntur.

Pariter non habet locum vsus balnei. Nam in hoc casu si exhibeatur vsus balnei frigidi, retinentur excrementa putrida: Si calidi, corpus colliquatur. Itaque non conuenit: conueniunt Epithemata, & inunctiones.

Num lac conueniat. Est dubium de lacte, an conueniat, Hipp. 5. aph. 64 prohibet vsum lactis in acutis, & biliosis. Nihilominus potest tutò præberi lac asininum. Nam hoc est valdè serosum, nec facilè transit in nidorem. Qua ratione prohibuerunt Gal. & Hipp. potius transit in acorem: non in nidorem; nam abundat parte serosa. Itaque in febribus etiam ardentibus 4. acu. 9. vsus est lacte in maxima copia. Quod si in ipsis profectò multò magis in acutis complicatis cum hectica secundæ speciei cum tabe.

Victus rō. Quantum ad victus rationem pertinet: conuenit plenus, quamuis febris putrida adsit, ptisana alica cum contuso destillato, pro potu destillatum ex carne pullę refrigeratum cum soncho, endiuia, &c.

Cum longis. Quod si coniungatur febri hecticę secundę speciei febris longa; potest etiam ex obstructione, destillatione, aut vlcere Pulmonis, vt prætereamus alias complicationes, quæ comprehenduntur sub his. Si ortum ducat ex obstructione, non cogitandum de sanguinis missione, vtendum mitioribus euacantibus primas vias, ne augeantur obstructiones, singulis sex, aut septem diebus conueniat vti, aut vnc. j. fl. cass. cum vnc. ij. mannę, aut vnc. ij. mellis ros. sol. cum vnc. ij. mannæ.

Ex obstructione.

Intermediis verò diebus vti clystere deiectorio quidem, sed molli, qualis conficitur ex iure castrati, aut lacte aliquo cum vnc. iij. sacch. rubri, & vnc. iij. olei violati.

Alias euacuationes prætermittemus in aperientibus: quæ, quia calida, frigida, & temperata, oportet quidem vti fortioribus mixtis cū temperatis aut trochil. aperientibus.

Recipe troch. de rhabarbaro.
de Eupat. an. scrup. ij.
de camphora, aut
ex rosis. aut viol. drach. j ß.
M cum syr. de cich. comp. f. pil. x. præbeij. ante decoctū ex optimo iure cōfectu

Quod ius recipiat huiusmodi medicamenta, nempe agrimoniam filicem, beton. melis. tamarisc. cetrach. petroselinum (non semen, sed folia & rad.) apium hortense, hord. etiam & endiuiam, & hepaticam: nam hac ratione aperietis, nec multum calefacietis.

In magnis necessitatibus aperientes, & humectantes trochisci propositi, aut electuarium meum de chalybe, & post præbe lac asininum, quod non obstruit. & si habes hoc medicamētum quale meum elect. poteris aperire obstructiones, & corpus nutrire.

Externis aperientia sunt fomenta, emplastra, &c.

Asinini lactis vsum in hecticis connexis cū longis ex obstructione non tantum confirmatur 4. acut. 7. & 109. verùm etiam sect. 5. aph. 64. vbi scribitur conuenire in tabidis longis, ac paruis. Neque obstat, quod etiam loco dicitur prohiberi, quibus hypochondria suspensa 1. non tantum flatibus, sed etiam tumoribus vexata. Vtimur lacte præcedente aliquo aperiente, vt est dictum. Neque etiam huiusmodi lac obstructiones augere potest lib. 3. de alimē fac. c. 15. vbi scribitur lac multæ serositatis nō obstruere.

Oritur etiam, & conuertitur febris tabida cum Destillatione, & Phthisi. Ratione destillationis opus esse vti siccantibus repellentibus reuellentibus alterantibus: ratione tamen tabidæ febris requiruntur contrariæ Indicationes, de quibus iam vberiùs.

Euacuationes, vbi tabes facta, prætermittendę validiores. Nam in principio lib. 5. meth. 14 possumus vti Pilulis cochiis quando vires mediocriter constant fluxione fiente acri, rhabarb. agar; vbi consumptum corpus vtendum mel. ros, viol. manna.

Quantum ad Reuellentia, & Deriuantia: considerandum an fluxio fiat primariò ę cerebro, an aliunde suscipiatur. Si prius, non est opus vti reuulsionibus infernarum partium, vt frictionibus, balneis, cucurbitulis, cauteriis. Capiti reuulsio adhibenda lib. 5. meth. c. 13. & 14 coronali suturę. Vbi tamen quæritur, an conueniet tam in fluxione calida, quā in frigida. Trall. lib. 5. c. 2. impugnauit Galen. qui voluit thapsiam fimum columbinum in calidis fluxionibus conuenire. Non tamen ita culpandus. In fluxione calida ista administranda non semper, sed quando periculum imminet, ne patientes fiant phthisici: Oportet enim humorem statim reuellere, & plus potest euacuatio illa, quàm suspicio caliditatis. Non indem est, si adsit phthisis, quæ hisce potius augeretur, quod cognouit Gal. lib. 6. de tu. val. c. 9.

Idem dico de Cauteriis. Obiiciat aliquis hæc calefaciunt: Citò definit calor ille, & poterimus munere linteolo partem oui albumine succi portul. plantag. bol. arm. Perforato linteolo, infigetur cauterium.

Pro Deriuationę oportet vti effluxione per nares. In fluxione calida succo betæ, maluæ: in frigida, succo maiorana, ebull rad. cyclam. tabaco. Licet etiam gratia deriuationis vti frictionibus, & cauteriis in brachiis.

Si materia transmittatur ad cerebrum à ventriculo, vel iecore, vel vtraque parte, conueniūt frictiones, aq. cal. balnea, cauterium partium infernarum externè, vel interne, præsertim si ab vtero proficiscatur.

Clysteres sint acres. 5. meth. 14.

Quantum ad prohibentia ascensum humorum, & vaporum, lib. 5. meth. c. 13. vtebatur fructibus austeris, vt sunt pyra, sorba, poma, mespila.

Medicamentum præstantissimum in fluxionibus calidis, iecore calido, est hoc

post

post cœnam antequam cubitum eat.

℞. vini granatorum vnc j.ß.
aq. viol. vnc. j.
penidiarum. drab. ij. M.

Intercipientia fluxum destillantis materiæ in calida, & acri, sunt confectio saponeæ ex farina amyli vnc. iij. santali albi vnc. viiij. cum aq. viol. redactis ad spissitudinem. Diacodium nostrum cum sacharo. Galeni enim alia compositio in forma Elect. vel cum sapa, vel melle, lib. 7. de med. comp. per loca c. 1. mihi maximè commendantur Rotulę, vt

Rotulæ.

℞. amyli.
tragacanti.
gum. arab.
bol. arm. an. drach. j.
succi liquir. drac. j. ß.
Mucil. psyllij.
trbiac. an. drach ij.
iulepi viol. q. s. M. f. rotulæ paruæ exsiccatæ in vmbra, quarum vna continuò contineatur sub lingua, quę in crassandi vim habet.

In fluxione frigida.

Si frigida fluxio, myrrhę, oliban. styracis drach. j potest accipi puluere, addita succi liquir. drach. j. ß. cum syr. de farfara f. rotulę, quæ detineantur in ore.

Quantum ad siccantia, conueniunt, & profluxione, & intemperatura, & vlcere quæ tamen suspecta admodum possunt tamen in vsu esse primo in eclegmatis, Elect. lambiuiis ad quantitatem grani ciceris, sæpius tamen in die.

Exsiccātię in fluxione calida

In fluxione calida hujusmodi.

℞. amyli.
tragacan. an. drach. ij.
penid. vnc. ß.
bol. arm. orient.
terr. lem. an. drach. j. ß.
chinę optimæ puluer. drach. iij.
syr. liquir.
papau. an. q. s. M. pro lambitiuo.

Frigida.

In causa frigida poteris vti sequenti.

℞. thuris
oliban.
styracis an. drach. j.
myrrhæ drach. ß.
tussilag.
botrid. pulueris an. drach. j. ß.
syr. de. hyssob.
looch. de pino. an. q. s. M.

Gal. lib. 5. M. cap. 13. & 14. ad exsiccandas fluxiones, vtitur Diaspermate, quod recipit quædam semina lib. 3. de paratu facil. Descriptio est talis.

Diasperma.

℞. sem. anisi.
fœniculi.
ameos.
hyosc. an. drach. j.
apij dradb. iij.
opij drach. j.

Terantur hæc, excipianturq; Vino f. trochisc. j. Et vnus dissolutus vel in aq. farfaræ, vel vino, vel iure, exhibeatur.

Alia est descriptio lib. 7. de comp. med. sec. loc. quæ recipit alia etiam. Potest hęc confectio conferre, & fluxioni calidæ, & frigide, puto tamen ea non vtendum, nisi corpus admodū consumptum, adsit maxima tabes.

Exsiccātia exteriora.

Quantum ad exsiccantia exteriora, possunt capiti adhiberi. vbi quæritur in calida fluxione an conueniant frigida, & sicca, astringentia, galla, thus, alumen, hypocystis, rosa, quæ solent administrari à practicantibus. Galen. improbat lib. 6. de tuend. val. c. 9. & laudat potiùs aquæ calidæ balneum, vel tepidæ gratia apertionis pororum, quod etiam mihi probatur. Nō enim possunt pulueres progredi ad cerebrum & illud, sed tamùm exteriora siccare. Balneis incoqui possunt malua, althea, semen lini, & aliæ laxantia.

In frigida, probantur ex lixiula maior stæchas.

Ceratum etiam hoc, quod tamen non est vesicatorium, vt

Recipe laudani. vnc. ß.
mastich. drach. ij.
thuris.
styracis an. drach. j.
sulphuris.
sinap. an. drach. ß.
resinæ.
picis naual. an q. s. M.
f. ceratum.

Dubitatur de decoctis exsiccantibus, an conueniant, per quę intelliguntur decoctum chinæ, ligni, salsæ.

Decocto chinæ inualuit opinio, quod exsiccet quidem, sed impinguet etiam; quod puto fieri, non ratione chinę, sed quia occasio morbi tollitur.

Præparatur sic.

Recipe rad. chynarum vnc. j.
Infunde in aq. hord. lib. vj. deinde ponatur in uentrem pulli, cui adde
amili.
tragac. an. drach ij.
amygd. dulc.
nucl. pinor.
sem. melon. purgat an. vnc. j. ß.
farfar. M.
bull. ad perfectam carnis elixationem.
Exprimantur, & vtatur patiens singulo manę decocti. vnc. vj.

Vsus etiam decocto ligni sum in ciue Veneto ante xij. annos, quem leniter priùs expurgaui sero caprino per 3. dies delectorio; postea paraui decoctum in hunc mundum.

Recipe aq. hordei lib. xij.
Infunde & bulliant ad cons. med. adde carnis testud. nemoral. exulceratæ. & lota cum aq. farfaræ, vnc. viij. carnis vituli, vel pulli lib. ß. farfar.
Pulmonariæ an. M. j. facta cōsumptione medietatis exprime omnia, & decoctū exhibeatur secūdum

dum communem consuetudinem vnc. viij. manè, vj. vesperi. A

In cibo dedi ptisanam hordeaceam manè cùm emulsione amygd. dulc. vesperi cum vnc. j. farinæ amyli. Propotu singulis tribus diebus dedi decoctum propositum, & spatio 36. dierum, cum aliàs asset phthisicus, fuit curatus.

Sed si macies magis vrgeat, sunt alij quatuor modi, secundum quos potest præberi decoctum. Vnus, vt loco aquæ hord. accipiatur aq. limac. & simul cum ligno imponatur caro testudinis, ac pulli vel vituli. Secundus modus est Electuarij, lib. 3. de morb. contag. 8. Fracastor.

Meum est tale.

℞. ligni Indici raspati optimi ex meditullio lib. ß. B
pasful. pingu. lib. j.
sebesten numero xxx.
liquirit. rasæ. vnc. ß.
hordei mundi M. j.
limaciar. num. xx.
carnis testud. vnc. viij.

Si esuiant languinum, potest addi
polygoni portulacæ.
symphyt. an. M. j.

Si non, farfara & pulmonaria est vtendum facta coctione, & express. colaturæ adde
penid.
amyli an. vnc. j.
amygd. dulc.
nucl. pinus.
sem. melon. mundat. an. vnc. iij.

Contusa hæc bulliant ad moderatam spissitudinem, adde postea sacch. fini q. s. coque ad debitam consistentiam f. El. cuius singulo manè exhibeatur vnc. ß. vel drach. vj. Post quod præbeantur vnc. iij. aut iiij iuris optimi.

Alius modus est olei ex ligno sancto, cuius administratio est, aut in lacte, aut morsellis hoc modo.

Morsellir. ℞. pulp. nucis Indicæ. vnc. 6.
nucl. pinus.
pistac.
sem. melon. mundat. an. vnc. ij.
ol. ex lign. sanct. destill. vnc. ß.
sacch. fin. dissol. in aq. viol. q. s.
M. & f. confect. in morsellis, cuius accipiatur drach. ß. circiter.

Ex lacte vsus sum etiam hoc oleo in nobili quodam Germano, qui phthisicus planè erat ex lue Gallica, & desperatus ab omnibus, & quidē felicissime vsus sum.

Accipiantur guttæ olei destil. iij. vel. iiij. misceantur cum vnc. j. lactis, post quod præbeantur vnc. ij iij. iiij. vel v. lactis asinini progressu scil. temporis. Si destillatio imminuta est, potest balneum adhiberi, teste Gal. libro quinto meth. cap. 14.

Quod prohibetur, si adhuc perseueret fluxio ll. cc.

Victus ron. Victus sit conueniens tabidis, &c.

De Febribus compositis. Cap. XL.

Expediuí hactenus, Deo inprimis authore, deinde verè authoribus omnibus benè fauentibus potiora omnia, quæ ad simplices attinent febres: quædam etiam de compositis, nunc superest, vt compositas breuibus expediamus.

In hac autem parte potiùs de Differentiis, & signis, quàm de Natura & curatione verba sunt facienda. Etenim quæ ad naturam in vniuersalibus est explicata. Quæ ad Curationē ex dictis ex tractatu de Febribus Nothis parum de Hecticis cum putridis innotescunt, vt propterea de differentiis, & signis dumtaxat agendum.

Componuntur igitur febres, vel cum aliis morbis vt cum inflammationibus, aut humoribus, vt propterea dicantur febres symptomaticæ, seu accidentales: de hac lib. 2. de cris. c. 7 Gal. de hisce febribus loquens 7. aph. 42 inquit antiquiores Medicos præcipue Hippoc. nullam ex istis febribus propriè nuncupasse, sed à loco affecto. *Febres coniunctæ cum aliis morbis.*

De hac complicatione in præsentia non est sermo, sed de altera compositione febrium cū febribus: quę aut est febrium diuersi generis aut eiusdem: diuersi, quando simul coniungitur Putrida cum Hectica, vel Ephemera: Eiusdem vbi Putridæ cum Putridis. C

De compositione putridarum cum Hecticis satis in præcedentibus locis. Compositio Putridarum cum putridis quatuor modis contingit præcipuis: aut enim componuntur febres putridæ eiusdem generis cum putridis eiusdem speciei: aut febres diuersi generis cum febribus eiusdem speciei: vel diuersi generis cum febribus diuersę speciei; vel eiusdem denique generis cum diuersæ speciei. Sunt quatuor complicationes. Per diuersum ego intelligo illud genus, quod in priori transcendens, seu genus non transcendens, explico, vnum genus accipitur pro febre continua, vel intermittente. Nam dicuntur eiusdem generis. Quatenus eiusdem generis; sunt in duplici differētia, ambæ continuæ, vel ambę intermittentes. Quatenus eiusdem speciei, ābæ biliosæ, vel ambæ pituitosæ, vel ambę melancholicæ. Hæ sunt differentiæ, quæ sumuntur ex primo membro Febrium eiusdem generis, & speciei. Cęterum, hoc loco quæritur, nunquid possint dari febres compositæ eiusdem generis continuæ, & eiusdem speciei? Ratio dubii est, quia continuæ ortum ducunt ex putredine humorum in vasis communibus: vbi putrescit humor in vasis communibus, nulla ratio, vnde putrescat in vno hoc, in alio tempore, debet esse vna accessio. Apud Auic. Fen. primo, lib. 4. tract. 4. cap. proprio soluitur, quòd febres continuæ aliæ sint continuę continentes, alię continuæ periodicę. Si sermo est de continentibus, non dantur *Coniunctio putridarū cum putridis fit 4. modis.* D

plures

plures continentes vno tempore. vnica est febris continens, sed possunt complicari febres continuæ periodicæ, aut vna, aut plures, cum vna continua continente. hoc etiam docui in vniuersalibus.

Quod plures. quia materia augetur in pluribus locis, & non potest euacuari antequam noua accedat, & potest fieri duplex febris. potest etiam fieri, vt complicetur vna continua conclusa, & vna continua periodica vno tempore ubi, insignis putredo, vt pars determinata contineat focum periodicæ.

Intermittentes copulantur 3. modis. 1. Per viam confusionis. Quantum ad Intermittentes, possunt copulari tribus præcipuis modis; aut per viam confusionis, aut per viam complicationis, aut per viam subalterationis. Per viam confusionis, quando, duę accessiones eiusdem speciei inuadunt patientem vna & eadem hora

2. Cōplicationis Per viam complicationis, quando fiunt quidem duæ accessiones eiusdem naturę eodem die, sed tamen secunda accessio non inuadit in Principio accessionis prioris, sed tantum in Augmento, vel in Statu.

3. Subalterationis Tertia compositio est per modum subalterationis: & fit, quando febris eiusdem speciei complicatur simul in declinatione prioris: vbi iam prior accessio, vel declinat, vel ex toto definit, noua superuenit. Hinc Galen. lib. de typis dixerat febres, compositas alias esse duplices, alias duas & tres: duplices vocat febres eiusdem naturæ, quæ vno die pluris inuadunt, si quem tentat febris biliosa bis, vel ter vnico die erit triplex tertiana. Quando singùlis diebus accedant, vocat potius duas tertianas; quamquam res parum referat.

Duæ tertianæ. Venio ad secundum modum diuisionis, qui erat diuersi generis, sed eiusdem speciei. fit quando E. G. duæ febris, biliosæ pituitosæ, aut duę melancholicę differunt in continuitate uel intermittentia, altera est continua, altera intermittens.

Tertium membrum erat diuersis generis, & diuersæ speciei. continetur in hoc febris Hemitritæus vocata, quę dicitur diuersę speciei, quia coniungitur vno tempore febris biliosa, & pituitosa; dicitur diuersi generis, qui altera earum continua est, altera intermittens.

Cęterum hęc cōplicatio potest fieri duobus modis, ut febris biliosa sit continua, pituitosa, sit intermittens; & vt biliosa sit intermittens, & pituitosa continua quod sæpiùs fit.

Quod hemitritæus legitima. Si primo modo, fit quidem Hemitritęus sed non legitima, Verùm spuria nam hęmitritęus legitima fit ex biliosa intermittente, & cotidiana continua; alię omnes complicationes faciunt hęmitriteos spurias ex Hippocr. 1. in 1. Epid. text. 23. et ex Galeno in eodem cum. 3. in 1. Epid. text. & com. 5. ex Gal. pluribus verbis libro 2. de diff. febr. c. 8. his locis ostendūt veram hæmitritæm esse cōplicationē biliosæ intermittentis & pituitosæ cōtinuę:

Hinc fit ex sententia, Hipp. ut huiusmodi febris duas contineat conditiones. prima, ut fit horrifica, secunda, ut continua, inquit Galen. ll. cc. Si biliosa esset continua & pituitosa intermittens, hęmitritæus esset continua quidem, sed non horrifica. Quę est ratio? inquit Gal. in contrario enim sensu ratione tertianæ intermittentis deberet fieri rigor, sed quotidiana moderatur mordacitatem humoris, propterea loco rigoris fit horror quæ sententia est accepta ab omnibus, sed ego improbo.

Rigorem posse fieri in continua biliosa. Primum falsum, in continua biliosa rigores fieri non posse. puto vos legisse meum tractatum de rigore, in quo loco fusiùs hanc rem disputaui, num possit etiam fieri: rigor intertianis continuis.

Quod sic, probaui. quia materia siue distribuatur in totum corpus, siue vellicet membranas uiscerum, potest rigores excitare. Si igitur hæc febris potest etiam rigores excitare. E. non valet: Est tertiana continua. E. non horrifica, quia habet ribores, & habet rigores per circuitus.

Pariter, quantum ad pituitosam, eodem tractatu & de febre pituitosa, quę ex pituita dulci, non habere rigorem, uel horrorem, sed ex uitrea, seu acida cum rigore maximo superuenire lib. 2. de dist. febr. c. 6. Si igitur sic inuadit E non ualet consequentia: febris ortum ducit ex quotidiana; ergo non poterit habere rigorem.

Itaque, duobus modis illis quos proponit Gal. uos poteritis petere solutionem ab aliquo, quem ego non inuenio.

Ego existimo vtroque modo id fieri posse.

Erat quartum membrum eiusdem generis sed diuersæ speciei, E. G. febris biliosa, & pituitosa, sed ambę continentes, uel intermittentes.

Huiusmodi complicatio facit etiam Hemitritęum, sed spuriam ut libro 2. de diff. febr. cap. 8. ita, ut apud Galenum sint quatuor hęmitritæi differentiæ, quarum una legitima, reliquæ tres spurię.

Porro, ut dictum est de febribus eiusdem, idipsum dico de febribus diuersæ speciei Conponuntur per modum confusionis, aut complicationis. Confusionis, quando duæ accessiones bilis, & pituitę uno tempore inuadunt: complicationis quando in Augmento alterius, superuenit altera.

Causę cōpositarū. Locariū. Habuistis Differentias, de causis pauca dicam nam habuistis de his diligentem tractationem. Dixi ortum ducere compositas febres ex pluribus locis patientibus: uel unico, sed uarias affectiones patiente: Ex pluribus tam febris eiusdem, quam diuersi generis. Vnus, quando iecur auget bilem, ex qua fit biliosa: auctabile attrahitur à uentriculo, & fit pituitosa.

Poterit etiam fieri duplex eiusdem generis si excrementum generetur in iecore, deinde attrahatur.

Quantum

Signa. Quantum ad Signa, pauca dicam. Nam febres compositas per modum confusionis cognoscetis ex grauitate, & multiplicitate Symptomatum, quæ contingunt in principio accessionis. quando accessiones duę confunduntur, oportet symptomata grauissima, & varia esse, qualia sunt, sitis, sopor, anxietas ventriculi, humorum iuxtapositio.

Cognoscetis autem complicationem febriũ diuersitate quia cum primò accedit febris, sunt extra frigus, pedes incipiunt incalescere, & tamen noua superuenit accessio.

Quantum ad Febres ipsas in specie, verum complicatio Biliosæ cum biliosa, aut pituitosæ cum pituitosa, aut biliosæ cum pituitosa, sitis diligentes in accipiendis, signis, quæ vnicuique febri conueniant. propterea oportet semper respicere ideam vniuscuiusq; febris.

Signa hemitritæorum. Hemitritęus cognoscitur primùm ex accessionibus horriticis, & habet reduplicationes quandoque bis, quandoque pluries; & huiusmodi febres satis sunt longæ, & periculosæ. quę ratio, vt existimarim, fieri hanc non tantũ quantũ ex tertiana continua, & intermittente ex pituita vitrea dulci. quæ lethales.

Si enim ex quotidiana continua, & tertiana intermittente, non video cur possint esse lethales, quod scribit Hipp. 3. in 1. Epid. 5.

Nam quantum ad primum, si coniungantur duæ febres, vna maior, altera minor: ex his duabus mitior cessabit citiùs, quam longior.

Curatio. De Curatione nihil dicam, quia non distat à curatione simplicium. qui nouit illam, nouit & hanc. Et quantum ad Hemitritęas etiam si videtur diuersa earum curatio, conuenit tamen cum Tertiana Notha Continua, ad quam confugiatis. Itaque Dei Optimi maximi auxilio hunc volo esse pręsentis anni finem meatum lectionum.

FINIS.

ELENCHVS CAPITVM.

PROEMIVM.



pri-

INDEX RERVM NOTABILIVM.



Pur-

Pera-

Pag. 78. Col.2.lit D.uersu penultimo. in Putredine, lege, in Plenitudine.
Cætera leuiora aquas Lector emendabit.

F I N I S.

HERCVLIS SAXONIÆ
Patauini Medicinæ Professoris Primarii
DE MELANCHOLIA.



Caput Primum, In quo proponitur agendum de Melancholiâ, eius afferitur communis sententia, & propria etiam Auctoris.



MENTEM humanam omnium consensu diuinam, ad scientiam, sapientiam, artem, ac prudentiam natam, &, (vt dicebat Ficinus) rerum immortalium ac mortalium amore donatam, aliquando tantopere à propria natura transmigrare, vt omni veritatis lumine deposito, religione, societate, ac necessitudine hominem relinquat inscium, inhumanum, ferum, seipsum, & alios odio habentem, res est admiratione, & miseratione digna. Quot modis id contingat, ac quanam vi, & causis, nostrum est in præsentia institutum explicare, vt deinde propositis signis, Deo duce, ad inuenienda tantorum malorum præsidia vos conuertam, & quoniam huius partis functiones cum febre, & sine febre læduntur, ac de læsis functionibus principibus cum febre dictum est hactenus, versabimur nunc circa actiones istas læsas sine febre. Non ignoro Gal. l. de diff. sympt. c. 2. rectrices functiones læsas trifariam distinxisse, vt quandoque imminuantur, sicuti in fatuitate, quam Græci μώρωσιν dicunt, aut tollantur vt in amentia, aut deprauentur, cum timore, & mærore, vt in meloncholia, vel cum furore vt in mania; nos tamen breuitati, & facilitati studentes de his omnibus agemus sub melancholiæ titulo. Et primum quidem erit de melancholia sermo ex communi omnium sententia, deinde verò ex propria. Melancolia igitur, quod vt ait Gal. 2. meth. 2. ab humore nomen sumpsit, est functio princeps deprauata, cum timore, & mærore ex spiritu animali tenebricoso: definitionem hanc licet colligere partim ex 2. de causis sympt. 2. partim ex 3. de locis affectis 7. Dicitur deprauata functio ad differentiam fatuitatis, & amentiæ, dicitur cum timore, & mœrotte ad dieffrentiam maniæ, sine febre, ad differenriam phrenitidis spuriæ, tamen, vt suo loco vidimus, functionis princi-

Trib. modis actiones principes læduntur.

Cõis sententia de melancholia.

A pis nomine Attimarus, & vt video recentiores ferè omnes solam intelligunt imaginationem, vel maginationem per se, discursum ex accidenti, nec sanè iniuria, nam Galen. & Aetius, Paulus, & Alexander melancholicorum affectiones inquiunt fieri ex varietate priuarum imaginationum, ideo melancholici bonas videntur inferre consequentias. Quid de hoc sentiendum sit, suo loco explicabo. Causa huius prauæ functionis, si Gal. credimus locis citatis est spiritus animalis tenebrosus redditus, nam sicuti in exterioribus tenebris timeq; pueri, & ex adultis indocti: ita ait Gal.

B tenebræ per spiritum animalem menti circunfusæ terrorem, ac mœrorem inferunt, id quoque inferius examinabitur. Tenebrarum causæ sunt vapores melancholici spiritibus misti, qui aliquando ex melancholia naturali, quandoque ex genita per astustionem eleuantur, sed vbi iam deposuit vim caloris exurentis, nam ex ea, quæ adhuc exuritur, & est calida fit mania, non melancholia, ideo Gal. in 3. de locis affecti 7. docet flauos, & eos, qui calidori sunt temperamento melancholiam facilè incurrere, ob quam causam omnes cibi acres, salsi, & amari, & aromatici, & immodi-

C cæ corporis exercitationes, & animi ingentes motus melancholiam inferunt, non tamen eo ipso tempore, quo humor exuritur, sed paulo post. Hinc ait Gal. 3. aph. 22. autumno melam cholias fieri genito humore tempore æstatis: sic 3. aph. 30. & 3. Prognosticorum 28. in ætate consistenti fit melancholia, cum tamen in ætate iuuentutis humor peruratur: sic post cerebri inflammationes, & insolatus vehementes, & calida medicamenta capiti adhibita, fieri solent melancholiæ ex 1. de humoribus 1. in primum epid. 75. melancholia verò naturalis aliquando generatur ex calida intemperie, aliquando ex frigida, aliquando ex morbis instrumentarijs, aliquando ex errore externo. ex calida intemperie humorem gigni naturalem docet Galen. 3. de causis symp. 2. 2. de scrib. 12. de atrabile 2.4 & 6.3. in tertium

Epid. 2. &c. Ex frigida, & sicca cum aliqua sit dubitatio propter Gal. 2: de temperamentis vltimo, qui ait temperamentum frigidum, & siccum pituitam gignere, non melancholiam; recentiores hunc nudum soluunt frigidam, & siccam intemperiem naturalem pituitam producere, ascititiam verò melancholiam. hæc quoque inferius erunt examinanda. Augetur quoq. hic humor ex morbis instrumentarijs, qui ad iecur, mesenterium, & lienem pertinent, ad iecur, nam vbi iecoris pars concaua obstruitur, aut tumore laborauerit, succum melancholicum ad lienem transmittere non pont, idem contingit si ipsum mensenterium eodem tumore, vel obstructione sit affectum, immo & lien tumidus, & obstructus, & per aliquam intemperiem imbecillis succum melancholicum ad se trahere non valet. denique augetur humor hic ex errore externo, nempe cibis temperamenti frigidioris, siccioris, & crassioris succi, vt sunt bulbi, tubera, legumina, carnes bubulæ, salitæ, brassica, &c. quæ apud Gal. videntur 3. de locis affec. 7. & lib. fac. res. Cæterum obstructiones istæ, & tumores, qui vel in mesenterio, vel liene, vel caua iecoris fiunt, aliquando ex ipso succo melancholico terrestri, & crasso producuntur, nonnumquam verò ex chylo inconfecto, qui aut crudus attrahitur propter immodicam iecoris caliditatem, aut inconfectus manet propter ventriculi insignem intemperiem vel frigidam, & humidam, vel frigidum siccam, vel propter errores in cibo, potu, somno, veneris, &c. Ex quibus iam licet colligere locos, in quibus generatur humor melancholicus, & ex quibus fit hic affectus, nam sunt tres præcipui, caput, totum corpus, & iecur, ac hypochondria. Hinc Gal. 3. de locis aff. 2, tres statuit melancholiæ, sicut & epilepsiæ differentias à loco desumptas, vt vna fiat primariò ex cap. alia quidem ex capite, sed secundariò affecto recipiente materiam à toto iecore, & à toto, tertia verò per solum consensum à vaporibus, qui ab hypochondrijs eleuantur, quam propterea melancholiam hypochondriacam, seu vt Arabes dicunt mirachialem, siue flatuosam. Et hæc est breuis, ac facilis melancholię delineatio ex communi omnium consensu.

Melancholiæ 3. differentiæ à loco

Propria sententia authoris de malancholia.

Primum igitur, quod non accipio, id est, melancholiam esse vitium solius imaginationis, non etiam discursus, quod si verum esset, sequeretur pueros, & bruta melancholiæ subijci, cum non careant phantasia, & tamen nemo affirmabit pueros, vel bruta hoc affectu tentari; accedit quod imaginatio versatur circa speciem sensibilem absente obiecto, at verò melancholicorum affectiones versantur etiam circa speciem insensibilem, concipiunt enim speciem boni, vel mali fugiendi, aut prosequendi ex specie sensata extrahere, quandoquidem quidquid sentiant Auerroes, D. Thomas, & Albertus, qui hoc in brutis tribuunt non imaginationi, sed æstimatiuæ. Accedit, quam pro rei veritate bruta non extrahunt hos conceptus, sed ex proprietate naturæ consecutiuè illos concipiunt: sic ouis inspecto lupo ex propria natura lupi inimicitiam concipit, in melancholicis alia est ratio: nam ipsi intellectiuæ partis beneficio extrahunt huiuscemodi conceptum boni, vel mali, & propterea ad differentiam brutorum hoc concipiunt in illo subiecto, quod reuera neque bonum, neque malum ipsis inferre pont. exempla sunt clara. opinatur quis casurum aliquando cœlum defatigato Athlante, quis non nouit hanc esse fabulam Atlantem sustinere cœlum, itaque melancholici omnes speciem mali in illis reponunt subiectis, quæ nil mali habent, & propterea patrem, vxorem, medicum, & amicum putant esse hostem, aut diabolum. Hæc itaque fiunt non per naturam, aut concomitanter, sed ex mentis deprauatæ officio. Accedit quod imaginatio ex Arist. 2. de anima, neque affirmat, neque negat, componit quidem species sensibilium inter se, & illas quoque, quę nunquam simul stare ponunt, fingit sphingem, chimeram, centurum, & alia, non tantum affirmat, aut negat, at verò opinionem sequitur fides, fides non fit absque ratiocinio, ideo tandem, vt docet Arist. in 2. de anima, opinio, fides, & ratiocinium à phantasia distinguuntur, & ad intellectum pertinent, neque quis dicat deprauari quidem discursum, sed ex accidenti pp vitium imaginationis, nam id quoque est falsum, imaginatio ex Arist. 2. de anima vltimo regit bruta animantia, & aliquando homines, vbi mens est velata, aut impedita, est velata propter aliquam animi ingentem perturbationem, itam præcipuè, est impedita veluti in phrenitide, & melancholia, igitur si mens propria ratione non laboret, corrigit phantasiam, hinc dicebat philosophus eodem loco imaginationes nil magis lædere mentem. quam faciant picturæ, vt propterea sicuti quispiam intuens picturam terrificam, si sanus fuerit, ac prudens, non horret illam: ita & imaginationes internæ quamquam multæ & terrificæ non perturbant mentem, nisi ipsa propria ratione laboret. Hinc factum est, vt intellectus sensum, & phantasiam corrigere possit, sensus, & phantasia putat lignum in aqua esse fractum, solem esse bipedalem, intellectus hæc omnia corrigit, & ideo falsa imaginatio mentem non lædit, nisi mens primariò sit affecta. neque quis dicat hæc non pertinere ad intellectum, quia intellectus non cognoscit singularia, in qua opinione fuit Auerroes; nam vt optimè docet Scaliger exercitatione 307. intellectus agens non potest vniuersales formare notiones, nisi cognoscat singularia, etenim illas ex singularibus elicit, præterquam quod infra ostendam, intellectum practicum necessario versari circa singularia propria, & medici quotidie circa singulares internos locos affectos, causas, & affectiones versantur sed præterea nil magis ostendit melancholicos discursu laborare, quam actiones illę, quæ ad prudentiam pertinent, quæ omnes in melancholicis, aut deprauantur, aut abolentur, aut imminuuntur; Ad pru-

Intellectus versatur & circa singularia.

prudentiam pertinet perspicacitas, consultatio, iudicium, circumspectio, cautio, prouidentia, æquitas intelligentia, videamus quomodo se habeant circa hoc; Melancholici per spicacitate vtuntur, vt modos inueniant interficiendi seipsos, vtuntur quoq; deprauata consultatione, vt inueniant media idonea ad consequendum finem, vtuntur iudicio prauo, vt tandem operi finem imponant, prudentia carent, quia nullam habent curam aut Reip. aut domus, neque curant filios, neq; vxores. De circumspectione quid dicam? Pleriq; ex istis male morigerati sunt in actionibus, & sermone, minus cauti sunt: nam pleriq; noctu ambulant per siluas, & loca periculosa, æquitatem non seruant, nam aliquando in dando sunt profusissimi, B quandoque vsque adeo tenaces, vt neque obolum quidem ab ipsis elicere possis. De intelligentia singularium quid dicam? ad prudentiam pertinet cognoscere statum, dignitatem, ætatem, conditiones particulares cuiusq; indiuidui, vt vnicuique quod suum est detur, isti non modo has conditiones ignorant, sed vt dixi amicum putant inimicum, & ab vnoquoq; facile decipiuntur. Si quis enim dicat se esse tegulam, aut cadauer vt cogat illos ad comedendum ipsi hoc credunt. Itaque clarum est hoc ad phantasiam non pertinere, sed ad discursum, cuius sunt partes opinio, prudentia, & scientia, de qua nonnulla sunt dicenda. Deprauatum igitur habent quoque melancholici discursum in C his, quæ attinent ad scientiam, cum falsas accipiant præmissas, & propterea errorem quoque committunt in simplicium apprehensione; nam illa prædicata attribuunt subiectis, quæ minimè sunt tribuenda, & propterea cum quispiam dicit, melancholici non peccant in discursu, quia bonas faciunt consequentias, concedo illos non errare in forma sophistica, sed errant in materia; materia autem sunt propositiones necessariæ quas ipsi omnino falsas concipiunt. Denique melancholici plerumque diminutum, & ablatum habent discursum, propterea simul cum melancolia, morosi, siue fatuitate, & amentia tentantur, tales sunt, qui D nil ferè loquuntur, vix audent se mouere, pigri iacent, & inertes, stupidi, & balbi, vt propterea quidam animo concipiant, se esse testas, vel quid simile, in quo casu manifestè ostendant se neque primas intelligere dignitates; quis enim ignorat carnem non esse testam, aut mortuum non sentire, & tamen ipsi cum sint carnei, & sentiant, credunt se tales esse, satis puto probatum est in Melancholicis phantasiam non esse læsam, quod etiam censuisse Auicennam videtur, qui scribit melancholiam esse vitium imaginationum, & cogitationum, cum quo sunt & alij Arabes & quod ad Gal. attinet puto ipsum nomine imaginationis etiam opinionem comprehendisse more Platonico. Plato enim aliquando opinionem cum phantasia confundit, quamquam in Thæteto, & Sophista, hæc duo distinguat. Phantasia igitur

Melācho lici plerumque imminutum habent discursum.

A quatenus cum opinione coniungitur ad intellectum pertinet, vt propterea Gal. lib. de symp. differentijs 3. connumeret imaginationem inter facultates principes ad differentiam sensitiuarum. Et si vos consideretis exemplum Theophili ibi à Gal. propositum, cognoscetis in Theophilo non solam imaginationem, sed & opinionem fuisse læsam, opinabatur enim & opinioni fidem adhibebat Tibicines in conclaui adesse, & tamen Gal. proposuit illum, vt exemplum solius imaginationis læsæ.

Caput 2. Impugnatur proposita definitio melancholiæ, & proponuntur variæ species Melancholiæ.

DVm varias melancholicorum differentias intueor, in quibus recensendis omnes ferè medicinæ scriptores conueniunt, non possum non mirari, quomodo in hac definitione conueniant melancholiam esse insaniam cum timore, & mœrore, cum tamen mihi diligentius hanc rem consideranti visus sim inuenire quosdam melancholicos, qui neque insania, neque mœrore, aut timore laborant, alios, qui prauas habeant imaginationes aut cogitationes, tamen timeant, aut tristentur, alios præterea inuenio perpetuò tristes, & timidos sine prauis imaginationibus, & opinionibus, quosdam inuenio tristes quidem, sed non timidos, vt propterea definitio melancholiæ prolata non careat accusatione. Inter Melancholicos reponuntur illi, qui nulla arte, aut studio futura vaticinantur, non loquor de prophetis, quos impium esset melancholicos vocare sint beati, & diuino spiritu afflati, sed de viris, & mulieribus à cultu Dei seiunctis, quos vaticinio donatos antiquitas semper inter melancholicos reposuit. Hinc Cic. 2. de diuinatione insanos vocant. Phanaticos vocant eò quod in phanis furore agitati futura prædixerint. Tales fuere Cassandra Troiana, Manto, Eusipe, Nicostrata, Marsa, & ex viris Mopsus, Politus, Proteus, & alij id genus, De his agens Arist. lib. 3. Problematum primo, loquitur enim de sybillis, has atra bile percitas fuisse docet. Inter Melancholicos reponuntur illi, qui sine præceptore, & studijs Astronomiam, aut Philosophiam, aliam ve artem, & scientiam sibi ipsis comparant. Aretius primo de acutis 6 hos omnes furore agitos fuisse docet. & Petrus Aponensis in comentario primo 3. Problem. scribit mulierem omnino indoctam latinam linguam absque præceptore comparasse, quam melancholicam vocat. Cardanus 8. de subtilitate omnes homines, qui incognitis loquuntur linguis, ac scientias, & artes sine præceptore addiscunt, melancholicos vocat, hinc factum est, vt Arist. in illa trigesima Problem. parte ingeniosos vocauerit melancholicos, & Plato in Theeteto dicit, omnes, qui valent ingenio esse

Impugnatio definitionis melācholiæ q. nō sit insania, neq; coniuncta cum timore, & mœrore, ostendit proponens quinque differentias, seu species melācholiæ. Melancholiæ prima differentia.

nio esse furore percitos, ad quos respiciens Cic. 2. de diuinatione, non me pœnitet, inquit, hebetiore esse ingenio. In eadem classe reponuntur naturales poetæ, aut qui sine studio carmina componunt, dicebat Plato in Phœdro frustra absque furore pulsari poeticos fores, & in Hione vates ea, quæ scribunt, sublato furore non intelligere. Inter Melancholicos reponuntur etiam illi, qui sacris iugiter incumbunt, mortalia, & caduca spernunt, & in Dei amorem, ac cultum se ipsos conuertunt. Propterea Plato in Theeteto, siue dialogo de scientia quattuor constituit amoris differentias; vaticinum, misterium, poesim, & amorem. Hos omnes, si quispiam attentè considerauerit, inuenient, neque insania laborare, neque timore, aut mœrore affecto. Nam si de vaticinio fiat mentio, quid quæso insaniæ in vaticinio? Qui inueniat Sibyllarum carmina, docet Clemens Alexandrinus sexto Stromatum, ex sententia D. Pauli perlegenda esse, vt in his videamus quanta, ac qualia sint vera de Christo nostro Redemptore; & quas, Aristoteles dixit atrabile vexatas. Pariter siquis ex indocto. & inerudito fiat doctus, & Astrologus, quod nam erit in illo aut imaginationis, aut discursus vitium? Idem de poesi dico, de religionis cultu, & amore, quem nemo sane mentis insaniam vocauerit.

Secunda species melācholiæ sine timore, cum mœrore ostēdit exēplo amātium.

Cæterum datur quoque melancholia, quæ est vitium imaginationis cum mœrore, & sine timor, qualis est perditè amantis melancholia. Hi enim in hoc decipiuntur, quod ranam putent esse Dianam, tristantur præterea quod desiderata re potiri non valent, nusquam tamen timent, immo in cæteris maximè valent ingenio. Idem Plato in conuiuio cum constituat hunc amorem ex Perica, & ex Paro, hanc inquit amantibus sagacitatem contrahere, scientiam, prudentiam, artem fascinandi, præstigiatoriam, aliasquè id genus artes, quibus proprium consequantur finem.

Tertia species melāc holiæ sine mœrore. aut timore ex sola deprauata imaginatione.

Dantur quoque melancholici prauas habentes imaginationes, ac opiniones sine vllo timore, aut mœrore, in hac classe sunt illi, qui putant se esse reges, Principes, Cardinales, & Antichristos. Noui ego Venetijs ciuem Venetum doctorem, qui putabat se esse Antichristum, Alium noui seruum, qui quotidie clauso conclaui vnam horam solus ibi manebat, & acceptis picturis omnium Principium sedens pro tribunali, tanquam Pontifex responsum omnibus dabat: noui alium nobilem Venetum, qui cunctas nobiles, ac pulchras mulieres illum requirere dicebat perpetuò lætus, ac minime timens.

Quarta species melācholiæ sine timore, sed non est differentia distincta à secunda

Dantur quoque melancholici, qui tristantur quidem, prauasquè habent imaginationes, sed nil timent, tales sunt illi, qui putant se esse mortuos, aut regulas, aut testas, nam timor est perturbatio futuri mali, tristitia est perturbatio ex conceptu præsentis mali, itaque qui insunt in extremo omnium malorum, nihil timent, quia nihil deterius expectant, propterea malancholici, qui iam credunt se esse mortuos, & regulas nil

A amplius timent.

Quinta species melācholiæ cum tristitia, & timore sine parua imaginatione.

Denique alij sunt perpetuò timidi, & mœsti sine illa praua imaginatione, plurimos tales noui non hanc, vel illam determinatam rem timentes, nec hac, vel illa re tristantes, sed aiunt omnia illis timorem incutere, hos sane omnium maximè voco melancholicos. Postquam & ipse Hipp. 6. aph. 23. timorem, & mœrorem si diu permanserint melanchuliam efficere docuit, cuius sententiæ subscripsit Gal. & eo loco, & 3. de locis affectis 7. & 2. de causis symp. vltimo. Neque quis dicat, quod tamen aliquando in consultationibus audiui, hos vocari morosos, non autem melancholicos, nam morosos vocat Gal. lib. de differentijs symptomatum 3. fatuos. Hip. 3. in 3 epid. stocat tetricos, impatientes, de quacunq; re B solicitos, quæ potius sunt melancholiæ initia, quam confirmata melancholia, nos autem de illis loquimur, qui iam diu absque vlla interna, aut externa causa, per internum intelligo prauam imaginationem perpetuò mœsti, & tristes sunt.

Caput tertium, afferuntur causæ specierum melancholiæ superius propositarum.

Melancholiæ causæ ex propria sententia.

Ex tam varijs melancholicorum differentijs iam licet colligere quantum à veritate de- C clinauerint illi, qui in proponendis melancholię causis vniuersaliter dixerunt eam fieri ex animali spiritu tenebricoso reddito, quod enim fieri potest, vt eædem tenebræ in spiritu homines reddant ingeniosos, vates, poetas, summos artifices, alios verò stupidos, ignaros, & amentes; quosdam faciat hilares, alios autem perpetuò tristes, nonnullos perpetuò timentes, alios omnia audentes, vt de amantibus dictum est, ideo nostrum est in præsentia omnium causas sigillatim exponere exordium summentes ab ijs, quæ rariora sunt vaticinio .s. deinde transeuntes ad ingeniosos. 3. ad amantes, deinde ad reliquos.

Vaticinij causa ex aliorum sententia.

Quod ad causam vaticinij attinet, minime audiendus est Plutarchus, qui in lib. de oraculis D causam communem vaticinij retulit in halitum terræ in ano retentum, qui mentem occupet, hoc cogitauit Plutarchus, quia videbat antiquos vates in antris degere, & ibi responsa dare, vanam esse hanc sententiam docet vanitas vaticinij, siue prædictionis istorum, quandoquidem non modo sacrarum litterarum scriptores, vt Eusebius Cæsariensis, & Clemens Alexandrinus, Lactantius Firmianus hæc irrident, sed ipse Cic. 2. de diuinatione ad Apollinem Pythium conuersus illum falsitatis manifestè arguit, qui inquit vsum fuisse in prædictionibus obscuris verbis, perplexis, flexeloquis, quę in vtramque partem intelligi poterant, vt est illud quod Pyrrhus acceperat.

Aio te AEacida Romanos vincere posse.

Neque referenda est eam, vt voluit Plato in participationem idearum nam anima de nouo creata nullas habet ideas, præterquam quod vel omnes, vel plerique hac ratione essent diuinatores,

non

non defuerunt, qui existimarunt diuinationem fieri homine in ecstasim rapto, quasi mente à corpore seiuncta: sic scribit Plinius lib. 7. cap. 52. Claromenium quēdam, quandocumque voluisset, mentem à corpore separasse, & quæ longè futura erant, prædixisse, hoc eorum modo scribit Aulus Gellius presbyterum Patauinum eo ipso tempore, quo in Tessalia Pompeius cum Cęsare pugnabat, dum Patauij esset mente emotum pugnam vidisse totam, illamque adstantibus narrasse, & exitum simul. His concors D. Augustinus 14 de ciuitate Dei ca. 24. scribit se presbyterum vidisse, qui quandocumque vellet, mentem vsque adeo à corpore seiungere, vt corpus punctum, & inustum nil prorsus senserit. Cæterum præterquam quod mihi non videtur hoc rationi consentaneum, vt possit vnusquisque pro suo arbitratu mentem à sensibus seiungere: accedit quod neque in omnibus, in quibus fit hæc separatio sequitur vaticinium, res est certissima, sagas mulieres, quæ in conuentibus Dæmonum noctu plerumq; reperiuntur, hanc mentis emotionem pati, neque tamen futura prædicunt. Itaque cum vaticinium sit quid supra naturam humanam, oportet, quin etiam vt si certum, & infallibile sit habeat quoque causam supra humanam naturā, si sit incertum, & fallax, poterit habere aliquam quoque causam naturalem. In his igitur qui vera, & infallibiliter vaticinantur, nullam oportet aliam constituere causam, quàm Deos, & Angelos, siue id agant illustrando humanam mentem, siue aliquas imprimendo imagines, vel in somnis, vel in vigilia, quibus deinde futura prænunciantur, siue etiam denique quædam signa sensui visus conspicua in corporibus materialibus, talis erat apud antiquos Hebræos vaticinatio per Vsim, vel Tumusin vocata, idest per doctrinam, & veritatem, quæ comparari poterat inspectis 12. gemmis, quæ continebantur in sacerdotali sacerdotis, in quibus dum eluceret nomen Dei tetragrammaton, docebat, quid futurum esset circa ea, quæ sciri cupiebant. Hæc vaticinationis spés ad melancholicos non pertinet, quamquam enim non tantum bonis, & sanctis, quam etiam improbis concedi possit. sic enim & Saul. & Balan, & Caiphas, & Sibylæ prophetico spiritu fuerunt donatæ: attamen melancholicorum vaticinium non est vsque adeo certum, vt fallere non possit: idcirco duplicem oportet esse causam, aut Dæmonem, siue obsideat corpus illius, siue mentem illorum eo modo, quo potest, illuminet; alter modus melancholicis magis proprius est assidua alienarum rerum cogitatio, nam sicuti dantur quidam melancholici, qui imaginantur se esse principes: ita dantur quidam, qui putant se esse prophetas, aut Deos isti itaque propriis dimissis negotijs toti sunt in speculatione alienarum rerum, cuncta obseruant præterita, & præsentia, noctu, & diu in illis versantur, vt propterea sicuti dicebat Cælius Rhodiginus lib. 27. antiquarum lectionum 1. plerunque tanquam boni venatores, qui emisso iaculo norunt vtrum feram sint inter fecturi vel ne: ita ipsi quoque ex principijs quibusdam cognitis, & attentè consideratis, vt plurimum futura prænunciāt, hactenus de causa vaticinij.

Vaticinii cā ex propria sententia.

Certi vaticinij cā est diuina vel p mētis illustrationem, vel per imaginum ĩpressionē vel per signa materialia.

Incerti vaticinij causa Dæmon, & obseruatio rerum alienarū.

Transeo ad ingeniosos, qui cum inter melancholicos referantur, sunt tamen in multiplici differentia, quidam enim sunt qui ab ineunte ætate studiis, vel artibus seipsos dedunt, & maximè in illis proficiunt; alij sunt, qui indocti & ineruditi momento ferè temporis, & quasi miraculo sapientissimi euadunt, vel artifices egregij primi triplicem ob causam aliquando dicuntur melancholici, vel quia soli degunt, neque libenter cum amicis conuersantur, aut quia timidiores, & mœsti præter consuetudinem fiunt, aut 3. quia de rebus philosophicis, vel de propriis artibus plus iusto loquuntur, & ad satietatem vsque. Melancholici in prima classe morbosi non sunt, solitudinem amant, vt studijs incumbant, si quis causam quærat cur plus cæteris valeant ingenio, causam attulit Cęlius Rhodiginus lib. 17. Antiquarum lectionum, à quò Valeriola 6. Enarrationum Medicinalium, nosque hoc tempore dilucidabimus. Ingeniosi fiunt tales ex humore melancholico naturali sed in decenti quantitate, & in conuenienti qualitate genito. Quartus hic humor, qui fex sanguinis dicitur, vbi multum non exsuperet, neque plus iusto aduratur, neque minus debito concoquatur, est corpus siccum, splendidum, quòd cęteris humoribus firmitatem, & stabilitatem tribuit, est enim quasi cæterorum gluten, & vt dicebat Ficinus, est quasi aurum ignitum purpureo colore suffusum, ex hoc humore spiritus generantur propter siccitatem purissimi, propter quandam terrestreitatem non resolubiles, aut diflabiles, idcirco hominem reddunt ad inueniendum aptissimum, ad comprehendenda, & percipienda promptissimum, ad iudicanda conuenientissimum, qui labores & longa studia omnium maximè sustinent. Propterea dicebat Democritus, lux sicca, anima sapientior, si hic humor aliquando incalescat, & quasi ignescat, tunc furores excitat, aliquando quidem poeticos, philosophicos, vel alterius scientiæ, aut artis etiam sine præceptore: hinc quoque nonnulli incognitis loquuntur linguis, non tantum vi Dæmonis quantum propter huiuscemodi humoris, ac spiritus tenuitatem, ac luciditatem, neque enim credatis istos qui incognitis loquuntur linguis multa, & aptè in illis loqui, aut disserere, sed ex huiuscemodi spirituum illustratione hoc tantum contingit, vt quæ ab aliis audierunt, memoria repetant, & ideo ea loquantur, quæ alias audierunt. Denique melancholici, qui sapientes cum sint, mœsti, & timidi euadunt, id sortiuntur imminuto, ac refrigerato propter vigilias, & studia calore,

Ingeniosi inter melancholicos referuntur.

Melancholici naturale loquūtur linguis incognitis ob spirituum tenuitatem.

& spiritu, sicuti qui de Philosophia, & suis artibus vltra omnem satietatem disputant, id faciunt ex forti imaginatione illis impressa per longa studia.

A

Caput, IIII. continens causas reliquarum specierum melancholiæ.

DVm cæteras melancholicorum differentias considero, omnes inuenio ad septem causarum genera reduci posse, vt propterea si ita res se habeat, vt puto me iam demonstraturum, sponte vnusquisque intelligat, quam varia melancholicorum debeat esse curatio, Primum enim fiunt quidam melancholici ex frequenti, & assidua alicuius rei cogitatione, alij ex inordinata appetentia, quidam ex affectu corporis, nonnulli ex causa extrinseca, plurimi ex spirituum animalium inordinato motu, non pauci ex eorumdem impuritate, denique complures ex tenebris spirituum occumbentibus, quam solam causam proponunt medici, ex frequenti, & assidua cogitatione incidunt in melancholiam, qui putant se esse reges, vel vt ille Venetus qui putabat se esse Antichristum. Hęc enim fiunt imaginatione, & cogitatione assidua, & diuturna in habitum mutata, & propterea complures ex istis absque medicamentis sola opinione & cogitationis mutatione sanantur: nam si auidis nuncientur pecuniæ, vel, ambitiosis honores, sanitatem recuperant. In eadem classe sunt perditè amantes, quem affectum Arabes vocant Illisi, Latini quidam vt Gordonius, Valascus, &c. passionem heroicam, siue heros, hi tunc melancholici dicuntur, cum incipiunt emaciari, decolores fieri, oculos habere con cauos, consuetudines fugere, aut nihil loqui, aut de amatorijs tantum loqui, quandoque absque vlla causa in risum erumpere. Auicennas in hac classe reposuit tam eos, qui amant humana, quam illos, qui diuina, quod tamen impium esse existimo. Viri enim sancti si hominum consuetudinem fugiunt, & extra seipsos quandoq; se esse videntur, hoc faciunt, ne ex collocutionibus, & consuetudine peccata committant, vt Deo fruantur obiecto omnium optimo, in cuius contemplatione vsque adeo toti sunt, vt prę iucunditate sine causa rideant, quandoque ecstasim patiantur; sed qui diligunt, hunc affectum in res humanas plerumque decipiuntur, qui turpem putant esse pulchram, itaque potius à seminis abundantia, & à spiritu calido, & sanguinis feruore in hunc animi affectum impelluntur, quàm ab obiecti excellentia, dum itaque hoc priuantur, mœsti sunt, anxii, quorum affectiones optimè descripsit Plautus in Cistellaria, dum scribit: Iactor, crucior, distrahor, versor in amoris rota, vbi sum non sum, illic sum, vbi non sum. Cæterum qui plura de amoris

B

Ex frequēti cogitatione putant se esse reges.

natura, & differentijs, legere voluerit, adeat Marsilium Ficinum in commentario in conuiuium amoris, & Cęlium Rhodiginum lib. 16. antiquarum lectionum cap. 24. & 25. & lib. 23. cap. 2. 3. & 4. Tertia causa extrinseca est, est autem triplex aut potio venefica, aut morsus, aut fascinatio, veneficas potiones, quas vocant philtra amatoria homines dementare posse satis docet exemplum Lucretij philosophi, & poetæ, quem scribunt hac potione fuisse dementatum. Morsus potest quidem esse varius mihilominus omnium maximè melancholiam videtur afferre morsus canis rabidi, qui illam melancholiæ speciem infert, quæ hydrophobia, seu timor aquæ dicitur, in qua patientes licet nulla alia ratione melius sanari possint, quam aqua epota, eligunt potius mori, quam aquam bibere; immo neque illius visum sustinent: Cælius Aurelianus 3. acutorum 9. scribit non tam ex cane, quam ex vrso, & lupo, & leo pardo, & asino, & equo rabidis hanc fieri affectionem, quin immò non tantum ipse morsus, sed & spuma, siue pannis inflicta, siue alteri corpori eandem infert rabiem, addit Aurelianus id quoque fieri ex vnguibus, cum tamen mihi non admodum hoc probetur. Probabilius est fieri ex inspiratu, qui ingreditur incalescente iam ex motu thorace, & pręsente iam animali rabiem continente, quod scribit Theodorus, Prixianus, & Eupōristus, Ex serpentibus hoc etiam fieri non inuenio bonorum scriptis, aut experentia comprobatum. Tertia causa externa est fascinatio, de hac nonnulla sunt nobis dicenda, nam magna res est, quę humanum superat caput, & id mihi hac in parte contigit, quod refert Alexander Trallianus lib. 9. cap. 4. contigisse Gal. qui in quodam libello, quem inscripsit de medica Omerica tractatione, qui ad nos non uenit, scribit se fascinationibus aliquo temporis spatio nullam præbuisse fidem, postea experimenti certitudine ductus, cum videret incantationibus spinas gutturi infixas sponte sua decidere, & alia id genus, tandem coactus est credere. Itaque cum ego quoque sepissimè audirem quosdam aulicos perpetuo in cubili iacentes, extenuatos, nulla ope medica adiutos, tandem vsu sagarum, vittas, clauos funiculos, acus carbones, capillosque inuolutos vomuisse, & tandem sanitati restitutos, putabam omnia hæc figmenta. Sed tandem cum Venetiis certa quædam huiusce rei viderim exprimenta, tandem diligenter perlegi doctissimorum hominum scripta, & inueni non modo necessarium esse id credere, sed & impietatis, & infidelitatis argumentum esse id negare. Primum quidem inuenio in sacris litteris Exodo, & Leuitico maleficas detestari mulieres, & Deum præcipere, vt lapidibus obruantur. Concilia verò omnia Laodiense, Cartaginense, Mediolanense, Thuronense, & alia omnia de hac re admodum sollicita sunt, & Parochis præcipiunt, vt maleficas inquirant, exturbent,

C

D

Ex causa extrinseca tripli ci, potione venefica morsu & fascinatione.

Hydrophobia, seu aquæ timor nō solum ex rabie canū, sed ēt aliorū animaliū, & infertur trib. modis per spumā, morsum, & ehalatū.

Fascinatio datur

turbent, & si aliquam inuenerint, quæ ex maleficio quem piam interfecerit, sacrosancta communione non donetur. Idem censent Isidorus 8. Etymologiarum c. 9. D. August. 8. de Ciuit. Dei. 19. Io Chrysost. in lib. de Fato, sermone 8. D. Th. 4. sentent. distin. 34 q. 3. Et si Philosophis credendum sit, Plato 2. de legibus, quem sequitur Iamblicus, in lib. de Diuinis mysterijs, & Plotinus, & Proclus, & Marsilius Ficinus assentiuntur, maleficos, & maleficas dari, qui plura hominibus mala inferre possint. Huius rei exempla habetis apud Bodinum in lib. de Dæmonomania, & Gulielmum, Scribonium in lib. de Phisologia sagarum. Io. Baptistam Columbum, in lib. de Morbis venenatis, præter alios. Apud Medicos quoque huius rei exempla legere potestis apud Ausonium Leniuenium lib. de Admirandis, cap. 8. Fernelium lib. 2. de Abditis rerum causis, c. 16. Cornelium Gemmam 2. de Diuinis naturæ characterismis, & alios plurimos, vt propterea, cum ipsa sit clara, reliquum sit quærere modum, quo fascinatio hæc à maleficis in aliud corpus transferatur; nam si modus sit causa naturalis, naturalibus remedijs occurrendum, si sit supra naturam, frustra de hac re medici laborant.

Caput V. In quo agitur de causis fascinationum, & quomodo fiat.

QVi maleficos ac maleficas concedit mulieres, hic quoque maleficium negare non potest; cum autem varij sint maleficij effectus, vt fœcunditatem adimere, genitalia absumere, semen exsiccare, abortum parere, homines dementare, ac varios infigere morbos, variaque symptomata, præcipuè verò ventriculi anxietates, & extraneas vomitiones clauorum, acuum, funiculorum, capillorum, vitrorum, aliaque id genus; reliquum est, vt modum, & causam, seu vires, & per quas hæc fiunt, inquiram.

Varij effectus maleficij.

Quo ad modum, & causam pertinet, nemo inficiabitur, maleficia aliquando oculis inferri, quandoque tactu, nonnunquam verbis, plerumque signis, ac figuris, vel cæreis, vel alterius materiæ, vario modo concinnatis, propulsis, trasfixis aculeo, & clauis milio repletis, &c. Sed de facultate propter quam hæc fiant, maxima est difficultas, dum quidam existimant in illis ipsis spiritibus visorijs, in tactu manus, in prolatis verbis, in signis illis, & figuris vim quamdam inesse maleficij inferendi, quæ vt probabiliora euadant corporum cœlestium influxione, & viribus confirmata esse putant, & ideò superstitiosè admodum. In quare Alexander Trallianus excelluit, annulos componunt, aliave corpora ex varijs metallis huic, vel illi planetæ dicatis, sub certis quibusdam Zodiacis signis, quorum figuras in annulis, vel alijs figuris imprimunt, & additis superstitiosis verbis, vel litteris, putant se materiam componere, quæ insitam habet maleficij inferendi facultatem, quæ omnia figmenta sunt superstitionis plena, nullamq; vim continentia, nisi quatenus malefico his fidem præstanti Diabolus vim inferat, vt hac ratione obsequium, & adorationem ab his accepisse videatur, & ideo nemo quidquam per huiusmodi characteres, aut signa peragit, qui pacto aut tacito, aut expresso cum Dæmone habito obedientiam illi non polliceatur; hinc factum est, vt illa verba, quæ proferunt, & litteræ quas scribunt nullas habeant significationes, vel si quid significent, & proferantur ab eo, qui Dæmoni non fuerit addictus, nihil agunt, ideo, falsissimum est affirmare, hominem, qui sanus fuerit, aut victu, aut tactu morbum alteri inferre, nisi causa accedat superior, propter quam hoc fiat, morbus enim ex vno in alterum transit per contagium, quod fit, vel per tactum corporis solidi, vel vaporosæ substantiæ existente primum affectione in agentem, mox in patientem transeunte, sed malefici sani sunt, ergo maleficium non fit ex contagio, multo minus fieri potest vi corporum cœlestium, quæ omnia à Deo in tutelam nostri corporis sunt ordinata, ipsaque debent hæc sublunaria regere, non autem cogi à sublunaribus? At si corpora cælestia ex signis, aut figuris factis cogerentur ad inferendum maleficium sublunaria regerent cælestia, quod à Philosophia & Theologia alienum est; itaque tandem fatendum est omnem vim maleficij à Dæmone prodire, qui quidem ut morem gerat maleficis aliquando corpora lędit ingrediendo corpus illud, aliquando sine ingressu, & dum ingreditur aliquam suscipit auram; latetque potissimum in spatijs innanibus humani corporis, vt propterea ad motum illius auræ moto etiam Dæmone melancholicorum operationes innotescant, quandoque propheticæ, aliquando linguarum, aliquando alterius generis: si non ingrediatur corpus lædit hominem aliquando mutando operationes animæ, quandoque mutando statum corporis, nonnumquam tantum apparentiam exteriorem, aliquando plura. Animæ operationes mutat dum prauas, & extraneas infert imaginationes, & inter cæteras plerique sunt melancholici, qui putant se esse vel Dæmones, vel à Dæmonibus obsessos, quamquam nec fint, nec Dæmones habeant; Mutat statum corporis tripliciter, aliquando terrorem inferendo: inferunt terrorem, aut per mediam facien mulieris, quæ turpis sit vetula, ac truces habeat oculos, hæ pueris, & natura timidis adeo negotium faciunt, vt ex subito terrore aliquando retractis spiritibus animalibus à cerebro ad cor, cerebri sinus, & anfractus, ne detur vacuum impuro aere replentur, hincque sequitur vel subita conuulsio, vel melancholia, vel fatuitas; alijs refrigerato celebri calore sequitur sopor quidam, & stupor, paralysis, aut torpor,

Quo fascinationes fiant.

Maleficiorum actores debentcũ Diabolo conuenire.

Ius maleficij à Dæmone.

Ingreditur Dæmon suscipiens aurã hic propheticę variarũq; linguarum sermones

Si nõ ingreditur mutat animæ operationes.

Mutat statũ corporis tripliciter, vel terrorem incutiẽdo, vel insensibiliter, vel p succos herbarũ.

por, insignis plerumque etiam omnium capillorum, & pilorum defluuium. Hunc ipsum terrorem infert aliquando Dæmon fingendo ante oculos imagines terrificas, aut gigantis, aut Dæmonis, præcipuè in tenebris, & pauidis hominibus. Secundo mutat statum corporis insensibiliter, inserendo intra corpus, acus, clauos, pilos, vitra, &c. quæ deinde omnium admiratione euomuntur, & non fictitia, sed realia esse deprehenduntur. Tertius modus quo mutat corpus est per liquores, aut succos plantarum, ac mineralium, quæ omnia ipse nouit esse hominibus insensa, ex quibus tamquam doctus artifex quintam, vt dicunt essentiam extrahit, & dum corporibus inserit, quæ deinceps maximorum est causa malorum, mutat apparentiam exteriorem, quia facit vt quispiam arbitretur hunc, vel illum esse conuersum in bestiam, cum nemo ex Philosophis, & plures etiam ex Theologis concedat hanc transmutationem hominum in formam bestiarum, vt est D. Augustinus 18. de Ciuitate Dei, & Eusebius Cæsariensis quarto de Præparatione Euangelica, & Isidorus 8. Etymologiarum, nemo tamen asserit mutari hominum formam substantialem. Solus enim Deus hoc potest facere, vt ille reddatur vel asinus, vel aliud brutum, & propterea ludibrio habeatur, & verberibus cædatur, immò & aliquando mutat, & apparentiam exteriorem, & animæ operationem, vt quispiam arbitretur se re vera, aut lupum, aut canem, aut asinum factum. Quo in loco licet aliqua dicere de eo affectu, quem antiquiores Græci Aetius 2. tetrab. 2. & 11. Paulus lib. 3. cap. 16. vocant Lycaonem, seu Lycanthropiam, Auicenna coturub, seu coutoub à similitudine cuiusdam animalis in aquis degentis, quod perpetuò quodam motu agitatur. Hic affectus cogit patientes noctu tantum ambulare, fugiunt enim hominum consuetudinem, iacent inter sepulchra, cadauera extrahunt, & carnibus illis vescuntur, dicuntque se iam in lupos esse conuersos, & anno 1541. rusticus quidam Patauij dicitur fuisse, qui obuios impetebat, & deuorabat, tandem captus dicebat se lupum esse, vulgo Pataui dicuntur, lupi rapaces, isti non contrahunt lupi figuras, quamquam mores habeant lupinos, sed tamen ex prauo humore hæc nascuntur, est autem humor duplex melancholia naturalis, ob quam perpetuo mœsti, & timidi sunt, & noctu tantum ambulant, & humor exustus propter quem in humanum genus sæuiunt, siue corpora sint defunctorum, siue viuentium.

Lycanthropia.

Caput V. Traduntur causæ corruptæ imaginationis ex parte, hoc est ex intemperie spirituum animalium.

TRanseo iam ad causas corruptæ imaginationis ex parte spirituum animalium, qui tenebrositate prætermissa, de qua vltimo loco dicam imaginationem corrumpunt, vel propter intemperiem, vel propter motum, aut propter confusionem, aut denique propter admistionem alienæ substantiæ, de intemperie dubitatur, numquid imaginationem corrumpat: nam ex recentioribus, illi, qui subtilius rem hanc rimantur; (antiquiores enim de hac re non agunt;) inquiunt ex spirituum intemperie imaginationes melancholicas non fieri; ratio est, quia intemperies, aiunt, vel est calida, vel frigida, ex calida fit furor, mania, ex frigida fit fatuitas, & amentia, itaque nullo modo ex intemperie spirituum deprauatur imaginatio: sed decipiuntur: nam si ex sententia Gal. omnis actio animalis, præcipuè autem princeps, inter quas annumeratur imaginatio, fit à spirituum animalium intemperie, 3. de locis affectis 7. cur quæso intemperato spiritu reddito non vitiabitur imaginatio? idcirco Gal. 8. de vsu partium, cap. 13. non quantitati spirituum animalium, sed qualitati, & temperamento tribuit vim, & facultatem operationum animalium. Cæterum id ipsum confirmant variç melancholicorum imaginationes; quam enim putamus causam imaginationis melancholicæ cum risu, & iucunditate, in qua putant se esse Reges, præter caliditatem spirituum animalium? neque valet ratio: ex caliditate fit furor e furor enim, & mania fit ex intemperie calidissima cum fluxione vaporis exusti, siue eleuetur ex bile, aut atrabile exusta ex Galeno 3. de locis affectis 7. 6. Aphor. 53. & 2. de causis symptomatum 8. Melancholica autem delitamenta, quæ cum risu, & iucunditate fiunt, calidam quidem sequuntur intemperiem, sed moderatam, & potius ex sanguine, quam ex bile, vel flaua, vel atra genitam. Quod etiam pertinet ad intemperiem frigidam, ex hac fiunt imaginationes melancholicorum, timoris, ac mœroris plenæ. Imaginantur isti se propediem morituros, vel carceribus se daturos, vel quid tale, quæ omnia in solam spirituum animalium frigidam intemperiem sunt referenda, & propterea dicebat Aristoteles quarto de part. animalium, capit. 11. & lib. de Respiratione, cap. 8. metuentibus cerebrum refrigerari, propterea 2. sectione Problem. proble. 53. scribit, timentibus, sanguinē deserere ipsum cerebrum, at vbi sanguis deserit cerebrum, necessario spiritus refrigerantur. Ad argumentū quidem quod ex frigida intemperie fiat fatuitas, & amentia, fateor intemperiem hanc, prout lædit discursum, stoliditatem, & amentiam parere, sed quid prohibet, quo minus hæc intemperies frigida et imaginationem

Spirituum animalium intemperiem esse causam melācholiæ.

Ex calida intemperie spirituum animaliū fit melancholia.

Ex frigida intēperie.

nationem vitiet, imagines, vt dixi timoris, ac mœroris continuo suggerendo, & ideo inuenientis non paucos melancholicos, stupidos, & bardos, insipientes, & fatuos: nam ex hac intemperie melancholica imaginatio coniungitur cum fatuitate, & amentia: accedit quod ex hac frigida intemperie opiniones Melancholicorum sunt magis præualentes; dicebat etiam Gal. lib. artis medic. cap. 12. ex calida cerebri intemperie fieri opinionum mobilitatem, ex frigida constantiam. itaq; frigida, & calida spirituum intemperies imagines producit melancholicas.

De causa pp quam spiritus intemperatus redddatur est pariter dubitatio, vt etiam de loco; de causa quidem nam negant quidam intemperiem cerebri sine materia posse spiritus intemperatos B reddere, vt ex his fiat melancholia, dicunt enim ex intemperie frigida absque materia spiritus reddi pauciores, ex paucis ent spiritibus seque fatuitatem, non melancholiam, addunt hanc intemperiē esse cum materia, ex qua spiritus tenebrosi reddunt, & propter tenebras melancholiam faciunt, non propter intemperiem: sed vtrumq; est falsum, ex intemperie absq; materia paucos reddi spiritus nemo negabit: sed frigidā intemperiē cerebri spiritus et frigidos non gignere ab omni ronne est alienum. Itaq; sicut ex paucitate fit fatuitas, ita ex frigiditate, & fatuitas, & delirium melancholicum, vt dixi, fieri pōt: falsū est quoq; quod secūdo loco dicitur, hos spūs nō propter C intemperiem, sed pp tenebrositatem tantum melancholiā efficere quod s. ex frigiditate densentur, & tenebrosi fiant, cum sint densati, spūs animales, vt nostis, sunt corpora luminosa, & similaria, corpus luminosum, & similare, vbi densatur, tantum abest, vt fiat tenebrosum, vt potius fiat magis lucidum, sicut enim rara ignis substantia minus lucida est, quam densa: ita etiā animalis spiritus, quo densior, eo magis luminosus: ppea falluntur, qui frigidam cerebri intemperiem dicūt spiritus densare, & ex densitate tenebrosos reddere. Decipiuntur tertio, qui putant solam siccam intemperiem posse ad melancholiam conferre rum quod ratio doceat, & authoritas, nā cū proprius character melancholiæ sit timor, & mœ- D ror, dummodo immediata adsit mœroris, & timoris causa; adest quoq; melancholia; timor aūt, & mœror sequuntur spirituum animalium refrigerationem propterea qui sunt morti propinqui, aut qui lethali morbo laborant, omnium maxime timent spiritu refrigerato; vt propterea Auic. dixerit mortis timorem in ęgro esse signum malum. Itaq; nihil refert, siue hæc refrigeratio sit cum intemperie humida, vel sicca. Propterea Galen. lib. artis medic. 55. inter signa frigidi, & humidi cordis, timorem reponit; & argumento sanè clarissimo timorem posse, & in spiritu animali cōsistere intemperie frigida, & humida affecto, neque enim potest timor melancholicorum absq; cerebri consensione fieri. Itaq; tales sunt spiritus animales, quales vitales, vitales sunt frigidi, & hu- A midi, ergo & animales tales, hoc vtrum exemplo confirmari posse. Heraclitum enim (qui totam in lachrymis vitam dęgisse scribitur, & tanquā melancholicus ab omnibus profertur, non modo ex lachrymarum copia, sed hydrope, quo morbo interijt,) coniiciendum est frigida, & humida spirituum animalium intemperie laborasse, & tamen melancholicum fuisse.

Caput VI. Soluuntur argumenta contra allatam sententiam, & iterum præsens opinio confirmatur; quòd melancholia fiat ex intemperie spirituum.

VErsabar in superiori capite in hoc argumēto, vt probarem contra comunē ferè omniū sententiam melancholiam ex intemperie animalium spirituum fieri. Reieci contrarias quasdam opiniones, & argumentam aliqua supersunt refellenda, nonnulla ent, quibus præsens opinio, quid maximè ad curationem facit, confirmetur adferenda. Erastus itaque & alij cum eo prima primi disp. 13. pluribus vtitur argumentis ad hanc sententiam refellendam, quæ tande hæc sunt; melancholiam ex intemperie non fieri eò, ꝙ habet accessiones, & remissiones, momento tēporis accedat, & recedat, intemperies autem non nisi longo temporis interuallo, aut generatur, aut corrigitur. Præterea, Melancholicorum imaginationes sunt propemodum infinitæ, at verò intemperies sunt tantum octo, neque ex his omnibus fit melancholia, idcirco intemperies non potest esse melancholiæ causa. Accedit cum melancholia sit actio princeps vitiata, actiones principes vitiantur læsa cerebri structura, conformatione ipsa, vt apparet in apoplexia, epilep. sia, &c. ergo vitiantur ex mala compositione, non ex intemperie. Confirmatur, quia actiones principes non sunt naturales, sed voluntariæ, & operatio, quæ proximè sequitur temperiem non possunt esse voluntaria, neque enim voluntas pōt temperiem ipsam tam vario mon mutare, vt modo vna, modo alia sit imaginatio. Itaque non ex intemperie, sed ex alijs causis ait Erastus fit melancholia: sunt verò aliæ cāæ in eodem spiritu animali, mutatio coloris lucidi in opacum, subiectæ materiæ subitilis, & tenuis in densam, & crassam; præterea spiritus sua natura nobilis, si præter naturam quiescat, poterit esse vitiatæ operationis causa: confirmat hoc Erastus, quia Gal. primo methodi 6. primam videndi causam non tribuit humoris cristiallini temperaturæ, sed colori, & propterea primo de vsu partium, capit. nono: idem docet actiones quasdam non fieri primo ex temperamentis, sed ex consequentibus temperamentum, vt est visio in oculo, quæ fit propter colorem, itaque sic temperamentum spiritus non est mediata causa melancholiæ, sed mutatio in luciditate, &c. hæc sententia non mihi videtur admittenda, neq; argumenta hæc concludunt.

Ad primam rōnem: melancholia accedit, & recedit, dico id verum esse de melancholia

per consensum, at melancholia per essentiam perpetua est. Ad secundum, intemperies sunt paucæ, imaginationes infinitæ, dico non oẽm melancholiam fieri ex intemperie, neque oẽs imaginationes in intemperiem referri, sed timorem tantum, & mærorem, & ea, quæ ad timorem, & mærorem reducuntur, hęc duo sequuntur melãcholiæ characterem, intemperiem spirituum consequuntur, vt paulo post susius ostendam; multiplices aut imaginationes alias habent causas partim relatas, partim adhuc referendas. Ad tertium cum dicunt actiones principes malma cerebri sequuntur conformationem, ergo non spirituum intemperiem. Consequentia negatur, fieri enim potest, vt vna, & eadem actio primo, & per se fiat à temperie, conformatio autem vsum præbeat, & tamen actio lædatur, siue læsis spiritibus, siue læsis partibus vsum pręstantibus, siue læsa temperie partis pręcipuę, vt in oculo apparet, cuius visio non tantum læditur ob cristallinum, quantum propter albugineam, corneam, pupillam, & reliquas partes, neque valet, quod dicit Erastus posse quidem lædi actiones principes, ex spirituum intemperie, sed non excusa immediata, immediata verò est vitium luminis. Hoc enim habet contra se Galenum, & rationem, qui 8. de vsu partium. cap. 13. pręcipuam actionum principium rationem in optimam temperaturam animalium spirituum esse referendam, non in conformationem; inquit enim asinos quoque eandem habere cerebri conformationem, quam habet homo, sed spirituum animalium optimam temperiem illam esse à qua actiones principes emanant. Prætetea si ex intemperie non fieret immediate actionum principum læsio, ergo sequitur eos, qui sunt temperamento secundum animales spiritus frigido, & sicco, neque esse melancholicos, sed consequens est falsum, nam vbique Gal. & 2. de temperamentis 6. & de causis sympt. vlt. & 3. de loc. affect. c. 7. melancholiam vocat affectum, seu intemperiem frigidam, & siccam. Consequentia probatur: nam ait Erastus ex intemperie fit melancholia quia mutatur luciditas spirituum, peto, quæ sit hæc mutatio, an fiant lucidiores, an opaci, si lucidiores, ergo, nunquam tales erunt melancholici, si opaci, probo, quod non sint opaci: ex intemperie frigida spiritus densantur, at spiritus sunt ex propria natura lucidi, & sunt corpora similaria, corpus similare lucidum quo densius, eo lucidius, accedit siccitas quę omnem tollit alienæ substantiæ mistionem, õnemque impuritatem, hinc scriptum est: lux sicca anima sapientior. vtpropterea nullæ sint argumẽtationes Erasti. Denique cum inquit, esset actio naturalis, non voluntaria, in hoc argumento opus est distinctione: actiones principes dupliciter considerantur, vel quo ad facultatem, quæ est principium actionis, vel quo ad instrumentum, quo fit actio: respiciamus cãm mouentem, hęc est voluntatia, hæc non sequitur temperiem, aut intem- A periem est enim appetitus, qui mouetur ab obiecto vel interno, vel externo, & voluntarium est, cognita re sub ratione boni, vel mali, aut cognoscibilis, aut sensibilis prosequi, aut fugere, &c. plus, & minus agere pro arbitrio, sed si respiciamus instrumentum, quo fit operatio, quod est animalis spiritus, istud dum operatur, operatur per propriam temperiem; non inficior concurrere lumen, & substantiam, & motum, immo inferius ostendam, melancholicos fieri ex horum omnium mutatione, hoc sat sit, nunc probasse ex spirituum intemperie immediate fieri posse melancholias. Confirmatur in singula specie intemperatorę. Dantur melancholici, qui perpetuò rident, hos Auic. vt alias dixi vocat Illisi. De B his Hipp. 6. Aph. aph. 53. dum ait desipientes cum risu securiores, hanc aliquan fieri ex calida spirituum intemperie ostendit ipse risus; nam risus fit calefacto, & toto simul sanguine, & spiritu, propter conceptum obiectum detestabile, & iucundum. Sed isti melancholici, qui nullam habent cãm, aut obiectum extrinsecum, à quo moueantur, necesse est, vt habeant intra se. Caussa autem est, vt dixi calor, & motus spirituum, in hoc tantum differens à naturali quod in naturali excitatur hic motus, & calor ab obiecto extrinseco iucundo, in istis verò gerit vicem obiecti perpetua spirituum intemperies calida: ne- C que obijcias hanc melancholiam fieri potius ex materia calida, quam ex spiritu calido; nam prę- terquam qnod contradicit hoc naturę ipsius risus, quæ sequitur temperiem spirituum calidam, accedit etiam, quod nunc loquimur de illa desipientię specie, in qua adparet lętitia, & risus, id quod non contingit quando fit ex materia; materia prout aliquando ascendit in cerebrum, aut retrahitur à cebro habet accessiones, & interualla: præterea isti de quibus loquimur vigiles sunt, oculos habent concauos, & vt scribit Auicen, frequenter in cœlum aspiciunt, aut aliam quampia imaginem, & quod maius est, curantur tristitia, quod est dicere, curantur illis, quæ possunt mutare spiritus temperiem calidam ad frigidam, vt mœror inducatur: nam si esset humor, in hoc casu proponitur euacuatio, D vbi intemperies sola, alteratio, per ea, quæ contristaut.

Frigidã & siccam intemperiem spirituum animaliũ eẽ cãm proximam melãcholiæ.

Melancholiam, frigidum & siccum esse affectum nemo inficiatur, fieri autem ex intemperie spirituum animalium frigida, & sicca, vix vnus aut alter inuenitur, qui hoc concedat; hoc itaque nunc muniendum ratione, & authoritate; ratione quidem sic, frigida spirituum intemderies est prorsus opposita calidæ, & humidæ, sed ex calida, & humida fit hilaritas, ergo ex frigida, & sicca fiet mœtor. Hinc Galen. tertio de locis affectis septimo, inquit, melancholiam esse morbum partis similaris, ad differentiam epilepsiæ, fieri ex intemperie cerebri frigida, & sicca, ergo, & animalis spiritus erit frigidus, & siccus, sed huius

huius temperatura est causa proxima, & immediata actionum principum, vt docui ex Gal. 8. de vsu partium 11. ergo vitium temperaturæ in spiritu erit causa melancholiæ; nam si cerebrum animalium spirituum est opifex, tales oportet esse spirituum temperiem, qualis est temperies cerebri. idcirco Auicenna in principio capitis de melancholia inquit fieri melancholiam non tantum ex tenebrositate, quantum ex frigida, & sicca intemperie, quæ est contraria naturali temperaturæ spirituum, sed videamus quid isti obijciant, & nobis respondeant.

Primò obijciunt vnum ex intemperie frigida: actio, inquiunt, non deprauatur, sed imminuitur, vel tollitur, melancholia autem est actio praua, ergo non fit à frigido, addunt secundo ex intemperie frigida, & sicca cerebri spiritus animalis imminuitur, ex imminutione fatuitas, non autem melancholia subsequitur. Ad Gal. & Auicennam, qui vt vidimus aptè dicunt melancholiam ex intemperie frigida, & sicca cerebri fieri, tripliciter redendent. Primo dicunt, per intemperiem frigidam, & siccam intelligi intemperiem in materia, non in substantia cerebri. Confirmant ex 7. de loc. aff. 7. quia epileptici fiunt melancholici, & ex consequenti melancholici, epileptici, non aliam ob causam, quam transmutata materia a ventriculis, ad porositates cerebri, vel à propositatibus in ventres, secunda responsio cerebrum frigidum, & siccum facit melancholiam non alterato spiritu, sed genito humore melancholico: tertia responsio ex cerebro frigido, & sicco inquiunt fieri melancholiam refrigerato primum corde, ad cuius refrigerationem sub sequitur spiritus vitalis tenebrositas, ex quo deinde fit spiritus animalis tenebrosus.

Frigida intemperies est cã praua actionis. Ad quæ omnia respondendum Ad primum cum dicunt in frigido non deprauatur actio, falsa est suppositio, acida cibrorum corruptio in ventriculo fit a frigido, & tamen est praua actio, id docuit Gal. 8. meth. 8 qui propterea scribit nullum ex corruptione acida in febrem incidere ephemetam, quod ex frigiditate fumositas non generetur. Ad rationem ant dicendum est, ex frigiditate quidem insigni nullam fieri prauam actionem, sed ex moderata duntaxat; propterea corruptio ad accidum non fit prorsus extincto calore, sed ex moderata refrigeratione, vt propterea Hip. 6. aph. aph. 6 in lienteria acidum ructum existimet esse bonum signum, eo quod, vt scribit Gal. in commento, indicum sit alicuius caloris. Ad secundam rationem, ex intemperie frigida, & sicca cerebri spiritus diminuunt, concedo, ergo non refrigeranturr nego consequentiam. Cum addunt, sed ex defectum fit fatuitas, ad hoc dupliciter respondeo. Primo ex defectu quoque desipientiam fieri inquit Gal. 7. aph. aph. 9. comment. ex sanguinis profluuio eodem modo fieri desipientiam, quo fiunt tremores in partibus musculosis ex defectu substantiæ spiritus. Secunda respon-

A sio est connecti posse hæc duo simul, fatuitatem, & melancholiam, sicuti magna ex parte connexa esse experientia obseruatum est: nam stolidi isti magna ex parte timidi, & mæsti sunt, vt ex defectu fatuitas, & intemperie melancholia fieri possit aliam quoque possumus subiungere solutionem; melancholici ex frigida, & sicca spirituum intemperie. illi sunt q hoc tantum habent, vt perpetuò timeant, ac tristentur. at verò timor, & mœror potest dici diminuta actio non deprauata: nam timorem possumus dicere defectum animositatis, & sicut animositas sequitur temperamentum calidum, & siccum, ita timor, & mœror frigiditatem consequuntur. Quod verò dicunt isti Gal. sñiam de itemperie frigida, & sicca semper vno ex trib. illis modis esse intelli-

B gendam, hoc non admitto, concedo quidem melancholiam, q̃ fit post epilepsiam ex trarsmutatione materiæ ortum ducere, sed quod dicunt ideo cerebrum frigidum, & siccum melancholiam facere, vel quod primo alteret cor, vel quod gignat succum melancholicum, vtrumque respõdeo esse falsum: primum quidem non modo est falsum, sed ridiculum cerebrum frigidum, & siccum, quod propriam spiritibus animalibus tribuit temperiem citius, & facilius cordis temperiem transmutare, quod longè distat, solidum est alienis qualitatibus resistit, quam ipso spiritus in eodem cerebro existentes tenues, & ad illius par-

C tis alterationem natos est ab oĩ ratione alienum: & profectò mihi verum Gal. ipse 8. de vsu partium 2. hanc reiecisse sententiam, quando disputans contra illos, qui dicebant cerebrum esse factum, vt cor refrigeret, præter alia argumenta his duobus potissimum hanc sententiam impugnat, quod cor longè distet à cerebro, & quod ossibus durissimis partes istæ sint distinctæ, & disparatæ. Alia quoque suppositio facilè cadit, si causas, & effectus melancholiæ consideremus: nam Gal. ait. 3. de loc. aff. 7. fieri quandoque melancholiam ex curis, sollicitudinibus, inedia, quę omnia alterant partis humores euacuant, corpus refrigerant, vt de inedia sigillatim docet 2. acutorum 22. &

Falsũ est quod frigida, & sicca cerebri intemperies generet melancholiã generando humores melãcholicos, vel refrigerando cor.

D 24. Gal. & de mœrore, 1. de tuenda valetud. 12. Hinc Sapiens. Spiritus tristis exsiccat ossa, ex effectibus etiam temperaturæ frigiditatem, & siccitatem absque materia possumus cognoscere, quia dantur melancholici ex prædictis causis perpetuò vigiles, emaciati, consumpti, oculis cauis, quæ omnia temperaturarum frigiditatem, & siccitatem ostendunt, & materiæ defectum, idcirco dantur melancholici, qui absque purgatione solis humectantibus, & calefacientibus tractantur.

Melancholiã fieri ex intemperie frigida, & humida. Sed de intemperie frigida, & humida maior est difficultas, cum hoc tamen fortioribus argumentis, & rationibus confirmari possit: ratio est talis. Timor fit ex intemperie frigida & humida, sed character melancholiæ est timor, ergo: maior probatur ex Galen. in lib. artis medic. cap. 35. inter signa cordis frigidi, &

& humidi timorem reponente,& Aristotele,qui 2. de partibus animalium 4. ostendit animalia frigidiora,& humidiora esse timidiora, exemplo damarum, piscium, ex Hipp. in lib. de diæta,qui aquam ait superantem ignem in humido corpore esse fatuitatis causam, si adhuc magis superet, desipientiæ,melancholię cum timore cõnexæ,qui propterea lib. de aere populos ait, qui in regionibus frigidis versantur,aut victu humido vtuntur timidiores esse. Hinc Gal. 2. de temperamentis 6. obesos, molles, albidos omnium maximè esse timidos idcirco pueri,& mulieres, quo humidiores, eo timidiores. Accedit, quod scribit Gal. lib. de Melancholia,qui tamen liber est Possidonij,& Rufi balbos esse melancholiæ obnoxios. quod etiam docet Auicenna, vocatque ipsos tremulos, at balbi cerebro frigido, & humido sunt donati,propter quam causã scribit Hip. balbos longo alui profluuio corripi, & Gal. in cõ. aptè docet balbutiem fieri ex nimia humiditate.

Caput VII. adducuntur argumenta probantia melancholiam non fieri ex intemperie frigida, & humida spirituum, & soluuntur, & probatur melãcholiam etiam fieri ex motu spirituum.

QVi melancholiam ex frigida, & humida spirituum intemperie non fieri posse existimant, tribus potissimum argumentis nostram impugnant sententiam, primum sumitur ex Gal. lib. 3. de locis affectis, vbi scribit, ex intemperie frigida,& humida fieri defectum memoriæ, fatuitatem,& stoliditatem, ergo non fit melancholia ex intemperie. 2. melancholia ab humore melancholico nomen desumpsit, at cum intemperie frigida;& humida nullam habet conuenientiam humor melancholicus in passiuis saltem qualitatibus,quia siccus. 3. idem non potest esse caussa duorum prorsus inter se diuersorum, sed antea diximus intemperiẽ frigidam,& siccam esse causã timoris,& mæroris, ergo non frigida,& humida, quia vnius effectus vnica est causa immediata,& propterea si timoris causa est siccitas cum frigiditate non poterit esse humiditas, idcircò poterunt etiam nostris rationibus respondere cum diceba mus melancholiã fieri in cerebro frigido, & humido, dicunt isti fieri in tali cerebri temperatura cum corde calido,& sicco, in quo casu cor fumosam gignit qualitatem, cerebrum suscipit, sed nihil horum, nostram infringit sententiam. Ad primum, cũ dicunt ex cerebro frigido,& humido, fit insipientia, defectus memoriæ, fateor, sed cum adducunt, ergo non melancholia, negatur consequentia, vtrumque simul coniungi potest, & propterea facilè videas quosdam timidos, ac perpetuò mœstos, albidos, molles, obesos, somniculosos,& stupidos, in quibus melancholia cum fatuitate connexa est. Ad secundam rationem dico melancholiam ab humore nomen sumpsisse, non quòd semper ab humore melancholico fiat. Audistis hactenus plures melancholię causas absque humore melancholico, audietis etiam infe-

A rius, sed quia magna ex parte hic affectus fiat ab humore melancholico, hinc est, vt ab eo denominationem sumpserit. Ad tertium idem affectus non potest fieri ex multiplici causa immediata, dico vnum,& eundem affectũ secundum rationem consideratum, non posse prodire nisi ab vnica causa immediata, sed si diuersam habeant rationem, diuersas quoque habent causas; datur itaque timor, & mœror duplex, vnus cum odio, auersatione hominum, inuidia, indignatione, hic prouenit ex intemperie frigida,& sicca, alius cõiungitur cum misericordia, fletu,& acidia,& sequitur intemperiem frigidam,& humidam. Hoc colligi potest ex Arist. 2. Oeconom. 2. quod etiã quotidiana confirmatur experientia. Quod verò obijciunt cum cerebro humido melancholiam

B fieri, quatenus fumosam qualitatem ex corde suscipit, aliquando veritatem continet, aliquando autem non, quandoquidem raro inuenies eos, qui cerebro frigido,& humido sunt donati naturaliter, cor calidum,& siccum obtinere, sunt ita partes propriè constitutæ, vt vna alterius temperamentum corrigere,& emendare possit. Sed hoc etiam concesso, posse cor calidum & siccum perpetuò cum cerebro frigido reperiri, peto numquid hæc qualitas fumosa, quæ in cerebrum recipitur, alteret ipsum, an potius alteretur ab ipso, si cerebrum alterat, ergo siccum reddit contra Auicennæ & Galeni hypothesim, balbos, similiter, seu cerebro humido donatos melancholicos esse.

C Quod si dicamus cerebri intemperiem fumosam substantiam transmutare, tunc non erit melancholia, non inficior quidem fumos ex partibus infernis ascendentes in cerebrũ frigidum,& humidum posse momentaneam inferre melancholiam, sed de hac non loquitur Auic. qui vt potestis apud illum legere profitetur hanc melancholiam esse continuam,& essentialem itaque iure optimo constituendum hanc frigidam, & humidam intemperiem cerebri, ac cordis sanguinem gignere tenuem, ac spiritum frigidum, atque humidum, timori, ac mærori aptissimum, vt superiora Hip. Arist. ac Gal. loca

D demonstrarunt, vt tandem ex dictis manifestum sit, ex spirituum intemperie melancholiam fieri posse. Postea Gal. toto illo integro lib. quod mores animi,&c. ostendit has animi perturbationes intemperiẽ sequi,& intẽperię illius substantię, q̃ animæ instrumẽtũ pcipuũ esse docuit 3. de locis affec. 7. & 7. de placitis 8. de vsu partium, &c.

His ita constitutis, reliquum est, vt probemus melancholiã fieri nõ tamẽ ex intẽperie spirituũ, quantum ex motu. Hic motus spirituum duplex est, Localis vnus, alterationis alter primus adhuc duplex est vnus Dilatationis, & Constrictionis, alter Confusus, & omni ordine carens, tertius cõtra naturę leges. Quod ad primũ pertinet, quãtũ possit caloris,& spiritus dilatatio,& constrictio in affectib. & perturbationib. animi, docuit abundè Gal. 2. de causis sympt. & 12. meth. vbi docet in nimia spirituum,& caloris dilatatione, profusam

Melancholiam fieri ex motu spirituum.

fusam fieri lætitiam, atque talem, cui aliquando mors succedat, contra verò in timore, & mœrore constrictionem fieri. Cæterum nos in præsentia melancholicorum, ex dilatatione spirituum, aut contractione differentias non tantum, sed & alia quædam, quæ medici ante nos putarunt inexplicabilia, attingemus; sunt quidam qui putant se esse corpora inania, aut aues, putant se volare, aut cantus gallorum imitantur, bracchia pandunt, quasi alas, vt euolent, hæc omnia nos in nimiam spirituum dilatationem referimus: sicuti enim moderata dilatatio lætitiam parit, adhuc maior risum efficit perpetuum, vt de Xenophano quodam scribitur, qui perpetuo ridebat: si adhuc magis augeatur facit lætitiam cum risu gestientem, in qua homines currunt, saltant, quasi volaturi. Itaque vbi hæc dilatatio modum excedat, vt partes cerebri interiores quasi deserantur, ex terioresque sensus, & motus instrumenta spiritu, & caliditate repleantur, tunc imminuitur facultas æstimatiua, & augetur hæc motiua, & sentiens, vt isti putent se esse aues, aut corpora leuia, & volare, neque imaginationem possunt corrigere, non colligente se spiritu ad interiores partes, sed in exteriores diffuso. Hoc est quod docuit aliquando Arist. decimo Ethicorum 5. vbi scribit profusam lætitiam mali causam esse, neque dermittere vt sensus amplius seipsum colligat, in quo casu hæc praua operatio subsequitur. Quod si nimium constringantur spiritus, præter timorem, & mœrorem accedunt aliæ prauæ imaginationes, aliquando patientes putant se esse corpora artificialia, saxea, testacea, immobilia, id posse spiritus retractionem facere, potestis colligere ex Arist. 2. Ethicorum, 8. quod desumpsit ex Herodoto exemplo Amasis Aegyptiorum Regis, qui captus à Cambise, cùm videret filium ad necem de ductum, immobilis mansit, cùm videret seruum plorauit; ratio est quia ex intenso dolore adeo densatur, & constringitur spiritus, vt minimè ad misericordiam, vel ad fletum hominem mouere possit, vbi autem minor est doloris causa, & contractionis spirituum; quasi solutis habenis spiritus mouentur, & miserationis, ac fletus causa esse possunt.

Ex dilatatione spirituũ cantus gallorũ, volatus, & opinio vacuitatis.

Ex cõstrictione spirituum opinio corporis testacei, saxei & immobilis.

Caput VIII. explicantur species melancholiæ ex confusione, motu præter naturam, & alteratione spirituum pendentes.

A Lter spirituum animalium motus, ex quo melancholiæ species variæ fiunt, est confusio quædam, & agitatio, per confusionem intelligo, inordinatum illum motum, dum alij superiora, quidam inferiora, alij anteriores partes, alij posteriores petunt inordinato quodam motu, & confusio est aut insignis, aut moderata; quando insignis fuerit rerum omnium sensibilium, & intelligibilium imagines delet, nam sicut in aqua vehementer agitata nulla apparet imago, ita in spiritibus valde confusis, & agitatis delentur imagines; hinc fit, vt quidam melancholici euadant certis quibusdam locis, & temporibus, siue enim in foro, siue apud Principes, vel alias personas de rebus proprijs, quarum habent peritiam sint acturi, vel verba facturi ab opere, vel verbo prorsus cadunt, & mæsti, timidi, & quasi attoniti manent. Sic scribit Aretæus cap. de melancholia artificem quendam in proprijs ædibus aptè omnia concinnasse, extra ædes artis omnem peritiam amisisse, & cum iterum domũ rediret, semper iterum artem recuperasse, fit hoc potissimum ex verecundia insigni fit etiam ex flatibus vel vaporibus vel in cerebro, vel in infernis partibus genitis, ex verecundia quidem, nam cum verecundia moueantur species contrarijs motibus ad intra propter timorem, & ad extra propter spem, si diù perseueret hic affectus, diù perseuerat hæc affectuum lucta, fit confusus motus, qui vt dictum est, omnes rerum imagines mente conceptas delet. Hanc eandem ob causam factum est, vt doctissimi viri, & disertissimi apud Principes locuturi, statim ab oratione ceciderint. Quod Theophrasto contigit, dum apud Athenienses orationem esset habiturus, & Demostheni, dum apud Philippum Regẽ, Herodi Attico coram M. Ant. Heraclito Lycio coram Seuero Francisco Barbaro, coram Philippo Duce Mediolani &c. Quod si moderata sit coufusio non delentur imagines, sed aut disiunctæ vniuntur, aut coniunctę disiunguntur, & primo quidem modo, varij fiunt melancholici, qui sibi ipsis varia fingunt monstra, sphinges, centauros, hircocetuos, &c. ob eandem causam quosdã ego vidi melancholicos, qui animo concipiunt se quædam egisse, quæ numquam egerunt, memini me vidisse Venetijs clarif. virum ex familia Superantia, qui putabat nullum scelestum facinus, aut peccatum se omisisse, cum tamen innocentissimus esset; fiunt hæc insitis simul variis speciebus in mente existentibus peccati similiter, & obiecti, cum quo potest committi peccatum, nam vbi hæc duo disiuncta simul vniuntur, deprauata hæc imaginatio subsequitur. Aperto id videor exemplo explicare posse ab Arist. accepto lib. de somnijs cap. 3. scribit Arist. somniantibus monstra plerumq; apparere coniunctis simul speciebus in vigilia separatim receptis; addit phereneticos lineas, quę in muris sunt, vario modo in mente propria formare, atq; certò arbitrari illa esse animalia, aut plantas &c. quia scilicet species receptæ in spiritibus agitatis intrinsecus coniunguntur, ipsi verò putant exteriores illas lineas copulatas esse. Itaq; quod somniantibus, & phreneticis per somnum, & acutum contingit morbum, melancholicis contingit longo temporis spatio, propter internam causam quæ spiritus ipso agitat, & confundit, est verò vt dicebam hac interna causa, aut in cerebro, aut extra cerebrum; in cerebro quidem spiritus vaporosus, aut flatuosus ad confusionem faciendã aptus ex inęquali intẽperie producitur, est aũt

Ex nimia spirituũ cõfusione imaginũ abolitio,

& propriæ artis oblivio.

Ex moderata spirituũ confusione imagines disiunctæ vniũtur, vnitę disiũgũtur sic fiunt monstra, & homines putant se fecisse ea quæ nũquam fecerunt.

inæqualis intemperies calida quidem in substantiam cerebri, frigida, & humida, aut frigida, & sicca in humore pituitoso, vel melancholico ipsimet substantię imbibito; dum itaq; calor agit in hanc materiam, flatus eleuatur qui spiritus confundit aut illos vniendo, aut disgregando, quod ipsum contingit siue flatus iste à ventriculo, siue à iecore, intestinis, meseraicis, liene, vtero, & toto corpore ascendat. Cæterum sicuti quando vniuntur imagines, delirant patientes, qui putant se fecisse id, quod nunquam fecerunt: ita vbi nimium disgregantur imagines, putant melancholici se nihil egisse, aut agere eorum, quæ quotidie agunt, aut egerunt. Vidi ego Venetijs clarissimam & pulcherrimam mulierem viduam, quæ hac melancholiæ specie vexabatur, vt crederet sediù non posse viuere, quod neque ederet, neque biberet, neque dormiret, neque deijceret, & tamen ab ancillis doctus eram illam optimè cōedere, totam noctem dormire, aliquandò etiam interdiu, nam de alui excrementis ipse fui oculatus testis, qui plurima illius excrementa quotidiè videbam.

Agitatio spirituum est quid diuersum à confusione, nam agitationis nomine intelligo quasi titubationem, vel trepidationem quandam sicuti in aqua videmus post vehementem agitationem, quæ aliquandò motu hoc trepidationis aliquo temporis interuallo mouetur. In hac agitatione imagines multo maiores repræsentantur, quam sint, vt exemplo aquæ manifestum fiet: itaque ex huiusmodi imaginis amplificatione fit, vt patientes quædam maiora esse animo concipiant, quam re verà sint, sic referunt quēdam imaginatum esse nasum sibi vsque adeo magnum exstare, vt omnem credulitatem superet, fuit & alius, qui putauit vniuersam corporis molem adeò increuisse, vt per portam exire non posset, hæc vt censeo in aliam referri causam non possunt, quàm in has imagines amplificatas, & propterea sola imaginatione mutata sanantur isti, vt videbimus suo loco.

Ex agitatione spirituū obiecta imaginantur maiora esse quā sint.

Tertius motus spirituum animalium est motus præter naturam; vt intelligatur, quinam sit motus præter naturam spirituum, primum intelligere oportet, quinam sit naturalis, naturalis autem motus fit per circulum quendam à rete mirabili ad priores cerebri ventriculos, à prioribus ad medios, à medijs ad postremos, & cerebellum, ab his in totam cerebri substantiam priorem, posteriorem, & mediam, quam spritu esse repletam, docuit Gal. 8. de vsu partium 13. dùm itaque fit hic motus spirituum ordinatus, & naturalis, cuncta rectè procedunt, vna species aliam non confundit, sed si contingat, vt spiritus aliquam ob causam, vel ab ipso cerebro, vel à postremis ventriculis ad priores partes repellantur, & circulus fiat opposito modo illi, quem iam proposuimus, ex huiusmodi motu quandoque fit fatuitas, vel insania, siue furor, quandoque

Naturalis motus spirituū.

A melancholia, prout patientes, vel illi temperamento, hoc, vel illo humore donati fuerint, etenim propositiones isti, & conclusiones opposito protsus faciunt modo, quam prudentes, & sapientes, idcirco neque copulant congrua prædicata cum subiectis, aut ex falsa præmissa conclusionem inferunt, aut ex vera præmissa falsam conclusionem faciunt, vt denique omnia sint opposita naturalibus, & consuetis cogitationibus mentis, hinc vulgus apud nos dicere consueuit (gli hà dato volta il ceruello) causæ autem propter quas fit hic motus naturali contrarius, aut sunt impedimenta circa cerebrum, & ventriculos existentia, aut sunt ingentes animi affectus, impedimenta sunt insignes cerebri B obstructiones, & tumores, ex quibus causis spiritus quasi repelluntur, ne possint per totam cerebri substantiam transire hinc repulsi retrocedunt. Atque ideo post phrenitides, & lethargos, fatuitas, & melancholia solent succedere, non tantum deustis humoribus, quantum obstructo cerebro, & liberum spiritibus motum prohibente: idem fit ex ingenti animi affectu præsertim timore, reuocatis enim spiritibus à cerebro ad ipsum cor, cerebrum densatur, & ne detur vacuum, humore, & vapore excrementitio impletur, qui deinde locum consuetum spiritibus prohibet.

Alter motus spirituum ex quo frequenter C fiunt imaginationes deprauatæ, est alteratio à specie facta; hæc autem species, quæ spiritum alterat, vel est humoris, in corpore prædominantis, vel est morbi, quandò confirmatus, atque magnus est morbus patienti ignotus, qui propterea cum imprimat, & continuò, & vehementer sui speciem in spiritum, impellit patientem ignarum ad quædam extranea animo concipienda, quæ cum illo morbo aliquam habent similitudinem; sic qui frequentes habent in ventre rugitus, putant se habere ranas, vt proximè superiori anno Germanus quidam auditor noster; alii, qui morsus in ventre sentiunt ex vermibus, dicunt se habere serpentes, vt de quadam muliere scribit Alexander Trallianus, alii, D qui laborant tympanitide dicunt se totos esse ex corio, & quasi tympanum essent, ventrem sibi pulsant, vt refert Marcellus Donatus secundo historiarum mirabilium, cap. primo. Quidam si cruris, aut brachij stupore, torpore, aut paralysi laborent, certò asserunt se sine brachio esse, aut crure, sic ille, quem Philolimus curauit ex Gal. lib. de Melancholia, composita galea plumbeæ super caput, quod existimaret se sine capite esse, id concipiebat ex multis vaporibus calidis, & tenuibus ascendentibus in caput. Plura id genus proferri possent, sed pro exemplo hæc satis sint. fit quoque alteratio à specie humoris in corpore prędominantis, quæ quidem pro sui varietate varias in spiritu fingit imagines, & quamquam tota medicorum schola, vt alias dixi ad vnicum

Ex alteratione spirituū à specie morbi facta opin. ranarum serpētis, tympanitis, &c.

Ex alteratione spirituū ex speciebus

tene-

moris peccantis diuersi generis. tenebricosum spiritum, atque ideo ad solam cōfugiat melancholiam: ego tamen luce clarius ostendam & ex sanguine,& semine, & pituita melancholica fieri delitamenta.

Melancholiam fieri ex sanguine. Primum quidem quod ad sanguinem spectat, nemo in dubium vertit sanguineos esse melancholicos: sic Gal. 3. de loc. aff. 7. rubros ad melancholiam propensos esse scribit, atque ideo ex suppressa quacumque sanguinis consueta excretione siue per hæmorrhoides, siue per nares, aut vterum melancholia succedit. Hinc Hipp. lib. de morbis Virginum; Virgines ait, quibus mēses debito tempore non fluxerint fatuas, & melancholicas fieri. Confirmatur ex quibusdam melancholiæ differentijs, quæ in alium humorem referri non possunt, quales sunt illæ, in quibus patientes putant se Reges, Cardinales, &c. delirant cum risu, atque ideo Auicenna proponit differentiam melancholiæ sanguineam, quam inquit non fieri ex vstione sanguinis, potuisset enim quis dicere melancholiam ex sanguine, quatenus exustus, transire in melancholiam. Auicenna distinguit hanc differentiam, & ait hanc fieri ex sanguine per concoctionem, non per vstionem: quasi dicat, in istis redditur quidem sanguis calidior, non tamen exuritur, idcirco curatur hæc species etiam sola sanguinis missione ad animi defectum. Sic scriptum est in lib. de Melancholia Gal. adscripto; conuenire aliquan sectionem venæ ad animi deliquium, quod non decet facere, nisi in sanguinea melancholia, & propterea natura ipsa aliquando & mulieres, & viros menstrua. & hæmorrhoidali purgatione à melancholia liberauit. Sed video posse obijci, causam melancholiæ, quæ cum risu, & iucunditate fit, superius nos in solam spirituum calidā intemperiem retulisse, nunc autem in sanginem, quibus respondeo vtrumque verum esse, intemperies sine materia delirium facit melancholicum continuum, & sibi æquale, quod verò fiat ex sanguine, intermittens est & inæquale. itaque melancholia fit etiam ex sanguine, sed ebulliente, & calidiore reddito.

Melancholia ex semine. Fit quoque ex semine, & sanè quantum possit semen pręter naturam, aut consuetudinem retentum, ad inducendam melancholiam docet Gal. alijque plurimi, atque experientia, & obseruatione confirmatum est. Gal. n. 6. de locis affect. 5. apertè docet, ex retento semine in his, qui delitiosè, & otiosè viuunt, si ad Venerem fuerint assueti, timorem, & mœrorem non quidem cum causa, sed citra omnem causa in melancholicorum modum contingere posse, hac ratione frequentes fiunt in muliebus, vterinæ affectiones, non tantum ex sanguine, quātum ex ipso semine, immò hoc ipso argumento Gal. lib. citato confirmabat hæc omnia retento semine potissimum fieri, quod viduis potissimùm vterinæ istæ affectiones superueniunt illis autem, quibus retinentur mentes, nequaquam, idcircò illius viduæ historiam pro- A fer, quæ post partium genitalium attrectationē factam, multo effuso semine, à symptomatis fuit liberata. Idcirco Christophorus à Vega 3. de arte mendendi 14. scribit se mulierem vidisse melancholicam ex vasis seminatijs. In cuius confirmationem Vesalius lib. 5. Humanæ fabricæ c. 15. scribit se in duabus puellis à præfocatione vterina ex tinctis, omnium malorum causā inuenisse, semen in vasis seminarijs corruptum, & Hollerius quoque ad cap. 59. lib. 1. de morbis internis oēm causā delitamenti, vel cum risu, vel cum clamore, & auium voce ęmulantur enim mulieres istæ aliquandò gallorum voces aliquādo aliorum animalium: hæc omnia inquam in vterum pręcipuè copioso semine plenum referre cōsueuit. B Idem confirmant quędam mulierū imaginationes, scribit Marcel. Donatus 2. hist. mirabilium 1. mulierem fuisse, qui Venerem se esse prædicabat, propriam pulchritudinem ostentabat, cunctis publicā faciebat, hanc inquit facilè curari potuisse eo modo, quo scribit Alexander Benedictus curatam fuisse aliam, quæ hoc modo cum per multas Italiæ vrbes incederet, tandem in meritoriam incidens officinam, à multis compressa integrę sanitati est restituta.

Melancholia ex pituita Gal. 2. in 6. epi. 37 & Auic in tractatu proprio vide locum Sed & ex pituita ad caput euaporationem faciente melancholiam fieri partim quidem constat ex supradictis de frigida & humida intemperie, partim etiam constabit ex dicendis. Nam si pituita, sicuti & intemperies frigida, & humida meticulosos reddit homines, & metus proprius C est melancholiæ character, quis inficiabitur pituita redundantes non pariter timidos, consequenter melancholicos esse, id docet Gal. 2. de temperamentis 6: pituitosos omnes esse timidos, & 3. in 6. epid. 30. vbi scribit Hipp. de sanguine in coroide, quod in pallidis malus, docet Gal. in Cōmento pallorem ex pituitæ sero oboriri, & vt distet hæc melancholiæ species ab ea, quæ fit ab intemperie frigida, & humida spirituum absque materia, idem obseruandum, quod antea dixi ex frigida, & humida intemperie absque materia, nihil habere aliud melancholicos, quàm timorem, & mœrorem continuum, sine alijs priuatis imaginationibus: sed vbi spiritus animalis re- D pletur, & affunditur pituitoso vapore in alia quędam delitamenta sanè extranea, deueniunt, Quidam putant se constare ex glacie, aut ex niue, aut habere clunes vitreas, vt nolint sedere, alij confectos se ex butyro ex Marc. Donato, alii verentur mictionem, putant enim tantam esse in proprijs corporibus serosam humiditatem, vt totum mundum submergant, fiunt ex abundantia pituitosi seri, sicut & alia huiusmodi, & propterea iure dictum est tot esse melancholiæ species, quot sunt somniorum differentię at somnia sunt varia ex humorum varietate & qui somnia faciunt niuis, pluuię, glaciei, auctore Arist. lib. de somno, & vigilia, & Gal. lib. de dignotione ex insomnijs, hæc patiuntur ob pituitam: itaque, & delitamenta

ta

ta melancholicorum, quando niuis, aut pluuiæ, aut glaciei fuerint, in pituitam sunt referenda.

Caput IX. Alia ratione probatur melancholiam fieri ex pituita, ostenditur fieri ex tenebrositate spirituum. Soluuntur argumenta Auerrois contra hanc sententiam, & ostenditur quomodo spiritus tenebrosus fiat.

Nihil est, quod magis confirmet fieri melancholiam ex pituitosis humoribus quam affectus Hypochondriacus. Quamquam enim huiusmodi affectus, vt plurimum sensum habeat caloris circa ventriculi regionem admodum ingentem, & molestum, vt refert Gal. 3. de locis B affectis 7. & confirmatur experientia, aliquando tamen nec rarò huiusmodi flatuosæ melancholiæ sine vllo caloris sensu reperiuntur, neque aliud redolent præpter pituitam, humoresq; frigidos, hinc facilè videas plerosque hypochondriacos vomitus habere pituitosos, acidos, perpetuò ex puese, siti nunquam tentari, flatibus abundare, ex pituitoso vomitu subleuari, somnolentos, torpidos, & pigros esse, omnia sanè pituitosi succi argumenta. Id circò rectè Auic. hanc melancholiam scribit fieri ex superfluitate ciborum, quasi dicat ex crudo, & inconcocto chylo meseraicas obstruente, hinc etiam istorum vrinę perpetuò crudæ, & alui excrementa mucosa, vt tandem omnia ostendant vnius pituitę redundantiam, idcircò Rufus & Possidonius in lib. de melancholia Gal. adscripto hos curare consueuerunt attenuantibus fortissimis oxymelite scyllitico, & alijs calidis vt infra, quæ aliquam in humore melancholico peruiciem afferunt: neque quispiam putet uullum esse modum. quo pituita melancholiam inferre possit in hypochondriaco affectu, modum enim docuit Gal. & primo de causis symp. & 5. de locis affectis 6. cum ait ex ore ventriculi fieri melancholias: neque quis obijciat tunc fieri melancholias ex ore ventriculi, cum humor melancholicus hanc partem obsideat, non autem cum pituitosus, vel alius, quādo quidem docet experientia, & auctoritas, ex quocumque humore os ventriculi infestante vitium fieri melancholicum: quis non videt in Cardialgia, & affectione Cardiaca ore ventriculi tunc temporis à calida intemperie, & humoribus calidis vexato, maximum induci timorem, ac mœstitiam, desperationemque animi multo maiorem, quàm in cæteris omnibus melancholiæ differentiis: sedet in anxietate, quam cum Hipp. 7. aph. aph. 55. ex frigidis humoribus fieri ostendimus, nonne certum est timorem, ac mœstitiam adesse, propterea frequentem illam iactationem ex animi perturbatione simul cum corporis affectu procedere. Hinc scribit Gal. 3. aph. 24. ex vitiosis humoribus os ventriculi infestantibus somnia fieri terrifica, & pa- A uores. Quod etiam scribit Hipp. 4. aph. aph. 67 aliquando in febribus fieri per somnum, atque esse prauum futuri exitus signum. Ex quibus iā satis constare puto melancholiam in humorem etiam pituitosum aliquando referendam esse.

Transeo ad spiritus tenebrositatem, in qua parte nobis primum cum Auerroe certandum est qui 3. collect. 40. improbat Gal. sententiam, dicentis melancholiam ex tenebris ortum ducere. Ibfringit Auertoes hanc sententiam tribus argumentis. Primum est: color non est substātia facultatum, sed temperies, ergo non potest esse causa actionis praua, sed erit intemperies. II. Anima nihil videt, ergo neque tenebras videbit, ergo à tenebris non potest deterreri. III. Si per nigrum colorem fieret melancholia, ergo per album fieret lætitia. at lætia fit ex sanguine, ergo sanguis esset albus, hæ omnes rationes claudicant. Ad primum cum dicit color non est substantia facultatum, sed temperies concedo, ergo non potest actionem vitiare, consequentia falsa est, docui enim supra vnam & eandem actionem fieri posse à tempetie, & a consequentibus temperiem: sicuti visio fit à temperie cristallini, & à colore eiusdem, non valet ergo cōsequentia, spiritus agit per temperiem, ergo non agit per colorem, agit enim per vtrumque immo verò & per conuenientem motum, & substantiæ mediocritatem, vt antea docuimus. Ad C 2. Anima non videt, quamquam oculis non videat, intuetur tamen internas species sub quibusdam coloribus vel relictis in sensoriis, vel extrinsecus genitis, sic enim quispiam inspecto lumine, clausis etiam oculis coloratam retinet speciem, ac sic de singulis, & propterea in somnis frequentes fiunt visiones modo rei coloratę ad colorem nigrum, modo ad flauum, non nunquam ad rubrum, vel ad albidum pro varietate humoris dominantis: hanc eandem ob causā illis, quibus sanguis ex naribus fluxurus est splédores ante oculos apparent, phreneticis verò propter fumosa corpora nigræ etiam imagines ante oculos obuersari videntur. Itaque cum inquit Auertoes in tenebris neminem timere nisi ob D defectum rei sensatę, decipitur: hanc enim ob causam timent tantum pueri, aut indocti, ex melancholia etiam prudentes, & docti viri siue in tenebris, siue in lumine, siue præsenti obiecto sensato, aut non præsente, meticulosi sunt ob nigredinem, quam intrinsecus gerunt. Idcirco falsa etiam est consequentia vltimi argumenti: fit melancholia ex nigredine ergo lætitia ex albedine, valebit quidem consequentia, ergo lętitia ex splendido, & luminoso corpore, sanguis autem naturalis ac spiritnosus, lucidus, ac splendidus est, fit itaque melancholie ex tenebroso spiritu: Quomodo autem fiat tenebrosus hic spiritus nunc dicendum est, & in re admodum difficili subtiliter disputandum. Video duos à scriptoribus proponi modos quibus niger fiat animalis spiritus vnus quidem

Spirituū tenebrositatem esse causam melācholiæ.

Quomodo fiat tenebrosus spiritus ex aliorū

sententia, quae refellitur. quidem in propria substantia, alter verò ex permistione fuliginosæ, & nigræ substantiæ. Primus modus est, in quo spiritus animalis aut propter causam effectiuam, aut propter materiam substantiam contrahit tenebricosam,& nigram,quod ad effectiuam pertinet, conueniunt in hoc doctiores,ex illa spiritum tenebricosum non fieri, inquiunt enim spiritum animalem in cerebro esse corpus similare, neque enim est permistus sanguini, itaque si calidius sit cerebrum,hic spiritus,digeritur, aut pariter calidior redditur, & est causa aut phrenitidis, aut furoris, quod si frigidius sit cerebrum, inquiunt, spiritus diminuitur, & propterea fatuitatem inducit, quid de hac re sentiamus, hactenus intellexistis. Nunc id nos quoque accipimus B animalem spiritum ex nulla cerebri intemperie sine materia tenebricosum reddi, ex materia autem dicunt illum fieri tenebricosum, & quia materia est duplex, aer similiter, & spiritus vitalis,ex aere turbido dicunt fieri spiritus tenebrosum, ex spiritu vitali similiter. Antequam vlterius progrediamur, examinemus hanc partem, ex aere turbido, ac nubiloso spiritum fieri crassum, ac nubilosum docet ratio, & Gal. 1. in 1. Epid. 8. fieri autem tenebrosum nulla aut ratio, aut authoritas docet, si tenebrosus posset fieri spiritus ex aere, deberet profectò tenebrosus gigni tempore nocturno, C hanc ob causam omnes essent melancholici, præcipuè hoc tempore, quòd tenebræ sunt super terram longiores, quàm lux ipsa, non fit ergo ex aere tenebroso spiritus tenebrosus, & deinde affirmabimus ex nubiloso fieri tenebrosum. iam dixi fieri crassum, impurum, & turbidum, nigrum verò, & tenebrosum minimè.

Spiritus non fit tenebricosus ex intemperie sine materia.

Multa nobis in præsenti hoc discursu proponuntur discutienda, ac refellenda, quæ Auicennæ, atque aliis doctis Medicis sunt accepta, quorum primum est, animalem spiritum ex vitali tenebrosum fieri; secundum, tenebrositaté in spiritu vitali ex intemperie cordis calida oboriri, tertium eandem tenebrositatem fieri ex intemperie cordis frigida, quartum, reddi spiritum vitalem tenebrosum aliquando ex sangui- D ne nigro, & melancholico, hæc omnia quamquam omnibus accepta, sunt reprobanda. Primum quidem, non valet consequentia, spiritus vitalis est tenebrosus,ergo & animalis, quandoquidem etiamsi vitalis sit animalis materia, non est tamen materia, quæ in animalem transeat absque alteratione, & transmutatione, vt propterea sicuti non valet consequentia sanguis est ruber,ergo ossa, & nerui, & membranæ,& glandulæ, quę albæ sunt, debent esse rubræ: ita non valet consequentia, materia spiritus animalis est nigra, ergo & idem spiritus, potest enim dum elaboratur spiritus animalis in plexu choroide in ventriculis cerebri mutari tenebrositas in luciditatem, sicuti videmus ex

A ligno nigro, aut carbone, aut elijchnio,qui sunt ignis splendidi materia atra quidem, & nigra fulgorem emicare, vt pari ratione animalis spiritus igneus, & lucidus, dum in cerebro perficitur,& conficitur,posset ex atra materia splendidus euadere. Sed nunc probemus hanc materiam in propria substantia nullo modo tenebrosam esse. Dicunt isti,fit tenebrosus spiritus aut ex intemperie calida, aut ex frigida, aut ex materia, probo quod non ex intemperie calida, intemperies cordis calida dum agit in spiritum vitalem ipsum calefacit,attenuat,rariorem reddit & spiritus,quo subtilior,& rarior, eo magis diaphanus,diaphaneitas tenebrositati est contraria si augeatur caliditas spiritum absumit, hoc est placitum illorum, qui ex calida cordis intemperie spiritum vitalem tenebrosum fieri affirmant, vel nimiam caliditatem posse spiritus consumere,aliud autem est spiritus consumptio,aliud tenebrositas, sed nec ex frigiditate potest fieri hęc tenebrositas,nam frigidum aut condensat, aut exstinguit,si condensat, spiritum efficiet magis lucidum,nam corpus lucidum & diaphanum, quo magis densum, eo lucidus, si dicant exstingui, tunc non erit tenebrositas in spiritu,sed defectus, cum enim exstinguitur calor, ideo exstinguitur,quia deficit materia proxima caloris, proxima autem materia est spiritus, ergo exstincto calore exstinguitur & spiritus, hoc nisi sint immemores, talia philosophantes concedere coguntur. Qui dicit ex intemperie frigida, & sicca cerebri fatuitatem subsequi, eo quòd ex hac intemperie consumatur spiritus animalis, ergo pari ratione dicam ego ex frigida,& sicca cordis intemperie spiritum vitalem diminui,sed ad infringendam hanc sententiam illud etiam addo, in corde totius caloris fonte nunquam talem posse inueniri frigidam, & siccam intemperiem manente vita, quæ calorem innatum, & spiritum,in quo potius est, exstinguere valeat, quod si dicant isti, deficit quidem spiritus siue à caliditate,siue à frigiditate, sed remanet sanguis crassus, niger, ac fæculentus, dissoluta enim à caliditate parte magis spirituosa, aut fulgore à nimio frigore extincto,sanguis,qui remanet crassius,& nigricans est,concedamus hæc omnia. Sequitur ne ex hoc,spiritum vitalem in propria essentia tenebrosum fieri? nequaquam, probant quidem sanguinem,qui est materia spiritus tenebrosum fieri, non probat spiritum esse tenebrosum,si dicant,talis est spiritus,qualis est materia, est alia ratio,hoc saltē habeo,quod ipsi putauerāt se probasse ex cordis intemperie neque calida, neque frigida spiritū immediatè absque alienæ substantiæ mistione tenebrosum reddi, sed vt antea monui,neque valet hæc consequentia, materia est melancholia,ac tenebrosa ergo spiritus est tenebrosus, nam sicut ad generationem spiritus animalis opus est alteratione, & transmutatione in corde, in qua transmutatione, quod est nigrum, potest transire in lucidum

cidum, sicuti antea diximus carbonem, & ellychnium, & alia id genus nigra dum flammam recipiunt, splendorem recipere: at spiritus est igneus, flammæ comparatur, & propterea materia nigra accensa, & ignita lucidam possit edere flammam, non inficior, immo hoc est illud, quod probare intendo, hanc flammam tenebricosam reddi ex fuliginosæ substantiæ admistione, hoc quidem concedo, sed lucidum spiritum in propria substantia tenebrosum esse, adeò absurdum esse existimo, perinde ac si dicamus ignem, ac lumen in propria substantia tenebrosum esse.

Spiritus fit tenebrosus propter tenebrosæ substantiæ admistionem ex sententia authoris.

Itaque spiritum omnem siue animalem, siue vitalem dicamus in propria substantia lucidum quidem esse tenebrosum verò euadere propter tenebrosæ substantiæ admistionem, hæc tenebrosa substantia est tantum vapor, nam cum spiritus sit corpus tenue, ac mobile, à minera vaporis conspurcari, & fœdari non potest, sed ab alio corpore mobili, qualis est vapor, aut fumus, qui quidem necessariò tria habet consideranda, materiam ex qua, efficientem causam, propterquam & locum, in quo. Quod ad materiam pertinet, duplex constituitur, vna quidem propria, alia impropria, propriam dicunt materiam melancholicam, ac tenebrosam illam, quæ & colorem, & substantiam & primas qualitates hēt melancholiæ proprias, talis est melancholia naturalis, fex sanguinis vocata, nigra, densa, frigida, sicca, sanguinis subsidentia, à calore iecoris genita, vt docet Gal. 3. de causis sympt. 3. & 2. de crisib. 12. &c. atque etiam ex ciborum substātia, ac qualitate, nempe crassioris succi frigida, & sicca, quales sunt lentes, brassica, salita omnia bubula caro, leporina, de quibus Gal. 3. de loc. affect. 7. & in tribus libris de alimentorum facultatibus, & de cibis boni, & mali succi.

Melancholia naturalis.

Melancholia spuria, quæ.

Impropria melancholia illa est, quæ habet quidem melancholię conditiones aliquas, non tamen omnes; aut enim deficit causa efficiens, aut qualitas frigida illa, & sicca, aut insignis crassities, & propterea hæc generatur, vel ex adustione, vel ex refrigeratione ex adustione melancholiæ naturalis, & bilis, apertè colligitur ex multis Gal. locis præcipuè 6. aph. aph. 53. de sanguine non eadem ratio est, quidem similis, nam sanguis transit in melancholiam propter ingentem caliditatem, non quod exustus euadat cinis, sed quia absumpta parte sanguinis tenuiore, & calidiore, quod remanet crassum, & tenebrosum est. Propterea hic sanguis est vt dicit Gal. 2. de diff. febrium 9. in confinio adustionis, non est tamen verè adustus. De pituita quidquid sentiat Auic. 1. 1. doc. 4. cap. de humoribus, &c. de melancholia pituitam s. exustione transire in melancholiam, hoc ego non amplector, quandoquidem duobus tantum modis potest Auicenna hoc affirmare. Primo, quod pituita ipsa omnes ammittat humiditates primas, & sic ex siccata, & in cinerem versa transeat in melancholiam, quod præterquam quod vix animo concipi potest, in internis corporis partibus tantam esse caliditatem, & siccitatem, quæ frigidam, & humidam substantiam siccissimam reddat. Accedit, quòd, vt apparet in priuatis quibusdam abscessibus, & in tophaceis articulorum, tumoribus, pituita exsiccata in gypseam conuersa, colorem non mutat, sed semper alba remanet, vt propterea ex albo humore, quamquam ex siccato tenebrosus spiritus eleuari non possit: sed video quid dicant, caliditatem dum agit in siccum, dealbare; sic ignis dum accendit oleum, fuliginem facit nigram, dum agit in calcem, facit illam albam. sed hæc fuga nihil concludit. Aliud est loqui, de corporibus homogeneis, aliud de heterogeneis; corpus humidum similare quantumuis experiatur vim ignis, numquam fuliginem emittit, videas aquam, & aquæ species igni appositas facient quidem fumum vaporosum, illum fuliginosum nequaquam. Itaque fuligo omnis nigra aut ex sicco corpore, aut ex humido cum siccitate misto eleuari solet, vt docuit Galen. 8. Meth 5. & Arist. 4. Meteorum 3. Itaque cum pituita omnis sit corpus frigidum, humidum, terreo, & sicco minimè commistum, quamquam caliditatis facultatem experiatur, euaporabit quidem, fumosum verò corpus non emittet, non ergo ex pituita per adustionem fiet melancholia. Huius sententiæ est Manardus 9. epist. 2. & Valesius 1. controuers. 21. Verum contra hoc decretum ex pituita per adustionem non fieri melancholiam, est Gal. authoritas, & experimentum, nam Gal. 2. de differentijs febrium, vltimo, 3. de presagio ex pulsibus, 7. vult ex putrescentibus omnibus humoribus per adustionem cineres quosdam relinqui, præcipuè autem in crassioribus, quales sunt, pituita, & melancholia, at cineres frigidi sunt, & sicci. Itaque ex putrescente pituita cinis, melancholia gigni poterunt. Ideo Gal. 1. de diff. febr. inquit tot esse contentorum in vrinis differentias, quot sunt humores putrescentes, at contenta vrinarum in febribus sunt cineres humorum exustorum. Itaque & pituita exusta in cineres transit: idem confirmat & experientia; nam pituitosæ febres, nonnumquam transeunt in quartanas quod colligi potest etiam ex Gal. 1. ad Glauconem 5. & Hip. 3. Prognost. 27. quorum vterque scribit, quartanas febres subsequi ad erraticas, & erraticæ, vt experientia docet, sunt magna ex parte pituitosæ. His omnibus rationibus facilè respondere possumus, quæsisse nos hactenus causas veræ; & proprię melancholiæ, quæ s. non modo frigida, & sicca, sed nigra sit nam quærimus causam nigredinis in spiritu animali, at cineres propriè accepti sicuti frigidi, ac sicci sunt: ita ex immensa frigiditate, & siccitate albi euadunt, licet concedamus pituitam in cineres conuersam posse dici melancholiam, & ex ea fieri affectum me

Pituitā non posse per adustionem trāsire in Melancholiam.

melancholicum; non erit tamen ex nigredine, confirmabitq; nostram sententiam supra propositam, absque nigredine posse fieri melancholiam.

Caput X. Proponuntur aliæ differentiæ melancholiæ spuriæ, & ostenditur locus, vbi melancholia generetur. Et agitur de causis efficientibus melancholiam.

SEd cum iam incidit sermo de melancholia spuria, cæteras eius differentias prosequamur. fit melancholia spuria, quando color, non autem substantia mutatur: sic volunt Medicinæ scriptores omnes, sanguinem ob quamuis causam denigratum dici melancholicum, licet in alienam substantiam non mutetur. Auic. verò etiam pituitam à nimia frigiditate, vt ait ipse inspissatam vult naturam melancholiæ subire, & ideo ponticum, siue austerum saporem suscipere: hoc patet ex 1. 1. cap. de humoribus. Quod pertinet ad sanguinem fateor illum iam denigratum euadere melancholicum, denigratur autẽ, vbi tenuior, & calidior eius pars euanescit, quæ euanescit, aut vbi nimium constringitur, aut vbi est extra venas, aut quando alia vehementi caliditate dissoluitur, ac dissipatur, vel quando calor, & spiritus consuetus ad ipsum non confluit; constringitur autem, vbi in aliquo loco arcto, & concluso continetur: sic enim in magnis inflammationibus sanguinem nigrescere, & partem ipsam grangręna, & sphacelo affici videmus: sic quoque in Apoplexia, & in omni venarum interceptione, ac quacumque causa suffocante, siue collo laqueo constricto, vel ob aliam causam sanguinem, & corpus nigrescere videmus: idem fit vbi sanguis extrauenatur. Dicebat Hipp. 6. aph. aph. 20. sanguinem extra venas aut nigrescere, aut putrescere, aut in grumos verti: idem docuit 3. de crisibus 2. qui propterea inquit sanguinem ex intestinis exeuntem 4. aph. aph. 25. nigriorem excerni, eoquod antequam excernatur, in intestinis extra venas fuerit collocatus, nigrecit quoque ob nimiam caliditatem partem tenuiorem absumentem: hanc ob causam scribit Gal. melancholiam fieri post phrenitidem, & alias cerebri calidas intemperies; ad quod respiciens Hipp. 2. Porrhet. 14. dicebat faciei colorem bonum cum multa mœstitia malum esse; ait. Gal, mœstitiam cum colore bono faciei, esse indicium flammeæ caliditatis sanguinem exurentis; sed per exustionem non est, quod intelligamus sanguinis, transmutationem per veram exustionem factam tunc enim fit atrabilis, ex qua furor, non melancholia succedit. Hoc igitur tantum vult Galen. ex immensa caliditate sanguinem denigrari, non autem in atrum humorem conuertit. Ad quod respiciens idem Hipp. 1. in 3. epid emiorum 10. melancholicos vocat subsanguineos, fit etiam nigredo in sanguine

Sanguis cur niger euadat.

A non confluente spiritu, & calore, non confluit autem vel propter refrigerationem externam, vel propter caliditatem, aut venenosam qualitatem internam, ex refrigeratione externa prohiberi spiritum, & sanguinis nigredinem subsequi, quotidiana docet experientia eorum, quibus extima corporis, nasus, & aures, immo pedes ipsi refrigerati, & nigrefacti prorsus cadunt; idem fit per magnas viscerum inflammationes, venenosas qualitates, quæ spiritum introdeducat & calorem, externis refrigeratis, & nigrefactis. Hoc itaque sicuti libenter admittimus; Sic Auic. non subscribimus, qui, vt ante dixi, inspissatam pituitam vocat melancholiam, etenim si pituitam accipiamus homogeneam, hæc nunquam euadet

B pontica, vt scribit; rationem desumo ex illius dictis: inquit, fieri ponticam, quia à frigido absumuntur humidiores partes, relictis terrestribus, sed in pituita similari, quæ melancholiæ admistionem num habeat, nil terrestris vnquam inueniemus: nam omne terrestre frigidum est, & siccum, & ideo austerus sapor, quem ponticum appellat Auic. in frigido, & sicco reppointur, salsa pituita, quæ bilis non est expersfacilius absumptis partibus humidioribus, ac calidioribus in hanc transibit, quàm vera, & simplex pituita, quam inspissatam videas conuerti in vitream mucosam, non tamen melancholicam. Cum

C igitur hæ, & tot sint melancholiæ legitimæ, & impropriæ differentiæ, certum est ex melancholia, quam diximus esse sanguinis fecem nigram posse eleuari fumum, qui sit causa melancholiæ idem fieri potest ex melancholia genita propter adustionem vel naturalis melancholiæ, vel billis, hac tamen seruata conditione, vt iam recesserit actio causæ efficientis: nam si perseueraret ipse calor exurens, fit furor, mania, & phrenitis, non autem melancholia, recedente autem causa vrente, potest humor refrigescere, cinerulentus fieri propter melancholię materiam. Hinc Gal. cum Hipp. 3. Prognos. 28. & 3. aph. 30. docent quomodo in ætate consistenti, & autumno vigeant potissimum melancholiæ, quod s. his ætatibus, ac tempori-

D bus humor antea genitus per exustionem ætatis iuuenilis, & æstatis retineatur, & melancholicas faciat affectiones; sic conciliatur Auic. qui in cap. de Melancholia scribit humorem exustum melancholiam parere, quod in capite de Mania negauerat. Quod verò spectat ad differentias melancholiæ improprias censeo quidem ex sanguine denigrato propter causam calidam spiritum absumentem frequentissimas fieri melancholias; sic Gal. 3. de locis affectis 7. scribit rubros ad melancholiam esse propensos. Hæc tota Arabum familia, & Latinorum, qui horum doctrinam sectantur, vt Nicolaus Florentinus, Gentilis, Matthæus de Gradibus, & alij, hanc causam, vt omnium pręcipuam proponunt, quod quidem notandum est, quia facit ad curationem, etiamsi in numerandis differentijs

ferentijs humoris melancholici, quædam dicta sint de causis, obiter tamen dicta sunt. Nunc autem accuratius, & ex professo omnia sunt pertractanda, quæ ad locum generationis, & ad effectiuas causas pertinent; & quamuis locus generationis multiplex esse possit, triplex tamen à Gal. constituitur, quem cæteri omnes medici imitantur, cerebrum scilicet totum corpus, & Meseraicæ: Hinc 3. de locis affectis 7. triplex constituitur melancholia à loco desumpta; 1. essentialis in cerebro; secunda per consensum à toto, 3. per consensum ab hypochondrijs, nomine autem totius intelligo etiam iecoris partem gibbam, in qua sanguis perficitur, in vniuersum corpus distributus, vt cum talis sit sanguis in toto, qualis in gibba iecoris parte producitur, melancholia per consensum à toto dicatur, etiam per consensum à iecore; nomine autem hypochondriorum amplector ventriculum, mese raicas omnes, partes concauas iecoris, mesen tertium, intestina, omentum, & pancreas. In hac ipsa classe cum Auic. vterum repono, quamquam vterus reponi possit sub melancholia à toto corpore prodeunte, posteaquam eundem recipit sanguinem, quem & totum corpus. Quo ad causas effectiuas duplices sunt, quædam ex nigro humore nigrum eleuant vaporem, aliæ vero eundem nigrum humorem generant. vel gentium retinent in corpore, quæ vaporem eleuant sunt semper causæ calidæ, siue intemperies, siue errores externi, nempe vina generosa, cibi acres, & aromatici, motus animi, & corporis ingentes, balnea calida, &c. quæ verò humorem generant, pro humoris diuersitate distinguendæ sunt, triplicem enim diximus esse humorem nigrum aut naturalem, aut ex exustione gentium, vel ex inspissatione. Naturalis humor melancholicus generatur vel ex intemperie, vel ex errore externo, ex intemperie, caliditatem aliquam præseferente, non exurente, vt colligitur ex 3. de causis symptomatum 2. 2. de crisibus 12. Error externus vel est in excrementis, vel in alimentis, in excrementis, quia idem ipse humor melancholicus alium gignit humorem sibi similem, & quia frigidus, & siccus est, alimentum sibi proximum in frigidum, & siccum conuertit, non dico intemperiem frigidam, & siccam partis solidæ, ad quam pertinet alteratio alimenti, frigidum, & siccum humorem producere, hoc enim falsum est, pars enim solida ad frigidum, & siccum conuersa pituitosum auget succum, quod alibi explicauimus hecticæ ventriculi exemplo, dum de ipsius intemperie loqueremur. hectica enim ventriculi intemperies est frigida, & sicca, quæ pituitam auget non melancholiam, idcirco dicebat Gal. 2. de temperamentis 6. frigidos, & siccos à natiuitate pituitosos esse, non melancholicos, contra verò eos, qui acquisititiam habent intemperiem frigidam, & siccam, melancholicos esse, non pituitosos; quæ

Locus, vbi generatur melancholia triplex est.

Caussæ efficiētes melāchol iam.

A sententia sic tantum est intelligenda, frigidos, & siccos ex eo tantum esse melancholicos, quod propter abundantiam frigidi, & sicci excrementi in iecore propter calidam intemperiem geniti, ista corporis substantia euadat frigida, & sicca; quia huiusmodi error externus, siue obiectum improportionatum, sanguis scilicet melancholicus frigidus, & siccus, plus potest quàm facultas alteratrix membrorum: Ita vt quemadmodum ex sola alimenti paruitate nullo existente in partibus corporis vitio, generantur vitiligines, cancri, elephantiases, aliæque cutaneæ affectiones, vt docuit Gal. 3. de causis sympt. 2. ita ex abundantia humoris melancholici naturalis, in iecore geniti totum

B corpus reddatur frigidus, & siccius, & quamuis progressu temporis partium quoque temperatura frigida, & sicca euadat, generabit tamen adhuc succum melancholicum, non autem pituitosum; nam intemperies frigida & sicca naturalis, aut acquisititia, ex qua fit pituita, nihil aliud est, quam defectus calidi innati, propter defectum humidi substantifici, hæc verò intemperies in toto corpore inducta ab humore melancholico, non est defectus humidi & calidi, sed. est superabundantia frigidi, & sicci excrementi Itaque tandiu persistit corpus melancholicum in frigido, & sicco humore, quamdiu perseuerat illius generatio in iecore, & isto corpore partim ex intemperie, partim ex errore ex-

C terno. Quod si calidum innatum iam refrigescat, & humidum dissoluatur, vel pituitosum euadet corpus, vel pituitosus simul & melancholicus generatur quoque hic humor ex alimentis, quæ frigida, & sicca sunt acerba, & austera, terrea, & crassioris substantiæ, vt sunt mespila, sorbæ, caro bubula, legumina omnia, tubera &c. enumerata à Gal. 3. de locis affectis 7. Humor autem melancholicus exustus, siue fiat exustione bilis, siue sanguinis, aut naturalis melancholiæ, generatur pariter vel ex intemperie, vel ex errore externo: & intemperies quidem semper est calida, & ad differentiam humoris melancholici naturalis est calida, vstiua; error autem externus, si fuerit in excrementis, est i-

D dem humor melancholicus per exustionem genitus, qui alium sibi similem producit; si in alimentis sunt omnia amara, acria, aromatica, & salsa, vno verbo calida. At si sermo sit de humore genito per inspissationem, qualis est sanguis, dum pas illius tenuior euanescit, hic dupliciter inspissatur, vel à caliditate partes tenuiores digerentæ, vel à frigido exprimente, siue hæc frigiditas accedat sanguine extra venas exeunte, siue in venis existente, sed suffocato; aut etiam à causa externa, aut aere frigido, vel ab interna, vt opio, vel alia causa simili impense refrigerato: & hæ sunt, causæ generantes. Retinentes verò variæ sunt, & illæ quidem vel in iecore, aut in liene, vel in vtero, & hæmorrhoidibus; retinetur enim quandoque hic humor

mor, quia iecur non transmittit ad lienem, non transmittit verò, vel quia habet imbecillem facultatem expultricem, vel quia impeditæ sunt præteraneæ ab obstructionibus, & humoribus varijs, vel quia lien nō potest attrahere, aut quia infirmam habet attractricem, aut quia tumidus est, & obstructus, idcircò neque potest seipsum expurgare, cum neque ad ventriculum, neque ad intestina succum mittat melancholicum, sicut naturalis requirit ordo. Retinetur quoque suppressis mensibus, & hæmorrhoidibus, & dum retinetur, vel in eodem loco, in quo retinetur, melancholiam facit, communicatis ad caput vaporibus, vel saltem materia tota melancholica in venas, & totum corpus distributa, vel in caput suscepta, aliquam faciet ex tribus melancholiæ differentijs antea propositis. Quod si quæras, quandò Melancholia in determinatis locis subsistens, neque toti corpori, neque cerebro communicata, affectum faciat melancholicum, dico id fieri per vapores, eleuari autem vapores à causa calida, vt quamquam humor frigidus sit, & siccus causam habeat & generantem, & mouentē semper calidam, quandoque & siccam. De causis itaque melancholiæ iam satis diximus, neque est cur de differentijs sigillatim loquamur, eas enim facilè est colligere ex supradictis à forma, loco, & causis.

Caput XI. De signis Melancholię, & primum de Diagnosticis, hoc est de signis indicantibus ipsā melancholiam in genere.

Melancholiæ signa. Confero me iam ad petractāda melancholiæ signa, quorum aliqua ipsum demonstrant affectum in genere, in specie, & gradu, quædam distinguunt locos, & causas: alia sunt prognostica, vel futuræ melancholiæ, vel futuri euentus; & prima quidem partim ex ipsa melancholiæ definitione capiuntur, alia verò sunt extra definitionem, quæ ex definitione capiuntur, sunt praua imaginatio cum timore, & mœrore, in qua parte tria veniunt consideranda; Primò, quis sit hic timor, & mæror; Secundò, quādo ex his signis melancholiæ gradus dignoscantur; Tertiò, quō ex ijsdem habeantur variæ melancholiæ species. Quod igitur ad primum Hipp. 6. Aph. aph. 23. non omnem timorem, aut mœrorem melancholiæ signum constituisse visus est, sed illū, qui diù perdurauerit. Ceterùm non valet consequentia, timor, & mœror diù perdurat; ergo id melancholicum est quandoquidem perseuerante causa manifesta longo temporis interuallo, potest etiam perseuerare tristitia, aut timor sine melancholia omnino, præterquam quod Gal. in com. apertè docet, melancholiam dici posse etiam si diu timor, & mæror non perseuerauerit, dummodò non fiat à causa manifesta. Itaque videndum, quænam sit hæc causa manifesta; duplex est hæc causa; vel externa, vel interna, externa est obiectum, interna est morbus, aut causa morbifica. Itaque ille dicitur timere, ac tristari absque causa manifesta extrinseca, qui sibi proponit obiectum tristabile, quod tale non est, vel ad illum non pertinet, neque illi noxam inferre potest, in eadem classe possumus reponere obiectum quidem tristabile, & verendum, sed quod tanto tempore ātea præcessit, vt non debeat amplius sui ipsius vestigia in animo relinquere, & hoc est quod voluit Hipp. quandò dixit, timorem, & mærorē diù perseuerantem melancholicum esse, quia ad obiectum respexit tristabile quidem, & verendum, sed quod iam recessit. Interna causa est affectus corporis, siue morbus, siue causa, siue symptoma, quæ tunc causa manifesta propter sui magnitudinem, propter diuturnitatem, & malignitatem iure abiicit omnem spem salutis ipsi patienti, si talis mæret, & tristatur, quamquam longo temporis tractu melancholicus non est; at verò qui nihil tam egregium patiuntur, etiamsi aliquam sentiant labem perpetuò tamen timidi, tristes, & quæruli sunt, isti dicuntur absque causa manifesta in se mærorem, & timorem continere. Hic itaque timor, & mæror simul cum prauis imaginationibus tres declarat melancholię gradus, quorum primus dicitur incipiens, secundus augescens, tertius iam factus habitualis, & hecticus. *Melancholiæ tres gradus.* Primus gradus ex omnium sententia cognoscitur quandū praua imaginatio cum timore, & mœrore est tantam in mente; secundus quandoquę sunt in mente, verbis quoque explicantur; tertius quandò verbis, & menti, acta respondent, & melancholici id faciunt, quod animo concipiunt, & oratione exprimunt, magna ex parte hæc graduum distinctio veritatem continet, aliquando tamen falsa est, reperiuntur enim melancholici quidam confirmatissimi, qui proprias imagines prauas, neque verbo explicāt, neque opere significant, sed alta mente recondunt, suntq; viri natura prudentissimi, qui melancholiam iam factam dissimulare voluerunt, tandem in Epilepsias, & acutas Phrenitides incidisse, & tandem obijsse.

Quod verò ad differentias, seu species, non omnes melancholiæ species, vt ab initio vidimus, habent hęc melancholię signa omnia simul iuncta, dantur enim aliquando prauę imaginationes absque timore, & mœrore, vt docui exemplo eorū qui putant se Reges esse; dantur etiam Melancholici mœsti quidem, sed absque timore, vt amātes, & qui animo concipiunt se mortuos esse, aut regulas, vel vasa testacea, nam qui in summo miseriæ constitutos se esse putant, nil timent, timor enim futurum respicit maius malū, at qui mortuos se credunt, vel corpora inanimata, nullum maius expectant malum. Dantur præterea alia melancholicorum signa, qui in definitione melancholiæ non continentur; si enim tota medicorum schola inter melancholicos reponit Vates, Poetas, eos, qui varijs loquuntur linguis, qui men-

Timor, & mæror melāncholicorum, qualis esse debeat.

mento temporis varias discunt artes, & scientias, in his profectò neque prauam inuenio imaginationem, neque timorem, aut mœrorem; sed de Diagnosticis satis, nam à capite eorum, quæ de signis causarum dicenda sunt, diagnostica specierum melius intelligi poterunt:

Caput XII. De signis ostendentibus partem affectã in melancholia, tam per essentiam, quàm per consensum, & de signis distinctiuis causarum melancholiæ ex rabie, fascinatione, & Dæmone, & etiam aliarum differentiarum.

Loci autem ex quibus fit melancholia tres sunt præcipui, cerebrum, totum corpus, hypochondria; si cerebrum primaria affectione laboret, melancholia est continua, vehemens, pili capitis nigri, hispidi, quandoque crispi, oculi mobiles, venæ amplæ, somnia turbata, tinnitus aurium, lingua balbutiens, atque alia plura infra proponenda; si fiat ex toto corpore, totum est nigricans, hispidum, ex carne, sed amplis venis, tumidis, ac tensis donatum, calidum, pulsus celeres, ac frequentes, duri, vrinæ rubræ, excrementa, exusta, perpetuò iracundi, in appetentes hæmorrhoidibus, ac varicibus expositi, aut his deficientibus impetigini, psoræ, elephantiasi, cancris, phagædenis, alijsq; id genus morbis, qui si absque causa sanantur, meláncholiam aut gignunt, aut augent. Quod si fuerint hypochondria, signa ex Diocle proponuntur à Gal. 3. de locis affect. 7. Vomitus frequentes, nauseæ, rugitus, eructationes, inflationes, ardor, circa pylorum erosio, circa omentum, aut intestina, ab accepto cibo vomitio acida, adstrictio alui, dolor circa ventriculum, & hypochondria, præcipuè autem circa sinistrum; & quamquam multæ sint partes in hypochondrijs à quibus potest fieri melancholia, tamen omnes ferè hæc ipsa habent signa, quædam plura, quædam pauciora, quædam maiora, quædam minora, nã verbi gratia, si lien tumidus, & melancholia plenus sit, huius affectionis causa omnes ferè flatus, rugitus, & cætera accidentia in sinistra parte colliguntur, & hoc est frequentissimum, propterea appetentiam habent isti validam, & tamẽ omnium maximè tristes sunt, & si dormiant, somnos habent admodum leues, & turbatos, & somnia terrifica, acidum euomunt succum propter melancholiæ copiã, quę à liene ad ventriculi os transmittitur. Qui verò id patiuntur ex iecore, habent æstuationem circa fundum ventriculi, perpetuum sentiunt ibi calorem, quasi inflammatione laborarent; euomunt biliosa, & biliosa deijciunt, sunt amarulenti, & inappetentes, vigiles, sitibundi, omnium maximè iracundi, de his propriè loquitur Gal. ex Dioclis sententia 3. de loc. affect. 7. alij verò, qui ex ventriculo, & meseraicis hæc patiuntur mœsti sunt, & timidi, sed stupidi, tardi, & segnes,

A somniculosi, ad omnia pigri, & inepti, solam pituitam euomunt, & deijciunt, neque siti, aut fame laborant, immo verò sponte sua ad assumendum cibum, & potum non mouentur: & si ad illum accipiendum cogantur, statim inflantur, extenduntur, stare non possunt, decumbunt, & vt plurimum decumbentes, nunquam antea quiescunt, quam cibum euomuerint assũptum. Isti tres loci ad hypocondria pertinentes, lien, iecur, & ventriculus, sunt diligenter distinguendi, quia triplicem requirunt curandi rationem.

Ex immediatis melancholiæ causis, pro quarum diuersitate varia instituitur curatio, quædã sunt Externæ, aliæ verò Internæ, Externæ quidem sunt morsus canis rabidi, potio venenata, philtrũ *Signa causarũ.*
B dicta, veneficium, & Dæmon. Melancholia ex morsu canis rabidi inducta facilè cognoscitur ex timore aquæ, formidant enim patientes vsque adeò aquam, vt malint mori, quàm bibere, neque illam quidem inspicere audent. Melancholia ex philtro amatorio hoc habet peculiare, vt efficiatum amorem, quamquam etiam insuperabile odium concitet, maleficæ enim illæ mulieres, quæ huiusmodi potionibus vtuntur, in eum finem eas exhibent, vt erga se ipsas amorem concitent: erga alias odium, his quoque succedit ventriculi insignis perturbatio, nausea, vomitus, angor erosio vertigo, singultus, cordis palpitatio, quan- *Rabiei signa.* *Fascinationis signa.*
C doque furor, desperatio omnium rerum. Cum enim componantur hęc philtra ex menstruo sanguine, qui grumosus, & coagulatus alijs quoque veneficijs commiscetur, & hoc, & alia plura mala inferre possunt, vt quidam inuenit sint hac potione tabe confecti, & post mortem in fundo ventriculi substantiam duram, qua si pilam quãdam rotundam continentes. Melancholia quoque ex maleficijs hoc habet peculiare, vt vomitus, & deiectiones fiant extraneæ, & ab omni ratione alienæ, educuntur enim per vomitum acus, crines, ferramenta, claui, ligna, eaque ipsa per inferiorem aluum deijciuntur: vt propterea scribat Cornelius Gemma in Appendice operis Cosmographici, puellam quandam post deiectos
D lapides, & ligna, membranas varias, & tandem anguillam deiecisse sexpedalem, & profectò qui admittit clauos, quandoque excerni maximos, vt inter Medicos fatetur Alexander Benedictus lib. 7. cap. 35. & Antonius Beniuenius de Admirandis 8. & Langius 1. epist. 38 possunt etiam concedere anguillam aliquando fuisse eiectam, sunt enim hæc omnia præstigia, & fascinationes opera Dęmonum factę, qui nos illudunt, & speciem illius rei ante oculos ponunt, quæ in ventriculo stare non poterat. Denique signa Dæmonis sunt, vt quispiam sine præceptore artem aliquam, vel scientiam momento temporis doctus esse videatur, si linguis incognitis vocatur, non dico, si vnum, aut alterum verbum tantum proferat, etenim rudes etiam homines, *Signa Dęmoniaci.*

sine

sine Dæmone id facere possunt ex speciebus in memoria reseruatis eorum, quæ aliquando audierunt, sed si quis etiam indoctus Latinam, aut Græcam linguam ex tempore loquatur, & de philosophicis rebus disserat, cum Dæmone vexatum iure optimo affirmabimus, præterquã quod isti frequentibus conuulsionibus tentantur, epilepsia, vertigine, quandoque præfocari videntur, guttur intumescit, fauces, & oculi rubei, atque prominentes fiunt, & momento tẽporis hæc recedunt, & in alias corporis partes transferuntur, quandoque nihil mali sentiunt, quandoque sunt in summo omnium malorum. Internas causas omnes redigo ad tria capita, ad operationes, & actus, ad instrumenta, & ad facultatem. Omnes enim melancholici ex causa interna, aut sunt tales propter animi operationes, & actus, vel propter instrumentũ, quod est spiritus, vel propter facultatem, quæ est temperies substantiæ solidæ cerebri. Multum interest distinguere has causas; nam qui melancholici sunt propter operationes, & actus animæ, non curantur medicamentis, sed potius deceptionibus quibusdam, & prudentia quadam medici, de qua suo loco dicemus. Vt ergo cognoscamus vtrum melancholici ex operationibus, & actibus animę in hanc passionem inciderint, considerare oportet studia, cogitationes, mores, appetitionesque ipsorum patientum & tempore sanitatis, & tempore ægritudinis: præterea ipsam delirij formam, & speciem, nam exempli gratia, si quis studijs deditus & sedulo illis incumbens deueniat eò, vt iam indiscretè de philosophicis disserat, nihil aliud loquatur, & domi, & foris, & cum doctis, & cum indoctis, hunc dicimus melancholicum non ex alia causa, quam ex frequenti actu, & operatione mentis, & quod dico de philosophiæ studijs, idem dici volo de alijs; pari modo si quis valde eruditus, & regendæ Reipublicæ dicatus, iam plus nimio in rebus publicis se ingerat, vltra modum sit sollicitus, multa cogitet, & faciat, quæ potius imprudentiam, quam prudentiam præferant, hic quoque ex intellectu practico nimium exercitato in hanc passionem incidit. Quod etiam dico de ijs, qui proprias regunt familias, & de alijs, qui proprijs instruendis moribus incumbunt, dum enim in his vltra modum student, tandem desipiunt. Eadem est ratio operationis animæ intellectiuę appetentis, quæ voluntas dicitur, licet enim obiectũ huius facultatis sit optimum, amor. s. cœlestium, & Dei Opt. Max. aliquando tamen in nonnullis ita excedit modum, vt & curæ familiaris, & filiorum, & propriæ vitę conseruandæ, & corporis cultum obliuiscantur, id quoque fit in actibus frequentibus ipsius voluntatis, pari ratione existimandi sunt incidisse in melancholiam illi, qui longam retinent memoriam alicuius obiecti præteriti, quod timorem, & mœrorem induxerit, siue fuerit mors amicorum, aut parentum, siue pecuniæ amissio; dum

A enim in his diu versantur, ac singulis horis memoria repetunt, tandem ex hac causa in melancholiam morbosam incidunt, eodem modo possumus asserere quosdam fieri melancholicos, qui se Reges putant, Cardinales, & Antichristos, nam isti sunt homines leues, ineruditi, otiosi, qui dum illam dignitatem, mente, & animo voluunt, & contemplantur, tandem habitum quendam illius speciei in animo faciunt, vt tandem se tales esse putent, quales multo tempore se esse cogitarunt, qui & melancholici sunt nimium appetentes illa, quæ pertinent ad partem concupiscibilem, vel irascibilem, & ideò perditè amant honores, ambitiosè quærunt, de pecunijs comparandis valde soliciti

B sunt, de nulla alia re cogitant, & loquuntur, & proferunt eam interdiu, & noctu, huc illuc vagantur, hos quoque certò scire oportet non habere aliam suæ melancholiæ causam, quàm assiduas cogitationes ex effræni, & immoderato appetitu sensus, vel irascibili, vel concupiscibili. Itaque vt antea dixi, non erit difficile cognoscere melancholicorum causam esse in operationibus, & actibus partis intellectiuæ, aut appetentis, vel in operationibus animæ sentientis, vel memorantis, vel imaginantis, vel appetentis, si priuata deliria, & pręcedentes hominum mores, studia, cogitationes, ingenia, & appetitiones fuerint cognitæ.

C

Caput XIII. De signis reliquarum specierum melancholiæ.

DVm transeo ad signa melancholię ex parte instrumenti, & facultatis simul, ante omnia distinguendæ sunt intemperaturæ sine materia ab illis, quę cum materia, & calidę à frigidis, & humidæ à siccis. Ostendunt autem melancholiam ex intemperie spirituum, & cerebri absque materia defectus somni, insignis leuitas capitis, vt idcircò putent patientes se aliquando esse sine capite, aut caput vitreum, vel cauum habere, nullum est sputum, non mucus ex naribus, non lachrymæ, immò *Signa melancholię ex intemperie spirituum sine materia.*

D oculi ipsi sicci, & concaui sunt, tempora collapsa, nares acutę, cutis densa, ac dura, pręcessit aut inedia, aut sollicitudo insignis, curæ, mœrores, timores, euacuationes effatu dignæ, & sic patientes in perpetuo versantur affectu melancholico, nullum habentes aut noctu, vel interdiu interuallum, ab euacuationibus lęduntur & mirum in modum exacerbantur. Calida, & sicca intemperies sic cognoscitur, quia patientes isti delirant cum aliquo gaudio, & rebus quibusdam puerilibus, vel leuioribus delectantur, quidam continuo inspiciunt picturas, quidam delectantur herbis, aut rebus virentibus, quidam musica, & cantu, alij lectione alicuius rei iucũdæ, diuque in his persistunt, & si aliquando ab his distrahantur, statim in timorem, & mærorem *Signa melancholię ex intemperie calida, & sicca sine materia.*

incidunt, & ratio est, quia cum spiritus etiam si calidi, sint tamen pauci, dum illi pauci ad sensoria distribuuntur, quandam hilaritatis speciem effingunt. sed cum primum distrahuntur, quia iam deficiunt, mæstum, ac timidum relinquunt patientem. Ad differentiam verò eorum, qui delirant cum risu, propter sanguinis abundantiam, isti vt antea dixi, gaudio quidem afficiuntur, sed non profusa lætitia, non gaudio aliquo gestiente, & risu, aut iactatione corporis, aut saltu, sicuti faciunt illi, qui ex sanguinis abundantia, hanc passionem incurrunt, potest quidem fieri, vt isti sint ex illis, qui arbitrantur se aues factos, & propterea voces auium æmulantur & quandoque brachia extendunt quasi volaturi; potest inquam hoc fieri ex calidis spiritibus absque materia, dū enim se expandunt ad sensoria, & musculos, & deserunt ipsum cerebrum spirituum fontem, deficiente materia, tria hæc succedunt, vt musculi ex abundantia spiritus, & defectu materiæ leuissimi reddantur, contra verò deficiente spiritu circa cerebrum deficiat quoque facultas discursiua, vt facilè possint isti arbitrari se aues, & alia corpora leuia euasisse. Intemperies aūt frigida, & sicca absque materia cognoscitur pariter ex vigilijs, excrementorum defectu, facie extenuata, oculis cauis, sed ad differentiam priorum isti oculos habent immobiles, & siue terram respiciant, siue parietes, aut cęlum, adeo intentis oculis id faciunt, vt vix amoueri possint, nihil loquuntur, supercilium aūt submissum, & si spiritus admodùm cogantur, & constringantur, putant se iam euasisse, aut vasa testacea, siue fictilia, aut tegulas, vel alia inanimata corpora, alij etiam putant se iam obijsse & sepultos esse. Quod si intemperies fuerit frigida, & humida, videntur isti habere aliquam in somnu propensionem, perpetuò decumbunt, oculos habent clausos, neque tamen dormiunt, facies est plumbea, admodum pallida, suntque isti omnium maximè timidi, vt ex quouis minimo strepitu exterreantur, quasi maxima habuerint terroris causam hæc de intemperie simplici.

Signa ex intēperie frigida, & sicca sine materia.

Signa ex frigida, & humida intemperie sine materia.

Possent prætermitti omnium signorum enarrationes, quæ pertinent ad spiritus vel valde confusos, vel moderatè confusos, vel agitatos, vel speciem mali recipientes ex interna corporis affectione; nam ex supradictis omnia hæc patent; cognoscuntur enim spiritus valde confusi melancholiam facere, cum certis tantum quibusdam locis, ac temporibus, & coram quibusdam tantum personis hæc dementia accesserit: mediocris perturbatio ex eo etiam cognoscitur, quod, vt antea dixi, isti chimæras fingant varias, vt animo concipiant se id fecisse, quod nunquam patrarunt, aut contra, constanter negent se id fecisse, aut facere, quod in omnium conspectu quotidie faciunt; pari ratione non est difficile cognoscere vtrum aliquis falsam concipiat imaginationem ex statu corporis morboso, vt qui

Signa melancholię ex motu spirituū

A dicunt se habere ranas in ventre, quia habent flatus, vel habere serpentes, quia habent vermes, & sic de singulis. Hoc tamen nunc est dicendum. modum similiter esse sciendum distinguendi causam confusionis, & agitationis spirituum, vtrum sit vapor quidam frigidus, aut calidus, nam si sit flatus frigidus adest tinnitus aurium grauis, vertigo satis prolixa suffusio oculorum, grauitas capitis, abundantia sputi, facies pallida, rugitus in ventre, & alia cruditatis signa; quod si vapor sit calidus, adest sibilus quidam aurium acutus, si quæ est vertigo ea citò accedit, & recedit, facies ipso accessionis tempore rubra fit, venæ intumescunt, arterię pulsant, & totum corpus ad cladium inclinat. Cæterum, si ex abundantia sanguinis, non aūt ex vapore

B calido hæc fiant, delirium est cum risu, cum lætitia gestiente, cum iactatione, & saltu, inconstantes sunt, inquieti, ad iram valde proni, dormiunt, sed somnia fere omnia sunt necis, aut sāguinis, memini matronam, cui à successione mēsiū successerat melancholia, quæ per septē menses continuos quotidie se videre dicebat exercitus duos simul pugnantes, ac necem plurium intuebatur, cruoremque ex corporibus manantem; idcirco magna ex parte isti, aut superfluas habent hæmorrhoides, aut consuetum sanguinis effluuium ex naribus, aut si fuerint mulieres, defecerint menses, venosi sunt, rubicundi, vrinas

C reddunt crassas, ac rubras, pulsus habent celeres, magnos, frequentes, oculorum venas valde tumidas, & tensas, nasi pruritum sæpe sentiunt, & à causis calorificis læduntur. Quod si materia fuerit seminalis primum cognosces ex vita casta, præterea totum ferè delirium est amatorium, & si fuerint mulieres, aliquando in affectum illum incidunt, qui dicitur furor vterinus quo ego vidi virginem quandam pro toto vitæ suæ tpe tentatam intercedente, inter vnam & aliam accessionem, plurium annorum spatio, qui tandem in apoplexiam incidit, & per quosdam cōtinuos dies absque motu, & sensu, absque omni cibo, & potu superuixit, & tandē obijt. Quod si materia sit pituitosa cognosces, quia isti sunt

D quidem timidi ac mæsti, sed simul sunt etiam stupidi, & amentes, omniū rerum ignari somniculosi, nā ad doctrinam, eorum, qui intemperie humida laborāt, absq; materia dormiunt, & profundè, oculi lachrymantur, immo ad lachrymas sunt pronptissimi, nares perpetuò sunt humidæ, caput graue, facies humida, oculi inflati, mucosis excrementis referti, vno verbo totum corpus ad frigiditatem, & pituitæ exsuperantiam tendit, siue inspicias vrinas, siue alui excrementa, siue vomitum, aut etiam cutem, quæ mollis, alba & glabra apparebit. Melancholici ex tenebroso spiritu, facilè cognoscuntur ab imaginationibus; quandoquidem præter mœrorem, & timorem, omnium maximè solitudinem àmant, libenter in obscuris locis degunt, imagines habent mortis, & mortuorū, diaboli, inferni,

Signa melancholię ex spū tenebroso.

ni, omnium maximè timent carceres, vt propterea curauerim ego anno superiori presbyterum quendam, qui fugiens carceres, quas tamen non merebatur, tanto fuit timore percitus, vt sæpe in itinere voluerit se submergere, deinde è fenestra se proijcere, quorum neutrum cum successisset, tandem laqueo se suspendit, sed semiuiuus inuentus, laqueo inciso superuixit, post à me curatus est. Sunt quidam ex istis, qui carceres amant, & fingunt se scelus patrasse, vt carceribus dati possint, hæc vero omnia inæqualiter affligunt pro varia quantitate fuliginis animalem spiritum inficientis. Cæterum si fuligo ex humore melancholico eleuetur, isti frigidum, & siccum habent temperamentum, excarnes sunt, exangues, pilosi sunt, & nigri, ad tactum frigidi pulsus habent paruos, raros, & surdos, & duros, soli degunt, taciturni, cogitabundi, supercilio demisso, vigiles, quieti tamen neque iracundi. Quod si melancholia hæc aliquando accendatur aliquantulum non tamen exuratur, sed quasi ignitus carbo igneo quodam fulgore splendeat patientem efficit melancholicum quidem sed egregium artificem, sique sapientiæ studijs sit deditus summum Philosophum reddit, quod si vlterius exuratur, cum portio illius adhuc sit frigida, & sicca, pars verò exusta facilè cognoscitur ex illa melancholiæ specie, quã Arabes cucubat, Græci Lycaonem, vel Lycanthropiam dicunt, in qua patientes interdiu aliquantulum quiescunt, mœsti tamen, & taciti, oculis cauis, & siccatis, colore citrino, inappetentes, anxij, desperatione correpti, noctu huc, & illuc vagantur, petunt sepulchra mortuorum, aliquando in homines sæuiunt, quos lacerant, & interimunt, dicuntque se esse in lupos conuersos, crura habent semper vlceribus plena vel quod à canibus morsum patiantur, vel quod incedentes, incautè allidant crura ad saxa, vel quod propter exusti humoris copiam, qui etiam grauis est adiuuante continuo motu crustosa hęc vlcera indicantur. At si melancholia fiat ex vapore nigro ex sanguine eleuato, qui à causa calorifica inspissatus fit quel exustionem aliquam patiatur, isti ad differentiam illorum, qui cum risu, & iucunditate delirant, quamquam sint succi pleni, venas habent latas, tensas, sunt rubicundi admodum, pilosi, sunt tamen timidi, & mæsti, & in hac sanguinis abundantia, nil ioci, aut hilaritatis continent: præterea habent isti oculos nigros, prominentes, mobiles, coniunctiuæ venas inflatas, prompti sunt ad lachrymas, quandoque ad iram, parum dormiunt, nulla habent somnia. & ea quidem omnia conspicua, vt propterea nunquam credant se dormisse, labia sunt crassa, quasi inuersa, lingua est incontinens, nam magna ex parte balbi sunt, ad hæc proni sunt in Venerem. & ad differentiam hypochondriacorum, ab vsu veneris non læduntur. Existimant medicinę scriptores hanc sanguinis inspissationem, quæ fit à causa calida facilè etiam co-

Signa melancholię ex melancholia naturali.

Signa Lycanthropia.

Signa melancholię à vapore eleuato ex sãguine inspissato.

A guosci ex causis prægressis, vel præsentibus, vt si quis exempli gratia fuerit Phreneticus, aut actu sit delirans, inquiunt calorem phrenitidis, aut delirij tenuiores sanguinis partes absumere, & sic reliquam substantiam crassam, & fæculentam reddi. Ego verò etiam absque his, vel præsentibus, vel prægressis causis existimo vaporem nigrum ex sanguine, & ex semine etiam non inspissatis eleuari posse, vt tandem fiat melancholia: nam dantur temperamenta naturalia valde humida, & calida, quæ ad melancholiam omnium maximè sunt propensa. De his loquitur Auic. quando inquit eos, qui sunt cerebro humido, & corde calido, & propterea sunt balbi, siue nauli ad melancholiam valde proB cliues esse, quia fuligo non eleuatur necessario ex corpore nigro, sed ex pingui, & vnctuoso, vt propterea in corpore calido, & humido pleno sanguine, & semine pingui, si caliditas accedat siue naturalis, siue non naturalis ex cibo, potu, medicamentis, balneis, siue præter naturam potest ipsa fuligo eleuari, quæ spiritum animalem inficiat. Cognosces autem humorem melancholicum ex vstione genitum melancholiam parere, quia consueuit hic affectus autumno inuadere, & in ætate consistenti, eo, quòd vt dicebat Galen. 3. Prognostic. 28. æstate, & in iuuentute humores exuruntur, tunc autem pars tenuior propter aeris caliditatem, & ætatem iuuenilem dissipatur, & insensibiliter digeritur, crassiore manente substantia, quæ deinde melancholiam efficit, quod si huiusmodi humores augeantur in corpore propter retentas consuetas excretiones id ex relatione scies, & sanè diligens sis in interrogandis ægris, numquid ante melancholiam paterentur aliquam sanguinis fluxionem ex naribus, hæmorrhoidibus, vtero, an potius impetigines, vel antiquas scabies, vlcera phagædenica, vel cancros, vel varices, & an sublati sint fonticuli antiqui. Hęc omnia quamquam melancholiæ causa fuerunt, non dissimili ratione diligens esse debes in explorandis visceribus, vt videas numquid, aut iecur, aut lien intumescant: nam si iecur sit tumidum, lien verò non sit affectus, indicium est humorem melancholicum in corpore augeri, quia à iecore nõ purgatur, vel propter obstructiones, aut tumores, vel propter aliquam imbecillitatem, quæ intemperiem sequatur, quod si lien sit tumidus cognosces augeri humorem melancholicum vitio lienis non amplius attrahentis ad se hunc humorem, quod si ex corde calefacto huius humoris sit generatio, pulsus sunt admodum celeres, frequentes, & inæquales, nam patientes præter melancholiam palpitatione etiam continua vexantur, & simul cum timore, & mærore ad iram sunt valde procliues.

Signa melancholię genitæ ex humore mela͂cholico per adustionẽ genito.

Caput XIV. De curatione, & primùm de curatione diuinatorum, & melancholicorum ex studijs, ex ambitione, ex amissione pecuniæ, & ex amore.

AD curationem tam varij, & multiplicis affectus tandem me conuertens vniuersalem curandi methodum, ac materias medicas pariter in communi prætermittam, cum animo concipere non possim species melancholiæ tam inter se diuersas, tàm varias causas, ac locos affectos ad vnam curandi methodum dirigi posse. Itaque in speciebus duntaxat versabimur, & quia ex melancholiæ speciebus quædam curantur sola Medici industria, & arte quadam, seu diligentia absque medicis præsidijs, aliæ verò naturalia requirunt auxilia ad curationem, in primis de illis erit sermo, quæ medici industria, & iudicio sanantur, à quibus breuissimè me expediam. In hac classe sunt qui prophetiam, seu diuinationem profitentur, sunt quoque sapientiæ studijs vsque adeo addicti, vt omnium consuetudinem fugiant, sunt & illi studiosi qui vltra modum de proprijs studijs disputant, & contendunt. In hac classe sunt & illi, qui ex forti, & continuata imaginatione putant se Reges euasisse, aut maximos Principes, nec minus absque naturalibus remedijs illi sanari possunt, qui cum vltra modum honores, dignitates, pecunias, aliaque id genus quærant, neque sibiipsis hæc comparare valeant, tristantur, & semper sunt solliciti, in quo ordine repono etiam illos, qui mæsti sunt redditi propter amissas pecunias, aut alia fortunæ bona, quin immò etiam perditè amantes ad hoc caput redigo, illòsque omnes, qui vitium aliquod in corpore, se habere animo concipiunt, cum tamen illud minimè habeant, qua ratione singulis prospiciendum sit, nunc statim subiungo, & primo quo ad diuinatores pertinet, nil melius eos curare potest, quàm negotijs, & exercitijs eos implicare, sunt enim isti, vt dixi otiosi homines (Sanctos enim relinquo prophetas) qui proprijs omissis negotijs, aliorum actiones speculantur, & è longinquo putant se, quod futurum est præuidere posse, si isti pro eorum vario statu cogantur fodere, remigare, vno verbo, corpus, & mentem in alijs exercere, à diuinatione statim desistent. Quod pertinet ad sapientes melancholicos nihil aliud tentandum, quàm si fieri potest, amouenda solitudo, seiungendi à continuatis studijs, tentandum omni arte, vt versentur cum amicis, exeant domo, ambulent per loca amœna, ludant, vno verbo studia intermittant: sed qui vltra satietatem de suis studijs disputant, non facilè corrigi possunt, nisi ab audientibus spernantur, si quisquam illis porrigit aures, morbum fouebit, si spernat, si rideat, contumelijs afficiat, sic paulatim resipiscet ille, & ad mentem propriam redibit; quod spectat ad illos, qui se Principes euasisse credant, si fieri possit primum rationibus conuincendi sunt, disputandum cum illis, quales sunt Principum conditiones, & quales illæ quas ipsi habent, vt tandem videant se esse in errore, si id non sufficiat, isti quoque otiosi nunquam relinquendi, nihil magis nutrit has cogitationes, quàm otium, & vacatio à curis, implicentur igitur varijs negotiis, & præcipuè illis, quæ longè distant à natura illius, quem se esse putent. Si hæc non prosint, aliqua ignominia afficiantur, & tandem etiam fustibus cædantur. Quod si ex ambitione aut amissis pecunijs quispiam euaserit melancholicus, difficillimam existimo horum curationem, quia naturalia remedia nihil proficient, artes autem Medici nihil iuuant, consulunt autem medici, vt pro his sanandis, ex improuiso illa nuncientur, quæ grata esse possint, vt pecuniæ, honores, &c. Sed cum hæc non inuenerint melancholici perseuerabunt in suo affectu: poterunt quidem eo breui temporis spatio, quo res iucunda nunciatur, lætari, sed cum non videant pecunias, aut honoribus illis, & commoditatibus non fruantur, nihil actum erit. Itaque etiam isti potius diuertendi à suis cogitationibus, & ea omnia peragenda, quæ pro curatione amantium subiungemus. Cum enim hæc passio sit aliquandò tanti momenti, vt homines ad tabem, & aliquandò ad mortem violentam ducat, medicis certè spernenda non est. De remediis amoris multa scribunt medici, & quædam ex his habentur apud Marsilium Ficinum cap. ii. commentarii de amore, & sunt partim naturalia, partim verò ad industriam pertinentia, de naturalibus postea, quod autem ad industriam pertinet, ante omnia tentandum est, vt amantes locum fugiant, in quo versatur res amata, nihilq; in hac re efficacius est, sic enim Lucretius scribit.

Et fugitare decet simulacra, & pabula amoris,
Abstinere sibi, atque alio conuertere mentem:

Dum dicit aliò conuertere mentem, intelligi potest, vt aliam amet, sic enim scribit Ouidius.

Successore nouo vincitur omnis amor.

Nos autem satius arbitramur, vt mentem dirigat potius ad seria, ad studia, negotia, exercitia, castitatem profiteatur, nil enim his esse præstantius per symbolum quoddam significauit Horatius cum ait: neque Mineruam, neque Dianam, neque Deam Vestam veneris vnquam implicari, nam Minerua studiis, & armis est dedita, Diana exercitiis, & venationibus, Vesta castitatem profitetur. Si itaque amantes aliquam ex his partibus profitentur, nunquam eo insaniæ deuenient, vt ex amore melancholici fiant, laudat quoque Ficinus, vt aliquando isti inebrientur, hoc fiet, vt ipse ait, vt sanguis ille vetus digeratur, & in illius locum nouus substituatur, sed melior est ratio, quæ ex Ouidio colligitur.

Vina parant animos Veneri, si plurima sumas,
Et stupeant multo corda sepulta mero,

Nam

Quomodo sanentur diuinatores. *Quomodo sanentur illi, qui melancholici sunt ex nimijs studijs.* *Quomodo illi, qui se Principes euasisse credant.* *Quomodo sanentur melancholici ex ambitione, & omissis pecunijs.* *Quomodo amantes.*

Nam qui inebriatur neque est aptus moueri, neque rei amatæ amplius recordatur, sed cum non conferant, ad naturalia confugiendum, sunt naturalia quæ sanguinis copiam minuant, & feruorem exstinguant. Itaque secanda his vena in cubito, & pedibus, vt genitalia refrigerentur, præbenda intrinsecus, refrigerantia, cassia, serum, &c. iniungenda tenuis victus ratio, humidus tamen victus hic, & ad soporem inducendum aptus, nam amantes fere semper vigilant, idcirco humectantibus balneis, ac soporiferis sunt tractandi in quibus incoxerit lactuca, nymphea, viola, malua, hyosciamus, papauer, mandragora folia vitis, salici, & alia. Quod spectat ad illos, qui putant se aliquo graui morbo laborare, vel vitium habere quod non habent, vt qui putant se esse sine capite, aut pergrãdem nasum habere, vt ranas in ventre, aut serpentes, his omnibus melius conducet deceptio, quàm remedia, propterea si putant se esse sine Capite, imponatur galea plumbea ponderosa, vt fecit Philotimus apud Galenum lib. de Melancholia ex Rufo, & Possidonio, si putant se habere ranas, aut serpentes præbeat medicus medicamentum, & in alui excrementis clam imponat illud animal, quod putat esse similius illi, quod asserit melancholicus se in ventre habere, neque etiam istis vnquam vis inferatur, vt scilicet ad tollendam imaginationem prauam cogantur aliquid agere, quod ipsi putent propter morbum non posse proficere, nam sic facilè exstingui possent, & huius rei habemus exemplum Excellentissimi Fracantiani olim professoris primarij huius Gymnasij, qui incidit in malancholiam, quia putabat se habere corpus adeo vastum, vt per valuas transire non posset, & volens illum statim sanare, iubet seruis, vt illum accipiant, & portent per valuas, obediunt serui, inuitum patientem, & affirmantem se per eum locum transire non posse ducant quidem, sed vix transeuntem, & defunctum.

Caput XV. De curatione melancholiæ ex morsu canis rabidi.

Modò deuenientes ad curationem illorum, qui à cane rabido fuerint morsi, tria tempora dicimus esse obseruanda in illorum curatione, quæ curationem diuersam reddunt, primum tempus est statim post morsum, post morsum per aliquod tempus aliud, cùm tamen adhuc non superuenerit aquæ timor. Tertium est in quo iam aquæ timor superuenit, etiam si longè distet à morsu. In primo tempore quædam extrinsecus, quædam intrinsecus sunt agenda, & extrinsecus ipsi vulneri nuper inflicto attrahentia venenum sunt adhibenda, horum maxima est sylua, primum quidem conueniunt cucurbitulæ vel scarificatæ, vel non, suctus, si quispiam sugere voluerit, sed periculosus est, appositio podicis gallinæ, quidam summo cum fructu emplastrum imponunt ex cępta cocta admista cum allio, cum succo marrubij, & fermento, alij accipiunt theriacam succo allij commistam, neque pręter rationem quidam adhibent vesicatoriũ vel ex flammula, vel ex cantharidibus, laudo summoperè vsum cauterii actualis pro vulneris magnitudine, fiant duę vel tres vstiones, conuenit & lotio ex aqua salita, aut vino, in quo incoctum fuerit marrubium, calamentum, scordium, dictamus, aristolochia. Commendat Aetius tetrablibo 2. 24. vsum oxalidis, siue decocto vtamur ad abstergendum vlcus, siue intrinsecus succum præbeamus, & quia necessarium est vlcus apertum saltem per 40. dies continere, ideo si quis caustico etiam medicamento vtatur, vel arsenico sublimato, vel alio ruptorio nuncupato & post escharę casum ad extrahendam virulentiam, accipiat præcipitati drach. j. butyri recentis drach. s. & vlceribus imponat, circumstantibus autem partibus ceratum adhibeat attractorium ex pice, gummi, ammoniaco, opopanaco sinapi ex pipere confectum, nihil pręter mittat, quod ad externa auxilia pertinere, & magnum adiumentum præstare possit. Eodem tempore interiora auxilia, quæ venenum ad exteriora propellant, & cerebrum, ac tueantur, non sunt prætermittenda, proponuntur quædam communia, vt theriaca, quidam laudant etiam allium intrinsecus acceptum, ego non possum non summopere laudare antidotum à Gal. propositum 11. simplicium cap. de cancris. fit autem ex parte vna thuris, quinque partibus gentianæ, & decem partibus cancrorum fluuiatilium in suis testis crematorum, quæ omnia in puluerem redigantur, daturque drach. 1. vel ij. ex aqua ad dies 40. continuos, huic tantum confidit Gal. vt dixerit neminem eorum qui acceperit hanc medicinam, in aquæ timorem incidisse, laudat iecur canis rabidi assi, & pro cibo exhibitum, hoc ipso tempore nil aliud agendum puto nec circa venæ sectionem, neque circa purgationem, & propterea quæcunque de hac re disputantur à Cælio Aurel. 3. de acutis 26. si intelligantur de exercendis tempore morsus oĩno sunt refutanda, quia & venę sectio, purgatioque venenum introducit, contra quam agere oporteat in quocumque morsu venenato. Itaque si post dies 40. quis purgatione vti voluerit, & sanguinis missione pro varia corporis cacochymia, & plenitudine, non improbo, dummodo eo temporis spatio, quo virus euocare intendimus fortiora dimittantur omnia, & si aluus non sit fluida, vel clysteribus tantum, vel cassia syr. ros. sol. & medicamentis benignioribus vtamur. Quod si iam post multos etiam menses aquæ timor inuaserit, fuit Celsi, & aliorum quorundam antiquorum opinio nil esse præstantius, quam vt patientes etiam inuiti aquam bibant. Cælius Aurelianus ad illos decipiendos fingit pocula occulta, ne aquam videant, alios inscios patientes in aquam mer-

mergunt, sed nugæ sunt omnes; nam non eò ducendi sunt patientes, vt aquam bibant, neque etiam vt velint bibere; nam scribit Aurel. pro curatione hoc non esse præstandum, vt bibant, sed vt velint bibere, ego verò dico neque hoc sufficere, sed ita agendum vt velint, & possint bibere: Obijt Veronæ ante paucos menses Comes Beuilaqua morsus à cane rabido, & cum esset valde doctus, & in hac parte mente constaret, adstantes rogabat, vt aquam illi præberent, ipsi aquam infundebant per canaliculos quosdam, vt ab ipso videri non posset, & ipse libenter tubulos illos oriap propinquabat, nec tamen vnquam potuit bibere. Itaque huius affectionis talis est natura, vt non tollat voluntatem, sed naturam impediat, quo minus possit aquam recipere, & ideò Petrus Sallius Diuersus in suo de affectibus partium, & alij cum eo hãc immersionem patientum in aquam inutilem experti sunt, Plinius lib. 25. c. 2. in hoc casu tanquam remedium diuinitus reuelatum proponit cynorhodon radicem rosæ siluestris, hac ait militem quemdam in Hispania iam aquam timentem illico sanatum, dari potest in puluere ad drach. j. vel ij. Palmarius de venis quamdam proponit compositionem, quam ait adeo celebrẽ, & experientia confirmatam, vt etiam sine multa externorum remediorum diligentia possit quisque sanari, & à rabie futura præseruari, C descriptio est pag. 271. datur à drach. s. ad drach. ij. vel cum saccharo, vel cum butyro spatio octo dierum. Omitto remedia, quę sacra nuncupari possunt, quandoquidem reperiuntur quædam loca Diuo Bellino sacra, ad quæ si accesserint morsi curantur, & præseruantur omnes, talis locus est in agro Rhodigino in loco, qui dicitur vulgo la Frata.

Caput XVI. De curatione melancholiæ ex intemperie spirituum calida, & sicca.

EXternis causis succedunt internæ, & inter primas erunt spiritus intemperantiæ absque materia. Indicatio ab his desumpta inuen- D tu est facilis: nam si spiritus sint iusto calidiores, & sicciores refrigerandi, & humectãdi sunt. si frigidiores, & sicciores calefaciendi, & humectandi. Cæterum sicut auxilii inuentio facilis est, & conspicua: ita quispiam hoc loco etiam facilè hæsitare poterit, liceat ne vllo tempore, vel in aliqua melancholiæ specie statim ab initio ad alterantia se conferre communibus totius purgationibus non præmissis? quibus primum respondeo id ex omnium consensione aliquando debere fieri, quando scilicet melancholia sit cerebro essentialis: Distinxit Gal. vt proprio loco audiuimus melancholiam in tres species, aliam dixit esse in solo cerebro, aliam per consensum à toto, tertiam per consensum ab hypochondriis, si er-

Quæritur vtrũ in melancholia liceat ad

A go datur melancholia, in qua solum capiti est affectum, ad quid purgabimus totum corpus humores etiam esse dispersos? tunc enim confunderetur essentialis cum ea, quæ est per consensum à toto, datur itaque ex omnium consensu, vt etiam nos ostendimus melancholia soli capiti adeo competens, vt reliquæ corporis partes ab omni humore melancholico sint immunes, idcirco si in hoc casu corpora purgentur, exsiccantur magis, at in melancholicis nil siccitate deterius. Hinc Gal. ad hanc melancholiæ speciem respiciens præcipit, vt si secta vena sanguis ruber appareat, supprimatur, nouit enim non laborante toto corpore, sed tantum capite nedum inutilem, sed pernitiosam esse B sanguinis missionem. Hinc Auic. & ante illum Mesue, & vno verbo sola Arabum familia melancholicorum curationem primam, ac præcipuam dicunt esse impinguationem, & humectationem, & addunt tunc primum melancholicos fore sanos, cum impinguati, & humectati fuerint; non improbo quidem, vt ante vsum alterantium vtamini lenientibus quibusdam ad ea expurganda excrementa aptis, quæ in omnibus corporibus varia pro varietate temperamenti augeri consueuerunt; Sed hæc purgatio non immediatè dirigitur ad superandam melancholiam, nos autem hoc in præsentia quærimus, vtrum dentur melancholici, qui solis alterantibus curari possint, prætermissis euacuationibus quæ ad educendam melancholiam administrari solent, hæc igitur in essentiali melancholia inutilia, & periculosa essentiali melancholia inutiliar & periculosa esse censeo, quod si quis dicat, nonne in melancholia essentiali potest cerebrum esse hoc humore refertum, nonne ergo licebit vti purgantibus saltem ratoine materiæ, quæ est in capite, profectò nemo ibit inficias melancholiam cerebro essentialem aliquando ex intemperie cum materia fieri, idcirco hanc materiam esse euacuandam, sed quantum ego censeo duo sunt addenda, primò non semper intemperiem esse cum materia, vt nos suo loco contra Erastum, & alios abundè probauimus, alterum est hanc materiam non debere purgari sectione venarum communium, aut purgantibus validis per os exhibitis (mitiora enim nihil proficerent) nam valida purgantia antequam ducant humorem, qui in corpore continetur, propinquos euacuant humores, at verò hi sani, & vtiles sunt, itaque distantes ratione vacui attrahentur in venas, & sic vel humor bonus euacuabitur, & relinquetur in venis melancholicus, & si vterque duci debeat, opus est euacuationem esse adeo immoderatam, vt corpus colliquet, exsiccet, & ex consequenti ad deteriorem melancholiam pronum reddat, quod si intemperies fuerit absque materia, nil perniciosius excogitari potest, etenim exsiccatur vsque adeo cerebrum, & imminuuntur spiritus vt melancholiæ fatuitas, & amentia succedat.

alterãtia deuenire nõ pmissa purgatione.

Quod

Quod autem detur melancholia ex intemperie cerebri absque materia probauimus suo loco, & nunc quoque ex iis, quæ de curatione dicuntur fusius probari potest. Conueniunt omnes Medicinæ Scriptores in melancholia siue ex cerebro, siue ex toto; sed nunc loquimur de cerebro, præmissis euacuationibus, medicum esse debere diligentissimum in alteranda cerebri intemperie, tunc quæro, aut post purgationes hęc intemperies est cum materia, aut sine materia, si dicant esse cum materia, ergo per suam hypothesim tamdiu debes in purgantibus insistere, quàmdiu materiam edecas, vt deinde alterantibus vti possis; quod si dicant, iam educta est materia, tunc arguo sic, sublata materia, remanet melancholia ex nuda cerebri intemperie, ergo potest aliquando dari melancholia ex intemperie sine materia, quod si hoc concedant, vt negare non possunt, fateri coguntur, sicut talis aliquandò est post purgationem, ita talis aliquandò esse potest, nulla facta purgatione, & ideo qui ex recentioribus aliter sentiunt, & maximo ægrotantium periculo Arabum placita innouare, & in prauum sensum trahere voluerũt, ægrotantes possunt in maxima discrimina deducere: nam sicuti Auic. apertè docuit dari melancholiam ex intemperie cerebri absque materia, ita quoque curationem subiunxit eiusdem intemperaturæ per sola alterantia, nulla præmissa euacuatione. Itaque cum res ita sit, vt dentur melancholici, quorum signa vidimus ex nuda intemperie vel calida, vel frigida cum siccitate, tractandi sunt isti semper humectantibus quandoque frigidis, quandoque calidis, ideò si intemperies fuerit calida, & sicca, aer eligatur frigidus, & humidus, alteretur violis, nimphæa, salice, foliis vitis, papauere, &c. exercitium sit moderatum, balnea capiti administrentur, quotidiè non bis tantum, sed quater, & quinquies ex dulci aqua, in qua incocta fuerit plantago, lactuca, portulaca, salix, folia vitis, flores nympheę, maluarum, si maior fuerit æstus, adhibeantur succi commissurę coronali ex portulaca, plantagine, semper viuo minori, parentur emulsiones seminum extractæ cum decocto lactucæ, solani maioris, semper viui, nympheæ, hyoscyami, violarum, & si somnum capere non possint, addantur etiam poma mandragoræ, nam somno nil præstantius, ideo intrinsecus quoque humectentur sero caprino, emulsionibus frigidis, & victu refrigerante, & humectante. Concedantur omnia olera frigida, lactuca, endiuia, cichorium, beta, malua, atriplex, fructus omnes frigidi, cerasa, pruna, cucumeres, cucurbitæ, melones, vuæ recentes, quæ vuæ plerisque melancholicis adeo contulerunt, vt ego nonnullos cognouerim, solo hoc remedio integrè curatos. Carnes eligantur humidæ, præsertim agninæ, vinum sit valde tenue, & si abstinere possent, aqua mulsa conducibilior esset. Constat verò in

Qualis digta.

Lotio capitis ex balneore frigerãte.

A hoc casu abstinendum à coitu, ab ira, ab ingenti animi perturbatione, à salitis omnibus acribus, & aromaticis, neque prętermittenda sunt quædam medicamenta frigida ad melancholiam inuenta. Rasis, & Auicenna, alijque complures præbuerunt quibusdam vsum alimentorum, quę facilè concoquuntur; si quis autem est casus in quo eligenda sunt potius, quę succum concoctu difficilem gignunt, quàm illa, quæ facile alterantur, est intemperies ista calida, & sicca absque materia, est enim opus alimento non tam frigido, & humido, quantum non facile resolubili; nam si facilè resoluatur, spirituum siccitas augetur. Idcirco quando prædicti auctores laudant in melancholia carnes agni, aut verucis, B & alias humidiores, sicuti & in ferculis oriza, alicam, & alia, de melancholia intelligendi sunt ex nuda in temperie, nam si adsit materia, hæc quæ sunt crassioris succi aliquam inferre possent obstructionem, & sic materiæ melancholie euacuationem, vel difflationem prohiberent. De lacte est etiam aliqua dubitatio. Rases in 9. Continentis cap. de Melancholia lac nuper mulctum adhùc calens melancholici, concedit. Sed Rabbi Moises, cui adstipulatur Matheus de Gradibus in commentario ad caput de melancholia, prohibent melancholicis vsum lactis, & lacticinorum, eò quòd facilè corrumpatur, & cum vaporosum sit, varias possit producere imagines; ego quidem in intemperie hac C calida, & sicca absque materia nihil præstantius esse puto lacte nuper mulcto, in præsentia materię illud dimitto, facilius enim corrumpitur, & euaporat in caput ex permistione alienę substantiæ, quàm ex nuda intemperie. Adde quod lac adhuc calens ex vbere sumptum non facilè corrumpitur; & preterea melancholici ex intemperie calida, & sicca à variis imaginibus nõ perturbantur, sicut illi, qui melancholiam patiuntur ex multis euaporationibus in caput factis, idcirco lac, & lacticinia istis concedi debent. Præter victus rationem medicamenta quoque interna, & externa frigida, & humida sunt administranda, ex internis præstantissimum est remedium confectio illa in ro- D tulis, quæ manus Christi dicitur, quæ fit ex margaritis, saccharo, & aqua rosacea; conueniunt quoque conserua rosarum, ex flo. violarum, nenupharis, cum margaritis prępāratis, hyacinthoque conuenit ipsa confectio de hyacintho, electuarium de gemmis, datur ad drach. 1. in aqua violarum, rosarum, nympheæ, vel acetosæ. aqua mea cordialis in hoc casu non est prætermittenda, valent etiam varii pulueres ex margaritis, sandalis, flore nynpheæ, hyacintho, & aliis gemmis præparati, addito osse cordis cerui, & saccaro modico, possuntque hi pulueres præberi ad drach. i. vel cum succo citri, vel limonum, vel aliqua ex aquis præscriptis, extrinsecus cordi fiant epithemata ex aquis, succis, & speciebus refrigeran-

An lac cõueniat

Medica mẽta interna q.

Extrinsecus cõuc-

geran-

gerantibus, epithema conueniens esset, si hoc modo fieret. *Epithema cordi*

℞. *Aquarum violarum.*
Nimpheæ
Acetosæ. } *in vnc.iij.*
Rosarum.
Margaritarum præparatarum:
Sandalorum rubeorum
Florum nymphea puluer. } *an. drac. j.*
Corallorum rubeorum,
Camphoræ, gr. iiij.
Succi limonum vnc.ij.

Post epithema adhibetur inunctio ex vnguento rosaceo, aut sandalino misto cum succo citri, & quoniam in hac intemperie, vt plurimum vigiliæ vrgent, ad alterandam hanc intemperiem, & somnum conciliandum abrasis capillis fiat stillicidium ex oleo rosaceo, nenupharino vel ex lacte nuper mulcto, aut detineat lintea madefacta succo lactucæ, oleo violato, & succo limonum; quidam putant omenta animalium, pulmones, catulos, pullos dissectos, immo nonnulli probant partem agni nuper dissecti, laudant etiam si hæc animalia inspergantur puluere florum nympheæ, hyosciami, seminis papaueris albi, erit fortius medicamentum; laudant quoque vt turundæ naribus indantur, quæ sint imbibitę vnguento populeone, aut oleo nenupharino, in quo granum vnum, aut alterum opij sit dissolutum, quod si turundas abijciant, fiat euaporatio ex decocto violarum, lactucę, nympheæ, hyosciami, mandragoræ, papaueris albi, in aqua rosacea, violaceave, & quando hæc non prosint, ad interna opiata est deueniendum, laudo quidem, vt primo tentes emulsionem amygdalarum dulcium, papaueris albi, sed si somnum non concilient, deueniendum tandem ad requiem Nicolai, vel Theriacam recentem sacchano violaceo mistam dosis sit drac. s. *Somnum conciliantia.*

Caput XVII. De curatione melancholiæ ex intemperie frigida, & sicca & frigida, & humida spirituum animalium. & ex dilatatione corundem; & habetur sermo de quodam morbo, qui Germanis dicitur Chorea S. Viti.

Sed si intemperies sit frigida, & sicca, humectantibus, & calorificis est tractanda, ita tamen, vt humectantia longe superent calorifica. Hoc autem Arabum consilium in eum finem dirigitur, ne à calorificis humor melancholicus augeatur, ego verò, qui nunc loquor de melancholia ex intemperie frigida, & sicca spirituum animalium, & vitalium absque materia, idcirco calorifica improbo, quoniam spiritus pauciores iam redditos digerunt, tota igitur hæc curatio posita est in victu, & in quibusdam alterantibus, ad quod respiciens Rhases primo cōtinentis, & alii cum eo asseruerunt se melancholicos non admodum confirmatos solis humectantibus medicamentis modicè calorificis pristinæ sanitati restituisse. *Curatio melācholiæ ex intemperie frigida & sicca, spiritu ū animaliū* A Eligatur itaque aer humidus in actiuis temperatus, moderata sit exercitatio in nauicula, in curru, vt sanguis moueatur à profundis partibus ad totum corpus, & caput. Cibi sint humectantes, & calorifici moderatè. Idcircò probant Medicinæ scriptores Arabes carnes perdicum, phasianorum, & aliarum auicularum montanarum, quæ in calida, & sicca intemperie non conueniunt: immo verò laudant maximè pullos accipitris, & noctuæ, & volunt à proprietate melancholicos iuuare, sicuti & cor lupi dicunt prodesse à tota substantia, conueniunt ex omnium consesu turtures, siue autem istæ, siue aliæ carnes accipiantur, in istis concoquendis debent addi quædam cordialia, vt melissa, & ocymum, gariophyllatum, immo laudant B Arabes, vt primo coquantur cum vino odorato modico, & postea superaddatur aqua cum herbis propositis, conueniunt etiam ex oleribus radix buglossæ, quidam vtitur floribus, & foliis, sed buglossę virtus in cortice radicis est posita, idcirco coquendæ sunt radices, & loco ferculi vel acetarii cum passulis sunt comedendæ, in hoc etiam causa conueniunt nuclei pinei, amygdalæ, pistachia, & ea omnia dulciaria, quæ ex his, & sacchar o fiunt, addito etiam musco, & ambra, & cinnamomi momento, vinum sit album vetus, odoratum, non admodum generosum, abstineant à Venere. His quoque somnus C conciliatur balneis humectantibus, in quibus coquantur malua, althæa, chamomelum, melilotus, & anethum. Ex his quoque possunt fieri lotiones capitis, & si pro capite herbę istæ coquantur in iure castrati, fiantque lotiones ex illo iure fiet fortius medicamentum, lac & intrinsecus, & extrinsecus etiam in hoc casu conuenit, dummodo sit nuper mulctum, admiscendum verò in hoc casu est saccharum, aut mel, ex antidotis conuenit diamuscus dulcis, & amarus; confectio alchermes, electuarium lætificans, Mithridatum theriaca, dummodo hęc omnia, tanquam calidiora corrigantur, aut sacchar o rosato, aut violata, aut conserua nenupharis, vel succo citri, & temperatæ aquę superbibantur, D vt aqua borraginis, buglossæ, & melissæ, aut iuscula alterata ex his herbis, extrinsecus cordi adhibeantur epithemata proportione respondentia, ut.

℞. *Aquarum melissæ,*
Buglosseæ,
Borraginis,
Ocymi, gariophyllati an. vnc. iij.
Vini maluatici, vnc. ij.
Specierum cordialium temperatarū vnc. ij
Croci grana, iiij.

Post epithema adhibeatur inunctio ex theriaca, aut Mithridatica confectione mista cum rosaceo, & succo limonum. Melancholię curatio, quæ nunc proponitur primo omnino contraria videtur esse omnium Medicorum pręceptis, qui de melancholia aliquid tradiderunt, *Curatio melācholiæ ex intemperie frigida, & humida.*

derunt, loquemur enim de curandis melancholicis ex frigida, & humida animalium spirituum intemperie, qui propterea siccantibus tractandi erunt, cum tamen sit commune præceptum melancholicos esse humectandos, cum tamen, & rationibus, & authoritatibus, & experimentis sit confirmatum dari melancholiæ speciem ex frigida, & humida spirituum animaliū, & vitalium intemperie, ideò audacter hanc curationem proponemus, & eo magis cum videam neque Galenum, neque Auic. aut alios Arabes, Græcos, aut Latinos euitasse medicamenta siccantia in fatuitate, stultitia, & amentia, quando cum sopore fuerit connexa, at verò paucissimi sunt fatui, & amentes, stupidi, & soporati, qui pariter non sint timidi, & mœsti, ac proinde melancholici, vt nemo scire possit curationem fatuitatis ab hac melancholiæ curatione seiungere, itaque in subeunda hac curatione semper ante oculos habenda sunt signa humiditatis, & refrigerationis cordis, & cerebri, non autem ad solum symptoma mœroris, & timoris animus conuertendus; sicuti enim certum est timorem, & mœrorem & cum siccitate, & cum humiditate, cum frigiditate, & caliditate stare posse: ita & facillimum & in curandis ægris decipi, nisi medicus attentè omnia repetat omnino signa, quæ frigiditatem, & humiditatem, vel contrarias qualitates sequuntur, conspirantibus ergo simul cum mœrore, & timore vel omnibus, vel pluribus, aut saltem præcipui frigidæ, & humidæ intemperiei signis, melancholici sunt exsiccandi, & nunc non erit faciendus à nobis sermo vllus de purgantibus, quia de nuda intemperie loquimur, quæ & victu, & medicamentis corrigitur. Victus autem in sex rebus non naturalibus est positus; aer eligatur calidus, & siccus, qui si talis non sit; alteretur suffumigiis ex styrace, belzoino, myrrha, cypero, & croco, &c. cibi sint & tenuioris substantiæ, & attenuantes, carnes potius auicularum montanarum, olera calida, & sicca, eruca, ocymum, petroselinum, pulegium, non prætermittantur salita, condiantur aromatis cibaria, præcipuè cinnamomo, gariophyllis, & gingibere, vitentur omnia lacticinia, placentulę, pisces, vinum sit generosum, aut simplex, aut alteratum melissa, ocymo, tormentilla, &c. exerceatur corpus, pectinetur caput, & lauetur ex lixiuijs alteratis betonica, rore marino, stœchade, saluia, maiorana, sisymbrio, inspergantur commissuræ coronali pulueres ireos, cyperi, synapis, pyrethri, naribus indantur linimenta facta vel ex trociscis de gallia muschata, ex trociscis hedyeroi dissolutis cum vino maluatico, aut aqua maioranę, vtantur somno moderato, & balneis toti corpori alteratis cum herbis calorificis, vel si naturales habeant thermas sulphureas, vel aluminosas, in his lauari poterunt. Medicamenta alterantia sunt Interna, & Externa. interna conueniunt in hoc casu calida, & sicca, theriaca Mithridatum absque correctione medicamenti frigidi, dia moschum amarum diamargariton calidum, electuarium lætificans, possunt quoque parari aquæ distillatæ, quas vocant Elixir vitæ, sunt enim species aquæ ardentis, cui adduntur herbę calidæ, & cordiales, & aromata varia, suntque admodum accomodatę. Extrinsecus cordi aptantur epithemata calorifica, & siccantia, vt sunt.

℞. *Vini maluatici,*
Aquarum melissæ, } *an. vnc. vj.*
Florum citri
Buglossæ } *an. vnc. iij.*
Specierum cordialiū temperatarū drac. ij.
Cinnamomi,
Gariophyllorum, } *drach. s.*
Croci, gr. vj.

Post epithema apponatur hæc inunctio.

℞. *Theriacæ,*
Mithridati, } *an. drac. j.*
Specierū cordialium temperatarū, drac. s.
Vini aromatici parum, misce.

Possunt quoque gestare in regione cordis sacculos ex serico rubro confectos, qui repleantur pulueribus factis ex semine citri, cortice eiusdem, melissa, ocymo cinnamomo, Xyloaloe, gariophyllis, nuce moscata, thure, myrrha, & croco, addito pro ditioribus moscho, & ambra.

Quod pertinet ad melancholiam, quę fit ex motu spirituum animalium, hic motus aliquando sequitur affectus animi, aliquando humores corporis, & cum sequitur affectus animi, curatio ipsius est curatio affectus animi, sed si affectus ortum ducat ex tēperamento corporis mutādum est temperamentum aut ad frigidum, aut ad calidū vt antea docui; nam verbi gratia nimia spirituū constrictio sequitur frigiditatem, & siccitatem, hæc itaque curatur calidis, & humidis; nimia dilatatio quando sequitur intemperiem, quę calida vltra modum sit, superatur solis refrigerantibus, quæ omnia supra dixi, sed quando hæc dilatatio eò accedit, vt patientibus inferat importunos, inordinatos, & perseuerantes quosdā motus in hoc casu necessarium est præter intemperiem spiritum adesse copiosum, vaporem, & humorem, in neruos, musculosque distributum, qui inconcinnas, & extraneas istas motiones efficiat, dedi exemplum illorum qui putant se aues factos, propterea brachia pandunt quasi volaturi, in hoc ipso sunt illi, qui certis quibusdam temporibus in tripudium incidunt vitiosum, quod Germanis propterea vocatur choreas S. Viti, estque omnino similis illi, quam habent morsi ab illa phalangii specie, quam tarantulam vocant, coacti sunt quidem ostendere hunc affectum etiam fuisse cognitum antiquis, præcipuè Herodoto, qui putatur fuisse author libelli finitionum medicarum, qui Gal. adscriptus est. Hic enim in fine illius libelli scribit ex musica & cantu affectum fieri.

Curatio Melācholiæ ex nimia spirituū dilatatione.

fieri, quem Enthusiasmum vocant; in quo patientes, quasi diuino spiritu afflati agitantur, & ad sacra mouentur, sed longè distat hic affectus, neq; enim author iste meminit tripudii, dicitque hos moueri ad sacra, cum primum harmoniam sentiunt, sed in chorea S. Viti etiam sine harmonia fit hic motus, nam de repente homines, & mulieres propria relinquunt munia, & ad hos saltus, & tripudia adeò inordinatè se conuertunt, vt & in lapides impingant, & crura, & caput collidant aliquandò in flumina se ipsos præcipitent, neque verò est similis affectus ille, quem describit Aretæus primo de causis, & signis acutarum passionum cap. 6. circa finem, qui Enthusiasmum parit, dicit fieri in quibusdam diuino afflatu inspiratis, qui proprium corpus dilacerant, cum putēt se placere Deo, additque excitari hanc passionem non tantum à Musica, quantum à temulentia, & persuasione; nihil itaque meminit Aretæus saltationis, & tripudii, putant etiam cognitum fuisse hunc affectum Gariophano Medico antiquissimo Græco, qui tamen describit quidem insaniæ, seu furoris speciem, in qua patientes existimant se sonum quemdam in auribus sentire, vt propterea confestim surgant, gladium arripiant, & obuios feriant, non dicit tamen istos tripudio incumbere, neque ab exteriore Musica aut irritari, aut demulceri; noua itaque vt ego sentio est hæc melancholiæ species, & vt noua incognitam habet adhuc curationem, sicuti & causas. Egò tamen libentissimè refero hanc speciem ad nimiam spirituum dilatationem propter eorundem spirituum & sanguinis copiam, ac feruorem: quia audio mirandum in modum exacerbari hunc affectum ex inspectione rubri coloris, vt propterea si quis rubro indumento indutus illis obuiam fiat maximum inferat damnum: nostis autem quantum possit hic color ad dilatandos spiritus, & sanguinem, neque enim aliam ob causam in variolis, & morbilis præcipiunt Medici, vt in frequenti vsu habeant nostię mulieres, vt rubri panni lectulis, & muris patientum apponantur, quam vt ex illius coloris inspectione expandantur humores, idem ostendit curatio, quæ dupliciter absoluitur aut industria, aut medicinis. industria, idest, ipsa musica, dum enim inueniantur aliqui adeò fortes, & patientes vt tamdiu possint instrumenta Musica pulsare, quàm diu isti saturentur, delitescit morbus, at verò nulla alia est causa ob quam delitescat, nisi quod partim ex musica, partim ex illo continuato motu spiritus ille multus digeritur, & ad digestionem, & euacuationem ex accidenti euacuatio succedit, idcircò etiam remedia naturalia eiusdem facultatis esse debent, vt similiter corpus inaniant, & aliqua ratione refrigerent, siue inanitio fiat per corporis ambitum, siue per alias partes, hoc parum refert.

A *Caput XVIII. De curatione Melancholiæ ex nimia constrictione spirituum, & etiam de curatione Melancholiæ ex nimia confusione eorumdem non pendente ex vapore aliquo ascendente.*

QVi ex nimia spirituum constrictione melancholici sunt, vt suo loco declaraui, imaginantur esse mortuos, aut corpora inanima, tegulas, testas, &c. idcirco oculis clausis immobiles iacent, & cibum renuunt, his ergo quam primum opitulari oportet auxilijs, quæ spiritum, & sanguinem à centro ad circumferentiam ducāt, sunt autem hæc partim attrahentia, partim impellentia, ex attrahentibus, sunt omnia, de quibus Gal. 4. de tuenda val. 6. cum ait, duci humores ad extra vsu vel balnei, vel frictionis, vel fomenti calidi, vel inunctionis, vel iracundiæ, & *Curatio Melācholiæ ex nimia constrictiōe spirituū.*
B ideo si in balneum imponi non possint, & fomētum, atque iunctio minus valida fuerint, adhibendæ cucurbitulæ, vel scarificatæ, vel non, sinapismi, vesicantia, cauteria quoque potissimum actualia, duo enim pręstant hæc cauteria, ex propria natura foras attrahant: deindè patiētem ad iracundiam excitant, quæ, vt ex Gal. dixi, foras ducit humores, idcircò Arabes quoque nonnunquā iubent melācholicis verbera infligi, qui etiamsi minimè distinguant, quibus propriè hæc verba conueniant, de his tamen sunt intelligendi, qui hac forti imaginatione obsessi
C putant se esse corpora insensibilia, cum enim experiuntur ignem, aut funes, atque vno verbo dolorem in corpore, tunc coguntur sententiam mutare, & fateri se esse corpora viuentia. Et ego scio, excellentissimum Capiuacceum cuidam Taruisino, qui se mortuum dicebat, & tamquam cadauer iacebat tria cauteria inussisse eo tempore immobili immanente, sed cum inureret quartum profundiori vstione, oculos aperuit, & moueri cœpit. Sic ergo tractandi sunt Melancholici huius conditionis, & ideo præter cauteria, vesicantia in pluribus locis adhibita cruribus, brachiis, occipitio, sincipiti, scapulis prodesse possunt. Vbi eam resipiscere in cœperint, tentandum omni studio eos-
D dem spiritus mouere partim lętitia, partim cibis, & medicamentis; quæ conferunt ad lætitiam, nota sunt, cantus, sonus, inspectio obiectorum pulcherrimorum, ambulatio per loca amæna, ludus, & alia. ex cibis conueniunt illi omnes, qui calidi sunt, & tenuium partium, ex carnibus auiculæ aromatibus calidis, præcipuè autem croco, tanta enim est vis croci ad dilatandos spiritus, & ad circumferentiam mouendos, vt immodica illius quantitas Sardonicum risum, & mortem accersere possit. Sicuti verò in spirituum tenuitate, & facili motu crocus est exitialis; ita in hac constrictione spirituum siue in vino epotus, siue in iure, siue cibarijs admistus iuuabit, & quia video Gal. 2. de comp. per loca, primo inter ea, que perturbanț mentem reposuisse, non tantum

tum crocum, quantum etiam lentisci fructum, & peucedanum, & cyclaminis radicem, idcirco in hoc casu, in quo ad mouendos spiritus probatur crocus, neque sunt alia proposita reijcienda, perturbant enim spiritus, qui sunt in motu, vt læsio subsequatur, se immobiles mouent motu potius vtili, quàm noxio, conducit præ ceteris vinum generosum ad ebrietatem, si quid enim est, quod spiritus moueat, fundat, agitet, est vinum ad ebrietatem.

Curatio melācholiæ ex cōfusione spirituū. Transeo ad melancholicos ex confusione spirituum; hæc confusio vel est interpellata, vel continua, interpellata vel fit in quibusdam tantum locis certis, & determinatis temporibus, aut fit quocumque loco, & tempore. Exemplum primi habetur apud Areteum lib. primo cap. de signis acutorum 6. qui fabri lignarij exemplum proponit in propriis ædibus optimè ligna aptantem, extra ædes omnem artis vim amittentem, vt de alio scribit Seneca, qui inter rudes egregiè philosophabatur, inter sapientes stolidus fiebat, & insipiens; nam potest id fieri ex verecundia, in qua spiritus inordinatè mouentur modo ad intra propter timorem, modo ad extra propter spem, & sic confunduntur species. Itaque horum curatio est curatio verecundiæ sed verecundia hæc est vitiosa facta ex nimia spirituum caliditate, & tenuitate, propterea enim facilè intro, & foras feruntur, quia rari, calidi, & tenues sunt; itaque refrigerandi sunt spiritus, & aliqua ratione incrassandi, & quia crassities potest induci vel à frigidis humidis, vel à frigidis siccis, frigida humida non sunt accipienda, mentem enim obtundunt, & vt ait com. 19. primi de natura humana Gal. ad confirmandos mores non sunt apti, frigida, verò, & sicca, vtpote, quæ melancholiam augent corpori robur, & firmitatem tribuunt, est doctrina Gal. lib. citato, qui scribit homorem melancholicum actionum constantiam, & firmitatem tradere, & sanè experientia obseruamus istos nimium verecundos, rubicundos esse & sanguineos, sanguinemquè habere subtilem, vt propterea facilè & palleant & rubescant, contra verò melancholici semper sunt eodem vultu, & actiones suas audacter perficiunt. Idcirco pro his quædam fieri possunt pro ipsa accessione, quędam pro causa accessionis, verbi gratia, si quis sciat se vires ingenii amittere, dum vel apud Principes, vel in loco aliquo publico aliquid sit dicturus, vel facturus, tanquam id faciat, vt præseruetur ab accessione vti debet partim reuellentibus, partim repellentibus internis, & externis, foueat caput rosaceo, & aceto, accipiat vnc. ij. vel iij. succi granatorum, aut citoniorum, aut alterius fructus adstrictoriis, vtatur reuulsionibus factis vel per lotiones pedum, vel per frictiones, ligaturas, cucurbitulas, aut etiam veuncantia, tempore interualli his ego laudo illa cibariorum genera, quæ

A Gal. 3. de locis affectis 7. cæteris omnibus melancholicis prohibuit, concedantur carnes vaccinæ, leporinæ, & omnia, quæ sanguinem crassum, & melancholicum reddere possunt, videbitur paradoxum: sed habita ratione causa non est. Arabes, apud quos omnia ferè medicamenta, quæ nos ad melancholicos proponimus, indistinctè tamen prolata inueniuntur, in alienatione mentis proponunt succum mororum, celebrant mirificè vsum omnium myrabolanorum nosi ex eo tantùm, quòd purgent, sed quia myrobulani frigidi sunt adstrictorii, vt propterea molum spirituum nimis velocem adstringere, & compescere possint. Cæterum si indiscriminatim fiat hæc mentis perturbatio, non
B fit ex verecundia, sed potius ex vapore aliquo ascendente siue calidus fit, siue frigidus, curatio autem huius vaporis ascendentis proponetur in tractatu de Melancholia hypochondriaca vbi etiam curationem proponemus illius melancholię, in qua propter agitationem spirituum melancholici varias fingunt sibi imagines, & aliquando animo concipiunt se id fecisse, quod non fecerunt, vel non fecisse quod fecerunt. Curatio autem illius melancholiæ, quæ fit ob motum spirituum præter naturam, in qua vt dixi patientes discurrunt opposito modo, quàm pro naturali statu quisque debet discurrere, perficitur primum euacuantibus totum, & cerebrum deinde deobstruentibus, dixi enim hoc fieri
C quando spiritus inueniunt cerebri angustiam magna ex parte ex obstructione factam, quandoque etiam à compressione, propter tumores, in quo casu retrocedunt, & sic confunduntur species, falsæque et prauæ inferuntur consequentiæ, de qua sicuti, & de reliquis, quæ requirunt euacuantiæ & totum, & caput tam ex chirurgia, quàm ex pharmacia infra dicendum.

Caput XIX. De curatione Melancholiæ ex confusione spirituum animalium pendente ex humoribus.

D

PRo curanda melancholia ab humoribus spiritum animalem confundentibus, versabor primum in chirurgicis, mox in pharmaceuticis, deinde in dięteticis. Circa chirurgica ante omnia occurrit venę sectio, de qua dicendum, quibus nam melancholicis conueniat, & quo loco, quo tempore, & modo, denique, in qua copia sanguis mitti debeat. Dum aūt quærimus quibus conueniat venę sectio, duo quærimus, quibus ratione loci, & quibus ratione materię; nam quod ad locum pertinet, cum duplex, sit melancholia essentialis in cerebro, & per consensum a toto, & hypochondriis, quæritur an in omnibus, an in quibusdun tamen venæ sectio locum, habeat multa de hac re dicuntur, resolulio est in me- *Vtrum conueniat venæ sectio, & qui venæ secanda.*

lancholia essentiali, cum qua non adsit corporis plenitudo, neque contentus pretermittendum esse vniuersalem venæ sectionem, pari ratione in hypochondriaca, quando materia residet tantum circa miseraicas sectio venæ præ-termittenda est, trahit enim succum melancholicum à partibus determinatis in venas communes, sicquè totum inficit sanguinem. Hinc Rhasis primo Continentis prohibent in hypochondriacis sectionem venæ, non possum tamen doctissimos quosdam recentiores probare, qui in hypochondriacis prohibent quidem sectionem venæ in cubito; concedunt autem in pedibus, quasi melancholicus ille sanguis, qui est circa viscera, possit per infernas euacuari venas, non attractus in vasa communia, quòd si concedant attrahi, eadem est ratio sectionis infernarum, & supernarum. Itaque ster conclusio proposita ratione hypochondriorum, vt tales sunt, non conuenire sectionem venæ, dixi, vt tales sunt, quia hæc regula ferè semper patitur exceptionem, ita vt & in essentiali, & in hypochondriaca melancholia conueniat venæ sectio, primum quidem plerumque est necessaria, vbi adest corporis plenitudo, hæc enim quamquam primo, & per se non faciat melancholiam, illam tamen iuuat, & fouet, nam vbi multus est sanguis, multa quoque est fex, & loci affecti in sanguinis multitudine promtius replentur, 2. conuenit quia essentialis melancholia in capite quandoque est secundaria, id est communicata à vitio sanguinis in toto corpore abundantis, 3. conuenit etiam in hypochondriaca, quia siue fiat hypochondriaca liene non attrahente succum melancholicum, siue iecore chylum, & sanguinem exurente necessarium & non modo viscera, sed & venas omnes feculento hoc sanguine redundare. Itaque tunc educitur sanguis non pro euacuando succo in meseraicis contento, sed pro illo qui in venas totius distribuitur. Hanc ergo difficultatem cum vidisset Gal. 3. de locis affe. 7. proponit regulam, qua possit medicus aut mittere sanguinem, aut ñon non potest autem regula locum habere nisi aperiatur vena, aperta vena, ait Gal. si sanguis sit ruber, statim supprimendus, si niger educendus, hęc regula nõ est vniuersaliter accipienda, sed vbi ex colore cutis, & venarum, exturgentia, alijsque signis conijcias sanguinem melancholicum in venis communibus contineri, etiam si ab initio ruber appareat, non est statim supprimendus, consueuit enim tenuior ab initio excerni deinde crassus succedere, propter quattuor causas, prima quia fex sanguinis semper subsidet, & nisi agitetur, & toti sanguini misceatur, nunquam est prima, quæ educitur, vt propterea ad hoc respicientes nonnulli docti viri, inter quos est Gilbertus Anglius consulunt, vt antequam secetur vena in melancholicis corpus agitetur, & medicamentis, & syrupis, vt ex

A agitatione, fex sanguinis cum tenuiori portione misceatur. Secunda causa est timor, timor enim introducit humores, & qui grauiores sunt minus facilè ad exteriora mouentur perseuerante timore. 3. causa est arcta ligatura, qua vtuntur ministri, ideo monendi sunt medici, vt post sectam venam, aliqua ex parte laxetur vinculum, altera causa est angustia foraminis, cui prospiciendum est ampliore facto foramine, si itaque hæ seruentur leges, & tamen sanguis floridus appareat, occludatur vena. Quod ad materiam pertinet etiam si in cacochymia Gal. 4. de tuenda val. 4. sectionem venæ prohibuerit, vt propterea neque in biliosa, neque in melancholica, neque in pituitosa, sed in sanguinea tantum venæ sectio locum habere vi-

B deatur, tamen vbi vires constent in omni melancholia sanguis est mittendus, si enim constet cacochmyia nõ est exquisita, habet ergo sanguinem ad mistum, qui si non est causa principalis, est causa sine qua non, quia est mistus succo melancholico, aut est etiam adiuuans, quia illi misceri potest, & in eundem verti. Itaque in quacumque humoris abundantia, dummodo subsit plenitudo etiam si spuria, licet venam aperire. Quo ad locum, vel est sermo de præseruatione, vel de curatione, si de præseruatione semper ex infernis partibus mittendus est, longe enim ducendus est sanguis à cerebro, &

C corde. Præseruationis tempore teste Gal. lib. de curat. per sanguinis missionem. 19. si de curatione loquamur, cum melancholia sit per consensum à toto secatur vena communis aut vnius tantum, aut vtriusque bracchii; potest etiam in magna plenitudine secari superior, & inferior, sed quando vtrumque præstare liceat, mihi magis probatur, vt primo secentur venæ inferiores, quàm superiores, contra quam senserit Mesue, nam si secentur primo infernæ; sanguis crassus ad inferna ducitur. Prætetea reuulsio præcedit deriuationem, aut vena inferna secta in melancholia ex toto habet rationem reuellendi, superior deriuandi, si tamen menses,

D aut hæmorrhoides sint suppressæ, semper inferiores aperiantur, in essentiali tamen prætermittitur quidem sectio venæ communis, non prætermittitur determinata, & ideo secari potest vena frontis, aut loco illius aperiantur venæ narium, adhibeantur hirudines venis temporum, & post aures, sacrificatio quoque in occipite, & circa scapulas in hoc casu prodesse, potest, quando autem vires non possint sustinere, hæmorrhoides sunt aperiendæ siue sint innatæ, siue non, quandoquidem si innatæ fuerint, imitamur naturam, si non eò ducendus humor, quò natura illum purgare consueuit, conuenit autem nigrum sanguinem per hæmorrhoides educere. Hinc scribit Hipp. 5. in 6. ep. 25. atræ billis simile hæmorrhoides effundunt. Itaque iuuanda est natura per hunc locum; consulit id Gal.

Hæmorrhoides aperiendæ licet non sint innatæ.

id Gal. qui in com. 25. aph. inquit illis educendum esse sanguinem per hæmorrhoides, qui succum melancholicum in corpore congesserint.

Quãtitas sãguinis. De quantitate habenda est ratio naturæ morbi, temporis, virium, atque aliarum rerum naturalium, & non naturalium. morbi quidem, nam in melancholia illa, quam lycanthropiam dicunt, expedit multum sanguinem detrahere, in melächolia stupida parum admodum, vt propterea cũ hæc melancholia stupida prope accedat ad defectum memoriæ, ex intemperie frigida cerebri neminem inuenies qui in defectu memoriæ sanguinem mittat, medio modo agendum in melancholia cum risu, aut cum aliqua rixa, nam copiosus quidem sanguis est detrahendus, non tamen sicuti in lycanthropia. *Tempus mittendi sãguinẽ.* De tpe antea dixi nunc repeto magnam scriptorum partem in hoc inclinasse, vt sectionem venæ in melancholicis præcedat purgatio, & syruporum quorundam assumptio, vt fex sanguinis tenuiori sanguini misceatur, quod & ego suadeo. *Modus.* Quod ad modum missionis pertinet, præterea, quæ diximus de foramine amplo, & ligatura luxanda addo consultum fore, melancholicis sanguinem mittere aut præmissa corporis exercitatione, aut balneo, aut saltem fomento calido circa partem in qua secanda est vena.

His succedunt cucurbitulæ, quæ ad extrahendum sanguinem melancholicum ferè nihil præstant, ad reuulsionem tamen aliquid conferunt. Ideò Cælius Aurelianus 1. tard. capit. de insania, laudat & cucurbitulas, & hirudines appositas varijs corporis partibus, quia loquitur de insania per essentiam in capite, & ideo vtitur his auxilijs tanquam reuulsorijs; in eundem vsum veniunt vesicantia, & cauteria pro varietate loci, in quo est melancholia, varijs etiam locis affigenda, vt propterea Possidonius, cuius sententiã recepit Aetius in hypochondriaca affectione vtatur sinapismo super regionem abdominis ad extrahendam materiam, quæ ibi continetur.

Dum ad pharmaciam me confero loquar in primis de vomitorijs, deinde de clysteribus tum de purgantibus per inferiora, mox de diureticis, & sudorificis, vbi erit sermo de præparantibus, vltimo ad alterantia me conferam. *An vomitoria cõueniãt in melancholia.* Quod igitur ad vomitoria pertinet, dubium est, an in melancholia vomitoria locum habeant, necne, & quænam sint ista, & quando, vel quo tẽpore administranda, quod in melancholia non conueniant vomitoria, videtur docuisse Hipp. 4. aph. aph. 9. dum ait: melancholicos per inferiora purgabis: rationem verò assignat Gal. in commento, quia humor iste ad differentiam bilis, sui grauitate inferiora petit; accedit quod cum triplex sit melancholia ratione loci, vomitus non conuenit in ea, quæ est per essentiam in capite, quia si exhibeatur vomitorium adeo validum, vt educat materiam in capite existentem incolumi existente corpore colliquefaciet

A partes sanas, antequam melancholiam educat, hin Hip. & Gal. 4. aph. 16. helleborum prohibent ijs, qui incolumi sunt corpore, sed neque videtur conuenire vomitus in melancholia per cõsensum à toto, neque enim ducendus est humor ex natura, & ex accidenti noxius, & prauus per os ventriculi, consueuerunt enim vt docuit Possidonius apud Gal. lib. de Melancholia plures euadere melancholici propter solam vomitionem, multo aũt facilius id facient, si humor iam diu in venis moram duxerit, & à natura alienus sit factus: nec verò videtur conuenire vomitus in melancholia hypochondriaca, omnes enim hypochondriaci ventriculum habent imbecillũ valde: non sunt autem purgandi humores per B locum debilem 13. meth. 11. Ex alia tamen parte experientia, & omnium contentione scriptorum melancholicis imperatur vomitus. Itaque distinctione opus est. Primò sciendum, sermonem aut esse de vomitu materiæ in ventriculo collectæ propter ventriculi imbecillitatem, siue imbecillitas sit facultatis alteratricis, siue attractricis, aliud verò est loqui de materia melancholica, ex qua proximè fit melancholia; primo modo licet & melancholicos, & alios quosuis euacuare, dummodo leges illæ seruentur, quæ à Gal. & Hip. sunt propositæ lib. de salub. diæta lib. quos, & quando &c. & à 4. aph. C ad 17. quartæ particulæ aph. vt similiter tabidi, & angusto pectore, & insueti, & difficillimi ad vomendum, nunquam cogantur ad vomitum, sed si de materia melancholica fiat mentio, primum concedo melancholiam, quę sit tantum per essentiam in capite nullo modo vomitorijs tractandam propter dictas rationes, in reliquis duabus speciebus vomitoria locum habent, & quia hæc sunt in triplici differentia, mitiora, mediocria, & fortiora, mitiora prætermitto; quia non purgant humorem peccantem, sed dumtaxat humores sponte sua ad os ventriculi ascendentes, vel in cauitate contentos facilè adducunt, sed si de mediocribus sit sermo, vt est vel infusio, vel decoctum raphani, florum genistæ, puluerum ra- D dicum asari &c. *Vomitoria sunt triplica.* Hæc quoque seruatis propositis legibus tam in hypochondriaca, quàm in melancholia à toto administrari possunt, dummodo os ventriculi non sit adeo sensibile, vt patientes ex illius sensibilitate palpitationem, lipothymiam, syncopen, epilepsiam, aut melancholiam incurrãt Hinc Possidonius ex Gal. cuius sententiam acceperunt & Aetius, & Arabes, in hypochondriaca laudant vomitum factum ex radiculis, ex decocto calamenti, vel alterius similis. *Vomitoria mediocria.* Sed si de fortissimis fiat mentio, vt est antimonium, helleborus albus, lapis lazuli, lapis armenus, antiquioribus medicis probatissima sũt, dũ modo in eorũ exhibitione leges quædã seruentur, primum quidem moneo, mihi summopere probari vsum vel hellebori albi, vel antimonij, potius quàm lapidis armeni, vel lazuli. *Vomitoria fortissima.* Ego enim sępe expertus sũ album helleborum deploratissimos melancho-

licos sanasse, sed ante hellebori assumptionem A debet humor præparari, & corpus, præparantur humor, si incidantur, & attenuenter crassi humores oxymellite scillitico, & composito, cuius dantur singulis diebus vnc. ij. vel tres, præparatur autem corpus si humectetur. Hæc est sẽtentia Hip. 4. aphor. aph. 14. ante helleborum humectanda esse corpora, humectantur, & per se, & ex accidenti, per se cibis, & potionibus humidis, & copioso alimento, per accidens quiete, & somno: præparato sic corpore exhibeantur hellebori albi scrup. ij. aut dra. s. aut in fortioribus, & difficilioribus drac. j. non in substantia, sed infusa in vino maluatico, vel alio simili, & statim præbeatur aliquod alimentum, siue ptisana, aut panatella, aut oua sorbilia, aut quid tale, quo facilius, & sine ventriculi labore patientes vomere possint; non est autem præbendus B helleborus circa melancholiæ initia, sed tantum vbi confirmatus sit affectus, quasi in cuta coacta, ideò Auicenna qui in Mirachali, vt ipse inquit, vel hypochondriaca melancholia, videbatur timere propter ventriculi imbecillitatem vomitoria, tandem subiungit in inueterata album helleborum conuenire, at si conuenit in hypochondriaca, in qua ventriculus est, vsque adeo languidus, conuenit multo magis vbi humor melancholicus in iecore ex toto laborauerit, & sanè huius melancholiæ per helleborum album curatæ meminit Galen. lib. de atra bile cap. 7. quan- C ait Proeti filias albo helleboro à melancholia fuisse sanatas, celeberrimumquè fuisse hoc remedium ante, & post Erasistrati tempora. Ad rationes in oppositum facile hac vnica solutione possumus respondere, satius esse in desperatis casibus aliquid periclitari, quàm insanos homines relinquere, sed tamen si in hypochondriacis vereamur ventriculi imbecillitatem, statim post vomitorum muniendus est ventriculus munientibus internis, & externis, si vereamur noxam humoris melancholici, poterimus os ventriculi roborare non quidem adstringentibus, quia prohiberetur vomitus, sed pręmissis pinguibus, & oleosis, quæ habent vim corrigendi acrimoniam humoris melancholici, vt sunt brodia pinguia, fercula cum butyro &c. Quo ad Clysteres, D in omni quidem melancholia possunt Clysteres iuuare, sed nulla est, quæ maius sentiat iuuamen, quàm hypochondriaca, & consulo, vt aliquando pro curandis hypochondriacis, adhibeantur clysteres; debent aũt clysteres esse quandoque molles, aliquando acres, in melancholia hypochondriaca cum exustione iecoris sic fiant,

Clysteres.

℞. *Violarum,*
Maluarum, } *an. m. s.*
Mercurialis,
Betæ,
Florum camomeli,
Anethi, } *an. p. j.*
Meliloti,
Seminum lini, vnc. ij. f. d. s. a.
℞. *Dictæ decoctioni, lib. s.*
Olei violati,
Camomelini, } *an. vn. j. s.*
Cassiæ extractæ, drach. vj. misce fiat clyster.

Quod si fiat hypochondriaca vel ex liene, vel ex multis ventriculi cruditatibus, clyster sic parari poterit.

℞. *Seminum cartami, drach. iiij.*
Pulegij,
Calamenti, } *an. m. i.*
Origani,
Rutæ,
Cimini,
Anisorum, } *an. vnc. i. s.*
Fœniculi,
Fiat decoctio s. artem.
℞. *Dictæ decoctionis lib. i.*
Hieræ pro clystere, vn. s.
Diaphœnici, drach. iij.
Mel. ros.
Olei camomelini, drach. iij. misce f. clyster.

Caput XX. Curatio Melancholiæ per essentiam in capite, & per consensum à toto, quatenus spectat ad pharmaciam.

VT tractatio, quæ de purgantibus in melancholia adhibendis, ordinatè procedat, illam distinguam in tres præcipuas partes, in prima modum proponam tractandi melancholicos per essentiam, & primariò in capite qui laborant, deinde verò erit sermo de melancholicis à toto corpore, 3. de hypochondriacis. Quo ad priores, cũ melancholia in capite generetur aut ex intemperie calida absumente partes sanguinis subtiliores, & lucidiores, vel relinquatur post inflammationes, vt suo loco diximus, duplex etiam requiritur curandi modus, nã in prima specie nullum ferè locum habet pharmacia, sed tantum venæ sectio, potissimum aũt ex partibus capitis, vt vena frontis, narium &c. post quas euacuationes occurendum alterantibus frigidis, de quibus supra, sed si relictus sit humor melãcholicus post inflammationes, tunc expedit illum eodem modo preparare, & expurgare, quo licet etiam præparare, & purgare illum, qui in toto corporis ambitu continetur, de quo infra, nunc illud addendũ; quod præter vniuersales euacuationes, in hoc casu conueniunt etiam priuatæ, quæ per nares fiunt, os, & per alias capitis partes, ideo parentur gargarismata ex decocto thymi, epithimi, maioranæ, stœcadis cum oximelite vel simplici, vel composito, quandoque cum scillitico fiant masticatoria, adhibeantur nasaria, quæ potissimum recipiant puluerem epithemi, senæ, hellebori nigri, immo in contumaci affectu licet imponere nasarijs album helleborum, si non in puluere, saltem in decocto, in hoc casu lotiones capitis, quid quid sentiat Rondeletius, non debent esse refrigerantes; nã etsi præcesserit inflammatio, desijt tamen

men causa calida, & resolutis partibus tenuioribus relictus est frigidus, & crassus humor: itaque sicuti in externis inflammationibus iam inueteratis, & refrigeratis præcipit Gal. 2. ad Glauconem 2. vt vtantur scarificationibus, medicamẽtisque calidis, & emollientibus: ita & in inflammatione interna transeunte in melancholiam opus est vti calidis digerentibus, & tandem sensibiliter euacuantibus, ideo Auic. proponit decoctum ex calamento, & alijs herbis calidis, ex quo potest fieri lotio, aut fomentum, & in eundem vsum insperguntur suturæ coronali pulueres ex eodem calamento, maiorana, stæcade, betonica, adhibentur cerata, quamquam etiam vesicantia locum habent, setacea, cauteria capiti affixa, vel sincipiti, vel occipiti, curatur enim hæc melancholia, vt & epilepsia ex humorem melãcholia, vt & epilepsia ex humore melancholico, nam epilepsia vt dicebat Gal. 3. de loc. affect. 7. ex sententia Hip. 1. epid. fiunt melancholici, & melancholici vicissim epileptici, hinc ni fallor scribit Gord. se quendam vidisse, qui tamdiu à melancholia est liberatus, quamdiu vlcus in capite apertum habuit, sanato vlcere iterum melancholicus est factus Sed transeo ad prouidentiam totius, in qua parte curatio distinguenda est tripliciter, melancholia enim quæ in toto abundat, vel frigida est & sicca ratione propriæ essentiæ, & ratione causæ generantis, quæ similiter producitur ex proprietate ciborum, aut est frigida, & sicca, sed genita à causa calida, aut tertio & materia, & causa calorem continent, quia materia est deusta, in prima specie lenita aluo electuario lenitiuo, aut syr. de polipodio præparandi sunt humores hoc syrupo.

Curatio melãcholię per cõsensum à toto.

Præparãtia.

℞. *Syr. Sabor Regis* }
De corticibus citri } *an. unc. s.*
De pomis simpl. }
Decocti boraginis }
Buglossa }
Melissæ }
Corticum citri } *an. vnc. iij.*
Satyrionis }
Maluarum }

Cupio vt ratio intelligatur præparationis huius humoris in quacumque differentia hic, quid omni ex parte frigidus, & siccus est, requirit calida, & humida, quatenus aũt durus attenuantia, humectat aũt, & calefacit syrupus de pomis, alij duo attenuant, decoctio item ex humectantibus calorificis, & moderatè attenuantibus constat, acetum, neque syrupi acetum recipientes in hac specie conueniunt; quia refrigerat, & exsicat, idẽ erit iudicium omnium plantarum, & seminum, quæ calida, & sicca sunt in tertio gradu, sola enim fugienda sunt, & de aceto est sentẽtia Hipp. clarissima tertio acutorum 38. quam recipit Gal. 1. simpl. 31. melancholicis nocere, facta præparatione sic purgetur.

Acetum melancholicis malum.

purgãtia

℞. *Corticum helleb nigri scrup. ij.*
fiat infusio f. a: in decoctione cordiali, facta expressione adde
Syr. de polypodio vnc. iiij. misce f potio.

Aut in bolo.

℞. *Specierum hieræ simplicis drach. j:*
Confectionis hamech. drach. iij.
Electuarij lenitiui drach. vj.
M. F. B.

Laudant Arabes vsum alicuius hieræ magnæ, omnium celeberrima in hoc casu est illa hiera Pachij, aut Rufi, sunt valentissimæ, ideo dosis ipsarum erit drach. ij. superbibant tamen aut iusculum, aut prisanam, iterum præparentur humores syrupo de pomis composito. Sabor regis, syrupo de epithimo cum decocto proposito, & repetenda purgatio, postea roborandum cor internis, & externis, quæ omnia sint calida, ideo probatur in hoc casu theriaca, confectio alchermes, diamuscus amarus, diamargariton calidũ, diambra, & cætera calida; de externis epithematibus aliàs diximus.

Quod si materia ex caliditate iecoris genita sit, permiscendi sunt syrupi quidam refrigerantes, qualis est violatus, & in decoctis præter violas adde nenupharem, sonchium, endiuinam; in purgatione verò, si tempus permittat, licebit vti sero caprino, sin minus, fiat infusio ex helleboro nigro in decocto cordiali addendo syrupum de polypodio, rosat. sol. an. vnc. ij. misce f. p. Hieræ magnæ in hoc casu mihi non probantur, sunt nimis calidæ, confectio hamech cum cassia, aut lenitiuo, tuto præberi potest, sed quia vbi melancholia generatur ex intemperie, sicuti euacuatur, ita etiam in dies producitur, nisi intemperies corrigatur, iõ post primam purgationem, consulo vt adhibeantur syrupi compositi, sic vno die accipiant syr. viol. simpl. de pomis, & Sabor regis cũ decocto proposito, sed sequenti die accipiant syr. de pomis, & de fumo terrę composito ad vnc. j. cum vnc. iij. decocti epithimi Mesue, vtanturque his syr. alternatim per x. dies, deinde iterum accipiant helleborum, aut confectionem hamech vt supra. Parum differt curatio melancholię quę fiat ex humore adusto vsque ad propositum terminum: nam ipsa quoque est præparanda, & purganda, vt iam dixi, hoc tamen excepto, quod in hac specie vsus aceti, vel syrupi acetosi non improbatur; quia in maxima adustione opus est medicamẽto frigido, quod cum etiam attenuet crassitiem humoris admistum aliis humidis cõcedi potest, sed aliqua est differentia in alterantibus, & consequenter purgantibus per lotium, & per sudores, vbi enim melancholia non sit exusta & si iecur calidum fuerit, non sunt necessaria impensè frigida, in exusta verò frigidissima quoque conueniunt, dummodo sint humida, ideò intrinsecus nil præstantius sero lactis, si constitutio temporis non impediat, serum caprinum accipe bubulum destillatum, alteratum variis herbis frigidis, non tamen cordialibus prætermissis, aquæ naturales frigidæ omnes conueniunt, & sanè miratus sum doctissimos viros in proximis consultationibus, quas pro melancholicis habuimus

Aquę frigidę thermales ex sñia auctoris in melanch. ex adust.

mus semper aquam virginis improbasse tamquã exsiccantem, longe superat humiditas actualis modicam illã facultatem exsiccantem, quam ex ferro contrahit hæc aqua, præterquam quod illa ferrea facultas obstructiones iuuat, & mista humiditati crassos humores attenuat, vt propterea Rases, & Auic. pro confirmandis visceribus aquas istas ferratas laudent, & si naturales non adsint, illas substituunt, inquibus chalybs ignitus ex stinguitur; neq; valet, quod dicunt Gal. nõ proposuisse has aquas, multa alia non proposuit Gal. quę à posterioribus sunt inuenta, neque vnquam inuenies illum prohibuisse aquas similes aluminosas, & sulphuratas melancholicis, concedit quidem esse infensas frigidas, istas nequaquã itaque suadeo vsum harum aquarum, sicuti & balneum aquæ dulcis, vel simplex, vel alteratum malua, uiolis, nenuphare, folijs salicis, uitis, sitque tepidum, in his, qui melancholia laborant adusta, in reliquis etiamsi calidiusculum fuerit, & moderatè digerens prodesse poterit, sed cum hæc non conferant, tandem in his casibus ad album helleborum est confugiendum. In Melancholia per solam essentiam in capite, improbauimus quidem hellebrum album pro uomitorio, nam difficillimum puro, & periculosum attrahere materiam ex capite, ut purgetur per os uentriculi, alia est ratio purgationis per aluum, nam attractoria medicamenta multo facilius ducunt humorem quamquam longinquum ad intestina, quam ad os uentriculi, & quod maius est, pars illa ignobilis à transitu humorum nullam sentit noxam, helleborus ergo si exhibeatur deiectorius in melancholicis deploratis conceditur eo modo, & tempore, ut supra.

Cap. XXI. Curatio Melancholiæ hypochondriacæ.

SVmma profectò est in administrandis pharmaceuticis auxilijs pro hypochondriacis difficultas, totaque oritur ob pugnantes indicationes, quæ à uarijs locis patientibus, affectionibus, & causis desumuntur; ego breuiter docebo modum hypochondriacos sanandi adhibita partiũ, affectionum, & causarum distinctione, & vt facilè me expediam ab illis, qui minus propriè hypochondriaci vocantur, melancholici aũt sunt propter semen retentum, aut menses vt mulieres, breuissimus in his est curæ modus, vt priores nubant, mulieribus verò menses prouocentur, veri aũt hypochondriaci cum ex tribus præcipuis locis tales fiant iecore, ventriculo, & mesenterio, ac liene, triplex etiam, & ea quidem diuersissima debet esse curandi ratio: in prioribus enim qui ex iecoris caliditate humores exurentes in hanc incidunt passionem, præcipuus dẽt esse scopus, humoris euacuatio, intemperaturæ verò calidæ, & siccæ refrigeratio, & humectatio: obiiciet quispiam summum ventriculi languorem, vomitiones, cruditates, inflationes, sciant omnia hæc fieri potius ex obiecto, seu errore ex-

Curõ melancholiæ hypochõdriacæ ex iecoris caliditate,

A terno, fluxione s. bilis flauæ, & atræ ad ventriculum, quam ex propria ventriculi intemperie, vt propterea sublata fluxione, & fluxionis causa hæc hypochondriaca quamprimum curetur. De hac Diocles apud Gal. 3. de loc. aff. 7. quando illam ex inflatione pylori oriri existimauit; euacuabitur ergo materia in hoc casu, aut cassia, quæ etsi flatuosa sit corrigi põt, vel drach. j. specierum hieræ, vel seminum citri, aut syrup. rosat. sol. aut sero cum infusione senæ, epithimi, & polypodii, cui ad corrigendum flatum imponi põt ante semen citri, aut recens fœniculus, aut coma absinthii, vtebatur enim Gal. absinthio 1. ad Glauc. in tertiana etiam exquisita, hoc ipso sero possumus etiam tanquam alterante, vel simplici, vel
B cum infusione seminum frigidorum. Põt verò alternatim præberi modo diureticum, modo deiectorium addita sena epithymo, & polypodio, aut syr. rosl. sol. interim refrigerandum iecur, & totum corpus, balneo aquæ dulcis, epithematibus ex succis endiuiæ, sonchi, & cichorei addito aceto, & speciebus trium santalorum, quia verò in magno iecoris æstu ventriculus, quandoque exsiccatur, sicque laborat frigida, & calida intemperie simul, defectu similiter calidi innati, & præsentia calidi extranei: in eo casu prospiciendum est ventriculo extrinsecus stillicidiis ex oleo lana succida imbuto nardino, & mastichino, aut rasura purpurę eodem oleo imbutæ, intrinsecus conuenit lactis vsus, vel humani, vel caprini, cum
C modico saccharo, & si flatus vrgeant, ante lac accipiant, aut gingiber viride conditum, aut conseruam ex toto citro, vel conseruam ex floribus, aut acido citri, sed admisto in unc. j. conseruæ gran. j. musci, aut ambrę. Sed si melancholia ex uentriculo, & mesenterio oriatur, tota curatio per fieriur euacuantibus pituitam, attenuantibus, incidentibus, & detergentibus flatum discutientibus, calorificis, & siccantibus. Idcirco non sunt audiendi quidam, qui cum primum habent melancholicum curandum, statim fugiunt omnia siccantia, dicuntque neminem Medicinæ scriptorem pro melancholicis exsiccantia proposuisse. Hæc dicta sunt de melancholicis ex melancholia naturali, vel deusta, non deh ypochon-
D driacis ex cruditate ventriculi meseraicas obstruente, quos & antiquiores Græci, & Latini, & Arabes tractant medicamentis, de quibus nunc dicam.

Curatio melãcholię hypochondriæ ex uẽtriculo & mesenterio affecto.

Primum quidem pro lenitione alui conueniunt diach. iij. uel iiij. specierum hieræ, cum unc. i. elect. lenitiui, aut in potione mellis rosl. sol. ad unc. iij. cum syr. de polipodio unc. ij. addita decoctione cordiali cum drach. i. seminum citri. Præparetur pituita syropis sine diluto per tres, aut quattuor dies, ut

℞. Oximelis comp.
Syr. de beton. } *an. unc. s.*
de menta

Deinde f. purgatio, aut hoc bolo.

℞. Specierum hieræ simpl. drach. ij.

Diaphi-

Diaphinici drac. iij.
Electuarij lenitiui drach. vj.
M. F. B.

Iterum præparetur humor hoc syrupo.

℞. *Oxlimelys squillitici* }
Syr. de beton. comp. } *an. vnc. s.*
de menta }
Decoctionis mentæ }
betæ }
agrimoniæ }
pulgeij } *vnc. iij. m. pro syr.*
centaureæ }
radicis apij }
petroselini }

Repetenda est purgatio per hieras magnas, aut Rufi, aut Archiginis, aut Pachij, vel lusti, dantur verò drach. ij. tunc verò adhuc fortius incumbendum in deobstruentibus, roborantibusque ventriculum, locum habent in hoc casu aquæ thermales, primum Tetutiana perduos, vel tres dies, deinde aliæ sulphureæ, salsæ, & nitrosæ, quales sunt apud nos Aponenses, & S. Petri, ex magno balneo indefectu aquarum ius pulli, aut columbi sic paretur.

℞. *Radicum apij* }
fœniculi } *an. p. j.*
petroselini }
asparagorum }
pulegij }
centaureæ }
sisymbrij }
calamenthi }
agrimoniæ } *an. m. j.*
mentæ }
seminum cimini }
anisorum }
feniculi }

Si adsit magna frigiditas, addo
cinnamomi }
gariophillorum } *an. drach. ij:*
nucis moschatæ }
gingiberis }

Bulliant in ventre galli antiqui flagellati, & exenterati ad perfectam carnis coctionem, & facta forti expressione, ponatur ius in vase vitriato, douec subsideat, & ex parte puriori dentur singulo mane vnc. vj. quattuor horis ante cibum, ex crassiore autem parte parentur clysteres.

℞. *Prædicti decocti crassioris lib. j.*
Hieræ pro clystere an. vnc. s.
Benedictæ an. vnc. s.
Mel. rosati an. vnc. iiij.
Olei camomelini an. vn. iiij.

Fiant autem hi clysteres in magno humorum

A prouentu singulis diebus, vbi minor est humorum copia, alternis. Interim extrinsecus fouenda hypochondria spongijs imbutis in decocto proportionato, cuius nuper meminimus; Conueniunt quoque stillicidia, ex aquis thermalibus linimenta, olea, emplastra, & dropaces, sinapismi vsque ad rubificantia, & vesicantia, neque hæc est mea doctrina, sed desumitur tota ex Gal. ex sententia Rufi, & Possidonij ex Aetio, Paulo, Auicenna, Rase, & alijs. Quod si ex liene ortum ducat hic affectus, quia similiter transmittat ad ventriculum humoris melancholici copiam, quę coctiones perturbet, & melancholicas imaginationes excitet, in his est posita potius curatio quę induratum lienem emolliunt, & apetire possunt, quàm alijs vel melancholiam, vel imbecil-

Curatio melācholiæ hypochondriacæ ex liene affectio.

B litatem ventriculi respicientibus; & hæc quoque est Rasis, Auic. & aliorum Arabum doctrina, lenienda ergo aluus, aut elect. lenit. aut syr. de polyp. præparandi humores oxymel. vel comp. vel simpl. & scillitico. neque obiicias nos superà ex Hipp. & Gal. acetum in melancholia improbasse, quod melancholia sit naturalis, qoia frigida, & sicca, quale est acetum non officit hæc instantia nam acetum, & consequenter oxymel in melancholia ex naturali melancholia, aut adhibetur pro obstructione, & scirrho, aut pro ipso humore, in aliis amplis locis contento. Si melancholia naturalis in venis amplis contineatur, acetū est noxium, illa enim magis refrigerat, & sicca, si

C in venis angustis contineatur, vt obstructionem, & scirrhum faciat, iuuat, nam dum humorem hunc magis exsiccat, consequenter facit, vt minorem locum obtineat, namque exsiccantur constringuntur, dum angustiorem locum sibi comparat vas illud, in quo continetur, redditur latius, nam quo magis astringitur humor, eo locus, in quo continebatur, amplior redditur, & sic facilius obstructio, & tumor superatur. Itaque contrarium est acetum primis, qualitatibus melancholiæ, sed iuuat ad scirrhum, & obstructionem propter dictam causam, immò ob eandem causam puto & chalybem, & calybeatam aquam, & ferratam induratos humores sanare, non vtendum tamen solis exsiccantibus, sed attenuantia

D miscenda, vt syr. de cortibus citri, de quinq; radicibus, neque his solis fidendum, sed euacuatio frequens per epicrasim facta est subiungenda, ne ventriculus à multis excretionibus validis patiatur: idcirco necessarium est hunc humorem purgare iure galli antiqui pręparati vt supra, sed cum additione fol. senæ, epithymi, & polypodii, de reliquis induratum lienem respicientibus alias, & hęc sufficiant de Melancholia.

FINIS.

TABVLA CAPITVM;


Quæ continentur in hoc Tractatu.

F I N I S.

HERCVLIS SAXONIÆ
Professoris Medici Patauini Primarij
DE LVE VENEREA.



De Essentia Luis Venereæ absolutè accepta. Cap. I.



Affectionis iam annos centum vniuersum ferè orbem obsidentis, quam plurimi Gallicam, nonnulli Italicā, vel Neapolitanam, alii Hispanicam, vel Indicam, quidam, Pudendagricam, alij aliter vocant, naturam, causas, signa, & curationem traditurus, ab ipsa rei essentia exordium sumens illam sub triplici capite comprehendam; quorum primum huius affectus absolutè considerati definitionem continebit; secundum verò naturam illius explicabit relatione habità ad causas, ex quibus producitur; in tertio demum, & vltimo erit sermo de eiusdem quidditate in relatione ad effectus, quos infert. Principio igitur Venerea Lues absolutè accepta, causa est occulta, malefica, atque calida. Est causa, non morbus, aut symptoma, quia extra humanum corpus in linteis, vel alijs id genus indumentis, in sudore præterea, semine, ac sanguine iam à corpore secretis potest subsistere. In humano autem corpore partes etiam non viuentes, morbisque non subiectas, humores, inquam, & spiritus inficit, & obsidet: Idcircò vel morbos præcedit, ac generat, vel si quos iam reperiat, auget, ac deteriores reddit. Quæ omnia iure optimo vnusquisque non morbo, aut symptomati, sed causis adaptauerit. Est verò occulta eò quod inexplicabilis sit illius natura, idcircò non contrariis curatur sed alexipharmacis tantum, & experientia, ac lōgo vsu, non methodo, aut indicatione inuentis. Cæterùm quando occultarum qualitatum aliæ amicæ, & beneficæ, aliæ verò inimicæ, & maleficæ constituuntur; hæc sanè inter deleterias est reponenda, vtpote quæ in corpus humanum agēs, momento ferè temporis illud malo quodammodo commutat, ac tandem in manifestissimam ágit perniciem: Id autem faciliùs præstat, quo calidius sit illius temperamentum, vt propter eà & corrumpere, & putrefacere, omnesq; affectus calidos producere possit, quos doctissimus Gal. venenis calidis tribuit, inflammationes, inquam, Erysipelata, caries, vlcera, pustulas, pruritus, scabies, impetigines, atquè alia id genus plurima, quæ tametsi longo temporis tractu recedant, frigideque affectiones demum consequantur, alias hæ habent causas, de quibus infrà dicemus. De absoluta essentia hæc satis: transeo ad secúdum caput.

De Essentia Luis Venereæ in relatione ad causas efficientes. Cap II.

Venerea Lues duo obtinet causarum genera, effectiuum vnum, materiale alterum. Et effectiuum quidem duplex est, remotum .s. ac proximum. Remotum aūt minimè fuit influxus syderum, aut Saturni, Martis, & Veneris coniunctio, sed Indicarum congressus mulierum, quæ ex Indis primum in Hispaniam, mox Neapolim nauigarunt, & Caroli VIII. Gallorum Regis exercitum infecerunt. Proximum multiplex est, semen, sanguis menstruus, lac, lactatio, vsus Veneris, simplex vuluæ fricatio, profusum osculum ex muliere circà oris partes laborante susceptum, dormitio in stragulis, vel linteaminibus venefico hoc sudore infectis. De dormitione cū infecto absque vllo contactu dubium est; Vtrum contagiosa esse possit, tametsi linteamina munda fuerint sicuti quoque ambigunt nonnulli de poculis, & mensæ accubitu, vt voluit Rondelet. Quinimò obstetrices quoque dum præbent parentibus auxiliares manus, contagio infici posse existimauit Fernel. quę omnia nos tanquàm minimè probabilia omninò reijcimus, qui neminē vnquām manibus Luem hanc contrectantem (inter quos sunt præcipuè Chirurgi) hanc ob causam infectum cognouimus. Neque verò pocula, vel mensæ accubitus Luem hanc compotantib. vel sedentibus conferre posse, quispiam iure affirmauerit, quando nulla ferre dies est, in qua Venerea Lue infecti ad eorum non sedant mensas, qui inculpatam hanc in parte habent valetudinē neque tamen aliquid ex hoc mali patiuntur. De dormitione illud quidem probabile mihi videtur, contagiosam esse posse, quando infectus patiens scabie, alio ve simili affectu cutaneo laboret, vel ab eo copiosus sudor erumpat.

De subiecto Luis Veneræ. Cap. III.

IN declarando Luis Venereæ subiecto maxima inter scriptores varietas reperitur, ego tamen paucis rem expediam. Luis subiectum tripliciter considerari potest, vel in causa, quæ in aliud agit, vel in eo, quod recipit, vel denique in eo, quod dispositum est ad suscipiendam Luem. Primum subiectum est excrementum putridum, & præter naturam. Per excrementum, præcipuè tenue intelligo, & vaporosum, quod propterea facilè communicatur in poros corporis, ac meatus omnes momento ferè temporis ingreditur, subinde tamen potest esse crassum. Diximus esse putridum, nam cum Lues calorificam habeat qualitatem, consequenter putrefacit: ideo hoc excrementum propriam amittit formam si non ex toto, saltem ex aliqua parte, & quia putridum est, & quia veneficum. Non tamen ideò, sequitur Luem morbum formæ esse vocandam, quod voluit Fernel. Morbus enim est affectus partis viuentis, Luis autem subiectum non semper est pars viuens. Hactenus de subiecto Luis, vt agit. Subiectum autem receptiuum Luis triplici modo consideratur, aliud est in principio, aliud in medio affectionis, aliud denique in affectu confirmato, & antiquato. In principio, primò, & omnium maximè afficitur vaporosa substantia, fumosum excrementum; spiritus naturalis, si quis datur, sin minus, massæ sanguineæ vapor. Huic succedit ex contentis ichor, vel humor, qui pro naturali temperamento in eo corpore abundauerit, magis tamen, & prius inficitur excrementitius quam alimentalis, & inter excrementitios primum inutilis, deinde vero vtilis, vt id eo verè dixerit hic, Matthiolus dari luem veneream sanguineam, biliosam, pituitosam, & melancholicam. De continentibus partibus magna est lis. Quidam volunt primò affici pudenda, alij cutem, alij caput, magna pars, vt est Nicol. Massa; Montan. Brasaul. Fallop. Tomitan. putat primam sedem esse iecur. Decipiuntur tamen. Licet enim naturalis facultas, & consequenter illius instrumenta primò, & per se affici videantur, non tamen semper ex iecoris affectione coafficiuntur, sed potest esse Lues in pudendis, in cute, in faucibus, in ore nulla adhuc existente læsione in hepate. Itaque non semper est iecur, sed aliqua dumtaxat ex partibus naturalibus, quæcumque tandem ea sit. In Lue autem iam vlterius progressa subiectum est humor vsque adeò à priore statu, & temperamento mutatus, vt non sit amplius distinguenda secundum quattuor humores sicuti incipiens, sed pro certo asserendũ Luis progressæ, subiectum esse humores exustos: habet enim venenum hoc vim calidam, & exurentem, vt propterea si moretur in corpore humores etiam temperatos ad putredinem consequenter caliditatem, & exustionem inducit. Ex continentibus aũt partibus laborat iecur ipsum, & ventriculus vt membra principalia, præter cætera, quæ pustulas, vlcera, aut tumores contineant, hincque fit, vt & chylificatio, & sanguificatio vniuersa partim imminuatur, partimque deprauetur. In antiquata autem Lue subiectum proprium ex contentis sunt humores pituitosi tantum, & melancholici. Sicut enim hoc venenum, dum altiùs ponit radices putrefacit, & exurit; ita etiam temporis progressu innatum calorem exsoluit, & dissipat, naturalium facultatum substantiam adimit, vt ideò loco probi sanguinis pituitosus, & melancholicus succus generetur. Hinc factum est, vt antiquo hoc affectu vexati, decolores, subtumidi, vel cachectici, vel tabidi, vel exsangues fiant. Inter continentes autem partes maximè laborant seminales, ossa, neruі, venæ, & arteriæ, membranosa corpora.
B Hinc etiam fit, vt non tantum partes naturalibus facultatibus destinatæ, sed etiam vitalibus, & animalibus, iam eo affectæ omnium symptomatum genera prodeant. Hoc est subiectum secundum tempora distinctum, quod Luem recepit: ex quo vnum colligitur, non omnem Luem esse contagiosam, & plerumque minus cõtagiosam esse vetustam, & confirmatam, quam recentem, & mediam. Lues Venerea, quæ ex tophis tantum seipsam promat, non est contagiosa. Contagium in excremento mobili, & calido est repositum: In tophis tale excrementum non
C continetur, etsi contineretur, ad genitalia non trãsmittitur. Idipsum dico de vlceribus capitis, quę non facilè per vsum Veneris alteri communicãtur. Adest hac in re experimentum. Patiens quidam, qui vigesies ferè ligno Indico accepto, & ter intinctus hydrargyro numquam potuit sanari, etiamsi cum virginibus consuetudinem haberet, eas tamen numquam infecit. Est etiam alius qui vlcere venereo in capite laborat, & topho in crure, cum crustis per totum corpus, & tamẽ vxorem non infecit. Hoc etiam scribit Antonius Musa quendam scilicet qui habebat vxorem laborantem Lue venerea circà mammas, numquam Luem contraxisse. Et ratio est. Quando
D enim à parte affecta nihil tale exspirat, quod possit communicari: affectus non euadit contagiosus. Ideò dixi vetustum affectum esse minus contagiosũ quam recentẽ, aut medium. Causam intelligetis facilè, si quartùm caput absoluero, quod est de dispositis ad suscipiendam Luem.

De dispositis ad Luem. Cap. IV.

SVscipiunt Luem promptè Veneream, qui sunt calidioris temperamenti, habitus rari, carnis mollioris, iuniores citius, quam seniores, qui minimè sunt infecti, aut minus sunt infecti, quàm is, à quo Lues communicatur. Nam neque æqualis ab æquali, neque magis infectus à minus infecto patitur. Sexus muliebris promptius etiam affectum suscipit. Ex his verò, qui plus amant, aut profusè osculantur,

aut linguis ludunt, aut difficiliùs semen emittũt, A promptius morbum contrahunt. Caueant autem illi potissimum, qui habent glandem præputio obtectam. Isti enim vt ego, & ante me Fallopius obseruauit, facillimè omnium Luem recipiunt, non quod glans sit mollior, vt voluit Fallop. sed quòd sub præputio venenatam retineant substantiam, quæ posteà maximas inflammationes, & vlcera excitat. Itaque cum res sic se habeat, illi etiam minùs communicant Luem Veneream, qui sunt frigidiores, minùs amantes, ad venerem minùs procliues, vt sunt, quia antiquo laborant morbo, vt ideò aliqui facti sint impotentes, alij verò maxima cum difficultate venerem exerceant.

B

De Lue considerata in relatione ad effectus. Cap. V.

LVes Venerea in relatione ad suos effectus cõsiderata est principium causarum præter naturam, morbum omnium, ac symptomatum. Est principium causarum præter naturam, quia tanquam causa venefica aliam gignit in humano corpore causam veneficam: simile enim generat suum, simile. Est principium omnium morborum, & primò in intemperie, ac ea quidem tã communi, quàm propria, communi calida, & frigida; calida quidem in febribus. Venereis vocatis, quæ (vt Ephemeras prætermittam) & putridæ, & Hecticæ esse possunt, licet doctissimus Capiuacceus Luem hanc solidam cordis substantiam obsidere minimè concedat. Nos tamen & ratione, & experientia docti, Hecticam Veneream dari posse profitemur. Duos patientes hac febre infectos curaui, quorum vnus fuit Petrus Basalù Venetus adhuc in viuis, & sanus. Altera verò fuit Nicoletta meretrix Venetijs notissima, quæ cum iam annos quattuor continuos Hectica Venerea laborasset, ac per id tempus semper decubuisset, ligni Indici decocto sanitati est restituta, ita vt hoc etiam tempore iterum artem meretriciam profiteatur. Ratio etiam id persuadet: Nam si datur febris Hectica pestilens, potest dari, & Venerea pestilens. Si quis obijciat pestilẽtem Hecticam ex Gal. 3. de præsag. 3. esse insanabilem, & iō hanc quoque veneream sanari nõ posse, dico id verum esse, si vtrumque venenum carnosam, vel seminalem cordis substantiam occuparit; sed si Lues sit tantùm in rorida humiditate, poterit tandem, vt experientia docuit, expugnari. Itaque est principium & Hecticarum, & putridarum. Duo sunt exempla similiter eorum, qui putrida Venerea laborantes solo decocto sunt sanati: Vnus est, qui laborabat febre cum vlceribus Veneris in capite, numquam sanatus nisi post lignum Indicum. Alter est Antonius Baccalaureus Barbitonsor. Venetus, qui cũ pluries in anno febre laboraret, nunquã nisi epoto ligni Indici decocto, sanatur. Est principium intemperaturæ frigidæ totius corporis: Nam progressu temporis Lues partium principalium calorem innatum refrigerat, vt tandem cachectici, & hydropici euadant. Est principium intemperaturæ calidę determinatæ: Sic enim datur Lues Venerea cum intemperie iecoris calida, & ea quidem inexpugnabili, vt ego experientia propria in quodam nobili Veneto sum expertus; expertique ante me, & post me sunt tres pręcipuè Medici Patauini: Mercurialis, Capiuacceus, & Aquapẽdens, & plurimi Veneti, inter quos est Massaria, qui tunc Medicinam Venetijs exercebat. Est principium intemperaturæ frigidæ determinatę, cerebri præcipuè, & ventriculi, vt ob eam caussam fiant destillationes Venereæ, stupor, & torpor, paralysis, epilepsia, læsa memoria, vt omittam ventriculi infirmitates, quæ omnibus ferè Venerea Lue infectis videntur esse communes. Est principium morborum in mala compositione, tumorum omnium, bubonum, phymatum, carbunculorum, acrochordonum, myrmeciorũ, thymorum. Hæc frequenter fiunt circa obscœnas partes, vt alias omittam pustulas, quæ in vniuersam erumpunt cutem, tumoresque glandularum, quæ sunt circà collum. Est principium in magnitudine imminuta, quia vel totum corpus, vel determinatæ partes mirum in modũ gracilescunt: Est principium morborum in numero deficiente: Sic enim decidunt dentes, oculi, vngues. Vitiatur figura. Nam imminuuntur aures, consumitur extremitas nasi, eroduntur labra, quibusdam infelicioribus pudendnm vlcere absumitur. Est principium obstructionum, luxationum. Et si mentio fiat morborum in soluta vnitate, vix dici potest, qualia, & quanta sint vlcera superficialia, & profunda, callosa, cancerosa, fistulosa, cheironia, & telephia vocata, phagedænica, omnia denique dysepulotica. Est quoque principium omnium symptomatum, non tantũ quod est principium morborum, ex quibus fiunt symptomata, sed quia etiam absque morbo producit symptomata. Scio multos Medicos hanc doctrinam libenter non admittere: Certus tamen sum Gal. 3. de symp. cau. c. 1. & primo de loc. aff. c. 7. voluisse non tantum lædi actiones ex morbo, quantum etiam ex obiecto. Itaque Lues Venerea, vt causa venefica, quæ excrementũ, & alimentum coinquinat, poterit aliquando symptomata etiam sine morbo efficere, vt patet ex capillorum defluuio. Quidam enim sunt in quibus tota Lues in fuliginoso excremento reposita solum defluuium capillorum efficit, nullo apparente alterius morbi vestigio. Ex his iam satis constare puto. Luem Veneream hoc tempore multò sæuiorem esse, quam ab initio. Tria tantum obseruarunt priores Medici, qui de hac Lue scripserunt; Aquilanus Leonicenus, Natalis Monthesauros, &c. affectus. s. cutaneos sub forma impetiginis, & pustularum, dolores, & tumores contingere. Paucis post annis alia quinque his tribus connexa sunt, defluuium capillorum, vnguium, dentium,

C

D

oculorum, & gonorrhæa, ex quorum omnium explicatione Brasauola potius acuratè, quàm vtiliter, ducentas triginta quattuor Luis Venereæ differentias collegit. Hoc tpe est omnium malorum principium, vt ideò potius innumeræ, quàm numerabiles sint differentiæ. Sed iam receptui canamus. Lues Venerea est causa occulta, malefica, calida, humano corpori infensa per contactum agens, ex multiplici contactu producta primò, & immediatè in tenui, & vaporoso excremento reposita, subinde in ichoribus, deinde in humoribus excrementitiis præter naturam, tamen in excrementitiis naturalibus, postea vtilibus, mox in alimentalibus, denique in partibus solidis, quæ, vt dixi, est principium causarum præter naturam, morborum omnium, & symptomatum. Hæc est integra Luis Venereæ, definitio omnes partes continens; satis, superque descripta.

De differentijs Luis. Cap. VI.

EX dictis, differentiæ Luis Venereæ non difficili negotio colliguntur. Capiuntur autem à genere, subiecto, causis, tempore, magnitudine, motu, & more. A genere, & subiecto tot sunt differentiæ, quot sunt morborum, ac symptomatum species, quot ve in humano corpore similares, & dissimilares, partes. A causis tot sumuntur, quot sunt contactus modi. A tempore alia est incipiens, quædam in augmento, alia in statu, quę omnium inueteratissima. A magnitudine, quędam est magis intensa, & ratione essentiæ, & ratione symptomatum, quædam vero minus. A motu, alia velociter; quædam verò tardè mouetur. Denique à more, licet omnis sit mali moris, vna tamen est altera deterior. Harum omninum differentiarum signa sunt proponenda, in quibus tractandis summa est opus diligentia, ne error contingat, & affectum benignum pro maligno, vel malignum pro benigno sumamus.

De Signis. Cap. VII.

VErsabimur itaque primo circa signa, quæ ideam huius affectus demonstrãt: Secundò agemus de attinentibus ad magnitudinem; Tum de demonstrantibus motum; mox de declarantibus morem. Et quia Lues Venerea aliquando symptomata habet conspicua, aliquando ita latet in corpore, vt non facilè deprehendi possit, versabimur primò in examinandis signis Luis conspicuæ, postea verò latentis. Conspicuum verò diuidimus in tres partes, seu tempora, in principium, augmentum, & statum.

De signis Luis incipientis. Cap. VIII.

SIgna principij, aut sunt ex congressu Veneris, aut aliter. Si primo modo, solent esse tria pręcipuè, Gonorrhæa, Caries pudendi, & Bubo, licet

A non sit abs re etiam Capillorum de fluuium inter hæc recensere.

Cognoscetis aũt hæc Luem hére connexam? primò si contigerint vel statim, vel paulò post vsũ Veneris; præterea si patiens lassitudinem, ignauiam, torporem, & melancholiam insuetam sentiat, si caput graue, & dolens fiat. Quibusdam febricula etiam superuenit. Hęc omnia his symptomatis, & morbis connexa ostendunt ea esse Venerea. Ceterùm vnumquodque propriis notis à benigno est distinguendum.

Gonorrhæa igitur Venerea distinguetur sic à non Venerea, si fiat cum maximo ardore, quandoque cum priapismo, cum aliqua sanguinis eruptione, cum dolore, & inflammatione testiculi, & B vasorum varici formium. Si materia, quæ excernitur sit flaua, vel viridis, & erosionem faciat in glande, si præterea illi succedat, qui neque inordinato, neque frequenti coitu vsus fuerit; denique si mitioribus & refrigerantibus remediis nõ cedat.

Caries pudendi quoque fit aliquando ex nimia vuluæ caliditate: Multos inuenietis, qui cum ad vos accesserint, hac exulceratione laborantes, dicent id contigisse ex angustia locellorum, quod esset virgo, & tamen erit Caries Venerea, quę cũ sit triplex, vnaquęque propriis notis cognoscitur. Prima cæteris benignior æmulatur in magnitu- C dine, & eminentia grana milii, & est colore albo, est multiplex ita vt aliquando totam coronam circumdet. Disrumpitur vesicula in medio, & relinquitur punctum album, quod aliquando est duplex, triplex, & multiplex. Secunda differentia est vlcusculi profundioris cum labris duris. Tertia est vlceris, & profundi, & sordidi, aliquando liuidi, vel punicei, dolorosi cum inflammatione, & glandis, & pręputij.

Quoad bubonem. Bubo Venereus cognoscitur si fiat absque fonticulo in crure, absque vlcere, si sequatur Gonorrhæam. si statim inuadat post suspectum coitum, vel paulò post. Et quia hic quoque est duplex, alter quidem fit ex materia contenta in glandulis inguinum, alter verò ex materia contenta in spacijs, in membranis, inter glandulam. Primi parui valdè sunt, sine calore, colo- D re, vel dolore, & vix suppurantur, immò ne vix quidem, alii in magnam molem excrescunt, & cito suppurantur. Quod si Lues absque venereo contrahatur congressu, nempe osculo, lactatione, dormitione, linteaminibus, & id genus aliis, incipiens cognoscitur, quia circa os ulcera, circa mammas inflammationes, rimęque exoriuntur; circa cutem vero pustulæ variæ erumpũt nullo, aut præexistente, aut pręsente humoris falsi, aut acrioris argumento, sed quando hęc quoque in augescente malo manifestari solent; idcirco de eorum omnium distinctione à benignis statim dicendum.

De

De signis Luis augescentis. *Cap. IX.*

SIgna Luis progredientis, & augescentis multa sunt; defluuium capillorum, pustulæ variæ, scabies, imperigo, fissuræ manuum, & pedum, dolores, tumores glandularum in collo, thymi, seu verrucæ, acrochordones in pudendis, callosa, vlcera, Gonorrhæaque iam consumatæ, & perseuerantes; Quę omnia ueneficia esse cognoscuntur ex contumacia, deindę ex magnitudine, tertiò ex modo exordij, de quo iam dictum est, præter quam quòd singula ferè singulas habent notas. Nam vt defluuium capillorum prætermittam, quod cognoscitur esse veneficum, si fiat in corpore & capite alioquin sano, in cute munda, si confestim fiat, si præter capillos, & barba, & cilia, & supercilia cadant, si præcesserjt gonorrhæa, caries, bubo, quæ vel confestim, vel paulò post exortum euanuerint. Pustulæ venereæ duorum sunt generum, quædam, crustosæ, aliæ sine crustis; & crustosæ omnium maximè hunc affectum declarant. Habent enim talem eminentiam, vt aliquando in fronte, & capitæ arietis cornua æmulentur, sub quibus aliquando latet sanies, aliquando verò nihil prorsus continetur. Quædam autem pustulæ crustosæ albicant in extremitate, in circumferentia mixtum habent colorem vix explicabilem ex rubro, & albo mixtum: Erumpunt quidem in facie, in capite, in barba, in toto corpore, magna tamen ex parte circa pubem, & coxas apparent. Scribit Fallop. hoc experimento distingui Venenatas à non Venenatis, si (ait) Venenatæ ita confricentur, vt tollatur pellicula, post triduum immutatæ apparent; benigniores verò sic confricatæ augentur attracto scilicet sanguine, & eo quidem magis alimentali, quam in infectis. Rimę manuum, & pedum Virginibus plerumque contingunt, vt experientia comprobaui. Distinguentur itaque benignæ, à malignis hoc experimento. Quę maligniores fuerint ex assumpto allo, vel cœpis post triduum duplicantur, benigniores vero eodem sunt statu, præterquam quòd habenda semper est ratio personæ, & pręteritorum. Quo ad dolores. Maligni dolores multis modis cognoscuntur, primo licet articulos infestare possint, quidquid dixerit Fernel. magna tamen ex parte obsident spacia inter articulum, & articulum, præcipuè verò afficiunt ossa furculæ pectoris, quinimò vniuersum Thoracem: Accedit, quod magna ex parte noctu tantum exacerbantur. Causam verò ob quam, & spacia obsideant, & noctu magis affligant, & præcipuè periostium tentent, non aliam esse puto, quam vitium iam in medulla ossis contractum. Vt enim docuit Gal. 11. de vsu part. medulla est ossis alimentum, impuro igitur existente alimento primo quidem periostium veluti pars ossis mollior infectionem suscipit, ex qua dolores fiunt potius noctu, quàm interdiu, quia membrana frigida superueniente nocte indurescit, & labem magis continet; progrediente autem morbo, etiam os corrumpitur, & vitiatur, vt etiam tophi, & caries succedant.

Impetigo, & scabies venerea non facilè distinguitur à communi, cognoscitur tamen, si ex contactu veneris exordium sumpserit, si remediis non cedat, si alia Luis symptomata habeat connexa, inter quę, vt dixi, sunt ceruicis glandulæ, quę ex eo maleficæ cognoscuntur, quod diuturnæ sint, & absque destillationis signis appareant. Quod pertinet ad Verrucas omnes, licet Gal. & antiquioribus cognitas, tamen cum in obscænis apparuerint partibus (obscænarum nomine omnes complector) magnam prębent Luis suscipionem. Neque enim thymi illi, cristæ vulgo vocatę, aut acrochordones facilè in illis locis absq; impura Venere excitantur, præcipuè verò tales erunt, si multum sanguinis emittent illiusque fœtidi, & corrupti, cuius ichor proximas partes attingens mordicat, & excoriat. Hęc sunt signa augescentis.

De Luis antiquæ signis. *Cap. X.*

SIgna autem Luis iam antiquatæ sunt calli relicti in pudendis post cariem, vlcera fistulosa, phagedinica, cancerosa, quæ magnam carnis partem depascantur; Tophi in varijs corporis partibus, ossis caries, quæ etiam si, & in tibijs, & brachiis appareat: ferè tamen semper craneum, os palati, & narium exercet; Vt ideò meretrix quędam, quam ego curabam, pro fœtore narium vlcere; dum semel in mensa, vbi cum amasio sederet, nares emungeret, nullo dolore, ossis ipsius nasi frustulum exsufflauerit. Fiunt quoque melancholię, membrorum tremores, lęse memorię, destillationes, exanthemata, procidentiæ columellæ insanabiles, tinnitus aurium inexpugnabiles, Pthisis, febres Hecticæ, tabes, Cachexiæ, Casus oculorum, dentium, aurium, & nasi erosiones, vno verbo totius corporis pallor, & imbecillitas. Hęc satis superque antiquatū iam morbum ostendunt, neque distinctiuis egent signis.

De signis Luis occultæ. *Cap. XI.*

SEd si tam apertè non seipsum promat, qua nam arte cognosci poterit occultatus hic morbus? latet aliquando mensibus, & annis. Curaui ego patientem, cui Tophi venerei in cruribus multi superuenerant annis vigintiquinque ab acceptâ Lue. Oportet itaque diligenter obseruare statum horum patientum, vt videamus, nunquid lateat anguis in herba. Primum autem videndum, nunquid pręcesserint symptomata, quæ tamen citò euanuerint, absque congrua curatione; Apparet bubo, & euanescit, apparet caries, aut gonorrhæa, & paulò post recedunt, videntur patientes aliam nullā noxam per id tempus sentire: consulunt tamen Medicum, rogant,

quid censendum sit in hoc casu; Interrogabitis A
patientem num ita promptus ad Venerem, vt ante, vel impotentior sit redditus, an in lassitudinem spontaneam,& præcipuè vlcerosam inciderit, an melancholiam citra causam, an somnos perturbatos: Si enim hæc contigerit, morbus latet, eò magis si sub oculis adsit circulus quidam liuidus, si facies sit insueto pallore infecta, & dolores quidam discurrentes, & vagi dumtaxat apparent, si pruritus virgæ, si ardor vrinæ,& per quædam interualla superficiales quædam erosiones in glande conspiciantur. His vel omnibus vel pluribus existentibus de tali ægro non benè sentiendum est. Sed veniamus ad signa subiecti B
Luem recipientis.

Signa Luis in hoc, vel illo subiecto. Cap. XII.

DE huius, vel illius humoris abundantis signis, nihil dicam, ex alijs locis comparabitis hanc doctrinam cognoscendi vniuscuiusque humoris complexionem; quia tamen sedes, vel in humore excrementitio,& inutili, vel in vtili, & alimentali: Si in priore licet multæ sint crustæ, pustulæ,& vlcera, patientes neque macie conficiuntur, neque imbecillitatem sentiunt. Affectis autem humoribus alimentalibus, vel vtilibus,& maciem,& lassitudinem sentiunt. Quoad solidas partes, si fuerint externæ, oculis conspiciuntur. Internæ ex iam dictis symptomatis di- C
stinguuntur: Cerebrum quidem ex tinnitu, melancholia, tremore, læsa memoria, vigilijs, cæcitate, vlceribus narium, & palati: Arteria ex raucedine vocis, aut aphonia: Pulmones ex asthmate, & phthisi: Musculi thoracis ex difficultate respirationis dolorosa cum maximo suffocationis periculo, vt ego semel in quodam patiente obseruaui: Cor ex febribus: Ventriculus ex læsa appetentia,& coctione: Iecur denique ab omnibus alijs affectibus, qui vel imminutam, vel deprauatam consequuntur significationem.

De signis causarum. Cap. XIII.

CAusæ autem facilè innotescunt. Nam si cõ- D
tracta sit Lues ex semine in vtero Matris præter suspicionem morbi in parentibus, accedit quod pueri oboriuntur emaciati, vlceribus pleni, quandoque cęci absque cilijs, vel supercilijs, qui minimè sunt vitales,& dum lac sugunt nutricem statim inficiunt. Quod si causa fuerit sãguis menstruus, oriuntur infantes sine capillis, cilijs, supercilijs, valdè pallidi quasi cachectici, vt expertus sum, quibusdam vlcera crustosa in capite multa aboriuntur, quæ etiam totam faciem tegant cum cæcitatis periculo. Quod si vitium contrahant ex nutrice, cognoscitur ex vlceribus linguæ, palati, & faucium, sicuti si nutrix accipiat ex puero, papilla primum inficitur. Cæteræ causę, quæ per contactum agunt, siue sit dormitio, osculum, vsus veneris, ex relatione cognosci poterunt.

De signis magnæ Luis. Cap. XIV.

MAgnus cognoscitur hic affectus, si aut vnicum habeat symptoma, sed magni momenti, magnam Gonorrhœam, magnos dolores: aut si plurima simul habuerit. Cognoscitur velocis motus, si statim a coitu symptomata appareant, si noua paulò pòst superueniant, si tempus, regio,& constitutio fuerit calida, ætas iuuenilis, temperamentum biliosum, vel sanguineum. Denique cognoscetis Luem mali moris, si vnumquodque symptoma in suo genere alia quoque pessima habeat connexa symptomata, v.g. si caries sit profunda, sordida, liuida, dolens, cum inflammatione, signum est Luis pessimi moris. Idẽ dico de Gonorrhæa,& alijs symptomatis.

De Prognosticis. Cap. XV.

PRognostica huius Luis breuiter comprehendi possunt. Lues recens faciliùs curatur, quàm antiqua. Inter Lues, bubo, defluuium capillorum, pustulæ, scabies, lichenes, acrochordones mitiorem ostendunt morbum: Gonorrhæa, dolores fixi, & alia enarrata grauiorem. Sanatur autem facilius in mulieribus quàm in viris: præcipuè verò in illis, quibus menses superueniant breui post acceptam Luem; Ex viris etiam illi minus mali incurrunt, quibus viæ excernendorum noxiorum per intestina, per hæmorrhoides,& vesicam,& sudores ipsos sunt apertę. Propterea rustici, nautę, pistores,& alij exercitati homines absque vllo auxilio, ob vitam exercitijs deditam solùm, vel ab Lue sanantur, vel saltem illius noxas minùs experiuntur.

De Præseruatione. Cap. XVI.

CVm vnicuique gratius fuerit à Lue Venerea præseruari, quàm citò, & integrè curari, ideò de pręseruatione ante curationem quædam præmittam. Preseruatio autem, vel respicit illos, qui luctam Veneream non sunt experti, vel eos qui post luctam aliquid mali iam suspicantur. Primi eo pestis remedio breui præseruari possent, longè, citò, nunquam: Qui tamen sic voluerint proprio aliquo periculo pugnam experiri, his saltem ingenijs se muniant. Primo quidem pudenda diligenter abluant vino austero, in quo ebulliant scobs ligni Indici, rosæ, myrtus, balaustia, acacia, hypocistis, & post lotionẽ super glandem linteola exsiccata detineant, qui anteà fuerint præparati decocto descripto à Gabriele Fallop. in proprio tractatu cap. 89. quæ descriptio etsi summoperè mihi probetur, fortè tamen infirmior erit hac ipsa, quàm nunc proponam.

Be.Gen-

℞. *Gentianæ*
Aristolochiæ rotundæ
longæ
Calaminthæ
Dictamni
Scordij Cretici
Tormentillæ
Angelicæ
Imperatoriæ, an. unc. j.
Scabiosæ
Fumariæ
Betonicæ
Absinthij. an. m. j.
Ligni Aloes drach. ij.
Santalorum omnium
Rasuræ eboris
Cornu cerui vsti, an. drach. j. s.
Acaciæ
Hypocistidos
Balaustiorum
Rosarum an. m. s.
Ligni Indici lib. j.
Vini maluatici lib. ij.
Aquæ scabiosæ
Fumariæ
Rosarum an lib. j.
Aquæ Plantaginis. lib. iij.
Præcipitati optimi. drach. ij.

Infundatur lignum in dictis aquis, & vino, bulliat ad consumptionem medietatis, in fine verò addantur cętera omnia, quæ vbi parum ebullierint, relinquantur infusa per horas 24. deinde iterum bulliant ad consumptionem tertiæ partis; facta forti expressione, habeantur linteola multa præparata ad magnitudinem glandis, vel vuluę, & infundantur in dicto decocto, exsiccentur in vmbra, deinde secundò, & tertiò infundantur. Ista linteola detinentur ante vsum Veneris, indurant membra, exsiccant superfluas humiditates, resistunt putredini, ita vt dixerit Fallop. se ex mille, quibus hoc prębuit antidotum, neminem *Lue* vexatum fuisse. Poterit itàquè vnusquisquè pro suo arbitratu linteola noua in femoralibus gerere. Neque ea sunt pętermittenda quæ post vsum veneris ad præseruationem faciunt, sunt autem lotio virgæ cum propria vrina. Efficacius remedium est lotio facta cum aqua calente. Efficacius adhuc esset lixiuium calidū; vinum quoque calens erit optimum, quo non extrema tantum glandis, sed totum membrum, & testes, nec semel tantùm sed pluries duorum saltem dierum spacio abluantur. Hac eadem ratione nutrices à suctu infantium venenato pręseruari poterunt. Sed si iam cuipiam aut ardor in vrina, vel excoriatio in pudendo statim post venerem appareant, fortioribus est agendum, extrahendum est virus, intercipiendæ sunt viæ, ne intrò feratur. Interioribus alexipharmacis agendum, quibus profligetur, & superetur. Ad extractionem faciunt decoctiones in vino ex dictamno, calamintha, scordio, gentiana,

A ligno Indico; faciunt suffumigia ex Cinabari, thure, myrrha, ligno Aloes, Croco; faciunt quoque exenterata animalia, vt pulli vel columbacei, vel gallinacei, Catuli pulmones calidi pudendis ipsis impositi; faciunt frictiones ex pannis asperis, leuis scarificatio, Corniculi appositio. Non est improbanda, si caries adhuc non appareat, lotio ex aqua vitę, linimentum ex Theriaca, vel Mithridatica confectione, vnguentum, seu mixtura ex caricis, nucibus, & succo rutæ; si quispiam voluerit quoque vesicatorium adhibere, erit fortius remedium cæteris ac magni vsus. Ad intercipiendam verò fluxionem ad interiora, imponatis vnguentum defensiuum latitudinis duorum digitorum per transuersum puden-

B di propè pubem, iniiciatis per syringam paucam aquam plantaginis in virgam, Sacharo tamen mixtam, qua sæpius abluantur. Quoad interiora alexipharmaca, in frigidioribus temperamentis non improbatur vsus Theriacæ, Mithridatįcę confectionis, diascordium, deniquè omnia alexipharmaca, quæ ad præseruationem pestis commendantur, huic quoque rei maximam opem ferunt: si tamen temperamentum fuerit calidius, ab his calidioribus abstinendum, & loco illorum vtamini bolo Armeno, terra Samia, Silesiaca, Cornu ceruino, margaritis preparatis, quibus subiungatis succum citri, vel limonum,

C aquam acetosæ, vel plantaginis. Siquis in promptu habuerit aquam meam cordialem, erit ętiam ex vsu. Sed si caries iam se ipsam promat, non statim arbitrandum hanc egere ligno Indico, potest caries in primo congressu in glande excitari, si statim appareat absque alia alterius partis noxa, ideo licet vniuerso corpori aliqua ex parte sit prospiciendum, Cariei tamen statim est occurrendum, ita vt interficiatur. Aqua illa fortissima, qua vtuntur aurifices ad segreganda metalla, qua vtuntur quidam Empirici mihi non probatur. Venerunt aliqui ad me post huius aquæ vsum, quorum glās in maximam excreuerat molem, & inflammatione, & magna, & difficili fuere tentati. Extrahitur enim ex

D alumine rocchæ, sale nitro, & vitriolo Romano; Hæc itaque dimittatur, neque admittendi illi sunt, qui in his casibus vtuntur frigidis, & reprimentibus aqua rosacea, plantaginis, vel simili, venenum enim intrò propellunt. Vsus præcipitati maximè conuenit, estque singulare remedium, si debito modo eo vtamini. Debitus modus est, vt in moderata carie, de qua nunc; accipiatis præcipitati drac. 1. vnguenti rosati, vel butyri recentis vnc. 1. misceantur, & vtamini hoc medicamento, non continuato, sed interponetis aliquando tempus alicuius lotionis calidæ, & emollientis, ne fortè ex præcipitato callus inducatur. Itaque post horas 24. tolletis medicamentum, abluatis membrum decocto maluæ, sem. lini, cum portione ligni Indici, & si opus fuerit, iterum superponatis præcipitatum. Quoad prouidentiam totius cor-

corporis, si fuerit plenum corpus, blandissimè A est expurgandum lenientibus tantùm medicamentis, ne fortè purgantia venenum, quod in extrema tantùm est parte, ducatur interiùs; ideò nisi caries inflammationem habeat connexam, consulo in his casibus abstineatis a sectione venæ. Quòd si inflammatio fuerit connexa, potius secabitis venam pedis, quàm brachij. Hæc sunt agenda, vt præseruentur patientes à Lue.

De Curatione Luis Venereæ. Cap. XVII.

LVis Venereæ curationem in tres partes di- B stinguam, quarum prima affectus recentis remedia continebit, secunda circà augescentem, tertia denique in antiquo affectu versabitur. Cùm autem prima differentia primis affectionibus innotescat bubone, carie pudendi, & honorrhæa, ideò in hac parte tractanda de his etiam tribus agemus. Quæritur itaque quid agendum circà illos ægros, qui nuperrimè in bubonem, pudendi cariem, aut gonorrhæam inciderint. Primò autem, quòd pertinet ad sanguinis missionem, licet magna Medicorum pars generalia præcepta satis esse arbitretur, pro hoc puncto dirimendo, res tamen ita non habet. Dicunt isti cum Galeno 4. de tuenda val. 4. in plenitudine vel exquisita, vel notha sanguinem semper esse mittendum, in cacochymia nequaquam. Ego verò sicuti illud libenter recipio, in C exquisita cacochymia sanguinem non esse mittendum; ita in plenitudine quacumque apparente bubone, carie, vel gonorrhæa in sectione venę cautè admodum incedendum esse existimo. Prudentiores, inter quos est Fallop arbitrantur in bubone augescente sanguinem non esse mittendum, sed tantùm in facto, qui per sanguinis euacuationem retrocedere non possit. Huiusmodi sententia licet videatur non improbanda, plenam tamen huius auxilij institutionem non docet. Ita enim quid agendum in Gonorrhæa, carie? Præterea bubo incipiens, & caries aliquando maximam habent inflammationem, maximosque dolores, vt non semper sit eodem modo procedendum. Itaque arbitror D hac in re illud idem esse agendam, quid præceperunt Paulus, & Auic. in curatione morsus animalium venenatorum, vt scilicet si morsus maximam inferat ab initio inflammationem & dolorem, statim sanguis mittatur: si non inferat, prætermittatur, & venenum potiùs attrahentibus, & euacuantibus expurgetur. Sed statim dicent: Si secetur vena in principio, intrò trahetur viruelntia, & afficientur partes principes: facilè occurrimus: nam si secetis venam infernam, nullum tale imminebit periculum, imitamini Gal. consilium, qui labnrantibus partibus infrà renes, inferiores venas secat; in bubone, carie, & gonorrhęa laborant partes infra renes; ergò inferiores venæ aperiendæ, sicque nullum imminet periculum infectionis massæ sanguineæ, aut iecoris. Quod si neque bubo maximum inferat dolorem, neque caries, vel gonorrhæa inflammationem, & dolorem, laudo, vt in bubone non mittatis sanguinem, nisi cùm iam apertus sit, in aliis duobus affectibus potest aperiri vena statim ab initio.

Quòd si vires non sustineant venę sectionem, adhibeantur hirudines, scarificatæ cucurbitulæ, infernis tamen partibus.

De lenientibus. Cap. XVIII.

DE lenientibus est eadem dubitatio, vtrum in propositis affectibus conueniant. videntur enim facultatem continere attrahendi virulentiam ab externis partibus ad internas; sed verè lenientia non obtinent; tutò igitur exhiberi poterunt in Gonorrhæa; cassia præcipuè cum Terebinthina, in hanc formam.

℞. Floris cassiæ nouiter extract. drach. x.
Terebintinæ lotæ in aqua ma luarũ, drac. ij. misce cum saccaro f. boli.

Exhibeantur syrup: violac. solut. manna, mel rosaceum, rurup. rosac. solut. syrup. de Polypod. pro humorum peccantium varietate. Quod ad syrupos, nullus est syrupus, qui Luem Veneream possit pręparare, venenum est, & omne venenũ curatur vel euacuantibus vel alterantibus à tota substantia; quamquam primæ etiam qualitates non sint contemnendę. Itaque si in alterantibus medicamentis aliqua Luis Venereæ ratio sit habenda, syrupos ex ligno conficere oportebit; Poterit autem simplex sic parari.

℞. Ligni Indici raspati ex meditullio. lib. ij.

Infundatur, & bulliat s. a. in aquæ fontis lib. 13. vsque ad consumptionem planè medietatis, facta expressione adde saccari fini. q. s. misce, f. syrupus.

Huius syrupi dabitis vnc. j. addetis deinceps alios quoque syrupos, & decoctiones, quę proprium vniuscuiusque peccantem humorem respiciant. Post syrupos conuenit purgatio, circà quàm multa occurrunt dubia. duo tamen sunt præcipua; primum, an conueniat; Secundum, si conuenit, vtrum conueniat per medicamenta robustissima Cymica à Paracelsistis inuenta. Quod non conueniant, ratio primùm persuadet; Retrahunt enim hæc medicamenta ab extimis ad intimas partes; ergo fugienda. Ex altera parte, certum est, Venenum hoc putrefacere, & impura corpora promptiùs venenum, & putredinem suscipere. Itaque vt singulis prospiciamus, si bubo appareat, laudo à purgationibus abstinendum, donec aperiatur, si autem caries, tamdiù morandum quousque cariei malignitas compescatur; quibus autem ingeniis, audietis postea; tunc verò purgantia sine periculo administrantur. Sed quænam sunt ista? debentne administrari communia, Agaricus pro pituita, Rhabarbarum pro bile; Elleborus, Polypodium,

podium, Sena, & alia pro melancholia? An potius licet deuenire ad vsum Præcipitati, aut Turbith mineralis, vel ad oleum dulce Mercurij, quæ à Chymicis administrantur, & à probatis etiam quibusdam Medicis recipiuntur, inter quos est Lucas Ghinus vir aliquin doctissimus. Ego non puto in Lue Venerea recenti tanto opus esse auxilio, Præcipitatum, oleumq; dulce Mercurij vim habent propellendi Venenum à partibus internis, cùm iam afficiantur; Idcircò cum Lue recenti morbus sit tantùm superficialis, neq; penetrauerint ad interiora, tanto non est opus auxilio. Communia igitur sufficiant.

De Bubone, Carie, & Gonorrhæa. Cap. XIX.

IN recenti Lue cum tria præcipuè appareant pręter naturam, Gonorrhæa, Caries, & Bubo, dicam breuiter in singulis quid agendum. Quòd igitur ad Gonorrhęam; hæc duplex esse potest legitima, & falsa; legitima est fluxus seminis acris, & mordacis irritantis expultricem vasorum omnium, & testium: Acrimonia autem, & mordacitas partim ex putredine, partim ex bilis commixtione, partim deniq; ex venefica qualitate prouenit. Falsa autem gonorrhæa est fluxus materiæ saniosæ, quæ ex vlcere in interiore pudendi parte existente educitur, quibus occurrendum, vt dictum est secta vena in pedibus, exhibita cassia cum terebinthina sic.

℞. Flor. cass. nou. extract. drach. x.
Terebinthinæ lotæ in aq. viol. vel rosa. dr. ij
misce cum sacchato fiant boli.

Syrupi sint tales.

℞. Syrup. Violat. simpl.
de Nymphæa.
de Liquiritia. an. vnc. s.
decoct. Violarum.
Hordei.
Nymphęæ.
Granorum Sebesten.
Maluarum.
Liquiritiæ.
Ligni Sancti. vnç. jv.
misce pro syrupo.

Repetenda est Cassia, & dum assumuntur syrupi, abluendæ sunt partes genitales aqua tepida cocta cum hordeo, & malua, & nymphęa; post duos autem, vel tres dies ab hac lotione misceatis vinum aquę, & decoctioni propositæ lignum addatis; Interim inungendi sunt renes infrigidante Galeni, & rosaceo Mesuæ, & in virgam hoc iniicere oportet decoctum.

℞. Aquę Plantaginis.
Rosarum. an. vnc. iij.
Cerusę lotæ in aqua rosarum drach. ij.
Lithargyri drach. j.

bulliant simul vsque ad consumptionem tertiæ partis, colaturę adde sacchari ſi. parum.

Iniiciatur decocto sæpiùs in die, vt diligen- A ter abluantur partes omnes internæ. Quod si caries glandem occupet, dubium est, an in curatione conueniat vsus præcipitati, quales nos laudauimus in illis, qui potiùs huius mali suspicione tentantur, quàm vt legitimam cariem Veneream habeant. Fuerunt, qui putarunt minimè hoc medicamentum conuenire, inter quos est Alexander Trallianus, qui vtitur hoc argumento. Quod præcipitatum sanet vlcera propellendo luem ad penitiora corporis, idcircò occasionem maioris mali prębet; Ratio sanè est alicuius momenti, sed tamen experientia, quæ etiam ratione non caret, est in oppositum: Neque enim vllum adhuc præcipitato nobilius excogitatum est medicamentum ad pudendi cariem.

B Quod dicit Alexander de repercussione facta ab hoc medicamento, non est omninò verum, licet argentum viuum id faciat, non facit tamen pręcipitatum rectè administratum, quia præcipitatum recipit vires calorificas, & exsiccantes; consequenter attractorias, & expurgatorias à calchanto, & alumine, quorum aquæ præparationē pręcipitati ingrediuntur. Accedit quod pręcipitatum non debet administrari cum reprimentibus, sed cum butyro, vel alia pinguedine. Tertiò illi tantum parti administratur, quę crassam continet sorditiem, quàm mirificè tollit, ideo neque in vlcere mundo, neque in circumferentia vlceris medicamentum est adhibendum; Denique, vt anteà dixi, extrema pudendi, propè pubem pars adstrictorio muniatur medicamento.

C Itaque adhibeatur & bis & ter, & eo vsque, donec crassa sordities prorsus tollatur, & caro rubra appareat, tunc verò non eritis solliciti de cicatrisando vlcere, sed diu apertum est retinendum imposito in filamentis Iside vnguento vsque ad triginta, & plures dies Qui enim citò has caries sanant, aut bubones, vel testiculorum inflammationes, vel gonorrhæas vel defluuia capillorum, aut alia inferunt mala. Post congruā itaque expurgationem, siccetur deinde, & cicatrix obducatur puluere tuthiæ, vnguento ex tuthia, ex cerusa, vel simili. In Bubone autem, si facilis erit suppurationis, adhibeatur emplastrū ad suppurandom, tale.

D *Radicum Althęæ coctarum, & per cribrum transmissarum. vnc. ij.*
Caricarum pinguium coctarum, & contusarum, vnc. j.
Farinæ triticeæ,
Seminum lini, an. m. j.
Axungiæ suilla. vnc. iij.
Decoct. althææ.
Caricarum.
Maluarum.
Sem. lini.
Passularum q. s.
Misce. f. Emplastrum ad ignem.

Quòd si non modo facilè suppuretur, verùm etiam ægrè intumescat, agendum primò attrahentibus, deinde suppurantibus. Inter attra-

attrahentia est exercitatio, ambulando, ludendo pilà, saltando, præcipuè in pedem læsi inguinis, Cerata attrahentia, vt diachylon simplex, & compositum, Ceratum Sacrum, appositio Cucurbitulæ non scarificatæ; Quibus non conferentibus, tale ceratum poterit confici.

℞. *Sagapeni.*
Oppoponac.
Ammoniaci.
Bdellij. an. drach. ij.
Euphorbij.
Sinapis.
Piperis.
Pyrethri. an. drach. j.
Saponis nigri. vnc. s.

B Dissoluantur gummi in aceto, addantur pulueres, & cum pice, ac cera sufficienti fiat ceratum. Vbi iam locus intumuerit, tentanda est suppuratio, quæ si intrà quattuor, vel sex dies non successerit, non est cunctandum, licet pus nō appareat, caustico locus est aperiendus; Caustici materiam habetis venalem apud omnes. Aperto ergò loco, vlcus etiam diù apertum est continendum turunda imposita, vel in albumine oui cum luteo (si facta fuerit incisio) vel in vnguento Iside (si apertus sit locus per causticum) post sublatam tamen crustam; vno verbo hac in parte sit Chrirurgus prudens, qui pro qualitate, & quantitate puris modò suppurantibus modò abstergentibus & siccantibus, denique etiam consolidantibus vtatur. Sed licet hæc in Lue recenti sint administranda, non est tamen prętermittenda, ratio internorum medicamentorum, qualia autem debeant esse, non apud omnes vno & eodem modo, expositum est. Dicam de his quàm breuissimè.

De internis. Cap. XX.

QVidam existimarunt in hac Lue recenti satis esse vti medicamentis diaphoreticis, sudorem excitantibus, & alexipharmacis communibus, ideò quidam laudant trochiscos viperinos, vt Ioannes Benedictus, alij theriacam, vt Ioannes Almenat Hispanus, qui aquam facit ex therica, & alijs sudorificis compositam ad expellendam Luem Veneream per sudorem, quem secuti sunt inter recentiores Rondelet. & Fernel. qui aquas confecerunt destillatas ex theriaca, dictamno, carduo benedicto, tormentilla, ac alijs sudorificis, vt Luem incipientem per cutem profligarent. Hæc intentio propellendi infectionem Veneream ad extimas partes per aquas dictas theriacales non videtur extra rationem, sed tamen intemperamentis calidioribus, hæc sola non vsquea deò probatur: Non in temperamentis calidioribus, quia feruidissima est; Infunduntur enim hæc in vino, & aqua alambicata est fortior aqua vitę communi; Non probatur sola, quia Lues Venerea nul-

A lum habet alexipharmacum magis proprium, quàm lignum: Ideò si in quibusdam frigidioribus locum habeat, misceatur vel cum decocto, vel cum oleo, vel cum extracto ligni, de quibus dicam posteà. Sed quæret aliquis. Debetne vnusquisque, qui in bubonem, aut cariem inciderit vti hoc alexipharmaco? Est ne coactus accipere lignum? Cui respondeo, si quispiam à congressu mulieris statim inciderit in Bubonem vel Cariem, & statim inciderit Medicum, curatusquè fuerit, vt dictum est, is certè non indiget decocto ligni Indici; potest quidem illud accipere per octo, vel decem dies; potest vti extracto, vel oleo ligni, sed non est coactus, vt sanetur, accipere decoctum per dies xxxx. Quod si Caries, vel Bubo apparuerint tantum octo, vel pluribus diebus à congressu, suspicandum de interna viscerum affectione. Huic itaque prospiciendum fortiori decocto, de quo posteà.

De augescentis Luis curatione. Cap. XXI.

AVgescens Lues inflammationis, ac putredinis argumenta profert conspicua, ideoque præter bubones, gonorrhęas, & benignas caries, vlcera, ac pustulas, pruritus, & impetigines, crustas, tumores varios inflammatorios, & capillorum defluuium, habet connexa, de quibus nunc sigillatim agendum, initio à purgationibus vniuersalibus desumpto. De venæ C sectione ambigit Fernel. Galeni testimonio motus 4. de tuenda valet. cap. 6. qui humoribus in cutem confluentibus venæ sectionem tamquam retractoriam prohibet, sed non est vniuersaliter hæc sententia accipienda. Si pustulæ iam incipiant erumpere, satius est scarificatis cucurbitulis materiæ motum adiuuare; si iam eruperint, corpusq; sit plenum, retrocessionis periculum nō adest; sunt enim pustulæ venereæ duræ admodum, & crustosæ, & ad omnem motum difficiles, in quo casu si Gal. non abhorret ab his, quę retrahunt humores ad partes internas, vt colligitur ex 3. in 6. Epid. 30. in casu Simonis, qui latas habebat pustulas, in hoc etiam casu venæ sectio non est verenda. Secetur autem vena iecoraria, nam deriuatione est opus, iecur iam in- D fectum supponimus; Post sectam verò venam conueniunt quoque sacrificatæ cucurbitulę, nec semel tantùm, sed vt voluit Nicol. Massa, bis & pluries repetitę. Aluus leniatur vel hoc bolo.

℞. *Elect. lenit. vnc. j.*
Floris Cassiæ. vnc. s.
Semin. Citri. drach. s.
Misce cum sacchаro f. boli.

Si voluerint patientes potionem, sit talis.

℞. *Syrup. de Polypod. vnc. iij.*
Mell. vel. Syrup. rosat. sol. (prout videbitis corpus vel magis biliosum vel pituitosum) vnc. ij.
Decoct. cordial. q. s.

misce

misce f. potio.

In syrupis etiam illa sunt semper eligenda, quæ exustionem corrigant non prætermissis ijs, quæ proprium vniuscuiusque temperamentum respiciunt; Ideò syrup. de fumoter. simplex semper accipiatur. In corpore autem bilioso huic syrupo addatis violarum simplicem, syrupos de Endiuia, de Cichorio, de Nymphæa cum aquis, vel decoctis accommodatis. Si abundauerit succus melancholicus, addatis syrupum de pomis simplicem, de succo borraginis, de succo buglossæ, cum decocto lupulorum, borraginis, melissæ, buglossæ, corticum citri. Si abundauerit pituita; addatis oxymel simplex, syrupum de betonica, de stœchade, de menta, & alios pro partium varietate, cum decoctis proportionatis. Purgatio peinceps instituatur, vel per bolos, vel potionem, vel pillulas; bolus sit talis.

℞. *Elect. lenit. drach.* vj.
Confect. Hamech. vnc. j.
misce, cum saccharos. bolus.

Si pituita abundauerit, accipietis drach. ij. confect. hamech. & drach. ij. Diaphenici. Si bilis, sumetis drach. j. confect. hamech. & totidem elect. de succo rosarum, vel elect. rosati Mesue. In potione etiam vario modo agendum, pro varietate temperamenti. In bilioso, & melancholico hæc erit conueniens.

℞. *Corticum Hellebori nigri, (qui purgat vtramque bilem) drach.* j.
Infundantur S. A. in decoct. cord. cum drac. ij. senę, & facta expressione adde.
syrup. de Polypod.
Rosati solut. an vnc. ij.
Misce fiat potio

In pilulis similiter habenda est ratio diuersitatis humorum. Itaque vnicuique ætati iam consistenti præbere poteritis drach. i. pillularum Cochiarum præparatarum cum Helleboro, istis addentes in biliosis corporibus pillularum de Tribus cum Rhabarbaro drach. i. In melancholia pillularum de fumot. drach. s. In pituitosa pillul. de Agar: Mesuę, vel de Hiera cum Agar. drach. s. vel in debilioribus accipietis Masthichinas. Post hanc primam purgationem succedat secunda per syrupos compositos, quorum multiplex, & varia est apud authores descriptio. Est syrupus, qui vocatur, Domini Augustini, est & Montani Veronensis, est & Helidei Bononiensis, Lucas Ghinus etiam habet proprias descriptiones, sicuti & Andreas Matthiolus, vnicuique humori appropriatas. Ego, ne vos confundam, consulo vt vtamini hoc syrupo, nam omnibus temperamentis conuenit.

℞. *Syrup. de pomis compos.*
de fumoterr. compos. an. vnc. j.
Decoct. epithymi Mesue. vnc. iij.
misce pro syrupo.

Accipiant patientes quinque vel sex ex his syrupis. Robustiores singulo quoque die; Imbecilliores alternis diebus. His absolutis, in- A terposita vna, quietis die, iterum accipiatur aliqua ex dictis purgationibus; quibus tamen cum minimè sint curati, quæritur, quid vlteriùs sit agendum? Hac in parte duas esse video præcipuas Medicorum intentiones; vna, fuit eorum, qui putarunt posse Luem Veneream profligari sensibilibus per aluum, & vomitum excretionibus, Altera est eorum qui vtuntur sudorificis, & alexipharmacis. Dicam primò de prioribus, mox de secundis. Priores multa excogitarunt electuaria, pulueres, tabellas, decoctiones vel in aqua, vel in vino, quibus Veneream luem sensibiliter expurgant. Quò ad electuaria, multa passim inueniuntur venalia potius apud Empiricos, quàm apud Medicos, quę ista retinent B pro magnis secretis. Tale electuarium venale est Venetiis apud Pharmacopolam à tribus môtibus; Aliud administratur à quodam Empirico Venetiis ad ripam Blasij; Aliud est Patauii apud Pharmacopolam à Speculo; Alia denique plura reperietis similia. Componuntur vario modo: Nam quisque ab aliquo probato scriptore descriptionem est furatus. Primò quidem est electuarium ex fructibus ebuli maturi, quod sic conficitur.

℞. *Fructuum ebuli maturorum. lib. ij.*
Agarici. vnc. j. s.
Vini maluatici. Cyathos ij.

Manibus conteruntur grana ebuli, miscentur cum vino, & Agarico, ponuntur in olla vitriata C per horas ad consumptionem 24. coquuntur vsque vini quod residuum est, transmittitur per setaceum, & pro singula Vncia additur vnc. 1. syrup. de acetos. citri, & Sacchari fini vnc. 1. deinde pro singula libra adduntur lapidis Armeni. Helleb. nigri an. drach. ij. & fit elect. Dosis est drach. j. vel drach. j. s.

Vtuntur hoc electuario per 30. vel 40. dies, sed interposita aliqua quietis die, in qua accipiunt patientes, vel saccharum rosatum; vel conseruam borraginis, vel aliam similem ad vnc. j.

Descriptionem Electuarii in Lue Venerea frequenter vsitati, hunc in modum habe.

℞. *Salsę subtiliter puluerisatę, vnc. iij.*
Tartari albi. vnc. ij. s.
D *Senæ. vnc. ij.*
Corticum Helleb. nigri. vnc. iij.
misce f. elect. cuius dosis est vnc. s.

Quamquam autem, qui præbent hæc electuaria tamquam secreta, integram pollicentur curationem, tamen potiùs morbum, & symptomata demulcent, ac protrahunt, quam vt funditùs eruant; tamen in pauperibus, vel in illis, qui negotiis sunt implicati, non sunt improbanda; Ideò ego quoque in his casibus hoc electuario vti consueui.

Ligni Indici, lib. ij.
Salsæ, lib. j.
Cortici, lib. s.

Infundantur in aquæ lib. 30. deinde bulliant ad consumptionem medietatis, addendo.

Folli-

Folliculorum senæ, vnc. viij.
Polypodij,
Epithymi, an.vnc.iiij.
Helleb. nigri, vnc.i.
Mirobalanorum omnium, an.vnc. s.
Passularum pinguium,lib.i.

Bulliant simul ad consumptionem medietatis,& facta expressione.

℞.Prunorum Damascenorum, lib.ij.

Bulliant in dicto decocto donec mollescant,ita vt extrahantur nuclei,pulpa transmittatur per setaceum,quæ iterum bulliat indicto decocto vsque ad mediocrem connstentiam,tunc adde,

Floris Cassiæ, vnc. vj.
Senæ puluerisatæ, vnc.s.
Sacchari fini,q.s.
misce, f. elect. cuius dosis erit vnc. s: vel dsach.vj.per dies 30. vel 40.

Præter electuaria exhibentur pulueres, qui pro robustioribus valentissimi,pro infirmioribus infirmiores concinnantur. Robustissimus puluis erit talis.

℞.Hermodactyl. scrup. j.
Turbith. scrup.ij.
Senæ. drach.s.
Salsæ. scrup j.
Gingiberis gr. vi
misce.

Datur in iure,vel in vino 20.vel 30.& plures dies,neque abstinendum à vino, neque à carnibus,sicuti neque in assumptione electuariorum. Singulis quattuor diebus semel conquiescunt patientes,vtunturque eo die vel iure pingui cum saccharo,vel clystere,ex iure,vel lacte, saccharo, & butyro. Infirmior puluis erit talis.

℞.Salsæ,
Corticis, an.drach.s.
Senæ, drach.j.
Turbith.scrup.j:
Gingiberis,gr.iiij.
misce.

Accipiatur eodem modo. Alii pulueres paucis mutatis possunt eodem ferè modo parari. Quòd pertinet ad rotolas, ipsæ quoque sicuti & pulueres,sunt grauiores,& leuiores. Grauiorum forma hæc erit.

℞.Hermodact. drach.ij.
Turbith drach. j. s.
Helleb.nigri. drach. j.
Rhabara.elect. drach.s.
Gingiberis.
Cinnamomi. an. scrup.j.
sacchari fini dissoluti in aqua fumariæ, q. s.
misce.f. confectio in rotulis.

Leuiores erunt tales.

℞.Senæ puluerisf. drach.ij.
Turbith.
Agarici trochiscati.
Rhabarb.elect. an.drach.j.
Gingiberis.
Salis Gemmæ.
Cinnamomi, an gr.iiij.
Sacchari dissoluti in aqua fumariæ.q.s.
misce.f. confectio in rotulis.

Parantur quoque solutiuæ decoctiones, & in aqua & in vino. Cæterum de his, quæ parantur in vino,dicam in curatione doloris antiqui. Nunc de his,quæ parantur in aqua; Harum descriptio talis erit.

℞.Senæ orientalis, lib. j.
Epitijmi,
Polypodij, an.vnc.viij.
Helleb.nigri, vnc.j.
Mirobalanorum omnium, an.vnc.s.
Foliorum Buglossæ,
Borraginis,
Endiuiæ,
Fumariæ,
Lupulorum, an.m. j.
Passularum enucleatarum,lib.j. s.
Granorom Sebesten, num.xx.
Prunorum lib.s.

Bulliant in sufficienti quantitate aquæ, s. a. vt scilicet prius coquantur ea quæ sunt durioris coctionis, vsque ad consumptionem medietatis, facta expressione huius decocti, dabitis plus minus vnc.j. vel vnc.ij. pro habitu corporis,& viriũ tolerantia.

De Hydrargyri vsu. Cap. XXII.

Sed hic locus postulat,vt quæramus quid sentiendum sit de purgatione facienda per hydrargyrum. Maximi momenti est hæc consideratio,quia ex vna parte profitentur plures Medici,inter quos est Montanus,Fallop.& alij,hydrargyrum tamquam Gal. Dioscoridis experimento deniq; deleterium venenum in vsum medicamẽtorum internorum minimè esse accipiendum. Contrà verò non modò Theophrastus Paracelsus,& sectatores, Petrus Seuerinus Danus,& alij huius vsum extollunt, verùm etiam ex dogmaticis Medicis Brasauola, Antonius Gallus, Lucas Ghinus,Andræas Matthiolus,& alij illius vsum admittunt. Et cum argentum viuum intrisecùs multis modis administrari possit,præparatum scilicet,& nõ;video ab istis omnibus modis concedi,quinimò scribit Matthiolus lib.6.c.28.in Dioscorid. minùs noxium esse non præparatum,& exstinctum,præparato,vel saluia exstincto; Ideò ait Goritiẽses mulieres in difficili partu illud assumere ad scrup.j.summa partus facilitate. Brasauola etiam ad deiiciendos puerorum Vermes innoxiè se vsum esse profitetur. Quod scribit etiam Alex.Trallianus lib.6.apud Corsos passim fieri pro vermibus expellendis. Quantum ad hoc pertinet, mihi persuadeo argentum uiuum neque præparatum, neque exstinctum in modica portione acceptum ullam noxam inferre posse.

Certum est, plures ex illis, qui hydrargyro inunguntur, diu, argentum uiuum in variis corporis

corporis partibus absque noxa continuisse, illu sque aliquando vel vomitu, vel deiectione emisisse. Quod si scribat Gal.4.simol.19.atque etiam Dioscorid. lib. 5. cap. 20. illud suo pondere, & qualitate interna erodere, loquuntur de nimia quantitate, prӕterquam quod Gal. 9. Simpl. cap. de hydrargyro fatetur se nullum de hac re fecisse experimentum. Itaque quod pertinet ad argentum viuum, non prӕparatum, neque extinctum in modica portione acceptum, puto illud non posse obesse, non tamen puto illud luem veneream curare. Ideo videamus, quid de prӕparato dicendum. Prӕparatum argentum viuum est duplex, commune, & proprium; Commune à Paracelsistis multis nominibus nuncupatur, vt Laudanum minerale, Corallinum, Turbith minerale, quod officinis est prӕcipitatum. Hoc non solùm apud Paracelsistas, sed etiam, vt dixi apud Matthiolum, & alios est in vsu, cùm tamen non modò sit venenum, sed venenum erosione interficiens, calidum, & siccum in quarto. Nam Laudanum minerale fit ex viuo argento, aceto & sale repurgato, mixto cum Calchanto, & sale nitro, quod vocant isti sublimatum, quodque ab istis Chymicis deinde abluitur vino destillato, & iterum destillatur. Hoc ergo nullo modo probatur, sicuti neque commune prӕcipitatum, quod fit aqua illa forti, qua auri fabri vtuntur ad segreganda metalla, & est commune in officinis. Quare qui putant se diuinum quoddam secretum inuenisse, argentum viuum prӕparant cum mixtione auri, diciturque Paracelsistis aurum vitӕ; Huius descriptio est duplex, vna proponitur à Ioanne Guinterio Andernaco, parte secunda Medicinӕ nouӕ, & veteris, in dialogo 7. quӕ compositio fit ex argento viuo repurgato mixto cum folijs auri, ita vt pro singula vnc. argenti sit drach. j. auri. Aliam elegantiorem proponit Antonius Gallus vir doctissimus in proprio opere de ligno non permiscendo, cap. 2. qui profitetur se magno studio, ac labore descriptionem hanc à Chymico fuisse expiscatum Eandem à Gallo acceptam proponit Fallop. tractatu de Morbo Venereo c.70. Habet autem sic.

℞. *Argenti sublimati, quod fit addito sale & alumine.* vnc. vj.

Teratur diligenter suprà marmor, & cum farina triticea, & aqua manibus butyro inunctis fiant globuli, qui in alembico imponantur, ac destillentur deinde verò pro singula aquӕ vncia addatur drach. j. auri foliati, & fiat massa, & imponatur in vase vitreo lati oris, quod media sua parte sepeliatur in cineribus ignisque lentus subijciatur, paulatim in superficie apparebit crustula quӕdam, quӕ cochleari statim colligitur, & in alio vase vitreo consimili reponitur, idque toties fit, quoties noua apparuerit placentula; Hӕc mixtura deinceps in alio vase iam collecta igne supposito tandiu coquitur, quousque flauescat, vel rubescat, & tunc habetis prӕcipitatum, quod aurum vitӕ dicitur. Hoc autem fit adhuc elegantius, si aqua vitӕ infusa iterũ igne apposito exsiccetur vsque ad aquӕ cõsumptionẽ, posteà verò affundatur aqua plantaginis, & iterum exsiccetur, tertio affundatur aqua borraginis, quӕ etiam igne omninò consumatur. Prioris quantitas sint grana iiij, vel v. secundi dosis sint grana ix. & x. Dantur in conserua Violarum, in succharo rosaceo, in conserua Cichorei, in expressione passularum, in pillulis, in rotulis ad libitũ. Hoc puluere vti Excell. Medicum Patauinũ in suis bolis asserere non vereor: Nã prӕter quam quod, vt audiuistis, aurũ in illis bolis impositum viuum argentũ retinet: Accedit etiam, quod quibusdã sputum copiosum excitauit, dentes mobiles reddidit, vlcera in faucibus promouit, deiectionesque alui, ac vomitus vehementissimos prouocarit. Quibus autem misceat medicamentum ignoro. Hoc vnum scio, vel nihil, vel parum referre cӕterorum mixtionem, quãdo in hoc vnico prӕcipitato tota curationis spes ab omnibus reponitur, qui tamen admiscuere aliquando margaritas prӕparatas, hyacinthos, smaragdos, & alias similes gemmas accipiunt. Alij species lӕtificantes, Diamuscum, Diamargaritum, & cum his prӕcipitatum componunt. Sed quia post bolos vir Excellentiss. aquas prӕbet, difficillimum certè est intelligere qualisnam sit aqua, vtpote quӕ nullum prӕseferat odorem, vel saporem ingredientis medicamenti Posset itaque esse aqua refrigerãs ad corrigendam prӕcipitati caliditatem; posset etiam esse aqua sudorifica, quӕ in antiquitatis doloribus esset quasi prӕcipitati vehiculum, & certè cum mihi certò persuadeam omnium primum, qui publicum fecerit hoc secretum fuisse Antoniũ, ita etiam credo potuisse Botonum ab eo aquam accipere, à quo etiam accepit vsum prӕcipitati. Hic enim author loco citato egregiam aquã subiungit in doloribus antiquitatis efficacissimã, cuius descriptio est talis.

℞. *Laccӕ.*
Aloes lotӕ cum aqua Myrrhi. an. vnc. s.
Enulӕ.
Scordij.
Cardui Benedicti.
Hederӕ. an. m. j.

Infundantur omnia in sufficienti quantitate aquӕ vitӕ, deinde ponantur in vase vitreo benè obturato in fimo equino per dies 40. deinde effundatur aqua illa, cui adde.

Prӕcipitati prӕparati vt dictum est. vnc. j.
Crystalli puluerisati, vnc. j.

Iterum infundantur in aqua dicta, & maneant per alios dies 40. in fimo equino, extracta aqua existimatur fortissima ad antiquatos dolores. Sed quia quantitas huius aquӕ

non debet excedere decem, vel duodecim guttas, ideo misceri poterit vel aquæ betonicæ, vel boraginis, vel alterius similis. Hęc pertinenti ad præcipitatum per os dandum. Sed quia dixi non minùs esse in vsu præcipitatum quàm viuū argentum, volo vos scire multos esse Medicos, vnumquè Patauij, qui pillulas præbent argentum viuum recipientes, quas vocant Mercuriales, quarum descriptio varia quidem est apud plures, tamen hæc accipi consueuit.

℞. Rhabarb. elect. puluerif. vnc.ij.s.
Scammonij. scrup.ij.s.
Puluerisentur, & cum succo limonum misceantur, deinde adde, B
Argenti viui per pannum transmissi, & mortificati per eundem succum limonum. vnc.s.
Musci. gr.x.
farinæ parum.
misce f. massa pillularum.

Detur drac. 1. per spacium 30. dierum. Talis est ordo eorum qui curant Luem hanc argento viuo, de quibus omnibus dictis meam opinionē vobis aperiam. Vno verbo certum habeo, nullam ex istis operationibus per se Luem Veneream curare quandoque tamen curant ex accidenti, si Luem recentem inueniant, vel confirmatam in robusto corpore, cui feliciter omnes succedant operationes, quas deleterium hoc medicamentum promouere solet. Isti sanè post hanc C medendi formam temperatè admodum viuentes, huius mali vim effugiunt, sed qui intemperanter vixerint, aut euacuationes idoneas non habuerint, paucis post diebus maiora iterum experiuntur mala, Vt ego paulò antè ab illis ipsis collegi, qui hac medendi ratione vsi sunt. Itaque eos tantum his bolis, aut pillulis curandos puto, qui nulla alia curatione vti volunt, qui cibum & potum copiosum amant, neque patiuntur perpetuos illos sudores, ac carceres 40. dierum; Illud tamen iterum moneo, in vsu pillularum, quas Mercuriales vocant, cautè agendum, ne scilicet illis dentur corporibus qui crassa valde, & multa abundent pituita, antè aliquam lenitionem, & præparationem; ex subita enim & D violenta humorum motione, suffocationis periculum imminet. Præcedat itaque aliqua corporis præparatio, & expurgatio. De vsu hydrargyri hæc satis.

De Diaphoreticis. Cap. XXIII.

CVm de medicamentis deiectoriis, quæ Veneream Luem expugnare creduntur, iam satis dictum sit, ad Diaphoretica veniamus. Sunt hæc medicamenta duplicia: Quædā enim valent siccatione, quædam aūt existimantur alexipharmaca. Quæ siccatione valent, sunt sulphur, oleum ex sulphure, oleum ex Calchanto, Trocisci Viperini, Decoctum vel infusio Viperarum, decoctum Cardui benedicti, scordii, quer- A cus, & similium. Alexipharmaca verò quędam sunt communia Venenis omnibus, quædam verò huius Luis propria. Et communia quidem sunt Theriaca, Mithridatium, Aquæ theriacales, quę à Rondelet. & Fernel. opiata dicuntur, decoctum Iuniperi, Buxi, Ebeni. Propria verò sunt China, Salsa, Lignum sanctum, & Guaiacum; de quibus omnibus aliquid dicendum, pauca quidem de prioribus, plura de postremis. Et primo quo ad medicamenta Diaphoretica siccatione iuuantia, hæc à practicantibus analogismo sunt inuenta: Cum enim viderent trociscos Viperinos, sulphur, &c. in Elephantiasi, & scabie prodesse, putarunt quoque in Lue Venerea, quæ vlceribus, impetigine, & pustulis cutaneis sit referta, hęc etiam conferre posse. Ego verò mihi persuadeo quidem non ab re esse quandoq; morbi huius sobolem in humoribus, & ichoribus tātùm repositam, cute rara existente, ac corpore trāspirabili vniuersam in extimas deponi partes, vt integra succedat valetudo. Cæterùm vbi solida iam sint affecta, duriorq; cutis, ac densus corporis status, censeo Veneream Luem ab his medicamentis minimè expurgari. Agunt enim medicamenta calidissima in humorem, & natura, & putredine calidum, qui ob cutis densitatem intrà venas ac carnes retinetur, cuius causa venenata in solidis residens non profligatur; Hinc necessariò putredo, calor, venenum, omnia deniq; mala redduntur calidiora. Itaque quando tutioribus agi potest, hęc dimittantur.

De Alexipharmacis communibus. Cap. XXIV.

QVo ad Alexipharmaca communia, hęc quoque sunt calidissima, vel temperata, vel minus calida. Calidissimæ, sunt aquæ illæ theriacales ex theriaca destillatæ, dictamno, scordio, carduo benedicto, tormentilla, & Aromatibus, quæ in affectu antiquo ligno permixtę, non improbantur, in augescente tanquam nimis calidę sunt suspectæ, vt nuper dictum est. Quo ad decoctum Iuniperi, plures sunt, qui eo vtuntur tamquam Luis Alexipharmaco, cùm tamē Rondelet. Dioscorid. authoritate motus, radicis vsum tamquam Veneficum improbet, & solos fructus admittat. Scaliger tamen exercitatione 180. contrà Cardanum c. 19. ait Afros Medicos vti huius radicis decocto ad Luem expugnandā feliciter, redditq; causam, cur non sit venefica, licet Dioscorid. illam venenatam protulerit. Ait enim aliam esse corticis radicis facultatem, aliam verò substantię medullaris: Corticem, cuius virtus recipitur in decocto, ait non esse venenatum. Itaque si fortasse destituti fueritis his medicamentis, quæ pręstantiora putantur, Iuniperi decoctum non improbabitur, & si radices fuerint suspectæ, sumantur folia, & fructus, vel semina fiatque infusio sic.

℞. Foliorum Iuniperi, m. vj.
Seminum Iuniperi, m. iiij.

Infun-

Infundantur in aquæ lib. xij. bulliant ad consumptionem medietatis, facta expressione seruetur syrupus, quantitas sit vnc. viij. cum ea viuendi ratione, quam dicam in cap. de ligno.

Quo ad buxum, licet Amat. Lusit. se quendam hoc morbo laborantem buxi decocto integrè curasse profiteatur, tamen, vt dicitur, vna hirundo non facit ver, non est buxus lignum Indicum, vt ille putat. Natat enim buxus in aqua, lignum Indicum residet in fundo, vt etiā ebenus, nec tamen est idem cum ebeno, vt ex pondere, colore, & oleositate facilè quisque conijcere poterit. Itaque tandem ad propria huius morbi alexipharmaca confugiendum est.

De China. Cap. XXV.

INter alexipharmaca cùm radicis Chinæ primò facta sit mentio, de ea quoque primò agemus. Accepit radix ista summam authoritatem à Carolo V. Imperatore, qui summo cum fructu primus ferè omnium radicem accepit, & à morbo Venereo, antiquisque doloribus est liberatus. Est radix, vt puto, arundinis latifolij, viuam virentē vidi Venetiis in horto Petri Boselli; Ideò decipitur Costa, qui arbitratur esse plantam arboribus hærentem, vt hederam. Non disputabo, vtrum deferatur ex India occidua, vtrum ex regno Chinarum, an ex aliis locis? Certum est, radicem hanc ritè administratam, Luem superare, cutem mundare, dolores profligare, macies reparare. Est enim radix in actiuis qualitatibus tēperatissima, quę desiccat quidem excrementitios humores, alimentales autē vel reficit, vel saltem conseruat; Ideò humiditatem habet oleosam, atque firmiter propriæ substantiæ adhærentem, vt hac ratione, & diuturnā, & multoties repetitam patiatur coctionē. Si itaque minimè cariosa fuerit, neque admodū gracilis, & sicca, sed mediocriter grauis, colore inter album, & ruffum, accipiatur, & exhibeatur patientibus sic præparata.

℞. *Radicis Chinarum incisæ in tabellas, vnc. j.*

Infundantur in aquæ lib. vi. S. A. deinde bulliat in vase oris angusti benè tecto, ne vapor exspiret, vsque ad consumptionem medietatis, fiat expressio, & seruetur syrupus.

Præcipit Vesalius in sua Epistola, quā scribit de radice Chinæ, vt decoctum hoc calidum conseruetur, vel singulis diebus recens fiat, alioquin ait acidum fieri; sed experientia docuit oppositum, decoctum Chinæ seruatum 4. dies non acessit. Ex residuo fit aqua secūda facta decoctione in lib. xij. vsque ad consumptionē tertiæ partis. Non ignoro quibusdam Chinæ dosim hanc exilem, aut aquā nimiam esse, qui tamen si multùm ab his recesserint, summam experientur in patientibus caliditatem. Hæc itaque sufficiant. Iterum verò, quod residuum est coquitur in totidem aquæ libris ad eandē consumptionem, & in eo coquuntur carnes. Accepto syrupo per duas horas, pòst sudant, & quattuor a si accepto syrupo sumunt prandium. De qualitate cibi variæ sunt sententiæ. Quidam nihil magis respiciunt, quàm calidam iecoris intemperiem, & ideò prohibent salsa, acria, & aromata, concedunt olera, & fructus frigidos Ego tamen puto ab omnibus esculentis abstinēdum, fructibus, & oleribus: carnes tantum optimi succi vel elixas, vel assas, & oua esse concedenda, Vinum quoque aqua illa mixtum conceditur. Omnes qui de hac radice scripserunt, religiosè admodum monent, vt qui ea vtuntur vitent Venerem: Causam attulit Vesalius, quia inquit proprium esse huius radicis, vt maximam inferat tentiginem, & ideò in hoc maximo periculo, oportet etiam monere patientes, ne in hac parte delinquant. Concedūt aerem liberum, sed cur ignoro: Vt ingenuè dicam, non video, cur aer his, qui assumunt lignum Indicum sit noxius, his autem qui Chinam, potiùs vtilis. Sed dicunt isti, in India exeunt domo; exeunt etiam illi qui accipiūt lignum; ideo vel est omnibus negandus aer externus, vel concedendus.

De Salsa. Cap. XXVI.

FOrtius remedium China iam proposita ad luem expugnandam est salsa Parilla, seu, vt alij dicunt, sparta Parilla, vel sparta Peullia. Ipsa quoque ex Indiis occiduis deuecta, & in arenosis locis passim succrescens, quæ grauissimorum authorum testimonio præcipuè vero Matthioli, & Fallopij, nihil aliud est quā smilax aspera, postquam & notæ, & operationes sunt vtrique communes. Est medicamentum siccum in secundo, expers caliditatis, tenuissimarum partium, sine vlla adstrictione diaphoreticum, & Luis alexipharmacum. Optima censetur illa, quæ crassior est, corrice duro, colore subruffo, longis capillamentis donata, & si frangatur, intus alba appareat, neque puluerem, neque cariem ostendit. Huius medicamenti vires ad dissoluendos tophos venereos, & ad siccanda vlcera, ac pustulas, existimatur aliorum omnium medicamentorum vires superare, cùm tamen sit expers caliditatis, & adstrictionis, Ventriculum enim laxat, & infirmiorem reddit; Et licet, vt dixi, tophos dissoluat, & pustulas meliùs quam lignum exsiccet, non est tamen fortius alexipharmacum ligno, sed id præstat potiùs insigni siccitate, & substantiæ tenuitate, quam vi alexipharmaci. Modus administrandi varius est apud scriptores, si tamen infusio plurium dierum sit faienda, potestis accipere salsæ incisæ vnc iiij. ligni Indici pro conseruando ventriculi tono vnc. ij. Infundantur in aquæ lib. viii. bulliant ad consumptionem medietatis, fiat expressio pro syrupo. Residuum bulliat in aquæ lib. 15. ad consumptionem tertiæ partis pro potu. Si quispiam voluerit habere decoctum quotidie recens, poterit incoquere vnc. s. salsæ infusę in lib. i. aquę vsque ad

consumptionem medietatis; vel vnc.i. in lib. ij. A pro diebus duobus. Consulo tamen, ne sola vtamini salsa, sed lignum, vel corticem admisceatis, cùm pro ventriculi robore seruando, tùm verò occulta Lue fortiùs expugnanda. Victus ratio eadem est, cum illa, quam proponemus in tractatione de modo exhibendi lignum Indicū. Ad quod me couerto.

De Ligno. Cap. XXVII.

Lignum Indicum duplex est, vnum, quod Guaiacum, alterum, quod Palum Sanctum, vel Lignum Sanctum dicitur. Fuerunt plures, qui putarunt esse vnum, & idem, tamen Consaluus Ouieda Indicarum historiarum oculatissimus scriptor, & locis, & notis vtramque arborem distinguit. B Est enim Guaiacum in meditullio nigrum, in circumferentia subflauum; Lignum autem Sanctum nigritie caret, totumque subflauum est; Vtrumque tamen in Lue Venerea vtiliter administratur. Temperatura vtriusque ligni calida est, & sicca, vltrà secundū gradum, ideò & prima, & secunda, & tertia huius Ligni decoctio amarescit, valenter desiccat, est tenuium partium, pinguemque seu oleosam substantiam continet; præclarissimum est, & prę cæteris celebratissimum Luis Venereæ alexipharmacum, quo vno ritè administrato deploratissimi etiam integrè curantur; Ideo de hoc ligno multa nobis veniunt consideranda. C Primùm autem hoc non est prætereundum, non defuisse Medicos, qui putauerint fructus, & folia in conseruis, vel electuariis parata vtiliter pro Lue expugnanda vsurpari posse, eò quòd intelligant Indos quoque populos Lue vexatos sic curari. Ego verò mihi quidem persuadeo conseruas, & electuaria hæc, recentem, & exiguum affectum superare posse, sed potius vi euacuatoria, quam alexipharmaca. Fructus enim hi non minus, quam grana sebesten, vel siliqua Aegyptia, cassia ipsa videlicet, aluum valenter mouent, vt sicut apud nos multi etiam recenti hoc morbo vexati solis purgationibus curentur, ita etiam Indi hac ipsa ratione liberari possunt. Alexipharmacam autem vim totam puto repositam in substantia illa oleosa, quæ in fructibus, & folijs nō adest. Ideò neque mihi probantur rami iuniores, vt quidam censuerunt, qui potiùs excrementitia abundant humiditate, quàm substantifica, & oleosa; Neque probatur truncus ita antiquus, vt præ senio arescat, neque iamdiù excisus, qui propterea rimas multas contraxerit, sed eligendum est lignum graue ex trunco cum suo cortice bene adhærente, quod multam habeat nigredinem, & modicam Lutei coloris circumferentiam, quod rimis careat, & superimpositis prunis fumum copiosum redoleat, & raspatum simul adhærat. Tale lignum pro Lue expugnanda erit eligendum. Vsurpatur autem varijs modis, in electuarijs, in puluere, & pilulis, in rotulis, in oleo, in aquis, ac in decoctione. Quo ad electuaria, dedi iam eorum descriptiones, quare de iis nihil amplius dicam. Quo ad pulueres, & pilulas; licet à nonnullis omninò reijciantur, quia non possit ex ligno puluis fieri, quin prorsus oleosa substantia consumatur; Ego tamen sicuti certò habeo nec pulueres, nec pilulas ob hanc rationem esse sufficientes ad profligandam Luem, ita pro adiuuanda excrementitiæ humiditatis siccatione, simul cum decocto nec puluis, nec pilulæ improbantur. Quo ad tabellas, istæ fiunt ex ligni extracto; quod quidem per multiplicem infusionem optimi ligni in aqua vitæ, cōsumpta per vim ignis aqua ipsa vitæ mixtoque extracto cum saccharo. Hoc extractum integras retinet vires Guaiaci, sicuti poteritis experientia comprobare, si volueritis; Nam extrahitur diligentissimè nunc à Pharmacopola Veneto ad insigne Struzzionis Cameli, & Patauij à Pharmacopola a Speculo. Hoc, vt puto, non habet vires vsque adeò validas, vt possit magnam Luem superare, sed in Lue recenti, vel post decoctum ligni, si adsit suspicio Luis relictæ, extractum hoc mihi probatur ad vnc. s. singulo mane. Fortius extracto est oleum, & sanè in hoc oleo totam vim ligni alexipharmacam repositam esse puto; Neque mea me decepit opinio; Nam experientia propria comprobatur huius olei beneficio, & antiquum, & maximum morbum fuisse superatum. Exhibeo autem oleum variis modis. In corporibus emaciatis vsus sum feliciter cum lacte; In alijs, temperamenti calidioris, prębeo cum Conserua Rosarum, Violarum, uel Cichorei, uel in Sero Caprino; In melancholicis prębeo cum Conserua Borraginis, uel Buglossæ; in pituitosis cum conserua betonicæ; in tophis uenereis misceo cum oleo, & Therebinthina sic.

℞. Terebinth. pellucidæ. vnc.ij.
Olei ex ligno. vnc.s.

Misce pro sex diebus; Vncia enim una olei debet distribui in dies xij. Cogitaui aliquando ex residuo decoctionis, vel ligni decocti sales Guaiacanos extrahere, atque illis varijs medicamentis permiscere, de quibus tamen salibus dicam meam opinionem, dum erit sermo de Lue D Venerea antiqua. Frequentior modus ligni Indici administrandi est in decoctione, quæ vnicuiq; ętati sexui, temperamento, & corporis habitui cōuenire potest; Ideò de modo conficiendi decoctum, & administrandi agendum. Decoctum ergò potest institui vel pro affectu simplici, vel pro complicato. Licet autem Antonius Gallus, vnam, & eandem existimet in omnibus esse debere ligni Indici præparationem, ego tamen Alfonsi Ferri, & aliorum authoritatem, rationemque secutus, puto in affectu simplici simplicem, in complicato commixtam esse debere ligni decoctionem; Itaque quo ad simplicem pertinet, paratur ex solo ligno in scobem redacto, & in varia quantitate accepto, habita

ratione

ratione ętatis, temporis anni, temporis, ac magnitudinis morbi. Nam in ætate puerili, tempore anni calido, in affectu nec magno, nec antiquo, pauca ligni quantitas accipienda est, in oppositis maior. Valida itaque erit decoctio, quæ pro singula aquæ libra vnc. j. ligni recipiat; infirma, quæ pro singula lib. vnc. s. Cæterę supra hanc maximæ, infra autem erunt mediæ. Fit hæc decoctio in aqua, vel fontanali, vel puteali, sed non valde cruda; Eligenda enim est aqua omnium leuissima, & ideo pluuialis, & fluuialis depurata non sunt improbandę. Decoctio fiat vel in duplici vase, quando tempus sit æstiuum, vel corpus nimis calidum; Hæc enim minus calefacit vel in ollula noua, quando tempus sit vernum, vel corpus minus calidum, fiat decoctio ad consumptionem medietatis aquæ, præmissa infusione super cineres calidos per horas 24. fiat autem decoctio vase diligenter cooperto, ne vapor vllus transpiret, contrà quam nostri nunc faciunt seplasiarii, sitq; ignis lentus, ne fortè ex vehementi ebullitione transfundantur. Quod residuum fuerit ligni, bulliat in alia noua aqua sine infusione vsque ad consumptionem tertiæ partis; quæ sit pro potu, & sic tertiò quoq; ebullierint ramenta illa in alia noua aqua, inseruire poterit illis, qui comedent carnes, ad eas concoquendas: Nam tam solida est ligni substantia, vt scribat Nicolaus Massa, se vnica ligni libra duodecies infusa, & decocta quendam curasse à morbo Venereo. Tempus exhibendi decoctum sumitur à præsentia indicantis; Ideo si necessitas vrgeat licebit illud prębere etiam media Hyeme, & Aestate: si autem morbus det inducias, Vere & Autumno operatio hæc instituenda erit. Quantitas syrupi pro varietate ætatis debet esse varia: Nam pueris duæ, tres, vel quatuor vncię satis erunt, adultis autem septem, vel octo: Neque enim consulo, vt in grandęuis à quattuor vnciis incipiatis, vt consulit Ferrus, & gradatim vsque ad octo ascendatis, hæc quantitatis mutatio alterari quidem potest pro patientis consuetudine. Nam quibus consuetudo multi potus non fuit, satis est vncias v. vel vj. prębere; Cæteris autem, vt dictum est, vc. viij. dentur horis 4. ante cibum, cibusque sit panis nautici vnc. iij. passularum vnc. ij. nucleorum pinus, vel pistaciorum, vel amygdalorum torrefactorum vnc. j. ex secunda aqua bibant ad libitum. Hæc validis pituitosis pauco assuetis cibo. Imbecillioribus autem, vel assuetis multo cibo concedatis duas, vel tres vncias carnis assę, vel ouum sorbile saltem in primis diebus; post octo primos dies, si facilè inediam sustineant, à carne, & ouo abstinendum; vltimis autem diebus, si imbecilliores fuerint ad pleniorem victum iterum redeundum.

De Medicamentis tempore decocti. Cap. XXVIII.

Scio hac in parte multas occurrere difficultates circa victum tenuem, circa sudorem, & circa medicamenta, de quibus omnibus sigillatim dicendum est. Et primò quo ad medicamēta; Vnus Montanus ex his quos ego vidi, purgātium medicamentorum vsum decoctionis tempore prohibet: Ait enim neminem ad decoctum accedere, qui prius diligentissimè non fuerit purgatus, frustra ergo (ait) corpore purgato administrantur medicamenta. Hæc Montani ratio quanquam apparens, claudicat tamen. Lues Venerea, vt dictum est, tamquam venenum semper humani corporis humores paulatim corrumpit, ita vt licet corpus ante decoctum sit purgatum, a Lue tamen non sit immune, ideò quotidie noua colliguntur excrementa. Hinc factum est, vt Medici ad hęc purganda, vt alexipharmacum fortius operetur, medicamenta iniunxerint, Sed hac in parte duo apud Medicos vsurpantur: Quidam singulis octo diebus medicamentum purgans exhibent, alij verò singulis diebus, vel alternis. Recentiores quidam vtrumque modum improbant, dicuntq; hanc operationem sudorem ipsum vel prohibere, vel saltem vtramque operationem tamquam per vias valdè oppositas factam ægrotanti esse molestissimam. Ego verò puto vtrumque tutò & absque molestia fieri posse. Primò quidem, si singulis octo diebus medicamentum præbeatis, nullus sit motus naturæ contrarius; Nam eo ipso die nemo sudorem excitat, neque ratio persuadet, vt motus, qui fit vno die, vel impediat motum alterius diei, vel faciat illum laboriosum, quinimò dum purgatur corpus, aperiuntur vię, tolluntur crassi humores, sudor ipse facilius excitatur. Itaque purgatio singulis octo diebus facta, licet sudor diebus excitetur, non est laboriosa, neque molesta. Quod pertinet ad euacuationem singulis diebus factam, ego hanc puto in illis fieri debere, in quibus sudor vel non pōt, vel non debet excitari, Non pōt in quibusdam, qui uel sūt usque adeò dura cute ut nullo ingenio possint sudare. Non potest etiam in illis, quibus quamprimùm sudorifica administrantur, statim superuenit lipothymia, & syncope, in his decoctioni misceri possunt purgantia: Miscenda quoque sunt in his, qui non debent sudare. Quales sunt isti? Hi sunt, in quibus Lues Venerea non obsidet artus, neque cutem, neque denique corporis ambitum, sed potius circa uiscera propria posuit sedes, in his quędam euacuantia sed mitiora singulis diebus misceri possunt. Hunc medendi modum licet ex Galeno, antiquioribusque Medicis omnibus elicere, qui laborantibus Iecoris partibus, quæ ad simam spectant deiectoriis vtebantur; contra verò in affectu gibbæ, ac cæterarum supra gibbam, diureticis, ac sudorificis. Pari igitur ratione nos quoque in Venerea Lue ad Ventriculum, ac Iecoris simam spectante, potius deiectorijs, quam diureticis vtemur: quamquam in vtroque laborante loco, vtramque medendi rationem quando-

que accipi posse apud Galenum pro comperto A habeo, magis tamen hanc, quam illam. Sint verò hæc, quæ decocto misceantur. Senna, Epithymus, Polypodium, quorum dosis est à drach. j. vsque ad vnc. s. habita ratione ætatis, consuetudinis, &c. Præter cætera argumenta, quæ contrà purgantia, & sudorifica tempore decocti administranda proponuntur, vnum est ex Hipp. 2. Aphoris. 16. cùm ait: Vbi fames, laborandum non est, tunc dicunt isti: tempore decocti instituitur inedia, quam famis nomine authore etiam Gal. in Com. significauit. Ex Hipp. ergo in tali inedia neque medicamentum, neque sudor est imperandus. Quod apertè etiam docuit Galen. in Com. Huic obiectioni satisfaciens idem Galen. lib. de Venæ sect. contra Erasistratum, cap. vltimo, ait inediam corpora non euacuare, probat exemplo eorum animalium, vt serpentum, quæ totam hyemem siné cibo in latebris degunt, ex quo infert exercitationem, vel calorem illum esse, qui corpora nostra extenuet, & difflationem faciat. Itaque ex hoc sequitur eorum corpora, qui decoctum assumunt ex inedia non difflari, aut consumi, neque ob exercitationes, quia in loco concluso morantur, ergo ob vnicum sudorem, vel purgationem per longa interualla exhibitam, quæ vtraque operatio fit multis etiam præceptis Medicis seruatis, vt scilicet eo die, quo patientes sumunt medicamentum, accipiant oua, ius, & carnem, quæ C pertinent ad victum plenum. Sudor autem in corporibus obesis, & pinguibus, cum multa etiam inedia, tantum abest, vt obsit, quin potius ad extenuationem corporis aliquin multis affectionibus subiecti, mirificè prodesse possit; vt ideo Hipp. 2. epid. t. 14. in istis carnibus mollioribus, & humidioribus ad eas exsiccandas illū imperauerit; In siccioribus verò consulo, vt sudores, & per rariora interualla, & breuiori temporis spaciò, & minori cum molestia excitetur; Ideò vel semel tantum in die sudent, vel etiam alternis diebus, largius bibant, neque tenui vtantur victu. Sudor excitari poterit in humidioribus sicco aliquo vapore; In siccioribus autem, vel Vesicis, aut cucurbitis multa aqua calente refertis, in qua bullierint Camomel. Anet. Melilot. Puleg. Carduus benedict. Dictam. Scordium, Calament. montan. semina lini, Iunip. Saluia, & Ros marinus que Vesicę vel Cucurbitæ sub axillis intra, & extra femora imponantur. Non displicet modus sudandi sub tentorio vndique munito, dum sedet patiens in tina, seu vase ligneo cum lapidibus ignitis, quos præscripto decocto frequenter inspergite. Caueant autem, qui sudant in cubilibus, ne plus quàm semel in eodem linteamine illoto sudent, sed singulis vicibus mundum sit linteamen. In agrestibus hominibus, vt nautis, rusticis, &c. concedi potest sudor in remigando, in fodiendo, vel alijs etiam, in lusu pilæ, vel follis, dummodo tamen hi quoque exterso sudore mutent indusium. Caueant ab aere frigido at bono vtantur victu.

De victu. Cap. XXIX.

Venio ad obiectiones contra tenuem victū. Multi sunt ægris, vt puto, indulgentiores, quàm vtiliores, qui tenuem victum improbant. Habent apparentem Hipp. authoritatem primo Aph. 4. & sequentibus. Victus tenuis exquisitus in morbis longis, &c. Tum addunt: Diæta quadragenaria conuenit morbis chronicis, ergo talis non conuenit in præsenti casu. Huic argumento multipliciter respondemus, primo, negantes quadragenariā hanc Diætam ad Chronicos B morbos petinere: Morbi qui intra dies quadraginta iudicantur ab Hipp. acuti nuncupantur primo Prognost. xxv. spirationis facilitatem ait magnā habere spem ad salutem in morbis acutis, qui cum febre sunt, & intra dies 40. iudicantur. Secundo possumus dicere, hunc victum de quo ante memini non esse tenuem. Tenuissima victus ratio apud Hippoc. vt docet Galenus primo Aph. 4. est nihil dare, tenuis victus est ille in quo concedebant patientibus semel in die melicratum, aquam hordei, vel cremorem ptisanæ, sed addit Gal. loco citato, in modica quantitate: nam si detur in multa, excedit victum tenuem, sed sic est, quod nos istis concedimus vnc. iij. panis biscocti, vnc. ii. passularum, vnc. i. vel ii. nucleorum pinus, aquam ligni ad libitum, & bis in die syrupos accipiunt. Qui ex eorum omnium probatissimorum authorum sententia, qui de facultate ligni scripsere, insignem habent nutriendi facultatem, ideo non est tenuis victus. Tertiò illud accedit, quod docuit Gal. passim, præcipuè primo Aphoris. 9. Rationem instituendi victum non tantùm à morbi tempore esse instituendam, quantum à viribus, & ideo dicebat Hippoc. primo Aph. 9. Cōsiderandum esse, an æger vsque ad statum cum tenui victu possit sufficere; si videatis itaque illum esse debilem, vel futurum debilem, vt sunt graciles, biliosi, raræ texturæ, qui os ventriculi habent sensibile in tempore anni calido, hisconcedatis saltem ab initio & oua, & carnes, vt tempore status tenuem victum seruent; Si verò D sint pingues, & obesi, frigidæ, & humidæ temperaturæ, qui facilè inediam sustineant, istis cibus propositus, & etiam tenuior erit satis. Itaque sicuti omnibus tenuem illum victum instituendum minimè persuadeo, ita ferè semper illum præcipio & consulo, quem & populi Indi, à quibus modum sumendi decoctum accepimus, sine noxa seruant, & cæteri omnes probati Medicinę scriptores tamquam vtilem amplexi sunt. Quantum ad aerem, in tempore anni frigido, vel constitutione frigida, ab externo aere abstinendum. In constitutione, & tempore anni, ac regione calida, aliquando, præcipuè post prandium, externa aura concedi potest. Fugiant Vene-

Venerem per integrum etiam mensem ab accepto decocto; aluum lubricam seruent, vel clysteribus, vel decocto Sennæ, vel Senna imposita ad dr. ij. cum syrupo matutino, quo in casu eo die non sudent. In cæteris, iocis & ludis incumbant. Et hæc de modo administrandi decoctum simplex.

De exhibendo decocto composito. Cap. XXX.

IN simplici affectu, simplex quoque conuenit curandi ratio, in composito composita. Hactenus de simplici, nunc ad compositam transibo. Componitur autem hoc medicamentum ex ligno, aut cum cortice eiusdem ligni, vel Salsa, vel China, vel Sassafras, vel denique herbis, varijs partibus, & affectionibus accommodatis. Porrò morbi, & symptomata, quæ cum ipsa Lue copulantur, eiusdem sunt naturæ, & tenoris, vel diuersi. Ratione eorum, quæ eiusdẽ sunt naturæ, vt sunt tophi, dolores, affectusque alij curanei, permiscuere Medici cum ligno, Salsam, Corticem, & Chinam: Ratione verò affectionum aliarum, Sassafras, aliasque plures radices, & herbas: nam cum hi morbi, qui cum Lue complicantur, vel similem, vel diuersam requirant curandi rationem, qui consimilem requirunt, frigidi sunt omnes, Destillatio, Epilepsia, Paralysis, Stupor, Asthma, DyspnæaDolor articularis, Colicus, Cachexia, Hydrops, quæ affectiones, ac partes quandoque illud idem amant auxilij genus, quod idem requirit Lues ipsa, calidum videlicet, & siccum, tenuium denique partium, ac diaphoreticum, quandoque verò omninò diuersum. Etenim siue in Lue appareant tophi, siue copulentur Destillatio, Tussis, Asthma, Cachexia, Ventriculi imbecillitas, Hydrops, Articularis dolor, vel alius affectus frigidus, permiscentur, quæ tophos attenuant, pituitam siccent, intemperiem corrigant: vt Salsa, Cortex ligni, Sassafras, Betonica, Menta, &c. Quod si febris aliqua appareat, præcipua tabida, vel macies sine febre, aut melancholia, in his omnibus varia permiscentur medicamenta pro partis laborantis, ac affectionis varietate. Cæterum, non defuere Medici, inter quos est Antonius Gallus, in suo tractatu de ligno non permiscendo, qui Vlrici Huteni Equitis Germani, sensententiam secutus, ligni Sancti commixtionem acerrimã improbat, nec tamen aliam habet rationem, quàm quod sanctum hoc medicamentũ cœlitùs datum tot aliis medicamentis obscuretur, & infringatur. Cuius sententiam non accipiendam puto, qui existimo, vt iam dixi, in affectuum complicatione, complicatum esse dicere decocti administrandi modum. Dabo igitur formulas componendarum decoctionum in singula complicatione. Si ergo sit Lues cum tophis, & doloribus, admiscenda est Salsa, Cortex Iua præterea, & Saluia. V. g.

℞. *Ligni Indici vnc. vj.*
Salsæ vnc. iij.
Corticis vnc. ij.

Infundantur s. a. in aquæ lib. xij. bulliant ad consumptionem medietatis. In fine adde

Iuæ,
Saluiæ, an. m. j.

Facta expressione seruetur pro syrupo. Residua sine herbis in aquæ lib. xv. bulliant ad tertias pro potu. Si affectus sint Cutanei pustulæ, scabies impetigo, & crustę, Chinæ permixtio mihi maximè placet: Licet non defuerint, qui hanc quoque permixtionem alio ex capite improbarint, quod scilicet dicant Chinæ decoctum vltrà vnam diem statim acescere; ideo si cum ligno misceatur, totam decoctionem acidam reddere, sed vbinam hoc inueneritin, nescio. Parani decoctum Chinæ aliquando pro 4. diebus, neque tamen acidum fieri intellexi. Itaque si optima habeatur China, in cutaneis affectibus misceatur sic:

℞. *Ligni Indicici, vnc. viij.*
Radicis Chinæ, vnc. j.

Infundantur in aquæ lib. xij. fiat decot. ad cõsumptionem medietatis; In fine adde

Fumariæ,
Scabiosæ,
Lupulorum, an. m. j.

Facta expressione, seruetur pro syrupo. Residuum bulliat, vt dictum est. Si adsit Gonorrhœa, Cortex numquam est imponendus, Salsa, vel China immisceri potest, vt dictum, est. In fine decoctioni addere oportet

Foliorum Nymphææ,
Hordei, an. m. j.

Sed si Lui Venereæ addantur, vt dixi affectus disiuncti ab huius affectionis natura, considerandum primò, vt dictum est, numquid similem, an dissimilem requirant curandi rationẽ: si similem, decoctum eo modo est conficiendum quantum ad Lignum, Salsam, & Chinam, vt nuper dictum est: sed addere oportet, & Sassafras, & alia medicamenta, quæ singulas respiciunt affectiones, & loca: Ideò in affectionibus capitis in fine decoctionis addere poteritis Betonicam, Stœchadem, Maioranam, Pæoniam. In affectibus thoracis, Botriderin, Farfaram, Pulmonariam, Irim, Prassium, & Hyssopum. In affectibus Ventriculi, & Intestinorum, Absinthium, Mentam, Calamum aromaticum, Squinanthum, vtramque Spicam, Semina odorata. In Cachexia addere poteritis Pulegium, Origanum, Calamenthum, Rutam. In doloribus articularibus,

ribus, Iuam, Saluiam, Roremmarinum, Iuniperum: Sicque iure optimo, & vera arte, affectus istos Lui complicatos sanabitis. Quod si diuersam requirant curandi rationem, difficile est his succurrere. Requirunt autem diuersam curandi rationem Febris putrida, Hectica, Phthisis Macies, Intemperies calida, & sicca iecoris, vel totius, Melancholia. Quid in singulis agendum, exponam.

Si lui Venereæ affectus copuletur, qui contrariam exposcat curandi rationem ab ea, quæ per ligni Indici facultatem perficitur, considerandum primò, numquid ille affectus sit soboles Luis, an potius causam habeat à Lue seiunctam: Si causam habuerit separatam, considerandum deinceps, quisnam ex ipsis magis vrgeat: nam si B magis vrgeat Lues, huic vel primò, vel maximè incumbendum, altero non neglecto: Si magis vrgeat alter affectus, huic quoque vel primò, vel maximè incumbendum, Lue non spreta. Supponamus ergo pro exemplo aliquem putrida febre laborare, & simul Lue Venerea, habeatque febris causam à Lue seiunctam; Febri primò, & maximè incumbendum, quandoquidem & purgationes, & alterantia, & victus tenuis, qui in putridis administratur ad Luis curationem viam reddit facilem. Quod si febris sit quidem putrida, putredo tamen ex Lue exordium sumat, talem decocto ex ligno Indico curare oportet, C præmissis tamen illis purgationibus, quæ proprium vniuscuiusque humorem respiciunt, additis præterea herbis, vel refrigerantibus, si febrilis calor sit maximus, vel deobstruentibus, si cum febre, & lue viscerum tumores, vel obstructiones absint. Sudor in febre mitiori, & parua, semel saltem singulis diebus excitetur: In vehementiori intermittatur, quinimò si multum intendatur, per duos, vel tres dies intermittendus erit decocti vsus. Tunc autem vel sero Caprino, vel aquis, vel decoctis refrigerantibus vtendum est. Refracto calore ad decoctum, & sudorem iterũ redeundum. Reiterentur autem in his casibus sæpiùs medicamenta; Quando scilicet febris ex D obstructione ortum duxerit. Sint autem leuiora, vt infusio Sennæ in decocto, vel Pilulę mastichinæ, & de Tribus cum Rhabarb. ad scr. ij. hora vna ante cœnam exhibitæ, & sequenti die, quando exspectatur euacuatio, sudor intermittatur. Quòd si febris fuerit Hectica cum Lue tamen cõnexa, in hoc etiam casu considerandum, an sit cum tabe, vel sine; si cum tabe, alterum duorũ agendum, vel ante vsum Ligni corpus humectare, & aliquo modo renutrire oportet, vel vno eodemque tempore vtrumque præstare. Humectabitur, & renutrietur anteà balneis aquæ dulcis, inunctionibus accommodatis, epithematibus & vnctionibus cordi, iecori, & renibus, lacte, & optimis cibis. Simul & semel vtrumque fieri poterit; si simul cum lacte exhibeatis vel vnc. s. extracti ex ligno, vel guttas v. vel vj. olei ex ligno in eodem lacte, vel conficiatis decoctum in A hunc modum.

℞. Ligni Indici optimi, vnc. iiij.

Infundantur s. a. in aquæ lib. xij. deinde ponatur in ventre vnius optimæ pullæ addendo

Penidiarum, vnc. j:
Amygd. dulc.
Nucleorum pinus,
Seminum melonũ mundatorum, an. vnc. ij:
Cochlearum, num. vj.
Carnis testudinis nemoralis incisæ, & lota in aqua
Farfarę vnc. iij.
Hordei mundi, p. s.

Bulliant simul omnia vsque ad perfectam carnis pullę coctionem, deinde exprimantur per torcular, & huius decocti dabitis quotidie vnc. vj. vel vij. In quo casu neque sudor excitetur, neque victus tenuis instituatur, sed neque actu exsiccans; quinimò ęger vtatur ouis, iusculis, panatella, & ptisana, aluusque leuibus clysteribus fluida seruetur. Et si tabes phthisi fuerit connexa, in dicto decocto addere oportet aliquid pulmonis præparati, amylum, tragacantum, gummi Arabicum ad drach. j. pro singulo, bolum Armenum, & terram Lemniam, quæ & siccandi, & agglutinandi vim habet: & certè si in qua tabe ligni decoctum conuenit, in ea conuenit quæ fit ex pulmonis vlcere quod quidem ex tali decocto siccatur, & cicatrisatur, vt inter cæteros experientiæ comprobarunt Philip. Ingrass. in cons. pro Ducę Terræ nouæ, & Fracastor. 3. de morbis contagiosis: Quod si simplex calida, vel Iecoris, vel totius corporis intemperies Lui Venereæ sit connexa, purgatio præcedens diligenter corpus ipsum præparet ad decocti qualitatem per refrigerantia sæpius reperita, fiatque infusio in aquis stillatitijs Endiuiæ, Sonchi, aut Cichorei, aut etiam in aqua hordeacea, dummodo tempus anni non sit feruidum, & decoctio non transeat secundam diem, alioquin acescit, & corrumpitur decoctum. Fiant etiam iecori, & cordi epithemata; Et si calor vigeat, exhibeatis semper ante decoctum vel drach. j. succi Endiuię condensati, vel vnc. j. succi liquidi, & post singulos quatuor dies vtamini semel, vel etiam bis, si vigiliæ, & sitis vrgent, serum caprinum ad lib. 4. & 5. neque in purgandis hisce corporibus transcendatis vsum Cassiæ, vel syrupi rosacei cũ sero dicto. Idipsum de melancholia dicendum; Si lui Venereæ melancholia annectatur, quæ ex Lue pendeat, Lui pręcipuè occurrendum, non prætermissis remediis, quæ melancholiæ conferunt, de quibus publicè satis dictum est.

De

De Affectibus Luis augescentis, & primò De Rimis. Cap. XXXI.

IN Lue Venerea augescente multa reperiuntur symptomata, ac morbi, qui nec purgationibus, neque alexipharmacis dictis curantur, sed manualem quærunt operationem, de quibus nunc sigillatim dicemus, sumpto initio à fissuris manuum, & pedum, descendentes deinceps ad totius corporis pustulas, & crustosa vlcera, deinverò ad alia quoque omnia faucium potissimum, pudendi, vteri, ani, postq. erit sermo de inueterata Gonorrhæa, ac Capillorum defluuio, quæ omnia circà hoc tempus contingunt. Quod ergò pertinet ad manuum, & pedum fissuras; B istæ ferè semper cum insigni cutis siccitate, scabritie, & duritie existunt; ideò locus ante omnia est emolliendus. Emollitio fit vel lotione ex Malua, Althæa, sem. lini, Plantagine, & Hordeo in aqua simplici decoctis, vel, in maiori siccitate, in iure capitis Castrati; lac quoque, & lanarũ aqua in his casibus probatur: Alij etiam per 6. vel 8. dies gerunt super manus Omentum Castrati, vel Vituli, vel Suis. Hoc Linimentum etiam duplicem præstabit operam, emolliendi, & moderatè siccandi.

℞. *Lithargyri subtiliter puluerisati, vnc. j* C
Cerusæ lotæ in aqua rosarum, vnc. s.
Mucilaginis Psylij, vnc. j. s.
Pinguedinis gallinæ,
Succi Plantaginis, an. q. s.
misce f. linimentum.

Agitetur in mortario plumbeo, cum pistillo plumbeo per horas 4.

Cæterùm, ad perfectam harum fissurarum curationem, aquæ fortes à scriptoribus proponuntur, quarum aliquæ, quæ argentum sublimatum, & aquam Capitelli recipiunt, tamquam nimis validæ, mihi non probantur, vel si sublimatum in hunc vsum accipi debeat, ita preparetur.

℞. *Argenti sublimati, drach. ij.* D
Auripigmenti, drach. j.

Coquatur ouum vsque quo durescat, & sublato cortice, ac luteo, dum adhuc feruet, sublimatum, & auripigmentum in cauitate albuminis reponatur, tota vero hæc materia in Linteo inuoluatur, & exprimatur super aquæ Plantaginis vnc. ij. & vnc. j. aquæ Rosarum. Hæc aqua, & in his, & alijs quoque vlceribus erit vtilissima. Vnum tamen dicam, quod expertus sum in muliere, quæ octo annos continuos has manuum fissuras gesserat, & inutiliter omnium & Venetorum, & Patauinorum Medicorum opera vsa fuerat, quo sanè, & breui, & facilè fuit curata: Est autem Succus illius herbæ, quam A alii Arthemisiam, alii Tanacetum vocant. Dum administratur hic succus cauendum est ab omni manuum lotione, & penna hoc ipso illita, in singulas rimas succus inseritur. Expertus sum hunc ipsum succum in impetigine, in vlceribus crustosis, & successit curatio feliciter. Sic poteritis pedum, & manuum rimas curare.

De Pustulis. Cap. XXXII.

QVo ad pustulas, istæ exsiccandæ sunt, cicatrices deinde sunt delendæ. Ad exsiccandas valet aqua iam dicta, valet eius succus. Probatur etiam succus Heliotropii, Herbæ Verucariæ; Conuenit illitio ex oleo per ligni extractionem facto cum sulphure, in pollinem redacto. Omnium præstantissima est aqua ex Tartaro descripta ab Alphonso Ferro lib. 3. cap. 4 quæ Patauii est venalis apud Pharmacopolam ab Angelo, & est duplex, prima fortissima, quæ fit ex sola Tartari exsudatione, secunda minus valida, quæ fit per additionem aquæ supra Tartarum, ex quo proxiam aqua defluxerit. Valet, autem hæc aqua, & ad siccandas pustulas, & ad delendas maculas. Cæterum maculas quoque miro quodam modo delet aqua Tabaci per alembicationem extracta.

De Vlceribus. Cap. XXXIII.

IN Vlceribus autem crustosis, quę magna ex parte frontem, & caput infestant, ante omnia crustam amouere oportet, tollitur autem vel butyro imposito, vel seuo, vel rosaceo, vel aliquo adipe. Vtrumque tamen præstat, crustæ scilicet ablationem, & saniei abstractionem pręcipitatum butyro mixtum, vt sit præcipitati drach. j. butyri autem vnc. j. Sublata crustra, considerandum an patientes sint in principio curationis, vel in fine; si in principio, quidquid alii dicant, ego præcipitatum non laudo, nam citissimè cicatricem inducit: In principio autem vlcera manantia potius, quam statim sicca sunt reddẽda: Apponantur itaque super filamenta digestiuum ex Terbinthina, oui luteo, ac melle rosaceo, ac superponatur Diachylon, vel sacrum Ceratum. Quod si iam vniuersalis curatio sit propè finem, siccantia, & cicatrisantia probantur, præcipitatum inter cætera, quamquam ego in his vlceribus siue capitis, siue aliarum partium, nihil præstantius inueni illo puluere, qui fit ex corticibus longarum chamarum vstis, & probè læuigatis. Hoc vnico puluere breuissime sanaui vlcera & capitis, & aliarum partium ægrè admodum sanabilia. Inspergitur puluis, super quo ponitur, vel vnguentum palmeum, vel ex betonica, vel barbarum, vel Giluum, vel aliud ex siccantibus. Quod si vlcera sint in faucibus, quæ non sint sordida, neque venefica, facilè curantur gargarismate

ex aqua plantaginis, in qua ebullierint cortex A Granatorum,Rosę, Myrtus,& Aluminis portio. Sed sordida vlcera alia requirunt remedia fortiora: Inter hæc est aqua illa Tartari prior,quæ vlceri apponitur per gossypiū extremitati vnius stili infixum, & in aqua imbutum.Idem facit, & fortius, oleum ex sulphure, aut ex Calchanto, neque periculosa hęc sunt, vt quotidiè experior: Conuenit tamen in illis, qui calidore sunt temperamento, post pusillum temporis fauces abluere, vel aqua plantaginis, vel seminum emulsione,vel lacte,vel sero, sicque curantur vlcera harum partium.

De Prauis Vlceribus Cap. XXXIV.

IN augescente Venerea Lue vlcera plerumque in multis apparent corporis partibus ægrè admodum sanabilia, quæ ideo & Telephia, & Phagedænica, & Dysepulotica, & Cancerosa, & Fistulosa nuncupari possunt; De quibus sigillatim quidem dicam, ita tamen vt prolixitatem, & confusionem prorsus effugiam. Itaque quidquid sit de tot, & tàm variis vlcerum nominibus, & differentiis, mihi certò persuadeo nullum ægrè ad sanitatem perduci, nisi ob duas præcipuas causas, videlicet partis morbum,vel obiectum improportionatum.Partis autem morbus in duas subdiuiditur differentias, in intemperiem, & malam aliquam compositionem. Obiectum etiam improportio- C natum in duas distinguitur species in ichorem, & sorditiem; vt ideò ad vlcus diuturnum curandum, vel vnum ex his, vel plura, vel quandoque omnia sunt superanda. Et quo ad intemperiem, si fuerit calida, supposita corporis prouidentia, de qua satis dictum est, abluenda est pars vlcerata, vel sero Caprino, vel aqua Hordei, Plantaginis, decocto Violarum, Rosarum, & Nymphææ, Inungenda est Rosaceo, vel Infrigidante, vel Sandalino, vel de Cerusa, Camphorato. Quod si fuerit frigida, lauanda est vino, in quo Lignum, & Gentiana,Scordium,Aristolochia,& similia ebullierint. Quod si tumor ad sit, videndum qualis sit tumor, & si fuerit inflammatorius, ac principiū D sit inflammationis, reprimenda est fluxio, blandis tamen medicamentis, ne virulentia partes petat præcipuas. Ideò conuenit succus Arnoglossæ cum lentibus coctis,& contusis,conuenit vinum rubrum,& subastringens,Rosis,Plantagine,& Ligno alteratum.

Quod si iam progressa sit inflammatio, pus est mouendum superposito Emplastro ex farina hordeacea, triticea, mixta cum axungia suilla, oleo de semine lini, ac decocto maluarum, altheæ, & seminum lini. Super vlcus autem imponantur filamenta digestiuo intincta, quod componitur ex Terebintina lota cum decocto ligni sancti, oleo rosaceo, ac vitellis ouorum. Excitato pure, quid sit agendum, intelligetis suo loco.

Quod si tumor sit durus, hic est emolliendus, & vt obiter hocdicam, frequentes contingunt hæ durities ex imperitorum temeritate, qui statim ab initio in vlceribus Venereis aquas fortes, vel oleum ex calchanto adhibere solent; Tollatur itaque durities linimento tali.

℞. *Mucilag. Psyllij, vnc. ij.*
Medullæ cruris bouis, vnc. j.
Pingued. Gallinæ,
Anatis, an. vnc. s.
B *Misce f. Linimentum.*

CAeterum super ipso vlcere nihil præstantius inuenitur ad extrahendum callum, & duritiem, præcipitato cum butyro permixto, vel pinguedine anatis: Non est tamen sæpè hoc medicamentum, & continuatim repetendum, sed semel, vel bis; posteà fouendus est locus decocto ex malua, althæa, & semine lini, imponendumque digestiuum ex Terebinthina lota in aqua scabiosæ, cum melle rosato, & vitello oui. nam sic callosa substantia ui præcipitati extincta paulatim separatur, remanetque caro ipsa rubra. Quòd si id prima, vel secunda vice non contigerit, post tres, vel quatuor dies denuò poterit repeti. Neque hæc operatio prętermittenda est ob suspicionem materiæ retrocedentis, vt putant Alex. Traian. Pręcipitatum enim cum bûtyro, & adipe tantum abest, vt reprimat quin potius omnem extrahat virulentiam. Non accipio quidem hac in parte Fallopij consilium, qui etiam ad argentum viuum descendebat. Nam certè hoc medicamentum, vt intelligetis, agit reprimendo, Præcipitatum autem ob aquam illam fortem ex vitriolo, & alumine habet vim extractoriam. Placet etiam mihi vt vlcera iam à callosa carne mundata,non statim siccentur, & cicatrice obducantur, sed adaperta conseruentur digestiuo imposito,quod paulatim pus moueat, & omne virus extrahat. Cæterùm, si caro excrescens tumorem faciat calidum, & si pauca & mollis,tollitur solo puluere ex conchis,testisque,vel purpurarum, vel buccinarum: Tollit hanc ipsam, vbi frigidior sit puluis ex pumice, ex sabina, alumen vstum, Sory, Misy. Quod si maior fuerit copia, ad fortiora quoque est accedendum, ad vnguentum Aegyptiacum, & si fuerit pauci sensus, ferro etitm poterit exscindi. Sic itaque tollitur impedimentum curationis vlcerum ex parte morbi. Quod si impedimentum fuerit ex sordibus crassis abstergendæ, & emundandæ sunt sordes.Absterguntur aqua mulsa,vino mulso,lixiuio mixto cum melle rosaceo,aqua salita,præcipuè marina, vel sola, vel cum melle mixta: Muria quoque in valdè sordidis vlceribus pro lotione vtiliter administratur. Super filamenta autem conuenit, vel vnguentum Aegyptiacum

cum

cum, vel ipsummet præcipitatum cum melle mixtum, quod sicuti callum, ita & crassam sordem mirificè ab vlceribus tollit. Sublata sorde, siccandum est vlcus, & eò magis si ichor vel multus, vel calidus, & acris, & veneficus fluxerit: cui quidem primò conuenienti victu, medicamentis purgantibus, & reuellentibus prospiciẽdum est, deinde verò munientibus partem affectam, quæ componuntur ex succo plantaginis, aceto, bolo Armena, & sanguine Draconis. Denique siccandum est vlcus, vel Tuthia, vel puluere concharum, vel buccinarum, vel rosarum, vel alio consimili, vel etiam eo, de quo in præcedenti lectione memini, confecto scilicet ex chamis longis vstis, & puluerizatis. Hæc in vlcere, quod iam careat intemperie, & tumore, & omni sorde tutò & citò carnem generabunt, & cicatrisabunt.

A

B

De occultis vlceribus. Cap. XXXV:

PRæterita vlcera quanam ratione curentur iam dictum est; Nunc autem de occultis agam. Occulta sunt aliquando in glande sub præputio, quod minimè reduci potest, quod vel à natura, vel ex tumore constrictum fuerit. Occulta sunt etiam, quæ in canali pudendi, in vtero, & recto inueniuntur intestino, multi tamen omnia negotij, & periculi. Quæ ergo sub stricto præputio continentur, dupliciter curantur, vel iniectionibus medicamentorum per syphonem inter præputium, & glandem, & impositionibus linteolorum vnguentis imbutorum, quę in summitate styli imposita vlceri adaptantur: nam etsi vlcus non videatur, ex dolore tamen innotescit: Fiant itaque & lotiones, & vnguenta, pro varijs intentionibus varia, vt in præcedenti diximus lectione. Alter modus est, vt pręputium naturaliter constrictum secundum longitudinem incidatur: ex tumore autem tale redditum medicamentis mollientibus ad pristinum redeat statum. Erunt autem mollientia Emplastra ex lacte, farina, seminibus lini, mucilagine psyllij, vel maluæ, adipibus, & oleis emollientibus, fomentisque ex malua, althęa, & lini semine, quæ si in aqua lanarum incoquantur, erunt efficaciora: Nam & ipsa lanarum aqua, & vnguentum ex illarum sorditie confectum vtiliter in hunc vsum accipitur. Sed si vlcera sint in canali pudendi, & ea quidem magni negotij, plerumque sunt in sanabilia. Habent enim sorditiem, & carneam excrescentiam, quæ vrinę emissionem magna ex parte impediunt. Itaque vt leuiora vlcera sanari possunt iniectione aquæ plantaginis coctæ cum alumine, lithargyro, & cerusa, ita, quæ habent sorditiem, & carneam excrescentiam efficaciora requirunt. Docebo vos linimentum, quod pro secreto quidam habent, in his casibus, & eo satis feliciter vtuntur.

C

D

℞. *Præcipitati bene præparati, vnc. j.*
Argenti sublimati,
Plumbi vsti, an. drach. j.
Axungiæ suillæ, vnc. vj.
Ceræ albæ veteris, drach. j. s.
Camphoræ, scrup. ij.

Primùm quidem pręcipitatum, argentum sublimatum, & plumbum diligentissimè sigillatim supra porphyrium terunt; deinde decies sigillatim in aqua rosacea lauant, exsiccant in vmbra, teruntque denuò, postea axungiam, & ceram similiter in aqua rosacea decies lauant, deinde dissoluunt in ollula noua lento igne, addendo Camphoram, & alios pulueres semper agitando, donec fiat linimentum debitę formæ, Hoc medicamentum administratur per candelas, quæ sic componuntur.

℞. *Ceræ albæ, vnc. v.*
Terebintinæ, vnc. j.
misce fiant candelæ.

Has candelas intingunt hoc medicamento, & in virgam immittunt: Nam & carnem erodunt, & sordem tollunt. Cęterùm quendam vidi medicamentum imponentem super linteola admodum subtilia extensum; Inuoluebat enim subtili quodam stylo pręlongo, deinde imponebat in virgam, & in vertendo stylo relinquebat linteolum, cuius portio tamen extrà orificium pẽdebat, vt posset facilè, & quocumque tempore extrahi. Ego verò alium quoque excogitaui modum per aptas quasdam fistulas stylũ habentes reconditum in paruo linteo, super quo medicamentum extendatur, de quibus alibi plura. Sublata carne, quod cognosci potest ex vrina, quæ sine impedimento excernitur, imponendum est deinceps vnguentum exsiccans, ac dolorem demulcens; quale est, quod componitur ex butyri recentis vnc. ij. cerusæ lotæ in aqua rosarum vnc. j. Camphorę scrup. j. & modico cerę albæ. Sed si vlcus fuerit in vtero, illudq; sordidũ, & depascens, atque penitiores obsederit vteri partes, est prorsus insanabile. Quod verò mitius est, curari solet insessionibus, pessariis, & iniectionibus. Fiunt insessiones in aquis thermalibus, pręcipuè verò aluminosis, & salsis, quibus lignum, & salsa sunt coquenda: Conferunt iniectiones ex decocto plantaginis, scabiosæ, oliuæ, ligni, & salsę aluminis; conueniunt pessaria ex succo plantaginis mixto cum puluere aluminis, nitri, bolo Armena, & similibus siccantibus, de quibus in hesterna lectione. Sed si sordida sint vlcera, iniectiones fiant ex mulsa facta in aqua thermali: Si maior sit sordities, fiat in aqua salsa, fiat cum lixiuio; In maiore adhuc sorditie, expedit lotioni immiscere scrup. i. vnguenti Aegyptiaci, post quam ablutionem conueniunt siccantia; sint autem decocta exmirtis,

tis,rosis,balaustijs,gallis,nucibus Cupressi,addito alumine,sale, & sulphure, imponantur linteola intincta vnguento ex Tuthia, cui admisceatur aliquid etiam lithargyri. Non improbo olea illa Hispanica, quæ sub nomine Balsami sunt venalia; suffumigia etiam per tubulum aliquem in vtero suscepta mirificè valent. Sed de modo suffumigij aliquid docendi estis; quandoquidem aliud est libros legere, aliud operari. Ego paraui suffumigia in forma rotularum; Imponebam in ollula cum prunis accensis,super ollulam imponebam instrumẽtum stanneum, quod per tubulum deducebat fumum in vterum, sed ferè momento temporis accendebatur tubulus, vt non posset sustineri, si paucæ essent prunæ, fumus non emittebatur. Paraui deinceps candelam ex cinnabari, & cera, sed cum primum candela esset sub instrumento, exstinguebatur. Itaque tandem ego excogitaui suffumigium in ea auicularum forma, quę est venalis, vocant vulgo Oseletti di Cipro sunt suffumigia communia ad dolorem excitandum facta, quæ si accendantur in summitate, paulatim accenduntur vsque ad imam partem, fumum emittunt, non exstinguntur, neque instrumentum exurunt. Paraui has auiculas ex Cinnabari,Styrace, & Belzuino, & alijs multis apud Pharmacopolam à tribus sideribus.

De Thymis & Verrucis. Cap. XXXVI.

INter cæteros morbos ac symptomata, quæ augescentem consequuntur Luem, sunt Thymi, & Verrucæ, Gonorrhæa confirmata, Capillorum,Ciliorum,Barbę,ac Superciliorum defluuium, de quibus agendum est. Primo quò ad Verrucas,& thymos pertinet, siue sint in pudendo, ano,vulua, considerandum, vtrum basim habeant angustam, extremitates verò latas necne? si enim basis fuerit angusta, ligatura, vel filo serico, vel equina seta conuenit vsquequò caro illa nigrescat: Nam vel spontè cadit, vel excidi potest, vel caustico medicamẽto corrodi; quinimo in agrestibus hominibus statim forcipe hęc omnia sunt abscindenda; permittendus est sanguinis exitus, non tamen vltra vires; deinde vstio actualis conuenit. Quod si vel grandiores sint tumores, quàm vt semel abscindi possint, vel basim habeant latam,paulatim illos consumere oportet. Multa in his casibus proponuntur, duo tamen illa sunt, quæ opus perficiunt, videlicet, vel aqua fortis, qua vtuntur Aurifices ad segregandum aurum ab aliis metallis, vel puluis Fallopij descriptus in cap. 88. ex Arsenico Crystallino, & Rubro, quod Auripigmentum vocant. Muniendę sunt autem partes circumstantes vel linimentis, vel vnguentis, & si puluis adhibeatur, sit valdè modicus, ita vt summo cuspidi vnius styli, qui habeat gossypium, leuissima portio inhęreat; alioqui multum dilatatur operatio, Vtuntur

A quidam in mitioribus oleo ex sulphure, ex vitriolo; & in paruis, ac mollibus iuuant, sicuti etiam iuuat puluis Sabinæ, vel Aurigpigmentum solùm: sed in grandioribus, & durioribus ad proposita confugiendum ęst.

De Gonorrhæa antiqua. Cap. XXXVII.

IN curanda antiqua Gonorrhœa primò omnia seruantur, quæ in Gonorrhœa recenti fuere proposita, deinde insistendum in diuersionibus, atque alexipharmacis. Deriuationes, ac diuersiones sunt omnium generum. Conuenit vomitus,alui subductio per medicamentum, & Clysteres; Conueniunt sudorifica,frictiones, & inter cætera mutatio aęris, & itineratio.

B Noui quosdam, qui solo aeris & loci mutatione à longis fuerunt liberati gonorrhœis, vel quod excitatio humores aliò diuertat, vel quod & cogitatione, & opere à rebus Venereis distant, quod in Gonorrhœa summum, ac vnicum est ferè auxilium; neque enim vllus vmquam à Gonorrhœa liberatur,qui veneri admodum liberaliter indulgeat, & frequenter de Venereis cogitet. Agendum etiam alexipharmacis, videlicet ex decocto ligni per os assumpto, & frequentioribus lotionibus circa pubem, ac testes administratis ex eodem decocto ligni, & corticis, quinimò ex iniectionibus eiusdem decocti in virgam, post quæ si quispiam voluerit,etiam adstrictorijs, & valdè refrigerantibus

C vti, id sanè mihi improbatur. Improbantur autem ista ante vsum alexipharmaci, sunt autem inter hæc succus limonum cum aqua rosacea, quibus promiscuè, & ante tempus quidam vtuntur, suppressa quidem aliquando Gonorrhœa, sed superuenientibus alijs grauioribus morbis. Itaque post vsum decocti 20. vel 30. dies administrati, laudo,vt tunc ante decoctum præbeatis succi limonum, aquæ rosæ,vel plantaginis,vel nymphææ,vel portulacæ an. vnc. ij. boli Armeni Orientalis drach. i. misce. Sciendum autem est, quod habui à quibusdam expertis Venetis; Dicunt se à Gonorrhæa statim

D curatos vsu Veneris cum muliere Aethiope. Experimentum est verum, & videtur posse confirmari ex Scaligero exercitatione 180. cap. 18. qui scribit Afros à Lue Venerea curari, dum in Numidiam, & Aethiopiam succedunt. Hæc quoque scio, si tamen literis consignem: licet ab antiqua Gonorrhæa plures fuisse liberatos qui cum vxore Virgine rem habuerunt, sed tunc mulier inficitur.

De Capillorum defluuio. Cap. XXXVIII.

QVò ad defluuium capillorum, illud non est commune, sed aliquam habet cum Alopecia affinitatem: ex Gal. enim primo de compos. per loc. defluuium capillorum ex triplici tantum fit causa, ex nimia cutis raritate,

nimia

nimia densitate,& ex materiæ defectu: Alopecia A autem fit ex prauis humoribus pilos erodentibus. Itaque in Lue Venerea cùm defluant capilli, potiùs ex erosione quàm ex alijs tribus causis, consequenter hoc defluuium Luis Venereæ maiorem habet affinitatem cum communi defluuio. Huic igitur occurrendum medicamentis, quę Luem Veneream expugnent, præmissa corporis,& capitis purgatione, de qua pluries dictum est. Nunc autem circa localia tantùm versabor; Et quia hic casus vel est in fieri, vel in facto esse, quæritur quid agendum, vbi est in fieri. Vtuntur aliqui statim decoctis adstringentibus, cùm tamen non superata Lue,& nihil proficiant,& quod deterius est, vlcera capitis, dolores, & tophos inferant. Sed dicetis quid agendum cum illis nobilibus, qui malunt mori, quàm depilari, cum Religiosis etiam, quorum morbos occultos esse oportet? In his duplex est ratio curandi; Altera, vt vsquequò vereamur casum pilorum; vtamur assiduò purgante medicamento alexipharmacis commixto, ideo accipiant vel electuarium aliquod solutiuum, vel pulueres, vel decoctiones ex ligno solutiuas, quæ medicamenta recipiant, & valida, & humori vniuscuiusque accommodata, Hoc modo quosdam præseruaui, quibus defluuium inceperat. Alia proponitur ratio curandi per inunctionem ex Hydrargyro. Afferunt quidam hac vnctione omninò defluuium capillorum impediri, putoquè id fieri posse, non tamen sum expertus; Ratio id persuadet, ideo non abhorreo. Cùm autem iam defluuium sit factum, studendum est, vt capilli, & barba quamprimùm reuocentur, ad quod hæc omnia sunt ordine agenda. Primò, si quid pilorum superfuerit, illud rasura tollendum, deinde caput lauandum vel vrina, vel vino maluatico, vel decocto.

℞. Lixiuij facti ex Cineribus arundinũ. lib. vj
Seminum Nasturtij.
Sinapis,
Euphorbij, an drach. iij.
Radicum Asphodelorum, vnc. ij.
Capillorum Veneris,
Fœnugręci, an. m. j.
Laudani,

Bulliant in dicto lixiuio pro lotione capitis. Facta lotione, fricanda est pars aspero linteo, in quo, si humores calidi abundant, sit puluis, seu cinis cancrorum vstorum, pumicis, spongiæ, ossis sepiæ (per spongiam intellige eam, quæ reperitur in rosario siluestri) fiat, frictio hoc puluere vsque ad rubedinem cutis, postea vngatur caput oleo laurino, mixta cùm sinapi, vel fiat linimentum ex adipe Vrsino, quod Galen. 11. simpl. in hoc casu maximè laudat,& felle Taurino simul cum puluere sinapis, radicis Thapsiæ, Euphorbij, & Myrrhæ, vel fiat ceratum sic.

℞. Euphorbij, vnc. s.
Sinapis,
Piperis,
Pyrethri, an. drach. j.
Batrachij pulueris.
Myrrhæ,
Nasturtij, an. drach. ij.
Resinæ,
Picis an. q. s.
misce, f. ceratum.

Quidam vtuntur in agrestibus linimento facto ex calce puluerisata, oleo rosaceo mixta. Primas etiam partes in hoc pilorum exortu putatur B habere linimentum, vel ceratum ex Cantharidibus confectum, quia & causam erosionis tollit, & materiam pili ad locum subitò attrahit.

De curatione Luis antiquæ. Cap. XXXIX.

CVm ex antiquis affectibus nemo sit, qui aut magnitudine, vel malignitate, vel symptomatum numero, & vehementia Luem Venereã antecedat, ideò si hæc aliquando antiquata fuerit, summam requirit exercitatissimi Medici diligentiam. Quantum itaque in me erit, paucis tamen, huius antiqui affectus integram curationẽ proponam. Et quia inter tot, ac tam multa mala, quæ antiquam Luem consequuntur, pręcipua C sunt tophi, ossium corruptiones, articulorum luxationes, claudicationes, cæcitates, tinnitus aurium, & surditates, doloresq; implacabiles, dicam primùm qua ope indiscriminatim his omnibus prodesse possimus, sigillatim deinceps de auxilijs verba faciam, quæ ad hunc, uel illum affectum diriguntur. Sunt autem in vsu pro antiqua Lue superanda Hydrargyrum intrinsecus, & extrinsecus administratum, inunctio scilicet, aut ceratum, suffumigium præterea ex Cinnabri, pillulæ ex hydrargyro, boli ex præcipitato, ad hæc aquæ, quas Fernel.& Rondelet. opiatas vocant, decoctũ denique ligni Indici singulari modo proponendo administratum. Versabor primum circà inunctionem, deinde circà reliqua. Omittam illas D quæstiones de natura, facultatibus,& modo operandi hydrargyri ab omnibus ferè institutas: ad præsentem enim curationem non competunt. Illud satis fuerit adnotasse, hydrargyrum, quod à quibusdam frigidum,& humidum, à nonnullis calidum,& humidum, ab alijs calidum & siccum censetur, inęqualem obtinere temperiem, idcircò operationes contrarias efficere, quod uideo sensisse Conciliatorem Differentia, 151. accepisse Alfonsum Ferrum lib. 3. c. 9. atque ideò medicamentum hoc & vlcerare,& congelare põt calorem, & inflammationes incitare ex alia parte torporem, paralysim, aliosq; frigidos affectus inducere. Oriuntur hæc ex temperamenti inæqualitate, eò quòd mixtum sit imperfectum; ideò si per calcinationem præparetur hydrargyrum,

frigida euolante substantia, quod relinquitur igneum est. Operatur autem hoc medicamentum potius propellendo, vt sentit Montanus, quàm attrahendo, vt voluit Rondelet. Propellit hoc medicamentum, si extrinsecus adhibeatur, in penitiores, & longinquas partes, atque ideò fluxum ventris, sputumq; prouitat, vt experientia ostendit. Itaque his breuiter sic determinatis, illud ad præsentem rem facere videtur, vt quæramus, numquid hoc medicamentum inunctione administratum conueniat nec ne? Ex vna enim parte Montanus, cui adhæret Fernelius, est accerrimus huius medicamenti oppugnator, & vterque profitetur nullum vnquam ab hoc medicamento curatum, sed, quod peius est, morbum fieri in sanabilem, ægrosque dentium casū incidere, oris torturam, stuporem, paralysim, tabem, omniumq; partium corporis imbecillitaté, ossium mollitiem, ita ut quasi cera flectantur. His alij quoque adhærent, vt Fracanzanus; Fallop. quoque, & si multas huic remedio tribuat dotes, tandem videtur illud potius reprobasse, quàm admisisse. Ex alia parte, si ad calculos res ipsa deferatur, innumeri ferè sunt, qui huius remedij vsum laudant. Ego neque illos accipio, qui indiscriminatim hydrargyri vtuntur inunctione, neque cum illis sentio, qui ipsum prorsus improbarunt. Sunt affectus Venerei vsque adeò contumaces, qui decocto ligni Indici vsque ad dies etiam 50. semel, bis, & ter ritè administrato numquam cessarunt, in deterius lapsi sunt. Quid tandem agendum? Recusant patientes noua decocta, illis nihil confidunt, alii pauperes, alij sudoris & inediæ impatientes sunt. In his satis est medicamento vti alioquin periculoso; quā insanabile malum relinquere. Itaque in his tantùm casibus inunctionis vsum admitto, quam quidem putarunt aliqui viris tantum esse accommodatam, pueris, & mulieribus minimè. Ego in hac parte Leonardi Botalli lubens sequor consilium, qui pueros blando tamen linimento, ac mulieres inungit. Tempus optimum est Ver, & Autumnus; si tamen vrgeat necessitas, hyeme in Laconicis, æstate quoque tutò quisque poterit inungi. Hac æstate, mense Iulio mulieré inunxi, quæ integrè est curata. Quoad modum, quædam agenda sunt antè inunctionem; Purgandum est corpus medicamentis, & sanguine misso: Medicamenti quidem, ne tantopere sputum abundet, vt vel suffocet, vel paralysim, vel Apoplexiam inferat; Sanguinis autem missione, ne fiat Agina, aut febris, aut insignis faucium, & palati in flammatio; Fallop. ante inunctionem vtitur quoque decocto ex ligno sancto, vt roboret viscera, ne hydrargyri noxiam vim suscipiant. Quod etsi mihi non extrà rationem videatur, attamen ego alio tempore ligni facultate vtor. Tempore inunctionis præparandum primò est linimentum, & quia potest præparari vel pro nobilibus, vel pro plebeis, ad hæc quando præparatur linimentum, vel patiens laborat to-

A phis tantum, vel vlceribus tantum, vel vtrisque; ideò docebo vos breuem conficiendi modum, ac variam præparationem. Primò si tophis sit incumbendum, ea recipienda sunt in linimento, quæ molliant, vt axungia, adipes anatis, & anseris, vrsi, medulla cruris bouis, oleum amygdalarum dulcium, butyrum. Quod si vlceribus sit incumbendum, imponendi sunt pulueres siccantes, thus, myrrha, aloe, lithargyrum, cerusa, & si fuerint leuiora, ad Cinnabarim quoque, & Præcipitatum est confugiendum. Id ergò primò seruandum. Secundò oportet obseruare, vt argentum viuum pro vlceribus exstinguatur in saliua humana, pro tophis in axungia suilla, aut

B butyro; Axungia tamen, neque liquata, si fieri potest, esse debet. Tertia regula est, vt admisceantur medicamenta, quæ præbent penetrationem, & simul partes roborent. Inter hæc est Crocus, & oleum ex Terebinthina. Habenda quoque sunt ea, quæ partes magis læsas, & principales respiciant; ideò si articuli lædantur, Iua est imponenda; Si iecur vel ventriculus, iecoraria, & stomatica permiscenda, &c. Vnum tamen præ cæteris mihi probatur, vt scilicet inunctioni adhibeatis oleum ex ligno sancto, In hac administratione ego maximam repono curationis spem: cùm enim hydrargyrum in singulas quoque & penitiores corporis partes penetret, secumque medicamentorum facultates adducat, si oleum ex ligno admisceatur, sperandum est, vno, &

C eodem tempore futuram noxij excretionem, luemquè ipsam expugnatum iri. Itaque si pro nobilibus conficiatur linimentum ad tophos, sic fiat.

℞. Argenti viui. vnc. vj,
Pingued. suillæ non liquatæ, neque salitæ, lib. j.

Exstinguatur argentum viuum in prędicta axungia. s. a. deinde adde,

Medullæ cruris bouis, vnc. s.
Olei ex Terebinth. vnc. j. vel Terebinthinæ
Olei ex ligno sancto, vnc. iij.
Croci, drach. j.
Pulueris Iuæ,
Betonicæ, an. vnc. s.
misce, fiat linimentum.

D Quidam ponunt Theriacam & Mithridatiū, sed ego vereor ex his nimiam caliditatem. Ad vlcera talis sit inunctio.

℞. Argenti viui exstincti in saliua hominis sani. vnc. vj.
Olei ex ligno Sancto, vnc. iij.
Thuris,
Myrrhæ,
Aloes,
Lithargyri, an. drach. ij,
misce.

Si vlcera fuerint valdè sordida; poteritis addere Cinnabaris drach. ij. Pro pauperibus, vbi adsunt tophi, sic formate:

℞. Unguenti Dialtheæ, vnc. iij.
Argenti viui exstincti in pinguedine porci. vnc. vj
Misce f. Linimentum.

Vbi adsunt vlcera, accipite vel vnguentum ex Tuthia, vel ex Cerusa, vel vnguentum Palmeum, & dissoluite in Cassia, & dissoluto addite hydrargyrum exstinctum saluia humana. Linimento ad inunctionem præparato, in vnctionis tempore, sic procedendum est. Calidum Conclaue eligatur, in quo sit Laconicum, sitq; aer sẽper calidus, tùm præcipuè, cùm inunctio adhibetur. Inungantur autem priùs inferiores, deinde verò superiores articuli. Quamquam enim alij aliter senserint, ratio persuadet, vt dum hydrargirum, quod vi calorifica semper superiora petit, semper principium sui motus ab inferioribus desumere, non à superioribus debeat. Hinc fit, vt magna ex parte virulentiam omnem per sputum exspuetur. Non debent autem articuli multo onerari vnguento, sed quod experientia probaui, vobis etiam propono, vt digito pollice modica vnguenti portio accipiatur, & ea tantùm locus articuli hinc, inde confricetur, deinde verò aliqua linimenti portione integatur. Idcirco si tophus in spaciis intermediis, inter vtrumque articulum sit, ille etiam locus est inungendus. Vngantur autem prima die articuli tantùm, absque spina; secunda autem die inungantur etiam vertebræ; & si doleant costæ, vel thoracis partes, his quoque conuenit adhibere inunctionem. Ceterùm, non consulo inungendum caput, neque vnquam inunxi, & vidi experimentum cuiusdam mulieris catu inunctæ, quæ obijt. Laborauerat mulier quartana, in qua multi fuerant excitati pediculi, patrona domius inunxit hydrargyro caput, & subsecutis morbis, ac symptomatis consuetis sæuioribus post 14. dies obiit. Inunctio debet fieri vsquequò sensibilis aliqua excretio appareat per sputum, vel per alui deiectionem. Cùm primùm apparuerit, si benè procedat, prorsus desistendum, sin lentè succedat euacuatio, semel adhuc, vel bis inungendum. Sudorem, quidquid sentiat Rondelet. eo tempore non consulo excitandum: Vis enim hydrargyri in vnctione, vt dictum est, ea est, vt humores intrò propellat, sputum proritet, vel alui deiectionem promoueat. Itaque sudorem prouocare, erit motum contrarium efficere. Quod si alui fluxus succedat, inspicienda sunt excrementa: sæpè enim non modo biliosa, sed colliquatitia, & cruenta apparent, in quo casu frigidis epithematibus, & succis Endiuiæ, Cichorei, tepidis tamen adhibitis Iecori est succurrendum; leuibus etiam clysteribus ex lacte, & butyro est vtendum. Confirmandus est ventriculus, & cor fomentis, & inunctionibus ad reprimendam hydrargyri venenatam qualitatem. Ideò ventriculo spongiæ adhibeantur vino generoso imbutę, in quo bullierit Absinthium, & Menta; Cordi autem fiat inunctio ex Theriaca cum Sandalino. Si dolor circa fauces, & gingiuas grauiùs afflixerit, collutione vtendum ex sero, ex lacte, ex emulsione seminum melonum. Ad sorditiem vlcerum confert aqua chalybeata cum melle rosaceo, cui incoquere poteritis aliquid Maluæ, Hordei, Ligni sancti. Et si fœtor fuerit insignis, & putredo, aliquid Scordij. Si superueniat Angina, in virium robore secanda est vena humeraria, adhibendæ cucurbitulæ scarificatæ, aperiendę venæ sub lingua. Hæc omnia etiam tempore inunctionis prodesse cõfirmauit experiẽtia, & summorum virorum authoritas, & inter cæteros Fallopij. Si aluus sit stiptica, clysteribus præcipuè agendum: Medicamenta enim mihi minùs placent. Interim enitendum, vt hydrargyrum euacuetur. Euacuabitur autem aureo nummo purissimo continuo in ore retento, qui tamen statim ac hydrargyro fuerit coopertus, mutetur, idq; toties faciendum, quoties argentum auro adhæserit. Victus ratio hoc ipso tempore plena potiùs, quàm tenuis esse debet. Et quoniam isti masticare non possunt, danda oua sorbilia, panatellæ, contusa carnium destillata in duplici vase, vinumque neque omninò generosum, neque valdè oligophorum. Reprobanda prorsus est ratio Empiricorum, qui suis illis vinis generosis caput replent, Anginas, & Paralyses inferunt. Vbi iam inunctio fit perfecta, sputumquè vt dixi benè procedat, lauandæ sunt partes iam inunctæ; lotio fiat vino albo generoso, in quo ebullierint Saluia, Rosmarinus, Iua, Calamentum montanum, Stœchas, Lauri folia, & Iuniperi. Postea vt corroborentur partes, imponenda sunt cerata, quę vim habeant, & digerendi humorum reliquias, & adstringendi vias, atque corroborandi calidum partis innatum. Vt hæc fiant, spongiola aqua ardenti imbuta confricandi sunt artus, deinde hoc cerato contegendi,

℞. Ammoniaci,
Bdellij,
Sagapeni,
Oppoponacis, an. vnc. s.
Euphorbij,
Radicum cyclam. puluerisat.
Iuæ puluerisatæ,
Betonicæ, an. drach. ij.
Piperis,
Pyrethri,
Costi, an. drach. j.
Picis,
Resinæ, Terebinthinae an. q. s.
Dissolutis gummi in vino albo generoso, f. Ceratum.

Absoluta purgatione, vel per sputum, vel per aluum, duobus præcipuè incumbendum, vno, vt si quid hydrargyri in penitioribus fuerit partibus relictum, illud quoque euacuetur: altero vt si Luis adsint reliquiæ, illę exstirpentur: Hydrargyrum purgabitur dupliciter, primo quidem si aucto calore laconici iterum assumant patientes nummum aureum in ore: Hæc enim est hydrargyri natura, vt quamprimum caloris vim experitur, superiora petat, idcircò si quis annulum confecerit æneum, illumque cauum, & hydrargyro impleat, secundum sui mediam partē, & igni appropinquet, videbit annulum saltantem spacio vnius diminiæ horæ. Itaque aucto fornacis calore, corpore vniuerso sic incalescente hydrargyrum ascendit, & sic in aureum numum recipitur: Alter modus, est, vt quotidie pilulam vnam præbeatis ex duobus auri folijs confectā: Hac enim ratione, si hydrargyrum fuerit in corpore, auro adhærebit. Vt autem Lues superetur, post inunctionem, ligni facultate vtendum omnino est; sine qua omnes qui inunguntur hydrargyro, tametsi post inunctionem sani videantur, paulò post recidiuas faciunt deteriores. Hydrargyrum enim non est Luis alexipharmacum copiam tantùm viscidiorum humorum expurgat, quibus expurgatis, alexipharmacum promptè, & fortiter operatur. Itaque in corpore sic mundato, aut decoctum ex ligno, aut oleum, aut extractum eo modo administrata, quem suis locis proposui, certam & integrā, præstabunt valetudinem. Hoc vnum est obseruandum, vt victus ratio non sit perinde tenuis, qualis fuit instituta illis, qui antea non fuerint iniuncti; plenior sit victus, bibant vinum, vel simplex, vel secunda permixtum aqua, dummodo facultatem Guaiaci recipiant, & sudorem excitari permittant tunc enim sudor est apprimè opportunus.

De Hydrargyro intrinsecùs exhibendo, Cap. XXXX.

RECentiores, ne quid intactum pro Lue expugnanda relinquerent, hydrargyro vtuntur non modò pro inunctione, vt dictum est, pilulis, & bolis, verum etiam in suffimentis. Quāquam enim sunt quoque in vsu suffimenta quędam mitiora ex thure, myrrha, styrace, belzoino, laudando, croco, ligno aloes, &c. Hæc tamen mitiora sunt, quàm vt possint Luem confirmatam expugnare, idcircò veneficis quibusdam suffimentis vtuntur, quorum quædam particularia sunt, quædam vniuersalia. Particularia in vsu esse solent pro superandis pedum, & manuum fissuris, vteri, ani, & narium vlceribus: In quem vsum candelæ cereæ excogitatæ fuerunt, quæ præter ceram, & Cinnabrim, thus, & myrrham, &c. recipiant. De particularibus iam non loquimur, sed de vniuersalibus suffimentis ex venenosa materia præparatis, quæ pu- A tantur antiquam Luem prorsùs superare. Parantur ista ex cinnabari arte facto. i. ex sulphure, & argento viuo confecto, & auripigmento, & Sandaracha Gręcorum, ex thure, myrrha, &c. sic.

℞. *Cinnabaris, vnc. i. s.*
Auri pigmenti, vnc. s.
Thuris,
Myrrhæ,
Ligni Aloes, an. drach. ij.
Terebinthinæ, q. s.
Misce, f. Formulæ 31.

Administrantur suffumigia illis pręcipuè, qui vlceribus antiquis, vel impetigine fœda, & confirmata tentantur. Ideò in vlceribus nasi, faucium, & palati, & ad cohibendam capillorum defluxionem, & ad aliquam surditatem; & tinnitum primas partes habere creduntur. Non sunt tamen aut consumptis, vel difficultate anhelitus laborantibus, vel lienteria, aut alui fluxione tentatis, administranda; immò, vt verius dicam, ex mea sententia nemini; si tamen alicui, sic fiant. B Constituto ægro in conclaui calido summo manè purgato primùm corpore, vt iam de inunctione dictum est, sub conopæum seu tentorium inducitur, in quo sint carbones, accensi, ferro, vel vitro carbonibus imposito, nudo existente corpore rotula vna ex iam dictis super prunas C imponitur donec fumus consumatur, deinde super additur secunda, & tertia, Interim interrogandi sunt patientes, an deliquium animi patiantur, immò oportet eos quoque per aliquod tentorij foramen inspicere: Nam quidam momento temporis suffocati sunt; idcircò, si quid periculi immineat, in eo casu aperiendum est Conopæum, faciesque frigida aqua inspergenda. Placet Fallopij consilium, vt arundinem perforatā in ore detineant. cuius extremitas sit extra tentorium, per quam vrgente syncopis periculo frigidum aerem possint inspirare. Consumpto fumo, in cubili calido sunt reponendi, cibus optimi succi præbendus, & si vlcera exteriora sint D admodum contumacia, primò lauanda sunt aqua rosacea mixta cum modica portione aquæ magistralis, deinde imponendum erit hoc linimentum.

℞. *Axungiæ suillæ non salitæ,*
Butyri recentis, an. vnc. ij.
Argenti viui in dicta axungia, & butyro extincti. vnc. s.
Thuris,
Myrrhæ, an. drach. j.
Ceræ, q. s.
misce, f. Linimentum:

Suffimentum autem eodem die ante cœnam eodem modo est repetendum; Idque biduo, aut triduo faciendum, donec sensibilis aliqua excretio vel sputi, vel alui succedat: Nā vtrumque fieri solet. Apparente excretione, cessan-

cessandum à suffimentis, instituendus victus, A qualis etiam inunctis, post sputum decoctio similis Guaiaci danda est. Hi sunt modi precipui, quibus antiqua Lues solet curari, qui quidem omni sanè iure optimo ob insignem videlicet molestiam,& aliquod periculum non ab omnibus libenter admittuntur. Sed quid tandem agendum est? Puto in his casibus vires ligni Indici vsque adeò esse intendēdas, vt hac ratione remedijs quoque localibus non prætermissis Lues Venerea antiqna cum suis symptomatis, & morbis superetur. Intenditur autem facultas ligni Indici multis modis. Primùm si per singulam aquæ lib.vnc.j. ligni optimi capiamus, ac prętere- B rea drach. ij. salsæ,& totidem corticis, v.g.

℞. *Ligni indici optimi, lib.j.*
Salsæ,
Corticis, an.vnc.iij.

Infundantur in aquæ lib. xij. Intenditur prætere a, si decoctio fiat vsque ad consumptionem duarum partium aquæ. Erit efficacius auxiliū, si cum singulo syrupo imponatis drach. s. olei ex ligno: Efficacius erit si simul cum decocto aliquam præbeatis distillatitiam aquam ex illis, quas Rondelet & Fernel.opiatas vocant. Fiunt autem ex Theriaca, Carduo benedicto, Dictamno, Pulegio, Ligno sancto, maceratis in vino generoso,& distillatis per alembicum. In summa corporis frigiditate non improbatur infusio, & decoctio Ligni,& Salsæ in vino generoso, quidquid sentiat hac in parte Antonius Gallus, qui C hanc vini decoctionem improbauit. Efficax quoque erit remedium ex ligno, si, facta diligentissima corporis purgatione, præbeatur per 60. & 70. dies cum victu quidem tenui, si vires sustineant, cum moderato, si fuerint imbecilliores. Quo ad sudorem notandum, quod si tinnitus aurium, vel grauis adsit auditus, sudor in Laconico excitatus integram facit surditatem, si exquisita sit surditas, sudor Laconico curat surditatem: Hoc possum experientia testari: sutorē enim habui omninò surdum, qui in publico sudans Laconico à surditate est curatus, cùm tamen alij plurimi solo tinnitu laborantes ex Laconico surdi fuerint facti. Itaque excitandus est istis sudor aut in cubili per vesicas, cucurbitas D decoctis sudorificis repletas; aut si extra cubile, Caput in aere calido minimè versetur.

De symptomatis, ac morbis Luis antiquæ.
Cap. vltimum.

INterim symptomatis, & morbis est occurrendum. Et pro surditate Venerea ego feliciter vsus sum Vesicatorijs post aures, intrinsecus autem gossypio intencto oleo ex ligno mixto cum aqua ardenti. Pro tumoribus duris, si sint minores, tolluntur hi imposita radice altheæ macerata in aqua ardenti, aut oxelæo, aut tetrapharmaco, aut medicamento Galenico, quod proponitur 10. simpl. ex caseo aliquo mixto cum decocto ex talo suillo, aut medullæ eiusdem tali suilli per ignem colliquata, aut luto aliquo emolliente, aut cerato ex Ammoniaco cum aceto dissoluto, addita suffumigatione ex lapide pyritide. Quòd si tumor sit maior, sensibiliter est euacuandus, vel vesicatorio, quo certè hoc ipso anno ego maximum sustuli in femore tophum Venereum, vel cauterio actuali, vel igne, vel caustico facto, ita tamen vt globulus aliquis in foramine tamdiu detineatur, donec tota materia expurgetur. Quod si tumor sit mollis, æmuleturque meliceridem (in quo casu os suppositum solet esse corruptum) vel caustico, vel ignito ferro penetrandum est ad os vsque, atque illud corruptum omninò separandum. Separatur autem, vel subitò, vel sensim; subito, vel scalpello incisorio,& malleolo, vt faciunt statuarij, quod potest fieri ossibus, crurum, tibiarum; vel scalpello rasorio, vel facta terebratione. Quod si subitam quis non sustineat separationem, paulatim os abscedere oportet; abscedet autem, si amplius non fruatur communi vita cum reliqua ossis parte; Distituetur autem communi alimēto, aut igne actuali, aut frigidis medicamentis in quarto gradu, aut causticis. Actualis ignis probatur in capite, neque in vertebris, aut thorace; si quis ignem abhorreat, accipiantur potius caustica: Nam illa frigida, & sicca in quarto, vt Mandragora, & Hyoscyamus, quibus tamen vsi sunt antiquiores, non probantur, ne fortè etiam partes vltra modum refrigerentur. Magis probatur oleum ex sulphure, ex Calchanto, aqua magistralis, puluis Ireos. Peucedani, Aristolochiæ; ita tamen, vt post calida medicamenta, locus aqua rosacea, refrigeretur, ac circumstantes partes succo aliquo frigido muniantur, deinde verò quotidiè pulueres propositis ex Aristolochia, &c. imponantur. Osse separato, vlcus carne implendum est,& cicatrisandum. Aliqua essent dicenda de magno palati vlcere,& nasi quia tamen à Fallop. proprio libro de Lue Venerea proposita fuerunt ab his supersedere volo.

FINIS.

TABVLA CAPITVM;

Quæ continentur in hoc Libro.

FINIS.




OPERVM HERCVL. SAXONIÆ

Professoris Medici Patauini Primarij.

LIBER V.

DE SPHYGMIS, SEV CORDIS ET ARTERIARVM MOTIBVS, QVOS Plinius καταχρηστικῶς Venarum percussus vocat.

QVID SPHYGMVS SIT, QVOD EIVS subiectum, quis & quotuplex eiusdem finis & vtilitas. Cap. I.



SIGNORVM, quę Medicam artem perficiunt, & de certitudine inter se pugnare videntur, duo sunt præcipua. Motus scilicet arteriarum, & Vrina: mihi tamen semper placuit pulsui palmam dare.

Etenim siue affectionum & locorum numerum spectes, siue præsagij certitudinem, sane pulsus longe vrinis est superior. De pulsibus itaque accurate est agendum.

Omittam in hac tractatione logicas omnes disputationes. Quicunque enim longa disputatione de omnibus ad pulsum attinentibus disputare voluerit, is & longam, & (vt vere dicam) inutilem instituet tractationem.

Expedita itaque pulsus definitione, enodatis breuiter quibusdam difficultatibus ex ea desumtis, in quatuor duntaxat explicandis versabor: In differentijs, in dignotione differentiarum, in caussis, & in præsagijs.

Quid nomine pulsus intelligatur. Suppono inprimis nomine pulsus nos non intelligere palpitationem, nec motum in inflammatis tantum arterijs apparentem, sed ***motum cordis & arteriarum a primordijs generationis vsq; ad vitæ finem perpetuum***, vt colligitur ex *Galen. l. 4. de differ. pulſ. cap.* 2. Hic habet & habuit varias definitiones à ***Galeno loco libri citato*** descriptas.

A Legitima tamen quanquam prolixa hæc est: *Quid pulsus sit.* ***Pulsus est dilatatio & constrictio cordis & arteriarum a facultate pulsifica ob calidi innati tutelam, & spirituum animalium regenerationem.***

Dilatatio & constrictio est loco generis: Cor & arteriæ sunt subiectum: facultas pulsifica est caussa efficiens. Cetera sunt loco finis.

Quod ad genus attinet, non est quidem simplex, sed compositum ex duplici motu & quiete: nam dilatatio seu diastole vnus est motus: Constrictio seu systole secundus. Post diastolen antequam incipiat systole, est vna quies, quæ vocatur Exterior: post systolen est altera, quæ vocatur
B Interior.

Sunt tamen omnes actiones ab aliqua facultate productæ, non autem ex duritie instrumenti aut subsidentia prouenientes, vt probauit Galenus *libro de vsu pulſ. capite sexto*, ***Nomine cordis & arteriarum intelligo*** etiam cerebri motum & membranarum: quandoquidem huiusmodi motus & meningum & cerebri ab arterijs in has partes diffusis oboritur.

C Et quanquam dilatatio & constrictio ventriculorum cerebri non fiat eodem tempore cum dilatatione & constrictione arteriarum: quin imo, dum ventriculi dilatantur, cor & arteriæ constringuntur: Ex hoc tamen non sequitur, quin motus cerebri, sit idem cum motu cordis & arteriarum. Ratio autem est, quia in cerebro duplex est dilatatio & constrictio: vna quidem in propria cerebri substantia, altera vero in ven-

triculis. Vbi igitur cerebri substantia dilatatur, A ventriculi constringuntur: constrictio cerebro vẽtriculi dilatantur.

Ex istis duabus dilatationibus & constrictionibus prior est ea, quæ pertinet ad cerebri substantiam, & ad quam postea sequitur motus ventriculorum cerebri: sed sic est, quod dilatatio & constrictio cerebri substantiæ fit eodem tempore, quo motus cordis, & aliarum arteriarum. Ergo sequitur vnum & eundem esse motum: nam motus ventriculorum est quasi accidentarius & insequitur principalem motum.

Fit autem hic motus a facultate pulsifica, quæ est species facultatis vitalis. Hæc facultas non est species pulsifica insita ipsismet arterijs, vt sponte sua hunc motum efficiant. Experientia hoc docet: nam ligata arteria motum amittit in ea parte, quæ post ligaturam est. B

Habent igitur hunc motum a corde, neque obtinent hunc motum a corde per substantiam corpoream, per spiritum influentem in cauitates: Nam si hoc esset, non possent tam breui tempore omnes arteriæ etiam in cerebro distantes vno & eodem tempore moueri.

Accedit & experimentum Galeni propositum *in libro, an sanguis in arterijs contineatur, cap vlt.* vbi sic scribit: *Arteriam vnam e magnis & conspicuis quampiam nudabis, primoque pelle remota ipsam ab adiacenti suppositoque corpore tamdiu separare non graueris, quoad funiculum circumdare valeas: deinde secundum longitudinem arteriam incide, calamumque & concauum & peruium in foramen intrude, vel æneam aliquam fistulam, quo & vulnus obturetur, & sanguis exsilire non possit, quoad vsque sic se arteriam habere conspicies, ipsam totam pulsare videbis: cum primum vero obductum laqueum contrahens, arteriæ tunicas calamo obstrinxeris, non amplius arteriam vltra laqueum palpitare videbis. Etiamsi spiritus & sanguis ad arteriam, quæ est vltra laqueum, sicuti prius faciebat, per concauitatem calami feratur. Quod si propterea pulsarent arteriæ, pulsarẽt etiam tum partes, quæ sunt vltra laqueum: sed non pulsant. Igitur perspicuum est, quoniam moueri posse desinunt, non per spiritum in ciuitatibus discurrentem, sed ob virtutem in tunicas transmissam arterias a corde moueri.* C

Et hæc sese ex corporum dissectione collegisse, ibidem affirmat. Itaque pulsificat facultas aduenit arterijs, non quasi per canales plumbeos, sed per instrumenta viuentia, non per cauitates, sed per ipsammet membranam, non spiritu & substantia corporea, sed tantum facultate & illustratione. D

Spiritus autem, qui per arteriæ cauitatum confluunt, ad conseruandum & augendum innatum partium naturalium spiritum faciunt, vt colligitur ex Galen. *libr. 1. de loc. aff. cap. vltim.* Non fit autem hic motus in arterijs tẽpore diuerso a corde, vt olim Erasistratus est arbitratus, cuius sententiam a Galeno impugnatam iterum Auicennas excitauit, quem eundem ex recentioribus *Ioannes Guinterius Andernacus vir eruditissimus primæ parte sua Medicinæ* suscepit.

Fiunt itaque hi motus vno & eodem tempore, & dilatato corde dilatantur arteriæ, constricto corde constringuntur etiam arteriæ. Neque enim (vt docet Galenus *lib. an sanguis in arteria natura contineatur, cap. 7. & libr. 6. de vsu part. cap 21.*) ideo distenduntur arteriæ, quia replẽtur: sed ideo replentur, quia distenduntur.

Itaque etsi in cordis constrictione spiritus in arterias transmittatur, non tamen propterea distenduntur, sed quia facultatem obtinent, vt distendantur, tunc replentur, attrahentes & aerem externum & sanguinem a venis, & ab omnibus corporis partibus, vt abunde docuit Galen. *lib. de vsu pulf. c. 5.*

Isti igitur motus ita constituti habent duos potissimum fines, primus est *conseruatio calidi innati, refectio spirituum animalium.* *Pulsus finis duplex.*

Innatus calor conseruatur & moderata refrigeratione & euentilatione: & præterea fuliginum expulsione.

Sicuti igitur ad caloris cordis refrigerationem & fuliginum expulsionem facit inspiratio, & exspiratio; ita ad calorem, qui in vniuerso corporis ambitu continetur, dilatatio arteriarum maxime conducit, aerem frigidum attrahendo: earundem cõstrictio fuligines per insensibiles corporis meatus expurgat.

Reficiuntur autem spiritus animales ipsi quoque inspiratione potissimum, vt docuit Galen. *in libr. de respir. vtil.*

Ceterum huiusmodi arteriarum motus non minimam habet partem ad hos spiritus animales conseruandos, vt docuit idem Galen. *lib. de vs. pulf. cap. 2.*

De simplicib. sphygmorum differentijs, quæ solam diastolen, seu dilatatione respiciunt, Cap. II.

IN proponendis pulsuum differentijs ego breuitatem & facilitatem ceteris omnibus anteponendam existimo.

Video enim Galen. *in sedecim libris, quos de pulsibus scripsit,* tanta vti prolixitate, vt aliquando (ni fallor) in differentijs conscribendis sibi ipsi contradixerit.

Rediguntur omnes differentiæ, quanquam videãtur innumeræ, ad octo præcipue capita I. pulsus magni & parui. II. celeres & tardi. III. duri & molles. IIII. vehementes & languidi. V. frequentes & rari. VI. εὔρυθμοι & ἄῤῥυθμοι. VII. æquales & inæquales. VIII. ordinati & inordinati. *Octo capita differentiarum.*

Primæ quatuor differentiæ solam respiciunt diastolen seu dilatationem.

Quinta respicit quietes, quę cadunt inter vnam & alteram diastolen.

Sexta propositionem, quæ est inter Systolen & Diastolen.

Septima & octaua respiciunt paritatem & imparitatem vnius & plurimum pulsationum.

Et in

Et in imparitate quęritur ordo vel inordinatio, quod est vltimum caput pulsuum differentias continens.

Quod igitur ad primas quatuor differētias attinet, quæ (vt dixi) ad solam pertinent diastolen, istæ hauriuntur ex quatuor conditionibus, quæ ad omnem perficiendum motum concurrunt. *Omnis motus fit in spatio, fit in tempore, est alicuius mobilis, & fit ab aliquo mouente.*

Vt igitur diastole fit in spatio, pulsum constituit magnum & paruum, vel moderatum.

Pulsus magnus quis. Ille enim est magnus pulsus, in quo arteria dilatata maximum occupat spatium per omnes dimensiones, nempe secundum altitudinem, latitudinem, & longitudinem.

Paruus. Contra paruus erit ille, in quo arteria pusillum occupat spatium secundum oppositas dimensiones.

Et ideo, si quispiam magnum pulsum & paruum in alias tres differentias subdiuidere voluerit, id commode fieri potest. Alius enim est longus, alius breuis: quidam altus, quidam profundus: quidam latus, alius angustius: si omnibus istis differentijs moderatus addatur, erunt nouem pulsus magni & parui differentiæ. Et si isti simul complicentur, euadunt viginti septem, quos recensere nolo, ne fiat confusio. Quj hanc diligit complicationem, inueniet illam apud Gal. *lib.* 1. *de diff. pulsuum*.

Celer. Celer & tardus pulsus respiciunt tempus motionis arteriæ.

Nam celer seu velox ille dicitur, qui cito diastolen perficit.

Tardus. Tardus appellatur, qui multum requirit temporis ad perficiendam diastolen.

His si moderatus adiungatur, erunt tres differentiæ, celeris, tardi, & moderati.

Corpus mobile est arteria: Arteria vero tangenti apparet vel dura, vel mollis, aut moderata: hinc alię tres insurgunt differentię pulsus: duri scilicet molles & moderati. Sub duro & moli aliæ sunt differentiæ quoque.

Nam sub duro est vibratus, conuulsiuus, serratus seu serrinus & dicrotus.

Sub molli est vndosus & vermiculosus.

Vehemens. Sed quia isti etiam fiunt inæquales, de his agemus infra sub titulo inæqualium. Vehemens & languidus pulsus respicit robur ac vim ipsius ictus, vel infirmitatem ac imbecillitatem. Nam qui robustum & validum continet ictum, vehemens dicitur: qui languidum & pusillum, languidus:

Languidus. medius inter hos est moderatus.

De sphygmis quietem & proportionem inter diastolen & systolen respicientibus, Cap. III.

HActenus de differentijs simplicibus, quę solam respiciunt diastolen. Frequēs & rarus pulsus respicit quietes medias inter vnam & alteram diastolen.

Nam ille dicitur frequens, qui habet breue interuallum inter vnam & alteram pulsationem.

Ille dicitur rarus, qui habet interuallum seu quietes inter vnam & alteram diastolen, longas & prolixas. Hi quoque habent moderatum pulsum tanquam intermedium.

Εὔρυθμος & ἄῤῥυθμος respicit proportionē, quæ est inter systolen & diastolen: alij addunt proportionem, quæ est inter externam & internam quietem. Sed, vt ingenue dicam, existimo hæc tactui esse imperceptibilia.

Εὔρυθμος igitur pulsus ille est, qui habet systolen æqualem diastoli. *εὔρυθμος.*

Ἄῤῥυθμος autem in quo systole variat a diastole. *ἄῤῥυθμος.*

Et quia huiusmodi proportio potest considerari & in vehementia, & in magnitudine, & in duritie, & in celeritate (nam si systole est motus, sicut diastole, easdem obtinet differentias, quas diastole, sed differentiæ pulsuum diastoles, vt nuper fuit dictum, sunt quatuor, Ergo & differentiæ systoles tot erunt.) Attamen, quando quærimus hanc proportionem vel improportionem, nihil aliud quærimus, nisi, vtrum celeritas vel tarditas systoles sit proportionata vel improportionata diastoli. Ratio est, quia motus systoles est imperceptibilis, quicquid dicat Galenus, & alij.

Si quæ tamen motus differentia in systole cognoscitur, ea est celeritas vel tarditas tantum, vt postea dicetur, quando de dignotione egerimus.

Itaque εὔρυθμος pulsus erit ille, in quo systole sit æque celer ac diastole.

Ἄῤῥυθμος pulsus erit ille, in quo celeritas vnius motus alteram superat.

Ἄῤῥυθμον autem pulsus alias quoque differentias proponit Galen. *lib.* 1. *de differ. puls. cap.* 16. vt pararrhythmum, ἑτερόῤῥυθμον. Sed istæ differentiæ non sunt necessariæ, nolo lectorem confundere: Qui sit illarum curiosus, legat locum citatum, & vltimum caput eiusdem libri primi, vbi de his rhythmis est sermo.

De inæqualitate sphygmorum simplici, Cap. IV.

AEQVALITAS & inæqualitas (vt dixi) respicit paritatem vel imparitatem vnius vel plurimum motionum. Et propterea duplex constituitur inæqualitas, simplex scilicet, & composita.

Et simplex dicitur inæqualitas vnius ictus, quæ concernit vnicam diastolen. *Quid simplex inæqualitas.*

Inæqualitas composita vocatur collectiua seu systematica. Et concernit multas pulsationes inter se collatas.

Si igitur sermo fiat de simplici inæqualitate, hæc consideratur vel sub vnico digito, vel sub pluribus.

Si sub vnico (& in vnica diastole) hæc inęqualitas, aut est sine bina pulsatione, aut cum bina pulsatione.

Quando fit sine bina pulsatione, hæc inæqualitas tria respicit, magnitudinem, vehementiam, celeritatem.

Fieri enim potest, vt principium diastoles sub vno digito sit diuersum a suo fine, vel in magnitudine, vel in vehementia, vel in celeritate, idq; pluribus contingit modis.

Nam, Exempli gratia, quandoque principium diastolæ est velocius fine: quandoque vero tardius.

Idipsum dico de magnitudine & vehementia.

Pulsus bis feriens inæqualis in vno ictu sub vno digito est duplex: caprizans, & dicrotus.

Pulsus Caprizans.

Caprizans pulsus est ille, cuius diastole intercipitur a quiete media, ita tamen, vt post illam quietem statim insurgat facultas fortior & valentior ad perficiendum suum motum. Idcirco in caprizante pulsu duo quandoque sunt ictus, vnica est tamen diastole, & secundus ictus est celerior priore, ob quam caussam hic pulsus caprizans Arabibus Gazellans, dicitur, similitudine sumta ab eo animali, quod vno & eodem tempore duos saltus efficit, vltimum tamen celeriorem priore. Hic pulsus non est desumtus proprie a nostris capris: non enim bis illæ terram non attingendo feriunt, quod Gazella facit, cuius caput Bizantio mihi missum est.

Dicrotus.

Dicrotus autem pulsus ipse quoque bis ferit, sed a caprizante est valde diuersus: nam caprizans (vt est dictum) habet duos ictus ex vnica diastole: dicrotus habet quandoque duos ictus, aliquando etiam tres, sed quot sunt ictus, tot sunt diastolæ.

Quæstio.

Et si quispiam quærat, cum varij ictus in dicroto sint variæ diastolæ, quamobrem hic pulsus vocatur inæqualis in vno ictu, & sub vnico digito? Dicam Galeni responsionem. Inquit: Dicitur inæqualis in vno ictu & sub vnico digito, quāquam sint variæ pulsationes. Quia istæ variæ pulsationes sunt vna post alteram, nulla intercedente quiete media.

Est durissima apud me responsio, fieri duos vel tres motus diuersos absque quiete media: non conuenit cum philosophiæ principijs ab Aristotele explicatis *lib. 8. physic. cap. 8.* Non conuenit cum eodem Galen. *lib. 1. de differ. pulf. c. 3.* Hanc tamen veritatem accepit libenter inter Recentiores Valesius *lib. 3. suarum controuersiar. 8. cap. 5.* (si recte recordor) Sed in veram vtilitatem instituitur hæc tractatio, logicas quæstiones omittamus.

Dari hunc pulsum dicrotum, id est, qui habet & duas, & tres, & quatuor pulsationes, ita sibi ipsis continuas, vt videantur carere quiete media, experientia ipsa docet. Ego nunc habeo in cœnobio S. Bernardi monialem septuaginta annorum, quæ laborauit pleuritide notha cum hoc pulsu dicroto ter & quater ictum suum complente.

Et propterea non est accipienda hac in parte Fernelij sententia, qui in hoc saltem caprizantem distinguit a dicroto, quod caprizans habeat secundum motum velociorem primo: dicrotus

A contra habeat minorem & tardiorem. Gal. *lib. 2. de caussis pulf. cap. 7.* hos pulsus inquit esse innominatos, posse tamen caprizantes nominari.

Ab his itaque differt dicrotus, cuius caussas satius erit suo loco examinare diligenter, quam hoc tempore disputare, nunquid isti motus habeant quietem necne.

Transeo ad pulsus inæquales in vnico ictu sub varijs digitis.

Quando pulsus sit tangendus.

Quo in loco obiter hoc est monendum, ***Nunquam vnico digito pulsum esse tangendum***, alioquin differentiæ nunc proponendæ nunquam innotescent.

Pulsus inæquales sub varijs digitis.

Differentiæ multæ sunt, sed rediguntur ad nouem præcipuas a scriptoribus nominatas: Istæ sūt pulsus serratus seu serrinus, vibratus, cōuulsiuus, B vndosus, vermiculosus, formicans, decurtatus, innuens, seu (quod idem est) eminulus & prominulus.

Pulsus serratus.

Serratus pulsus est inæqualis in vnico ictu sub varijs digitis, cum motus interruptione, & cum arteriæ duritie. In hoc pulsu exempli gratia, sub primo & tertio digito, vel sub secundo & quarto motus arteriæ durioris percipitur, sub alijs digitis non: Æmulatur propterea dentes serræ: in serra est vnus locus vacuus, alter plenus. Hincque serrinus dicitur.

Vibratus.

Vibratus est durus inæqualis sub varijs digitis secundum altitudinem & profunditatem arteriæ. Nam sub vno digito eleuatur arteria, quasi baculo compulsa, sub alio submissa apparet, dicitur pulsus vibratus.

Conuulsiuus.

C ***Conuulsiuus*** est inæqualis secundum latitudinem arteriæ: nam sub vno digito videtur separata secundum latitudinem a propria directione vasis. Cum hoc tamen est tensio quædam, quasi filo tensa, ita vt conuulsiuus duram habeat æqualiter arteriam, sed situm illius inæqualem.

Vndosus.

Vndosus pulsus, sicuti & vermiculosus & formicans, differunt a propositis duritie. Nam præscripti sunt duri, præscribendi sunt molles.

Vndosus igitur est pulsus mollis, magnus, sed inæqualis absque interruptione, cuius magnitudo appareat modo sub primo, modo sub secūdo, modo sub tertio, modo sub quarto digito, excipiente secundo priorem, & tertio secundum, & quarto tertium, sicuti mutuo se excipiunt vndæ maris, a D quibus vndosi nomen desumsit.

Vermiculosus.

Vermiculosus differt ab vndoso sola magnitudine & paruitate. Vndosus est magnus, vermiculosus vero paruus. Nomen accepit a gressu vermium, qui inflectuntur, sed lente & paulatim ad differentiam vndę maris.

Formicans.

Formiculosus seu formicans est omnium minimus, tardissimus, sed creberrimus, id est, frequentissimus. Æmulatur motum formicæ, qui similiter exilis est & tardus, sed ob pedum formicarum multitudinem est creber.

Decurtatus & eius differentia.

Decurtatus est idē, quod mutilus, seu μύουρος, variæ sunt horum decurtatorum differentiæ, & habēt locum tam in æqualitate vnius ictus, quam

in inæ-

in inæqualitate systematica seu collectiua, vt docet Gal. *in synops. puls. c.* 14.

Isti decurtati sunt deficientes. Quidam sunt deficientes reciproci, alij non reciproci.

Μύουροι. *Decurtati absolute in vnico ictu dicuntur illi pulsus, quando tangentibus nobis pulsum quatuor digitis, pulsus, qui apparet sub digito magis cordi propinquo, est ceteris maior, sub secundo est minor, sub tertio adhuc minor, sub quarto minimus*, vocatur decurtatus ceu cauda muris, quia æmulatur caudam muris.

Si sub vltimo digito versus manuum pulsus nulla ratione percipiatur, vocatur decurtatus deficiens.

Deficiens. Et si huiusmodi pulsus paulo post iterum insurgat, dicitur deficiens reciprocus.

Reciprocus. Si non insurgit, absolute deficiens denominandus est.

Alia est decurtatorum differentia, quam Gal. putat reperiri non posse: quando scilicet opposito modo res se habet, vt pulsus maior sit prope carpum, minor vero aut deficiens prope cor. Sed datur etiam hæc differentia. Habeo ego monialem in cœnobio D. Petri annorum 14. quæ laborat febre pestilente, nunc est in 11. puto illam morituram in 14 habet hunc pulsum decurtatum, in quo sub secundo & primo digito prope carpum sentitur pulsus, sub alijs duobus cordi propinquioribus non sentitur.

Eminuli & prominuli. Denique ad hos inæquales pulsus in vnico ictu pertinent eminuli & prominuli, siue innuentes & circumnuentes.

Sunt pulsus, in quibus digiti, Exempli gratia, medius sentit ictum, hinc inde vel nullus est ictus, vel admodum obscurus.

Sub istis differentijs possunt comprehendi alij complures, sed eas omitto.

De inæqualitate composita, seu systematica dicta. Cap. V.

INæqualitatis collectiuæ differētię etiamsi plurimæ, ad duo tamen capita rediguntur, quorum primum continet inæqualitates ad quietem spectantes: aliud vero mobilium inæqualitates respicit.

Ratione quietis seu interualli, quod inter vnā & alteram cadit diastolen, inæquales fiunt pulsus secundum crebritatem & raritatem. Quidam enim habent interuallum breue: quidam vero longum.

Imo inæqualitas secundum frequentiam & raritatem. Habent enim hæ differentiæ duas præcipuas species proprijs nominibus expressas, intercurrentem scil. seu intercidentem & interceptum, seu intermittentem: intercurrens enim est summe creber, interceptus est summe rarus.

Intercurrēs. Intercurrens est pulsus frequens, in quo tamen per quædam motionum interualla fit vna pulsatio præter ordinem inter duas diastoles, quanquā frequenter: vt propterea videatur ille motus præuenire consuetum & ordinarium motum, vt propterea dicatur intercurrere seu intercidere, quando præueniat consuetam illam motionem. Et quia fit fere momento temporis hic motus post alium, hinc data est quibusdam occasio credendi, hunc motum absque media quiete factum esse, quod tamen nos non recipimus.

Interceptus pulsus est summe rarus, quia intermittitur vna vel altera diastole, quæ nullo modo sentitur. Habeo nunc patientem monialem apud S. Petrum ann. 77. quæ habet pulsum interceptū vltra terminum trium pulsationum, illam puto hac nocte morituram. *Interceptus.*

Inæqualitates collectiuæ ratione motus multa sunt, quandoquidem confertur vna pulsatio cum alia, & in vehementia, magnitudine, celeritate, duritie & mollitie.

Itaque sunt inæquales pulsus inæqualitate systematica, quando vna pulsatio est vehemens, altera debilis, vna magna, succedens parua, vna celeris, altera tarda, vna dura, altera minus dura, quanquam hæc differentia raro reperiatur. *Pulsus inæquales inæqualitate systematica.*

Possunt etiam vel omnes, vel plures complicari, & complicationem etiam vel omnium, vel quorundam vnusquisque, nemine docente, inuenire poterit.

Sunt etiam in hac classe differentiæ illæ pulsuum, quos mutilos, decurtatos seu myuros nuncupauimus, dum fuit sermo de vnius pulsus sub varijs digitis inæqualitate. Quandoquidem dentur quidam pulsus, qui sensim ac paulatim post quinq; aut sex ictus ex magnis desinunt in paruos, isti absolute dicuntur decurtati vel sorici, & murici, (vt dicunt isti) si ita imminuantur, vt amplius non sentiantur, dicuntur myuri deficientes: Et si post defectum iterum resurgant, & maiores reddantur, vocantur myuri deficientes reciproci.

De Differentijs ad ordinem, & eius perturbationem pertinentibus. Cap. VI.

HÆ sunt differentiæ ab inæqualitate desumtæ; quibus connectendæ sunt illæ, quæ ad ordinem, & ordinis perturbationem pertinent.

Istæ differentiæ ordinis vel perturbationis inæqualibus tantum pulsibus conueniūnt, minime vero æqualibus.

Inæqualis enim pulsus ordinatus est, qui suæ inæqualitatis certas quasdam habet periodos. *Inæqualis pulsus ordinatus.*

Ille vero inæqualis inordinatus, qui nullas seruat periodos.

Idcirco pulsus, qui, exempli gratia, post singulas sex pulsationes, vnam intermittit, est inæqualis ordinatus.

Qui propriæ intermissionis non seruat periodum, sed intermittit modo post plures, modo post pauciores pulsationes, est inæqualis inordinatus. *Inordinatus.*

His omnibus existimo, communem esse posse eam pulsus differentiam, secundum quam pulsus hecticus dicitur. Non est credendum, pulsus hectici nomine Galenum febris hecticæ pulsum intelligere. Pulsus hectici nomine omnem intelligit *Pulsus hecticus.*

git pulsum siue æqualem, siue inæqualem, qui tamen habeat aliquam permanentiam & constantiam. Propterea *lib 4. de cauſ. pulſ. c. de pulſu ſuppuratorum* inquit, illum pulsum, qui inæqualis est, sed tamen cum certa quadam permanentia, modo mutatur in magnitudinem, vicissim in paruitatem, & rursum in magnitudinem, hunc, inquam, pulsum ita inęqualem ob periodorum certitudinem hecticum vocat. Et ideo *lib. 3. de præſag. ex pulſ. c. 4.* proponit argumentum cognoscēdi pulsum inæqualem ex inæquali cordis intemperie: *Cognoſcitur*, inquit, *quia inæqualitas eſt hectica.* Neque enim, inquit Gal. appellare inæqualitatem hecticam est absurdum, quoniam sit constans & permanens, sicuti & appellamus & febrē & pulsum hecticum.

Præter has differentias alij excogitarunt plurimas, sed omnes mutilas, vel saltem, quæ ad prædictas rediguntur. Nam, Exempli gratia, quod dicunt de vacuo & pleno, vel nullam ponunt alicuius vsus differentiam, vel saltem illam proponunt, quæ ad vehementem, aut durum, aut magnum pulsum pertinet.

Pulſus plenus. Potest enim plenus pulsus appellari, & qui vehementer manum ferit, vt vehemens, & qui multum extendit arteriam, vt magnus; & qui resistit digitis tangentibus, vt durus.

Si quis vero putat, nomine pleni vel vacui pulsus se proponere differentiam a corporibus in arteria contentis, ridiculus est existimandus; Neque enim ex tactu potest quispiam deprehendere, numquid arteria sit plena vel sanguine, vel spiritu: & si sanguine vel spiritu, vtrū tenui, vel crasso.

Craſſus. Gracilis. Pariter pulsus crassus & gracilis redigitur ad differentias magni. Nam pulsus, cuius arteria in latitudinem non extenditur, sed tantum in longitudinem, gracilis dicitur: ille vero, cuius arteria dilatatur, crassus nuncupatur.

Vno verbo, simplices omnes differentiæ tantum octo sunt iam explicatæ: vehemens & languidus, magnus & paruus, celer & tardus, durus & mollis, εὔρυθμος καὶ ἄῤῥυθμος, frequens & rarus, æqualis & inæqualis, ordinatus & inordinatus. Ex quibus patent, me etiam tacente, compositæ differentiæ, quæ quidem in actu practico semper sūt attendendæ pro illis, qui pulsus tangunt, vt ægrorum affectiones intelligant, illasque sanent. *Neq; enim vllus vnquam ſimplex reperitur pulſus, ſed omnes ſunt compoſiti, æquales quidem ex ſeptem, inæquales vero ex octo differentijs.* *Nullum reperiri pulſum ſimplicem.*

Quomodo & quibus potiſſimum requiſitis omnes ſphygmorum differentiæ dignoſci poſſint, Cap. VII.

PVlsuum ego dignotionem in duas distribuo partes, quarum primam exercitatoriam, secundam vero contemplatoriam apello.

Dignotio pulſuum exercitatoria. *Exercitatoria* est illa, quę nihil aliud sibi proponit, quam facilem & breuem modum dignoscendi simplices pulsuum differentias hactenus propositas.

Contemplatoria vero sibi proponit cognitionem pulsus ægrotantis, quoad omnes illas differentias, quæ in eo pulsu considerati & reperiri possunt.

Itaque prima pars pertinet ad tyrones discentes.

Secunda vero ad Medicos artem exercentes; & curantes.

Quia igitur prior est via ad secundam, exercitatio ad contemplationem, ideo de exercitatione prior erit sermo.

In hac parte primum scire oportet, quę sint dignoscenda, deinde vero quibus ingenijs.

Dignoscendæ igitur veniunt, quædam differentiæ hactenus explicatæ.

Sed tamen consulo, ne tantum inprimis illis temporibus in indaganda systole, vel distinguendis duabus illis quietibus studium tantusque labor adhibeatur. Ratio est, quia præterquā quod systole, vel nullo modo, vel difficilime comprehendi potest, accedit, illius comprehensionem non posse esse vtilem. Dicebat Galen. *libr. 1. de dignoſcendis pulſibus cap. 5.* systolen comprehendi non posse nisi in pulsibus vehementissimis & maximis. Pulsus vehementissimi & maximi, vel sunt in sanis tantum, vel in leuioribus morbis, in quibus tactus pulsus non est necessarius.

Si in grauioribus morbis, vbi pulsus non sunt validi, nec admodum magni, posset contractio cognosci, esset sane vtilis: Cum id fieri nequeat, prætermittenda est, & totum illud tempus, quod est inter vnum & alterum motum diastoles, accipiendum est pro interuallo, quod etiam consulit Gal. *in lib. de pulſ. ad tyrones.*

Aliæ igitur omnes differentię pulsuum sunt cognoscendæ præter illas, quæ comparant motum diastoles cum motu systoles. *Modus cognoſcendi pulſuum quo, & qua requirat.*

Modus autem, quo possunt huiusmodi differentiæ cognosci, est multiplex, attamen quinque potissimum requirit, studium nimirum, Memoriam, Obseruationem, Tactum conuenientem & iudicium.

1. Studium. Studium est necessarium, & pro comparandis omnium pulsuum differentijs, & quod magis refert, pro intelligendis earum descriptionibus. Neque enim quispiam poterit vllam pulsus differentiam intelligere, qui prius descriptionem illius pulsus non didicerit.

Huiusmodi descriptiones puto iam satis in superioribus a nobis fuisse propositas, propterea ad illas confugiendum.

2. Memoria. Est necessaria *Memoria*: Parum enim refert differentias & differentiarum descriptiones semel intellexisse, nec tamen memoriæ mandasse. Oportet itaque singulas differentias, & earum descriptiones memoriæ hærere, vt cum primū pulsum tetigeris, facta collatione illius cum notis memoriæ hærentibus, dicas statim pulsum esse hunc vel illum.

3. Obſeruatio. Necessaria tertio est *Obſeruatio*; per obseruationem intelligo frequentem pulsuum tactum.

Hæc igitur obseruatio facienda est & in sanis & in

& in ægris.

In sanis quidem duplici modo: primo tangendo, si fieri potest, hominis omnium temperatissimi, qui quidem cũ moderatis in omnibus sit existimandus, & in vehementia, & in magnitudine, & celeritate, & ceteris, erit quasi metrum omniũ ceterorum. Nam in huius comparatione ceteri omnes pulsus erunt, vel vehementiores, vel imbecilliores, vel maiores, vel minores, & sic de singulis.

Secundo modo debet fieri exercitatio in sanis recedentibus ab hoc corpore εὐκράτῳ. vt hac ratione distinguantur pulsus omnium sanorum, quãquam intemperatorum a pulsibus ægrotorũ.

Et ideo hac in parte oportet singulatim exerceri in explorandis pulsibus sexus, ætatis, temperamenti & habitus corporis. Quãdoquidem pulsus virorum & iuuenum sunt celeriores & maiores & vehementiores pulsibus mulierum & senum. Pulsus calidi temperamenti sunt vehementiores, maiores, & celeriores frigidis. Pulsus gracilium sunt duriores, magisque apparentes: Carnosorum vero molliores & occulti.

4. *Tardus.* Obseruandi etiam sunt pulsus ægrotantium. Nam ex frequenti contactu, quanquam non facili negotio, singulares tandem differentiæ illæ elucescunt, potissimum si tactus conueniens & iudicium adhibeatur.

Per tactum conuenientem intelligo tẽpus tangendi, locum, modum, quantitatem & qualitatem tactus.

Tempus tãgendi pulsus Quod ad *tempus* pertinet, tangendi sunt ægri omnino a quocunque animi aut corporis motu distantes & liberi: Propterea neque nuper expertectos, neq; iratos, aut eos, qui nuper minxerunt, aut assellarunt, vel euomuerunt, statim tangere oportet, sed tam diu subsistere, donec quiescant.

Locus. Quantum ad locum, multis in locis tangi arteriæ possent, omnium tamen commodissimus & honestissimus est locus in carpo.

Modus. Modus tangendi est, vt manus potius moderate applicetur, quam cum valida appressione.

Nam si moderatus sit pressus, nulli pulsui sit incommodus, æq; omnes percipiunt. Vbi vero valida manus comprimit, parui & imbecilles pulsus prorsus obruuntur.

Sunt tamen differentiæ quædam, pulsuum scilicet inæqualium & paruorum, quæ requirunt manum aliquando comprimentem, nonnunquam vero suspensam. In hoc genere potissimum sunt μύουροι illi seu decurtati pulsus, quãdoquidem, si fortior fiat in his compressio, non potest seruari ordo illius paulatim defectus. Pariter, si minus suspensa sit manus, illa reciprocatio non percipitur.

Idcirco aliquando molliter comprimere, & vicissim in his digitos eleuare oportet.

Quantitas discreta. Quod ad quantitatem pertinet, est discreta & continua. Per discretam intelligo, vtrum semel vel bis tangendus sit pulsus: per continuam, quoto tempore detinenda sit manus supra pulsus.

Quod igitur ad primum, laudo, vt semper in morbis difficilimis saltem bis pulsus tangatur,

A quandoque etiam ter, vt singulæ inæqualitates ex mutationibus, quæ inter primam, secundam, vel tertiam manus appositionem cadunt, facilius distinguantur.

Quod autem ad secundum, si morbus sit leuis, si pulsus differentia non sit cognitu difficilis, non est, vt pulsus tangatur, vltra sex vel octo pulsationes. *Continua.*

Vbi differentiæ confusæ & obscuræ sunt, oportet attendere, & duodecim & plures pulsationes.

Tangendi etiam sunt pulsus vtriusque brachij; tum, quia in quibusdam vitiosus solet esse situs arteriæ in vno brachio, vel a natura, vel ex morbo: tum, quia mutantur etiam pulsus vnius vel alterius partis magis, prout affectio potius dextram vel sinistram partem obsideat. *Cur tangenda arteria vtriusque brachij.*

B Denique quoad qualitatem, manus tangentis debet esse calida, minime cutis dura aut aspera: Cutis enim prædura singulares pulsuum differentias adeo non distinguit. *Qualitas.*

His rite se habẽtibus, si iudicium adhibeatur, & dignotio & distinctio facile apparebit, de qua dignotione nunc dicemus. *5. Iudicium.*

Pro dignoscendis pulsuum differentijs iudicio potissimum est opus. Ad iudicium enim pertinet singulas differentias dignoscere, & similes inter se distinguere.

Studium vero, memoria, obseruatio & tactus sunt quasi instrumẽta, quibus vtitur iudicium ad dignoscendos & distinguendos pulsus.

Vtitur autem aliquando mente tantum, quandoque vero & mente & tactu.

C Vtitur mente tantum in inquirenda frequentia & raritate, atq; ipsius pulsus rhythmo.

Vtitur mente & sensu in ceteris omnibus differentijs, quæ ad diastolen pertinent.

Si itaq; frequentia & raritas sint dignoscendæ, mens & ratio ad hanc dignotionem sufficit: quandoquidem, cum frequens pulsus ille sit, cuius interuallum inter vnam & alteram diastolen breue est: rarus autem, cuius interuallum est longum: interuallum hoc sensu non percipitur, sed mens ipsa ex hac percepta rari vel freqũetis pulsus definitione statim iudicat, numquid interuallum sit breue vel longum, propterea vtrum pulsus sit rarus vel frequens.

Pariter pulsus ἄῤῥυθμος sine rhythmo, vel εὔρυθμος cum rhythmo, sensu non deprehenduntur:

D quandoquidem necesse esset systoles magnitudinem & celeritatem tactu sentire, vt possit fieri comparatio celeritatis, & magnitudinis systoles ad magnitudinem & celeritatem diastoles: Ex qua comparatione consurgit pulsus ἄῤῥυθμος vel εὔρυθμος.

Cum itaque systole, vt dixi, (quicquid censeat Gal. *lib. 1. de puls. dignot. cap. 5.*) deprehendi tactu non possit, tantum iudicio & mente est opus, vt cognoscamus, numquid systole possit esse celerior vel tardior, quam diastole. *Quomodo cognoscatur systole.*

Cognoscemus autem primo quidem intelligẽtes ea omnia, quæ cadunt inter vnam & alteram diastolen. Non. n. cadit tantum motus systoles, sed

etiam duæ quietes, altera interior, altera exterior, & principium & finis diastoles, quæ ambo sunt insensibilia.

Dum igitur mens hæc considerat, habita interualli ratione, cum dederit illius interualli partem duabus quietibus, & principio & fini motus diastoles occulto, tunc iudicabit, numquid systole possit esse celerior an tardior, quam diastole.

Alius modus iudicandi hanc ipsam differentiam, desumitur ex natura & tempore febris. Nā in febre putrida in principio & augmento systole semper est celerior, quam diastole. In febre Ephemera, hectica, aut putrida, in statu & declinatione, diastole est semper celerior quam systole. Igitur potius mente, quam sensu & tactu istæ differentiæ dignoscuntur.

Ceteræ vero & mentem & tactum requirunt. Et vt a vehementi incipiam, vehemens & languidus, vt cognoscantur, requirunt mētem, id est, definitionis memoriam.

Est vehementer, qui resistit manui tangentis, & illi occurrit.

Est debilis, qui manui tangentis statim cedit: Huic mentis officio accedat sensus & tactus conueniens.

Nam pulsum vehementem primo tangas breuiter, tunc enim senties arteriam occursantem; postea comprime, senties arteriam reluctantem, hunc vocabis vehementem.

Si vero leuiter tangentibus vix pulsus apparet, id est, moderate comprimentibus statim delitescat, languidus is erit.

Ad magnum & paruum similiter dignoscendum opus & mente & tactu est.

Mente, quia magnus est pulsus, qui arteriam in omnes dimensiones æqualiter dilatat.

Paruus opposito modo se habet.

Huic definitioni congruus accedat contactus: si quispiam quatuor digitis tetigerit, neque summitatem digitorum tantum, sed magnam prioris articuli partem arteriæ imponat: sic enim & longitudinem, & latitudinem, & altitudinem distinguet.

Iudicio tamen in hoc distinguēdo atque etiam ratione est opus, vtque consideres, an gracilis vel potius carnosa sit arteria: nam in gracili pulsus etiam moderati videntur magni: in carnosa pulsus magni videntur moderati.

Celer pulsus & tardus cognoscuntur pariter & mente & tactu: Mente, quia celer est, qui magnum spatium velociter pertransit.

Adhæc mente cognosces celerem, si has duas feceris consequentias. *Pulsus est vehemens: Ergo est celer. Pulsus est magnus: Ergo est celer.*

Tactu vero celeritatem cognosces, non leuiter comprimendo, sed potius moderate. Nam ex leui compressione totus motus non apparet.

Durū pulsum pariter cognosces mēte & tactu.

Mente quidem, durus est, qui quasi saxum manui tangenti resistit.

Sensu vero hunc cognosces, si pariter compresseris: Nam vbi leuiter tangitur, non occurrit digi- A tis, quemadmodum vehemens: vbi fortiter comprimitur, non ita resistit, sicut vehemens. Itaque in hoc distinguitur a vehementi.

Sed quia vibratus & conuulsiuus pulsus videtur in hoc æmulari vehementem, quod ambo occurrant manui tangenti, distinguendi sunt ex cōuenienti tactu: nam pulsum vehementem inuenies manui occursantem secundum omnes motiones, & sub omnibus digitis æqualiter, & in morbis tantum mitioribus: vibratum vero inuenies occursantem per quandam saltem pulsationem, neque sub omnibus digitis, & in morbis partium neruosarum, vel quæ membranis teguntur.

Idipsum dico de conuulsiuo, qui potius ad latera, quam secundum arteriæ altitudinem digitis occurrit.

B Denique pulsus inæquales in vno ictu & sub vnico digito cognoscuntur, si mediocriter arteria vnico tantum digito tangatur, & mente consideretur, numquid illa diastole intercipiatur vel non, aut finem pulsationis a principio diuersum obtineat.

Quod si de inæqualitate vnius ictus sub varijs digitis exploranda fueris sollicitus, singulis quatuor digitis arteriam tangas oportet. Et si pulsus tibi appareat tantum sub digitis prioribus versus cor, non etiam versus manum, tunc pulsum vocabis mutilum & decurtatum, caudam muris.

Quod si appareat sub medio digito, non alijs hinc inde positis, hunc vocabis Eminulum & prominulum, seu, vt dicunt Latini, innuentem & circumnuentem.

C Quod si alternatim appareat sub primo & tertio digito, non sub secundo & quarto, aut sub secundo & quarto, non sub primo & tertio, erit pulsus cum duritie serratus: cum mollitie, vndosus vel vermiculosus.

Quod si inæqualitatem collectiuam volueris deprehendere, multæ pulsationes sunt attendendæ, illæque inter se comparandæ. Nam adhibita memoria definitionum vniuscuiusque inæqualitatis, non erit difficile vnamquamque differentiam dignoscere.

Sic igitur dignoscēdi sunt pulsus in parte exercitoria, quæ in hoc tantum differt a contemplatoria, quod, qui exercentur in dignoscendis pulsibus, possint sibiipsis ad libitum vnicam differentiam singula die inquirendam proponere, vt omnibus singulatim exploratis, alacrius in parte contemplatoria seipsos exercere possint.

D Contemplatoria enim pars est illa, quæ pertinet ad Medicum curam ęgrotantis iam suscipientem, ad quem, dum tangit pulsum, pertinet, omnes pulsuum differentias, & omnes illarum definitiones memoria tenere, & in tactu varia vti ratione, modo breuiter comprimendo, modo fortius, quandoque moderate, vt ex his possit non vnicam, sed plures simul pulsus differentias dignoscere. *Neque enim in ægrotantibus simplex vlla pulsus differentia est attendenda, sed istæ omnes*, vtrum vehemens, vel imbecillis, vtrum magnus vel paruus; celer an tardus, durus an mollis, *Dignotio pulsuum in contemplatoria.*

frequens,

frequens, an rarus: εὔρυθμος an ἄρρυθμος, æqualis, A vel inæqualis. Et si inæqualis, vtrum ordinatus, vel inordinatus. Ad Medicum actu curantem omnia hæc pertinent, & in quocunque pulsu simul suis specificis differentijs sunt dignoscenda, & cognoscenda.

De Caussis Sphygmorum in genere, Cap. VIII.

TRactatio de caussis pulsuum, quanquã philosophica videatur, Medicis tamen tantam præstat vtilitatem, vt sine hac speculatione, ea quę ad præsagium pertinent, nunquam consequi possint: de caussis igitur agendum.

Duo genera caussarum. Pulsuum caussæ in duo potissimum genera distribuuntur: quorum primum immediatas (quas etiam contentiuas vocant) in se continet: secun- B dum vero mediatas comprehendit.

Immediatæ seu contentiuæ illæ sunt, quæ nullo intermedio & faciunt & mutant pulsus, vt propterea ijs positis, ponantur pulsus, & ijs demtis demantur pulsus.

Mediatæ sunt illæ, quæ ijs contentiuis intermedijs pulsus immutant, per se autem nequaquam.

Sunt autem contentiuæ tres numero. Facultas, instrumenta & vsus. Mediatæ vero plures quidẽ sunt, ad tria tamen capita rediguntur, quorum primum res naturales continet, secundum non naturales, tertium res præter naturam.

Sunt autem naturales temperamentum, sexus, ætas & habitus corporis.

Nomine autem temperaturæ intelligo vniuscuiusque partis, vel totius corporis temperaturã, C corde excepto: *Nam temperies cordis est essentia facultatis pulsificæ*, propterea pertinet ad caussas immediatas, non autem ad mediatas.

Non naturales caussæ sunt omnibus conspicuę, aer scilicet, & quæ hunc consequuntur, tempus anni, regio & constitutio, cibus & potus, somnus & vigilia, motus & quies, inanitio & repletio, præterea & animi affectus.

In qua parte licet, ni fallor, *Valesij* errorem corrigere, qui *lib. de puls. c.* 17. existimat animi affectus inter illas caussas esse reponendas, quæ perinde pulsus immediate mutant, ac facultas ipsa, instrumenta & vsus.

Decipitur, ni fallor, Valesius. Nam animi affectus caussæ sunt mediatæ, mouẽtque pulsus, quatenus, vel vsum augent, vel minuunt, facultatem D validam vel inualidam reddunt, instrumenta duriota vel molliora efficiunt. Nam Exempli gratia, *Cur ira magnum & celerẽ pulsum faciat.* ita magnos & celeres facit pulsus, & quia vsum auget, calorem scilicet in corde, & quia facultatem roborat, dum sanguinem & spiritus in cor ducit. ¶ Contra timor paruos & tardos efficit, imminuto vsu, corde refrigerato. Mœstitia duriores reddit exsiccando instrumenta. Vno verbo, nullus effectus immediate pulsus alterat. ¶ Deniq; caussæ præter naturam sunt Morbus, morbi caussa & symptoma. ¶ Explicabimus igitur primo pulsus illos, qui a caussis contentiuis, seu immediatis deducuntur, deinde ad mediatas descendemus.

De caussis immediatis sphygmorum propriorum inseparabilium & separabilium, Cap. IX.

PVlsus igitur, qui a contentiuis caussis fiunt, facilioris doctrinæ gratia in tres classes a me distribuuntur: prima classis continet pulsus proprios & inseparabiles. Secunda continet proprios, sed separabiles. Tertia communes, quos etiam familiares vocant.

Proprios & inseparabiles appellant illos, qui ita fiunt ab vnica caussa, vt neque a pluribus, neque ab vlla alia fieri possint. *Pulsus proprij & inseparabiles.*

Proprios & separabiles illos voco, qui, vt fiant, habent quidem vnicam caussam, sed non in specie, sed tantum in genere. Quia scilicet etiamsi plures caussas non requirant, possunt tamen quandoque ab vna, quãdoque ab alia singulatim fieri. *Proprij et separabiles.*

Familiares denique illos voco, qui, vt fiãt, semper requirunt, vel duas ex caussis contentiuis, vel aliquando tres simul. *Familiares.*

Pulsus igitur proprij & inseparabiles conueniunt tantum facultate, & instrumento, vsu autem nequaquam. *Vsus enim nullum habet pulsum proprium, sed omnes ceteris caussis contentiuis communes.*

Facultatis igitur proprius & inseparabilis pulsus est fortis & languidus: Fortis fit a facultate robusta, languidus semper a debili. *Pulsus facultatũ propry & inseparabiles.*

Neque Valesij hac in parte auctoritas negatiua facit negotium, qui existimat, validum pulsum non esse solius facultatis validæ effectum, sed facultatis agentis cum arteriæ contensione.

Dico, hoc negotium non facere: nam facultas valida cum arteriæ cõtensione facit quidem pulsum validissimum, qualem hodie habuimus in illo patiente vitriario, non tamen sequitur, validum pulsum absque contensione fieri non posse.

Quod enim pertinet ad languidum, cum nomine languidi possemus intelligere & suffocatum & exsolutum, nomine languidi exsolutum intelligimus in præsentia.

Cum enim vitalis facultas, quæ est genus pulsificæ, ad obeundum pulsum vtatur temperie & conformatione cordis, tunc dicitur debilis, quando temperatura cordis ad summum peruenit vitium, siue hoc vitium sit excessus frigiditatis, siue cuiusuis alterius temperamenti.

Dicebat enim Gal. *lib.* 3. *de sympt. caus. cap* 1. Omnes intemperantias immoderatas virtutem destruere: in corde autem frigida citius & promtius id præstat.

Itaque languida tunc est facultas, facitque pulsum languidum & exsolutum, quando solida cordis substantia insignem obtinet intemperiem.

Quod si praua accedat conformatio, pulsus quidem debilis euadere potest, sed potius per suffocationem, quam exsolutionem, & tunc pulsus ille non est proprius facultatis, sed communis, vt intelligetur. *Pulsus proprij & inseparabiles instrumentorum.*

Instrumenta quoque habent proprium & inseparabilem pulsum: arteriæ enim duriores semper

per durum efficiunt pulsum, molliores vero mollem.

Sed quia arteria ad efficiendum pulsum non per solam temperiem concurrit, ad quam sequitur durities vel mollities, sed per cõformationem: Hinc fit, vt dentur quidam pulsus proprij huius instrumenti præter durum & mollem, sed tamen separabiles, eo, quod quandoque ab alia etiã fiant caussa: Tales sunt pulsus gracilis, humilis, altus, & turgidus, qui sequitur ipsius arteriæ cauitatem & situm. Nam vbi arteria a natura exilem obtinet cauitatem, facit pulsum gracilem: vbi amplam obtineat cauitatem, facit pulsum plenum: Vbi situata est in profundioribus partibus, humilem facit pulsum: Quando autem statim sub cute est situata, altum & turgidum.

Sunt itaque hi pulsus proprij ipsius arteriæ, sed tamen quandoq; ab alijs fiunt caussis, vt postea intelligetur.

Facultates proprij & inseparabilis pulsus sunt *fortis & languidus*. Ex languidis vero omnium maxime parui, rari, ac tardi, Galen. *auct. lib. 2. de caus. puls. c. 1.* sunt etiam parui & frequentes, qui formicantes dicuntur. Sunt & μύουροι deficientes, sed non reciproci, vt docet idem Galen. *lib. 1. de caus. puls. cap. 3. Omnes isti tamen, vt facultatis imbecillitatem significent, in omnibus appareant arterijs oportet*. Nam si in quibusdam tantum fiant, illius determinatæ arteriæ imbecillitatem ostendũt, teste Gal. *lib. 4. de præsag. ex puls. cap. vltim.*

Pulsus facultatum proprer & inseparabiles.

¶ Habet vero facultas lãguida pulsus etiam proprios, sed separabiles.

Proprios quidem, nam aliquando ex sola facultatis imbecillitate prodeunt.

Separabiles autem, quod quandoque requirãt etiam instrumentorum læsiones: Tales sunt decurtati in vno pulsu sub varijs digitis, quos cum Galeno distinximus induas præcipuas differẽtias: quosdã enim decurtatos seu mutilos vocauimus: alios innuentes seu circumnuentes.

Fiunt isti aliquando ex sola facultatis imbecillitate: decurtati primum eo, quod tanta nõ sit facultatis vitalis vis, vt ad extremam vsque arteriæ partem possit peruenire. In tali casu sub digitis prope cubitum apparet, sub alijs prope carpum pulsus non percipitur.

Quod si aliquando oppositum contingat, vt pulsus percipiatur sub digitis prope carpum, non sub illis, qui sunt versus cor, scribit Gal. *lib. 2. de præsag. ex puls. cap. 11.* id contingere eo, quod arteria in his casibus sit minus tecta a carne, & cute prope carpum, quam prope cubitum. Quæ ratio veritatem quandoque continet: sed decurtatorum pulsuum ex imbecillitate prodeuntium caussam non assignat. Nam ex Galeni dictis statim inferri potest, pulsum, nisi a nimia carne tecta esset arteria, perinde sub digitis prope cubitum percipi posse, ac percipitur prope carpum, tunc autem non dicitur decurtatus. Ego plures patientes morti propinquos inueni cum his pulsibus, qui digito ad carpum situato percipiebantur, sub alijs prope cor nequaquam.

A Mihi itaque persuadeo, caussam esse non situm arteriæ, non carnis superpositæ gracilitatem, sed magis *facultatis confluentis reflexum, quasi in ea parte facultas, quæ ob ossis duritiem & arteriæ angustiam non facile vlterius progredi potest, ibi omnes suas vires ostendat*: In partibus autem prioribus, cum deficiat pulsus, non sentitur.

Quantum ad Eminulos & prominulos, hi quoque consuetam facultatem quandoque sequuntur, vt colligitur ex Galen. *lib. 4. de caus. puls. c. 11.* Fit enim hic pulsus ob languidam facultatem, quæ tota sub medio digito manifestatur, quando illi, qui sunt hinc inde comptimentes arteriam, nõ permittunt debilem facultatem sub illis manifestari: Itaque tota, sub vnico esse dicitur, & eo quidem medio, circumstantes autem partes motu videntur deficere. B

De Caussis sphygmorum communium seu familiarium, Cap. X.

Qui pulsus familiares.

Hactenus caussas pulsuum, qui proprij vocantur facultatis & instrumenti tam separabiles, quam inseparabiles: venio iam ad familiares.

Dicuntur familiares illi, qui quanquam magis fiant a caussa vna contentiua, quam alia, ab illa tamen sola non prodeunt, sed alias etiam concurrere oportet. Itaque magnus & paruus, celer & tardus, frequẽs & rarus, æqualis & inęqualis pulsus familiares vocantur. Nam magnus, celer & frequens sunt familiares vsui aucto.

C Paruus, tardus & rarus sunt familiares vsui imminuto.

Augetur autem vsus, vel quando augetur caliditas in corde, vel cum spiritus animalis imminuitur ex *lib. 1. de caus. puls. c. 3.*

Imminuitur vsus, siue calor deficiat, siue spiritus animalis abundet.

Inutilis est quæstio, quam consulto intermitto, *An vsu aucto prima pulsus mutatio fit in magnitudinem, deinde in celeritatem, tertio in frequentiã, vt sentit Gal. potius primo fiat frequens, deinde celer, tertio magnus, vt Arabes?* Est, inquam inutilis. Nam parum hoc refert ad curãdos morbos: Et rei veritas est pro facultatis & instrumenti conditione, aliquando vno modo, quandoque altero rem contingere.

D His itaque dimissis familiares pulsus facultatis & instrumenti sunt æquales & inæquales, & ex inæqualibus ordinati & inordinati.

Versabimur primo, circa eos, quos vsui magis familiares diximus. Magnum scil. & paruum, celerem & tardum, frequentem & rarum. Deinde ad inæquales transibimus.

Hi pulsus, vti dicebam, non fiunt, nisi concurrente facultate etiam & instrumento. Propterea Galenus proponit differentias & caussas horum pulsuum consideratorum secundum triplicem complicationem. Prima enim complicatio est vsus cum instrumento. Secũda, est vsus cum facultate. Tertia vsus, cum instrumento & facultate.

Ego,

Ego, qui doctrinam duntaxat vtilem sum pollicitus, duas primas complicationes, tanquam superuacaneas prorsus omittam. Neque enim fieri potest pulsus magnus, celer vel frequens, aut oppositi ex solo vsu & facultate, aut solo vsu & instrumento, sed semper tria hæc necessario concurrunt. Itaq; de hac tantum complicatione agemus.

Ex hac complicatione octo oriuntur differẽtiæ. Prima *vsus aucti cum instrumento duro & facultate robusta:* hæc complicatio facit pulsum magnitudine moderatum, quia arteria dura non potest extendi: facit celerem, quia facultas valida: facit frequentem, quia vsus est auctus.

Secunda complicatio *vsus aucti, arteria dura, facultas languida:* hæc complicatio facit pulsum paruum, quia facultas inualida duram arteriam non potest extendere: facit frequentissimum ratione vsus aucti: si non sit ad summum infirma, faciet etiam moderate celerem.

Tertia cõplicatio *vsus aucti, arteria mollis, virtus valida,* pulsus erit maximus, celerrimus, non admodum frequens: *Maximus*, quia mollis arteria a valida virture in omnes extenditur dimensiones. *Celerrimus* propter vsum auctum, & vires validas: *non admodum frequens*, quia magnitudine & celeritate motus satis fit necessitati: si tamen necessitas augeatur, etiam frequentia accedit.

Quarta *vsus aucti, arteria mollis, virtus languida:* pulsus huius complicationis erit in magnitudine & celeritate moderatus, frequentissimus tamẽ: erit moderatus in magnitudine & celeritate: quia molis arteria facile dilatatur, vsus auctus cogit facultatem ad dilatandum: propterea, quanquam sit infirma, moderate dilatat, & celeritatem, quam potest, adhibet; cum tamen vsui non satisfaciat, frequentia supplet: si tamen sit valde infirma, neque celerem neque moderatum efficiet, sed paruum & tardum, & illum, quem proprie vermiculosum vocant. Fit enim vermiculosus ex vsu aucto, instrumento molli, facultate debili.

Ex octo complicationibus, quæ inter vsum, facultatem & instrumenta cadere possunt, quatuor iam sunt explicatæ: aliæ nunc quatuor succedunt: Quarum prima est *vsus imminuti cum instrumento & facultate debili*, ex qua fit pulsus paruus, tardus & rarus.

Secunda est *vsus imminuti, instrumenti mollis, facultatis valida*, quæ facit pulsum magnum, moderate celerem, rarum tamen.

Tertia cõplicatio est *vsus imminuti cum instrumento duro & facultate robusta*, quæ facit pulsum magnitudine & celeritate moderatum, attamen rarum.

Quarta & vltima est *vsus instrumẽti cum instrumento molli & facultate languida*, quæ facit pulsum magnitudine moderatum, tardum tamen ac rarum.

Nomine enim mollitiei non oportet intelligere mollitiem in summo, in qua arteriarum fibrę non prorsus corrumpuntur: tũc enim nullus fere prorsus fit motus.

Ex ijs ipsis complicationibus fiunt etiam pulsus alti, lati & graciles.

A Fit enim altus ex vsu aucto, facultate robusta, arteria compressa ad latera, ne extendi possit.

Fit pulsus latus ex vsu aucto, valida facultate, & onere corpori arteriarum superposito. Fit etiam ex nimia arteriæ mollitie.

Gracilis fit ex virium imbecillitate & arteriæ siccitate.

De Caussis Sphygmorum inæqualium ex complicatione ortorum, & primum De Inæqualitate, quæ fit ex instrumento & facultate.

Caput XI.

Venio modo ad aliarum differentiarum species, mutati scilicet rhythmi, inæqualitatis & inordinationis.

B Mutatur rhythmus, quando vel systole celerior est, quam diastole, vel diastole celerior, quam systole.

Caussa huius varietatis rhythmi est varietas mutati vsus. Cum enim vsus consistat, vel in refrigerando corde, & in reparandis spiritibus animalibus, in quem vsum natura diastolen instituit: consistat præterea in expurgandis fumosis excrementis, quæ cordis calorem suffocant; quando necessitas expurgationis fuliginum maior fuerit necessitate refrigerandi cor, vel reficiendi spiritus animales, tunc systole erit celerior, quam diastole: si contra res se habeat, diastole quã systole erit celerior.

Quantum ad inæqualitates, fiunt illæ pulsuum differentiæ, aliquando ex sola facultate, quandoq; ex solo instrumento, nonnunquam ex complicatione facultatis & instrumenti; facultatis & vsus; C vsus & instrumenti; facultatis, vsus, & instrumẽti.

De inæqualitatibus, quæ fiunt ex sola facultate & ex solo instrumento, dictum est superius: de alijs nunc dicendum, quæ ex complicatione oriuntur.

Sed dicet quispiam, cur etiam non datur inæqualitas ex vsu, sicuti datur ex instrumento & facultate? Dico cum *Gal. lib. 2. de caus. puls. cap. 1.* id fieri non posse, quia nunc de inæqualitate sermo est considerata inter pulsationes, quæ vno & eodem tempore fiunt, in quibus nulla est ratio, quamobrẽ prior pulsus sit maior secundo, vel tertius quarto. Neque enim momento temporis calor augeri & imminuti potest. Quæstio.

Quod si quisquam obijciat irę pulsum, qui inęqualis est, & videtur vsum tãtum auctum insequi? D Respondet Galen. *loco citato*, pulsum iræ non vnicam sequi affectionem, sed etiam vsum auctum & imminutum: auctum, quatenus ira est feruor sanguinis cordis: imminutum, quatenus timorem habet connexũ, ex qua pugna fit pulsus inæqualis.

Consideremus itaque inæquales pulsus, qui ex complicationibus oriuntur: horum quidam magis fiunt ex instrumento, quam ex facultate; quidam magis ex facultate, quam instrumento: alij magis ex facultate, quam ex vsu: quidam magis ex vsu, quam ex facultate: alij deniq; fiunt ex vsu, facultate, & instrumento.

Qui fiunt magis ex instrumento quã ex facultate, sequũtur aut arteriarũ obstructiones, aut repletiones, vel intemperies, aut denique cõpressiones.

Obstru-

Obstructiones, quando cauitas arteriæ multis & crassis humoribus est referta, & præterea cum vitalis spiritus liberum non habeat transitum, & tamen continuo aduersus hanc copiosam & crassã materiam reluctetur, vt illam ad fines vasorum deturbet, &, si potest, extra vasa propellat: in hac lucta fit pulsus inæqualis, secundum magnitudinem & prauitatem, celeritatem, & tarditatem, frequẽtiam, & raritatem: fit quandoque intermittens & in vna, & in pluribus pulsationibus: fit quoq; intercurrens, neque tantum fit inæqualis in pluribus pulsationibus, sed etiam in vnico ictu, siue intermittat in media pulsatione, vt facit caprizans, siue non intermittat, vt faciunt illi, qui habent diastolen cõtinuatam, sed disparem celeritatem vel magnitudinem ratione principij & finis motus. Omnes istæ inæqualitates possunt ex hac humorum copia in cauitatibus arteriarum contenta, contra vitales spiritus pugnante fieri & conseruari.

Fit etiam inæqualitas, si repleantur arteriæ non ratione cauitatis, sed ratione propriarum tunicarum, quæ quidem repleri possunt, & cum tumore, & citra tumorem.

Si cum tumore, possunt repleri, & a tumore inflammatorio & erysipelaceo, & œdematoso, & scirrhoso, vel legitimis, vel spurijs.

Hæ ipsæ quoq; tunicæ intemperiem patiuntur, vel æqualem, vel inęqualem.

Æqualem, vbi vel omnes sint exsiccatę, vel omnes refrigeratę, vel omnes humectatæ.

Inæqualem, vbi eadem arteria in varijs partibus siccior vel mollior, frigidior vel calidior exsistat.

Ex his caussis fiunt quidem inæqualitates iam propositæ, sed aliæ speciales.

Nam vbi arteria tumore afficitur, adest inęqualitas in situ, quia in eam partem ducitur arteria, in qua reperitur inflammatio.

Pariter ex inflammatione, vel tumore, fit pulsus conuulsiuus.

Ex inæqualitate intemperaturæ fit pulsus serratus, dicrotus, de quo tamen plura dicemus infra.

Ex molli fit vndosus & vermiculosus. Itaq; fiũt variæ species differentiæ.

Denique ex instrumento fit inęqualitas, quando instrumentum comprimitur, non est obstructum in cauitate, non est repletum in propria substantia. Sed quia continuo dilatatur, & vt dilatetur, opus est spatio inani: si ergo illud spatium sit repletum, arteria non potest dilatari: & si nulla ratione potest dilatari, fit ἀσφυξία, intercipitur pulsus, sequitur mors. De hac interceptione sermo est apud *Hipp. lib. de victus rat. in morb. acut. com.* 4.

Quod si non sit exquisitum impedimentũ, pulsus fit inæqualis, quia natura, quanquam impedita a libera motione, attamen post tres vel quattuor pulsationes vires colligit, & pulsum facit magnũ: sed iterum onerata pulsum facit imbecillem, tardum vel intermittentem. Caussa enim huius compressionis est vel materia in illis cauitatibus, seu spatijs inanibus contenta, aut est insignis venarum repletio, quæ semper arterijs sunt sociæ.

Est denique etiam tumor partium circumiacen- A tium, quæ omnes caussæ arterias a propria dilatatione impediunt. Ex his igitur caussis ex parte instrumenti, potissimum pulsus fit inæqualis.

Subinde tamen concurrit facultas, quæ potest esse vel robusta, vel languida: & si fuerit robusta, facit omnes pulsus inæquales iam propositos, tam in vno, quam in pluribus ictibus, tam intermittentes, quam non intermittentes.

Sed vbi inæqualitas sit in vno ictu & cum virtute valida, finis pulsationis est semper maior & celerior, quam principium: si sit in pluribus ictibus, sẽper plures sunt ictus magni, celeres & vehementes, quam sint parui, tardi, & imbecilles.

Contra vero imbecilla facultate contingit: nam in vnico ictu finis pulsationis est minor & languidior principio, in pluribus ictibus plures sunt pul- B sationes paruæ, debiles, & tardæ, quam magnæ, vehementes & celeres. Idcirco proprij huius complicationis sunt Μύουροι deficientes sed reciproci.

Huc etiam pertinent illi, qui disparem habent celeritatem ac magnitudinem, & diastolen vehemẽtiorem, in quibus finis diastoles est imbecillior, magis parua & tarda.

Sunt deinceps omnes inæquales secundum magnitudinem & paruitatem collectiuam, celeritatem & tarditatem, vehementiam & imbecillitatẽ, quando plures sint paruæ, debiles ac tardæ pulsationes, quam oppositæ. Istæ omnes fiunt potius ex facultate imbecilla, quam ex instrumento obstructo, aut repleto aut compresso ad differentiam superiorum iam enumeratorum, quæ sequuntur potius obstructiones, repletiones & compressiones, C quam inualidam facultatem. Ad hoc caput pertinent etiam pulsus vndosi, vermiculosi, qui, etiamsi non sine instrumenti vitio fiant, sequuntur tamen magis imbecillitatem mouentis facultatis.

De sphygmatis inæqualibus ex vsu & facultate. Cap. XII.

VEnio modo ad aliud caput pulsuum scil. inęqualium, qui sequuntur vsum & facultatẽ. Hi quoque bifariam diuiduntur. Nam vel magis fiunt ex vsu, quam ex facultate, vel magis ex facultate, quam ex vsu.

Fiunt magis ex vsu, quam facultate, quãdo partes cordi vicinæ, siue humores, siue pericardium, siue arteriæ & venæ intemperiem calidam aut fri- D gidam obtineant, cum, aut sine putredine. *Quando enim intemperies hos locos obsidet, dicitur mutari vsus. Quando autem intemperies ipsummet cordis corpus occupat, dicitur mutari facultas:* Hæc est sententia *Galeni lib.* 1. *de præsag. puls. cap.* 4.

Itaque illa pulsus fient magis ex vsu immutato qui sequuntur intemperiem partium cordi propinquarum: quæ partes cordi propinquæ ex sententia eiusdem *Gal. lib.* 3. *de præs. ex puls. cap.* 3. *in fine*, sunt pericardium, humores, vasa cordis & pulmonis.

Dum autem fiunt ex cordis intemperatura, tũc sequuntur læsam facultatem.

Pulsus igitur, qui præcipue vsum imminutum consequuntur, fiunt ex inæquali vel humorum, vel aliarum vicinarum cordi partium intemperie.

Quan-

Quãdo enim vel humores sunt partim frigidi, partim calidi, similiter & solida propinqua, vel partim sunt putrida vel non putrida cum huiusmodi intemperantia non possit reperiri inęquali gradu, necessarium est, vt modo vna, modo altera qualitas præualeat, modo calor, modo frigus. Similiter aliquando præualet ratione putredinis vsus expurgandi fuligines: quandoque remissa putredine cessat.

Ex hac inæqualitate fiunt pulsus inæquales, & in vno & in pluribus ictibus.

In vno & sub vno digito tam intercepti, quam non intercepti, sed dispares in magnitudine, vehementia & celeritate. Quando enim calor magis vrgeat, pulsus fiunt maiores, celeriores, vehementiores. Interim existentibus ibidem frigidis humoribus (quia iam supponimus inæqualem intemperiem) immutatur vsus refrigerandi, augeturq; necessitas calefaciendi, præualent post alias pulsationes frigidæ qualitates calidis. Hinc pulsus mutatur ad paruitatem, tarditatem & imbecillitatem.

Similiter, vbi plures sint humores putridi, quam non putridi, frequentissimi fiunt pulsus; systole erit celerior, quandoque intercipitur motus diastoles: nam propter summam expurgandi necessitatem, quandoque arteria ante finem diastoles retrahitur quandoque videtur amitti externa quies.

Quod si præualeant humores non putridi putridis, & sint valde calidi, fiunt pulsus bis pulsantes, in quibus videtur amitti ex toto & systole, & simul quietes, quæ cadant inter vnam & alteram diastolen.

Quod dico de vno ictu, dico etiam de pluribus. Nam quousque abundauerit fuliginum copia, systole erit semper celerior quam diastole, vt contingit in principio & augmento putridarum febrium. Vbi auté præualeat refrigerationis necessitas, motus diastoles in celeritate & magnitudine systolen superabit.

Sic igitur fiunt pulsus inæquales ex vsu aucto potius, quam ex facultate. Fiunt etiam inæquales potius ex facultate, quam ex vsu, quando solida cordis substantia inæqualem habeat intemperiem.

Quomodo vnica cordis substantia habeat inæqualem intemperiē.

Si quispiam quęrat, quomodo vnica cordis substantia inæqualem habeat intemperiem? Dico id duobus præcipue contingere modis: primo ratione diuersarum partium similarium: secundo ratione vnius & eiusdem partis similaris.

Ratione diuersarum partium, quia cor cõstituitur ex carne, membranis, venis, arterijs & neruis. Potest autem contingere, vt docuit nos *Gal. lib. 1. de inæquali intem. capit. vltim.* membrum organicum propter hanc similarium partium diuersitatem inæquali intemperie laborare.

Quomodo fiat inæqualis intemperies in vna parte similari.

Fit etiam intemperies inæqualis, in vna eadem parte similari: Et hoc dupliciter.

Primo, *quando vna reperitur intemperies in facto esse, altera opposita iam introducitur, & est in fieri.* Exemplum habetur apud Galenum, *libro de inæquali intemp. cap. 10.* Manus refrigeretur, vel gelu, vel ex niue, appropinquet igni, dolor excitatur, & excitatur, vt inquit Galenus, ex inæquali intemperie: nam frigida est in facto esse, calida tunc est in

A fieri. Hoc ipsum cordi potest contingere, vt, si, est calidum vel frigidum in facto esse, a propinquis autem locis, vel refrigeretur, vel calefiat.

Secundus modus est, *vt cor ipsum substantifice est refrigeratum, calidum vero redditum calore extraneo:* sic in febre marasmo cor est calidissimum calore extraneo, frigidissimum caloris natiui defectu.

Ex hoc igitur triplici intemperie inæquali fiunt omnes inæquales pulsus tam in vnico, quam in pluribus ictibus, vt docuit Gal. *& libro secundo, de præsag. ex puls. capit. 8. & libro tertio, de præsag. ex puls. capite quarto.* Et ratio est manifesta: Nam ratione caliditatis cordis, pulsus dicũtur fieri magni, celeres, frequentes: & si modum omnino excedat, vt corrumpat temperaturam, erunt etiam vehe-

B mentes. Ex altera parte, cum adsit etiam frigiditas, pulsus dicuntur esse oppositi.

Hinc fit, vt in huiusmodi lucta & pugna caliditatis contra frigiditatem quandoque pulsus intercipiantur, in vno ictu fiant caprizantes, quandoque fiant bis pulsantes, sed non duri, dicroti fere, quandoque fiant plures, celeres, & magni, postea alij sequentes tardi & parui, pro vt, vel hæc, vel illa qualitas superet. Sic igitur fient inæquales pulsus magis ex facultate, quam ex vsu.

Quod si quispiam quærat, quales nam pulsus fiant, quando corpus cordis habeat vnam temperiem, vicinæ autem partes aliam? Hoc intelligetur in sequenti capite. *Quæstio.*

C *De Sphygmis inæqualibus factis ex inæqualitate inter solida ipsius cordis & partes propinquas contingente. Cap. XIII.*

EXplicaui hactenus quasdam contentiuas vocatas caussas, quas singuli inæquales pulsus consequuntur: Docui etiam, quomodo ex Galeni sententia solidorum cordis inæqualis intemperies, aut humorum in eo contentorum, inæqualem pulsum quandoque efficiat. Succedit, vt doceã, quales nam pulsus ex inæquali intemperie fiant, quæ inter solida ipsius cordis & propinquas partes solet contingere. Quædam etiam de dicroto pulsu singulatim explicabo: postea vero ad mediatas caussas descendam.

Est igitur inæqualis intemperies solidorum cor-

D dis cum propinquis partibus, quando cor est iusto calidius aut frigidius: propinquæ autem partes, siue sint humores in sinubus contenti, siue sint arteriæ, pericardium & pulmones contrariam habeant cordi intemperiem. In hac intemperaturam pugnantia pulsus fiunt perpetuo inæquales, omnium deterrimi, eo quod eruditissimos etiam Medicos possint decipere, qui plerunque ęgrum propediem moriturum, sine febre, sine vllo morbo iam esse pronuntiant.

Id tamen solet dupliciter contingere, quandoquidem, vt dicebat *Gal. lib. 3. de præs. ex puls. cap. 3.* Quando adest hæc intemperaturam pugnantia, aut pugnant inæquali gradu, vt tanta sit vnius caliditas, quanta est alterius frigiditas: aut adest

aliqua diuersitas in gradu, vt sc. gratia exempli, cor sit calidius, quam sint humores contenti frigidiores: aut opposito modo.

Vbi ergo intemperies sunt contrariæ & in æquali gradu, fiunt pulsus, qui omnino videntur sanis similes.

Vbi autem maior sit caliditas, quam frigiditas, aut frigiditas, quam caliditas, pulsus habēt nescio quam, differentiam a sanis, vix tamen sensibilem, quam nunc explicabo.

Exempli gratia, si cor sit calidius, quam sint humores, vel arteriç frigidiores, pulsus est celerior naturalibus: & si virtus sit robusta, est etiam maior & vehementior.

Quod si vero cor sit frigidus, quam arteriæ, vel humores calidiores, pulsus vel sunt moderati, vel potius aucti in magnitudine, quam in celeritate, omnino tamen languidi.

Quæstio. Quod si quispiam petat, vtrum sit aliquis modus cognoscēdi pulsum lethalem & perniciosum, quando intemperies est prorsus æqualis in gradu, & caloris & frigoris? Dico, in febricitantibus, in quibus calor obsideat solidas partes cordis, pulsū saltem excedere pulsus naturales in celeritate: poterit esse moderatus in magnitudine & in frequentia, sed in celeritate non erit moderatus: erit celerior iusto: hæc est sententia Gal. *lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 2.* qui propterea scribit: *propriam febris cognitionem ex pulsibus desumtam ad celeritatem pertinere.* Deficiet enim magnitudo, deficiet frequentia, non deficiet celeritas.

Itaque vno verbo, ex inæquali intemperie, quāquam pulsus videantur similes sanis, attamen, vel sunt celeriores, vel quandoque etiam lāguidiores, vbi cor sit frigidum, aut maiores, vbi multi sint humores putrescentes, quod docuit etiam Galen. *lib. tertio de præsag. ex puls. cap. 4.*

De Sphygmo dicroto. *Cap. XIV.*

IN dicroto explicando video sane *Galenum lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 3.* esse ita varium, vt, quid tandem senserit, vix intelligam: audiatis quæso. Vult dicrotum esse triplicem, vnum mollem, duos autem duros. Ex duobus duris, vnum dicit vibratum, alterum non vibratum: Mollem inquit *lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 3.* fieri ex inæquali intemperie cordis solidorum: Quando scilicet solida cordis substantia, vno & eodem tempore laborat calida & frigida intemperie.

Galeni opinio refutatur.

Si hoc verum esset, daretur pulsus dicrotus hecticus vocatus, sed consequens est falsum: Experiētia est in oppositum: puto lectorem meminisse, qualis nam sit pulsus dicrotus: est pulsus bisferiēs, est pulsus, qui facit duos aut tres ictus absq; systole & contractione; sed, quis quæso est, qui hecticum pulsum talem vnquam inuenerit? Ego nunquam inueni, nec alium, qui inuenerit, audiui. Quod autē talis deberet esse hecticus, docuit ipsemet *Gal. loco iam ante citato.* Itaque hæc caussa mihi non probatur.

Duri pulsus dicroti, sed non vibrati, aliam proponit caussam *libr. 2. de caus. puls. capite 6. & libro 2. de præsag. ex puls. capit. 8.* & inquit, *hanc esse mollitiem & duritiem simul arteriarum cum facultate imbecilla: Quando enim,* inquit, *media pars arteriæ est mollis, partes circumstantes sunt duræ, & facultas est debilis, pars mollior,* inquit, *citius mouetur, quam partes duræ, quæ sunt hinc inde, cum a facultate debili non possint moueri, retrahunt partem motam intro, postea simul iterum mouetur, & pars mollis & dura: hinc fiunt duo motus.*

Est merum figmentum, vt ingenue dicam. Primum quidem, quis potest animo concipere, vnum corpus arteriæ esse in vna particula molle, in alijs duabus durum? Sed esto, tale sit, quis docet manum tangentis, vt statim medio digito tangat partem mollem, extremis autem partes duras? nonne licet Medico mutare manum in tangendo pulsu modo magis versus carpum, modo magis versus cubitum? Profecto, si igitur id fiat, vbi iā erit mollities, vbi durities?

Aliam quoque caussam pari ratione improbare possum, quando inquit, pulsum dicrotum fieri ex vario arteriæ situ: nam quædam pars est situata statim sub cute, quædam est magis profunda, quia a multitudine humorum grauatur.

Pariter dicam, quæ est caussa, cur vnica arteriæ particula, & ea quidem media ab humoribus non grauetur, neque opprimatur, circumstantes autem opprimantur? Propter has caussas, vt ingenue dicam, opinio Galeni de caussis dicroti mihi non placet.

Ego bis aut ter toto vitæ meæ tempore talem obseruaui pulsum, sed anno potissimum elapso, dū huic studio incumberem, incidi in talem pulsum in virgine quadam in cœnobio D. Petri, quæ erat septuagenaria, & laborabat maligna pleuritide, in quinta die incidit in talem pulsum, & in sexta & septima desijt hic pulsus in eminulum & prominulum, tandem vero in formiculosum, & obijt.

Veni ego in hanc sententiam, immediatam horum pulsuum caussam esse vsum valde auctum. Vsus admodum augetur, quando augetur caliditas præter naturam, & tunc potissimum, quando maior est caliditas, quam sit copia fuliginum: tunc enim maior est necessitas dilatationis pulsus, quā constrictionis: Confirmo hanc veritatem, quia pulsus dicrotus est pulsus, qui habet duas & tres diastoles absque *manifesta* saltem systole: Si caret pulsus systole, augetur diastole. Diastole autem fit ob necessitatem refrigerationis cordis: Ergo, vbi augetur caliditas, poterit talis pulsus fieri.

Sed dicet ingeniosus, nonne adest insignis caliditas in febre ardente, & tamen pulsus non est dicrotus? Verum est, sed hic non quiesco; quærere oportet caussam, cur huiusmodi caliditas febrilis ita augeatur, vt cogat facultatem ad faciendas duas & tres, & plures pulsationes? Caussa est, quando cor impediatur a recipiendo aere sibi necessario pro conuenienti refrigeratione. Impeditur autem in omnibus vel obstructionibus, vel compressionibus arteriarum & pulmonum: Et idcirco in hac muliere, quæ erat pleuritica, neque exspuebat pleuritin, factum est tale impedimentum; quod etiam impedimentum fuisse puto in eo calceolario Quæstio.

sane,

sene, quem multi viderunt apud Beatam Hellenã, qui talem aliquando pulsum habuit, vt denique pulsus bis ferientes consequantur flammeam cordis caliditatem, *cum obstructione tamen, vel compressione arteriarum & pulmonũ*, vt non possit conuenienter vsui satisfieri.

De Caussis Mediatis Sphygmorum.

Caput XV.

PVlsuum caussæ, vt alias diximus, in duplici sũt differentia, quædam immediatæ, quas etiam contentiuas vocant: aliæ vero mediatæ.

De contentiuis, quæ tres sunt, facultas scilicet, vsus & instrumentum; iam satis dictum est.

De mediatis nunc dicendum, quæ etiam in triplici sunt differentia: quædam naturales, aliæ non naturales, quædam præter naturam, quas omnes nouisse oportet, vt postea diligentia adhibeatur in distinguendis caussis præter naturam a ceteris.

Caussa mediata pulsus vehementis. Incipiemus igitur a pulsu vehementi & languido. Vehemens pulsus, cum fiat a facultate valida, tanquam a caussa contentiua, fit etiam a moderatione temperamenti partium solidarum cordis, in quo vno moderato temperamento præcipua facultatis vitalis vis residet, ex Gal. *lib. 1. de præsag. ex puls. cap.* 4.

Sequitur præterea ætatem iuuenilem, sexum virilem, habitum corporis moderatum, tanquã caussas naturales.

Sequitur deinde moderatum aeris statum, quale est tempus veris atque principium autumni, vsque ad medium, quicquid sẽserit hac in parte Valesius, qui Galenum accusare voluit. Ipse enim, cũ videat Gal. *lib. illo de puls. ad tyron.* dicentem, æstatis pulsus esse languidos; Ergo, inquit, tales etiam erunt pulsus principij autumni.

Sed non valet consequentia: nam pulsus æstatis languidi fiunt, non propter solidæ cordis substantiæ insignem intemperiem, sed propter spiritus & sanguinis disputationem, quæ cum statim cessante calore refici possint, hinc pulsus principij autumni possunt esse robusti.

Fiunt vehementes post exercitationes *moderatas*, post excrementorum deiectiones moderatas, post moderatum somnum, post cibum & potum moderatum, ex ira & lętitia, ex moderata Venere & balneis calidis non vltra modum adhibitis vehementes fiunt.

Dubium. Dubium est, *an possint vehementes fieri ex caussis præter naturam?* Nam vehementia sequitur robur facultatis: Caussæ autem præter naturam facultati vitali sunt infensæ? Breuiter dico, duobus modis in caussis præter naturam fieri pulsus vehementes: vno modo, *cum facultas valida cogitur operari, non secundum consuetudinem naturalem, sed secundum omnes suas vires: Neq; enim facultas vitalis in sano corpore semper agit pro virium ratione, sed tantum pro cordis necessitate*, vt si aliquando accedant caussæ impellentes, vis pulsifica oportetur vltra consuetudinem.

Impellitur autem in febribus, potissimum ephemeris, in doloribus non admodum vehementibus, in quibus facultas vitalis non prosternitur, sed duntaxat sollicitatur: hinc pulsus dolentium & febricitantium febre ephemera vehementiores fiunt.

Alio modo vehementes fiũt in rebus præter naturam, *quando in febribus ipsis natura iam humores putrescentes superauit, & ad excretionem ac crisin irritauit:* tunc temporis pulsus ex languidis, vel ex minus validis robustiores fiunt.

Languidum Languidus autem pulsus oppositas sequitur caussas immodicam omnem solidæ cordis substantię intemperantiam: nam cum, vt scribit Galen. *lib. 1. de præsag. ex puls. cap.* 4. facultas vitalis in moderato consistat temperamento, omnis insignis excessus, omnis magna intemperies, quæ solidam cordis substantiam obsideat, pulsus reddit infirmiores: qui tales etiam fiunt ex habitu corporis admodum gracili & consumto & sexu muliebri, ex ætate senili, tanquam caussis naturalibus.

Ex non naturalibus autem constitutio & tempus anni feruentissimum, & pariter frigidum infirmos procreat pulsus, quanquam hoc etiam impugnauerit Valesius, qui media hyeme pulsus infirmos fieri non arbitratur, eo quod ventres hyeme, & vere sint calidissimi. Sed reuera quanquam minime negandum sit hyeme interiora esse admodum calida, nihilominus certum etiam est, cutem & arteriæ corpus ex aere frigido ita constringi, & indurari, vt motus infirmior appareat. *Sect. 1. aph. 15.*

Imbecilliores autem fiunt pulsus ex omni caussa non naturali, corpus nimium digerente, siue sint balneæ calidæ, siue exercitationes & vigiliæ, siue inediæ, & nimia Venus, siue denique animi παθήματα, timor & mœstitia.

Ex caussis præter naturam pulsus languidi sequuntur dolores vehementissimos & cõfirmatos, superpurgationes omnes aut ventris, aut vomitus, aut sudoris, aut sanguinis, per quamcunque partẽ exeuntis: sequuntur atrophias, syncopes, lypothymias ex defectu alimenti excitatas, ac deniq; omnem caussam venefica qualitate donatam, siue venenum sit morsu inflictum, siue epotum, siue intrinsecus genitum, in qua classe luem etiam Gallicam reponunt.

Magni, celeres & frequentes. Magni autem pulsus, celeres & frequentes (nam de his simul dicam) ipsi quoque habent caussas naturales, non naturales, & præter naturam.

Et quod pertinet ad naturales, magni fiunt pulsus, ex temperamento calido & cordis, & spiritus, & sanguinis, & partium omnium cordi propinquarum, atque adeo vniuersi corporis: fiunt quoque tales in habitu corporis mediocri, in sexu virili, in ætate iuuenili aut puerili.

Ex his ipsis caussis possunt etiam fieri & celeres: &, si necessitas vrgeat, frequentes.

Pariter, si de caussis non naturalibus sit sermo, omnia quæ corpus quouis modo possunt calefacere, magnitudinem, celeritatem & frequentiam augebunt: talia sunt aer calidus, exercitationes, ira & lætitia, excitatio a somno, cibi & potus, medicamenta calorifica, balneę.

Ex caussis præter naturam sunt febres omnes, inflammationes omnes & erysipelata, nisi tamen

aliquid prohibeat. Dico, *nisi aliquid prohibeat:* Quia, si febres sint tabidæ, durities arteriæ, imbecillitas facultatis non permittunt pulsum fieri magnum: Pariter, si inflammatæ sint arteriæ & membranosa corpora, quæ cum arterijs communicant, propter duritiem pulsus non fiunt magni. Hinc scribit Gal. *in illo de puls. ad tyron.* pulsus phreniticorum non esse magnos, cum tamen phrenitis sit inflammatio omnium præcipua: non sunt magni propter duritiem.

Sequuntur etiam hi pulsus omnem calidorum humorum abundantiam & sanguinis & bilis: Et denique dolores ipsos.

Parui, tardi ac rari. Parui autem, tardi ac rari sequuntur intemperiem frigidam cordis, propinquarum partium & totius corporis, habitum, vel nimis carnosum, in quo arteriæ sint angustæ, & a carne ac pinguedine compressæ: aut nimis graciles, in quo arteriæ sint duriores.

Fiunt præterea tales in ætate senili, in sexu muliebri tanquam a caussis naturalibus.

Ab aere autem frigido, ab otio, ab assumptione ciborum, potionum, & medicamentorum refrigerantium, a nimio somno, a mœrore ac timore, ab inedia & euacuationibus tanquam caussis non naturalibus.

Fiunt præterea a redundantia succi pituitosi & melancholici, a febribus quotidianis & quartanis, ab apoplexia, & paralysi, ac denique ab omnibus frigidis affectionibus tanquam a caussis præter naturam.

Duri. Durus autem pulsus sequitur temperamentum frigidum & siccum, habitum gracilem, ætatem senilem tanquam caussas naturales: tempus hyemale, constitutionemque frigidam & siccam, vsum ciborum & potionum ac medicamentorum refrigerantium ac siccantium, vigilias & motus immoderatos, superpurgationes omnes & mœstitiam, tanquam caussas non naturales. Abundãtiam succi melancholici, quartanam febrem, Epilepsiam, conuulsionis omnes differentias, tympanitin, catochen, scirrhosos tumores, inflammationes omnes membranarum, neruosarum partium & arteriarũ, tanquam caussas præter naturam.

Mollis. Contra vero pulsus mollities fiet in temperamẽto humido, habitu carnoso & pingui, sexu muliebri, ætate puerili, tanquam a caussis naturalibus. In aere temperato & humido, vita otiosa ac desidi, somno ac crapulis dedita, post balneas, & vsum humectantium, tanquam caussis non naturalibus. Denique fiet a præsentia pituitæ & humoris aquei, in peripneumonia, in lethargo, in ascite, in leucophlegmatia, in paralysi, tanquam a caussis præter naturam.

Inæqualis. Denique pulsus inæquales nullam consequuntur caussam naturalem.

Ex non naturalibus consequuntur nimiam cibi & potus repletionem, timorem & amorem.

Ex caussis præter naturam consequũtur inæquales intemperies iam explicatas, & instrumentorum compressiones, repletiones, extensiones, obstructiones ab humorum multitudine, ab inflammationibus, erysipelatibus, scirrhis, abscessibus, crassitie denique & humorum lentore.

Hæ sunt caussæ omnes & præcipue naturalium, non naturalium & præter naturam.

De modo distinguendi caussas sphygmorum naturales & non naturales, a caussis præter naturam. Caput XVI.

QVæcunque de pulsum differentijs, dignotione, & caussis a Gal. in duodecim libris scripta sunt, in vnicum diriguntur præsagium, de quo in quatuor istis postremis libris est sermo. Quandoquidem ideo differentiarum omnium ac caussarum notitiam quærimus, vt tandem, distinctis caussis præter naturam a naturalibus, & non naturalibus, præsagire possimus, quid futurum sit circa vitam aut mortem, longitudinem aut breuitatem, ac denique patientis crises.

Itaque in hac parte, quæ de præsagio est, tria præcipua explicabo. Primum quidem compendiosum proponam modum distinguendi caussas naturales & non naturales a caussis præter naturam. Secundo proponam signa distinctiua omnium caussarum præter naturam: Tertio & vltimo erit sermo de futuri euentus prædictione.

Quod igitur ad primum attinet, incipiam a vehementi, simulque docebo, quonam modo pulsum vehementem, magnum & celerem cognoscere possitis ex naturali, vel non naturali caussa prodire.

Est itaque *vehemens* ex caussa naturali, qui simul magnus est, moderate celer, mollis, rarus & æqualis. *Pulsus vehemens ex caussa naturali.*

Est pulsus *magnus*, quia cum robore facultatis est etiam caliditas temperamenti.

Est *mollis*, alioquin non esset magnus.

Est *rarus & moderate celer*, quia vbi calor non excedit limites naturales, sola magnitudo sufficit ad euentandum calorem natiuum.

Est *æqualis:* quia, qui prouenit a naturali temperamento, vniformis est, & semper eodem modo incedit: Si huic pulsui adiungas moderationem temperamenti, aut temperaturam calidam & humidam, habitum plenum, ætatem iuuenilem, sexum virilem, certior fies hunc pulsum ex naturali caussa talem esse.

Cognoscetur autem vehementes ex caussa non naturali, primum quidem, si aliqua nuper præcesserit ex illis, quæ innatum calorem excitare solent, vt balneum, exercitatio, somnus, cibus & potus, medicamentum calidum, ira, omnia tamen moderata. *Ex caussa non naturali.*

Accedit, quod hic pulsus contrahit aliquam celeritatem & frequentiam, quæ tamen breui perdurat. Quamuis. n. ex cibo & potu, ac calido medicamento calor diutius perduret, nõ tamen tã diu persistit, quãdiu calor vel naturalis, vel præter naturã.

Accedit præterea, quod in calore præter naturam celeritas superat magnitudinem ac vehementiam, in calore naturali & non naturali vehementia & magnitudo celeritatem superant. Præterea ipsimet patientes referre poterunt, numquid

cibum

cibum aut potum, aut medicamentum calidum nuper acceperint: præterquam, quod ex cibo & potu ac medicamento nuper suscepto pulsus contrahit aliquam inæqualitatem ad differentiã caussæ naturalis, quæ tamen breui perdurat ad differentiam præter naturam, & vbi adsit hæc inæqualitas, patientes propter cibum aut potum, aut medicamentum anxietatem in ventriculo sentiunt, ipsique referunt.

Sic itaque distinguuntur vehementia, magnitudo ac celeritas ex caussis naturalibus & non naturalibus ad differentiam caussarum præter naturã.

Frequens ex caussa naturali.

De *frequentia* singulatim dicendum est. Frequẽtia ergo ex caussa naturali prodibit, si pulsus fuerit durus, paruus, sed validus; nam prout est validus, indicat facultatis vitalis robur & temperamẽti caliditatem: Quatenus est paruus & durus, indicat instrumenti duritiem. Itaq; facultas, cum non possit magnum edere pulsum, supplet frequentia, quę tamen erit sibi ipsi ęqualis & permanens ad differentiam caussæ non naturalis, quæ permanentiam non continet: præterquam quod necessario pręcessit, vt paulo ante dictum est, aliqua caussa calorifica, vel exercitatio, vel potus, vel cibus, vel medicamentum, & pulsus etiam præter frequentiam contrahit aliquam magnitudinem.

Languidus ex naturali.

Languidus pulsus ex caussa naturali cognoscitur ex temperamento naturali frigido & sicco, ex habitu gracili, ætate senili: pręterea hic pulsus est paruus, tardus, rarus, sed sine vlla inæqualitate.

Ex non naturali.

Qui fit vero languidus ex caussis non naturalibus, quandoq; est cum frequentia, aliquando cum raritate.

Nam qui sequitur caussas refrigerantes, vsum cibi, aut potus, aut medicamenti frigidi, aerem frigidum, timorem & mœstitiam, est paruus, tardus, & rarus.

Sed qui sequitur inanitionem aliquam, vt nimiã Venerem, aut vigilias, aut inediam, aut euacuationes, vel aerem calidum, vel immoderatas exercitationes, est ipse quoque paruus & tardus, sed frequens; vterque tamen retinet æqualitatem ad differentiam languidi præter naturam.

Durus ex caussa naturali.

Durum pulsum naturaliter cognosces, ex habitu corporis gracili, ex temperamento sicco, ex ætate senili, ex paruitate & tarditate æquali.

Non naturali.

Durum vero ex caussa non naturali, ex caussis prægressis arteriam siccãtibus vel infrigidantibus, mœrore, timore, potu frigidæ, aere aquilonari & frigido ac similibus.

Mollis naturalis.

Mollis naturalis cognoscitur ex habitu corporis obeso & pingui, ex pulsu magno, celeri, moderate tamen, sed raro.

Non naturalis.

Quod si fiat ex caussa non naturali, præcessit otium, constitutio australis, frequens balnei vsus, cibi, potus ac medicamenta humectantia.

Paruus naturalis.

Deniq; *paruus pulsus naturalis* cognoscitur ex angustia venarum & arteriarum, ex abundantia carnis, & pinguedinis supra arteriæ regione, ex duritie naturali.

Non naturalis.

Paruus vero ex caussa non naturali cognoscitur, si præcesserit aliqua ex caussis refrigerantibus: nam si vsus imminuatur, id est, calor, statim magnitudo cessat: imminuitur autem vsus, siue refrigeretur corpus ab aere frigido, siue a balneo vel cibo, potu & medicamentis.

Inæqualis non naturalis.

Inæqualis pulsus, a caussa naturali nũnquam fit: A caussa non naturali fit tripliciter; ex cibo & potu, ex amore, & ex ira.

Cognoscitur itaque pulsus esse inæqualis ex cibo & potu, si nuper sint pasti, si anxij, timidi, iactabundi, nauseabundi, vomentes ac ventriculo dolentes.

Amantes pulsum proprium non habere.

Amantium pulsus nullus est proprius, vt docuit Gal. *l. de præcog. ad Posthum. cap. 6. sed fiunt inæquales pulsus amantium ex varijs animi affectibus*, metu, spe, cupiditate, verecundia, quibus inter se pugnantibus pulsus etiam fiunt aliquando magni, vt in spe: in timore parui: inæquales ex affectuum complicatione.

Quomodo hi cognoscantur.

Cognoscuntur itaque hi esse pulsus amantium, si audita amantis voce, aut inspectare amata pulsus in insignem mutentur inæqualitatem, præter hoc tempus pulsus non sunt inæquales, possunt esse frequentes, sed parui ob ardorem desiderij & timorem, sed non necessario inæquales, quod docuit Gal. *lib. de præcog. ad Posthum. cap. 6.*

Pulsus iratorum.

Pulsus autem iratorum sunt inæquales secũdum magnitudinem, vehementiam, atque oppositas qualitates & breui perdurat inæqualitas, præterquam, quod iratum non est vsque adeo difficile cognoscere.

Itaque hi breuiter sunt modi distinguendi pulsuum caussas naturales, non naturales & præter naturam.

De dignotione præternaturalium caussarum pulsuum. Caput XVII.

Docui hactenus, quanam ratione pulsuũ differentiæ ex naturalibus, vel ex non naturalibus caussis prouenientes, dignosci & distingui possit.

Explicatio in hoc capite, quomodo, quę ex caussis præter naturam proueniunt, a ceteris distinguãtur, &, quod magis ad artẽ facit, explicabo, quanam arte possint deprehendi ex vnica pulsus differentia internæ affectiones, caussæ, loci affecti, ac futurum rei pręsagium.

Modo, quibus cognoscitur pulsus esse præter naturã.

Pulsuum igitur differentiæ tribus potissimum modis cognoscuntur esse præter naturam: primus modus respicit magnitudinem seu excessum illius differentiæ. Secundus respicit concursum multarum differentiarum simul: tertius pertinet ad durationem istarum differentiarum.

Quod igitur ad primũ pertinet, *est pulsus præter naturam, qui multum excellit, & superat naturales limites corporis contenti in latitudine sanitatis*. Et ideo quãdo celeritas superat *magnitudinem & vehementiam, necessario constituit pulsum præter naturam*, quia (vt alias dixi ex Galen. *lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 3. & 4.*) *Celeritas proprium est febris signum, si tamen magnitudinem superet.* nam vbi pulsus est maior, quam celerior, potest esse ex caussa non naturali: si sit celerior quam maior, est ex caussa præter naturam,

II. Secundo cognoscitur pulsus præter naturam, *si coniungantur simul talis celeritas cum frequentia:* his si accedant magnitudo aut paruitas, vehementia aut languor, duritties aut mollities, ac deniq; inæqualitas, certiorem vnumquemque reddere poterunt, illum pulsum esse præter naturam. A

III. Tertia *cognitio pertinet ad durationem:* vbi enim pulsus excellentes ex multis differentijs complicati habeant etiam diuturnam permanentiam, necessario ex caussis pręter naturam fiunt.

Cum itaque iam est inuentus pulsus præter naturam, oportet deinceps, vt etiam affectus præter naturam inueniatur.

Affectus præter naturam est caussa, morbus, & symptoma. Morbus a. præter caussam affectiuam constat ex genere & subiecto: Itaque oportet, vt ex pulsu inueniatur caussa, genus affectionis, locus affectus vel symptoma, ex quo talis pulsus proueniat. Incipiam itaque a vehementi. B

Pulsus vehemens potest esse in febribus Ephemeris in tertianis exquisitis, in doloribus incipientibus, & inflammationibus atque alijs tumoribus, dummodo virtus sit valida.

Cognoscitur itaque ex pulsu vehementi *febris Ephemera:* si pulsus etiã sit maximus, celerrimus, frequentissimus, & æqualis atque rhythmosus.

Cognoscitur esse *tertiana exquisita*, si habeat propositas conditiones, sed careat rhythmo, vt scilicet in principio & incremento systole sit celerior, quam diastole: in statu & declinatione diastole sit quam systole celerior.

Cognoscitur pulsus vehemens ex *dolore*, si sit durus, inæqualis, frequens & celer, & dolor adsit incipiens: *nam dolores maximi confirmati pulsum reddunt languidum.* C

Cognoscitur *inflammatio augescens & vigens*, si pulsus sit vibratus: nam vibratus pulsus (vt alias dixi) fit ex facultate vehementi, instrumento duro, & vsu admodum aucto. Vsus autem maxime augetur cum instrumento duro, quando arteriæ, vel venæ inflammantur: propterea hic pulsus ostendit etiam locum affectum, nempe venam aut arteriam, non autem membranam, quia, vt docet *Gal. & recte libro de puls. ad tyron. capit.* 13. in inflammatione membranarum pulsus fiunt parui: inflammatis venis & arterijs sunt majores. Cum itaque vibratus pulsus sit magnus, est signum inflammationis non, membranæ, sed venæ vel arteriæ. D

Distinguitur autem scirrhosa affectio ab inflammatione ex pulsu vibrato: Quia *in inflammatione pulsus est vibratus quacunque hora*, dummodo, vt dixi, augeatur vel vigeat inflammatio: *In affectibus scirrhosis pulsus non est vibratus: nisi in augmẽto febris, circa statum & declinationem* pulsus amittit vibrationem.

Ex his colligi possunt caussæ, affectiones, loci, & symptomata.

De futuri euentus ex sphygmis æqualibus præsagio: quos locos affectos ijdem, quas affectiones, quasq; caussas & symptomata indicent. Cap. XVIII.

Qvantum ad futuri euentus præsagium, *Omnis pulsus vehemens futuram salutem significat.* Nam quantumuis magnus fuerit morbus, *dummodo vires constent*, semper bene sperandum est.

Sed si huiusmodi pulsus in febre acuta circa tempus status apparuerit, futuram crisin salutarem significat, vt abunde docuit *Galenus lib. 4. de præsag. ex puls. cap. penult.*

Quod pertinet ad languidum, languidus pulsus facultatis vitalis imbecillitatem significat, sed quia imbecillis est facultas aut dissoluta, aut suffocata, cognoscitur lãguidus pulsus ex dissolutione, si fuerit æqualis: languidus ex suffocatione, si inæqualis.

Sed quia languidus pulsus ex dissolutione fit, vel propter defectum spiritus vel humoris, vel propter intemperiem substantiæ solidæ: cognoscitur esse languidus propter defectum spiritus vel humoris, si pulsus fuerint parui, & vermiculosi.

Quia vero rursum isti aut sequuntur immodicas euacuationes, aut veneficam qualitatẽ: cognoscuntur vermiculosi ex nimijs euacuationibus, si præcesserit vel adsit fluxus sanguinis, alui, vomitus, vrinæ vel sudoris, inedia, coitus aut vigiliæ.

Cognoscitur autem pulsus talis ex veneno, si quandoque fuerit languidus quidem & paruus, sed neque celer, neque admodum frequens, neque inæqualis, si nulla præcesserit euacuatio, si fœtor adsit anhelitus, si extrema & exteriora frigida fiot & liuida.

Cognoscitur autem dissolutio virium ex intemperie solidorum, si adsit aliquis excessus aut caliditatis, aut frigiditatis, aut siccitatis.

Et excessus quidem caliditatis cognoscitur ex pulsu languido, paruo & frequentissimo, qualis est fornicans.

Cognoscitur frigiditas ex pulsu languido, paruo, tardissimo, & rarissimo, siccitas ex his, ac pręterea ex duritie & macie totius corporis.

Sed quia, vbi intemperies occupat solidas partes, quandoque obsidet cordis substantiã, aliquando arterias ipsas; cognoscitur intemperiem pertinere ad solidam cordis substantiam, si non modo omnes arteriæ pulsum habeant paruum ac lãguidum, verum etiam ipsum cor, admota manu in regione cordis, exilem tunc obtinet pulsum.

Quod si in arterijs sit intemperies, manui regionem cordis tangenti pulsus apparent vehementiores.

Et quia, si arteriæ fuerint intemperatæ, aliquando sunt intemperatæ prope ipsum cor, aliquando autem in partibus a corde distantibus, hæc cognoscitur differentia: quia, si intemperies fuerit cordi propinqua, omnes arteriæ vno modo pulsant, tam dextræ, quam sinistræ, tam superiores, quam inferiores.

Si in-

A Si intemperies fuerit in partibus distantibus, illæ tantum arteriæ habent pulsus lăguidos, vel paruos, vel tardos, & raros, vel frequentes, in quibus fuerit intemperies.

Ex quo licet inuenire *locos affectos*: quandoquidem, vbi sinistræ partis pulsus est imbecillior dextra, oportet in sinistra parte esse affectionem.

Vnusquisq; deinceps ex symptomatis, quæ male habent ægrotantem, poterit deprehendere, vtrū ea pars sinistra sit in capite, an in pulmone, an in liene, an in rene sinistro, vel alia parte simili.

Sic itaque ex pulsu languido propter dissolutionem, caussæ, affectiones, loca & symptomata distinguuntur.

Languidi pulsus ex dissolutione varios indicant interiores affectus: Et primum quidem ex symptomatis indicant superfluas & excedentes omnes excretiones alui, vomitus, vrinæ & sudoris, & cuiuscunque sanguinis eruptionis.

B *Ex morbis*, significant marcorem senilem, seu senium Philippi vocatum, febres marasmodes cū phthisi, & sine phthisi, ardentes malignas, atque denique pestilentes, qui omnes affectus ex varijs languidi pulsus differentijs inter se distinguuntur. *Omnes enim superfluæ excretiones ex vermiculosis pulsibus deprehenduntur, auctore Galeno, lib. de pulsibus ad tyron. capite duodecimo, & libr. secundo de præsag. ex puls. caput. 9.* Marasmus senilis, vel seniū *Philippi*, ex pulsibus languidis, paruis, tardis, raris, duris & æqualibus cognoscitur. Febris marasmodes sine phthisi ex pulsibus languidis, paruis, frequentibus ac duris deprehenditur. His vero, si loco duritiei mollities accedat, phthisis erit argumentum.

C Quando autem horum pulsuum paruitas & crebritas fuerit in summo, ita vt euadant formicantes, febrem ardentem indicant & malignam, summum cordis incendium, quod solidæ cordis substantiæ temperaturam destruit. Isti vero omnes sunt æquales.

Quod si frequentiæ & paruitati & imbecillitati accedat aliqua inæqualitas, siue in vno, siue in pluribus ictibus (quod contingit in decurtatis seu myuris vocatis pulsibus, atque aliquando in eminulis & prominulis, seu innuentibus & circumnuētibus) tales omnes pulsus pestilentes & malignas febres ostendunt: quandoquidem ex malignitate pulsus sunt languidi & parui: ex calore febrili fiūt

D frequentes: ex humorum putrescentium copia sunt inæquales, vt propterea in vno pulsu sub vno digito percipiantur, & sub alijs non; in pluribus pulsibus quandoque percipiantur, quandoque non, vt dehinc vocentur myuri deficientes, quandoque reciprocantes, aliquando autem non.

Isti omnes pulsus futuram mortem minantur, omnium tamen periculosissimi sunt formicantes, his succedunt vermiculosi, si passio recte non tractetur.

Hoc aduertendum, vermiculosi fiunt propter nimias euacuationes, nimiæ euacuationi succurrendum est cibo & potu: qui intermiserit hæc, aut loco istorum nouas excretiones excitauerit, illico patientem exstinguit.

His succedunt myuri deficientes non reciproci, post quos sunt myuri deficientes, sed reciproci. Ceteri tamen omnes, siue rari, siue frequētes, futuram mortem prænuntiant.

De languidis ex suffocatione nihil dicam hoc loco: quia languidi omnes ex suffocatione, sunt etiam inæquales: Itaque de his agemus in capite de inæqualibus. Venio itaque ad pulsus paruos.

Parui pulsus, vt alias est dictum, ex triplici fiunt caussa contentiua: Ex facultate debili, ex vsu imminuto & ex instrumento renitente.

Quatenus fiunt parui ex imbecillitate facultatis, omnes morbos atque omnia prænuntiant symptomata, de quibus iam dictum est.

Quatenus autem sequuntur vsum imminutum & instrumenta renitentia, manifestabunt omnes caussas, omnes morbos, qui & quas possunt refrigerationes, congelationes, siccitates, tensiones & compressiones efficere.

Idcirco quatenus fiunt ex vsu imminuto, significant abundantiam humoris pituitosi aut melācholici naturalis: Sed pituitosus habet pulsum mollē, melancholicus durum: indicant intemperiem vel arteriarum, vel pulmonum, vel cerebri, vel ventriculi, iecoris & lienis, vteri atque totius corporis omnino frigidam.

Quatenus autem sequuntur (vt dixi) instrumētorum renitentiam, varias ostendunt affectiones: nam renitentia in motione arteriæ, aut fit ex vitijs arteriæ essentialibus, aut ex vitijs per consensum.

Vitia essentialia sunt congelatio, siccitas & tēsio.

Item quatenus paruus pulsus ostendit congelationem, significat abundantiam humoris vitrei.

Quatenus ostendit siccitatem, significat vel melancholiam, vel quartanam, vel marasmum seu febrem marasmoden.

Quatenus sequitur tensionem, quia tensio fit & ex conuulsione & ex repletione, vt sequitur cōuulsionem, ostendit spasmum, aut epilepsiam: vt sequitur repletionem, ostendit inflammationem vel scirrhum.

Quod si arteria difficulter moueatur per cōsensum, ostendit aut humorum multitudinem, qui in spatijs inanibus contineantur, aut humores comprimentes arterias.

Dicet quispiam, qua ratione distinguam paruū pulsum fieri potius ex hac, quam ex illa caussa? Audiat modo. Si sequatur imbecillitatem, pulsus erit semper languidissimus: si sequatur vsum imminutum, erit semper tardus, & rarus, & mollis: si sequatur congelationem, cognoscitur abundantia pituitæ vitreæ ex rigoribus vehementibus cum ingenti refrigeratione ex habitu & temperatura frigida, ex vita anteacta, fructibus & potioni frigidæ dedita. Quæstio.

Cognoscetur siccitas ex marasmo, ex pulsu paruo, tardissimo, rarissimo cū macie totius corporis.

Febris marasmodes, ex paruitate cum frequentia insigni & macie.

Quartana ex pulsu paruo, frequenti, moderate celeri, duro & valido.

Melancholia ex pulsu paruo, tardo, raro, duro & valido.

Tensio

Tensio ex conuulsione, quia iam patientes actu conuelluntur.

Tensio ex inflammatione, ex pulsu vibrato.

Tensio ex scirrho, ex pulsu paruo, tardo, raro, duro, & æquali.

Denique cognoscetur, ***pulsus esse paruus propter onus corporum incumbentium***, quia in tali casu pulsus nunquam est omnibus modis paruus. Paruitas enim, (vt alias explicauimus) tres continet dimensiones, longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Quando arteria est exsiccata, vel congelata, vel repleta & tensa, pulsus omnibus modis est paruus; vbi autem ex corporibus circumpositis euadit paruus, paruitas solet fieri vno vel duobus tantum modis, singulis nequaquam. Ratio est in promtu, nam si humores vel tumores sint ad latera arteriæ, pulsus fit angustus, erit tamen altus & longus: si sint in superiori arteriç parte, pulsus erit humilis, sed longus & latus. Sic itaque arteria ex vicinis corporibus impedita pulsum omnibus modis paruum non facit.

Cognoscitur autem corpora comprimentia esse tumores, si pulsus sit paruus, inæqualis, sed æqualiter.

Erit vero paruus ex humoribus, si sit paruus inæqualis, sed inæqualiter. Ratio est, nam tumores non mutant locum: humores autem vel beneficio naturæ, vel medicamentorum sæpe sæpius mutant locum, vt propterea arteriæ motus inçqualem inæqualitatem contineat.

Isti pulsus varia possunt prædicere pro varietate caussarum, a quibus fiunt. Nam parui & languidi (vt diximus) mortem significant. Parui autem sine imbecillitate longas & difficiles significant affectiones, præcipue vero parui siue æquales siue inæquales æqualiter: nam isti omnes scirrhosas, ac permanentes indicant affectiones.

De magnis pulsibus ac celeribus nihil dicā plus, quam hactenus dictum sit de vehementibus: nam isti omnes ex caussis præter naturam febres significant tam Ephemeras, quam putridas & hecticas.

Quomodo febres hecti cæ habeant pulsus magnos et etiā paruos. Neq; quis miretur, me dixisse, pulsus magnos, celeres & vehementes etiam febres hecticas significare, cum tamen docuerit Gal. *& lib. 1. de differ. febr. cap. 9. & lib. 3. de præsag. ex puls. c. 3.* febres hecticas habere pulsus paruos: nam febris hectica ex propria essentia pulsus habet vehementes, magnos & celeres, vt docuit idem Galen. *lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 6.* in principio: sed si habent pulsus paruos & imbecilles, id contingit nō ex febre, vt febris est, sed ex tabe, quæ febri connectitur: & propterea febres hecticæ in principio, quæ sunt sine tabe, habent pulsus vehementes & magnos, & ideo difficilime cognoscuntur. Accedente tabe, pulsus fiunt parui & languidi.

Magnū pulsus quid significet. ***Magnus pulsus*** (vt dicebam) ***nisi impediatur, omnes febres sequitur***, Ephemeras, hecticas ac putridas.

Impeditur autem, vel ex imbecillitate facultatis, vel ex vsu imminuto, vel ex renitentia instrumenti, vel ex pluribus caussis simul coniunctis.

Ex imbecillitate, vt in febribus malignis ac pestilentibus: Ex vsu imminuto, vt in quotidianis: Ex duritie instrumenti, vt in quartanis: Ex pluribus simul, vt in hecticis, quæ ad tabem perueniunt. In his omnibus pulsus sunt parui, nō ex natura febris, vt febris est, sed ex caussis iam declaratis.

Cum autem magni sint pulsus & in Ephemeris, & in putridis benignis, quæ ex bile vel sanguine producuntur, distinguuntur putridæ ab Ephemeris, quod putridæ habeant in principio & augmēto systolen celeriorem & maiorem, quam diastolē: Ephemeræ autem pulsus habent semper vno & eodem modo æquales, quorum diastole superat magnitudinem & celeritatem systoles: putridæ enim in statu & declinatione a seipsis differunt & dilationem maiorem ac celeriorem habent, quam contractionem, cuius oppositū in principio & augmento fuerat.

Magni omnes pulsus in febribus futuram salutem prænuntiant: Etenim nunquam est magnus, quin etiam sit & vehemens & mollis. Vbi autem est vehemens, virtus constat: vbi mollis instrumenta bene se habent: Itaque semper bene sperandum.

Quod si contingat hunc pulsum circa tempus crisis apparere, futuram crisin prænuntiat, aut per fluxum sanguinis narium, si fuerit æqualis: aut per sudores, si fuerit inæqualis, quem vndosum vocāt. Venio ad celerem.

Celer pulsus ipse quoque perpetuum est cuiuscumque febris argumentum, quinimo (vt alias dixi) ex sententia Galen. *lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 3. & 4.* certius febris signum est celeritas, quam magnitudo aut frequentia. Quamobrem vero hçc celeritas varias febrium differentias explicare possit, ex iam declaratis patet. *Quid celer.*

Nam celeritas cum vehementia, magnitudine, frequentia & æqualitate indicabit Ephemeras: cū inæqualitate, putridas benignas: cum imbecillitate, paruitate & duritie, tabidas: cum paruitate, duritie, robore & moderata frequentia, quartanas: cū ea ipsa duritie, insigni frequentia & vehementia febres inflammationum: denique cum robore, paruitate & moderata frequentia ac mollitie, quotidianas.

Hi quoque pulsus, si morbo ad iudicationem eunte, celeriores fiant, præcipue in diastole, signum est bonæ crisis futuræ: nam ***si systoles celeritas augeatur, est malum signum***: quia indicat, arterias tunc temporis fuligine repleri, crudam adhuc esse materiam, expultricem facultatem esse minus validam, quam vt possit noxiā materiam expellere.

Sed si celeritas diastoles augeatur, iam expurgatæ sunt fuligines, concoctus est morbus, bona crisis & salus est exspectanda.

De tardo pulsu nihil dicam, quia nihil plus significat tardus pulsus, quā imbecillis, vel paruus, de quibus iam dictum est, aut quam significet durus, de quo nunc singulatim dicam. *Tardus.*

Etenim frequentem quoque & rarum prætermittam, tanquam illos, qui partim ex dictis, partim ex dicendis innotescunt.

Venio igitur ad durum pulsum, quem, cum supra dixerimus, in tractatu de paruis, significare congelationem, siccitatem, cōuulsionem, repletionem & compressionem, idcirco varias significat affectio-

affectiones, caussas, locosque affectos: Nam quatenus significat congelationem, indicat abundātiam humoris vitrei replentis arterias: vt significat siccitatem, indicat febres marasmodes, marasmum senilem, febrem quartanam ac melancholiam: vt sequitur conuulsionem, ostendit vel Epilepsiam, vel τέτανον vel ὀπισθότονον vel ἐμπροσθότονον. Quæ omnia, quomodo inter se distinguantur, dictum superius est: nunc autem fusius explicandę sunt & caussæ & loca, propter quas durus fit pulsus extensione vel compressione.

Durus. Pulsus igitur durus, si de locis affectis sit sermo, necessario indicat aut neruosam, aut mēbranosam, aut tendinosam, aut venosam & arteriosam substātiam affectam: Idcirco ostendit affectiones membranarum cerebri, thoracis, septi transuersi, ventriculi, & intestinorum, iecoris, lienis, renum, vesicæ, omniumque articulorum, propter tendones, qui in articulosas partes inseruntur.

Ex affectionibus indicat inflammationes & scirrhos, vel replentes arterias, vel saltem illas comprimentes: significat etiam humores varios, qui repleant vel comprimant absque inflammatione vel scirrho.

Quæstio. Dicet aliquis, quomodo possum distinguere, vtrum pars laborans sit arteria vel vena, an potius sit membrana, vel neruus vel tendo? Distinguūtur hæc, ex pulsus duri diuersitate.

Duri pulsus quidam sunt inæquales, qui vocantur serrati, alij sunt æquales, qui semper vno modo sunt duri in omnibus arteriæ partibus, qui aliquando absolute duri nuncupantur; aliquando autem vibrati.

Serrinus. ¶ Vbi pulsus fuerit serrinus, nunquam vena vel arteria est affecta, sed afficitur per compressionem: & quia compressio non est æqualis in omnibus arteriæ partibus, hinc vna pars est magis dura, altera minus dura, vt propterea sub varijs digitis pulsus ad similitudinem serræ inæqualis appareat.

Cognoscitur autem, partem affectam compressam esse neruosam, si conuulsio accesserit: erit mēbranosa, si conuulsio non adsit.

Est quoque aliud signum: pulsus duri, qui sequuntur affectus venarum vel arteriarum, semper sunt maiores, quam affectus membranarum comprimentium: nam melius extenditur ipsum vas, si spatia, per quæ mouetur, sint inania, quam si fuerint repleta & impedita: hæc est sententia Galen. *lib. de puls. ad tyron. c.* 11.

Quæstio. Dicet rursus quispiam, cum tot sint membranę, tot partes neruosæ, tot tendinosæ, quomodo potero ex duro pulsu conijcere hanc potius laborare, quā aliam? Pro hac re multa sunt consideranda: primū comparandi sunt pulsus partis dextrę cum sinistra: nam qua parte pulsus est durior, in ea ipsa affectionem consistere suspicādum est: sed præterea actiones læsas, qualitates mutatas, excrementaque partium inspicere oportet: nam affectis membranis cerebri subsequitur delirium: affecta pleura, dolor lateris: affecto septo, difficultas respirationis, conuulsio & dilirium: affecto ore ventriculi, cardiaca, syncope, & sic de singulis. Sic itaque facile distinguitur locus affectus.

A Quantum ad affectiones: distinguitur inflammatio a scirrhoso affectu ratione febris: nam in scirrho febris non adest, quātum sit ratione scirrhi; propterea pulsus erūt duri, tardi ac rari; in inflammatione celeres ac frequentes.

Distinguitur autem inflammatio a ceteris caussis, quæ sunt in febre, neque tamen faciunt inflammationem, ex maiori vel minori harum differētiarum excessu.

Nam pulsus vibratus inflammationem indicat, qui est durissimus, maximus & vehemens.

Qui vero fuerit minus durus, minus celer, minus frequens, minus inęqualis, ostendit ipse quoque repletionem vel compressionem, sed absque inflammatione.

B Hic ipse durus pulsus, qui inflammationem sic indicat, habet quoque gradus quosdam: nam potest esse durus in summo, potest esse mediocriter durus: qui in summo est talis, indicat inflammationem maximam, quæ cum virium robore ad suppurationem deueniet, & maxima cum difficultate: cum virium imbecillitate patientem necabit.

Qui vero est minus durus, minorem indicat inflammationem, idcirco, quæ vel facile suppurari, vel forte etiam digeri potest: hæc est doctrina Gal. *lib. de puls. ad tyron. cap.* 11.

Molles pulsus ipsi quoq; proprios habent, quos ostendant, locos, proprias itidem affectiones & caussas. *Mollis.*

Ex locis indicant *cerebrum*, *pulmones*, *adenes*, *carnosam seu musculosam substantiam*, quæ a tendonibus longe distat. Per pulmones vero non intelli-

C go omnes pulmonis arterias, sed læues tātum. Etenim auctore Gal. *lib.* 4 *de præsag. ex puls. ca.* 1 *asperæ arteriæ affectiones ex pulsibus non deprehenduntur, sed tantum læuium*. Ex affectionibus significāt *omnium viscerum, ac denique internarum partium œdemata, cachexiam, leucophlegmatiam, quotidianam febrem, ac præterea lethargum & peripneumoniam*.

Sed de lethargo & peripneumonia aliqua est dubitatio Quanquam enim Gal. *lib. de puls. ad tyron. cap.* 5. *&* 6. pulsus lethargicorum & peripneumonicorum molles esse dixerit nihilominus, cum lethargus & peripneumonia sint inflammationes, quatenus inflammationes sunt, habent pulsum durum. Idcirco Gal. etiam quasi sibi ipsi non consentiens *lib.* 4. *de præsag. ex puls. cap.* 1. Ex pulmonis *Dubium.*

D œdemate pulsum inquit fieri mollem, ex inflammatione, & scirrho durum: similiter *eodem in lib. cap.* 8. inflammationes cerebri inquit pulsus haberi duros.

Pro hac contradictione tollenda, distinctio duri pulsus ex Galeno proposita est in memoria reuocanda. *Responsio.*

Durus fit pulsus, vt alias omittam caussas, aut a tensione, aut a siccitate. Pulsus lethargicorum & peripneumonicorum nunquam sunt duri ex siccitate, semper autem sunt duri ex tensione: quandoquidem non tantum carnea pulmonis substantia, aut cerebri corpus repletur, sed etiam membranę, ad quarum repletionem sequitur tensio.

Sed hoc in loco aliud quoque occurrit dubium, *Aliud dubium.*

nunquid

nunquid solo ex pulsu molli possimus conijcere, aut iecur, aut thoracis partes œdemate tentari?

Nam ex vna parte scribit Gal. *lib.4. de præsag. ex puls.cap.3.& 4.* neque thoracem, neque iecur œdemate tentari. Non thoracem, quia tunicæ thoracis ob densitatem pituitosum succum non admittunt: non iecur quod cum sit fons sanguinis, pituitosum hunc succum potius concoquit, quam vt efficiat.

Ex altera tamen Hipp. cui etiam Gal. *lib.1. prognost. tex.& com.34.* in iecore tumorem admittũt pituitosum indolentem, qui pressus digitis cedit. *Et lib. de constitut. art. med. cap.15.* inquit Gal. aliquando in membrana costas succingente contineri tumorem absque febre, si fuerit vel scirrhus, vel œdema: ex quibus locis constat & iecur, & pleuram œdemate vexari.

Solutio. Oedema duplex. Soluitur hæc contradictio per œdematis distinctionem: aliud est œdema pituitosum, aliud sanguineum. Gal. *in lib.4. de præsag. ex puls.* dum negat in iecinore fieri œdema, loquitur de pituitoso: & propterea ipsemet vtitur his verbis, iecur, non tentari ędemate *pituitoso:* non tamen ex hoc sequitur, quin partes propositæ spurio œdemate affligi possint: Est autem spurium sanguinolentum. Itaq; molles pulsus, vt dixi, ostendunt has affectiones & locos.

Ostendunt præterea prouentum humoris pituitosi, sed dulcis: & ex symptomatibus ostendunt paralysin, stuporem, torporem omnesque soporiferos affectus.

Locos affectos & affectiones propositas non est vsque adeo difficile inter se distinguere. Quandoquidem loci habent proprias etiam actiones læsas, quemadmodum & affectiones.

Etenim ad affectus cerebri læduntur actiones animales: in affectibus pulmonum imminet suffocatio: affectus autem musculorum & glandularum ipsius oculis patent, sicuti etiam patent cachexiæ, leucophlegmatiæ, paralyses, sopores, & alia iam dicta.

Mollis pulsus, quanquam magnus aliquando videatur, est tamen æque periculosus atque durus ex Gal. *lib.4. de præsag. cap.5.* Ratio est, quia magnitudo non consequitur facultatis robur, sed insignem instrumenti mollitiem: vbi autem insignis est mollities, insignis quoque est partium principalium intemperantia: Si tamen mollities non fit in summo, minus malum est, talesque pulsus tempore coctionis apparentes futuram crisin per sudores prænuntiant. Sed iam transeo ad inæquales.

Quos locos affectos quas affectiones, quasque & caussas & symptomata pulsus inæquales denotent, Cap. XIX.

INæquales pulsus ipsi quoque locos ostendunt affectos, affectiones, caussas & symptomata.

Quod pertinet ad locos, illos omnes ostendunt, qui vel multas, vel magnas, vel cordi propinquas obtinent arterias.

Loci. Idcirco ostendunt affectiones vtriusque menyngis cerebri pulmonum, sed ratione arteriarum leuium, non asperarum, vt antea dixi; thoracis denique, ventriculi, iecoris, lienis, renum, vteri, vesicæ, partium genitalium & intestinorum.

Ostendunt præterea affectiones arteriosi generis in vniuersum corpus distributi, præcipue vero arteriarum cordi propinquarum, atque adeo ipsius cordis.

Quantum, ad affectiones pertinet, ego cogor a Galeno recedere. Est sententia Galeni *in illo lib.2. de præsag. ex puls. cap.7. & 8.* quam repetit *lib.3. de præsag. ex puls. cap 4.* inæquales pulsus fieri aut ex compressionibus, vel repletionibus, vel obstructionibus arteriarum, aut ex inæquali cordis intemperie, quam inæqualem cordis intemperiem locis citatis inquit esse triplicem: aut enim est in solida cordis substantia, aut in ipsis arterijs, aut in humoribus, qui in sinubus cordis reperiuntur. Affectiones

Inæqualitatem pulsus, quæ compressiones, repletiones & obstructiones arteriarum sequitur, ego lubens accipio.

Eam, quæ fit ex inæquali, aut cordis, aut arteriarum intemperie, vt ingenue dicam, non intelligo. Quinimo nec ipsum Gal. intellexisse puto. Ratio *pulsus*, inquit, *bis ferientes sequuntur inæqualem intemperiem, lib.3. de præsag. ex puls. ca.4.* Non possunt autem fieri pulsus bis ferientes, neque cognosci absque facultate valida, tunc facio talem consequentiam: sed pulsus qui sequuntur inęqualē cordis intemperiem, sunt omnes parui & languidi: Ergo non sunt bis ferientes.

Quod sint omnes parui & languidi, probo ex eodem Galen. *lib.2. de præsag. ex puls. cap.4.* pulsus, qui sequuntur intemperaturam substantiæ solidæ cordis, sunt omnes languidi: nam cordis intemperantiæ destruunt facultatem. Secundo, *lib.3. de præsag. ex puls. cap.4.* inquit Galen. hos pulsus inæquales ex inęquali cordis intemperie esse hecticos, quia sequuntur febrem hecticam: sed pulsus hecticæ *ex lib.1. de differ. febr. cap.8. & 9.* sunt parui & languidi.

Denique si admittamus inæquales pulsus in febribus hecticis, tot iam corruit Medicina: nam ex ipsomet Gal. *lib. de inæquali intemperie,* hecticę febres in hoc a putridis distinguuntur, quod hecticę sint æquales intemperies, putridæ sint inæquales.

Concedamus igitur Galeno in hecticis pulsum fieri inęqualem ex intemperie cordis inęquali, tunc oritur manifesta inter Galenum & Galenum contradictio.

Neque etiam placet, inęqualem pulsum fieri ex inæquali intemperie arteriarum: nam hæc intemperies aut calida erit, aut frigida, aut humida, aut sicca: sic enim Galen. partim in *lib.2. de præsag. ex puls. cap.7.* partim *lib.3. de præsag. ex puls. cap.4.* scribit, ex inæquali arteriarum intẽperie fieri pulsum inæqualem: tunc vero, quis nam est hic pulsus inæqualis? Respondet Galenus, est inæqualis in vnicu ictu, quia sub quibusdam digitis pulsus est maior, si in ea parte arteria sit calidior aut mollior, sub alijs est paruus, si in ea parte arteria sit frigidior aut durior.

Ego certe non possum hoc animo concipere, arteriam in tam minimis partibus hanc inæqualitatem ob-

tem obtinere, vt sub vno digito sit calida vel mollis, sub alio digito sit frigida vel dura: Potest quidem hoc contingere in maximis arteriæ partibus, vt in vno brachio arteriæ sint duriores, in alio sint molliores. Sed sub vnica manu arteriam & duram & mollem, aut frigidam & calidam esse, ratio non persuadet.

A

Reliquum igitur est, vt videamus, quas nam affectiones ostendant illi pulsus, qui sequuntur vsum immutatum aut facultatem vitalem grauatam: aut denique instrumenta impedita. Sunt quoque inæquales pulsus, qui plures ex his caussis simul connexas consequuntur, de quibus etiam dicam.

Pulsus inæquales ex vsu. Primum autem videamus; quos nam locos affectos, quas affectiones, quas caussas & symptomata consequantur pulsus *inæquales ex vsu*.

Quod pertinet ad locos, possunt ostendere locũ patientem esse aut ipsummet cor, aut humores in corde contentos vel partes cordi propinquas, vt arteriam magnam, pericardium, pulmones, partes omnes thoracis: aut etiam remotas, vt sunt reliquę corporis partes.

B

Ex affectionibus indicant febres potissimum putridas, & ex putridis omnium maxime compositas, epialas, lipyrias.

Ex caussis ostendunt vno & eodem tempore abundare in humano corpore humores putridos & imputridos, calidos & frigidos.

Ex symptomatis ostendunt rigorem, horrorem ac refrigerationem febrilem: hæc omnia indicantur a pulsibus inæqualibus, quatenus sequuntur vsum immutatum, aut quatenus sequuntur mutatum.

C

Quatenus sequuntur *facultatem mutatam*, indicant pariter locos, affectiones, caussas & symptomata.

Ex locis ostendunt semper ipsum cor essentialiter læsum, siue primario, siue secũdario, sed ex parte aut cordi propinqua, quales sunt iam dictæ: aut cordi maxime consentiente, vt est os ventriculi, iecur, cerebrum, & vterus.

Ex affectionibus indicant febres omnes pestilẽtes, ac suppurationes inflammationum partiũ principalium, præcipue vero thoracis.

Ex caussis indicant omnem caussam veneficam occulta & deleteria qualitate agentem.

Ex symptomatis significant palpitationem cordis, lipothymiam, syncopen tam primariam, quam eam, quæ fit vel ex ore ventriculi, vel ex vtero, propterea præfocationem vteri vocatam.

D

Denique quatenus sequuntur *instrumenta impedita*, ostendunt pariter locos affectiones, caussas & symptomata.

Ex locis ostendunt arterias vel cordi proximas, vel medias, vel remotiores essentialiter affectas.

Ex affectionibus indicant primo omnes inflammationes, idcirco phrenitin, lethargum, anginam, peripneumoniam, pleuritin, atque alias similes: indicant scirrhos, abscessus: indicant denique obstructiones ipsarum arteriarum.

Ex caussis significant omnem humorum redundantiam siue sanguinis, siue alterius humoris, siue putridi, siue imputridi, siue maligni, siue benigni.

Ex symptomatis indicant apoplexiam, epilepsiã, conuulsiones, dispnœas, orthopnœas, nauseas, vomitiones, cardialgiam, anxietates ventriculi, doloresque omnes.

Quidam tamen, vt dicebam, sunt etiam inæquales pulsus, qui plura horum significant, quales sunt illi, qui ostendunt perniciosas & pestilentes inflammationes, siue suppurantes, siue non suppurantes.

De ratione distinguendi pulsus inæquales factos ex vsu immutato ab ijs, qui ob facultatem vitalem grauatam & instrumenta impedita tales exsistunt, Caput. XX.

HÆc omnia cũ ex inæqualibus pulsibus colligantur, operæ pretium me facturum existimo, si artem aliquam tradam singula iam proposita ex ipsismet inæqualibus pulsibus distinguendi.

Primum quidem distinguere oportet inæqualem pulsum, qui sequitur affectiones, caussas & symptomata immutantia vsum a reliquis duabus caussis.

Cognoscitur itaque, inæqualitatem fieri potius ex vsu, quam ex facultate, si pulsus sint inæquales secundum magnitudinem, celeritatem & frequentiam, non tamen secundum imbecillitatem vel vehementiam: sunt omnes vehementes, qui sequuntur vsum, sed inæqualitas est tantum in magnitudine, celeritate & frequentia.

Præterea est alius etiam modus: qui sequuntur vsum, non autem facultatem, etiamsi inæquales, habent plures pulsationes, magnas & celeres, quã paruas & tardas.

Distinguuntur autem isti ab inæqualibus ex instrumentis, eo, quod isti nullam habeant duritiem, inæquales ex instrumentis omnes sunt duri: hac ratione distinguũtur pulsus inæquales ex vsu ab alijs duabus caussis simplicibus: sed quia, vt diximus, inæquales ex vsu indicant humores peccantes quãdoque esse in corde, aliquando in partibus proximis, nonnunquam in remotis, ratio distinguendi hos locos ex pulsibus talis est.

Si materia, quæ inæqualem obtinet intemperaturam, fuerit in sinubus cordis, pulsus fiunt inæquales in vnico ictu, & sub vnico digito, principium dilationis est maius aut celerius sine, vel opposito modo: nam si præualeant humores calidiores, principium diastoles est maius & celerius fine: si præualeant frigidiores, opposito modo res habet.

Quod si materia inæqualis, frigida & calida simul fuerit in partibus cordi proximis, pulmonibus, pericardio, &c. pulsus sunt inæquales in pluribus ictibus, ita tamen, vt plures sint pulsationes paruæ & tardæ, quam magnæ & celeres.

Quod si materia sit in arterijs medijs, medio modo se res habet: si in arterijs distantibus & paruis, pulsus in pluribus pulsationibus seruant ęqualitatem, in paucis vero inæqualitatem, sic igitur distinguitur locus materiæ peccantis ex pulsu inæqualis.

Quod pertinet ad *affectiones*, non est difficile, vnam-

vnamquamquam affectionem etiam absque pulsibus cognoscere: habeat enim hemitritæi, siue febres compositæ, habent epialæ, habent lipyriæ propria signa, quibus dignoscantur.

Idipsum dico de humoribus, & symptomatis: nam humorum varietas cognoscitur ex excrementis, ex actionibus & qualitatibus mutatis: rigor, horror & refrigeratio febrilis ipsa quoque tactu & oculis deprehenduntur: idcirco inæquales pulsus, qui sequuntur has caussas, symptomata & affectiones, facile possunt ab omnibus deprehendi.

Vnum tantum dico de pulsibus inæqualibus, quatenus febres putridas demonstrant, inæquales pulsus duplici potissimum modo considerantur; aut collatione facta inter diastolen & systolen: vel collatione facta inter plures diastoles, vel in vna diastole habita ratione variarum partium.

Si conferamus systolen cum diastole, & pulsus systoles sit celerior aut maior, pulsu diastoles, est indicium febris putridæ.

Ceteræ inæqualitates, vt dixi, magnitudinis & paruitatis, celeritatis & tarditatis absque imbecillitate, & absque duritie indicãt variam humorum temperiem calidam & frigidam, quæ reperitur, vt dixi, in compositis febribus, in epialis, in lipyrijs, in rigore, horrore, & refrigeratione febrili.

Cum vsus vario mutetur modo in putridis omnibus, in compositis, in epialis & lipyrijs, in varia humorum natura, & in rigore, horrore, & refrigeratione febrium, docui modum distinguendi hæc singula ex pulsibus inæqualibus: nam pulsus, qui in principio & incremento febrium habẽt systolen quam diastolen celeriorem, in statu ac declinatione habent diastolen systole celeriorem, tales febrẽ indicant putridam.

Qui vero vno & eodem febris tempore modo mutantur ad magnitudinem, celeritatem & frequentiam, modo vicissim ad oppositas differẽtias, hi sunt, qui compositas, epialas lipyriasque febres, alias denique commixtas caussas & febrilia symptomata iam relata demonstrant.

Contradictio. Quibus sic explicatis, contradictio insignis occurrit. Nam Gal. *lib. 2. de præsag. ex pulſ. cap. 7.* apertissimis verbis declarat, hunc tam varium vsum ex varia humorum natura prodeuntem, & a me diligentius explicatum, inæquales pulsus iam a me propositos facere, *lib. autem 2. de cauſ. pulſ. cap. 1.* aperte inquit, nullam fieri pulsus inæqualitatem ex vsu immutato, eo, quod fieri non possit, vt vno & eodem tempore calor & frigus abundet. ¶ Apud me cum contradictio sit insolubilis, reliquum est, vt videamus, cui nam loco magis credendum sit: Mihi vero & ratio & experientia propria persuadet, magis credendum esse *cap. 7. lib. 2. de præsag. ex pulſ.* vbi inæqualitas ex vsu cõceditur: ratio quidem id persuadet: nam datur inæqualis intemperies humorum vno & eodem tempore cor ipsum infestãtium: Ergo dabitur etiam inæqualis pulsus. Consequentia est clara: nam ex humore calido afficienter cor, pulsus erit magnus celer: ex frigido paruus tardus: Antecedens autem probatur Gale. auctoritate in *libel. de inæqual. intemp.* qui scribit in epialis, in lipyrijs, in rigore & horrore adesse inæqualem humorum intemperiem: febres etiam hemitritæi habẽt humorem biliosum & pituitosum, qui in seiunctis locis putrescunt, & varia intemperie cor ipsum afficiunt.

Idcirco quotidiana docet experientia pulsus harum febrium cum iam ex principio ad incrementum transeuntes videantur fieri maiores, & celeriores, momento temporis iterum ad paruitatem & tarditatem redire, idque aliquando vnico die tertio & quarto, quasi plures fiãt superexacerbationes, id quod contingit ex varia humorum natura. Idq; cõcludendum ex vsu mutato, immutari etiam pulsus æqualitatem.

De inæqualitate pulsuum ob facultatem imbecillam, quomodo hæc sit distinguenda ab ijs, quæ ab vsu fiunt & instrumento. Cap. XXI.

CÆterum quando mutantur pulsus ad inæqualitatem ob facultatem imbecillã, sed a caussis etiam noxijs oppressam, quædam sint inæqualitates ita propriæ, vt possint separari & ab illis, quæ sequuntur vsum, & ab illis quæ sequuntur instrumenta impedita: Etenim isti omnes sunt languidi; Et quatenus tales distinguuntur a pulsibus inæqualibus ex vsu, quos diximus esse validos. Sunt prætera molles vel saltem non duri, in quo distinguũtur ab inæqualibus ex instrumentis: In hac classe sunt omnes myuri sed decurtati tam in vno, quam in pluribus ictibus, sunt eminuli & prominuli, sunt intercepti, sed non in vnico ictu, quia nullus pulsus languidus, qui consequenter est paruus, potest habere inæqualitatẽ in vnico ictu. Ratio est in promtu: quia vel intercipitur pulsatio, vel non intercipitur. ¶ Si intercipiatur, & postea iterum redeat, est signum facultatis validæ, quæ aggrauata resurgit tamen ad perficiendum motum. ¶ Si vero non sit interceptus, at saltem inæqualis pulsus in vnico ictu non interceptus, debet esse magnus. Etenim nõ potest deprehendi diuersitas principij diastoles a suo fine, nisi in pulsu magno: pulsus autem omnes facultatis fatiscentis, seu languidæ sunt imbecilles & parui: idcirco non possunt esse in vno ictu inæquales: sunt itaque inæquales & intercepti inæqualitate systematica seu collectiua.

Sed quia interceptio pulsuum collectiua potest esse, aut in senibus & pueris aut in adultis, quæ est in senibus & pueris, si non excedat spatium vnius vel duarum pulsationum, non pertinet ad imbecillitatem facultatis, sed potius ad instrumenta: Quæ vero excedit tempus duarum pulsationum, ostendit facultatem laborantem. In iunioribus autem, etiamsi Gal. *lib. 2. de cauſ. pulſ. ca. 4.* arbitratus fuerit, intermissionem vnius diastoles esse lethalissimũ pulsum; & neminem vnquam fuisse seruatum, & propterea videatur hic quoque pertinere ad facultatem vitalem laborantem.

Ego tamen propria experientia me confirmasse profiteor, intermissionem vnius diastoles in iunioribus non esse vsque adeo lethalem. Neq; est quod quispiam Galeni rationem contra me obiciat, illos scilicet pulsus non fuisse interceptos, sed potius raros: nam hic error facile posset cadere, quãdo omnes

nes pulsus essent æque rari: sed, si pulsus sint frequentissimi, & tamen aliquando non percipiantur, hoc non pertinet ad raritatem, sed ad interceptionem.

Casum similem proxime habuimus in perillustri quodam equite, cuius pulsus intermittebat diastolen, forte etiam duplicem, tamen Dei beneficio est seruatus. Hi itaque pulsus pertinent ad facultatem imbecillam, sed a caussis etiam noxijs onustam.

Quia vero noxiæ caussæ sunt & febris pestilens, & venenum, & palpitatio, lipothymia & syncope, sic distinguentur hæc inter se, quod febris pestilens habebit pulsus myuros, interceptos, eminulos ac prominulos: venenum absque febre habebit pulsus tardissimos, paruissimos ac rarissimos, sed cum aliqua inęqualitate: reliqua symptomata præterquam quod habent proprias notas, cognoscentur etiam ex pulsibus formicantibus.

B

Locus autem affectus in febre pestifera cognoscitur esse ipsummet cor, si pulsus sint decurtati seu myuri in vno tantum ictu: & si coniũgatur vel palpitatio, vel syncope, cognoscitur esse in arterijs magnis, vel pulmonibus, vel alia parte nobili, si pulsus sint eminuli vel prominuli, deficientes in pluribus ictibus, siue myuri, siue intercepti vocati.

Distabit autem materia pestilens a corde, quando pulsus fuerint languidi, sed inæquales tantum secundum magnitudinem vel paruitatem, celeritatem & tarditatem, sed absque intermissione & deficientia.

C

De pulsibus inæqualibus factis ex instrumentis impeditis, ab vsu & facultate districtis. Caput. XXII.

INæquales pulsus ex instrumentis ad differentiã inęqualium ex vsu, ex duritie & mollitie potissimum distinguuntur: ad differẽtiam vero inęqualium, ex facultate languida & oppressa ex robore, quod adhuc retinet.

Habent autem isti varias differentias, ex quibus varij etiam affectus significantur. Sunt enim inæquales in vno ictu sub vnico digito, siue intercepti, quos vocant caprizantes, siue non intercepti.

Sunt inæquales in vno ictu sub varijs digitis, vt serrati, vndosi, quidam eminuli & prominuli: & inæquales ex varia arteriæ situatione.

D

Sunt præterea inæquales in pluribus ictibus vibrati, conuulsiui, intercepti, intercurrentes.

Denique inæquales secundum vehementiam & imbecillitatem, magnitudinem & paruitatem, celeritatem & tarditatem, frequentiam & raritatem.

Cum igitur isti omnes significent arterias ipsas vel comprimi a corporibus incumbentibus, vel repleri in propria substantia, siue in proprijs tunicis, siue in cauitate: cum præterea corpora hæc vel incumbentia vel tendentia & replentia sint aut cum tumore aut citra tumorem: & si cum tumore, vel cum calido, vel cum frigido, reliquum est, vt videatis, quanam ratione ex propositis pulsibus tumores in genere & in specie a simplici arteria distinguantur, quomodo etiam locus tumoris vel materia deprehendi possit.

A

Primum autẽ illud erit perpetuæ veritatis, *pulsus inæquales æqualiter semper tumores significare, inæquales inæqualiter materiam absque tumore.* Ratio est in promptu; nam æqualitas in inæqualitate significat caussam permanentem semper eodẽ modo se habentem, talis est tumor. Inæqualis autem inæqualitas indicat caussam mobilem & vagam, quæ huc atque illuc mouetur: idcirco talis inæqualitas est absque tumore.

Est autem inæqualis pulsus æqualiter ille, qui, gratia exempli, post singulas tres vel quatuor pulsationes vnã intermittit, aut post quatuor magnas vnam habet paruam, id, vbi contigerit absque alia mutatione, pulsus est quidem inæqualis, quia interceptus, sed æqualiter, quia interceptio seruat sẽper vnum & eundem modum. *Pulsus inæquales æqualiter.*

Inæqualis autem inæqualiter opposito modo se habet, sic igitur ex pulsibus inæqualibus cognoscitur materia abundans, vel cum tumore, vel citra tumorem. *Inæqualis inæqualiter.*

Sed si tumor sit extra corpus arterię, & potius illam comprimat quam vt repleat, erit inæqualis in duritie, qualis vocatur serratus; neq. enim sub omnibus digitis durities æqualiter deprehenditur, sed tantum in quibusdam in modum serræ, hos etiam tumores consequuntur pulsus intercepti, sicut illos, qui replent corpus arterię, consequuntur pulsus vibrati & inæquales ratione situs arteriæ: nam vt docuit Gale. *lib. 2. de caus. puls. cap. 11.* vbi arteria repletur, necessario in ea parte extenditur, in alijs vero contrahitur. Contrahitur autem in eam partem, ad quam tumor inclinat, hinc distrahitur quandoque a proprio loco, fit magis dextra, vel magis sinistra, propterea hic pulsus arteriæ repletionem indicat.

Conuulsiuus, etiamsi ad neruos & neruosas partes pertinere videatur, nihilominus ipse quoque arteriarum tunicas repletas consequitur: nam his repletis neruosum genus in cõsensum trahitur, partim quod neruorum propagines arterijs sint insitæ, partim etiam, quod omnium vnus sit confluxus, vna conspiratio, vt docuit Hipp. *lib. de alim.* Et confirmauit Gal. *lib. 2. de caus. puls. cap. 12.* *Conuulsiuus.*

Tumor autem calidus cognoscitur ex pulsu vibrato: scyrrhosus ex duro & paruo: œdematosus ex paruo & molli, cum inæqualitate tamen.

Obstructiones, si sint iam confirmatæ & induratæ in pręcipuis visceribus cum caliditate vehementi, faciunt pulsus intercurrentes. nam, cum propter obstructiones calor naturalis per omnes arterias libere difflari non possit, in cor retrocedit, augetur vsus, aucto vsu fit pulsus intercurrens, qui est inordinate frequens: fit autem talis propter auctam caliditatem. Quod si minor sit caliditas, fiunt inęquales secundum magnitudinem & paruitatem, celeritatem & tarditatem, frequentiam & raritatẽ, seruata tamen æqualitate. Hæc doctrina aliqua ex parte desumi potest ex Gale. *lib. 1. de art. cur. ad Glauc. cap. 14.*

Pulsus autem, vt dixi, inęquales inæqualiter indicant abundantiam materiæ. Sed quia materia

abundans ipsa quoque aut est in spacijs inanibus, ita vt comprimat arterias aut est in ipsamet tunicæ substantia, aut continetur in cauitate, cognoscitur materiam contineri in ipsamet tunicæ substantia ex maiori duritie aut mollitie pro materiæ peccantis diuersitate: nam ex pituitosa materia fient vndosi pulsus: ex biliosa & melancholica fient duriores.

A

Aderit præterea aliud signum: si materia in tunicis contineatur, pulsus sunt inæquales inæqualiter, sed ordinate.

Vbi fuerit vel extra tunicas, vel in cauitate, pulsus erunt inæquales inæqualiter & inordinate. Exéplo declaro, quid velim per hos pulsus.

Pulsus inæqualis inæqualiter ordinatus.

Est pulsus inæqualis inæqualiter, sed ordinatus, qui, exempli gratia, primum post tres pulsationes vnam intermittit, postea post quinque pulsationes vnam intermittit, deinde post septem, tum post nouem, mox iterum reuertitur ad primas, & sic vicissim.

B

Inæqualis inæqualiter inordinatus

Inæquales autem inæqualiter & inordinati illi sunt, qui, exempli gratia, intermittunt modo post duas, modo post vnam, modo post quinque, nullo denique ordine: isti igitur inordinati significãt materiam vel in spacijs inanibus, vel in cauitate contẽtam. Ratio est in promtu; quia & citius & promtius in omnes partes mouetur, quam faciat illa, quę tunicis est imbibita: dum autem mouetur propecor, facit pulsus inæquales vno modo, dum propellitur, facit inæquales alio modo. Quæ vero est imbibita, cum non facile huc atque illuc moueatur, inæqualitatem obtinet ordinatam.

Inter hos pulsus sunt *Eminuli & prominuli*, qui in principijs accessionum tantum apparent, quando sequuntur potius vitia instrumenti, quam imbecillitatem facultatis: diximus enim hos pulsus perpetuo sic se habentes consequi lãguidam facultatem a noxijs caussis oppressam: sed in principijs accessionum, dummodo rigor, horror, refrigeratio, denique ventriculi anxietas accedat, ex instrumentis oppressis fieri solet.

C

Pulsus itaque inæquales, qui omnes simul connexas caussas consequuntur, vsum auctum, languidam facultatem & instrumenta oppressa, sunt dicroti & quidam hectici vocati.

Hectici pulsus duplex significatio.

Dico quidam hectici vocati, quia hecticus pulsus in duplici accipitur significatione: Prima significatio est illius, qui consequitur febrém ipsam hecticam, talis est paruus, celer & frequens, de hoc in præsentia non est sermo: alius est pulsus hecticus, qui duas habet cõditiones; prima, vt vel sit omnino languidus & paruus cum inęqualitate tamẽ, vel saltem habeat plures pulsationes, lãguidas & paruas, quam magnas & validas: secunda conditio est, vt hæc inæqualitas sit stabilis, ordinata, vniformis, quæ propterea Galen. *lib. 6. de præsag. ex puls. ca.* 4. hectica vocatur.

D

Cum igitur hi pulsus consequantur vsum auctũ, facultatem languidam, & instrumenta oppressa, superest, vt videamus, in quibus nam morbis hæc contingant.

De pulsu dicroto & hectico, quas vterque affectiones, locos affectos & caussas significet. *Caput XXIII.*

Explicabo in præsentia quales nam affectiones dicroti pulsus & hectici demonstrent & qualia ex inæqualibus pulsus desumantur pręsagia.

Dicrotus durus.

Dicrotus igitur pulsus cum duplex sit, durus ex *libr. 2. de præsag. ex puls. cap.* 8. Qui durus est, malignas ostendit partium principalium inflammationes, in quibus scilicet tres caussæ concurrunt: calor insignis, qui auget vsum: facultas inualida ex malignitate: instrumentorum angustia ex inflammatione: in talibus casibus facultas pulsifica vnica integra diastole vsui non potest satisfacere, propterea cogitur secundam & tertiam diastolen repetere.

Quæstio.

Si quispiam quærat, numquid possit etiam in his casibus augeri vsus expurgandi fuligines, vt propterea cogatur natura duas & tres systoles absque sensibili diastole efficere? dicam sane id posse fieri, & experientia me obseruasse, in his pulsibus dicrotis factum esse aliquando pulsuum intermissionem, quo tempore arbitror, naturam incubuisse reiteratis motibus systoles, hic igitur pulsus malignas pleuritides, peripneumonias, orthopnœas atque alias consimiles affectiones ostendit, de quibus meminit Gal. *lib. 2. de præsag. ex puls. cap.* 4.

Dicrotus nõ durus.

Pulsus autem dicrotus seu bis feriens non durus ex inæquali humorum intemperie proficiscitur, idcirco ostendit copiam humoris calidi simul & frigidi abundãtis, vel in ventriculis cordis, vel in partibus propinquis pericardio scil. & arterijs. ¶ Distinguitur autem hic pulsus a priore, ex duritie tãtum: quia vero ex dicrotis non duris quidam (vt dixi) sequũtur copiam humorum in ventriculis cordis contentorum, alij vero sequuntur humores in partibus propinquis cognoscitur humores inter se contrarios in sinubus cordis cõtineri ex pulsu bis feriente cum palpitatione cordis.

Distinctio pulsuum dicrotorum.

Quod si fuerint in locis vicinis, erit bis feriens absque palpitatione: hoc colligi potest ex Gale. *lib. 3. de præsag. ex puls. cap.* 4.

Hectici pulsus significatio.

Hectici autem pulsus duplicem habent significationem: nam quidam dicuntur hectici, quia stabiles tantum: quidam vero dicuntur, qui & stabiles, & parui, & languidi: inæquales pulsus hectici, non parui, neque languidi, significant affectiones corporis induratas, vt sunt tumores omnes: Propterea dicebat Galen. *lib. de puls. ad tyron.* pulsum hecticum consequi inflammationes suppurantes: potest consequi etiam scirrhos, tumores duros & pulmonum & pericardij. Qui vero est paruus & languidus, ostendit phthisin, suppurationem, & denique omnes febres hecticas, quæ ortum ducunt ex abscessu, suppuratione, aut membri solidi putrilagine.

De fu-

De futurorum ex pulsibus inæqualibus præsagijs. Cap. XXIV.

Longitudo morbi. INæquales pulsus prædicere solent vitam & mortem, longitudinem & breuitatem, tempus & modum salutis & mortis.

Quod pertinet ad longitudinem, omnes pulsus inæquales æqualiter & ordinati, magni, vehementes, non multum celeres, nec frequentes, longam significant affectionem. Idipsum faciunt inæquales secundum magnitudinem ac paruitatem, secundũ vehementiam & imbecillitatem, quanquam fuerint inordinati, dummodo non sint admodum celeres, nec frequentes.

Breuitas. Contra vero pulsus inæquales, inordinati, celerrimi, frequentissimi, breuitatem affectionum pollicentur. ¶ Quod pertinet ad salutem vel mortem, *Sanitas.* omnes pulsus inæquales, in quibus plures appareant pulsationes, magnæ & vehementes, quam paruæ & imbecilles, sanitatem pollicentur: oppositi autem mortem.

Mors. Ceterum ex his, quæ mortem significant, omniũ deterrimi sunt inæquales cum insigni imbecillitate, paruitate, tarditate, & raritate, formiculosi, & vermiculosi, post illos sunt decurtati in vno pulsu, eminuli & prominuli, hos sequuntur dicroti & decurtati in pluribus pulsationibus.

Dubium de intermittentibus. De intermittentibus est dubitatio, num deteriores sint intermittentes in vno ictu, quos vocant caprizantes, an in pluribus, quos interceptos vocant? Est ratio pro vtraque parte: nam caprizantem pulsum esse deteriorem intercepto probauit. Gale. *lib. 2. de causs. puls.* eo quod minus malum sit, naturam desistere a motu in pluribus pulsationibus, quam non posse vnicam perficere.

Ex alia parte certum est, pulsum caprizantem necessario & magnum & vehemẽtem esse: Est magnus, quia nihil paruum potest in duas sensibiles partes diuidi: Est vehemens, quia etiamsi natura grauetur, est tamẽ ita valida, vt possit interceptum motum absoluere, & ita absoluere, vt finis motionis sit fortior principio.

Itaque in hac difficultate censeo, pulsum interceptum esse deteriorem caprizante, præcipue vero in iuuenibus, quanquam sententiam Gal. 2. *de præsag. ex puls. ca.* 4. non accipiam, qui vult, ex iuuenibus nullum seruari, cui pulsus fuerit interceptus: nam experientia aliter me docuit.

Salutis modus. Quod ad salutis modum pertinet, omnes pulsus inæquales, vehementes, magni, celeres & frequentes necessario ostendunt finem morbi futurum per crisin: imbecilliores, minores, tardiores & rariores indicant finem futurum per paulatinam solutionem.

Rursum ex illis, qui crisin ostendunt, omnium celerrimi & frequentissimi, ostendunt crisin per effluxum, vel vomitum, vel deiectionẽ, vel sudores, vel vrinas, vel fluxum sanguinis. Qui vero cum inæqualitates, minorem habent frequentiam & celeritatem, indicantur potius per abscessum seu decubitum, vel parotides, vel alios tumores.

Ostendunt præterea & pulsus tempus crisis: A nam vbi pulsus in principio inæqualis iam incipiat fieri æqualis, & vehementior & maior, & diastole sit quam systole celerior, argumentum est crisis proximæ. Quod si iam systole post huiusmodi pulsum videatur fieri celerior, crisis non tantum est proxima, sed est in foribus, iam necessario incipit. Ratio est in promtu: ante crisin diastole fit celerior, quia concoctis humoribus iam expurgatæ sunt fuligines, ideo expurgandi vsus est diminutus, propterea systole non est amplius celeris: Sed vbi incipit crisis, arteriæ ipsæ contrahuntur, non vt expellant fuligines, sed vt expellant humores iam concoctos.

Idcirco & contractio, quæ fit tempore motus critici, non fit a facultate pulsifica, sed a facultate expultrice, quę est naturalis corporis partibus insita. B

Cõtractio autem, quæ fit ante coctionem ad expurgandas tantum fuligines, illa omnino fit a facultate pulsifica.

Non ignoro quidem ea, quæ modo sunt dicta ex Galeni sententia *libro quarto de præsag. ex puls. capit. vltim.* aliquas continere difficultates. Nam si tempore crisis contrahitur arteria: Ergo in crisi pulsus parui & angusti fierent, cum tamen *libr. 3. de cris. vltim.* in sudore & fluxu sanguinis fiant magni & alti.

Præterea, si fieret hæc contractio, ideo fieret, vt expelleretur id, quod in arterijs continetur: at vero non omnis materia noxia in arterijs & venis continetur: sed quandoque in magnis cauitatibus ventriculi & instrumentorum; vt propterea, sicut dictum est, Galeni sententia non careat difficultate; C nihilominus in his tempus non conterentes dicamus, contractionem hanc, siue fiat, siue non fiat, parum vtilitatis adferre posse: & ideo ad id, quod est maioris momenti, & ad Medicum pertinet, trãseamus.

Sunt autem pulsus quidam præter naturam sanis admodum similes, qui etiam æquales nuncupantur, & Medicos facilime decipiunt: de his dicendum, quales sint, quomodo fiant, & quid prænuntient. *Pulsus præter naturam sanũ admodũ similes.*

Primum quidem, vt in istis exerceri possis, scito nullum ex pulsibus, qui habeat omnes conditiones sanorum, esse præter naturam: Itaque isti, qui sunt præter naturam, sed similes sanis videntur, in hoc saltem a sanis differunt, quod *imbecillitatem contiD nent, quandoque etiam paruitatem, neque rhythmũ seruant:* nam, cum necessario sint febriles, aut systolen habent celeriorem quam diastolen, aut contra: Sed quia neque sunt frequentes & moderate celeres, neque in magnitudine, celeritate & frequentia systematica seu collectiua vocata inæquales apparent, hinc sanis similes existimantur, cum tamen perniciosi existant.

Isti igitur omnes fiunt, vt docuit Galen. *lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 3. & 4.* ex inæquali intemperie solidæ cordis substantiæ cum propinquis humoribus vel spiritibus.

Etenim vbi tantum possit vnius frigiditas, quãtum alterius caliditas, medium quoddam exsurgit temperato simile, quod sanum existimatur.

Hoc autem trifariam diuiditur: quãdoquidem vbi datur hæc inæqualis intemperies inter continentia & contenta, aut est æqualis in gradu, aut inæqualis: si sit æqualis in gradu, vt tanta sit vnius frigiditas, quanta alterius caliditas, pulsus resultat in omnibus moderatus: Quod si gradus caliditatis solidæ substantiæ sit superior gradu frigiditatis contentorum, pulsus magnitudine & frequentia erit moderatus, sed celerior: Quod si gradus caliditatis contentorum superet gradum frigiditatis continentium, pulsus erit maior, quam celerior aut frequentior. Quæ differentiæ proprias explicãt affectiones.

Primum autem, vt scias, quasnam significent affectiones, diligenter est explorandum, an pulsus diastole sit celerior, quam systole, an contra: nam si fuerit celerior, & pulsus in magnitudine & frequẽtia sanis similis videatur, si tamen aliquanto celerior, talis pulsus febrem hecticam pestilentem significat: *hecticam* significat, quia est celerior, quam maior, *& celeritas, quæ superat magnitudinem, ex lib. 3. de præsag. ex puls. c. 4. indicat caliditatem in solida cordis substantia:* significat autem hecticam *pestilentem, quia nemo potest animo concipere febrẽ hecticam, in qua humores vel spiritus vicini sint frigidi, nisi hectica sit pestilens:* Ratio est inpromtu: nam, si non sit pestilens, temporis diuturnitate calefacit spiritus & humores propinquos: hos autem habet frigidos: Ergo oportet, vt facta sit temporis momento: nulla autem hectica potest fieri temporis momento sine incalescentia vicinarum partium præter pestilẽtem. Hoc colligitur apertissimis verbis ex Gal. *lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 3. & 4.*

Et hæ sunt illæ febres, quæ Medicis imponunt, quæ tardos aliquando illos apud omnes efficiunt, qui pronuntiant in ægris proxime morituris nihil mali esse.

Cognoscuntur autem istæ non tantum, quod pulsus sint celeriores, sed etiam, quod sint languidi & parui: in frequentia tamen non recedunt a naturali statu.

Quod si pulsus sint maiores quã celeriores, aut sunt languidi, aut robusti. Si sint languidi & diastole superet systolen, indicant Ephemeram pestilentem, in qua tamen solida cordis tanto sint frigidiora, quanto spiritus sint calidiores, idipsum contingit in pulsu moderato, quod potest contingere & in hectica pestilenti, & in Ephemera pestilenti, vbi languor virium sit connexus.

Vbi autem pulsus fuerit maior quam celerior, ita tamen, vt systole superet diastolen, hoc est indicium febris putridæ: cui, si coniungatur virium insignis imbecillitas, argumentum est putridæ pestilentis. Talis est natura pulsuum, qui vel sanis similes, vel moderati, vel æquales nuncupantur.

Ex quo discursu, qui Galenicus est *lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 4. & 5.* duo, quæ paradoxa videntur, colligi possunt: primum est, dari febrem hecticam, quæ erit inæqualis intemperies: nam si solida sint calida, vicina sunt frigida, est inæqualis intemperies. Secundum paradoxon, dari febrem Ephemeram & putridam, in qua solida cordis substantia, neque sit in calefacto esse, neque in calefieri. *Paradoxa.*

Nam si moderatus pulsus in omnibus ille est, in quo tantus est gradus frigiditatis in partibus solidis, quantus est caliditatis in humoribus, sequitur ex hoc, in putridis febribus cum pulsuum æqualitate solida non modo non esse calida, sed etiam tãto frigidiora, quanto humores sint calidiores. Si alicui hæc minus placeant, Galen. corrigat, cuius est doctrina *loco citato.*

Isti omnes pulsus, qui sanis similes videntur, vbi imbecillitatem & paruitatem habeant connexam, semper sunt suspecti, vitæ periculum præsentaneum minantur, sicut ego ipsa experientia pluries obseruaui: Ex pestilentissimos etenim & malignissimis febribus sunt oriundi.

Itaque huic tractationi de pulsibus finem faciens, hoc tantum moneo, hoc persuadeo, vt, cum istos pulsus paruos & languidos inueneris, etiamsi faciei color sit optimus, vrinæ optimæ, calor febrilis nullus appareat, patientes mente constent, dicant, se non laborare, cautus tamen sis, ne decipiaris: Quãdoquidem, vt dixi, mors est in propinquo. Et hæc de pulsibus dixisse sufficiat.

FINIS LIBRI QVINTI.



OPERVM HERCVL. SAXONIÆ
Professoris Medici Patauini Primarij.
LIBER VI. DE VRINIS.

QVAE SIT VRINARVM NATVRA, QVOTVplex eiusdem significatio, quæ earum in genere materia, quæque caussa efficiens. Cap. I.



QVAMVIS sciam, doctrinam de VRINIS ex Hippocrate, Galeno, Paulo, & Actuario (qui plura quidem, confuse tamen de hac scripsit) hauriri posse, imo non deesse recentiores plures, qui plenam, ordinariam, facilemque hanc reddiderint: attamen a quam plurimis rogatus: idque sæpe sæpius, nō potui demum non satisfacere.

Propositum authoris. De vrinarum itaque natura, differentijs, caussis atque præsagio acturus, plenam sane, breuem tamen ac facilem earum tradam cognitionem: Neq; disputabo longius, vtrum vrinæ, an vero pulsuum sit anteferenda cognitio. Equidem nō ignoro, partem hanc Hippocrati magis excultam fuisse, quam pulsus, atque in pluribus demonstrandis passionibus, caussis & locis affectis, coctionibus & cruditatibus, crisib. quin etiam (*quicquid hac in parte sentiat Christophorus a Vega, qui vrinas existimat inter criticas signa non esse referendas.*) Et quod Galenus aliquando, vtpote *lib. de Crisib. cap. 1. & lib. 3. de san. tuend. cap. 4.* vrinas pulsibus prætulisse videatur: nihilominus in præsagijs futuræ mortis aut salutis certius signum ex pulsibus desumi posse existimo, id quod supra etiam in tractatu de pulsibus professus sum.

Vrina natura dupliciter consideranda. Nunc autem a natura vrinarum explicanda, exordium sumens (quoniam ea non cognita prædictio nulla haberi potest) eam dupliciter facilitatis gratia esse considerandam arbitror. Primo quidem vt factam, secundo, vt iam est in fieri.

Vt facta, iterum dupliciter post perpendi, vel A scilicet in sanis tantum corporibus, vel in sanis & ægris.

In sanis iam facta quid sit. *In sanis vrina, vt iam facta, nihil aliud est, quam excrementum tenue & aqueum, inutile, renum & vesicæ, ad expurgandum sanguinem, vt sit corpori conuenientius alimentum.*

Est *Excrementum*, quia sero nulla nutritur pars; Etsi enim renes & vesica serum ad se trahāt, eo tamen non nutriuntur: aquea namque & aqueæ species nullum prębent corpori alimentum, quod etiā docuit Gal. *lib. 4. de vs. part. cap. 5.*

Est *tenue* ad differentiam stercoris.

Aqueum, ad pituitæ tenuioris & seminis, eius B postremi (seminis scilicet:) ratione est etiam *inutile*.

Vt vero distingueretur serū factum ab eo, quod est in fieri, dictum in definitione fuit, esse excremētum *renum & vesicæ* ad differētiam eius, quod est in iecore & venis.

Vltima particula caussam finalem explicat: Nam vt Galen. docuit *lib. 4. de vs. part. cap. 4. & 5. & lib. 1. de nat. facult. cap. vltim.* longa oratione serum ideo a natura esse institutum, vt esset vehiculum chyli a ventriculo in iecur, & sangui- C nis a iecore in vniuersum corpus; atque vbi serum hoc deduxit chylum ad iecur functumque est suo officio, magna illius pars, vt expurget sanguinem, *attrahitur* a renibus & vesica, aliqua tamen illius portio transit in sudores, alia vero, si iam functa suo munere est, ad renes & vesicam tendit. Iure itaque dictum est, hoc excrementum sanguinem expurgare, vt sit corpori conuenientius alimentum.

Vrina vniuersaliter considerata. Vrina aūt vniuersaliter considerata, siue in sanis, siue

siue in ægris, *vt plurimum* quidem est excrementum: sed aliquando etiam est colliquamentum.

Vocatur colliquamentum, neque est adeo tenue, aut aqueum, neq; habet caussam finalem. Etenim est res præter naturam: & quæ præter naturã sunt, carent fine. De huiusmodi colliquamento meminit Hipp. *lib. 6. de morb. vulg. comm. 5. text. 15.* quando illam scribit obscuram sententiam vario modo expositam. *Vrina cibo & potui concolor, atq; talis, vt consueuit, vbi humidi colliquatio.* Qua ratione sit exponenda hæc sententia, suo loco dicetur. Sed clarius Hipp. *lib. 3. de morb. vulg. comm. 3. text. 61.* loquens de vrinis multis, quæ in pestilenti illa constitutione excernebantur, quas dicebat superasse potum, inquit illas esse secutas colliquationem.

De his etiam loquitur Gal. *lib. 3. de caus. sympt. cap. 2. circa finem,* quãdo inquit, *colliquationem totius corporis aliquando inferre subitaneos hydropum status, aliquando secedere in ventrem vel in vesicam.* In quo casu multæ excernuntur vrinæ, crassæ admodum & variæ substantiæ, de quibus infra: Hæc igitur est definitio vrinæ, siue sani, siue ægri corporis consideratæ in facto esse.

Vrina in fieri considerata. Ceterum vrina in fieri duo habet caussarum genera; quædam enim sunt mouentes, aliæ vero generantes.

Eius caussa mouentes. Et de mouentibus quidem maxima fuit apud veteres dubitatio, vtrum scilicet vrina attraheretur a renibus & vesica, an potius expelleretur, an sua grauitate inferiora peteret. Quæ quæstiones a Gal. abunde tractantur *lib. 1. 2. & 3. de nat. facul.* Illud vnum dicam, *sanorum corporum vrinas a facultate renum attractrice in renes & vesicam dilabi,* nec est quod quis obijciat, id fieri non posse, eo, quod nihil trahit, nisi quod sibi est vtile & alimentale; serum autem renibus & vesicæ non est alimentum: Ergo serum a renibus & vesica non attrahitur.

Nam præterquam quod id est falsum, (succinũ enim trahit paleas, magnes ferrum, horum neutrũ alimentum est alteri) accedit etiam, quod simul cum sero sanguinis portio trahitur, quæ in alimentum ipsorum renum secedit: serosa vero humiditas percolata in vreteres & vesicam tendit. *In corporibus ægris siue critice, siue symptomatice serum plerumque non modo a renibus attrahitur, sed etiam a facultate expultrice iecoris & venarum in has partes expellitur.* vbi vero serum fit per modum colliquamenti, nulla est renum attractio, sed est sola humorum colliquatorum fusio, qui non in hãc vel illam determinatam partem confluunt, sed in varias pro partium suscipientium imbecillitate. Idcirco in hac colliquatione quandoque fiunt sudores illi diaphoretici vocati, nonnunquam fluxus vrinæ colliquatiui, nonnunquam, vt dictum fuit ex Galeno, subitanei hydropum status.

Generantes. Caussæ vero generantes sunt & materiales, & effectiuæ.

Quæ sit vrinæ materia. De materia est dubitatio, & ea quidem ad prædictionem maxime faciens. Neque enim vllus vnquam poterit consequi, qua ratione vrina ventriculi, iecoris, atque adeo totius fere corporis affectus & caussas ostendat, qui ignorat, qualis nam sit illius materia.

Non defuerũt viri excellentissimi, qui putarũt, vrinæ materiam esse potulenta: Id quod etiam videtur voluisse Galen *lib. 1. de nat. fac. cap. vlt. lib. de atra bile, cap. 2. & lib. 10. de simpl. medic. facul. cap. 13. atque alibi pluries,* dum scribit, *potulenta vrinis respondere, & quæ per vrinas emittuntur, proportione respondere ipsis potulentis: & serum, quod apparet in sanguine extra venas exsistente, esse corruptionem potulentorum, atque alia id genus.*

Ceterum hæc sententia duas habet rationes contrarias: primo, quod infantes in vtero mingant sine re potulenta: deinde, quod multi etiam reperiantur & viri, & mulieres multos dies sine potu exsistẽtes, qui tamen mingunt, vt prætercam animalia multa, vt cuniculos, qui mingunt & non potant.

Ne vero in quæstionibus logicis diu detineamur, sciendum est, *materiam vrinæ esse semper rem potulentam & partem cibi assumti humidiorẽ,* sed quandoque immediate, quandoque vero mediate.

Res potulenta est materia vrinæ, quandoq; immediata in affectu illo, quem διαβήτην Græci vocãt. in illis præterea, qui aquas thermales bibunt; nam talis eijcitur, qualis assumitur.

Eadem materia potulenta est materia vrinæ, sed mediate, quibus mixta cum chylo & vehiculum chyli exsistens in ipso iecore aliqua ratione alteratur, vt alium suscipiat odorem, colorem & saporẽ. Inquit Gal. *lib. 3. de sympt. caussis cap. 2. in iecore triplex fieri excrementum, melancholicum, biliosum, serosum;* hoc serosum, vt antea fuit dictum, cum iã chylum deduxerit per venas angustissimas in gibbam iecoris partem, maiori ex parte mixtum sanguini & modicæ bili attrahitur a renibus per emulgentes; aliqua vero portio transmittitur in venas totius corporis pro vehiculo sanguinis.

Ad hoc serum respiciens doctissimus Valesf. in libro suo *de vrinis* dicebat vnicum esse serum, quãquam Gal quatuor constituerit, vnicuique scil. humori serum proprium.

Aliter enim res se habet. Etenim vnusquisque humor habet proprium serum ab hoc distinctum. Nam, vt fuit dictum, materia vrinæ est non modo res potulenta, sed etiam pars cibi humidior, qua ratione & infantes in vtero & alij extra vterum non potantes, & animalia quæ cibis vescũtur humidioribus, mingunt sine potu. Ex hac substantia fiunt humores. Et quia in vnoquoque humore pars est crassior, pars vero tenuior, quæ tenuior est, serosa nuncupatur: Et huiusmodi serum naturaliter non excernitur, sed tantum ex colliquatione. Vbi enim incipit colliquatio in venis, primo exprimitur serũ illud, quod in iecore genitum, in venas est distributum pro vehiculo sanguinis: post illud colliquatur humidior pars vniuscuiusque humoris, quæ est illius serum, & huiusmodi serum est signum prauæ affectionis, de hac dicebat Hipp. *li. 6. de morb. vulg. com. 2. text. 37. 92. sanguine ichoroide, quod in paucis talis, aut in vigilantibus, & sine malus, siue bonus. In comm.* Gale. ostendit ichores, de quibus est sermo, venenatos esse & citat prolatam sententiam, quam ipse quoque comprobat, vnicuique humori proprium inesse serum, serum scilicet sanguinis, bilis, melancholiæ, & pituitæ, generantur simul cum *Vnicuique humor proprium esse serum.*

ipso

ipso humore ex parte humidiore seu liquidiore ipsius cibi. Hæc igitur est materia vniuscuiusque seri.

Nam datur etiam materia, quæ auget quantitatem seri, sed non est proprie serum, quando scilicet sero immiscetur aut pituita crassa; aut colliquatio carnis, aut pinguedinis. Hęc de caussa materiali.

Vrinæ caussa efficiens. Ex ijs, quæ de vrinæ materia hactenus exposita sunt, non est difficile caussam quoque efficientem colligere. Etenim cum triplex sit materia; res potulenta impermutata, & eadem permutata in serum, ac tertio pars humidior alimenti in tenuiorem humoris partem transmutata. Idcirco, quod ad primã pertinet, hæc intra corpus nullam habet caussam efficientem, talis enim eijcitur potus, qualis assumitur, nullam in partibus facta mutatione. Secunda vero & tertia vrinæ materia habet pro caussa effectiua *iecoris ac venarum alteratricem facultatem*, B *atque ipsum calorem pro instrumento*. Ex ea enim ipsa caussa fit serum in genere, vel serum secundum quatuor humores distinctum, ex qua fiũt etiam ceteri humores.

Ex quibus dictis patet interpretatio obscuræ illius Hippocraticæ sentẽtię *lib. 4. de morb. vulg. comment. 5. text. 15.* prolatæ, dum scribit: *Vrina cibo & potui concolor, atq; talis vt consueuit, vbi humidi colliquatio &c.* Per hęc enim verba Hippocr. triplicem significat vrinæ materiam & eiusdem caussas effectiuas. significat primo materiam potulentam impermutatam, quando inquit, *vrina concolor cibo & potui:* deinceps significat serosam materiam in iecore genitam, vbi inquit, *& vt consueuit* omnium enim magis consueta vrinæ excretio est seri in iecore geniti: Tertio addit materiam, cum inquit, *&* C *vbi humidi colliquatio*, per quæ verba significat excretionem illius serosæ humiditatis, quæ vnicuique humori est propria, propterea in venis continetur. Et quia videbat Hippocrat. hanc tertiam nõ expurgari naturaliter, sed ex calore præter naturam fundente & colliquante hoc serum, idcirco scripsit, *Et vbi humidi colliquatio*. Hæc de natura vrinæ in genere satis dicta sunto.

De Vrinarum differentijs, ijsque sumtis ex substantia calore, odore, sono & colore. Cap. II.

Circa differentias hoc breuiter erit explicandũ, quomodo vnaquęq; differentia cognosci possit. Sumuntur vrinarum differentiæ a substantia, calore, odore, sono, colore & contentis: vt omittamus D saporem.

Differentiæ a substãtia. *A substantia*, quicquid hac in re sentiant alij, quatuor pręcipue oriuntur differentię, quarum duę subdiuiduntur; sunt autem crassa & tenuis, turbida & clara: hæ duæ subdiuidũtur in quatuor: nam aut turbida fit talis & permanet: aut fit turbida & postea clarescit: aut fit clara & postea turbatur: vel fit clara & permanet clara.

Distinctio vrinæ turbidæ a crassa. Distinguitur vrina turbida a crassa, cum tamen nonnulli eandem eam censeant. Quod crassa sit adhuc diaphana, acies oculorum potest totam illius substantiam penetrare, eo quod admittat aliquid luminis: turbata autem vrina, qualis iumentorum, lumen non admittit, propterea non videntur nisi A partes illius superficiales.

A calore oriuntur differẽtiæ, quia quędam mingitur calens admodum, ita vt aliquando præ calore vitra scindantur: quandoque vero est tepida vel subfrigida. *Differentia a calore.*

Ab odore, quædam fœtida est, alia vero minime fœtida. *Ab odore.*

A sono, quædam, dum emittitur, nullum edit sonum, perinde atq; si esset oleum, alia sonum emittit clarum sicuti vinum vel aqua. *A sono.*

A colore variæ sumuntur differentiæ, & hac in parte diutius versari oportet, vt nõ modo elucescat, quales sint vrinarum colores, sed & quomodo apud varios scriptores accipiantur, & qua ratione sint dignoscendi. *A colore.*

Colorum vrinę alij sunt apparentes, quidam autem reales.

Apparentes fiunt ex refractione luminis aut corporis colorati ad vas vrinarium & vrinam ipsam, qui quidẽ nihil significant, sed tamen oportet Medicum esse hac in re cautum, ne vas vrinarium aut multo lumini aut corpori colorato appropinquet falsumque de vrinis iudicium fiat. *Reales* colores tametsi multi a scriptoribus proponãtur, ad sex tamen possunt redigi præcipuos, ad albũ scilicet, pallidum, rubeum, viridem, liuidum, nigrum.

ALBI multæ constituuntur species, præcipue tamen sunt *niueus, lacteus, aqueus, crystallinus, corneus*. Actuarius *cap. 8.* glaucum addit, & χάροπον, Mercurialis vineum. Ego breuiter censeo niueum & lacteum vrinam significare albam cum crassitie substantiæ: aqueum albam cum substantiæ tenuitate: crystallinum seu corneum albam cum splendore: vinea autem vrina, non est amplius inter vere albas, sed potius inter subalbas, æmulatur, vt scribit Galenus *lib. 1. de crisibus capite duodecimo*, vina quædam alba, infirmiora tamen, & est color quasi aquę, cui aliquid τοῦ ὠχροῦ, idest, coloris rufi permistum sit. *Vrina alba.*

Glauca vrina & χάροπος inter albas minime connumerari posse arbitror. Nam glaucus color apud Græcos est ille ipse, quem Latini clarum vocant, æmulatur corticem castanearum, quæ tamen colorẽ non habent admodum plenum. Propterea scribit Aristotel. *lib. 5. de Generat. animal. cap. 5.* Glaucum colorem, vel glaucoma fieri ex siccitate, eo quod oculi partes non possint illustrari: at vero vbi corpus lumen non admittit, non potest esse album. Accedit, quod Glaucus color, vel idem est cum cæsio, vt putat Theodorus Gaza *loco supracitato*, aut saltem proxime accedit ad illum, vt propterea scribat Aristotel. *loc. citat.* cęsios oculos facile desinere in glaucoma. Sed sic est, quod oculi cæsij ex sententia Galeni *comment. 3. in lib. 3. de morb. vulg. text. 70.* sunt calidi & sicci, propterea sunt ignei; idcirco non possunt reponi inter albos. *Glauca.* *Vnde glaucus color.* *Colorem glaucum nõ pertinere ad album.*

Propter hanc caussam scribit Galenus cæsiũ colorem esse eundem cum charopo: propterea neque χάροπος potest esse albus: nam χάροπος significat potius colorem immanitatem præ se ferentem.

Et ideo Homerus leonũ oculos vocat χαροπούς, & Catilina ac Nero, qui immanes admodum fuerunt, notantur habuisse oculos cæsios, vel χαροπούς.

Idcirco

Idcirco excludendi omnino sunt isti duo colores, glaucus & χάροπος ab albis.

Pallidus color quotuplex. PALLIDVS color est triplex, pallidus, russus & flauus. Rursum pallidus subdiuiditur in pallidum & subpallidum, quem colorem, vt per quandam similitudinem explanarent scriptores, vocarunt spiceum vel subspiceum, quia æmulatur colorem spicarum maturarum, vocarunt paleatem vel subpaleatem, quia paleas imitatur exsiccatas.

Russus. Galenus pallidum quandoque vocat subrussum *lib.* 1. *de crisib. cap.* 12. Russus autem color ipse quoque alius est russus, alius subrussus, & russus comparatur auro purissimo nitenti, quale est aurum secchinorum.

Subrussus. Subrussus autem, qui dicitur subaureus, comparatur colori auri florenorum, qui est impurior, dicitur etiam hic citrinus.

Flauus. *Flauus* etiam color & ipse quoque flauus est & subflauus, comparatur aquæ, in qua macerati aut incocti fuerint flores croci, propterea dicitur croceus vel subcroceus. Sed quia huiusmodi distinctiones sunt vsque adeo diuersæ, hinc fit aliquando subcrocea vrina, a Gal. russa nuncupatur *comm.* 1. *in lib. prognost. text.* 30.

Rubei coloris species. Pallido succedit RVBER, qui ex sententia Galeni subdiuiditur in tres species, vt colligitur ex *com.* 2. *in* 1. *prorreth. text.* 25. est subrubeus, rubeus & prærubeus.

Subrubeus. *Subrubeus* color idem est ac roseus, seu, vt dicūt vulgo, incarnatus, qualis apparet in facie puerorum & iuuencularum, quæ pulcriores existimantur, in quibusdam cerasis, in bolo Armena.

Russum colorem esse minus intensum flauo. Idcirco non accipiendam esse Mercurialis sententiam arbitror, qui hunc colorem russum existimauerit, cum certum sit ex *lib.* 1. *de cris. cap.* 12. russum colorem esse minus intensum flauo seu fuluo: Ergo non est medius inter pallidum & flauum. Et idcirco Antiquiores semper dixere sanguinem rubeum, nūquam dixere russum, sicuti cōtra barbam & capillos russos, & canes russos, quos olim Romani immolabant, vt Caniculæ sideris malignitatem extinguerent. Nunquam tamen capilli aut barba dicitur rubea: subrubeus igitur, vt fuit dictum, est ille roseus.

Rubeus. *Rubeus* autem dicitur purpureus, quem scarlatū nostri vocant, siue ex croceo, siue ex purpura conchilis specie resultet.

Prærubeus. Tertius est, qui *sanguinolentus* vocatur, sic scribit Gal. *comm.* 1. *in* 1. *prorrhet. text.* 31. vrinas prærubeas vocatas alias non esse, quam sanguinolentas: & quia sanguis non est vnius & eiusdem naturæ, qui nō est admodum obscurus, ab Actuario vocatur vineus accepto vini colore pro colore vini rubri, æmulatur substantiam ipsam epatis.

Qui vero est magis crassus & niger, facit colorem in vrinis, qui vocatur passeus, quia æmulatur succū passularum expressum aut sapam, mustum coctū, hunc puto esse illum colorem, quem Auicennas dicit puluerulentum.

Viridis. VIRIDIS color duplex est; *porraceus*, quia æmulatur porri colorem, & hic est magis clarus: *æruginosus*, qui est magis obscurus.

Liuidus. LIVIDVS ipse quoque est duplex; puniceus & plumbeus. *Puniceus* potest cognosci ex colore violarum, ex quibus fit syrupus violarum solutiuus simplex: *Plumbeus* ex colore plumbi.

Niger. NIGER denique duplex pariter est; ater & fuscus. *Ater* similis atramento: *Fuscus* æmulatur colorem eorum, qui sub sole diu moram traxerint.

Quæ vrina oleosa, quæ earundem differentiæ & caussa. Cap. III.

INTER ceteras vrinarum differentias connumeratur & OLEOSA, siue OLEACEA, de qua nihil huc vsque dictum fuit, quod dubium sit, numquid talis dicatur ratione coloris oleum æmulantis, an ratione substantiæ crassioris, an vero ratione vtriusque.

Qua ratione vrina dicatur oleosa. Cum autem crassæ vrinæ tanquam distinctæ a scriptoribus enumerentur, credibile est, nullam ex ijs oleaceam seu oleosam vocari; sed illas tantum, quæ vel in colore, vel in substantia & colore oleum æmulantur. Gal. *com.* 3. *in* 3. *de morb. vulg. text.* 74. primam inquit oleosam vocari, quæ in colore & substantia oleum æmulatur: est enim crassioris substantiæ.

Actuar. in 1. *de vrinis, cap.* 9. tres constituit vrinę oleosæ differentias, quas tamen omnes inquit esse tenues.

Itaque vt veritas hæc possit dilucidari, necessarium est transcendere hoc in loco differentiarum limites & de caussis peragere, vt videatur quomodo possit vrina oleosa constitui, quæue crassa & tenuis sit.

Quomodo fiat oleosa. Quod pertinet ad crassam, Gal *l. ca.* omnes illos improbat, qui putant oleosam vocari vrinam, eo quod pinguedo liquata illius substantiam crassiorem reddat & colorem oleo similem. Inquit Gale. nullibi visum esse, vt pinguedo liquata substantiā vrinæ penetret aut crassiorem reddat, cum tota in superficie supernatet. Improbat quoque ex Sabini sententia eorum omnium opiniones, qui arbitrantur fieri talem ex colliquatione neruorum & ossiū, nam talis apparet in illis etiam, qui possunt esse superstites hebdomadas & menses, cum tamen colliquatis ossibus & neruis nemo possit diem vnam superuiuere.

Fernel. visus est voluisse, fieri oleosam vrinam in hecticis, phthisicis & hydropicis ex colliquatione: Quid intelligat ex *colliquatione*, non explicauit: si intelligit colliquationem pinguedinis, habet contra se rationem iam adductam Gal. Si colliquationem carnis, præterquam quod colliquatio carnis, vt paulo post intelligetur, facit sedimenta granis orobi & erui similia, accedit etiam, quod color vrinæ ad fuluum potius vel rubrum, quam ad viridē declinaret. Sicuti enim colliquata caro ex sententia Gal. *lib.* 8. *de comp. med. sec. lo. c.* 4. facit excrementa alui fulua & russa: ita eadem colliquatio vrinis permista eundem facit colorem.

Accipio igitur Sabini sententiam a Galen. *comm.* 3. *in* 3. *de morb. vulg. tex.* 74. prolatā, oleosam reddi vrinam, *ex admistione substantiæ alimentalis, quæ in venis continetur & vnicuique membro deputatur*, ex substantia, inquit Sab. dicitur oleosa: quia sicuti oleum est materia ignis in ellychnio, ita hoc alimētum

tum est materia calidi innati in partibus solidis, fa- A
citque vrinam crassam, propterea oleo non dissimilem. Solet autem hæc fieri colliquatis ipsis humoribus a calore febrili.

Datur quoq; oleosa vrina tenuis, vt recte voluit Actuarius, qui tametsi tres constituat vrinæ oleosæ species, quemadmodum fecit etiam auctor libri de vrinis, atque etiam Ætius, nihilominus differt in hoc ab istis duobus scriptoribus, quod ipse existimet, omnes istas tres esse tenues; illi vero putent, tertiam esse crassam, primam tenuem, secundam mediam: dicunt primam oleosæ vrinę speciem fieri, quando colliquatur pinguedo in modica quantitate, quæ supernatat in superficie.

Secunda species est, cum plus pinguedinis colliquatur.

Tertia, cum tanta est colliquatio, vt pinguedo B
ipsa per totam vrinæ substantiam confundatur.

Quæ sententia cum a Galeno sit iure optimo refutata, Actuarij potius est accipienda, dari vrinam crassam, sed oleosam, quæ scilicet in colore tantum oleum æmulatur.

Nam vbi pinguedo colliquatur, siue pauca sit, siue mediocris, siue multa & illa quidem vrinæ supernatet, nihilominus præ se fert olei colorem, nec modo in superficie, verum etiam in tota substantia.

Nam color ille viridis, qui repræsentatus in superficie vrinæ ex refractione luminis ad illud corpus impingit, est in caussa, vt idem color repræsentetur in tota vrina, ita vt sit color potius apparens, quam realis: sicuti esset apparens, si appropinquaret vas vrinarium herbis virentibus.

Datur itaque vrina in colore tantum oleosa, quæ fit ex pinguedine colliquata supernatante.

Datur quoq; oleosa in substantia crassa, quæ fit ex colliquatione humorum, qui in venis sunt, qui totæ substantiæ vrinæ permiscentur.

De Differentijs vrinarum relatiuis dictis, quæ sci. desumuntur a quantitate, tempore & modo exeundi. Cap. IV.

PRæter has differentias, quæ absolutæ vocari possent, sunt quædam relatiuæ, quæ sumuntur a quantitate, tempore & modo exeundi.

A quantitate. Quando enim dicimus vrinam esse multam vel paucā, id dicimus habita relatione aut ad id, quod
D est moderatum, aut ad potulenta accepta. Nam si quis multum bibat & parum mingat, dicimus vrinas esse paucas in relatione ad multum potū. Contra, si quis vel parum, vel nihil bibat, tametsi moderatam vrinę copiam mingat, dicitur tamen multum mingere.

Tempore. *Quod ad tempus*, non potest præscribi tempus mictionis importunum, vel opportunum, nisi habita consuetudinis vniuscuiusque ratione.

Modo exeundi. Idipsum dico *de modo*, vtrum facile an difficile, cum, an sine dolore; guttatim, an non guttatim vrina ipsa emittatur. Et hæc de differentijs ab vrina desumtis dicta sufficiant.

De natura & differentijs contentorum in vrinis sanorum corporum. Cap. V.

Contenta essentialia. COntenta sunt in duplici differentia. Quædam enim videntur esse essentialia, quædam vero accidentalia.

Essentialia voco illa tria; Sedimentum seu *ὑπόστασιν*, *ἐναιώρημα* siue suspensum, *ἐπινέφελον*, siue nubeculam: quæ locis inter se dissident: Quatenus *sedimentum* continetur in fundo, *Suspensum* in medio; Nebula in suprema vrinæ parte. Has voco essentiales vrinæ partes, quia fere in omnibus sanorū vrinis ac pluribus ægrorum conspiciuntur.

Fere in omnibus sanorum vrinis, quia fieri potest, vt exercitatis corporibus, temperamentis calidioribus, pauco cibo atque illo quidem optimi succi deditis, nullum fiat in vrinis contentum, præcipue, si cetera corporis excrementa bene per sua effluxerint loca.

Videntur itaque hęc essentialia ad differentiam eorum, quæ per accidens, neque frequenter ipsi vrinæ permiscentur, vt sunt arenulæ, pili, & alia id genus, de quibus infra.

De horum contentorum natura ac caussis tanta est inter scriptores difficultas & altercatio, vt vix illum liceat inuenire, qui cum altero conueniat; & sane, nisi huius veritatis inuentio tantum conferret ad præsagium, intermittendæ potius longæ de ijs disputationes essent. Sed quia *nihil est in morbis, quod maius præstare lumen possit, quam vrinarum contentum* idcirco diligenter quidem, attamē breuissime tota hæc pars percurrenda erit. C

Sententia Actuarij de contento & Altimari. Actuarius inter Græcos fuit huius sententiæ, *Contētum in vrinis nihil aliud esse, quam portionem alimenti tertiæ coctionis, quæ fit in venis, quæ fuit quidem a facultate venarum alterata, non tamen in substantiam partis trasmutata*: hoc alimentum inquit ipse auctor, a quo deinde accepit *Altimarus in suo libro, de sedimento vrinæ*, trāsmutatur in substantiam albam, quia hæc transmutatio fit a membranis venarum, quæ ipse quoque sunt albæ. Cum vero non conuertatur in alimentum, expurgatur simul cum serosa humiditate per renes & vesicam. Hanc putat Actuarius & cum eo Altimarus esse sedimenti in sanis apparentis naturam.

Quod si quispiam interroget, qualenam sit sedimentum in febricitantibus? Idem Altimarus secutus sententiam Galeni, *qui lib. 1. de differ. febr. ca. 6. & lib. 3. de præsag. ex pulsi. cap. 6. nihil aliud esse hoc contentum ait, quam portionem materiæ facientis febrem, quæ calido innato venarum & arteriarum est conuersa in substantiam puri similem*. Nam sicuti docebat idem Galenus, *libro tertio, de pręsag. ex pulsi. capite sexto. In vnaquaque febre putrida, dum exuruntur humores, tenuior pars humoris exusti, quasi fumus in camino per anhelitum expurgatur: pars autem crassior est quasi cinis in foco, purgatur per vrinas estque vrinæ sedimentum*. Idcirco *libro primo, de different. cap. sexto*, dicebat Galenus, *illud idem fieri in venis, quod in priuatis abscessibus*, vt scilicet, sicuti in priuatis abscessibus sanguis putrescens conuertitur in substantiam, quæ pus vocatur, ita

tur, ita humores in venis putrescentes conuertuntur in substantiam albam puri similem, quæ fit sedimentum vrinæ. Et ideo inquit ***Altimarus, in febribus continuis siue continentibus, siue proportionatis semper sedimentum est portio humoris, qui actu putrescit: in febribus intermittentibus,*** inquit, ***aliquando est portio humoris, qui potest putrescere: quandoq; est portio alimenti, vt in sanis: nonnunquam est mixtio vtriusque.*** Hæc est sententia Altimari, quæ aliqua ex parte conuenit cum Actuarij.

Refutatio sententiæ Altimari. Sedimentum in sanis non esse excrementũ tertiæ concoctionis.

Contra hanc de vrinarum sedimento sententiam tam in sanis quam in ægris multa proferri possunt. Et primo quidem, quod sedimentum in sanis non sit excrementum tertiæ concoctionis venarum scilicet, & arteriarum, quæ iam sibi ipsis alimentum hoc apposuerint, atque aliqua ex parte assimilauerint, facit primo hæc ratio: ***Si res ita haberet, ergo sequeretur omnes vrinas, aut saltem magnam ipsarum partem esse portionem illius seri, quod distribuitur in venas.*** Consequens probatur, quia hoc sedimentũ in venis generatur: si igitur ad vesicam fertur, oportet, vt feratur cum sero venarum: sed hoc est falsũ: ergo antecedens.

Quod sit falsum, vrinæ magnam partem esse venarum serositatem, docuit Galenus vt alios locos prætercam, ***libro quarto, de vs. part. cap. 6. vbi scribit, serum, cum produxit sanguinem a parte concaua in gibbam, statim per venas emulgentes in renes & vesicam descendere, leuem illius portionem simul cum sanguine distribui in venas.***

Accedit secunda ratio. ***Serum quod mittitur ad venas totius corporis, non semper retrocedit ad vesicam: ergo non potest secum ferre sedimentum venarum.*** Quod non retrocedat, probatur: quia materia seri vrinarij & sudoris est vna & eadem: vbi itaque sudores erumpunt, serum venarum per illam euacuatur partem, non per vrinas, & tamen eo etiam tempore apparet sedimentum. Igitur sedimentum non est excrementum venarum.

Præterea, ***si sedimentum esset venarum & arteriarum excrementum, vt censet*** Altimarus, ***nulla ratione posset per vrinam expurgari.*** Probatur consequens, quia huiusmodi sedimentum, vt scribit Altimarus, iam venis ipsis est appositum & assimilatum, & propterea factum est album; sicuti etiam venæ & arteriæ sunt albæ. Excrementum hoc est iã parti assimilatum, & non conuertitur in alimentum: Quæ est ratio? vbi iam alimentum est simile. statim nutrit partem, simile enim nutritur simili.

Materia seminis.

Neque est, quod quispiam dicat, etiam semen esse excrementum tertiæ concoctionis: Nam materia seminis est sanguis, neque assimilatus, neque appositus, qui dealbatur in vasis seminalibus & testibus. Hoc vero, vt ante fuit dictum ex Altimari sententia, iam oppositum & assimilatum est.

Posset vltro inferri, tamen istud etiamsi album, necessario fieri rubrum, quia miscetur sanguini: sed hæc sufficiant.

A

De differentijs sedimenti in vrinis ægrotantium, & quæ ex aliorum sententia eiusdem sit materia. Caput VI.

IN ægrototum sedimentis non videtur Altimarus se ipsum distinguere, quale nam illud esse existimet. Cum enim videatur Galeni sententiam sectari, qui tamen & ipse sibi est valde contrarius; ***l. enim 3. de præs. ex puls. cap. 6. inquit, sedimentum vrinarum esse humorem, qui iam putruit conuersum in cineres, propterea exustum: libro vero primo, de differ. febr. capi. 6. sedimentum esse materiam putrescentem iam concoctam & euictam a calore natiuo, propterea conuersam in substantiam albam, leuem & æqualem, ideo optimo puri similem, qui in priuatis apparet abscessibus.***

B

Multum sane distant hæc duo, ***sedimentum exustum, & sedimentum concoctum.***

Exustum subijt tantum vim coloris præter naturam:

Cõcoctum subijt vim caloris & præter naturam & naturalis: Caloris præter naturam, quia primo putruit: naturalis, quia iam putrescens concoctus est, & in optimam conuersus substantiam.

Si igitur Altimar. dicat, sedimentum vrinarum in ægris esse substantiam cinerulentam, sicuti aliquando ex Galen. affirmat, dicendum, hanc substantiam non posse esse concoctionis signũ, sed tantum exustionis, propterea apparebit hic substantia non in statu tantum, sed in principio etiam & augmento. Nam sicuti quacunque die humor putrescens exuritur, ita quacunque die portio tenuior per halitum expurgatur; crassior & cinerulẽta per vrinas: Idcirco minus apparebit hoc sedimentum tempore status, quam in principio & augmento.

C

Quod si dicat, se intelligere de sedimento per concoctionem facto, tunc alia plura insurgunt dubia.

Nam si humor putrescens, vbi iã est concoctus, in albam conuertitur substãtiam: Ergo in febribus biliosis tempore coctionis bilis excernitur, vel per vomitum, vel per secessum; alba, si febris sit sanguinea, fiatque fluxus sanguinis, sãguis ille euictus & concoctus erit albus. Idipsum intelligit debet de alijs humoribus putrescentibus.

Quod si dicat, totam hanc humoris portionem per vrinas purgari, tunc oporteret vrinas reddi tẽpore status multo crassiores, quam in principio & augmento: sed nimia crassities arguit inconcoctionem: ergo nulla erit certa regula cognoscendi humores concoctos.

D

Accedit, quod si ex sententia Altimari, in febribus intermittentibus sedimentum vrinarum nõ sit portio humoris putrescentis, & quod humor putrescit extra venas, sequeretur in istis sedimentum album & ęquale nũquam apparere debere: sequeretur quin etiam in principio nũquam posse apparere vrinas concoctas, cuius tamen oppositum scribit Gal. ***lib. 1. de cris. cap. 7.*** Itaque ad alias sentẽtias confugere oportet.

Non defuerunt, qui dixerunt, sedimentum esse partem sanguinis tenuiorem ac subtiliorem, quæ pro-

propterea citius & promptius in albam cõuertitur A substantiam. Sententia sane vsque adeo a ratione aliena, vt confutationem non promereatur.

Si enim id verum esset, supernataret potius sedimentum quam resideret in fundo: pars enim tenuior sanguinis est omnium leuissima. Præterea in calidis & siccis naturis plus esset sedimenti, quam in frigidioribus, cuius tamen oppositum docet experientia & Galen. auctoritas, qui *com. 2. in l. prog. tex. 26.* in corporibus siccis & biliosis nullum scribit fieri sedimentum, excellentissimus nostræ ætatis vir *suarum epist. med. lib. 8. epist. 6.* aliam habet sedimento sententiam, scribit ille *vnam & eandem tam in sanis, quam ęgris maiori ex parte esse sedimẽti materiam, portionem scil. ipsius chyli, quæ quidem in iecore non potuit in sanguinem conuerti:* hãc chyli portionem vrinæ cõmistam inquit esse sedimenti materiam. B

Horatij Augenij senten tia refutatur.

Ceterum hæc sententia multis nominibus mihi videtur improbanda: primum quidem, quod difficillimum sit, ne dicam impossibile, substantiam chyli permeare, & tamen albam permanere: aliæ partes transmutantur & ista remeabit impermutata: Nec est, quod dicat esse partem crudiorẽ: quanquam enim concedatur, esse crudiorem partem, attamen non potest esse vsque adeo cruda, neque imbecillitas partis vsque adeo magna, vt non possit permutari.

Probatur etiã duplici argumento. I. huiusmodi sedimentum est signum, vt ipse & alij omnes concedunt, optimæ coctionis ventriculi, iecoris & venarum: Ergo erit signũ talis caloris, qui possit saltem permutare colorem album chyli in colorem C alium. Confirmatur, quia si iecur potest mutare crudum in substãtiam, quæ etiam est minus cocta, multo magis potest mutare substantiam crudam saltem in minus coctam. Sed sic est, quod facit ex substantia cruda substantiam nimis coctam, nempe bilem: ergo poterit etiam chyli portionem illam aliqua ratione alterare.

Neque potest defendi, quod dicit, hanc substãtiam ex propria natura esse vsque adeo frigidam, vt sit impermutabilis: etenim ipsemet concedit, aliquando portionem hanc tempore necessitatis cõuerti in sanguinem.

Accedit, quod si sedimentum esset ex tali substantia, quo minor est portio alimẽti, eo minus deberet apparere hoc sedimẽtum: sed minor est portio alimenti in statu: nam in statu tenui victu vtendum: Ergo in statu minus deberet apparere hoc sedimentum. Cuius tamen oppositum & ipse & alij omnes profitentur. D

Adde, quod tunc deberet plus apparere sedimenti, cum plus cibi assumitur, cum facultates minus concoquunt: id autem contingit in principio, in augmẽto morbi: ergo hoc tempore deberet apparere sedimentum, cum tamen res opposito modo se habeat.

Ita sentit ille de albo sedimẽto. Nam quod pertinet ad alia sedimenta varij coloris & substantiæ, concedit hæc aliquando fieri vel ex ipso chylo corrupto & in prauos humores conuerso, vel ex reliquis humorum putrescentium.

Fernelius aliam habuit ab omnibus differentem sententiam, quæ paucis quibusdam mutatis, vt arbitror, in bonum sensum potest redigi, hic *in suo de vrinis, cap. 17.* vult, *vrinæ sedimentum esse partem seri crassiorem contractam ex mistione seri cum alimentis tempore concoctionis.* Cum enim certum sit, potulenta misceri in ventriculo simul cum cibo, dũ chylus conficitur, inquit Fernel. *huiusmodi res potulenta in hac coctione aliquam recipit portionem huius substantiæ, similiter etiam dum fit concoctio in iecore, miscetur ipsi sanguini: & sicuti ius carnium, dum coquuntur carnes, contrahit, nescio quam, crassitiem, quæ deinde subsidet in iure: ita,* inquit, *serum in his concoctionibus recipit huiusmodi crassitiem substantiæ, quæ deinde, vbi vrina emittitur a calore proprio vrinæ separatur, & ad fundum propellitur & fit sedimentum.*

Sententia Fernelij correcta.

Hæc sententia habet quidem aliquas contra se obiectiones, sed tamẽ sano modo intellecta & paucis mutatis, potest redigi in bonum sensum. Obiectiones sunt istæ: quod, cum serum misceatur non minus chylo, quam sanguini, & coctio sanguinis sit vltima, nulla est ratio, cur substantia sedimenti sit potius alba, quam rubra.

Obiectiones contra sententiã Fernelij.

Præterea, si constituamus, quod ipse vult, sedimentum scilicet esse partem vrinæ essentialẽ: Ergo omnis vrina habet sedimentum. Cõsequens est falsum: nam siue propter obstructionem, siue inconcoctionem, vel tenuem victum vrinæ carent sedimento, ergo non erit pars essentialis.

Laboratum hactenus fuit in refellendis Actuarij, Altimari, & aliorum sententijs, reliquum est, vt quid pro rei veritate sit sentiendum explicetur.

Duo autem hac in parte veniunt præstãda, quorum primum pertinet ad proponendas sedimentorum differentias: alterum vero ad explicandam vniuscuiusque essentiam.

Sedimenta omnia trifariam distingui posse videntur: alia enim sub naturalibus comprehenduntur: quædam sub illis, quæ sunt præter naturam: nonnulla, quæ medio modo se habent.

Sedimentorum differentia.

Naturalia voco illa, quæ quandocunque appareant, siue in sanis, siue in ægris, certam & absolutam pollicentur coctionem & sanitatem.

Præternaturalia, quæ vbicunque apparent, aut exquisitam cruditatem, aut præterea ægri perniciem declarant.

Media, quæ imperfectam significant coctionem, consequenter nec certam valetudinem, nec certum morbum.

In primo genere sedimentum potest sic definiri. Quod sit *pars vrinæ crassior, alba, leuis, æqualis, matulæ fundum petens, pyramidalis.*

Sedimẽtum naturale quid.

Per *partem* enim intelligo essentialem & ab vrina inseparabilem, vt visus est voluisse Fernelius, sed est pars *superaddita*, idcirco & in pluribus sanorum atque ægrotantiũ vrinis nulla ὑπόστασις apparere solet.

Dicitur *crassior*, quia minus diaphana, quã ceteræ vrinæ partes, & ad differentiam cuiusdam sedimenti albi & tenuis, ex crasso flatu cum pituita cõmisti, quod vitiosum est: de Hoc Hippoc. & Gale. *com. 2. in prognost. text. 28.*

Dicitur

Dicitur *leuis*, non diuulsa, non aspera, sed omni ex parte similaris.

Aequalis, vt recte Hipp. & Gale. *com. 2. progn. text. 26.* quia in omnibus vrinis tam matutinis quã vespertinis, tam vnius quam alterius diei vno & eodem modo se habent.

Fundum petit, non quod hęreat fundo hoc enim vitiosi sedimenti proprium est, sed ad differentiam enæorematis & nebulæ inferiora petit.

Habetq; figuram pyramidalem, quæ ipsius ignis est propria, vt significet caloris naturalis vim omni ex parte in eius substantiam se exercuisse.

Sedimentum præter naturale. Dum igitur tale sit naturale sedimentum, non est difficile intelligere, quale nam sit sedimentum præter naturam. Nam *illud peccat ratione loci, substantiæ, lauitatis, coloris, figuræ ac præterea etiam odoris:* de quibus omnibus dicetur suo loco.

Medium. *Medium autem est id, quod quidem subsidet, sed est diuulsum, non album, neq; per omne tẽpus æquale:* aut non subsidet, sed in medio hæret, & dicitur ἐναιώρημα, vel supernatat, & dicitur νεφέλιον, seu nebula. Quanquam apud Hipp. vt docet Galen. 2. *progn. text. 26.* nebula & enæorema pro vno & eodem accipiantur.

Quæ vera sit & genuina sedimenti naturalis materia. Caput VII.

HVcusque de natura omnium sedimentorum in facto esse abunde dictum fuit nunc, vt caussæ illorum materiales & effectiuæ tam generantes quam quouis modo alterantes & mouentes explicentur, ordo requirit.

Naturalis sedimenti materia. *Naturalis itaq; sedimenti materia*, (de hac enim initium sumendum) vt tandem meam proferam sententiã, nulla est alia, quam *succus a Galeno crudus seu crassus vocatus*. Hic succus crudus & crassus Gal. auctore, *lib. 4. de san. tuend. cap. 4. & lib. 2. de alim. fac. cap 6 & lib. 3. de compos. med. sec. loc. cap. 1.* est pituitæ species: sed tamen in hoc a pituita differt, quod sit omnium pituitæ differentiarum crassissima.

Generatur hic succus præter intemperiem frigidam morbosque frigidos, seu ventriculi, iecoris & venarum, etiam ex ciborum quorundam proprietate, de quibus omnibus meminit abunde Galen. *lib. 3. de alim. fac. & in lib. de ciborum bonitate & vitio*, in quibus locis declarauit carnes bubulas, bouinas, caseũ, cochleas, castaneas, pisces, tubera, placentulas, legumina, &c. ex propria natura hunc succum crudum & crassum gignere.

Ratione sedimentum hoc esse succum crudũ. Hunc succum ac materiam sedimenti naturalis probo triplici argumento. I. *Illud est sedimentum vrinæ naturale, quod subterfugit sanguinis coctionẽ: talis est succus crudus: ergo succus crudus est materia sedimenti naturalis.*

Minor est manifestissima; & ex declaratis patet. Nam si succus crudus est omni pituita crassior & frigidior: ergo magis subterfugit coctionem & mutationem in sanguinem, quam alia omnia.

Maior est Galeni, *qui 1 progn. in postremis verbis: Quicquid*, inquit, *in sanguinis generatione subterfugit naturæ coctionem, idest in vrinis sedimentũ.*

II. *Materia sedimenti est similis puri: ergo materia sedimenti est succus crassus.* II.

Quod sedimentum sit simile puri, docuit Gale. *eod. loc. cit. 1. progr. in fi.*

Consequentia probatur: nam, vt sedimentum sit simile puri, oportet, vt habeat conditiones puris.

Conditiones boni puris. Duæ autem sunt boni puris conditiones: prima, *vt superatum fuerit a calore naturali*, secunda, *vt sit ineptum nutritioni corporis:* pus enim, etiamsi concoctum, non nutrit.

Easdem conditiones habet sedimentum: est superatum quidem a calore innato, & tamen non nutrit. Propterea scribit Gal. *com. 2. in librum Hipp. de vict. rat. in morb. acut. text. 44.* cõcoctionem excrementorum, quæ cognoscitur per hoc sedimentum, non esse coctionem ad nutritionem, sed ad expulsionem. Tunc si infero.

Si materia concoquitur quidem, sed non ita, vt nutriat: ergo est succus crudus. Probatur conseq. Quia non potest esse alius, quam vel chylus, vel pituita: sed & chylus & pituita, dum concoquuntur, transeunt in sanguinem: oportet igitur hũc succum ceteris grassissimum a calore valido superari quidem, sed potius ad expulsionem, quam ad nutritionem.

III. Ratio fortissima & demonstratiua talis est. *In morbis & in corporibus sanis, in quibus non adest succus crudus, non reperitur hoc sedimentum: contra vero in sanis & agris corporibus, vbi adest succus crudus, reperitur hoc sedimentum: ergo materia sedimenti est tantum succus crudus.* III.

Consequens est claris. Antecedens probatur testimonio Gal. *lib. de tot. morb. temp. cap. 5.* dum explicat conditiones vrinæ, quæ coctionem & sanitatem in morbis pollicentur, inquit, *si morbus ortum duxerit ex humoribus biliosis, non opus est apparere sedimentum, sed sufficit nebula & enæorema. Quod si morbus ortum duxerit a crassis succis, sedimentum apparens est signum coctionis.* Et ne quis credat, hæc tantum vera esse in ægris corporibus, in sanis autem nequaquam, legatur Gal. *com. 2. in lib. prog. text. 26. clarius lib. 1. de cris. cap. 12.* qui vniuersaliter de hoc sedimento, albo, læui & ęquali verba faciens, inquit, *in sanis quidem corporibus tenui victu vtentibus & exercitatis nullum apparere tale sedimentum, sed tantum in illis, qui intemperanter viuunt, ducuntque vitam sedentariam.* Postea idipsum subiungit de morbis; *in morbis biliosis non est necessarium apparere sedimentum, sed tãtum in illis, in quibus succus crudus abundat.* Quid clarius? ¶ Itaque ex his compertum existimo, sedimentum album, læue & æquale habere pro materia crassum succum.

Obiectiones I. Sed dicere aliquis potest: si ita res habet, hoc sedimentum non demonstrabit integrã corporis valetudinem, sed potius vẽtriculi iecoris & venarum infirmitatem. ¶ Deinde persuadet ratio, vt hoc sedimentum appareat potius in principio & augmẽto morborum, quam tempore coctionis. ¶ Tertio quæret quispiam caussam, quamobrem hoc sedimentum sit album; & producet contra me eandem illam rationem, quã ego protuli contra Trussani opinionem de chylo, quod scil. dum transeat II. III.

per

per iecur & sanguini misceatur, non possit esse album. ¶ Quod ad primam rationem, dicendum, aliud esse loqui de sedimento, quod emulatur succum crudum, aliud loqui de sedimento læui, albo & æquali. Illud, quod æmulatur succum crudum, residet in fundo instar farinę crassioris, propterea tale significat imperfectissimam coctionem & ventriculi, & iecoris, & venarum. Sed quãdo hęc substantia vsque adeo crassa reddita est tenuissima, & quæ est admodum aspera & inæqualis, reddita est læuis & ęqualis, optimam significat omnium mẽbranarum & temperationem & constitutionẽ; quin imo significat nullum committi errorem externũ, vel in cibo, vel in potu, vel in alijs sex rebus non naturalibus. Si quis enim committeretur, distraheretur natura ab hoc officio, & succus crudus, vel impermutatus excerneretur, vel saltem imperfecte mutaretur.

Responsio ad primam.

Ad secundam. Ad secundam rationem dupliciter respondetur: primo, si sermo sit de sedimẽto crasso & impermutato, hoc sane in principio & augmento multoties apparet: de hoc dicit Gal. *sect.4.aph.com.69.* scribens, *in principijs morborum aliquam fieri subsidentiam propter materiæ grauitatem*.

Secunda responsio est: non necessario in principio & augmento morborum apparere hũc succum crassum pro sedimento: quia natura neque concoctionem, neq; expulsionem aggreditur. Propterea dicebat Gal. *lib 4. de tu. val. c.6 vrinas tenues significare naturam adbuc non aggressam coctionem crudorum humorũ*, addit postea: *quæ emittuntur crassæ & turbata significant coctionem incipientem: Quod si sint claræ, sed postea crassescant, indicant coctionem propemodum futuram.*

Itaque non est necessarium, vt succus crudus & crassus in principio & augmento excernatur, sed tunc tantum, quando vel copiosissimus est, vt non possit a natura totus sustineri, vel quando iam incipit a calore naturali concoqui.

Ad tertiam Ad tertium argumentum, quod de colore albo contra positionem nostram productum est, duplex est responsio. ¶ Prima, quod nullum sit inconueniens, materiam vsque adeo crudam & crassam albã in ventriculo genitã a iecore & venis non alterari. Etenim prǽterquã quod ratio id persuadet, experientia quoq; & Galeni testimonium confirmat.

Experientia quidem: Nam in illis, qui pituita abundant, si sanguis mittatur, pituita albicãs in superficie residet, & tamen dum sanguini esset permista, propriam non ostendebat albedinem Gale. etiam *l.2. de nat. fac. c. vlt.* inter ceteras pituitæ species acidam commemorat vsque adeo frigidam, vt non possit a venis vllo modo alterari: at vero si non potest alterari pituita acida, multo minus alterabitur hic succus, qui omni pituita crassior est.

Confirmatur, quia, si pus sanguini permistum, album tamẽ per vrinam educitur, succus etiã crassus eiusdem coloris educi poterit. Dicebat Gal. *lib. 6. de loc. aff. c.4. in fin. abscessus pulmonis quandoque expurgari per renes & vesicam, cognosci autem ob pus, quod descendit a partibus supernis, ad differentiã illius, quod excernitur ex abscessu vesicæ aut renum, quia illud est sanguini valde permixtum, hoc autem plerumque a sanguine separatũ educitur.* Quãquam autẽ si permistum sanguini, album tamẽ retinet colorẽ: ergo & succus crassus idipsum poterit facere.

Sed aliam præbeo responsionem, & hoc quoq; meum est placitum: albedinem hanc in sedimento fieri posse ex facultate vesicæ alteratrice: vasa seminaria, quia sunt partes spermaticæ, habent vim dealbandi sanguinem in semen: nam si mammillæ pariter mutant sanguinem in lac, quid erit mirum, si vesica quoque, proprium seri receptaculũ, illud alterare possit, atque illius sedimentum in album commutare colorem. Habet, vt scribit Gal. *lib. 1. de cris. cap. 12.* facultatem & retentricem & alteratricem seri: ergo poterit illud mutare: si potest; ergo mutabit in colorem album.

Dicebat idem Gal. *comm. 1. prog. text. vult.* ideo pus mutari in colorem album, quia continetur inter corpora seminalia, qualia sunt membranæ, cartilagines, nerui, venæ, arteriæ, ossa. Sed sic est, quod etiam tunicæ vesicæ sunt partes seminales: ergo ex substantia albedinem ibi poterunt contrahere. Et hæc de argumentorum solutione satis.

De Caussa efficiente sedimenti vrinarum. Caput. VIII.

EX iam dictis facile potest colligi, quænam sit caussa efficiens sedimenti vrinarum, siue sit sermo de illius tenuitate, læuitate, æqualitate, figura ac calore.

Nam *caussa efficiens est robur omnium earũ partium, quæ quouis modo aut tribuunt materiam, aut locum, per quem, & in quo recipiatur vrina.* *Caussa efficiens.*

Idcirco primo requiritur robur ventriculi tanquã partis, quæ generet modicam succi crassi portionẽ; vbi multa generetur, (id quod contingit, vel ex vẽtriculi imbecillitate, vel ex otio & crapula) vix ac ne vix quidem fieri poterit, vt sedimentum sit naturale, sed iusto crassius erit: idipsum dicendum de iecore & venis, quæ si infirmum obtinent calorem, nunquam succum crassum poterunt attenuare, neque singulas partes penetrare, neq; ad vnguem læuigare: Idcirco relinquent in eo flatus & vaporis crudi portionem, quæ erit in caussa, vt illud diuulsum, asperum, circulare vel alterius figuræ atq; in loco minus decenti appareat. ¶ Quod si ipsæ partes nõ sint debiles, sed potius a multitudine & crassitie humorum impediantur, poterit quidem contingere, vt semel vel bis bonum appareat sedimentum, sed intercurrente aliqua humorum colluuie & impediente facultatem caloris innati, cessabit sedimentum, aut saltem illud improbum euadet.

Quod ipsum fiet, si in transitu per renes & vesicam obuiam fiãt multi & crassi humores, qui cum vrina rapiantur.

Nec minus, vt dictum antea fuit, relinquetur hoc sedimentum minus coctum, si ipsamet vesica aut intemperata fuerit, aut instrumentario, aut communi aliquo morbo affecta.

Idcirco ex his colligitur, sedimentum hoc transmitti simul cum vrina ad vesicam propter robur facultatis expultricis, vt non minus arguat alteratricem, quam expultricem validam.

D Ex di-

Ex dictis iam facile vnusquisque potest intelligere, quomodo materia sedimenti iam propositi in febribus etiam non sint cineres humorum exustorum, vt videtur voluisse Gale. *lib. 3. de præs. ex puls. cap 6.* Sed esse, vt dixi, crudum succum, qui in principio & augmento morbi non apparet in hoc loco, huius figuræ, substantiæ, læuitatis & æqualitatis, quia in morborum initijs & incrementis, alteratrix facultas, vel est imbecilla ex intemperie, vel est impedita ex morbis instrumentarijs, aut ex humorum multitudine & crassitie, vt propterea, cum non possit alterare, plerunque nec possit expellere. Cum primum autem calor natiuus materiam euincit, atque imminuitur plenitudo, expugnantur morbi, tunc sedimentum hoc, tanquam nunc materiæ concoctæ indicium in illis apparet morbis, qui, vt dixi, succum habēt crudum commixtum, in biliosis autem nequaquam.

Et ideo, si quis etiam voluerit Galeni sententiam *lib. 1. de differ. febr. cap. 6.* prolatam in bonum redigere sensum, potest commode id facere: Inquit Galen. *sedimentum in vrinis proportione respondere ipsi puri, quod conficitur in priuatis abscessibus*, vt sicuti in illis fit optimum pus, quando est album, læue & æquale, ita in vrinis sedimentum hoc album & æquale apparens erit signum facultatis venarum alterantis materiam ad substantiam puri similem. Hoc dictum conuenit cum ijs, quæ scripserat Gale. *com. 1. in librum prognost. text. vltim.* cum dicebat, quod subsidet in vrinis, esse quid puri simile. Nam sicuti pus, vt dicebatur alias, est materia quidem concocta ad expulsionem, non ad nutritionem, ad corporum alimentum: ita & hoc sedimentum est materia concocta, non ad nutritionem, sed ad expulsionem. Hæc de sedimento naturali & sanitatem significante.

De sedimento medio, inter naturale & præter naturam, & quomodo id a naturali differat. Cap. IX.

Differentia sedimenti medij & naturalis.

MEdium sedimentum differt a naturali, aut loco, aut substantia, aut læuitate, aut æqualitate, aut figura, aut colore.

Differt *loco*, quia aut est suspensum, aut nebula.

Substantia, quia est vel crassius vel tenuius, & propterea aliquando propter crassitiem omnino subsidet, vt ipsi fundo matulæ inhæreat.

Læuitate, quia est dissimilare, asperum diuersarumque partium.

Figura, quia erit vel circulare vel semicirculare, vel per totam vrinæ substantiam dispersum.

Colore, quia erit vel rufum, vel flauum, vel alterius coloris.

Aequalitate, quia quandoque apparebit, quandoque non.

Si igitur sermo sit de ijs contentis, quæ variant a naturali alijs omnibus, colore excepto, dico hæc habere eandem caussam materialem, quam habet etiam sedimentum naturale, sed differunt caussa effectiua.

Habent caussam eandem materialem, *quia ipsa quoque fiunt ex crudo succo.*

A Differunt effectiua, *quia vel calor innatus nihil egit circa hanc materiam, vel imperfecte, vel plus quam oporteat.*

Nihil enim egit, vbi sedimentum est album, sed crassum, vt scribit Gale. *lib. de Multit. cap. 17. paul. post prin.* instar fabæ coctæ: hoc enim fit succo crudo impermutato. Quemadmodum contingit intemperanter viuentibus, de quibus iterum Galen. *lib. 1. de alim. fac. cap. 2.* aut illis, quibus alimentum inconfectum a iecore trahitur, vt in pueris, vt scribit Galen. *lib. 1. de cris cap. 12.*

Est aūt minus coctum, quando vel ipsa ὑπόστασις est diuulsa, diuersarum partium, nimis alba: nā hæc omnia, vt postea intelligetur, significant multi flatus cum materia crassa admistionem, sicuti etiam sublimamenta, & nebula.

B Indicant v. vehementiam caloris vltra quam oportuit egisse idem sublimamentum & nebula: aliquando enim hæc non fiunt ex flatu cum crassa pituita permisto ipsam eleuante ad superiora, vt docuit Gal. *in com. 1. in 1. prorrhet. tex. 31.* Sed aliquādo in corporibus biliosis, in morbis calidis ob vim caloris attenuantis materiam, quæ deinceps illi calori permista facile ascendit. Hinc fit, vt aliquando huiusmodi sublimamēta vel nebulæ in corporibus biliosis & morbis biliosis sint perinde bona, atque etiam ipsa hypostasis. Testis huius rei est Galenus *sect. 4. aphoris. com. 71. nubeculam albam*, inquit, *optimæ coctionis esse signum. Lib. de tot. morb. temp. c. 5. in morbis biliosis*, inquit, *sufficit ad significandam salutem albū sublimamentum, non autem hypostasis.*

C

De contentis præter naturam, deque illorum differentijs & materia. Cap. X.

HActenus de sedimento naturali & medio dictū. Reliquum nunc est, vt de cōtentis præter naturam, & de omni permistione cū vrinis sermo fiat. Contenta igitur præter naturam alia peccant ratione loci, quantitatis, substantiæ, non autem ratione coloris, sunt enim alba: alia vero peccant & ratione harum & ratione coloris: quædam peccant ratione coloris quidem, substantiæ, æqualitatis, ac læuitatis, non tamen ratione loci.

In primo genere est sedimentum album in fundo matulæ residens & firmiter illi adhærens, cuius materia est succus crudus in maxima portione genitus ac prorsus inalteratus, huius meminit Galen. *lib. 2. de alim. fac. cap. 6.*

D In secundo genere possunt reponi & quædam, quæ nominantur proprie sedimenta, & nonnulla, quæ potius sunt permista vrinæ, quam sedimenta, arenulæ seu minores calculi.

Sedimenta vero sed præter naturam teste Hipp. *com. 2. prognost. tex. 28. quem est secutus Gal. in eodem com. & lib. 1. de cris. cap. 12. & com. 5. in 6. Epid. tex. 15.* sunt in triplici differentia: quædā enim crimnoides appellantur, eo, quod æmulantur farinam crassiorem: alia dicuntur furfuracea, quod æmulentur furfures crassiores: quædam squamosa, quod squamulus.

Sedimentorum præter naturalium triplex differentia.

Auctor libri de vrinis & Aetius & Actuar. quatuor constituunt horum differentias, quarum primam vocant orobeam vel eruinam, eo, quod imite-

imitetur grana orobi vel erui: aliam crimnoidem vel similaceam, quod æmuletur illam farinæ partem mediam, quam similā vocant: In reliquis duabus sedimentis, surfuraceo, & squamoso conueniūt cum Hipp. & Galen.

Ceterum si diligenter considerantur Hippoc. & Gal. verba, poterunt hi scriptores inuicem cōciliari.

Sedimentum enim, quod crassiorem æmulatur farinam & vnicum proponitur ab Hipp. & Galen. potest subdiuidi, quia in illo aliquę sūt partes crassiores, rubicundiores, quasi grana erui vel orobi: aliæ sunt partes minus duræ & crassæ, quæ æmulantur similam. Qua ratione Aetius & alij duo constituerunt diuersa sedimenta. De horum caussis erit sermo suo loco.

Est quoq; aliud sedimentum præter hæc, ex succo crudo quidem, sed alieno humori permistum productum. B Fit enim quandoque, vt ipsi succo crudo vel sanguis, vel aliqua ex bilis seu flauæ seu nigræ speciebus misceatur, vt propterea varios suscipiat colores. Ex quo etiam fit, vt calculi, qui ex tali producuntur materia, varij sint quandoque coloris, quæ omnia luculenter notauit Galen. *com.* 1. *in 6. epid. text. 6.* dum interpretatur Hippocr. locum.

Contenta, quæ nō hærent fundo, aut sunt in media vrinæ substantia, vel in superficie.

Et quæ sunt in media substantia, ipsa quoque vel sunt propria vel impropria.

Contenta propria. Propria voco, ἐνόρασιν, ἐναιώρημα & nebulam.

Impropria vero, quæ vrinis permiscentur, pilos scilicet atque corpuscula quædam atoma.

Propria igitur contenta præter naturam sunt, quando præter vitium substantiæ, figuræ, læuitatis & æqualitatis alienos quoque susceperunt colores, C vt fiant liuida, nigra, virida, flaua vel alterius coloris. ¶ Horum omnium materia potest esse duplex: *Contentorum propriorum materia.* ***aut succus crudus, sed alijs humoribus permistus, aut simplex etiam humor nulli crudo succo permistus.*** Sic fieri potest, vt hæc contenta habeant pro materia bilem siue in ventriculo, siue in iecore & venis genitam, melancholicū sanguinem, siue probe, siue semicoctum, ichores; & hæc omnia vel putrida, vel imputrida, vel vsta vel non vsta, vel naturalia vel excrementitia. De quibus omnibus fusius dicetur in tractatu de caussis & præsagio, nūc enim de caussis obiter dictum est.

De contentis in vrinarum superficie exsistentibus: & de contentorum præternaturalium differentijs a substantia desumptis, & de earum caussis. Caput XI.

QVod spectat ad contenta in superficie, hæc a scriptoribus quatuor præcipue enumerantur: Corona, bullæ, spuma, pinguedo.

Ego vero pinguedinem adhuc subdiuido in eā, quæ instar olei fusa apparet; & in eam quę exustionem est passa & proinde exsiccata, concreta in modum furfurum supernatat, id quod experientia a me est obseruatum.

Corona. ***Corona nihil aliud est, quam circulus ille circumferentiæ vasi vrinario inhærens, bullis quibusdam*** A ***seu vesiculis plenus, qui quandoque integer, aliquando semicirculus est.***

Bullæ. ***Bullæ sunt quasi minuta quædam puncta seu vesiculæ in superficie vrinæ apparentes non dissimili ratione ab illa, quæ in aqua apparere solet potissimum ebulliente.***

Harum omnium differentiarum caussæ iam ex professo erunt recensendæ, initio sumto ab vrinis, deinde descendendo ad contenta.

Et quia in vrinis notauimus substantiam, colorem, odorem, sonum, &c. incipiemus primum a substantia.

Differentiæ ipsius substantiæ. Quatuor autem eius inueniūtur differentię, duæ quidem crassarum, ac totidem tenuium.

Sub crassis autem alias quoque repono, turbidas scilicet, sicuti sub tenuibus perspicuas: nō quod existimem, id, quod docuit *Valesius 3. controuers. 24.* veritatem continere, crassas scil. vrinas esse easdem cum turbidis, & tenues easdem cum perspicuis. Falsa enim est hæc sententia, vt & ratio & Galeni auctoritas demonstrat, quanquam hic auctor existimet, hanc esse Galeni genuinam sententiam.

Ratione probatur esse falsam, quia crassa vrina, quæ non sit turbida, est diaphana, lumen externum admittit, & oculorum acies per ipsam penetrare potest: turbida vero opposito modo se habet.

Tenuis pariter quandoque est sine vllo nitore, & splendore: perspicua vero cum multum luminis recipiat, splendida & nitida est, vt propterea ex albis vrinis aliquæ constituantur aqueæ, quæ non sunt pellucidæ: aliæ vero corneæ vel crystallinæ, quæ vere perspicuæ ac pellucidę sunt.

Sed quia dixi distinctionem hanc Galeno, imo Hippocrati esse cognitam, cuius oppositum sentit Valesius, videantur hæc loca, duo sunt præcipua: vnus in aphorismis, alter in Epidemijs, *sect. 4. aph. 69. & 70.* est sermo de ipsis duab. vrinis, *in aph. 69.* de crassis, *in 70.* de turbidis: Et propterea *in 69.* Hipp. vocat istas vrinas crassas & grumosas: Galenus vero recte grumosas interpretatur propter substantiæ inæqualitatem. Nam vbi grumi adsunt, pars vrinæ ratione grumi est crassa: alia pars inter grumum & grumum non est crassa: talis autem admitti lumen externum, potest esse peruia.

Sed turbatæ, quarum meminit *in 70. aph.* sunt quales iumentorum. Sic scribit Hippocr. *Quibus vrinæ perturbatæ, quales sunt iumentorum, ijs dolor capitis vel adest, vel aderit.* D Istæ sunt omnino imperuiæ, quia habent ęqualem crassitiem secundum omnes partes.

Alter locus in epidemijs est, ***comment. primo in tertio Epid. text. quinto***, est sermo de vrinis crassis, quales apparuerunt in casu Hermocratis, quę non subsidebant: inquit Galen. ***in comment.*** clarum esse has vrinas crassas, quæ non subsidebant, esse ex genere scilicet illarum, quæ turbatæ sunt vel turbidæ.

Si igitur inquit Gale. crassas non subsidentes esse ex genere turbatarum. Ergo turbatæ & crassæ non sunt vna species, sed sunt species variæ sub vno genere. Idem videre est apud Hipp. *com. 3. in 3 epid. text. 73. circa fin.* inquit reddidit vrinam crassam

illam quidem, ceterum turbatam: Ergo crassa & turbata non sunt eædem.

Hoc autem clarius apparebit nunc, cum caussæ recensentur. Nam aliæ sunt caussæ crassarum, aliæ turbidarum.

Crassæ igitur vrinæ habent caussas mediatas & immediatas.

Caussæ immediatæ vrinæ crassitiei. Immediatæ caussæ sunt duorum generum: quędam sunt caussæ crassitiei, vt crassæ sunt: quædam vero luciditatis seu transparentię in hac crassitie ad differentiam turbidarum.

Crassities igitur prouenit ex mixtione crassæ alicuius substantiæ simul cum vrina, quæ permistio crassæ substantiæ potest esse aut crudi succi, aut cuiusuis pituitæ, siue dulcis, siue vitreæ, aut muscosæ, vel alterius speciei.

Hæ autem materiæ aut miscentur vrinæ posteaquam iam est elaborata, aut dum elaboratur, vel ante omnem elaborationem.

Si misceantur vrinæ post illius confectionem & elaborationem, cum primum vrina est reddita, crassities subsidet. Idcirco siue lotium ipsum recipiat hanc materiam ex vesica & renibus, siue etiam ex capite & pulmonibus expurgantibus seipsos per renes & vesicam, hæc crassities post redditam vrinam remittitur: nam quod graue est subsidet.

Qua in parte non possum Fernelij sententiam accipere, qui *Patholog lib.3. de vrinis cap. 16.* profitetur, *vrinam, cui pituita permisceatur, non aliunde illam recipere, quam ex vesica:* Cum *aphorismus ille Hippocratis paulo ante citatus sexagesimus nonus. sect.4.* oppositum ostendat, dum scribit: *Quibus vrinæ crassæ, grumosæ, paucæ sunt non sine febri, iuuant, si ab ijs tenues & copiosæ prodierint: maxime vero tales exeunt, quibus ab initio, aut breui post sedimentum inest*, inquit Gale. *in comment. tales vrinas crassas fieri & in febribus & sine febribus expurgante natura totum corpus ab humoribus crassis per has vias.*

Quod si permisceantur crassa cum vrina in ipso tempore concoctionis, concoctio aut est in principio, aut in medio, aut fine. Si in principio, vrinæ redduntur crassæ, quæ non facile clarescũt: si in medio clarescunt quidem, sed longo temporis spacio: si in fine, statim fere redditæ clarescunt.

Denique si permisceatur pituita ipsi sero ante vllam concoctionem, & ante elaborationem seri, neque vlla subsequatur concoctio, in eo etiam casu statim clarescunt, subsidet ille crassus succus.

Cum itaque crassę vrinę in hoc a turbulentis distinguantur, quod crassæ sint peruiæ, turbulẽtæ nequaquam: Idcirco explicata iam immediata crassitiei caussa, explicanda quoque caussa est claritatis in crassa, & opacitatis in turbida.

Caussa immediata claritatis in vrina crassa & opacitatis in turbida. Immediatam hanc caussam tetigit *Aristot. sect. 23. problem. 8. Quærens enim caussam, propter quã aqua maris sit lucidior, quam potabilis, cum tamen marina sit crassioris substantiæ? duplicem proponit caussam, vnam quidem commissionem arenosæ substantiæ simul cum aqua fluuiali propter aquæ paucitatem: secunda & verior est meatuum seu pororum rectitudo.* Nam vbi crassa substantia habet poros secundum rectitudinem constitutos, liquor ille, quanquam crassus, est lucidus: vbi autem pori obliqui sunt constituti, illud corpus est opacum.

Ratio est in promtu: nam vbi pori sunt obliqui, crassities est æqualis per totam materiam: vbi sunt recti, est inæqualis: nam pars habet materiam crassam, pars vero est sine hac materia. Propterea, vt dictum in præcedentibus fuit sententia *Hipp. sect. 4. aph 69.* crassæ vrinę ad differentiam turbatarum grumosæ dicuntur, quia inæqualitatem habent ad differentiam turbidarum.

Quæstio. Quod si quis quęrat causam, propter quam pororum rectitudo aut seruetur, aut non seruetur? ea non est alia, quam permistio flatuosi vel calidi spiritus cum ipsa vrinę crassitie. Vbi enim permiscetur hic spiritus, crassam materiam attenuat & illã æqualiter per omnes vrinę partes distribuit, vt nulla sit pororum rectitudo, per quos acies oculi possit transire.

Caussa mediata crassitiei. Mediatæ autem caussę crassitiei vrinæ sunt vel naturales, vel non naturales, aut præter naturam.

Naturales. Caussę naturales sunt *temperata frigida humida*, non tamen in summo: nam exquisite frigida tenuẽ reddit vrinam, minime autem crassam.

Aetas puerilis, propterea dicebat Hip. *com. 3. in 6. de morb. vulg. tex. 15. Post mictũ concretio pueris magis: eo, quod*, vt dicit Gal. *in com. pueri crassas min gũt vrinas*, qui propterea calculis facile subijciũtur.

Vrinæ vterogerentium. *Sexus quoque muliebris*, dummodo in vtero nõ gerãt: *vtero enim gerentes tenuiores reddunt vrinas*, eo quod vtero existente aperto, semper crassa aliqua materia ex eo ipsi vrinæ misceatur. Et (vt obiter hoc dicã) *hæc vnica est ratio, quanquã dubia & incerta, ex qua possunt Medici arguere mulierem vtero gerere.* In naturales caussas est quoq; *amplitudo viarum & breuitas colli vesicæ.* Quam ob caussã scribit Alex. quisquis ille fuerit *sect. 2. probl. 51.* mulieres calculis minus, quam viros, esse obnoxias, quod propter ceruicis vesicę breuitatem crassam facile expurgent materiam.

Ætas senilis quoque has ipsas vrinas crassas gignere solet.

Caussæ non naturales. Ex caussis nõ naturalib. est primus tempus anni, *constitutio & regio frigida & humida, australis & pluuiosa, intermissio exercitij, vsus veneris frequens, vsus ciborum crassi succi*, vt sunt placẽtulę, lac, & caseus, pisces crustati, & testacei, tubera, legumina, quę eo sũt deteriora quo in maiore accipiũtur quãtitate. Ad hanc quoq; classem caussarũ pertinẽt *alij omnes errores in tempore assumendi cibi, ordine & præparatione;* in tẽpore somni atq; eiusdẽ longitudine, curę quinetiam, timores diuturni ac mœrores. Prę ceteris aũt omnib. consuetorum alui & sudorũ excrementorum suppressio crassas reddit vrinas.

Caussæ præter naturã. Ex caussis præter naturam est primo *omnis morbus ventriculi & iecoris frigidus & humidus*, dum modo, vt ante dixi, non sit in summo, tunc enim tenues redduntur vrinæ.

Intemperies etiam frigida & humida cerebri ac totius corporis, renibus potissimum calidioribus existentibus crassas reddit vrinas, præcipue vero, si adsit Gonorrhœa.

Quandoq; etiam ex *intemperie calida vniuersi corporis* tales redduntur, colliquatis humoribus.

Hæ sunt

Caussæ vrinarum tenuium non lucidarum. Hæ sunt caussæ omnes crassarum vrinarum, siue turbidæ sint siue non turbidæ.

Quod pertinet ad tenues, cum istæ quoque sint lucidæ & non lucidæ, tenues non lucidæ fiunt tales ex defectu materiæ crassæ, cum vrinæ substantia clara sit.

Sed quæ lucidæ sunt, aliquid plus habent ignei caloris ipsammet vrinæ substantiam subtilem ac claram reddentis: vt propterea lumen externũ minimas etiam partes penetrare possit.

Hæc vero triplex est: quædam tenuis reddita & talis permanens, alia vero, quæ postquam est reddita, turbatur: prima non modo est impermista a quacunque substantia crassa, sed neque experta est vim alicuius flatus, vaporis vel caloris.

Secũda autem habet permistionem alicuius vaporis, qui densatus sub aere frigido, est in caussa, vt tenuis vrina euadat crassa. Et quia euadit talis sub aere frigido ratione huius vaporis permisti, hinc sequitur, non esse Aristotel. sententiam falsam, qui *lib. 4. meteor. cap. 3. paulo post prin.* scribit: *Aquam & aquæ species, vt serum a sero, non crassescere.* Loquitur enim de sero absq; vllius vaporis admistione. Cum autem, quæ tenues redditæ crassescunt, id sortiantur duplici modo, aut statim redditæ aut aliquo interiecto temporis spacio: primæ ostendũt maximam vaporum cum vrinæ substantia permistionem: secunda autem minorem.

Habent istæ quoque suas caussas mediatas naturales, non naturales & præter naturam.

Caussa naturales. Quod ad naturales, fiunt istæ aut in tẽperamentis extremæ frigidis, aut calidissimis & igneis, in ætate iuuenili, sexu virili cum vasorum angusta.

Non naturales. Ex caussis non naturalibus sequũtur tempus anni, constitutionem & regionem calidam & siccam: aliquando tamẽ fiunt etiam in aere frigido expressis propter cutis constipationem serosis venarum humoribus.

Fiunt quoque tales in vita exercitata, vigilijs, pauco cibo atque eo quidem tenui substantia prædito, potissimum autem si ichorosus fuerit, vt sunt olera fructusque fugaces. Potus quin etiam copiosus idipsum efficere solet.

Præter naturales. Ex caussis præter naturam vnius tantum meminit Galenus, *cruditatis* scilicet, nam & *lib. 1. de cris. 12. & vbique locorum*, vbi de tenuibus loquitur vrinis, semper, inquit, has esse sobolem cruditatis. Auicennas Fen. 2. *li. 1. doct. 3 summa 2. ca. 3 in princ.* inquit, *fieri tenues vrinas & ex cruditate & ex obstructione*, quod scil. occlusis vasis crassa vrinę substantia permeare non possit.

Valesius tamen lib. 3. controuers. 24. nititur probare nũquam fieri posse vrinam tenuem ex obstructione: Sed quia illius sententia in bonum potest sensum redigi, non proponam, illius rationes, nec contra illum disputabo, sed rei veritatem proponam.

Vrina tenuis duplex intellectus. Vrina tenuis potest dupliciter intelligi vel ratione propriæ substantiæ, vel ratione impermistionis alienæ substantiæ crassæ cum ipsa.

Contingit igitur quandoque, vt vrina sit tenuis vtroque modo, quandoque vero vnico tantum.

Est tenuis vtroque modo, quando adest exquisita cruditas in ventriculo, iecore & venis omnibus siue adsit obstructio, siue non adsit.

Quod si contingit, ventriculi facultatem non esse imbecillam, adsint tamen obstructiones iecoris vel renum, vrina erit tenuis vno tãtum modo: nam ratione proprię substantię potest habere mediocritatem, concoctionem aliquam: sed propter obstructiones non admittet permistionem alienæ substãtiæ, & in hoc tantum sensu dicetur tenuis.

Quod autem dico de obstructione, idem intelligendum est de omni alio viarum impedimento, siue sit scirrhus, siue inflammatio, potissimum incipiens, siue calculus in renibus.

De caussis diuersorum colorum in vrinis. *Caput. XII.*

Post caussas diuersitatis substantiæ vrinarum, dicendum quoque est de caussis diuersitatis colorum in vrinis ab albis incipiendo.

Cum vero color albus sit triplex, lacteus scilicet crystallinus, & aqueus; Lacteus semper *ex commistione fit alienæ substantiæ*, siue sit ex pituita, siue ex pure, siue seminali materia. *Caussæ vrinarum.*

Crystallinus, qui est albus lucidus, quanquã sequi possit cruditatem, *sequitur* tamen *& defectum bilis tum præsentia caliditatis.* Etenim, vbi materia biliosa vrinæ non permiscetur, calor autem egit in serosam vrinæ materiam, in albo splendor & luciditas inducitur. *Crystallina.*

Idcirco albus color aqueus veræ cruditatis soboles est, vt qui *& defectum bilis & caloris* ostendit. *Aquea.*

Post album calorem sequuntur illi, qui subflauis continentur. *Caussæ vrinæ flauæ.*

Fiunt vero isti omnes *ex admistione alienæ substantiæ*, fitque hæc admistio, vel ex caussa naturali, vel ex non naturali, aut ex præternaturali.

Ex caussa naturali, quia in omni vrina naturaliter constituta aliqua bilis portio permiscetur, quæ illam vel pallidam, vel ruffam, vel subruffam reddat, auctore Gal. *lib. 1. de cris. cap. 12.* *Naturalis.*

Ex caussa non naturali fit etiam commistio alienæ substantiæ, siue quis rhabarbarum aut cassiam, aut crocum acceperit, siue etiam diureticis sit vsus calidioribus, aut corporis violenta motione, vel diu ieiunium tulerit. *Non naturalis.*

Nam, vt dicebat Gale. *loc. cit.* ex calore omnia pinguia in amaram conuertuntur bilem, & amara, qualis est ipsa bilis, ex vlteriore coctione colorem quoque accipiunt magis intensum. Ex caussa præter naturam vrinæ quoque flauæ vel subflauæ redduntur, expurgante iecore & venis siue critice siue symptomatice biliosos succos in febribus, siue cũ, siue citra inflammationem genitos. *Præternaturalis.*

Rubicundus ipse quoque aliquando fit ex caussa non naturali ex potione vini nigri, in quibusdam, qui diabete laborant: fit magna ex parte ex permistione aut sanguinis, aut ichoris sanguinis cum vrina. *Caussæ rubicundarum.*

Permiscetur vero sãguis cum vrina & ex caussis

non naturalibus, & ex præternaturalibus. Ex caussis non naturalibus, vt vehementi corporis agitatione vel pulsu, vel lucta, vel equitatione, vel nimio coitu, aut vsu acrium, aromatum, salitorum.

Caussæ vero præter naturam sunt ruptura, exulceratio, siue superficialis excoriatio, *διαβρωσις*, quę omnia habent proprias caussas.

Viridis. Viridis color fit vel ex permistione bilis prasinæ seu æruginosæ, quæ fit ex calore exurente, vel sequitur colliquationem eo modo, quo fuit explicatum, quando de vrinis oleosis agebatur.

Liuida & nigra. Liuidus & niger color habent easdem caussas, differentes tantum secundum magis & minus.

Harum caussarum dicebat Galen. *lib.* 1. *de cris. cap.* 12. esse tres: admistionem scil. humoris melancholici, refrigerationem, & caliditatem insignem. Nam dicebat Gale. *sicuti extrinsecus videmus humana corpora ex calore solis & ex intensa refrigeratione nigrescere, ita*, inquit, *& vrina*.

Ceterum hæc sententia, nisi sano modo intelligatur, falsa est.

Quod vrina ratione propria substantia neque a calido, neque a frigido possit nigrescere. Vrina ratione propriæ substantiæ neque a calido, neque a frigido, potest nigrescere.

Non a calido, quia quæ nigrescunt a calido, vt docuit *Aristot. lib.* 4. *Meteor.* & confirmauit Gale. *lib.* 8. *de meth. med. cap.* 5. debent esse exhalabilia, propterea aut sicca, ex quibus exhalat fumus, aut pinguia, ex quibus fuligo: aut vnctuosa, ex quibus nidor. Vrina non est corpus exhalabile, sed euaporabile. Dicebat enim *Aristot. eod. lib.* 4. *Meteor.* aquam & aquæ species, inter quas est serum, esse euaporabilia: itaque a caliditate non potest nigrescere.

Sed neque a frigiditate: nam vaporabilia a frigiditate condensata albescũt, vt apparet in glacie, niue & ceteris.

Igitur oportet vnicam esse nigredinis vrinarum caussam, permistionem scil. humoris nigri, qui tamen tripliciter fieri potest: aut scilicet naturaliter, in quo casu vrinæ fiunt nigræ absque vllo vitæ periculo, absque febribus, quod ego pluries experiẽtia obseruaui.

Aliquando præter naturã, & hoc tripliciter, aut natura expurgante in morbis nigrum humorem, siue critice, siue symptomatice; aut exurẽte portionem illius bilis, quę miscetur cum vrina, & conuertendo illam in succum melancholicum: aut denique extinguẽdo spiritus & calorem sanguinis, quo extincto, sanguis ipse non minus in venis, quam extra venas nigrescit, qui deinde permistus vrinę reddit illas liuidas aut nigras, sicque omnis vrina nigra fit ex admistione nigræ substantiæ, sed ex triplici caussa.

De caussis vrinarum copiæ, paucitatis, odoris, caliditatis, frigiditatis, soni, clari & obtusi. Caput XIII.

Caussa naturalis vrina copiosa. HÆc de coloribus. Quod pertinet ad copiam caussa, cur vrinæ reddantur copiosæ, potest esse naturalis, non naturalis & præter naturam.

Naturalis est temperies iecoris & renum calidior ac vasorum amplitudo.

A Non naturalis est potus copiosus, præcipue vero vini aut aquæ, quæ sint tenuioris substantiæ, vsus diureticorum, olerum, fructuum, sudoris suppressio alicui excrementorum retentio, aeris frigiditas, quæ cutim constipat, ac corporis quies atque otiũ. *Non naturales.*

Caussæ præter naturam sunt iecoris & renum intemperies calida vel simplex, vel cum materia acri & salsa, vt contingit in diabete: aut seri colliquatio, vt contingit in febribus: aut etiam externa caliditas capiti superueniens, quæ cerebri humiditates colliquat, ex qua plures fieri vrinas docuit *Hipp. lib.* 2. *de morb.* *Præternaturales.*

Paucæ vrinæ ex oppositis fiunt causis, renum & iecoris frigida intemperie, vasorum angustia, aluo admodum fluida, sudoribus copiosis, aere calido, vita exercitata, potione pauca & adstringenti, obB structione, inflammatione, abscessu, calculo, pure, carne adnata, grumo sanguinis & reliquis id genus vias vrinæ impedientibus. Nimia quoque corporis exercitatio per febres ardentes aut hecticas solet vrinæ paucitatem efficere. *Caussæ vrinæ paucæ.*

Odor vrinæ nullus fere naturaliter esse solet.

Si fœtidus euadat, id potest fieri ex caussis non naturalibus & præter naturam.

Ex caussa non naturali, vt corruptione ciborum in ventriculo, ex quacunque tandem fiat caussa, ex vsu asparagorum, atque ex diutina vrinæ in vesica retentione. *Caussa vrinæ fœtentis.*

Caussæ vero præter naturam sunt admistio cuiuscunque humoris putrefacti, siue ex disrupto abscessu, siue ex humoribus per febres ipsas putrescentibus.

C Odoratæ aliquando redduntur ex vsu fœniculi & terebinthinæ, siue ex larice, siue alia arbore. *Odoratæ.*

Calidæ aliquando redduntur vrinæ vltra naturalem modũ, vt ex ingenti calore vasa vitrea scindantur, quod ego experientia vidi: & hæc fiunt ex ingenti febrili calore: aliæ vero sunt vel tepidæ, vel frigidæ: & tepidæ quidem si cætera mitem ostendant morbum, fiunt ex defectu caloris præter naturam: si vero pernitiosum, tepidæ & frigidæ ostẽdunt exstinctionem caloris innati. *Calidæ.*

Denique quod pertinet ad sonum, quæ dũ minguntur, clarum edunt sonum, indicant abundantiam caloris innati, facultatemque validam expellentem. Clarus fit sonus ex forti collisione vrinæ cũ matula. Quæ vero obscurum habent sonum, indicant aut caloris & spiritus defectum, aut ipsiusmet D substantiæ vrinæ oleositatem & crassitiem. Quæ omnia quid boni vel mali significare possint, dicetur suo loco. *Sonantis.*

De caussis farinæ crassioris in vrina, item furfurum, squamularum, arenarum, lapillorum, puris, saniei, sanguinis & carunculcarum. Caput XIV.

VErsabimur iam in caussis cõtentorum, ijs scilicet, quæ hactenus non fuerunt declaratæ, & eorum etiam, quæ quouis modo vrinæ permiscentur. Cum igitur in fundo resideat crassum sedimentum materia similis farinæ crassiori, furfures, squamulæ, arenæ, lapilli, pus, sanies, sanguis & carunculæ

runculæ: hæc omnia suas habent causas. Et sedimentum quidem crassum, vt hactenus quidem est dictum, habet pro materia succum crudum, qui fit vel ex imbecillitate alteratricis ventriculi & venarum, vel ex proprietate ciborum crassi succi, vel ex copioso alimento.

[illegible] sedi- [illegible] crassi.

Farinacei.

De sedimento, quod crassiorem æmulatur farinam, habetque portiones granis erui aut orobi similia, maxima est apud me difficultas. Scio equidem Gal. *com.* 2. *in lib. prog. text.* 28. voluisse talia fieri sedimenta ex calore colliquante, sed vario modo agente in substantiam, quæ colliquatur.

Cum enim substantia, quæ colliquatur, sit pinguedo & caro, & tam pinguedo, quam caro possit esse vel recens & mollis, vel vetusta & indurata, inquit Galen. fieri sedimenta, quæ crassiorem imitantur farinam, quando vtraque hæc pinguedo, B vtraque hæc caro colliquatur & perurituṙ: nã mollior transit in ichorem, durior exsiccatur, ita, vt æmuletur grana orobi, quemadmodum etiam in sartagine mollior pinguedo, & caro dissoluitur, durior exsiccatur.

Ceterum, vtrum viuẽte corpore possint hæc fieri necne, disputabitur in proprio tractatu de præsagio. Præterquam quod ipsemet Gal. *lib.* 3. *de caus. sympt. cap.* 2. *in fi.* non videtur sibi constare dum de carnis colliquatione verba faciens inquit, illam potius ad aluum, quã ad vrinæ vias tendere, posteaquam illius crassities non permittit, vt per renes transeat. Idcirco *com.* 3. *in lib.* 3. *de morb. vulg. text.* 74. profitetur quidem se plerunque pingues vidisse vrinas, colliquationem autem carnis inquit apparere in excrementis alui, perspicue in febribus C pestilentibus, non autem in vrinis: sed de hoc suo loco iterum disputabitur.

Furfuracei.

Sedimenta *furfurea* fiunt ex epidermide sublata a membranis aut vesicæ, aut venarum & arteriarum, siue patiantur scabiem vel psoram, siue ingentem vstionem & exsiccationem.

Squamularum.

Squamulæ vero pariter portiones sunt membranarum aut vesicæ, aut venarum & arteriarum, sed profundiores. Idcirco non scabiem modo, sed vlcus significare possunt. Idipsum facit pus & carũcula, siue ex renibus, siue ex alia parte prodeat, vtramque enim vlcus significat.

Sanguinis.

Sanguis vero ex vlcere, ex diapedesi atque anastomosi vel pudendi, vel colli vesicę, vel ipsius vesicæ, aut renum, aut aliarum partium excerni potest. D

Seminis.

Semen habet pro caussa illas partes, quæ alias a nobis prolatæ sunt: vbi de gonorrhœa fuit sermo, imbecillitatem scilicet retentricis, aut irritamẽtum expultricis a quacunque tandem caussa.

Arenularũ & calculi.

De arenulis & calculis illud in præsentia dixisse sit satis, habere vtrumque pro materia crassam pituitam: pro caussa effectrice vel calorem exsiccantem, vel collisionem, vel compressionem corporis supra corpus, materiæ supra materiam.

A

Quid æqualitas & inæqualitas contentorum in vrinis denotet: Quid bullæ sint, spuma & corona seu circulus: quæ tum harum, tum pilorum in vrinis & pinguedinis caussæ. Cap. XV.

Quod vero pertinet ad contenta in medio, hypostasin scilicet enæorema & nubeculam, pilos & atoma, hæc paucis nunc sunt expedienda.

De caussis enim sedimenti suspensi & nebulæ satis superque antea dictum fuit: illud tantum in præsentia addidisse sufficiat, quod ad æqualitatem & inæqualitatem pertinet, videtur, æqualitatem firmam ac stabilem indicare affectionem: inæqualitatem vero incertam ac variam: atque ideo, si æqualitas sit cõtenti naturalis, optimum est signum: si in contento præter naturam deterius est signum, quam ipsa inæqualitas.

Quid pili, quæ eorum materia, & locus generationis.

Quod ad pilos pertinet, *Hippoc. sect.* 4. *aph.* 76. videtur voluisse pilorum caussam, ad renes esse referendam. Galen. *lib.* 6. *de loc. aff. cap.* 3. materiam pilorum inquit esse crassam & viscidam: locũ autem in quo generantur, esse venas: motus est Gale. ad hoc credendum ex pilorum longitudine, qui aliquando videntur sesquipedales: mihi tamẽ probabilius videtur, longitudinem fieri in vasis vreteribus, exsiccata potissimum materia in renibus, nõ tamen in formam arenularum, sed ita, vt dum descendit a renibus in vesicam, protrahatur & extendatur eodem modo, quo faciunt artifices vitrorũ, dum materiam vitri viscidam in filamenta extendunt subtilissima, aut atoma, aut corpora, quæ per vrinam volitant: præcipue vero in ima parte, sunt reliquiæ humorum putrescẽtium, quæ in venis relictæ quotidie magis exsiccantur: Idcirco vbi materia fuerit calida, rubicũdiora & flauiora sunt hęc corpora, & per totam vrinæ substantiam dispersa: vbi vero frigidior, obsidẽt locum hypostasis, suntque minus colorata.

In superficie est pinguedo, spuma, bullæ, corona seu circulus.

Pinguedo.

Pinguedo semper fit ex adipe, siue circa renes, siue circa alias partes colliquato. Et si quidẽ adeps fuerit colliquatus ex renibus, multa apparet & cõfertim emittitur pinguedo: vbi ex alijs partibus, neque multa est, sed in guttas distincta, propterea paulatim emissa.

Spuma & Bulla.

Spuma & bullæ vnam & eandem habent caussam: Etenim bullæ sunt quasi multæ vesiculæ distinctæ: spuma est aggregatum ex multis vesicis sibi inuicem cohærentibus.

Materia vtriusque est crassa & viscida, magna ex parte pituitosa: aliquando tamen est humiditas substantifica partium corporis solidarum, quę colliquata & pituitæ cõmista potest esse materia spumæ: Hæc veritas colligi potest ex Hipp. *sect.* 2. *aph.* 43. quando scribit: *Ex his, qui strangulantur & submerguntur, nondum autem mortui sunt, non reualescunt, quibus spuma circa os fuerit.*

Si spuma ex sola fieret pituita, nulla est ratio, quamobrem in apoplecticis, qui iam motum & sensum amiserunt, spuma apparente deplorata sit salus.

salus. Sed quia, dum sublata est respiratio, calor cordis suffocatus agit in materiã pulmonum substantificam: illam colliquat & ad os impellit, hinc fit spumam illam exitiale signum haberi.

Mercurialis opinio de spuma falsa

Itaque potest spumæ materia, quæ in vrinis apparet, habere pinguedinem admixtam, imo vero & alios humores, ita, vt hac in parte deceptus sit doctissimus Mercurialis, qui putauit omnem spumam esse albam, cum lõge aliter rem ipsam vnusquisque experiri possit in spuma ictericorum, siue in sanguine, siue in vrinis appareat.

Caussa spumæ efficiens

Caussa vero efficiens est immediata & mediata. Immediata vnica est, flatus scil. vel vapor crassus crassæ materiæ commistus, qui exitum sibi parat, non tamen erumpit.

Mediatæ vero caussæ tres sunt: calor, motus, & vtrumque simul.

Calor fundit materiam ac vapores generat, sicuti in lebete feruente.

Motus materiam agitat, rarefacit, vt præbeat spiritui ingressum, sicuti in mari a flatibus agitato.

Calor & motus simul agũt in spuma circa equorum os excitata, cum in cursum concitantur.

Addidit Mercurialis frigiditatem. Ceterum frigiditas potest quidem esse caussa conseruandi diu spumam, illam vero generare non potest.

Corona.

Denique corona seu circulus ille, qui ambit totã vrinæ superficiem circa peripheriam seu circumferentiam: ita tamen, vt bullæ quædam paruæ excitatæ ad differentiam spumæ & aliarum bullarum sint potius sub superficie, quam supra vrinæ superficiem.

Coronæ caussa. Opinio Montani.

De caussa huius coronæ magna est altercatio. *Montanus in suo de vrinis* arbitratus est materiã huius coronæ esse humiditatem substantificam ex membris colliquatam vapore, aut flatu repletam: eo, quod magna ex parte hic circulus in hecticis febribus apparere soleat: sed quia talis circulus fit quoque in corporibus pituitosis minime extenuatis per tempus autumni aut hyemis, hæc Montani opinio locum non habet.

Argenterij.

Argenterius pariter *in suo de vrinis* caussam retulit in humorem melancholicum, qui tamen etiãsi durus vel siccus, attamẽ non est viscidus, vt ad bullulas generandas videatur idoneus.

Authoris.

Idcirco mihi probabilius videtur affirmare, *coronam hanc ex mistis ad inuicem melancholia ac pituita fieri, quam ex sola melancholia.* Nam vbi sola sit pituita flatu vel vapore repleta, faciet spumam potius aut bullas: vbi sit sola melancholia, petet fundum. Vbi vero pituitæ viscidæ & flatu repletæ aliqua succi melancholici portio misceatur, ista neque erit supra superficiem, neque imum petet, sed locum iam propositum, qui coronæ datus est, occupatus.

De vrinarum vsu & præsagijs, ac primum quæ potissimum ea sint, quæ ex vrinarum differentijs possint demonstrari: Quæq; vrinæ intemperiem calidam communem & consequenter febrem ostendant.

Caput XVI.

Vrinarũ vsus duplex.

QVæcunque de vrinarum natura, differentijs & caussis hactenus dicta sunt, omnia tandẽ A in vsum aliquem medicum dirigũtur.

Duplicem autem præstant vrinæ vsum, vel vt caussæ sanitatis, vel vt signa.

Quanquam enim non ignorem, multiplicem esse vrinarum vsum in superandis humani corporis a malis, intrinsecus quidem pro dispnœa, obstructionibus varijs: extrinsecus pro alopecia alijsque cutaneis affectionibus: De quibus meminit Gale. *potissimum lib. 10. de simpl. med. facul. cap. propr.* hæc tamen omnia silẽtio obuoluemus, versabimurque in vrinis tanquam signis, non caussis.

Docebo autem tria potissimum hac in parte: Primo quidem, quę sint ea, quæ nobis ab vrinarum differentijs indicari possunt: Secundo, per quas vrinas singula indicentur: Tertio, quis sit modus & ratio certum ferẽdi iudicium ex vrinis circa omnia B indicata.

Quod igitur ad primum pertinet, quanquam vrinæ, vtpote quæ & generantur & immutantur a caussis naturalibus & non naturalibus, possunt cõsequenter nobis manifestare attinentia ad res naturales & non naturales, nihilominus in his non versabimur, sed tantum indicium quatenus rerum præter naturam: his enim cognitis, non est difficile consequi qualis sit status rerum naturalium & non naturalium.

Res præter naturam quas vrina ostendunt.

Quod igitur ad res pręter naturam, vrinę ostendunt, & præsentia & futura.

Cum autem ex præsentibus sint morbi, morborum caussæ & symptomata: atque in morbis ipsis sint non modo genus & subiectum, quæ pertinent ad ideam, sed & magnitudo & motus, & mos, ex C vrinis hæc omnia dignosci possunt, neq; solum dignosci possunt in genere, sed & in specie.

Demonstrant enim vrinæ morbos omnes in intemperie & cum & sine materia, morbos in mala compositione, atque in soluta vnitate.

Ostendunt quoque varia symptomatum genera & ad actiones læsas, & ad qualitates mutatas, & excrementa spectantia, quæ omnia sigillatim spero me ostensurum.

Ex futuris prænuntiant salutem aut mortem, tempus salutis aut mortis, ac denique modum ipsum.

Cum igitur profiteamur hæc omnia ex vrinis cognosci posse, reliquum est, vt sigillatim hoc demonstremus, primo in morbis in intemperie absq; materia, deinde in alijs omnibus sigillatim & or- D dinate.

Quæ vrinæ morbos in temperie absque materia significent.

Principio igitur calida intemperies absque materia vel est communis, qualis est febris: vel est determinata, & hæc quandoque est cum febre, quandoque sine febre.

Determinata vocatur, quæ ortum ducit ex cerebro, pulmonibus, pleura, aliaue simili parte, siue cum inflammatione, siue citra eam.

Intemperiem calidam communem ostendunt vrinæ coloris ruffi & sub ruffi, crocei, rubei & subrubei, viridis, atque etiam quidam atri, qui fiunt exustione: præterea colliquatio in superficie natans, vrina omnis oleosa, sedimenta atomosa, furfuracea, squamosa: insuper calor insignis vrinæ nuper emissæ: aliquando etiam paucitas, quandoque nimia

mia copia: denique acrimonia inter excūdum. Hęc omnia igneam significant caliditatem per vniuersum corpus distributam, idcirco sunt signa omnium febrium, quatenus sunt intemperies calida & sicca, nō quatenus fiunt ex hoc vel illo humore.

Quæ febres. Est tamen aliquod inter hæc discrimen. Nam ephemeræ febres ex vrinis tantum cognoscuntur ruffis vel subruffis, nisi fiant ex cruditate: hoc docuit Galen. *lib. 1. de art. cur. ad Glauc. cap. 2. lib. 8. de meth. med. cap. 2. & lib. 1. de crif. cap. 12.* In ephemeris febribus tales reddi vrinas ob calidam intēperiem, quæ vrinam bile permistam reddit, coloratiorem.

Cetera autem, quæ iā dicta sunt, ostendunt non modo febres, vt sunt intemperies calida & sicca. Sed etiam vt intemperies maxima calida & sicca: idcirco significant ardentissimas febres, quæ aliquando in marasmum transeunt. Istæ enim, vt docuit Gal. *lib. 10. de meth. med. in fi.* habent colliquationem connexam non modo pinguedinis, sed etiā carnis mollioris, vt propterea non tantum pinguedo supernatet, verumetiam humores, qui in venis sunt, colliquentur, vt propterea circa harum febriū initia vrinæ reddantur copiosæ humoribus ipsis in serum solutis, vt docuit Gale. *lib. 3. de caus. sympt. cap. 2. in fin.*

Fiunt quoque oleosę colliquatis ipsismet humoribus crassionbus, ac lotio permistis, qui quidem, si sint biliosi flaui, faciunt vrinas citrini coloris, sed crassas: si sint porracei virides, vrinas quoque reddunt virides, quæ omnes oleosę dicuntur, suntque, vt dixi, insignis ardoris signa.

Exustis etiam atque exsiccatis ijsdem humoribus atoma apparent.

Quod autem scribit Gal. *com. 2. in lib. prognost. text. 28.* de illis sedimentis grana orobi æmulantibus, quæ vult fieri ex colliquatione & vstione carnis & pinguedinis, examinabitur infra suo loco, hāc enim Galeni sententiam non admitto.

Quod vero pertinet ad sedimenta furfuracea & squamosa, in his quoque aliquam habeo difficultatem: *Gal. eodem loco citato, com. 2 in lib. prog. tex. 28* quod etiam repetit *com. aph. 77. sect. 4.* vult hęc duo sedimenta esse signa ardentissimæ febris, eo quia calor febris colliquatis iam humoribus consumta carne & pinguedine molliori, venas etiā vsq; adeo exsiccet, vt in illis quasi lepram aut psoram inferat: sicut vero in lepra & psora externam cutem afficiente squamulę & furfures decidunt, ita inquit Gal. ex venis ipsis a flammeo calore exsiccatis decidunt furfures & squamulę.

Hæc sententia neque rationi, neque ipsimet Galeno est consentanea.

Non rationi, quia in viuente animali tunica venarum interior nusquam & nunquam erit vsque adeo sanguine vacua, vt igneus calor præ nimia siccitate possit in illis rimas inferre, scabiem aut leprā inducere.

Propterea dicebat *idem Galen. libr. 10. de meth. med. in fin.* in marasmo partes fibrosas & membranosas nunquam posse viuente animali colliquescere, vt ex illis aliquid decidat. At vero venæ ipsæ cōstant ex fibris & membranis ex semine genitis: itaq; viuente animali ad hanc non poterunt duci affectionem.

Propterea Hippoc. *sect. 4. aphorism. 77.* loquens de hoc sedimēto furfureo, inquit fieri ex vesica scabiosa, & *aphoris. 81. sect. eiusdem* loquens de sedimento squamoso, inquit fieri ex vesica vlcerata.

Sed quia *idem Hippocrates lib. 2. progn. text. 28.* proponit hęc duo sedimenta, furfuraceum & squamosum tanquam pessima, non videntur eo tantum nomine mala iudicari, quod sequantur vesicæ scabiem aut vlcus. Idcirco ego puto sic interpretandā Hippocratis sententiam. Omnia sedimenta furfuracea & squamosa fieri ex vesica aut scabiosa, aut vlcerata.

Ceterum scabies & vlcus, aut sunt affectus diuturni, aut acuti & breui temporis spatio inducti ex vehementia febris.

Quando sint affectus diuturni, nihil aliud significent, quam ipsius vesicæ laborem.

Sed si in febribus ardentissimis hæc fiant, pessimum sunt signum, talem scilicet febris esse caliditatem, aut humorum acrimoniā, quæ possint breui etiam temporis spatio vesicā ipsam scabiosam aut vlcerosam reddere: hoc autē fieri posse docuit Galen. *lib. de cib. boni & mal. succ. in princ* qui scribit, in ea pestilentia acres humores vesicam plerisque exulcerasse.

De his etiam vrinis loquitur Hippocr. *comment. 2. in lib. 1. de morb. vulg. tex. 78. & 41.* quando inquit, in ea constitutione factas esse vrinas stranguriosas nō nephriticas, quod scilicet, propter humorum prauitatem, qui in venis abundabant, cum labore excernerentur, non autem propter antiquum aliquod vitium renum vel vesicę.

Quod si quispiam quærat modum distinguendi furfuraceum sedimentum & squamosum factū ex primario vesicæ affectu, ab eo, qui fit ex ardore febris, non audiat Gal. (cogor libere meam sententiam proferre) *sect. 4. aph. com. 77.* qui scribit, in hoc differre vrinas furfuraceas, quæ sunt ex vesica, ab illis, quæ sunt ex venis, quia primæ sunt crassæ, secundæ vero tenues. Mihi hæc sententia non probatur, quia in febribus ardentibus, cum exuruntur & colliquantur humores, vt ad vesicam tendant, & illam exulcerent, vrinæ sunt necessario crassæ, virides, rubeæ, liuidæ, nigræ, vt docuit Galen. & Hipp. *comm. 2. in lib. 1. epid text. 41.* Distinguentur itaq; potius ex ipsamet febris vehementia, aut febris carentia. Nam si sine febre aut exili sedimenta hæc appareant, diuque ab apparuerint, labor est primarius vesicæ: si vero per febres exurentes hæc fiant, secundaria est vesicę affectio, primaria autem calor venarum flammeus.

Quæ vrina calidam intemperiem in partibus determinatis, & in quibus eandem existere, & quomodo significent. Cap. XVII.

HActenus est ostensum, quales nam vrinæ cōmunem calidam venarum intemperiem ostendant, idipsum iam in partibus determinatis faciendum.

Et sane, quod pertinet ad iecur, renes & vesicam, nulla

nulla potest esse dubitatio, quamobrem ex vrinis harum partium intẽperies non cognoscatur.

Cum enim, vt docuit Gale. *sect.4.aph.comm.77.* vrina in iecore generetur, in renibus percoletur, in vesica retineatur, idcirco harum partium temperiẽ potest significare. Ideo Hipp. *com.2.prognost. text.* 37. posteaquã declarauit, quidnam significent variæ vrinarum differentiæ circa statum venarum totius corporis, inquit cauendum esse, ne vesica ipsa aliquam talem habeat affectionem, ex qua vrinæ iam propositæ emitti possint.

Vrinæ caliditatem iecorũ, renum & vesicæ demonstrãtes.

Istæ vero vrinæ, quæ iecoris, renum, & vesicæ caliditatem significant, non differunt a prioribus, sunt in colore ruffæ, subruffæ, rubeæ, & subrubeæ: virides, atræ, oleosæ cum pinguedine in superficie, cum sedimentis denique furfuraceis & squamosis, & (si Gale. credimus) caruniculas quoque, in modum grani hordei, continentibus.

Et sane, quod pertinet ad colliquationem, hanc fieri ex renibus, docet Hipp. *sect.7.aphor.35.*

Sed quia pinguedo fit ex colliquatione totius differt hæc, quæ ex renibus, a priore, eo quod hæc multa & confertim excernitur ac supernatat. Sic docet Hippoc. & Galen. *loc.cit.* quę vero fit ex toto, paulatim & sensim emittitur.

Vesicam vlceratam.

Quod etiam pertinet ad furfuracea & squamosa sedimenta, hęc fieri ex vesica exulcerata, propter calidam intemperiem, docet Hipp. *sect.4 aph.77. & 81.*

De illa autem colliquatione, quæ grana hordei æmulatur a Gale. proposita *comment. 5. in 6. Epid. tex.15.* magnam habeo dubitationem: scribit enim colliquescere aliquãdo carnem lienis, iecoris, renũ, atque adeo ipsum adipem. *Vbi colliquantur lien, iecur vel renes,* inquit Galenus, *sedimenta in se continent materiam hordei grana æmulantem: sed hoc discrimine, vt in colliquato liene sint nigriora, in colliquatis renibus carnosiora, in colliquato iecore minus carnosa.*

Hæc sententia mihi dubia videtur: non ignoro quidem, quod experientia etiam comprobauit, *per modum vlcerationis*, carnes renum per vrinas purgari: per colliquationem vero id fieri, non facile assequor: quandoquidem ex carne molli colliquata tenuis humor exprimitur, qui vrinæ permistus, potest quidem colorem & substantiam immutare, sed carnis formam & substantiam nunquam æmulabitur, quia duritiem contrahere non potest. Ex carne autem duriore, nisi separetur per modum vlceris, nihil potest colliquari, quod ad vrinas descẽdat. Docebat Galen. *lib.10.de med. meth. cap. vlt.* carnes humidas igni appositas multum quidem humoris emittere, qui super prunas liberaliter effunditur, exsiccatas, inquit, tandem in halitum digeri, humorem vero non effundere: propterea nullo modo inuenio, cur ex colliquatione lienis, iecoris aut renum carnosa appareant sedimenta. Idcirco censeo quidem ex harum partium intemperie carnem humidiorem, vt dixi, colliquari, & si quidem fuerit lienis, vrinas reddi nigriores: si iecorjs & renũ, fieri rubicũdiores ac crassiores.

Differt autem hæc colliquatio ab ea quæ est in toto, *quia neque necessario adest febris ardens, ne-* A *que corpus vsque adeo consumtum, sicut in colliquatione totius.*

Certum igitur est, ex propositis vrinis harũ partium calidam intemperiem cognosci.

Sed de alia aliqua subest difficultas. Nam docebat Gal. *lib.1.de cris.cap.7.* vrinas venarum affectiones significare. Et *comm. 2. in 1. Epid. text.44.* scribit, pro dignoscẽdis venarum affectibus vrinas esse inspiciendas, in affectibus autem ventris alui excrementa: in affectibus thoracis sputa: in affectibus cerebri narium excrementa. Et *comment.2.in libro prognost.text.26.* quæcunque de vrinis scribit Hippocrates, inquit Galenus, accommodari morbis febriculosis. Idcirco in affectibus cerebri, aut pulmonum, aut aliarum id genus partium, quæ sunt sine febre, vrinas non esse attendendas.

B Ergo tamen aliter sentio, habeoque rationem & auctoritatem.

Quarũ partium intemperies vrinæ demõstrent.

Rationem quidem: nã vrina, vt antea fuit probatum, duplex est. I. est serum iecoris. II. est serũ humorum, qui iam in venas partium sunt distributi, quod fuit ipsorum humorum vehiculum. De hoc secundo sero loquitur Galen. *comm.5.in lib.6. epid.text.14.in princ.*

Itaque hoc serum, quod accedit ad partes debilitatas, quandoque recedit & per vrinas purgatur, & tunc potissimum, quando partes calida laborant intemperie: nam ex calore colliquantur humores, ex colliquatione funditur serum & euacuatur.

Itaque hoc serum ostendit intemperiem earum partium, quarum fuit serum, propterea, quia fuit serum & pulmonum, & cerebri, & aliarum id ge- C nus partium, poterit quoq; earum partium intemperiem significare.

Distinctio seri venarũ & iecoris.

Cognoscetur autem hoc serum venarum contradistinctum a sero iecoris, ex copia, substantia, colore.

Ex copia, quia vbi multum fuerit serum respectu potus assumti, necessarium est humorum serositatem tunc colliquari.

Ex substantia, quia est crassius, nam diu versatũ est cũ humoribus: propterea, quoad *colorem* multo melius etiam præ se fert colores humorum, quã serum iecoris. Idcirco Gal. *sect.1.aph.12.* concedit in pleuritide inspiciendas vrinas: Idipsum, inquit, faciendum in affectibus ventris pulmonum atque aliarum partium, *comment. 2. in 3. epid. & in prognost.* aperte scribit, *non modo corpus per vrinam* D *purgari, sed etiam aliquando mutari conditionem, vt ea, quæ debent per ventrem purgari, purgentur per vrinam, & quæ per vrinam, tendant ad ventrem.* Ex quo colligimus posse serosam humiditatem a partibus determinatis secedere, atque illarum intemperies declarare.

An in affectibus absq; febre sint inspiciendæ vrinæ.

Quod si aliquando Gale. *com.2. progn. text.26.* scribit in affectibus absque febre non esse inspiciẽdas vrinas, triplex potest dari solutio.

Prima Gal. tunc respicere ad serum iecoris, non ad serum venarum.

Secunda Gal. hoc tantum voluisse, vrinas non ostendere coctionem vel cruditatem humorum, quę sunt in partibus determinatis, posse tamen intemperies ostendere.

Tertia,

Tertia, vrinas quidem non ostendere affectus A partium determinatarum sine mtaeria, nisi affectus communicetur omnibus venis. Quod est dictum, nisi fuerit vsque adeo magna, vt proprium possit colliquare serum, potest autem colliquare, & ad vesicam mittere cum vsque adeo magna sit, vt omnibus communicetur venis.

Quæ vrinæ, quas partes frigida intemperie laborare ostendant. Cap. XVIII.

DE frigida intemperie eodẽ modo pertractando, quo hactenus de calida, inquirendo scil. quosnam locos intemperie frigida affectos demõstrant vrinæ, & quales nam earum sint differentiæ, ex quibus intemperies cognoscitur.

Quod igitur ad locos pertinet, cum sint venæ B communes, vel determinatæ partes, de venis communibus nulla est difficultas.

Cum enim vrinæ passiones ostendant venosi generis, consequenter & calidam & frigidam demõstrabunt affectionem.

Sed de partibus determinatis idipsum occurrit dubium, quod etiam in intemperie calida. Nam cum partes determinatæ sint, aut illæ, in quibus vrina vel generatur, vt iecur; vel percolatur, vt renes: vel retinetur, vt vesica: de his nullũ pariter est dubium, quo minus illarum frigida intemperies ex vrinis deprehendi possit. De ceteris partibus est disputatio.

Dicam primo, per quasnam vrinæ differentias venarum aut partium iam dictarum intemperies deprehendi possit: deinde ad illud, quod difficul- C tatem habet, me conuertam.

Cognoscitur itaque intemperies venarũ ac propositarum partium *ex vrinis albis, tenuibus*. Sic scribit Gal. *lib. 1. de cris. cap. 12.* has venosi generis cruditatem significare. Idipsum scribit Hipp. & idem Gal. *lib. 2. de tuenda valet. cap. 4. prorrhet. princ. & com. 2. in librum progn. text. 32. in princ.* Idipsum faciunt vrinæ aut contentis carentes, aut habentes contenta admodum diuulsa, inæqualia, aspera, coloris albicantis.

Cognoscuntur præterea intemperies dictæ *ex bullis*. Sic Hippoc. scribit *7. aph. 34. quibus in vrinis bullæ insident, morbum renalem & longum significant.* Addit *Gal. in comm. bullas fieri a spiritu flatuoso, qui est signum frigidæ ægritudinis renum.*

Stranguria quoque signum est frigiditatis vesi- D cæ. Ex frigida enim vesicæ intemperie vrina minime retineri potest, idcirco stillatim excernitur, vt docuit Gal. *in com. 48. 7. part. aph.* Albæ autem & crassæ vrinæ cum sedimentis etiam crassis frigiditatem quidem significant, sed cum materia de qua dicemus suo loco.

Ceterum, quia stranguria non modo fit ex frigiditate, verum etiam ex acrimonia vrinæ & ex spiritu flatuoso & ex inęquali intemperie, distinguetis stranguriam ex intemperie frigida a ceteris omnibus, quia fit sine dolore, sine ardore, ac sine alui alia difficultate.

Ceterum, vt dicebam, sicuti de his locis clara res est, ita dubitari potest & quæri, an propositæ vrinæ possint ostendere factam ventriculi intemperiem, aut cerebri, aut vteri, aut totius corporis: Idcirco possint nobis significare aut lethargum, aut alios cerebri soporiferos affectus, cachexiam, leucophlegmatiam, aliosque id genus frigidos affectus.

An etiam cruditas ventriculi ex vrinis possit cognosci.

Quod pertinet ad ventriculum; licet communissima videatur omnium sententia, crudas vrinas ventriculi affectionem significare, nihilominus hoc non videtur adeo certum: nam quod pertinet ad ventriculum, omnis vrina potest esse alba & tenuis substantię, serum n. in ventriculo nullam recipit bilis mistionem, propter quam reddatur coloratum, sed est aquosior pars alimenti, idcirco etiam in calidioribus ventriculis alba. Non itaque valet consequen. Alba est vrina. Ergo ventriculus laborat intemperie frigida.

An iecoris.

Ad iecur pertinet, aquosam hanc substãtiam & coloratam, &, si tenuis fuerit, crassiorem reddere. Idcirco nullibi apud Gal. reperio crudas vrinas vẽtriculi frigiditatem significare, sed semper iecoris & venarum.

Duo tamen sunt modi, quibus ex crudis vrinis facta ventriculi intemperies cognoscitur.

Vnus est *in affectu diabetico*, quando scil. vrina, vt dicebat Hipp. *comm. 5. in lib 6. Epid. text. 15.* est concolor cibo & potui, imo vero cum rei potulentæ odorem quoque retinet, tunc enim maxime imbecillitatis ventriculi argumentum depromimus.

Alter modus est, *cum vrinæ crassissimum obtinet sedimentum*, vt dicebat aliquando Gal. *lib. de plen. cap. 17.* instar fabæ elixæ, hic enim succus crudus, vt docuit idem Gale. *lib. 1. de alim. facult. cap. 2.* ex ventriculi inconcoctione generatur.

An aliarũ partium.

Quod vero pertinet ad alias partes, cum intemperies facta possit omnibus venis communicari, sicuti & calida, nemini dubium est, ea ratione, qua communicatur venis, posse etiam cognosci intemperiem illam determinatam, sic enim in cachexia & leucophlegmatia, quanquam intemperies sit in carnibus totius corporis, vrinæ hanc intemperiem ostendunt, quia venis omnibus communicatur.

An intemperies venis nõ communicata possit ex vrinis cerni.

Sed dubium est de intemperie, quæ venis non fuit communicata: hac in re puto, non esse abs re existimare, intemperiem quoque partium determinatarum, neque venis communibus communicatam posse ex vrinis cognosci; ratio, quæ me mouet ad hoc credendum, est ea ipsa, quã vsus sum in superioribus: serũ accedit ad partes determinatas, vt sit vehiculum sanguinis: ergo recipiet qualitates ipsius partis. Itaque, si sit frigida, serum redditur aqueum, tenue, crudum.

Obiectio.

Dicet quispiam, fateor id fieri, sed hoc serum nõ tendit ad vesicam, sicuti illud, quod in partibus calidis continetur, partes n. calidę possunt illud colliquare, frigidæ a. minime.

Huic facile est respondere: serum enim partium determinatarum mitti potest ad vesicam, non tantum per modum colliquationis, quantum etiã per modum expressionis: expressio a. fit a frigido, frigidum enim densat ac densando humiditates exprimit. Idcirco dicebat Galen. *lib. 4 de simpl. med. facul. capit. 1.* ex frigido exprimente humiditates mordicationem quoque inferri & idcirco lacrymas in

mas in oculis apparere.

Itaque laborante corpore frigida intemperie vel secundum omnes carnes, vel secũdum partem determinatam, vt cerebrum serum non difflatur, non transit in sudorem, imo coactis partibus ad venas renes, & vesicam mittitur: hinc fit, vt cum primum quispiam cerebri frigidam contraxerit intemperiẽ & destillationem, statim multum mingit illudque crudum.

Hanc eandem ob caussam in principijs accessionum vrinæ minguntur albæ & tenues, non propter viscerum aut venarum intemperiem, quæ tũc temporis est calida confluente sanguine & calore a toto corpore ad interiora, seu quia ex cutis & carnis refrigeratione fit constrictio, ex cõstrictione expressio aqueæ humiditatis, quæ frigidam sensit intemperiem, idcirco etiam sub aere frigido vnusquisque multum mingit, illudque crudum.

An vterus frigidus possit ex vrina deprehendi. Quod pertinet ad vterum, vterus frigidus *ex vrina cruda* deprehendi potest, non quod ex vtero aliquid confluat in vesicam, sed *propter contactum*: vterus enim frigidus tangẽs vesicam intemperiem & lotio & vesicæ communicat, propter quam caussam prægnantes mulieres, præcipue in postremis mensibus, cum multam habent in vtero caliditatẽ, vrinam emittunt admodum rubicũdam, quod diligenter notandum est, ne putentur esse periculosæ admodum, quanquam & crassæ & rubeæ sint. Hęc de vrinis quatenus significant intemperies & calidas & frigidas sine materia. *Cur mulieres prægnantes in vltimis mensibus emittũt vrinam rubicundam.*

De Vrinis ratione substantiæ, coloris, loci figuræ, odoris modique excundi putridas febres, vt putridæ sunt, demonstrantibus. Caput XIX.

QVia hactenus sermo est factus de vrinis intemperaturas eas declarantibus, quæ sunt absque materia, nunc illas examinabimus, quæ putridas possint demõnstrare febres.

Duo a. præstabimus de his agentes. I. enim erit sermo de vrinis, quæ putredinem, vt putredo est, declarant. II. de illis, quæ hanc vel illam putredinem significant.

Quantum igitur ad primum, Galen. sentent. *lib. 1. de diff. febr. cap. 7.* atque alibi proposita & confirmata ab *Auic. fen. 2. lib. 1. doctrina 3. sum. 2. cap. 2. & 3.* nisi sano modo intelligantur, minime sunt admittendæ.

Quæ vrina putredinem significent. Volũt isti, imo cum ipsis tota Medicorum schola, crudas vrinas, propterea albas, tenues sine contentis, addit *Auic.* multas in principio apparentes putridarum febrium esse signa, cum tamen ex solis hisce vrinis nulla sit huius consequentiæ certitudo, crudæ enim sunt vrinæ & multæ in crapula, ebrietate, carentia somni, cutis densitate, atq; alijs id genus caussis, quæ sine febre sunt; idcirco possumus inductione quadam ex his vrinis putridam colligere, sed non ex solis vrinis.

Itaque consequentia poterit hoc modo deduci: Febris adest, & vrinæ sunt crudæ & multæ, neque præcessit recens cruditas aut febris ex bubone (nam in his quoque vrinæ fiunt crudæ) vel alia caussa

A similis, & diu perseuerant vrinæ crudæ: Ergo febris est humorosa, non tamen necessario putrida.

Ceterum, quia in augmentis, statu, declinatione mutantur vrinæ, videamus, an in his temporibus reperiatur vrina, quæ putredinem ostendat.

In incrementis febrium aliæ, vt ex præcedẽtibus constat, sunt vrinæ febrium perniciosarum, aliç vero salutarium.

Vrinæ febrium perniciosarum in incremẽtis putredinem ostendere possunt, ex substantia, contentis, colore, odore, & exeundi modo.

Ex substantia, si fuerint crassæ & cõturbatæ. Per conturbatas autem illas intelligo, quæ tales fiũt & permanent, ad differentiam illarum, quæ vel claræ meiuntur, sed conturbantur vel conturbatæ redduntur, sed paulo post clarescunt. *Quæ vrinarum substãtia putredinem significet.*

B Etenim tametsi Gal. *lib. 1. de cris. cap. 12. & lib. 4 de tuend. val. cap. 6.* has omnes vrinas aliquando significare coctionem scripserit, nihilominus de conturbatis, quæ tales fiunt & permanent, non est eadem ratio, quæ de alijs, quanquam istæ aliquando significant coctionẽ, aliquando sunt signa prorsus opposita coctioni.

Significant coctionem, quatenus conturbantur a calore natiuo in venis exsistente superante iã caussam morbificam & commiscente illam cum sero, vt iam incipiat excerni. Sed in pernitiosis febribus hæc confusio & conturbatio fit a calore præter naturam confundente & permiscente bonos humores cum malis, imo ipsosmet colliquante & cõfundente cum sero.

Hinc recte Sabinus, quanquam non immerito C improbetur a Gale. *comm. 5. in lib. 6. Epid. text. 15.* volebat, turbatas vrinas ex colliquatione fieri, quod etiam docet Auic. *Fen. 2. lib. 4. doct. 3. sum. 2. cap. 3.* neque potuit negare Galen. *qui in comm. 70. aph. sect. 4.* quando scribit Hipp. *Quibus vrinæ perturbatæ, quales iumentorum &c.* scribit Gal. has vrinas conturbatas, quæ futuri doloris sunt indicia, fieri a calore flammeo agitante materiam, & propterea idem Gal. *lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 3.* proponens vrinas febrium pestilentium omnium deterrimas, inquit illas esse conturbatas. Has etiam significauit Hipp. *comm. in lib. 3. Epid. text. 15.* quando proponens signa & symptomata pestilentissimæ illius constitutionis, lotia inquit fuisse turbata, multa, mala. Ex his igitur locis putredo insignis elicitur.

Quod spectat ad contenta, putredinem signifi- D cant, sicut & tota vrina, ex prauis coloribus. *Quæ contenta.*

Sunt autẽ praui colores, *croceus, viridis, rubeus, ruber, & prorubes fuscus seu liuidus, niger & ater,* praui colores, qui isti omnes colores insignem ostẽdunt putredinem, quia fiunt ex materia valde exusta, quæ valde exuri non potuit absque ingenti putredine; propterea dicebat Galen. *lib. 2. de nat. fac. cap. vlt.* omnes bilis species esse pręter naturã, flaua excepta, intelligit Gal. de omnibus, quæ sunt supra flauam, quia etiam pallida bilis potest esse naturalis, sed crocea & ærugmosa &c. ex vehementi putredine generantur. Idcirco *comm. 1. in lib. 1. prorrebt. text. 4.* Galen. atras vrinas prauas esse inquit, eo, quod fiant ex bile exusta in nigrum colorẽ conuersa.

Ex con-

Quæ sint sta contentorum. Ex contentis ratione substantiæ & loci & figuræ A licet etiam putredinem colligere.

Nam si substantia sit tenuior, quam par est, si loco hypostasis adsit nebula, si loco figuræ pyramidalis appareat circularis, etiamsi color esset bonus, albus, ista contenta sunt pessima, putredinem indicant pestilentem. Hæc doctrina, quæ proposita est a Gal. *lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 3.* & confirmatur ab eodem ex Hipp. *com. 2. in lib. prog. text. 28.* sæpius mihi ipsi quoque certissimis experimentis est confirmatæ enæoremata scil. alba in modum lanæ congesta, vt scribit Gal. *loc. cit.* candida & splendida vt Hipp. *l. c.* magna ex parte in perniciosis febribus apparebant: ratio est, quia hęc contenta ex materia sunt crassiore, & quatenus crassa, deberēt fundum petere, deberēt quoque esse opaca, nihilominus vt dicit, transit in nebulam, fit alba & figuræ B circularis, hæc tria fiunt a calore pernicioso excellēte, primum quidem crassam materiam & consequenter opacam vsque adeo cōminuit & attenuat, vt vaporosus spiritus per minutas quasq; illius partes ingredi possit, hinc euadit albis.

Quatenus vero ab eodem calore præter naturā agitatur, ex graui fit leuis, idcirco ascendit, & quia motus rectus sursum & deorsum in corporibus est naturalis, circularis vero violentus, hinc fit, vt hæc contenta sint circularia, & hoc est, quod vult Gale. hæc contenta esse similia telis aranearum in modū lanæ congestæ.

Fœtor. Ex fœtore quin etiam putredinem licet colligere: idcirco Hippocr. *1. prog. text. 32.* fœtidas vrinas tanquam putredinis soboles inter exitiales recenset.

Quis modus exeūdi. Denique ex modo exeundi licet putredinē colli- C gere, cum absque vllo vesicæ aut renum affectu vrinæ emittuntur cum labore & dolore, sunt enim signa putrescentium humorum, qui per has partes purgantur. De his meminit Hipp. *com. 2. in 1. Epid. tex. 7. & 8.* inquit, *vrinæ stranguriosæ non nephriticæ*, de quibus etiam eodem *l. tex. 41. & 42.* Sic igitur ex vrinis in incremento perniciosarum febrium licet putredinem cognoscere.

In illis autem quæ perniciosæ non sunt, licet putredinem cognoscere ex colore, substantia, contentis ac modo exeundi, sicut de pestilentibus nūc dictum est; hoc tamen excepto, quod in istis si vrinæ turbatæ apparent, turbantur propter aliquod principium victoriæ caloris natiui supra caussam morbificam.

Colores præterea non apparēt in his vsque adeo D exitiales non virides, non fusci, non nigri.

Contenta quoq; ipsa multo a prioribus iam relatis sunt diuersa in colore, substantia & figura: de his tamen & in augmento & magis in statu atoma in vrinis apparent, quæ sunt reliquiæ humorum putrescentium.

Et ex his certo quis potest affirmare febrem esse putridam, cum hæc corpuscula 4. humorum exustorum cineres in vrinis conspexerit. Hanc ob caussam Gal. *lib. 1. de diff. febr. cap. 6.* tot esse scribit sedimentorum in vrinis differentias, quot sunt formæ & colores ipsorum. Hæc de vrinis, quæ putridas, vt putridæ sunt, ostendunt.

An putridæ febres in specie ex vrinis dignosci, & ex quibus vnaquæque possit: Quæ item præter vrinarum inspectionem ad certiorem earundem consequendam cognitionem obseruanda sint. Cap. XX.

Non desunt, qui ex solo vrinarum colore volūt Medicos febriū species distinguere, vt propterea ad nos in præsentia pertineat hoc examinare, nunquid ex vrinarum coloribus ęgro non inspecto, liceat hanc vel illam febris differentiam colligere.

An ex solo vrinarū colore liceat hanc vel illam febris speciem distinguere. Ex vna parte Galen. id pluribus in locis publice testatum fecit, *vt comm. 5. in 6. Epid. text. 14. Lingua*, inquit Hippocr. *lotium ostendit.* Gale. *in comm.* docet ex colore non modo linguę, sed & lotij, venarum succos dignosci: nam sicuti linguæ rubræ, vt *eo loci docet.* Hippocr. fiunt a sanguine, & albæ a pituita, & nigræ a fuliginosa exustione, & virides a bile, ita & lotia: propterea *lib. 1. de diff. febr. cap. 6.* tot, inquit, esse vrinarum colores, quot sunt humorum formæ, & *lib. 4. de tuend. valet. cap. 6.* rubras vrinas sanguinis esse indicium docebat, sicuti & alios colores aliorum humorum. Idipsum docet Galen. *comm. 1. in 6. Epid. text. 6.* de colore, qui est in subsidentijs vrinarum: nam albæ subsidentiæ pituitam, rubræ sanguinem, flauę bilem, nigræ melancholiam significant. Idcirco etiam lib. de typis *cap. 4.* febribus biliosis vrinas tribuit biliosas.

Galeni sententia refutata. Hæc tamen sententia multis non caret difficultatibus.

Prima quidem est; non valet hæc consequentia. Vrina est rubea. Ergo febris est sanguinea. Neque valet: vrina est biliosa: Ergo febris est biliosa. Idipsum dico de melancholia & pituita.

Cur vrinæ fiant rubeæ. Quod non valeat conseq. de vrinis rubeis, probatur multiplici argumento. I. quidem rubeus color in vrinis, fit aliquando *ex permistione serosæ humiditatis sanguineæ*, quæ augetur in iecore propter imbecillitatem facultatis alteratricis, de quibus vrinis loquens Hippocr. *com. 2. progn. text. 27.* quod longam significat inualetudinem, rationem affert Gal. *& eo in loc. & lib. 1. de cris. cap. 12. & com. 1. in 3. Epid. text. 5.* quod scil. significent sanguinem adhuc incōfectum, qui tempus requirat ad elaborationem. Id genus vrinas vidimus proximo anno in Nobili Polono cachexia laborante, qui tandem Dei beneficio sanatus est.

Aliquando fiunt etiam rubræ, *propter dilatationem meatuum*, qui deferunt serum cum sanguine a vena caua ad renes, præcipue, si sanguis fuerit tenuior: hoc docuit Galen. *comm. 2. in lib. 6. Epid. text. 6.*

Aliquando fit, vt *aliqua erosio, vel ex areunlis asperis vel acribus humoribus circa renes & vesicam*, vt rubea reddatur vrina absq; sanguinis plethora. Addit Auic. *fen. lib. 1. tract. 2. ca. 2. ex tumoribus iecoris comprimentib. venas aut ex insigni obstructione*, aut *ex valida pituitæ putredine* rubras reddi vrinas.

rinas. Idcirco, vt dixi, non valet conseq. vrina est rubea. Et febris est sanguinea.

Vnde fiant biliosæ. Sed neque valet de biliosa. *Vrinæ biliosæ fiunt plerunque in pituitosis ex obstructione illius meatus, qui defert bilem ad intestina.* Idcirco siue obstruatur a flatu, quod plerunque contingit in colicis; siue ex pituita, aut ex lapillis, aut comprimatur ex tumore scirrhoso, vrina fit biliosa in corpore alioquin frigido.

Vnde nigræ. Idipsū dico de nigris: nigras vrinas dicebat Gal. ex sententia *Erasistrati*, quod tamen ipse admittit, *l. de atra bile, cap.* 8. nigras fieri vrinas ex vtero sanguinem menstruum non purgante, *& lib 6 de loc. aff. ca.* 1. docet ex lienis obstructione totum corpus & vrinas reddi nigras, tametsi habitus corporis nō sit melancholicus.

Albæ. Quod etiā pertinet ad pituitosas, quæ albæ sunt & tenues, istæ non necessario ostendunt febrem pituitosam: possunt n. fieri in corporibus sanguineis biliosis ac melancholicis. Dicebat Actuar. *lib. de vrinar. iud. cap.* 12. albas aliquando reddi vrinas in corporibus sanguineis sanguine confluente ad alia loca. Sic enim siue sanguis per hæmorrhoidas, aut nares, aut alium purgetur locum, vrinæ albæ & tenues emitti possunt. Idipsum contingit aliquando ex multo aut tenui potu, ex colliquatione serosæ humiditatis, ex facultate expultrice, suffocata & sopita. Sic enim Gal. *lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 3.* pestilentium vrinas sanis similes fieri docet, non aliam ob caussam, nisi, quia expultrix facultas noxia retinet. In biliosis etiam vrinæ albæ & tenues quandoque educuntur, siue bilis & per sudores, siue per aluum aut vomitum educatur, aut petat alias partes, qua ratione Hipp. *sect. 4 aph. 72. vrinas albas & pellucidas in phreneticis malas esse* docet, eo qd vt scribit Galen. *in com.* bilis petat ipsum caput, sicque vrinæ crudæ reddantur. Idipsum dico de melancholia, siue ipsa quoque per alias purgetur partes, siue alio tendat, aut in vasis & visceribus retineatur, lotia erunt cruda; propterea Galen. *lib. 2. de crisibus cap* 4. dum proponit vrinas febrium quartanarum non scribit esse nigras, sed potius crudas, tenues & albas, præcipue circa initia.

Contra eos, qui omnia ex vrinis diiudicare conantur. Ex his iam patet rem esse satis ambiguam, neq; Medicos, vt videantur prophetæ, aut rusticis morē gerant, qui elonginquo vrinas ferunt & statim iudicium expetunt, oportere inconsulto de huiusmodi febribus pronuntiare, sed mature interrogare, qualis nam sit habitus, temperamētum, ætas, color patientis, tempus ægritudinis, excretiones alui, symptomata, & ceteræ quoque vrinarum differentiæ. Nam vbi hæc omnia considerauerint, certum poterunt de febribus iudicium facere.

Exempli gratia: Habitus corporis sit gracilis tēperatura calida, ætas iuuenilis, color sit naturalis, non sit mutatus, febris non sit in principio, hāc certū est cognosci posse ex vrinæ colore, aut ruffo, aut flauo, aut croceo, aut viridi, vel subuiridi, quæ omnia varias significant bilis differentias. Quod si istæ vrinæ sint quoque splendidæ & emittantur cum ardore, certius adhuc argumentum præstabunt biliosæ febris.

Contradictio Hip. Quod dico in hoc exemplo, idipsum vnusquisq; A poterit proprio marte in ceteris inuenire, qua ratione poterit conciliare contradictionem, quæ videtur Hipp. ac plures alios consimiles. Hippoc. *commen. 2. progn. text.* 27. rubeum colorem vrinæ ac sedimenti longitudinem significare scribit, *sect. 4. aph.* 71. rubeam nubeculam in quarta apparentem inquit significare iudicium in septima. Gal. *in comm.* notat contradictionem, non tamen soluit.

Solutio autem patet ex istis: nam rubor in vrinis cum fiat ex caussam multiplici, varia quoque potest significare: vbi vero rubor fiat eo, quod serum ipsum sanguinis per lotium purgetur, tales vrinæ breuem significabunt affectionem. Vbi autem misceatur serum sanguinis propter imbecillitatem sanguificatricis, tunc longam oportet exspectare ægritudinem. B

Vtrum vrinæ partium etiam a venis communibus, longe distantium, imo & extra venas exsistentes succos demonstrare possint.

Cap. XXI.

Ex vrinarum differentijs succorum quoq; differentias cognosci, in dubium non est reuocādum, satisque iam de hac re dixi. Nūc autem illud hac in parte quærendum relinquitur, an vrinæ solos venarum succos demonstrent, an potius illos quoque, qui extra venas siue in toto corporis ambitu, siue in alia corporis parte consistant. Gale. *lib. 1. de cris. cap.* 17. vrinas venosi generis affectiones demōstrare profitetur, addit tamen *sect. 4. aph. 71. & lib. 2. de art. cur. ad Glauc. c. 2. & l. 13. de meth. med. ca.* C 11. & iecur & renes & vesicam per vrinam purgari, propterea harum partium affectiones cognosci: *Cit. lib. 3. de cris. c. 3.* verba faciens de varijs excretionibus, quæ pro locorum & affectionum varietate fiunt, nullam aliam partem excrementa propria per vrinam purgare scripsit, quam iecoris connexā. Hipp. quoque *com. in lib. de vict. rat. in morb. acut. tex.* 33. conuulsionem inquit ex vrinis non cognosci, eo, quod vrinæ non ostendant affectus musculorum. Hinc factum est, vt Altim. & alij cum eo, qui censent, materiam febrium intermittentium esse extra venas, arbitrati fuerint, illud sedimentū, quod in vrinis horum febricitantium apparet, esse portionem materiæ non putrescentis, sed illius antecedentis, quæ in venis reperitur, & quæ posset putrescere, cuius sententiæ absurditatem pluribus verbis D in præsentia non refutabo.

Quod autem pertinet ad nostrum quæsitum, tametsi Hippocrat. atque Galen. fuerint illius sententiæ quam ante proposui, nihilominus & ratione & auctoritate possumus confirmare, vrinas succos earum quoque partium demonstrare, quæ a venis communibus longe distant: ratio autem talis est. Humores, qui in quacunque corporis parte determinata reperiuntur, in venas recipi possunt, & per vesicam purgari. Ergo vrina demonstrabit affectus illius partis, a qua humor secedit.

Consequentia clara est. Antecedens probatur: totum. n. corpus est vndique confluxile, vt scribit Hipp. *lib. de alim.* & post illū Gal. *lib. de vs. puls. c. 2*,

Sed

Sed præterea sigillatim hoc potest confirmari de varijs corporis partibus, & primum quidem de toto scribit Gal. *com.2.in lib.progn.tex.37. per vrinas aliquando totum corpus purgari*. Id ipsum scripsit idem Gal. *com.2.in 1.Epid.tex.41.* cum enim scribat Hipp. *in eo textu*, eos quibus humores ad stranguriam desinerent, in ea constitutione fuisse seruatos, scribit Gale. hoc factum esse, purgato vniuerso corpore per vrinas.

Sed præterea ex caussa calorifica colliquatur vniuersum corpus, & colliquatio aliquando per vrinas purgatur: Ergo illæ vrinæ ostendent succos redundantes in vniuerso corporis ambitu; ex colliquatione enim succos totius corporis ad vesicam confluere, docuit Gal. *lib.3.de cauf.sympt.cap.2.& in com.28.2.part.aph.* cum scribit vniuersum corpus breui contabescere ex quacunque subita excretione siue per aluum, siue etiam per lotium. Accedit & alia ratio, nam sudor & vrina sunt eiusdem materię & caussæ efficientis: Sed sic est, quod suppressis sudoribus vrinæ succedunt copiosæ: Ergo materia sudoris purgatur per vrinas. Sed materia sudoris est extra venas. Hoc docuit Galen. *lib.4.de tuend. val. cap.4.* Ergo recepta in venas & purgata per vrinas significauit humores musculorum totius corporis.

Confirmatur, quia sudor easdem habet coloris differentias, flaui, viridis, ac ceteras, quas habet etiam vrina, quod docuit Galen. *lib.6. de loc. affect. cap.4.& lib.4.de tuend.val.ca.4.* Confirmatur ad huc magis, quia succi, qui sunt in corporis ambitu, plerumque ex rigore, horrore, refrigeratione, timore & mœrore alijsque id genus caussis intro trahũtur, vt docuit idem Gal. *l.c.* Ergo per vrinas purgati ostendent carnium affectiones.

Quod est dictum de ambitu totius corporis, idẽ potest de alijs quoque locis demonstrari. Scribit Hippocr. *sect.6.aph.44. Quibus ex stillicidio vrinæ, ileos superuenerit: in septem diebus pereunt, nisi febre superueniente satis vrina fluxerit.* Gal. *in com.* aliam non inuenit huius solutionis caussam, quam humores crassos, ileum facientes a colore febrili colliquatos & per vrinam purgatos: at vero ileos est passio intestini. Ergo affectus intestinorum purgantur per vrinas.

Idcirco idem Hipp. *sect.4.aph.73.* murmura intestinorum vult aliquando solui effluẽte vrina copiosa, in quem sensum scripsit quoque idem Hipp. *sect.4.aph.vlt.* mictum plurimum paucam significare egestionem. Affectus etiam thoracis ex vrinis cognosci posse docuit Gal. *lib.6.de loc.aff.cap.* Qui pus in thorace contentum per vrinas purgari docuit. At si pus: Ergo, & alij humores, & eo potissimum, quod nostris temporibus vena illa ἄζυγος sine pari inuenta est, per quam talis excretio fieri consueuit.

Sed & aliæ partes, quæ difficiliorem habẽt cum venis aditum, suos succos ad vrinas transmittunt. Quis enim est difficilior transitus ad venas ipsas, quam aquę in abdominis capacitate collectę? Scribit tamen Gal. *sect.7.aph.54.* aliquando hanc materiam per vrinas purgari, quod mihi quoq; semel felicissime contigit Venetijs in moniali hydropica, quæ spatio trium dierum ac noctium post longum diureticorum vsum libras aquæ plus minus triginta euacuauit per lotium soluto statim morbo.

Idipsum scribit Hipp. *sect.7.aph.54.* contingere, si pituita reperiatur inter septum & ventriculum, non disputabo in præsentia, qualis sit hic locus, illud sufficiat intellexisse Hipp. significare locum extra venas, cuius tamen pituitosa materia per vrinas purgari possit. Idcirco etiam *com.1.in 6. Epid.15. nigras vrinas ex colliquato liene fieri scribit,* Gal. & Auic. *fen.2.lib.1.summ.2.doct.3 cap.6.* inquit, vrinas, quæ crassam & viscidam obtinent materiam esse indicia humoris purgati ab articulis, quando dolor adsit articularis, vt minime a veritate alienum sit, & cerebrum & alias quascunque corporis partes per vrinam purgari, tametsi materia fuerit extra venas.

Quod si purgetur, ex colore, ex acrimonia, ex qualitate, & ex proprietate substantiæ, & totius vrinæ & contentorum vnusquisque poterit conijcere, qualis sit materia, qualis consequenter illius partis affectio.

Ad Gal. & Hipp. qui videntur in oppositũ scripsisse, vnica & facilis est responsio, *vrinas scilicet primo & per se atq; immediate ostendere succos vesicæ, renum, iecoris gibbæ, atque omnium venarum: secundario tamen ex accidente & mediate*, quatenus scilicet materia locorum determinatorum potest, vel transmitti, vel attrahi in venas & renes, *possunt etiam demonstrare affectus partium determinatarũ.* Idcirco, vt rectum de his fiat iudicium, non modo consideranda est ipsius vrinæ substantia, quantitas, color, contenta & alia id genus, verum etiam obseruanda sunt signa affectionis omnium partium, & apparentibus vrinis iam propositis, videndum, an fiat mutatio signorum & symptomatum illius partis determinatæ: nam, si fiat, coniectari oportet, materiam illius loci per vrinas purgari.

Sitne aliquod, & quale nam illud pro cognoscenda mala partium compositione solutaque vnitate ex vrinis præsagium. Cap. XXII.

Quid possint vrinæ in demonstrandis intemperantijs atque humorum differentijs, siue in venis, siue extra venas, hactenus est explicatum. Quantũ autem in ceteris declarandis valeant morbis, in posterum dicetur.

Est sane dubium & incostans præsagium, quod ex vrinis depromitur pro cognoscendis affectibus, qui ad malam pertinẽt compositionem solutamue vnitatem. Explanare tamen conabor quicquid certi ars ipsa hac in parte præstare valeat.

Et quando partes laborantes vel sunt ex illis, in quibus vrina aut elaboratur, aut percolatur & retinetur, aut sunt ab ipsis diuersæ, dicam de vtrisque a prioribus sumpto exordio.

Fuit Auic. *sententia fen.2.l.1.doct.3.ca.3.* tenues vrinas venarum obstructionem demonstrare. Hæc sententia, si sano non intelligatur modo, erit falsa. Idcirco quatuor sunt notanda. I. est vrinam nõ esse vere tenuem, i. e. aqueam in colore & substantia, sed in substantia nõ esse quidem crassam; in colorę

poteſt eſſe & alba & nigra.

Non eſt aquea, quia aquea vrina ſequitur incon coctionem auctore eodem Auic.*lib.cap.* & Gal.*lib.* 2.*criſ.cap.*12.

Nõ poteſt eſſe exacte tenuis, quia vt optime hac in parte docuit *Valleſ.libr.*3.*controu.*15.obſtructio poteſt quidem craſſos humores prohibere, ne cum vrina miſceantur, non poteſt autem mediocritatem ſubſtantiæ, quam a calore ſuſcipit, ita alterare vt tenuem efficiat.

Eſt vero alba, ſi obſtructiones ſint ex materia pituitoſa.

Eſt tenuis nigricans, ſi obſtructiones ſint ex melancholia.

Et quanquam auctor *lib.de vrinis*, profiteatur, nigram & tenuem nõ dari vrinam, eo quod omnes fiant ex permiſtione ſucci melancholici, decipitur B tamen: nam minima quoque humoris melancholici portio ſero permiſta nigritiem parit.

Secundum notãdum eſt, has vrinas obſtructionem demonſtrare, dum humores obſtruentes, vel naturæ expellenti, vel medicamentis reſiſtunt: cum primum enim obſtructiones aperiũtur, craſſæ redduntur vrinæ.

Tertium notandum eaſdem vrinas reddi ex renum calculis, aut alia quacunque renum denſitate vel obſtructione.

Idcirco pro diſtinguendis locis impedientibus tranſitum humorum inſpicere oportet, & ad contẽta in vrinis, & ad partium ſymptomata.

Ad contenta, quia ſi arenulæ vllo vnquam tempore apparuerint, tenuitas apparens calculi eſt indicium. C

Ad ſymptomata, quia ſi affecti ſint renes, vrina non tenuior modo, ſed etiam magis parca emittitur, vt quandoque ex toto ſupprimatur, id quod nõ contingit in obſtructione iecoris, pręterquam quod alia quoque ſymptomata erunt diuerſa.

Quartum & vltimum notandum eſt, nomine obſtructionis iecoris non eſſe intelligendam obſtructionem meatus fellei, ſed venarum: meatuum autem fellis obſtructio vrinas reddit craſſas & bilioſas.

Ceterum iſtæ ipſæ vrinæ, craſſæ inquam, ac rubeæ non modo fiunt ex obſtructione meatus fellei, verum etiam ſequuntur tumores iecoris, ſiue duros, ſiue inflammatorios. Ex his enim non modo comprimi poſſunt meatus veſicæ fellei, verum etiam venæ ipſæ comprimuntur, vt ſanguis neceſſa- D rio ſimul cum ſero miſceatur. Hæc omnia itaque non ex vrinis tantum, ſed ex proprijs ſignis diſtinguere oportet.

Vrina veſicæ exulceratæ. Quod ſpectat ad vlcera, ſi hæc fuerint in veſica, facilime cognoſcuntur ex contentis ſquamoſis, ſanguini commiſtis, ex pure, ex dolore circa veſicæ regionem, & eo, quod pus & ſanguis vrinæ non admodum eſt miſtus, ſed poſt mictionem excernitur: contra, ſi ſit in renibus, & pus & ſanguis vniuerſæ commiſcentur vrinæ atque omnia inuicem commiſta excernuntur.

Quod autem pertinet ad affectus aliarum partium, in quibus vrina nec generatur, nec percolatur, nec retinetur, maior adhuc eſt difficultas & A incertitudo, colligam tamen, quæ apud probatos ſcriptores inueni & propria obſeruaui experientia.

Vrinæ harum partium morbos demonſtrare poſſunt duplici ratione, vel, quando ipſæ ſuſcipiũt nouum quendam colorem, ſubſtantiam, acrimoniam, contenta, quæ antea non aderant; vel quando craſſitiem, contenta, colorem & acrimoniam, quam obtinent, amittant: primæ vrinarum differentię poſſunt quidem earum partium morbos demonſtrare, a quibus illi humores ſecedunt, qui vrinæ commiſcentur. *Quomodo vrinæ poſſint demonſtrare affectus aliarũ partium.*

Sed incertum ac dubium eſt hoc præſagium. I. quidem, me etiam non loquente, poterit quis colligere, ex talibus vrinis nullum ex illis morbis cognoſci, qui ſint abſque materia. Exempli gratia: eſt luxatio, fractura, numerus auctus aut deficiens, figura vitiata, & id genus alia.

Neque etiam vrinæ poſſunt oſtendere illos affectus, qui etiamſi fiant ex materia, habeantque eam connexam, habent tamen illam aſtrictam, concluſam, immotam, ſiue ſint ſcirrhi, ſiue inflammationes recentes, vel abſceſſus varij.

In illis autem, qui materiam habent mobilem, non neceſſario poſſumus affectionis naturam cognoſcere, tametſi excrementa illius partis ad vrinas tranſmittantur. Ratio eſt, quia plerumque affectio illius partis fit ex fluxione alterius materiæ diuerſæ ab excremento naturali partis.

Datur exemplum: Laborat cerebrum phrenitide ex affectione calida, colliquatur pituita, quæ eſt in cerebro, & colliquata ad vrinas tendit. Vrinæ fiunt multæ, crudæ & tenues, tamen capitis morbum non ſignificãt, aliquando etiam in affectu calido ſuperueniens refrigeratio exprimit humiditates tenues & aqueas, quę tamen non conſtituunt eſſentiam morbi: accedit, quod plerumque ille ipſe humor, qui facit vnius partis determinatæ morbũ, vt phrenitin, abundat in iecore, in venis, & purgatur per vrinas, & tamen nihil certi habemus de ipſo loco patiente. Itaque in hoc caſu, vt certum fiat iudicium, conſiderandum, an vrinę, quæ nouos iam recipiunt humores excernantur cum iuuamẽto patientis & cum leuamine ſymptomatum illius partis, quam putamus eſſe affectam: hoc enim modo vrinæ color ſubſtantia, contentum certum faciens iudicium materiæ conſtituentis illum affectum, vbi enim talia excernuntur, qualia oportet, confert. *Hipp ſect. 1. aph. vlt.*

An, quomodo, & ex quibus vrinis affectiones capitis, vt ſunt delirium, phrenitis, &c. prædici poſſint. Caput XXIII.

QVemadmodum ex humorum quantitate & qualitate, quia partibus ſecedũt determinatis, & vrinæ permiſcentur, poteſt fieri indicium de natura, aut tumoris aut obſtructionis illius partis, nunquid ſc. ſit tumor bilioſus, aut alterius ſpeciei, ſi obſtructio cõſimiliter, ita quando, quæ in vrinis cõtinentur, ab illis recedunt, varia prædici poſſunt, de quibus apud Hippoc. Gal. alioſque Medicinæ ſcriptores facta eſt mẽtio, ſed tanta cum ambiguitate, vt ſi

vt si quis inconsulto suam proferat sententiam, ri- A diculus plerunque sit euasurus.

Existimant Medici ex vrinis prædici posse delirium, consequenter phrenitin, dolorem capitis, cōuulsiones, paralyses, apoplexias, parotidas, de quibus omnibus facta est mentio, partim apud Hipp. Gale. Actuar. partim vero apud alios. Hipp. enim *sect. 4. aph. 70.* ex vrinis turbatis dolorem capitis pronunciat; *Quibus vrinæ quales sunt iumentorum his capitis dolor, vel adest vel aderit, aph. 71. eiusdem partic.*

An & quomodo phrenitis.

Ex vrinis albis & perspicuis phrenitin cognosci profitetur, id quod apertius docet Gal. *in comment.* cum enim scribit Hippocr. albas & pellucidas vrinas malas esse, præcipue vero in phreniticis, inquit Galen. malas esse in phreniticis hanc potissimum ob caussam, quia bilis raptum habeat ad caput, & B propterea in morbo bilioso vrinæ sunt albę & perspicuæ. Ex sublimamentis quoque profitetur Hippocrates, phrenitin cognosci. Nam *comment. 2. in 1. prorrhet. text. 1. vrinas*, inquit, *sublime petentes occultato coxæ dolore esse phreniticas.* Idipsum scribit *commento primo, in primo prorrhet. text. 4.* de vrinis nigris, tenuibus, sublime petētibus, *comment. tert. in prima prorrhet. tex. 68.* ex suspensis albis videtur prædicere futurum parotin: propterea si legemus varias eiusdem Hippocr. historias in Epid. relatas, videbimus eas prędictis respondere auctoritatibus. Nam Hermocrates, cuius fit mentio *commen. 1. in 3. epid. text. 5.* qui vrinas habuit perturbatas, postea clarescentes & tenues redditas, delirio affectus est; idipsum contigit *comm. 3. in 1. Epid. text. 21.* vxori Philini: & cum vrinis nigris & C tenuibus delirauit æger, de quo facta est mentio *com. 3. in 3. Epid. text 74.* Auicennas *quoque cap. 2. sui tract. de vrinis*, virides vrinas in pueris inquit significare conuulsionem, eas vero, quæ crassum & album habent sedimentum, paralysin & apoplexiam.

Quæ omnia tametsi aliquando eueniat, nō sunt tamen perpetuæ veritatis: nam si de turbatis vrinis fiat mentio, iam audiuistis Gale. *libr. 1. de cris. cap. 12. & lib 4. tuend. val. cap 4.* aperte docuisse omnem turbatæ vrinæ differentiam alicuius coctionis esse argumentum. Pariter si sermo sit de tenuibus ac pellucidis, istæ exactam consequuntur cruditatem, frigidam intemperiem, ex eodem *lib. 1. de cris. cap. 12.* si confugiamus ad suspensa, dicebat Gale. *eod. loco, & in com. 6. in 2. prognost.* sublimamenta D hæc fieri in corporibus biliosis, in his qui vtuntur tenui cibo, vt propterea nullum horum possit certo capitis affectum prædicere, & propterea idem Galen. *com. 1. in 3. epid. text. 5.* loquens de huiuscemodi vrinis, quæ videntur delirium significare, inquit casu hoc contingere, vt patientes cum talibus delirent vrinis. Itaque apparet, quam dubia hæc sit doctrina.

Regula in obseruatione harum vrinarum tenenda. In turbatis.

Vt aliquid certi in hac parte habeamus, regulæ quædam sunt proponēdæ, circa obseruationes harum omnium vrinarum, quæ putantur capitis affectiones prædicere. Et quia sunt 3. præcipue differentiæ turbatę scil. tenues & pellucidæ, & habentes suspensiones, circa hæc omnia aliqua sunt notanda.

I. Quod pertinet ad turbatas, 3. in illis pręcipua sunt consideranda. 1. quidem *color:* nam si huiuscemodi turbatæ vrinæ colorem non obtineant a naturali diuersum, non necessario futurum indicāt delirium aut dolorem, id autem faciunt, quando aut flauum intensum aut rubrum, vel, vt dicit Actuarius, vineum in se continent colorem. Ratio autem est, quia tales omnes vrinæ perturbationem subeunt non ex imbecillitate coloris & flatu agitante, sed ex calore flammeo in venis ebulliente, & humores omnes confundente. I.

II. Regula est, *vt tales vrinæ tenuiores fieri incipiant:* nam si crassæ persistant, materia non necessario petit caput, potest etiam expurgari per vrinas, sed vbi tenues fieri incipiunt, tunc suspicandū, materiam ad caput conuerti, id quod docuit Gale. *& cum eo* Hippoc. *exemplo Hermocratis iam relato com. 1. in 3. epid. text. 5.* II.

III. Regula est, *vt huiuscemodi vrinæ siue crassæ persistens, siue tenues redditæ non sint copiosæ:* nam vbi multæ sunt, possunt patientem a magnis vindicare malis. Dicebat Hippoc. *sect. 4. aphor. 74. in febribus lassitudinarijs vrinam multam crassam liberare patientem a futuro abscessu:* potest itaque etiam præseruare a dolore & delirio. III.

De crassis etiam, quæ fiunt tenues & copiosæ, scribit idem Hippoc. *sect. 4. aph. 69. Quibus vrinæ crassæ meiuntur & grumosæ, si ab his tenues & copiosæ meiantur, prosunt.*

Quod vero pertinet ad tenues, in his quoq; obseruandus est color, temperatura patientis, morbi, iecoris, & renum, & aliæ excretiones.

Temperatura quidem: nam si fuerint insigniter frigida, tenuitas & albedo non erit signū phrenitidis: si fuerit nigra, aut viridis, aut russa, deliriū poterit significare: pariter si *obstructio iecoris* adsit, tenuitas nihil indicabit de delirio futuro, si adsint etiam in corpore quidem bilioso vrinæ tenues & albæ, sed tamen patiēs laboret *fluxu bilioso aut vomitu, aut alia excretione bilis*, illa non repit ad caput, propterea tales vrinæ, neque delirium, neque alium affectum significant.

Quod vero pertinet ad suspensiones, suspensa in vrinis aut fiunt cum humorum caliditate & tenuitate, aut cum humorum frigiditate & crassitie.

In humoribus calidis fieri suspensiones, non est a ratione alienum: sed si in crassa vrina suspensiones appareant, ex hoc licet desumere argumentum futuri affectus capitis, præcipue vero si hæc sublimamenta prauos quoque habeant colores, propterea dicebat Hipp. *com. 2. in lib. progn. text. 36. nubeculas in vrinis considerandas esse*: nam si ascendant cum prauis coloribus, malas esse inquit, si descendant cum bonis coloribus bonas esse.

Ceterum consulo quinetiam, vt præter regulas iam propositas diligenter obseruentur, quæ circa actiones animales ipsi ægro contingunt: nam siue vigiliæ, siue aurium tinnitus, aut vertigo vel quid taie incipiat patientem affligere, & ex alia parte, aliqua ex prędictis adsit vrinis, certum fiet iudicium de futuro delirio, aut tumore vel frigido, vel calido pro natura & statu patientis: si vero nihil tale adsit, non facile hæc prædicenda Medicis sunt.

Quæ vrinæ febrium breuitatem, quæ longitudinem, quæque medium statum significent. Item, quibusnam affectibus & coctio & cruditas vrinarum faciat de longitudine aut breuitate præsagium. Cap. XXIV.

CVm tria sint præcipua, quæ ex vrinis prædici consueuerint, febrium scil. breuitas aut longitudo, pernicies aut salus, modusque salutis aut mortis; Nos signis coctionis & cruditatis exordiũ sumentes, duo in parte prima præstabimus: primo quidem, quales nam vrinæ breuitatem, qualesve lõgitudinem, quales etiam medium statum significent: Item quibusnam affectibus coctio & cruditas vrinarum certum faciat de lõgitudine aut breuitate præsagium.

Quod igitur ad primum pertinet, vulgatissima est Hippoc. sententia *comm.2. in 1. epid. text. 45. & 46. a Gal. accepta, at sexcentis fere locis repetita, coctionem scil. morbi breuitatem, cruditatem vero eiusdem significare longitudinem*. Et quia inter absolutam cruditatem absolutamque coctionem mediũ quoddam reperitur, illud medium quoque significabit morbi statum neque fini proximum, neque a fine admodum distantem. Exacta autem coctio proposita est ab eodem Hippoc. & Galen. *comm. 2. in prog. tex. 26. lib. 1. de cris. cap. 12 & 17.* est enim *vrina optime cocta moderatæ substantiæ, coloris subflaui, sedimentum habens album, læue & per omne tempus æquale*, in corporibus potius pituitosis, pueris, mulieribus, alijsque liberaliter & otiose viuentibus. In temperamentis enim biliosis etiam biliosum sedimentum exactam ostendit coctionem.

Quinimo, si tales tenuiter etiam vixerint ac corpus exerceant, sine vllis contentis ex solo colore & substantiæ mediocritate absolutam ostendent coctionem. Quod si vel non exerceantur, vel exercitati admodum tenuiter non viuant, istis pro exacta demonstranda coctione satis erit nebula aut suspẽsum cum bono colore ac substantia totius vrinæ. Hæc Galen. *& locis citatis, & lib. de totius morbi temp. cap. 5. & alibi pluries.*

Itaque quandocunque in morbis tales appareãt vrinæ, breuissimum esse ad salutem tempus certo prædici potest.

Illa tamen conditio præ ceteris omnibus attendenda, vt scil. *æqualis sit vrina*, hoc est, singulas, quæ excernuntur mane & vesperi, & per sequentes dies easdem obtinere conditiones. Nam si fiat mutatio, vt docuit Galen. *in illo comm. text. 26. 2. progn.* crudus humor coctionem iam in vna parte factam intercipit, & sic quanquam ratione illius humoris concocti salus sit proxima, ratione alterius crudi, qui interponitur, fit nouum morbi principium, hinc æqualitas per singulos dies repetitur.

Quales vrinæ sint in morbi statu: Hęc sententia, quę irreprehẽsibilis videtur multas habet difficultates, nam cum scribat Galen. *lib. 3. de cris. cap. 5.* vrinas exacte coctas, quales iam descripsi in statu tantum apparere, multæ sunt rationes & auctoritates, quæ oppositum ostendunt, in statu scil. vrinas esse admodum ab his diuersas.

A

Primum quidem aliquando possunt esse tenues: vbi enim in principio & augmẽto morborum crassiores redduntur vrinæ, facta concoctione attenuãtur & copiose redditæ tenues excernuntur critico modo absque vllis contentis. Hoc voluit Hippoc. *in illo aph. 69. 4. part.* cum scripsit, *in febribus si vrinæ grumosæ & crassæ meiantur, ab his vero tenues & copiosæ, prosunt*. Non prodessent autem si symptomatice excernerentur.

Sed aliquando etiam in statu crassissimæ excernuntur cum prauis contentis. In hunc sensum scribit Hippocrat. *sect. 4. apho. 47. in febr. non intermittentibus excretiones liuidæ, fœtidæ, cruentæ, biliosæ omnes malæ, quæ tamen si recte prodeunt, bonæ. Cum*

B

excernuntur, dicit Gale. *in comment. non quasi ichor, qui in loco inflammato non possit contineri, sed quasi materia ex disrupto abscessu purgante natura noxiũ humorem*, & meminit sigillatim Hippocrat *loco citat.* huius excretionis factæ per vrinam (vtrum vero hæc excretio sit facta cum coctione, an non, disputabitur suo loco, ego cogor accusare Galen.) *comment. etiam 2. in 1. Epid. text. 41.* mentio fit de stranguria feliciter iudicante morbos illius constitutionis, cuius stranguriæ caussa erant humores multi, crassi & mordaces tempore status excreti, quod etiam pertinet ad contenta dixit Gal *lib. 1. de differ. febr. cap. 6.* sedimenta vrinarum posse portionem humorum in venis putrescentium & tot esse formas sedimentorum, quot sunt differentiæ humorum: hæc autem materia puri similis in statu potis-

C

simum excernitur: tunc enim felicius excernitur, cum iam est conuersa in quid puri simile: est autem conuersa post perfectam concoctionem, quæ fit in statu. Igitur in statu vrinarum contenta non possunt esse alba, sed illius coloris, cuius fuit humor putrescens.

Accedit, quod in statu fit ipsa perfecta coctio, vt docuit idem Gal. *sect. 2. aph. 29.* at dum fit coctio, non potest esse absoluta.

Præterea in statu omnia sunt fortiora eoque insignis est agitatio humorum, qui a natura alterãtur, *sect. 2. aph. 30.* Igitur etiam contenta debent esse diuulsa, non plana propter hanc insignem corporis perturbationem.

Cum itaque hæc, quæ proposuimus & antiquis partibus rationi & experimento sint consentanea, *Responsiones ad contradictionem Galeni & Hippoc.*

D

pro solutione contradictionis apparentis tria dici possunt. Prima est: *febres aut fieri in corporibus pituitosis, aut in alijs temperamentis.*

Si in pituitosis corporibus, perfecta coctio requirit contentum album, lęue, ęquale, & præcipue hypostasin.

Si sint corpora alijs humoribus scatentia, contẽta etiam naturalia coctionem optimam præ se ferentia, eos habebunt colores, quos habent humores peccantes.

Secunda distinctio: *vrinæ considerari possunt, vel vt signa coctionis tantum, vel etiam, vt caussæ criticæ.*

Si cõsiderentur, vt signa coctionis tantũ, nunquã debẽt esse tenues nec crassiores iusto tẽpore status.

Si con-

Si considerentur vt caussæ crisis, quatenus scil. natura aliquando omnem deponit per hanc partem corporis superfluitatem, sicuti deponit, & per secessum, & per sudores & vomitum, nihil refert eo tempore, etiamsi vrinę aut tenuiores, aut crassiores, aut praui etiam coloris reddantur.

Tertia & vlt. distinctio: *status dupliciter potest considerari, vel in priori sui parte, quæ ad augmentum vergit: vel in vltima quæ ad declinationem.*

In prima parte coctio perfecta fit, in vltima coctio perfecta est facta. Et propterea post primam partem succedit excretio; vltimæ autem parti præcedit excretio.

Hanc vtramque status partem nobis significauit Gal. *sect. 2. aph. 29.* declarans, cur in statu nihil sit mouendum, inquit, quia fit coctio vnica interiecta linea, inquit, quia materia est perfecte cocta & iam natura defatigata. Si Gal. duas hasce status partes non significaret, sibi ipsi contradiceret. Ita igitur sentiendum de vrinis coctionem ac consequenter breuitatem significantibus.

Quod pertinet ad crudas, quanquam crudę vrinæ principium morbi significent, attamen, quia principium a Galen. vt potuit colligere, in 3. partes distribuitur, videndum est, quæ sint proprie vrinæ vniuscuiusque partis principij.

Prima pars principij.

Est prima pars principij *tempus, in quo nulla prorsus adest coctionis nota,* de hac parte principij meminit Gal. *lib. 1. de cris. cap. 8. & 9. lib. de totius morbi temporibus, cap. 3. & 4.*

Quæ eius vrinæ.

Cognoscitur huiuscemodi tempus ex vrinis *tenuibus & albis omni contento carentibus.*

Ceterum, quia tenues vrinæ aliquando corrumpuntur, aut breui post emissionem corrumpuntur, aut longo intercedente temporis interuallo. Vtraq; sunt absque coctione: significant tamen breui inceptam coctionem, si breui tempore corrũpuntur: magis vero distantem, si longius tempus ad corruptionem exquirant. Hæc Gal. *lib. 4. de tuend. val. c. 4.* cuius sentẽtiam accipio, quidquid in oppositum alij senserint.

Notanda.

Hac tamen in parte duo sunt notanda: Primum

1. est, *tenues vrinas in principijs morborum aliquando excerni non propter cruditatem, sed quod materia alio diuertat.*

2. Dictum est hactenus de hac re, albas & pellucidas vrinas in phreniticis fieri, idcirco ad symptomata patientis respiciendum, ne morbus pronuntietur longus, qui sit acutus & lethalis.

Alterum est in diabetica passione quam Galen. *lib. 6. de loc. aff. cap. 4.* proponit, vrinas tenues & consequenter crudas excerni, neque tamen est propria passio iecoris, aut venarum, sed potius ipsorum renum, vt explicauit Galen. *loc. cit.* Idcirco pro dictione huius affectus a tenuibus vrinis cruditatem significantibus, quantitatem respicere oportet & tempus exeundi: nam in diabete tenues & copiosæ sunt. Et quod pertinet ad tempus, cum primum quispiam potum acceperit, tunc primum aqueas etiam emittit vrinas, serosi humoris nulla facta retentione.

Secũda pars principij.

Cum secundam principij partem vrinæ obscuram habentes coctionem circumscribant, quinque

A innenio esse harum vrinarum præcipuas differentias. Prima est *tenuium, quæ carent contentis, incipiunt tamen recedere a colore albo.*

Vrinæ ob[s]curam coctionem habentes.

Idcirco in hac classe reponuntur vineæ, quæ æmulantur colorem vini albi, *subpallidæ albæ, subrussæ & russæ.* de quibus omnibus meminit Gale. *lib. 1. de cris. cap. 12. quinimo com. 1. in 3. epid. text. 5.* cum videret Gal. *Hipp. comm. 2. prog.* rubearum vrinarum mentionem non fecisse, sed tantum subrubearum in *text. 27.* vult & subrubeas & rubeas inter obscure coctas reponi & consequenter longitudinem significare.

Sunt primo vineæ.

Obiectiones 1.

In hac parte duo sunt, quæ negotium faciũt: primum est, quod desumitur ex *Auicen. fen. 2. lib. 1. in doctrina 3. cap. 3.* qui verba faciens de vrinis, quę incipiunt concoqui, scribit, illas primo substantiæ B mediocritatem, deinde colorem suscipere.

Confirmatur hæc opinio philosophica ratione. Color enim cum sit accidens, est posterior substantia. Itaque primo debet introduci substantia, deinde color.

Altera difficultas est de vrinis subrubeis, quas, vt dixi, Galenus inter obscure coctas reponit, inter eas, quæ longum significant morbum, & tamen rubeæ & subrubeæ fiunt a sanguine, non modo auctore *Auicenna in cap. 2. illius doctrinæ 3.* verum etiam ipso *Hippoc. comm. 5. in lib. 6. epid. tex. 14. lingua,* inquit, *lotium ostendit:* postea subdit, *rubea a sanguine.*

Experientia quoque docet in Synochis febribus, quæ omnium sunt breuissimæ vrinas esse rubeas.

Respõsio ad primam.

C Prima difficultas facilime soluitur: color in vrina dupliciter induci solet, vel ex mistione materiæ coloratæ cum ipso sero aqueo, vel ex augmento caloris alterantis ipsammet seri substantiam.

Primo modo vrina fit colorata quanquam sit tenuis: nam modica etiam bilis portio aqueum colorem substantiamque tenuem potest in pallidum aut subrussum, vel russum transmutare. Sed color qui contrahitur ex ipsiusmet substantiæ seri transmutatione, is non potest comparari priusquam tenuis substantia in crassiorem vertatur.

Ad secundam.

Ad secundam instantiam, quid pro Gal. dicam, sane non habeo, putabam posse defendi Gale. si dixissemus, reposuisse illum rubeas ac subrubeas vrinas, sed tenues, inter obscure coctas. Nihilominus *loc. cit. comm. 1. in 3. epid. text. 1.* est sermo de crassis rubeis, quas tamen sub eadem ponit censura.

D Accedit, quod *Hippoc. auctoritas 2. ille progn. text. 27.* a Galen. proposita non fauet Galen. vult Gale. ex eo loco colligere, voluisse Hippocratem subrubeam vrinam longum significare morbum, videatur locus, hoc non dicit Hippoc. sed comparatiue loquitur. In *26. text.* proposuerat vrinam exquisite coctam, in sequ. statim textu hanc proponit subrubeam, quam inquit morbum significare lõgiorem habito respectu ad eam, quam prius descripserat, propterea subdit *salutarem.* At vero vbi vrinæ longitudinem significant, non necessario ostendunt salutem: nam in progressum morbi varia fit circa ægrotantem mutatio.

Sed detur, subrubeam longitudinem significare obscu-

obſcuramque coctionem, eo, quia oſtẽdit, vt inquit Gal. ſeroſiorem eſſe ſanguinẽ, ac conſequenter crudiorem, quam conueniat. De rubea quid dicemus? cur debet rubea cruditatem ſignificare, ſi eſt argumentũ ſanguinis bene confecti? propter hanc cauſſam ego rubeam vrinam inter ſigna longitudinis non puto reponendam.

2. *Tenues cum nebula alba.* Secunda vrina eſt *tenuis, ſed cum nebula alba.* Hæc obſcuram ſane ſignificat coctionem. Meminit huius vrinæ Hipp. *com. 2. progn. text.* 28. cũ inquit, Cãdidas vrinas & tenues vitioſas eſſe: de his verba faciens *com. 3. in 1. porrhet. text* 68. quærit, an poſſint eſſe ſigna putredinis, eo quod obſcuram habeant coctionem.

3. *Craſſæ, turbatæ.* Tertiæ ſunt *craſſæ ſeu turbatæ, quæ non ſubſident:* harum meminit Gale. tanquam obſcuram ſignificantium coctionem, *lib. 1. de criſ. cap.* 12. *& lib.* 4. *de tuen. val. cap.* 4. qui tamẽ, *com.* 1. *in* 3. *epid. tex.* 5. videtur ſibi ipſi contrarius, dum ſcribit, has nõ minus crudas eſſe, quam ipſas tenues albas. A tenues nullam habent coctionem: Igitur neque turbatæ, quæ non ſubſident: poteſt tamen conciliari hæc controuerſia. Nam turbatarum vrinarum, vt alias dixi, duplex eſt differentia: quædam fiunt a calore naturali aggrediente concoctionem humorum, de quibus meminit Gale. *lib.* 1. *criſ. cap.* 12. *& lib* 4 *de tuend. val. cap.* 4. aliæ fiunt a calore flammeo præter naturam agitante humores venarum. Iſtæ ſunt omnino inconcoctæ, imo coctioni oppoſitæ, de quibus meminit Gale. *& loc. cit. com.* 1. *in* 3. *epid. text.* 5. *& ſect.* 4. *aphoriſ.* 70.

4. *Craſſæ ſubſidentes propter materiæ grauitatem.* In quarto loco ſunt *vrinæ craſſæ, quæ ſubſident quidem, ſed ſubſidentiam habent propter ſolam materiæ grauitatem:* Idcirco deponunt materiam in fundo matulæ inſtar farinæ craſſioris. Harum meminit *Gale. ſect.* 4. *aph* 69. cum inquit, *circa initia morborum, vel augmenta has craſſas vrinas ſubſidentiam habere non propter concoctionem, ſed ob ſolam materiæ grauitatem* de his quoque verba fecit Hipp. *ſect.* 7. *aphoriſm.* 31. cum inquit, *vrinas, quæ habent ſedimentum inſtar farinæ craſſioris, longitudinem ſignificare.*

5. *Craſſæ cum ſuſpenſionibus albis.* Vltimo inter vrinas obſcuræ coctionis connumerantur *craſſæ, quæ ſuſpenſiones habent craſſas, inæquales, diuulſas, figuræ circularis.* Harum meminit Gal. *lib.* 3. *de præſag. ex pulſ. cap.* 3. qui comparabat hæc contenta telis aranearum in modum lanæ congeſtæ.

Hæ omnes vrinæ ſignificant obſcuram coctionem & quouſque perdurant, ſecundam principij partem.

Reliquæ vero, quas nunc recenſemus, manifeſtã quidem habent coctionem, non tamen abſolutam, & quanquam Gal. *in lib. illo* 1. *de criſ. cap.* 12. *ac* 17. videatur voluiſſe has determinare poſtremã principij partem, mihi tamen verius videtur, illas oſtẽdere tempus augmenti.

Nam a manifeſta coctione ad abſolutam intercedit quidem aliquod temporis ſpatium, ſed illud admodum breue, quale non conſueuit eſſe tempus augmenti, præterquam, quod cum ego per totum Hipp. totumque Galen. quæſierim, nunquam potuerim inuenire, quales nam vrinas tribuant incremento. Oportet igitur, vt ſint mediæ inter perfecte coctas, & inter obſcure coctas.

Mediæ autem ſunt iſtæ, quas, vt dixi, Galenus tribuit vltimæ parti principij.

Prima eſt *turbata ſeu craſſa*, quæ clareſcit, cuius meminit 1. *illo de criſ. cap.* 12. *& lib.* 4. *de tuend. val. cap.* 4. Sed hac in parte opus eſt iudicio, alioquin Galen. ſibi ipſi contradicet in duobus com. ſibi ipſis propinquis: *ſect. enim* 4. *aphor.* 69. in principio, inquit, craſſam vrinam, quæ habet ſubſidentiam, non eſſe ſignum coctionis. In *ſeq. aphoriſ.* craſſam ſubſidentem, inquit, eſſe ſignum coctionis, vt vindicetur Gal. a contradictione, ipſam oportet reſpicere ſubſidentiam. Nam ſi admodum craſſa fuerit, fit ex ſola grauitate abſque coctione manifeſta; Si aliquam habeat aut leuitatem aut figuram pyramidalem, eſt ſignum coctionis manifeſtæ. *Vrinæ mediæ.* 1.

Secunda eſt *vrina moderatæ ſubſtantiæ & boni coloris abſque contentis*, cuius meminit *lib.* 1. *de criſ. cap.* 17. In hac quoque oportet reſpicere ad temperamentum, victum, & naturam morbi. 2.

Nam ſi temperamentum ſit bilioſum, ſicuti & morbus, victuſque ſit tenuis, talis ſubſtantia & color abſque vllo contento abſolutam ſignificat coctionem. Hoc docuit Galen. *lib.* 1. *de criſ. cap.* 12. *& com.* 2. *in lib. progn. text.* 26. In alijs autem morbis ac temperamentis cum variant contenta, vrina dicitur non manifeſte, ſed perfecte cocta.

Tertia differentia eſt *vrinæ moderatæ ſubſtantiæ ac coloris, quæ habeat ſuſpenſionem aut nebulam loco hypoſtaſis, quanquam morbus non ſit bilioſus.* 3.

Quarta differentia illius, *quæ habet ſuſpenſum ac nebulam albam quidem, ſed diuulſam, non plenam, ſed diſſimilarium partium.* 4.

Quinta differentia eſt *earum vrinarum, quæ habent contenta alba, lenta, ſed non æqualia, imo vno die apparentia, alia autem non.* Hæc omnia manifeſtam ſignificant coctionem, non tamen perfectam. 5.

Atque ideo applicantes iam vrinas ad præſagiũ, vbi vrinæ ſint omnino crudæ in primo quaternario longiſſimam ſignificant febrem. Si obſcuram habeant coctionem, longum pariter ſignificant morbum, ſed priori non æqualem. Si in primo quaternario manifeſta ſit coctio, morbus inter longos non eſt recenſendus. Idcirco *Hipp. in illa ſect.* 4. *aph* 77. ex rubea nubecula in quarta apparente, quæ eſt ſignum coctionis manifeſtæ, ſed non perfectæ, ſalutem prædicit in ſeptima.

An etiam ex vrinis ſalus ægrotanti aut interitus, & ex quibus earundem, & quomodo prædici poſſit. Cap. XXV.

Sicuti certa eſt lõgitudinis ac breuitatis morborum præcognitio, quæ ex vrinarum cruditate vel coctione colligitur: ita dubia admodum & inuida ea eſt, quæ ad futuræ ſalutis vel mortis præſagium ſpectare videtur. Idcirco noſtrum erit in præſentia diligenter hac in parte verſari, & quid certũ, quidve in ea dubium ſit, accurate rimari.

Primum quidem *non eſt, quod quis exiſtimet, ex inculpatis vrinis certo ſe alicui ſanitatem promiſſurum.* Cum enim, vt in ſuperioribus dictum fuit,

plures

plures sint lethales morbi, præcipue vero capitis, A thoracisque inflammatione, quę nullam plerunq; habent cum vrinis communicationem, fit etiam, vt vel phrenitici, vel lethargici, vel peripneumonici, ac pleuritici diem suum obeant, vrina sanis exsistēte simillima. In pestilentibus etiam hecticis nō modo quotidiana docet experientia, sed & Galen. ipse *lib 3. de præsag. ex puls. cap. 3.* vrinas vsque adeo sanis similes factas ait, vt etiam Medicos deceperint. In hunc sensum puto scripsisse *auctorem libri prorrhet. comm. 2. in lib. 1. tex. 24. coctas vrinas esse malas*. Scio equidem Zeuxidem referente Galeno *in comment.* Galenumque ipsum aliter hunc locum exposuisse, mihi tamen præsens expositio rationi magis consentanea videtur. Hanc ob caussam Galenus noster, alioquin oculatissimus, hac in parte (pace illius dictum sit) iusto audacior mihi vide- B tur, qui *com. 6. in 6. epid. text. 6.* cum videat Hippocratem ibi prauorum quorundam symptomatum syndromen proponere, neque tamen vrinarū mentionem facere, inquit, se ex vrinis de euentu statim iudicium facturum, vt scilicet si prauæ fuissent, hic certo esset moriturus: si concoctæ, conualiturus, sed ægre, quod in alijs quoque morbis faciendum esse putat, contra quam nos iam ex eiusdem sententia & ex ratione docuerimus.

Vrinas sanis oppositas non indicare certo futuram mortem.

Sed *neque ex vrinis, quæ sanis opponuntur, certū post fieri iudicium futuræ mortis.*

Cum enim vrinæ sanis oppositæ sint vel crudæ, vel prauæ, neutræ certi aliquid obtinent: non crudę, nam scribit Gal. *com. aph. 12 sect. 1. & com. 1. in 3. epid. text. 4.* vrinas crudas tempus quidem requirere ad coctionem, non tamen necessario mortem si- C gnificare. Idcirco etiam *Hipp. com. 2. in 1. epid. tex. 46.* inquit, crudam non solum mortem significare, sed etiam iudicij difficultatem & longitudinem. Propterea *idem comm. 2 in lib. prog. tex. 34.* eos, qui diu tenues & crudas mingūt vrinas, non dicit morituros, sed abscessum aliquem habituros.

Quod si aliquando idem Gale. & Hipp. crudas vrinas ac tenues inter exitiales reposuerint, vt *com. 2. in lib. progn. text. 32. & com. 2. in 1. epid. text. 75. atque alibi*. id non ex propria vrinarum natura factum esse censendum est, sed ex collatione cum viribus, cum ętate, cum natura morbi, cum alijs symptomatis.

Cum viribus quidem: nam quando in cruditate vires sunt infirmæ, certo mors prædici potest: nam in longo statu vires præsentes debiles non erūt ido- D neæ ferendo morbo.

Ratione ætatis. Cum ętate: nā si in pueris tenues fiant vrinæ (de febribus est sermo) exitiales sunt: Etenim & facultatis concoquentis & expellentis summam significant imbecillitatem. Idcirco *Hipp. com. 2. progn. tex. 33. in adultis nigras, in pueris tenues vrinas lethales scribit.*

Cum morbo: nam si morbus ex propria natura biliosissimus, vt phrenitis, casus ex bile, &c. Et tamen vrinæ sint crudæ, signum lethale est.

Idipsum dicendum de symptomatibus; quandoquidem vbi adsint vigilię, delirium satis ingens, atque alia id genus praua cum crudis vrinis, male cum ægro agitur.

Memoriæ tamen mandare oportet, quod alias in hac tractatione monui, ne scil. tenues ac multas vrinas, quæ post crassas emittuntur in diebus iudicatorijs cum virium subleuamento ac morbi declinatione, putetis tanquam crudas esse malas.

Dicet quispiam, si crudæ vrinæ certo mortem nō indicant, indicabunt saltem prauæ, in quibus scil. signa apparent coctioni opposita: harum meminit *Hipp. com. 2 progn. text. 32 Exitiosior vero, inquit, vrina est, si aquosa, fœtida, nigra crassaque: Et text. 28. eiusdem com.* praponit quatuor vrinarum sedimenta (de quibus alias memini) tanquam exitialia: Et *in tex. 35. vrinas cum pinguedine supernatāte consumtionem significare. Gal. partim in lib. 1. de cris. cap. 12 partim in libr de tot. morb. temp. cap. 5.* omnes connumerauit vrinas exitiales, turbidas, oleosas, fœtidas, quæ habeant contenta farinæ crassiori simillima, squamosa, furfuracea, grana onbi æmulantia.

Ad hęc colores liuidos, virides, nigros in his tanquam lethales connumerauit: quæ tamen omnia; nisi legibus distinguantur, ridiculos aliquando in prædictionibus faciunt Medicos.

Nam primum, quod ad turbatas pertinet, tametsi idem *Gal. lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 3.* illas referat tanquam pestilentium febrium vrinas, & ideo scribat *Hipp. com. 3. in 3. epid. tex. 15.* vbi proponitur constitutio pestilentissima, lotia turbata, multa, mala: nihilominus quia huiusmodi vrinæ sunt etiam quandoque indicia coctionis inchoantis, vt docuit idem *Gal. lib. 1. de cris. cap. 12. & lib. 4. de san. tu. cap. 4.* Idcirco oportet ad pulsus, ad calorem, ad alia denique symptomata, quæ perniciosum docent morbum, animum conuertere: & si illa quoque ad prædicendam necem conspirent, turbata lotia inter pessima erunt numeranda: si secus res habeat, arbitrandum agitari & cōfundi crassos humores potius ab innato calore, quam extraneo.

Prædictiones ex turbatis.

Quod est dictum de turbatis, idem intelligendum de crassis inæqualibus, quæ aliquando periculum, aliquando solam significant lōgitudinem. *Ex crassis.*

De periculosis meminit *Hipp. sect. 7. aph. 33.* vocat autem ibi Hipp. has vrinas dispartitas, diuisas, seu distractas propter insignem partium inæqualitatem, quæ si cum virtute fuerint debili, lethalissimæ sunt: Etenim non cruditatem modo, sed & insignem humorum diuersitatem significant: si tamē constent vires, isti quoque, quanquam multi & diuersi, & concoqui possunt, vt morbus quidem longior reddatur, lethalis tamen nequaquam, vt docuit idem *Hipp. comm. 4. de vict. rat. in morb. acut. text. 51.*

Oleosæ similiter variam habent prædictionem. *Ex oleosis.* Quæ enim oleosæ dicuntur ob substantiæ crassitiē, colliquatis scilicet humoribus, qui in venis sunt, si cum viribus fuerint fortibus, longitudinem tātum significant, vt potest colligi *ex comm. 3. in 3. epid. tex. 61.* in viribus languidis sunt lethales. Idcirco *comm. 3. in 1. epid. text. 29.* ægri fit mentio, qui cum vrinis oleosis exsistentibus esset debilis, in vndecima defunctus est.

Quia vero dātur etiam oleosę tenues ex pinguedine supernatante, istæ quoque variū habēt præsagium: *Ex oleosis tenuibus.*

sagium: nam aliquando colliquatio fit ex renibus & nihil habet periculi: nonnunquam fit in suspicione futuræ hecticæ, & longitudinem pronuntiat.

Lethales itaque erunt, quæ in ardentibus aut malignis fiunt febribus cum pulsuum imbecillitate, atque alijs prauis symptomatis, ad quæ oportet semper animum conuertere.

Quando ex vrinæ substantia nullum fit certum futuri euentus præsagium, multo minus ex colore illud haberi poterit. Colores enim ex quacunque etiam minima humoris cum vrina commistione ita permutantur, vt incertum admodum sit præsagiũ. Hipp. tamen *com. 2. prog. text. 29. nigras nubeculas malas esse* scribit, quod etiam de alijs contentis intelligi debet. Exitialiores inquit esse totas vrinas nigras *tex. 32.* præcipue vero in adultis, vt scribit *tex. 33.* cui inhęrens *Gal. lib. 1. de cris. cap. 12. neminem se vidisse inquit seruatum ex illis, qui nigras emitterent vrinas.* Idcirco *com. 2. in 1. prorrhet.* casum proponit cuiusdam ægri, qui in septima obijt cum vrinis nigris. Multa quoque habentur apud Hippo. huius rei exempla defunctorum cum nigris vrinis, vt *com. 3. in 3. epid. tex. 86. in casu Apollonij, & tex. 87. & seq.* Virides etiam vrinas & liuidas inter exitiales reponit *Gal. lib. 1. de cris. c. 12. auctor lib. prorrhet. comm. 1. in 1. prorrh. tex. 31.* prærubas quoque reponit inter malas.

Hæc tamen, vt dixi, nullam habent certitudinẽ. Cum enim colores tales sint, quales humores permisti, *Hipp. & Gal. auctore com. 5. in 6 epid. tex. 14. & comm. 1. in 6. Epid. text. 6.* non raro contingit, vt natura critice prauos cum vrina deponat humores, qui salubritatem efficiant, id quod docuit *Hipp. & cum eo Gal. non modo com. 2. in 1. epid. tex. 41 sed etiam sect. 4. aph. 47.* dum scribit *Hipp. excretiones in febribus non intermittentibus nigræ, liuidæ, fœtidæ omnes malæ: si tamen recte prodeũt, bonæ. Et Gal. in comm.* Excretionis nomine vrinas quoque comprehẽdit. Idcirco in quartanis febribus, atque alijs affectibus melancholicis non semel ego nigras excerni vrinas obseruaui maximo ęgrotãtis leuamine.

[Fœtor an sit signum perniciosum.] Neque vero fœtor in vrinis signum est vsq; adeo perniciosum, vt necessario mortem significet: quanquam *Hipp. com. 2. in progn. tex. 32.* fœtidas posuerit inter exitiales. Fœtor enim aliquando aut renũ, aut vesicæ, aut vteri vlcus consequitur, aut proprietatem ciborum assumtorum, aliquando etiam natura critice deponit humorem.

[Multitudo & paucitas] Neq; ex multis aut paucis certi aliquid pronunciabimus: cum multæ aliquando quidem prauæ sint, vbi fiunt ex colliquatione, aliquando autẽ bonæ, cum totum corpus purgant, vt supra ostensum est Hippocr. auctore *sect. 4. aph. 69. & 74.* ¶ Dicet quispiam, sedimenta saltem illa praua, de quibus meminit *Hipp. comm. 2. prog. text. 28. & Gal. lib. 1. de cris. cap. 12.* furfuraceum scilicet, squamosum, farinam crassiorem æmulans inter perniciosa signa esse reponenda, cum & carnis & vteri colliquationem ac scabiem ac furfurationem significent.

Ceterum ostendimus hæc quoq; ex renibus tantum & vesica prodire: sic scribit Gal. *comm. 5. in 6. epid. text. 15.* sedimenta instar farinæ crassioris, & quæ grana erui æmulantur, ex colliquato fieri iecinore. *Hipp. vero sect. 4. aph. 77. & 81.* furfures & squamas vesicæ scabiem aut vlcus vteri significare docuit.

Idcirco posteaquam omnia connumerauit exitialia signa ex vrinis desumpta, in illo *com. 2. prog.* tandem *in tex. 37.* monet nos, ne huiusmodi præsagijs decipiamur, & patientem periclitaturum prædicemus, cum tamen vrinæ illæ ex vesica affecta possint prodire.

Accedit, quod sedimentum instar farinę crassioris, si album fuerit, potius longitudinem quam periculum significat, vt docet Hippoc. *sect. 7. aph. 31.* atque ideo potest etiam fieri in sanis corporibus, dũ liberaliter bibunt, cibisque crassioris succi vtuntur quod docet Gal. *lib. 1. de alim. fac. cap. 2.*

Neque vero carentiam contentorum exitialem esse putandum est, cum calidiores affectus in his potissimum, qui frugaliter viuunt, vel careant contentis, vel saltem loco hypostasis nebulam habeãt, vel suspensum: Id quod docuit Gal. *com. 2. progn. text. 26. & lib. 1. de cris. cap. 12.*

Circularis figura contentorum aliquod quidem habet momentum illudque effatu dignum ad perniciem, vt docuit Gal. *lib 3. de præsag. ex puls. cap. 3.* Ego quoque pluries obseruaui experientia: nihilominus nonnulli quoque cum talibus seruantur contentis.

Colliquatio quin etiam, quæ in superficie vrinæ in modum telæ aranearum supernatat, quanquam significet consumationem, vt docet Hipp. *comm. 2. prog. text. 35.* nihilominus hæc consumptio non necessario perducit ad necem. Plurimas ego quotidie in ardentibus & malignis febribus experior hac ratione colliquari, non necessario periclitari.

Accedit, quod vt scribit Hipp *sect. 7. aph. 35.* ex renibus etiam hæc colliquatio fieri potest.

[Quæ obseruanda vt præsagium certum haberi possit.] Cum itaque res ita se habeat, vt aliquid certi in hac parte, quod ad pręsagium pertinet, haberi possit, hæc omnia sunt obseruanda.

Primum igitur *nõ vnicum oportet signum in vrinis inspicere, sed plura simul,* & quãdo vel plura vel 1.
potiora saltem pernitiẽ significare videntur, quantum ad hæc pertinet, futura mors est prædicenda; si plura aut potiora in bonum conspirent, salus. Potiora autem sunt, quæ ad perniciem tendũt, insignis tenuitas, aut insignis perturbatio, liuidus ac niger color, insignis fœtor, prauitas contentorum, ratione substantiæ orobeæ, furfuraceæ, squamosæ atque inæquales rubro vel liuido colore affectæ: Circularis figura in suspensis & substantia oleosa ac quantitas imminuta, nisi tamen ea imminuatur, vel propter sudores aut alui deiectionem aliamue excretionẽ.

Secũdo *inspicienda est natura, magnitudo ac motus febris.* Nam si fuerit febris ex humoribus cali- 2.
dis & magna ac ardens, velocisque motus, in hac tenues vrinæ & admodum turbatæ, squamosæ ac furfuraceæ, crassum habentes sedimentum, paucæ, omnes sunt lethales. Si colliquatio & oleosa substantia accedat, adhuc periculosiores sunt.

Tertio obseruãdus est *mos febrium,* si febres sint benignæ, neque liuidus color neque niger, neque 3.
fœtor, neque substantiæ crassities vel alia id genus verenda sunt. In febre mali moris vnicum ex perniciosis

nitiosis signis relatis perniciem quoque ægrotantis significat.

Quarto obseruandum est *tempus*, *in quo fiunt excretiones & tolerantia*. Nam si prauæ vrinæ in principio & augmento magnæ ac malignæ febris excernantur, nihil prosunt, & patiens ab his nil iuuatur. Quod si morbo iam progresso in die critica ac cum ægri tolerantia emittantur, salutares sunt existimandæ. ¶ Denique considerandæ diligenter erunt *omnes caussæ naturales, non naturales, ac præter naturam a febribus distincta*, vt sunt morbi penis, vesicæ, vteri, renum, ex quibus vrinæ prauas acquirunt qualitates, ægroto tamen lethaliter non laborante. His diligenter animaduersis, quãtum humanæ patiuntur vires, nullus in prædicendo error committetur.

Quæ vrinæ, a quo eadem, qua quantitate, tempore, loco ac modo sint inspiciendæ. Cap. XXVI.

VT certum fieri possit iudicium circa præsagia ex vrinis desumta: necessarium est, certum quendam habere modum inspiciendi vrinas, circa quem nunc versabimur.

Dicemus autem, quæ vrinæ, a quo, qua quantitate, tempore, loco ac modo sint inspiciendæ.

Quæ vrinæ sint inspiciendæ. Et quod ad primum pertinet, vrina quæ inspicitur, *neque debet esse turbata, neque alio modo confusa aut agitata*, vel a motu vel a calore, igni aut aqua vel a flatu aut aere extrinseco.

Quod si alia non adsint, quam talis turbata & confusa, igne restituenda est imposito vaso super prunas ardentes sine vlla agitatione: sic enim substantia saltem & color restituuntur: contenta autẽ, vel nunquam vel ægre admodum seruantur.

Debet quoque conseruari vrina cooperta, ne puluis ingrediatur, qui nonnullis infert colliquationis suspicionem, neque debet seruari exposita igni, sic enim rubeum contrahit colorem aut fuscum & liuidum, sed potius detineatur intra furfures in loco tamen calido.

Quando sit inspicienda Inspicienda est & *nuper emissa & diu seruata*: nuper emissa, vt odor percipi possit; diu seruata, vt inspiciantur contenta. Auicen. non admittit vrinæ inspectionem transacta hora ab emissione, cum tamen potior Medicorum pars cẽseat ad horam vsque sextam, vsque adeo seruari integram, vt cuncta ea fideliter inspici possint.

Matutina, quę statim a somno fit, omnibus pręfertur, vtpote, quæ coctionis notas præ ceteris melius contineat; non sunt tamen aliæ quoque prętermittendæ, vtpote, quę in febribus ex cruditate quibusdam horis præter morbi naturam apparente accessionum initia deprehenduntur.

A quo. Debet hæc vrina *ab exercitato inspici Medico, cauto*, ne decipiatur, *& qui oculorum acie multum valeat*: in visu enim hebeti & color & substantia

A & contenta ægre admodum distinguuntur.

Tempus videndi vrinam est, vt paulo ante dixi, *& cum nuper est emißa, & quatuor etiam, vel sex horis post emissionem.*

Quantitas debet esse *tota vrina ab ægrotante excreta, & simul vnica vice, atque etiam pluribus collecta*. Nam ex ea, quæ tota simul emittitur, facilius contenta omnia deprehenduntur, quæ vbi mediata tantum pars Medico profertur, obscurantur. *In quantitate.*

Ratione vero quantitatis discretæ Medicus cõfert vrinam excretam cum potu accepto. Nam si superet potum, aut symptomatica est, aut critica: si multo minor sit potu, ex ea conijcit Medicus vel insignem febris ardorem, vel materiam alio delatã.

Quod spectat ad locum, debet primo seruari vrina in vase *vitreo, crystallino, mundo, in quo antea* B *non fuerit oleum, satis amplum*, vt totam vrinam semel eiectam contineat, *rotundum*, vt hypostasis melius appareat. *In quo vase sit seruanda.*

Debet autem inspici, neque in multo lumine, neque in vmbra, sed *in medio quodam lumine*. *In quo loco inspicienda*

Quod pertinet ad modum, si Medicus cupiat videre vrinæ colorem, opponat brachium lumini, ex opposito matulæ: si cupiat videre hypostasin, imponat brachium, vel corpus opacum suo fundo: si cupiat videre nebulam vel suspẽsum, opponat corpus opacum lumini in parte vasis superiore. *Quomodo.*

Debet autem & approximare vas oculis, & deinde etiam longinquius remouere: Nam quo propinquior est vrina oculis, eo crassior videtur, quo remotior, eo tenuior euadit.

His sic enim aduersis, *antequam Medicus ferat* C *indicium, debet etiam diligenter considerare, quales sint illi, qui offerunt matulam, an sint homines subdoli, & qui delectentur Medicos decipere*, an potius sint ingenui & fideles: nam vbi aliqua adest suspicio, attente omnia sunt consideranda, color, odor, substantia, contenta, *ne pro vrina succum aliquem vrinæ similem offerant.*

Præterea, cum dictum sit, vrinas immutari quãdoque ex caussis extrinsecis, ex cassia, sena, rhabarbaro, terebinthina, asparagis, &c. quandoque etiã prauas apparere ex affectione pudendi, vesicæ, renum, nullo modo in ceteris laborante corpore.

Cum denique variæ sint vrinæ pro varia ætate, sexu, temperamento, vitæque ratione tam in potionibus quam in cibis, exercitatione corporis, somno, venere atque ipso aere, antequam de morbis venaD rum, de quibus præcipue vrinæ iudicium faciunt, Medicus suam proferat sententiam, diligenter sciscitari debet; quæcunque pertinent ad huiuscemodi proprietates ciborum & potionum vrinas immutantium, ac res non naturales, ad res naturales & ad affectus præter naturam renum, vesicę & pudendi. Hac lege & conditione tuto accedat ad pręsagium & iudicium ferendum, ex quo & gloriam & emolumentum sit accepturus.

F I N I S.

INDEX CAPITVM.

DE PVLSIBVS.

DE VRINIS.

FINIS.